BIBLIOTECA NAZ.
Vittorio Emanuele III
XX
F
10

XX.
F.
10

Digitized by Google

Digitized by Google

CODEX
THEODOSIANVS
IACOBI
GOTHOFREDI
TOMVS QVARTVS.

Digitized by Google

Digitized by Google

CODEX THEODOSIANVS

CVM

PERPETVIS COMMENTARIIS

IACOBI GOTHOFREDI

VIRI SENATORII ET IVRIS CONSVLTI SVPERIORIS SECVLI EXIMII.

PRAEMITTVNTVR

CHRONOLOGIA ACCVRATIOR

CHRONICON HISTORICVM ET PROLEGOMENA

SVBIICIVNTVR

NOTITIA DIGNITATVM, PROSOPOGRAPHIA, TOPOGRAPHIA

INDEX RERVM ET GLOSSARIVM NOMICVM.

OPVS POSTHVMVM

DIV IN FORO ET SCHOLA DESIDERATVM

RECOGNITVM ET ORDINATVM AD VSVM

CODICIS IVSTINIANEI

OPERA ET STVDIO

ANTONII MARVILLII

ANTECESSORIS PRIMICERII IN VNIVERSITATE VALENTINA

EDITIO NOVA

IN VI. TOMOS DIGESTA

COLLATA CVM

CODICIBVS MSS. ANTIQVISSIMO WVRCEBVRGENSI

GOTHANO ET LIBRIS EDITIS

ITERVM RECOGNITA EMENDATA

VARIORVMQVE OBSERVATIONIBVS

AVCTA

QVIBVS ADIECIT SVAS

IOAN. DAN. RITTER, P. P.

TOMVS QVARTVS.

LIPSIÆ

SVMPTIBVS MAVR. GEORGII WEIDMANNI.

M D CC XL.

IN HOC TOMO

LIBRI DVO CONTINENTVR

LIBRO VNDECIMO agitur de Re Tributaria, de Relationibus & Appellationibus, de Teſtibus & Inſtrumentis.

LIBRO DVODECIMO agitur de Decurionibus ſeu de Muneribus & Honoribus municipalibus.

Digitized by Google

LECTORI BENEVOLO

SALVTEM

IO. DAN. RITTER

IN ACADEM. LIPSIENS. PP.

Maxima hujus Tomi parte enarrantur, quæ ad intelligendas res municipales faciunt; & ſunt lectu digniſſimæ Gothofredi obſervationes, cum longiſſime ſuperaverit Panciroli induſtriam. Singularem etiam vindicant ſibi attentionem municipia, & ut latiſſimum Digeſtorum opus elucidari accuratius, & Principum conſtitutiones dijudicari poſſint. Verum hæc jam paucis placent; verendumque adeo, ne neglecta ſtudia, quæ ab humanitate nomen capiunt, germanorum haut paucos, qui juris ſcientia imbutos ſe vulgo jactitant, reddant ſimillimos barbaris majoribus, quibus præter inſignem loquacitatem, & formularum rite cantandarum peritiam, inerat nihil. Sed quorſum hæc! dum ob oculos quaſi verſantur romana municipia. Animus enim eſt de antiquitate municipali exponere, quam leviter tetigit Gothofredus *ad leg.* 48. *de decurionib.* Herterium ſequens *ἐν πιθανῶν diatrib. I. cap.* 10. *Album* decurionum innuo, quod τῶν πόλεων λεύκωμα, item *Laterculum* ex Cedreno, τὸ βυλευτηρίε κατάλογον ex Juliano Noſter ibidem *nota d.* vocat, & expreſſum ſcribit in marmore apud Gruterum, quod mox produco. Eſt adhuc lis ſub judice, quid album fuerit, & variæ variorum ſunt ſententiæ, quas non commemorabo. Antiquos ſolum videamus. Plauti locum *in Perſa* nil moror, ſive enim ibi *albo pariete*, ſive *albo rete* legatur, erit tamen utraque dictio tranſlate apposita, de iis, qui dolos ornant quodam prætextu. *Album Pontiſicum* romanorum jam Anco regnante memoravit Livius *lib. I. c.* 32. *Longeque antiquiſſimum ratus* (Ancus) *Sacra publica, ut ab Numa erant inſtituta, facere: omnia ea ex commentariis regis* (Numæ) *in* ALBVM *relata, proponere in publico jubet.* Dionyſius Halicarnaſſenſ. idem narrans Antiquit. *lib.* 3. *pag.* 178. *Edit. Sylburg.* illa Livii, *in album relata*, ita exponit, ἀνέγραψεν εἰς δέλτους, καὶ προὔθηκεν ἐν ἀγορᾷ πᾶσι τοῖς βουλομένοις σκοπεῖν. Has tabulas tandem vetuſtate abolitas ſcribit, addita cauſa: Χάλκεαι γὰρ στῆλαι οὔπω τότε ἦσαν, ἀλλ' ἐν δρυΐναις ἐχαράττοντο σανίσιν οἵ τε νόμοι καὶ αἱ περὶ τῶν ἱερῶν διαγραφαί: *Nondum enim in uſu erant columnæ æreæ, ſed in* quernis tabulis *incidebantur tam leges, quam ſacrorum ritus.* Fuit ergo *album* antiquiſſimis temporibus *querna tabula*, cui inſculptæ aut inciſæ literæ, quod eſt proprie χαράττειν, eodemque traho Dionis

illa *lib. 36. hiſtor. pag. 19. Edit. Leunclav.* de Edicto Prætorum, *οἱ στρατηγοὶ πάντες τὰ δίκαια καθ᾽ ἃ δικάσειν ἔμελλον αὐτοὶ, συγγράψαντες ἐξετίθεσαν, Prætores omnes ea, ſecundum quæ jus ipſi dicturi eſſent, albo inſcripta, proponebant*, *γράφειν* enim eſt ſcribere inſculpendo. In ea ego ſum opinione, nigras olim in albo comparuiſſe literas, & *quernas tabulas* antiquitatem *albas* & *album* dixiſſe aptiſſime, cum cineritio ſunt colore. Fovet eandem ſententiam Cl. Fabrotus ad Theophilum: *tabulas* autem *dealbatas* fuiſſe ſtatuit; quod, tempora recentiora reſpiciens, & ego non negavero, uti paulo poſt dicam. Rudem antiquitatem nudis aſſeribus albis, politisque, atras inſcripſiſſe literas puto, ſicut pugillares eburnei poſtea, ne cera oculis debilitatis officeret, atramento picti ſunt, ut eſt apud Martialem *Epigram. 5. lib. 14.*

Languida ne triſtes obſcurent lumina ceræ,
Nigra tibi niveum litera pingat ebur.

Albis literis edictum conſcriptum olim, legitur apud Theophilum *Inſtit. de action.* §. 12. *ἄλβον δὲ λέγεται τὸ ἔδικτον διὰ τὸ λευκοῖς γεγράφθαι γράμμασι*, quem ideo Janus a Coſta nugatorem appellat. Mitius vero ſentiendum eſt. Tribuuntur enim Theophilo vulgo, quæ a ſciolis ſemidoctoribus medio ævo, exulante fere omni jurisprudentia vetere, & rituum antiquorum notitia, inſtitutionibus ejus allita ſunt. Gloſſam puto ex gloſſis *Βασιλικῶν* deſumptam, & a rudi librario, qui ad oram libri ſcriptam viderat, textui adjectam. Eadem enim ibi occurrunt verba: *ἄλβον λέγεται τὸ ἔδικτον, διὰ τὸ γεγράφθαι λευκοῖς γράμμασιν:* additis præterea; *ἐπὶ γὰρ κονιάματος τὰ διατάγματα καὶ τὰς παραγραφὰς ἐξετίθεσαν*, quæ majorem ignorantiam produnt. Mos certe diu in orbe tenuit romano leges inſculpendi tabulis ligneis, quod probat Edictum Juſtiniani, ad Archiepiſcopos & Patriarchas *Novell. 8. in fin. præfat.* *ποιήσετε δὲ ἂν κάλλιον καὶ τοῖς αὐτόθι πᾶσιν ἀνθρώποις συμφορώτερον, εἴπερ αὐτὸν ἐγκολάψαντες ἢ σανίσιν ἢ λίθοις, ἐν ταῖς στοαῖς τῆς ἁγιωτάτης ἐκκλησίας ἀναγράψητε, facietis autem melius, & illic habitantibus univerſis hominibus utilius, ſi eam inſculpentes aut tabulis, aut lapidibus, in porticibus ſanctiſſimæ eccleſiæ deſcribatis.* *Λεύκωμα* græci appellant *album* unanimi conſenſu: ratio tamen denominationis obſcura eſt. *Album*, (ſi græce tantum efferre in animo habebant latinam vocem) *λευκὸν* proprie vocandum erat. *Λεύκωμα* innuit dealbatum quid. Videntur ergo romani ævo recentiori, quo nil, niſi quod elegans erat & ſplendidum, placebat, nudas olim tabulas, jam albo quodam induxiſſe colore, & ſplendoris gratia quod dixi, & ut oculos legentium melius feriret color ater. Memini me vidiſſe in baſilica vicinæ regionis tabulam ligneam creta obductam, cui monumentum affabre inciſum, literæque atro colore tinctæ erant. Ita & Romæ & in provinciis fuiſſe perſuadent græci, qui *album* oculis uſurparunt, dum *λεύκωμα* appellant. Albus certe color ab ultima memoria romanis mirifice placuit, quod vel unica lex Pinaria docere poteſt. Etiam græcos olim dealbatas habuiſſe tabulas, invenio apud Demoſthenem *orat. 2. in Stephan. pag. 983. Edit. Wolff.* hic enim *Γραμματεῖον* falſum eſſe arguens, *λελευκωμένον τε γάρ ἐστι* inquit. Tabulam dealbatam etiam fuiſſe album Senatorum ſtatuo, quod publice primus Auguſtus edidit, teſte Dione *lib. 55 pag. 550.* *Τά, τε ὀνόματα συμπάντων τῶν βουλευτῶν ἐς λεύκωμα ἀναγράψας ἐξέθηκε. Καὶ ἐξ ἐκείνου καὶ νῦν κατ᾽ ἔτος ἕτω ποιεῖται, omnia nomina Senatorum in albo conſcripta publice edidit, quod ab eo tempore nunc etiam quotannis fit:* & *Album citharœdorum* apud Suetonium, & *album Judicum* apud eundem nil aliud; & literæ iis inſculptæ, quod hiſtoricus innuit, dum *eraſa* nomina ex albis tradit. Romam imitabantur potentiſſima in orbe romano municipia. Metropolin proconſularis provinciæ Carthaginem intueamur, inveniemus *Leges XII*, æri inciſas publiceque propoſitas, (teſtante Cypriano tractat. ad Donatum de gratia Dei *pag. 7. Edit. Bremens*) *theatra*, *balnea*, *fora*, imo *Capitolium*, cujus mentio *titulo de decurionibus*: & *Feſtos* tabulis marmoreis inciſos in publico municipia ſtatuiſſe, teſtatur inſigne fragmentum apud Gruterum *CCIC.* 1. ex quo nonnulla adſcribo:

CN.

CN. DOMITIVS. C. SOSIVS
K. IVL. L. CORNELIVS
K. NOV. N. VALERIVS
EX. K. IVL. AD. K. IVL.
PRAEFECTI
T. LICINIVS. L. CORNELIVS
EX. K. IVL. AD. K. FEBR
C. PLOTIVS. C. ANNAEVS. II VIR
EX. K. IVL. AD. K. FEBR
SEX. TITIVS. L. GEMINIVS II VIR
P. SEXTILIVS
EX. K. IVL. AD. K. IAN
L. SCVTARIVS T. SEPTIMIVS. II VIR
T. ANTONIVS. M. VALERIVS. Q.
IMP. CAESAR. III. M. VALERIVS
K. MAII. M. TITIVS
K. OCT. CN. POMPEIVS
EX. K. FEBR. AD. K. IVL.
M. METILIVS. L. ANNAEVS. AED
HOC. ANNO. QVAESTORES. CREATI
EX. K. IVL. AD. K. IVL
C. SVLPITIVS
C. SALVIVS BVBVLCVS. Q.

Atque hanc ipſam tabulam, quam Apianus primus publicavit, non addito loco unde ſit, ego in Carthaginienſi etiam civitate propoſitam ſentio, motus nomine *Bubulci*. Familia enim *Bubulcorum* in Africa proconſulari fuit ſplendidiſſima ad usque tempora Valentiniani III. Placidiæ filii, ad quem *Bubulcus* ſpectabilis vir & comes, in cauſa curialium proconſularis provinciæ miſſus eſt, docente *lege* 186. *de decurion.* & 34. *de annon.* & *tribut.* & in decretis faciendis & nominationibus, ordinem ſenatum romanum imitatum eſſe, docet me *lex* 142. *de decur.* conjuncta cum egregio de ſenatu romano loco, apud Dionem *lib.* 55. *pag.* 549. 550. Uti ergo Senatorum romæ nomina tabulæ dealbatæ inſcripta ſunt, ita & Decurionum in provinciis: hinc illud *album curiæ*, aut *album decurionum* paſſim obvium in jure, & apud auctores, quod ſine dubio, aut in æde publica, aut in aliqua fori parte, ad quam omnium hominum erat concurſus, & ubi negotia publica tractabantur, ſecundum *leg.* 13. *de legatis h. cod.* fuit propoſitum. Hoc autem albo non alii continebantur, quam Decuriones ἔμπρακτοι, qui in actu erant; & cum munera municipalia annua eſſent, ut in urbium omnium matre, & album quotannis renovandum erat. Id *album* innuit *lex* 48. & 142 *de Decurion.* & eo ſpectat titulus Digeſtorum *de albo ſcribendo.* Eſt locus apud Suidam, quem vulgo de albo intelligunt, & mirantur verba Lexicographi, quæ ſingulare quid præferunt, dum λεύκωμα ſcribit eſſe τοῖχον γύψῳ ἀληλιμμένον, *parietem gypſo illitum*, uti inconcinne verſum eſt. Verba hæc ſunt: λεύκωμα τοῖχος γύψῳ ἀληλιμμένος, πρὸς γραφὴν πολιτικῶν πραγμάτων ἐπιτήδειος, quod ita interpretantur: *Λεύκωμα paries gypſo illitus, cui res civiles apte inſcribi poſſint. Album.* Multum gaudeo, facultatem mihi dari demonſtrandi, paucos eſſe, qui antiquis Lexicis recte uti ſciunt, & noſtra vocabularia cum Lexicis male confundi. Neſciunt boni viri, antiquos tantum collegiſſe ſingulares, raras, & a communi ratione dicendi abeuntes formulas, dictionesque, quas adhibitas ab antiquis Græcis in ſcriptis obſervarant, ne legentibus aqua hæreret. Et ex hoc genere eſt Suidæ locus: Quem cum de *albo* interpres intellexit, graviter hallucinatus eſt, & hallucinantur, qui eo abutuntur. Fingas enim album intelligi veteris aut novæ Romæ Senatorum, ſcribere tum non poterat Suidas, eſſe πρὸς γραφὴν πολιτικῶν πραγμάτων; cum nuda Senatorum in eo nomina inciderentur. Finge *decurionum album*, & idem ſtatuendum eſt. *Album Prætorum* in urbe, aut in provinciis non continebat πράγματα πολιτικὰ, ſed ſcribendum fuerat, Λεύκωμα εἶναι τοῖχον γύψῳ ἀληλιμμένον πρὸς γραφὴν πάντων τῶν δικαίων, ex mente Dionis, ubi de edicto Prætoris exponit. Hoc autem volunt verba. Decuriones, quod notum eſt, opera curabant publica, ſacras ædes, theatra, balnea reficiebant, muros civitatum ruentes inſtaurabant.

bant, ut abunde teſtatur titulus codicis *de operibus publicis.* Perfecto opere, quædam muri pars gypſo illinebatur, ad inſcriptionem nominum eorum, qui tunc ad gubernacula Reipubl. reſidebant, & quorum inprimis cura & induſtria, negotium hoc confectum fuerat. Hoc λεύκωμα dici Suidas *d. l.* notat, qui ita vertendus, *murus gypſo illitus ad aptam inſcriptionem rerum civitatis.* Idem enim fiebat olim, quod hodie fieri videmus. Aliquando tamen ad perpetuandam rei memoriam nomina magiſtratuum marmori inciſa ſunt, quod muro includebatur, & tale marmor eſt, quod vidit Lipſius, & quod Philippus Berterius πιθανῶν *diatriba I. cap.* 10. *pag.* 847. *Tom. IV. Theſ. Jur.* & poſt eum Gothofredus meus *ad legem* 48. *de decurion.* album decurionum eſſe credidit. Adponere volui, uti apparet apud Gruterum CCCII. 2. cum ad intelligentiam variorum locorum in jure mirifice faciat.


Romæ, ad templum D. Ludovici, in ædibus privatis

AB AELIO AP		
RANTIBVS AVRELIIS RV		
ELICITER. ORDO. SACER		
DOMVS. AVG PALAT		.ITEM. X. PRIMI
M. AVRELIVS RVFINVS		.M. AVREL. RVFINVS
M. AVRELIVS. PALLADIVS		.M. AVREL. PALLADIVS
M. AVRELIVS. ANVBION. VE		.M. GRANIVS. VITALIO. EQ
		.M. AVR. MAXIMVS. AVGG
		.A. AEGR. EVNV
		.D. FOL. L. CHRYSOGONV
ITEM. CLARISS. VIRI		.C. TREB. AVGVSTALIS. V. E. D
		.M. IVN. SELEVCVS. V. E. D. F
		.M. AVR. PRAEPELAVS. V.
		.M. AVR. THEODORVS. V
C. IVLIVS. DOMITIVS. HONORATVS		
C. VETTIVS. AQVILINV	S.	
ATTIVS. RVFINV	S.	ITEM ORDO
PONTIVS. RABELLIANV	S.	.TI. CL. AMASCANTV
VITRASIVS. POLI	O.	.T. AEL. AGATOPV
AMINN. SABINIANV	S.	.AVR. TVL. EVPREPE.
SEPTIM. ANTIPATE	R.	.AVR PETR. SOSTRATVS
PONTIVS. VERV	S.	.A. CAEDIC. PRISCIANVS. E
ANNEIVS. RAV	S.	.RI. MARCIVS. CELERINVS
PETRONIVS. SEVERV	S.	.MINDIVS. COMMODIANVS.
VETTIVS. SCIPIO. ORFITV	S	.M. AVR. ANTONIVS. E
CORNELIVS. ARCHELAVS		.AVR. NVM. ELEVTHER. E
ANTISTIVS. ZOILLVS		.M. AVR. BRAHITO. AVG
AELIVS. SAOTERVS		.AVR. CYRILL. EPAFRODIT
AEMILIVS. FRONTINIANVS		.AVR. CALL. MARO
		.L. RVCCON MAXIMIANV
		.Q. OSTOR. VALERIV
		.CALPVRN. EVNVS. E
		.M. AVR. VICTORIV
		.P. NON. SABINIANVS. AVG
		.FL. VALENTINIANVS. S

vidit Lipſius

Vides

Vides primo loco ſcriptos *ſacerdotes* domus Auguſtæ, ſequuntur *viri clariſſimi* & a principe codicillis honorariis donati, tertium locum occupant *Decemprimi*, ſive principales, *ordo* reliquus agmen claudit. Et ita oportuit ſcribi in albo etiam decurionum, uti monet Ulpianus lib. 3. de Off. Procoſ. *leg.* 1. *D. de albo ſcribend. Decuriones in albo ita ſcriptos oportet, ut lege municipali præcipitur: ſed ſi lex ceſſat, tunc dignitates erunt ſpectandæ, ut ſcribantur eo ordine, quo quisque eorum maximo bonore in municipio functus eſt: puta; qui Duumviratum geſſerunt, ſi bic bonor præcellat: & inter Duumvirales antiquiſſimus quisque prior is: deinde bi, qui ſecundo poſt Duumviratum bonore in Republica functi ſunt: poſt eos, qui tertio, & deinceps: mox bi, qui nullo bonore functi ſunt, prout quisque eorum in ordinem venit.* Item *leg.* 2. *In albo Decurionum in municipio nomina ante ſcribi oportet eorum, qui dignitates principis judicio conſecuti ſunt: poſtea eorum, qui tantum municipalibus bonoribus functi ſunt.* Ad *Laterculum* venio, quo nomine putavit Gothofredus inſigniri Decurionum album a Cedreno *biſt. compend. pag.* 135. *Edit. Venet. inter S. R. B.* verba hæc ſunt: ἡ παρ' Ἕλλησιν ἐπτὴ πλίνθος, λατέρκυλον παρὰ Ῥωμαίοις· ἦν δὲ πλίνθος δημοσία, ἐφ' ᾗ τὰ τε τῶν βουλευτῶν, καὶ τὰ τῶν στρατευμάτων ὀνόματα ἀπεγράφετο, καὶ ἐγράφετο ἐπὶ τείχους εἰς τετράγωνον σχῆμα τύπος τις καὶ γραμμὴ πλίνθος. τίτλον δὲ αὐτὴν τινὲς ὀνομάζουσιν, οὐκ εἰδότες ὡς τίτλος κυρίως ἡ προσγραφὴ τῶν ἀξιωμάτων λέγεται, οὐ μὴν ἡ τετράγωνος γραμμή: hæc male verſa: *Plintbon Græci vocant laterem coctum. Erat autem Plintbus quædam publica, in qua ſenatorum ac legionum nomina inſcribebantur, quadrata figura in muro Plintbus erat, quidam titulum appellant: cum titulus non ſit quadrangula figura, ſed dignitatum præſcriptio.* Videntur autem mendoſa illa, ἐπὶ τείχους εἰς τετράγωνον σχῆμα τύπος τις καὶ γραμμὴ πλίνθος, & ſenſu fere carent, quæ levi mutatione ita reſtituo, ἐπὶ τείχους εἰς τετράγωνον σχῆμα τύπος τις καὶ γραμμὴ πλίνθου: nimirum *ſcribi quadratum in muro in figuram lateris*; Locus enim hic idem vult, ac ſuperior Suidæ. In muro ſcilicet vult Cedrenus quadrangularem figuram fieri, cui inſcribi poſſit, quorum cura, quove tempore opera perfecta ſint, πράγματα πολιτικὰ ait Svidas. Et addit hanc inſcriptionem titulum a nonnullis vocari, forte quia nuda plerumque apparebant magiſtratuum nomina. Verba ita interpretanda: *quod Græci plintbon dicunt, Romanis eſt laterculum: erat vero laterculum publicum, cui inſcribebantur ſenatorum (decurionum) & legionum nomina: etiam inſcribebatur muro in quadrangulari figura forma quædam lateris, quem titulum quidam appellant, qui ignorant, titulum eſſe dignitatis præſcriptionem, minimeque quadratam figuram.* Eſt itaque Laterculum codex, nomen habens a quadrata figura. Mathematici enim quadratam figuram ad aliquam latitudinem modo lateris ſurgentem, πλίνθιον vocant. In imperii notitia & majus & minus laterculum pictum apparet, in *notitia primicerii notar. & Magiſtri Scrinior.* Minoris facies hæc eſt,



quod vel ideo oculis omnium repræſentandum erat, quia credere nonnullos ſcio, album Decurionum nil aliud, niſi Codicem talem fuiſſe. Sed aliter ſentiendum eſt. Laterculum enim quod notitia exhibet, & majus & minus continebat dignitatum & adminiſtrationum civilium vel militarium, mandatorum principalium & promotionum, & conſuetudinum notitiam. Hinc vides in dicta notitia codicem hunc omnibus dignitatibus tribui, quo nimirum ad adminiſtrandam rectius provinciam, aut curandam rem militarem inſtructi accederent. Et qui edebant Codicem ſcriptum e ſcrinio principis, a magiſtratibus & civilibus & militaribus, pecuniæ ſummam, navatæ diligentiæ ergo, petebant: hinc lucem accipiunt illa in Novella *Juſtinian.* 8. *in Edicti cap.* 1. §. 1. *ἀπὸ τοῦ περιβλέπτου κόμητος τῆς ἀνατολῆς οὕτως. Ἐν τῷ θείῳ ἡμῶν κουβικουλίῳ νομίσματα ξγ΄. τῷ πριμικηρίῳ τῶν λαμπροτάτων τριβούνων νοταρίων μετὰ τῶν τεσσάρων σκρινιαρίων τοῦ θείου λατερκούλου ν. ν΄. τῷ αὐτοῦ βοηθῷ ν. ν΄. a ſpectabili comite orientis ſic. in ſacro cubiculo ſol. LXIII primicerio clariſſimorum tribunorum notariorum, cum quatuor ſcriniariis ſacri laterculi ſol. num. L. ejus adjutori ſol. III.* Quod vero Cedrenus ſcribit *de Laterculo ſenatorum aut decurionum* ita intelligendum. Habebant Decuriones librum, in quo omnia eorum perſcribebant nomina, qui Curiales erant, ſed ἄπρακτοι, ſive qui nexu quodam curiæ tenebantur, uti decurionum filii omnes, & alii, qui ab ordine nominati erant, & qui in municipiis etiam ſacrorum munus obire tenebantur. Hunc librum Syneſius *Epiſt.* 92. *in fin.* vocat ideo, notanter πονηρὸν βιβλίον. Ὅτι, inquit, ἐν τοῖς βουλευταῖς καὶ τὸν ἐμὸν ἀδελφὸν ἀξιοῖς ἀριθμεῖν, ἀλλ' οὐκ ἀπαλείψεις τὴν εἰκόνα ἀπὸ τοῦ πονηροῦ βιβλίου, ubi male verſum, *eximis infelicibus tabulis.* Laterculum enim intelligit, in quo ἄπρακτοι omnes, & curiæ fere omnia mancipia; ἔμπρακτοι ſunt in tabula, quæ publice proponebatur, uti Romæ Senatorum, cum laterculum in curia ſervaretur, ex quo probari debebat, hos vel illos nexu quodam curiali teneri. Imo minores huic laterculo inſcripti ſunt. En *legem* 19. *de Decurion. Quoniam nonnulli diverſarum civitatum curiales intemperanter minores, quibus publica tutela debetur, ad curiæ conſortium devocarunt, ut ſeptem vel octo annorum conſtitutos nonnullos nominaſſe firmentur &c.* hos nemo putabit albo κατ' ἐξοχὴν ſic dicto additos, quod catalogum continebat ἐμπράκτων, hinc Julianus in *Miſopogone p.* 367. *Edit. Spanhem.* τοῦ βουλευτηρίου καταλόγου vocat. Neque ei tabulæ adſcripti ſunt ſacerdotes, ſed munera tantum civilia obeuntes, hinc & marmor ſuperius adductum, in quo primo loco ſacerdotes domus Auguſtæ apparent, puto ad ædem ſacram pertinere, quæ ſumptibus municipii inſtaurata eſt, & cui ideo nomina eorum, qui ſacra Dei aut Deæ procurabant, erant addenda. Exiſtimo liquere, quid *Album Decurionum* ſit, & quomodo differat a *Laterculo.* Nolo plura cumulare, & quamvis ſciam & Antonium Pagium, & Cl. VV. Beſtium & Wielingium, nonnulla monuiſſe, quæ ad leges hoc Tomo contentas pertinent, ſervare tamen hæc & alia, peculiari obſervationum libro Tomo ultimo addendo, quam lectores addendis multis fatigare malui, inprimis cum ſpes ſit, recuſum iri Tomum etiam primum, qui bibliopolæ non meum opus eſt, & in quo quod vehementer doleo quædam etiam alienis ſunt appoſita locis. Hæc te ignorare nolui, Lector humaniſſime. Vale & fave. Dabam Lipſiæ e Muſeo cIↄ Iↄ cc xxxix. d. 3. Octobr.

CODICIS THEODOSIANI

LIBER VNDECIMVS.

QVO AGITVR DE TRIBVS:

Nempe

1. *De* RE TRIBVTARIA, *titulis* 28. *prioribus.*
2. *De* RELATIONIBVS, & APPELLATIONIBVS, *decem titulis ſequentibus, puta tit.* 29. 30. 31. 32. 33. 34. 35. 36. 37. 38.
3. *De* TESTIBVS, & INSTRVMENTIS, *tit. vlt.* 39.

HVIVS LIBRI TITVLI.

I. *De Annona & tributis.*
II. *Tributa in ipſis ſpeciebus inferri.*
III. *Sine cenſu vel reliquis fundum comparari non poſſe.*
IV. *Ne conlatio per logographos celebretur.*
V. *De Indictionibus.*
VI. *De ſuperindicto.*
VII. *De exactionibus.*
VIII. *De ſuperexactionibus.*
IX. *De diſtrahendis pignoribus quæ tributorum cauſa tenentur.*
X. *Ne opera a conlatoribus exigantur.*
XI. *Ne damna prouincialibus infligantur.*
XII *De immunitate conceſſa.*
XIII. *Si per obreptionem fuerint impetrata.*
XIV. *De conditis in publicis horreis.*
XV. *De publica comparatione.*
XVI. *De extraordinariis ſiue ſordidis muneribus.*
XVII. *De equorum conlatione.*
XVIII. *Qui a præbitione tironum & equorum excuſentur.*
XIX. *De conlatione fundorum patrimonialium vel emphyteuticorum & rei priuatæ.*
XX. *De conlatione donatarum vel releuatarum poſſeſſionum.*
XXI. *De conlatione æris.*
XXII. *Ne conlationis tranſlatio poſtuletur.*
XXIII. *De protoſtaſia.*
XXIV. *De patrociniis vicorum.*
XXV. *De quadrimenſtruis breuibus.* P. a.
XXVI. *De diſcuſſoribus.*
XXVII. *De alimentis quæ inopes parentes de publico petere debent.*
XXVIII. *De indulgentiis debitorum.*
XXIX. *De relationibus.*
XXX. *De appellationibus & pœnis earum & conſultationibus.*
XXXI. *De reparationibus appellationum.*
XXXII. *De ſecundo lapſu.*
XXXIII. *De dilationibus ex conſenſu.*
XXXIV. *De his qui per metum iudicis non appellauerunt.*
XXXV. *Si pendente appellatione mors interuenerit.*
XXXVI. *Quorum appellationes non recipiantur.*
XXXVII. *Si de momento fuerit appellatum.*
XXXVIII. *De poſſeſſione ab eo qui bis prouocauerit transferenda.*
XXXIX. *De fide teſtium & inſtrumentorum.*

Digitized by Google

DE ANNONA ET TRIBVTIS

TITVLVS I.

LIB. X. COD. IVST. TIT. XVI.

DE ANNONIS ET TRIBVTIS.

Tres Conſtitutiones *hoc tit.* continentur ad ECCLESIASTICAM Hiſtoriam ſpectantes; puta Conſtantini M. *lex* I. Theodoſii Iun. *lex* 33. & *lex vlt.*

PARATITLON.

RES ANNONARIA, *l.* 7. *de diuerſ. reſcript. l.* 20. 29. *h. tit.* huius libri Titulis 28. prioribus comprehenditur, ſeu TRIBVTORVM & Annonarum ratio: quam omnem & nos hoc Paratitlo adumbrauimus; ordinariam ſcil. & canonicam: nam de extraordinariis *ſuo tit.*

ANNONÆ igitur, *Rubr.* & *l.* 11. & *l.* 15 *inf. de Suſceptor.* (vnde annonariæ functiones, *l.* 14. *h. t.* Annonariæ ſpecies, *l.* 3. 15. *h. tit. l.* 15. *ſup. de erogat. mil. ann.* & *l. vn. ſup. de luſor. Danub.*) & TRIBVTA, *Rubr.* & *l.* 2. 12. 16. 28. 31. 33. 35. *h. t.* conſiſtebant ſeu præſtabantur, partim in prodigis, *l.* 1 *ſup. de fide & iur. haſtæ:* & *l.* 16. *ſup de iure fiſci.* ſeu in *ſpeciebus*, *l.* 2. 3. 15. 24. 29. *hoc tit. l. vn. inf. ne per logograph.* unde annonariæ ſpecies, de quibus *ſup.* iiſque diuerſis, *l.* 29. (veluti vino, *l.* 6. *hoc tit.* & *l* 2. 3. *inf. tit. prox. l.* 25. *de erog. mil. ann. l.* 15. 21. *de Suſceptorib.* frumento, *l* 21. *l.* 29. *de Suſceptorib.* hordeo, *d. l.* 21. aridis proinde fructibus, *l.* 15. *de Suſcept.* pabulis, *l.* 9. *h tit.* Oleo, ſale, *l.* 17. *de cohort al.* larido, porcina, *l.* 15. 21. *de Suſceptor.* vid. & *tit de Suariis:* partim in pecunia, *l.* 5. *h. tit.* ſeu pretio, *d. l. vn. inf. ne conlatio per logograph.* auro, *l.* 32 *h. t.* & *d. l. vn.* & *toto tit infr. de ponderatorib.* & *tit. de auri publ. proſequutor.* (vnde præſtatio auraria, *l.* 19. *h. tit.*) argento, *d. l.* 32. (quæ aliquando pro ſpeciebus data, *l.* 29. & 37. *ſeu vlt h. t.*) ære, vid. *inf. tit.* 21. *de conlat. æris:* ferro, *l. vlt. de conlat. donat. l.* 2. *de Fabricenſibus:* veſtibus; equorum item & Tyronum præſtatio erat, vid. *inf. ſuis tit.* Et hæc omnia

P. 3. de prouincialibus, *l.* 5. 16. 23. 35. *h. tit.* poſſeſſoribus, (qui pro poſſeſſoribus hic habendi: vid. inf. mox) *l.* 2. 4. 6. 18. 21. 26. 29. 31 32. 34. 35. 36. *h. tit. l.* 15. *inf. de ſuſcept.* in prouincia poſſidentibus, *l.* 7. & 13. *h. tit.* per vniuerſum orbem Romanum, per Occidentem, (in Italia puta, *l.* 6. 9. 12. *h. tit.* & in ea a Cæſinatibus *l.* 6. *h. tit.* per ſuburbicarias item prouincias, *l.* 9. *h. tit.* per Africam diœceſim, *l.* 10. 11. 13. 16. 17. 30. 31 *h. tit.* per Africam prouinciam, *l.* 2. 24. 28. 29. 32. 34. *h. tit.* per Galliarum Præfecturam *l.* 26. *h. tit.*) per Orientem, *l.* 1. 14. 19. 21. 22. 23. & *vlt.*) per Illyricum, *l.* 33. *h. tit.* fiſco (vnde fiſcalia, *l.* 7. *h. t.* fiſcale onus, *l.* 17. *h. tit.* penſitatio fiſcalis, *l.* 12. *h. tit.* pro tributo) præſtabantur, (vnde præſtatio auraria, *l.* 19. *h. tit* æraria, *l.* 6. *ſiu. vltim. de conlat. don.* ferraria, *d. l. vlt.*) conferebantur (vnde conlatio, *l.* 2. 15. *h. tit.* conlatores, *d. l.* 2. *h. tit.*) ſoluebantur, *l.* 18. 28. 35. *h. tit.* exſolvebantur; *l.* 7. *h. tit.* pendebantur, *l.* 3. *h. t.* dependebantur *l.* 29. 31. *h. tit.* expendebantur, *l.* 15. *h. tit.* agnoſcebantur, *l.* 17. 36. *h. tit.* cognoſcebantur *l.* 14. *in fin.* penſitabantur, *l.* 17. 35. *h. tit.* vnde penſitatio, *l.* 12. 18. *h. t.* & *l.* 12. *quorum appellat.*) miniſtrabantur, *l.* 6. *h. tit.* offerebantur (vnde oblatio, *l.* 5. *h. tit.* vid. *ſup. tit. de oblatione equorum:* item *de oblatione votorum.*)

Et hæc quidem præſtatio, *Functio* dicta, *l.* 36. *h. tit.* vnde functiones annonariæ *l.* 14. *h. tit.* functio publica, *l.* 36. *h. t.* munia functionis, *l.* 14. *h. t.* publica neceſſitas, *l.* 10. *h. t.* publicaque conlatio, *l.* 2. *h. tit.* publica deuotio, *l.* 20. *h. tit.* deuotio, *d. l.* 20. 22. 29. 32. 34. 35. *h. tit.* vnde collator ipſe, Deuotus vel Deuotiſſimus, *l.* 5. *h. tit.* neceſſitas, *l.* 15. *h. t.* rei annonariæ neceſſitas, *l.* 29. *h. tit.* ſtatuta neceſſitas, *l.* 25 *h. tit.* debita penſio, *l.* 27. *h. tit.* obſequium, *l.* 18. *h. t.* debita ſimpliciter *l.* 15. 19. 31. 34. *h tit.* & *l.* 1. 3. 7. *inf. de exactionib. l.* 1. *inf. de diſtrab. pign.* & aliis *locis* quamplurimis, quos congeſſimus ad *l.* 6. *ſup. de diuerſ. reſcript.* Capitatio, *l.* 15. 33. *hoc tit.* & *l. vlt. inf. ſine cenſu vel reliq. l.* 2. *de immun. conceſſa. l. vlt. inf. de cenſu. l.* 11. *inf. de exact. l.* 7. *de Tironib.*

Conferebantur porro vel ad vſum Vrbis Romæ, *l.* 8. 9. 13. 18. 30. *hoc tit.* (de quo vid. *inf. tit. de Canone frum. V. R.* ad Cellarii (Principis) vſus, *l.* 6. *h. tit.* ad militum vſum, ſeu militarem, *l.* 1. *inf. de indiction.* (de quo vid. *ſup. tit. de erogat. mil. ann.*) & limitaneorum, nominatim: vnde Limitaneorum annona, *l.* 21. *h. t.* de qua & accipienda *lex.* 11. *h. tit.* Titulus, *l.* 3. *inf.*

inf. de ponderatoribus, l. vnic. de ſuperindicto: & *l.* 19. *h. tit.* pariter vt *debitores*, pro Tributorum debitoribus.

Eaque præſtatio ordinaria erat: vnde & *Canon* dictus, *l.* 30. 31. *h. tit.* & *l.* 2. *inf. de indictione: l.* 8. 13. *inf. de extraord.* (v. & *d. tit. de Can. frum. V. R.*) Canonici Tituli, *l.* 36. *h. tit.* Canonica, *l.* 2. *inf. de Extraord.* præbitiones Canonicæ, vel debitæ, *l.* 4. *inf. tit. prox.* Canonicæ indictiones Tributorum, *l.* 14. *de proxim.* Item ſolemnis penſitatio, *l.* 31. *h. tit.* ſolemne munus tributariæ functionis, *l.* 19. *quorum appellat.* ſolemnis expreſſio, *l.* 3. *inf. tit. prox.* ſolemnis titulus, *l. vn. inf. de ſuperindicto*: (Solemnia, Hermogeniano, *l.* 1. *D. de munerib.* Ammiano *lib.* 17. *cap.* 3.) ſolemnis ratio, *l.* 64. *ſup. de curſu publ.* vnde & ſolemnes ſpecies, *l.* 6. *de exactionibus*: rurſus ſoliti Tituli, *l.* 19. *h. t.* ſolitæ ſpecies, *l.* 24. *h. tit.* (ſolita, Ammiano *lib.* 17. *cap.* 3.) denique ſtatutæ neceſſitates, *l.* 25. *h. t.* Quibus opponuntur ſuperindictum, V. *t. inf. de ſuperindicto*, ſuperindictitii Tituli, Extraordinaria, *l.* 5. *h. tit.* quæque extra ordinem indicuntur, *l.* 29. *h. t.*

Annua erat omnis præſtatio hæc, *l.* 18. 27. 35. *h. tit.* vid. *l.* 3. *inf. de conlat. fundor. patrim.* de quo mox pluribus.

Itaque ad hanc conlationem faciendam, *Indictio*, (de qua ſuo *tit. inf. tit.* 5.) *l.* 3. *h. tit.* a Principe fiebat ſingulis annis, (vnde Annus, & Indictio, pro eodem: *l.* 18. 35. *h. tit.* anniuerſaria conſuetudine, *l.* 7. *inf. de extraordin.* cuius hæc forma erat; Delegatio, *l.* 1. *hoc tit.* & *l.* 8. *inf. de extraord.* *l.* 1. *inf. ne conlat. per logogr. l.* 2. 3. 4 *inf. de indictionib.* ſeu Delegatoria, *l.* 16. *inf. de exactionib.* ſeu Edictum *l.* 34. *h. tit* Præceptio *l.* 27. *h. tit.* Præceptum, *l. vlt. ſup de conſtit. Princip. l. vn. inf. de ſuperindicto: l.* 7. *inf. de extraord.* ſolemnis expreſſio *l.* 3. *inf. Tribut. in ipſis ſpeciebus.* Epiſtulæ, *l.* 8. *inf. de extraord.* Diſpoſitio, *l.* 10. *eod. tit. de extraord.* emittebatur, *d. l.* 8. certo tempore, *d. leg.* 8. anniuerſariis vicibus, *d. l.* 8. cui modus erat adſcriptus manu Principis, *l.* 1. *h. tit.* Huius Indictionis ſeu Delegationis particulares delegationes a ſcriniariis Præfecti Pr. fiebant, quæ per ſingulas prouincias tranſmittebantur, *l.* 3. 4. *de Indictionib.* locisque celeberrimis publicabantur, *d. l.* 3. & 4. certo tempore, ante Indictionis (ſeu illationis) exordium, *d. l.* 3. & 4 Et quidem quatuor menſibus antequam collatio fieri deberet, *l.* 34. *h. tit.* In Ægypto tantum celeberrimis in locis per bis menſtruum tempus proponebatur, *l.* 3. *inf. de Indict.* exinde quatuor menſes dabantur ad collationem faciendam.

Poſt publicatam Indictionem fiebat PARTITIO, *l.* 26. *h. tit.* ſeu ADSCRIPTIO, *l.* 3. & *d. l.* 26. *h. tit. l.* 40. *de operib. publ.* de ea eſt *titulus* 10. *lib.* 13. *l.* 117. *inf. de Decurion. l.* 3. *inf. de extraordin.* (vnde Adſcribere, & Adſcriptus plebis numerus, *d. l.* 26. *h. t.*) diſtributio, *l.* 36. *h. tit. l.* 5. *ſup. de his qua adminiſt. l.* 4. *inf. de extraord.* de qua diſtributione plenius *Paratitlo inf. de Decurionib.* vbi da Principalibus, quibus id imminebat. Inter eos videlicet penes quos fundorum dominia eſſent, *l.* 14 *h. tit.* (neque enim Coloni tenebantur, *d. l.* 14.) deſignatione diſtributa, *l.* 36. *h. tit.* Idque pro modo poſſeſſionum ſeu familiaris ſubſtantiæ, *l.* 1. & *leg.* 4. *h. tit.* (vnde & poſſeſſionum onera, *d. l.* 4.) pro modo capitationis & ſortium, *l.* 15. 33. *h. tit.* ad modum centuriarum, *l.* 10. *h. tit.* glebæ profeſſionis, *l.* 12. *h. tit.* pro modo profeſſionis, *l.* 10. *h. tit.* pro porti- P. 4.
one ſuæ poſſeſſionis & iugatione, *l.* 49. *de operib. publ.* pro viribus ſingulorum, *l.* 49. *d. tit.* pro iugorum numero vel capitum, *leg.* 5. *de itin. muniend.* prout quiſque terras cenſibus inſertas ſeu obligatas teneret, *leg.* 28 *h. tit.* prout quiſque proprio nomine libris cenſualibus teneretur, *leg.* 14. *h. tit.* vt quiſque prædii emolumenta conſequeretur, *leg.* 25. *h. tit.* Etſi Romæ conſtitutus & Senator, *l.* 7. 13. *h. tit.* pro defectis etiam, ſi alios opimos haberent, *l.* 4. 10. 17. *h. tit.* item ſi ſeruos ex alienis agris poſſiderent, *l.* 12. *hoc tit.* non ſi coloni fugitiui terras deſtituiſſent, *l.* 7. *h. tit.* non pro deſtitutis ab alio poſſeſſionibus, etſi opimas is habuerit, *l.* 31. *h. tit.* Eaque Adſcriptio fiebat a Principalibus, *l.* 117. *inf. de Decurion. l.* 5. *ſup. de his quæ admin.* non a Logographis ciuitatum, *l. vn. ne conlat. per Logograph.* Idque Rectoris prouinciæ cura, conſiliis, (vt & extraordinaria, *l.* 3. 4. *inf. de extraordinariis.*) quem ideo, facta adſcriptione definitas quantitates & comprehenſos modos adſcriptione propria manu deſignare oportebat, *l.* 3 *h. tit.* & *dict. l.* 3. 4. *inf. de extraordin.* Aliquando in id Cenſitores & Inſpectores miſſi, *l.* 31. 33. *h. tit.* *l. vlt inf. de conlat. donat.* ſeu Peræquatores, *d. l. vlt.* & *tit.* 11. *lib.* 13. Illud certe diligenter obſeruatum, vt non plebs ſola, *leg.* 26. *h. tit.* verum omnes omnino poſſeſſores, *l.* 1. 5. 6. 10. 25. 26. 36. *h. tit.* maximæ dignitatis aut infimæ, *leg.* 18. *h. tit.* cuiuscunque dignitatis, *leg.* 25. *h. tit.* indifferenter, *leg.* 36. *h. tit.* etiam Veterani, *leg.* 18. *h. tit.* Senatores V. R. in prouinciis poſſidentes, *leg.* 6. *h. tit.* hac collatione adſtringerentur, pari omnes ſorte tenerentur, *lex* 26. *h. tit.* circa omnes par & æqualis inlationis forma teneretur, *l.* 20. *h. tit.*

Itaque nullus ab eâ IMMVNIS erat, *l.* 1. *h. tit.* nulli ea remitti poterat: Non à Vicario vel Rectore prouinciæ (ipſo alioquin conueniendo, *d. l.* 1. *h. tit.*) nullius dignitatis priuilegio,

l.25.h.tit. omni beneficiorum priuilegio amoto, *l. 26. h tit.* abſque vllius beneficii exceptione, *lex 36. h. tit.* ne ex reſcripto quidem Principis, *l. 1. 20. h. tit.* & *l. 7. ſup. de reſcript.* Paucis admodum exceptis, de quibus vid. *l. 1. 33. 36. h. tit.* & de quibus Immunitatibus ſunt duo *Tituli* hoc *libro*, nempe *tit. 12. de Immunitate conceſſa:* & *tit. 13. ſi per obrept.* vid. & *tit. de Epiſcopis & Clericis.*

Et hæc quidem de Canonicis & ordinariis Tributis, ſeu Titulis generalibus, vt loquitur, *l. 9 de Indulg. debit.* eorumque Indictione, quæ ſcil. omnibus & more ſolemni imminebant, vniformes in cunctos, *lex vlt. inf. de ponderatorib.* quod argumentum hîc ſuſcepimus. Antequam vero ad eorum Exactionem, Illationem, Tranſmiſſionem pergimus; Notandum, quandoque pro rerum neceſſitate SVPERINDICTA quædam, de quibus eſt, *tit. 6. hoc lib.* vbi Paratitlon conſulendum. Fuerunt & EXTRAORDINARIA quædam onera & SORDIDA, de quibus eſt *Titulus 16. huius lib.* Quandoque etiam DONATIS & RELEVATIS poſſeſſionibus quædam indicebantur: de qua collatione eſt *titul.* 20. *huius libr.* Omitto etiam hic, quæ certis perſonarum generibus imminebant, vel vt loquitur *lex vltima inf. de ponderatorib.* Titulos, quos peculiaris in ſingulis, aut certa per paucos cogit Indictio: vt Senatoribus glebalis collatio, de qua eſt *libr. 6. titul. 2.* ac multo magis Prætorum & Quæſtorum editiones, *tit. 4. eod lib. 6.* Negotiatoribus luſtralis collatio, de qua eſt *lib. 13. titul. 1.* Iis qui ex lucratiua cauſa aliquid de Curialium bonis poſſidebant, de quo eſt *titulus 4. lib. 12.* Omitto Vectigalia, Portoria, id genus alia.

Ad Canonica, ſolemnia, & generalia Tributa redeamus, ſeu ad largitionales titulos. Nam & iſtud hic monendum, de Annonis & Tributis nos hic agere, non quæ fiſcali Arcæ, ſed quæ Largitionibus inferebantur: nempe, quæ in prouinciis colligebantur, vel ad fiſcalem Arcam, vel ad Largitionales titulos pertinebant: Fiſcalis Arca, *l. 12. de Numer.* Arca ſimpliciter, *l. 29. 30. de Suſceptor.* erant Reditus domui Principis debiti, *l. 14. de Suſceptoribus, l. 11. de iur. fiſci:* quorum cura ad Com. R. P. pertinebat, *d. l. 14.* & *d. l. 11.* Itaque iſtud eſt Arcæ ratiocinium, *d. l. 12.* & *d. l. 30.* Arcæ ratio, *d. l. 29.* qui hæc ſuſcipiebant, *Arcarii* dicti, *Rubr.* & *l. 14. 32. de Suſcept. l. 11. de iur. fiſc. l. 1. de his qui cum diſpenſ. contrax.* Largitionales vero tituli, *d. l. 12. de Numerar.* (vnde & aurum largitionale, *d. l. 30. de Suſceptor.*) erant Annonæ & Tributa, quæ *Canonis* nomine ſignificantur, quorum cura ad Comitem S. L. pertinebat. Hæc duo ratiocinia diſtincta erant, & eſſe debebant, *l. 30. de Suſceptor. l. 12. de Numerar.* Illa colligebantur ex proſcriptionibus & condonationibus, *lex vltim. de ponderatorib.* ex fundis rei priuatæ &c. vnde Rei priuatæ debita, *l. 6. de Indulgent. debitor.* Arca & Largitiones, vel ſacræ Largitiones ſeparantur, *d. l. 6.* & *l. vlt de Conlat. donat.* quod refertur in conditis, & in Arca continetur, *l. 2. de his quæ ex publ. conlat.* quæ Ærario Principis debebant, *l. 9. de indulg. debitor.* denique ſacræ Largitiones, & Res priuatæ, diſtinctæ, *tit. de Palatin. ſacr. largit. & rer. priu.*

ADSCRIPTIONE facta, fiebat EXACTIO, de qua Exactione mox ſuo *tit. inf. 7. huius lib.* & quomodo cautum aduerſus Exactorum deprædationes, a quibus ea facta,
P. 5. vide interim *l. 3. h. tit.* Hæc autem res omnis ad Præfecti Pr. curam pertinuit, *l. 3. 6. 9. 14. 15 20. 21. 23. 26. 31. 33. 35. h. tit. lex 4. de paſcuis*, ad Vicariorum, *leg. 1. 10. 11. 12. 13. 16. 17. 25. 30. hoc tit.* & *l. vn. de off. Vicar.* Rectorum prouinciæ, *leg. 1. 2. 3. 9. 24. 28. 32. 34. 35. hoc tit.*

INLATIO tandem *l. 2. 22. 29. 32. 34 h. tit.* ſeu ſolutio, *l. 35. 36. 37. h. tit.* celebrabatur, *l. 13. h. t.* conlatio celebrabatur, *Rubr. l. vn. inf. ne conlat. per logograph. celebr.* & SVSCEPTIO a Suſceptoribus, de quibus *inf. ſuo tit.* ſpecierum annonariarum, *l. 15. h. tit.* fiſcalium Tributorum, *l. 16. h tit.* annui tributi, *l. 35. h. t.* annonæ, *l. 15. inf. de Suſceptor.* Idque tripertita Satisfactione *d. l. 16. h. t.* vbi plene dico, tripertita Inlatione, *l. 11. inf. de exactionibus.* per tres vices, *dict. leg. 15. inf. de Suſceptoribus.* Sic vt per quaternos menſes anni curriculo diſtributo, tribus vicibus ſummam collationis [omnem] Tributarius impleat, *d. l. 15. h. tit. l. 3. inf. de conlat. fundorum patrimonial.* Sic tamen vt vno tempore, ſi vellent, omnem ſummam ſoluerent, *dict. l. 15. h. tit.* In ipſis autem ſpeciebus tributa inferri oportebat, *l. 8. h. tit.* neque mutari canon poterat, *l. 30. h. tit.* excipe *leg. vltim.* de quo *ſuo* proxime *tit. Tributa in ipſis ſpeciebus inferri.* At Aurum nonniſi præſentibus Defenſoribus præſtari oportebat, *leg. 19. h. tit.* in Africa nominatim aurum vel argentum Karthagine *eiuſque Capitolio* inferri oportebat, in qua collatione eſſet Proconſulis Africæ adeundi copia, *leg. 32. 34. h. tit.* idque intra annum, *l. 2. inf. de Suſceptoribus*, *l. 35. hoc tit.* quando voluerint, *dict. l. 2. dict. l. 35.* & *l. 3. inf. de conlat. fundorum patrimonial.* Non ſoluentis intra annum Annonas (vrbicario canoni, aut rei priuatæ, omneſue alias,) pœnas, vide *lege* 18. 27. 34. *h. t.*

Digitized by Google

h. tit. Eaque ſuſceptoribus tradebatur, de quibus *ſuo titulo inf.* Interueniebant huic illationi, ſuſceptioni, exigendo ponderi, Ponderatores, de quibus *ſuo tit. 7. lib.* 12.

Ibi autem collatio facienda erat, vbi poſſeſſiones cenſitæ, ſeu cenſibus inſertæ eſſent: quare translatio eius vetita; *tit. 22. inf. ne conlat. translat.*

Cum ſatisfeciſſent poſſeſſores, accipiebant a Suſceptoribus Apochas, *l.* 2. 19. 32. *h. tit.* & *l.* 27. *de ſuſceptoribus*; ſeu ſecuritates, *l.* 19. *h tit.* & *l.* 173. & 185. *inf. de Decurionibus*, *l.* 2. 27. 32. *de Suſceptorib. l. 2. h. t. de diſcuſſorib.* Cautiones, *l. 2. h. t.* Quarum formam vide *l.* 19. *hoc tit.* & *inf. l.* 2. 19. 27. 32 *de Suſceptoribus.* Acceptas deinde ad Tabularios ſeu Sexagenarios deferebant, *leg. 2. h. t.* Mox geſtis inſerebantur, *l.* 32 *de Suſceptorib.* Quæ ſemel publicatæ geſtiſque lectæ ſuſceptoribus imputabantur, *l. 26. de Suſceptoribus*, neque refricari eas licebat, *l.* 185. *de Decurion.*

Perferri poſtremum oportebat ſuſceptas ſpecies, *l.* 2. *h tit.* conuchi, *l.* 9. *h. tit.* deuehi, *d. l.* 9. *h. t.* tranſuchi, *l.* 11. *h. tit.* (vnde Translatio, *l.* 22. *h tit.* & apud Animianum *lib.* 14. *cap.* 7. conferri *l.* 21 *h. tit.* proferri *l.* 13. *de erogat. milit. annon.* a poſſeſſoribus, Tabulariorum cura, *l.* 9. 11. 13. *h. tit.* alias, ad ciuitates ſingulas per menſes ſingulos, *l.* 2. *h. tit.* alias, ad mutationes manſioneſque ſingulas, *l.* 9. *h. tit.* ad inſtruendas manſiones, vel conferendas ſpecies, *l.* 21. *h. t.* ad horrea, *l vnic. inf. ne conlat. per Logograph.* certo ac denunciato tempore, *l.* 9. *h. tit.* alias denique ad *limitem* pro loco ac proximitate poſſeſſionum, *l.* 11. *h. tit.* non longius *l.* 21. 22. *h. tit.* omni itineris ac neceſſitatis habita ratione, *l.* 21. *h. tit.* At ſi longius tranſmittendæ eſſent, & quidem mari, vel flumine, per Nauicularios perferebantur, vnde tranſmiſſio ac peruectio, *l.* 13. *h. tit.* veluti canon Vrbicarius V. R. ex Africa: quo pertinet *d. l.* 13. *h. tit.* vid. *leg.* 6. 10. 12. 14. 21. 24. 25. 30. 36. 37. 38. *inf. de Naucul.* & *l.* 3. 4. 6. 7. *vlt. inf. de præd. naucular. l.* 2. 3. & *vlt. inf. de naufrag. l* 8. *inf. de indulg. debitor.* Sed opportunus hic locus eſt, vt omnia quæ de hac Translatione & Proſecutione occurrunt, hic cumulemus.

Memorantur igitur in genere Prosecvtio, *l.* 147. *de Decurion* proſecutionis onus, *l.* 2. *de Iudæis:* a quo Immunes erant Equites Romani, *l. vnic. de Equeſtri dignitate.* proſecutiones rerum fiſci, *l.* 161. *de Decurionibus.* De proſecutoribus ſpecierum largitionalium, vid. *l.* 18. *de Curſu*: De Translatione ſpecierum largitionalium, vide *legem* 13. 18. 20. 33. 40. 61. *de curſu publ.* veluti veſtium, auri, argenti, *dictis elgibus*, de annonarum Tranſlatione, *lib. 7. titul. 5. de excoct. & translatione annonarum*, *l.* 15. 23. *de erogat. mil. ann, l.* 2. 9. 11. 21. 22. *de annonis & tributis*, de animalium proſecutoribus, *titulus ne operæ à conlator. l 2. de Tractoriis: l. 2. de venat. ferar.* de proſecutionibus Equorum, *leg. vltim. de excuſat. artif.* à quibus immunes erant pictores, *dict. leg. vltim.* de auri publici proſecutoribus *titul. 8. lib.* 12. Translationi neceſſarias Euectiones Vicarius fouebat, eo abſente Rector prouinciæ, *l.* 13. 18. 20. 33. 40. 61. *de curſu:* Vicarium totius conlationis ac tranſmiſſionis cura conſtringebat: *l. vnic. de offic. Vicar.* Naues quoque ad Translationem ſpecierum annonariarum deſtinatæ vſurpatæ, *l. vnic de luſoriis Danub.* de frumenti proſecutoribus, id eſt, Naucleris, ad *legem 4. de Naufrag.* & ad *legem 31. de Naucul.* De Baſtagariis, vide *libr.* 10. *titul.* 20. *ſupr.* & quidem *l.* 4. 11. *eo tit.* & *l.* 11. *de Cohortalibus.*

Quod Asservationem eorum attinet; Aſſeruandis ſpeciebus annonariis erant horrea, in quibus ea condita erant: de quibus horreis & conditis, *tit. de cond. in publ. horr.* & compluribus aliis *legib.* Hiſque horreis Præpoſiti quidam erant: de quibus *tit.* 6. *lib.* 12. aliique Cuſtodes & Menſores, de quibus *l. 2. de condit. l. 1. de Can. frum. l. 9. de Suar.* Item Patroni horreorum, de quibus *tit.* 23. *lib.* 14. Nequid vero Vsvrparetvr, prouide cautum *lib.* 12. *t.* 9. Reliqvorvm exactioni, diſcuſſores ſubinde miſſi, de quibus *lib.* 11. *t.* 26. Indvlgentia contra debitores quandoque data, de qua *inf. tit.* 28. de Erogatione, ſeu in quos vſus ea erogata, vid. *tit. de erog mil. ann tit. de cond. in publ. hor. tit. de alim. quæ inop. tit. de Med. & Profeſſ. tit. de mil. veſt. tit. de Can. Frum. V. R. de frum. V. C. de annonis ciuicis.* p. 6.

De IMMVNITATE *a Tributis nulli tribuenda, exceptis tantum quatuor tum rebus, tum perſonis; Conſtantini M. Conſtitutio.*

I. (a) Imp. CONSTANTINVS A. ad Proclianum. (b)

PRÆTER Privatas res noſtras, & Eccleſias Catholicas (c), & domum Clariſſimæ memoriæ Euſebij ex Conſule & ex Magiſtro equitum & peditum, & Arſacis Regis Armeniorum, nemo ex noſtra iuſſione præcipuis(d)emolumentis(e)familiaris iuuetur ſubſtantiæ: Datianus enim V, C, Patricius, qui hanc olim gratiam(f)fuerat conſecutus, auferri ſibi id cum tanta inſtantia depopoſcit, eum quanta alii poſcere conſuerunt. Ideoque omnes(*)penſitare debebunt, quæ manu(g)noſtra delegationibus(h)adſcribuntur, nihil amplius exigendi. (i)Nam ſi qui Vicarius, (k) aut Rector Prouinciæ, aliquid iam cuiquam crediderit remittendum, quod aliis remiſerit, de propriis dare facultatibus compelletur, Dat, xv, Kalend. Iul. Conſtantinop, (l) Conſtantino A. IV, & Licinio IV. Coſs. [315.]

NOTAE.

(a) Abeſt *huius legis* principium vſque ad *verſ. Ideoque omnes* à *Cod. Iuſtin.* Omiſit *Baronius* eam in annum ſuum referre. *GOTHOFRED.*

(b) *Proculianum.* Cod. Iuſt. An *Probianum*? Non puto. Præfectum Prætorio fuiſſe colligo, ex *fine legis*: vbi de Vicario & Rectore prouinciæ agitur: qui vtique ſub diſpoſitione Præfecti Prætorio fuere: tum etiam ex eo, quod ad Præfectorum Prætorio curam res tributaria ſpectauit: vt probat vel *lex* 3. 6. 9. 14. 15. 20. 21. 22. 26. 31. 33. 35. *inf. hoc titulo*: Zoſimus *lib.* 2. *pag.* 33. quoque de Præfectis Prætorio, eorum muneris fuiſſe ait, τὰς ἁπανταχῆ φόρους διὰ τῶν ὑπηρετουμένων αὐτοῖς ἐκπράττειν, *vbique terrarum tributa per apparitores ſuos exigere.* V. & Ennodium *in V. Epiphanii*, *pag.* 1910. *Tom. I. Oper. Sirmond.* Tandem Præfectum Prætorio Orientis fuiſſe, colligo ex Arſacis Regis Armeniorum mentione *ID.*

(c) De hoc dicam mox *ID.*

(d) *Præcipuis*, id eſt, excipuis, immunibus: quodam præcipui præ aliis iure, ἐξαιρέτοις. *ID.*

(e) *Emolumenta* rei annonariæ *l.* 1. *inf. ſine cenſu. ID.*

(f) *Gratiam*, id eſt, immunitatem, indulgentiam: vt *l.* 26. *inf. ID.*

(*) *Lex* 4. *Cod. Iuſt. eod. tit.* hinc deſumpta eſt, *ID.*

(g) Hoc recte habet: pro quo in Cod. Iuſt. *manus noſtra ID.*

(h) *Delegationes. h. l.* & *l.* 8. *inf. de extraordinar. l. vn. inf. ne conlatio per Logographos l.* 2. 3. 4. *inf. de Indictionibus l.* 22. *in f. de erog. mil. ann. l.* 54. *de Decurionib.* (quæ Delegatoriæ, *l.* 16. *inf. de exactionibus. l.* 21. *de erog. mil. ann.* Edictum, *l.* 34. *inf. h. t.* καθ' ἕκαστον ἔτος γράμματα, *edicta, quæ quotannis emittebantur*, Libanio *Orat.* περὶ τῶν ἀγγαρειῶν, *num.* 3. *pag.* 33. *edit. prima Gothofred.* & *pag.* 383. *Oper. minor. Gothofred. Edit. Cl. Trotz.* ſunt deſcriptiones, commiſſiones, quibus exigendarum annonarum & tributorum modus continebatur: Suidas recte voc. δηλεγατίων. Δηλεγατίων κατὰ Ῥωμαίους ἡ ἐκλογὴ τῆς σιτομετρίας, καὶ ἡ σίτου μετακομιδή. *Delegatio. Sic apud Romanos vocatur procuratio rei frumentariæ, & annonæ transportatio* Inde autem dictæ, non quod eæ ablegari mittique in prouincias ſolerent, quod etiam Accurſius, Cuiacius, Briſſonius, aliique credidere: verum quod his delegaretur, id eſt, mandaretur exigendorum tributorum munus. Ita *delegata* Iuriſdictio, pro demandata. Plura ad *l.* 54. *inf. de decurionib.* & in *Gloſſario. ID.*

(i) *Exigendi*, omnes (poſſeſſores ſcil.) Quare etiam ineptum eſt, quod in *vulgatis Codicib. Iuſtin.* hic infartum, *vel remittendi poteſtatem eſſe*: quæ a *veteribus libris* recte abſunt: quod & Cuiacius & Contius iam monuit. De quo mox plura. *ID.*

(k) *Vicarios* reſpexit res tributaria: quod præter *leg. vn. de offic. Vicar.* inſuper docet *l.* 10. 11. 12. 13. 16. 17. 25. 30. *inf. h. tit.* Vicarios, inquam, Præfectorum Prætorio, de quibus vt alibi plena manu, ita & ex *h. l.* eos ſub initium Imperii Conſtantini M. iam fuiſſe liquet: de quo in Ἀναλύσει dixi plene aduerſus communem errorem, quo à Conſtantino M. primum conſtituti creduntur: Quibus vel *lex* 2 *C. Iuſt. de pedaneis Iudicib.* eam in rem ſingularis, refutandis ſufficit. *ID.*

(l) Ineptitia vox, ex ſequentis vocis occaſione, vt hic, ita aliis pluribus *huius Codicis* conſtitutionibus. *ID.*

COMMENTARIVS.

CONSTANTINI M. tres Conſtitutiones (ſi modo prima hæc quoque Conſtantini eſt) primo loco occurrunt: ex quibus patet, hinc, quam enixo ſtudio Princeps hic *rei tributariæ*, ne fraus ei fieret, prouiderit, quo pertinet *lex* 1. & 2. inde, ne tributariæ rei obtentu miſeri prouinciales vexarentur, quo ſpectat *lex* 3. Hac prima vetatur regulariter IMMVNIS quiſquam eb annona & tributis haberi vel fieri a quoquam Magiſtratu. Quam in ſententiam eſt pariter *lex* 20. 25. 26. 33. 36 *hoc ipſo tit. l.* 6. 7. *ſup. de diuerſ. reſcriptis*, & Titulus integer *infr.* 12. *de Immunitate conceſſa*: Idque, ne beneficio quidem eut reſcripto Principis: *h. l.* & *d. l.* 10. *infr.* & *d. l.* 7. *de diu. reſcript.* & *d. tit. de Immunitate*: Ac multo minus Iudicum, quibus profligandorum ſeu exigendorum tributorum ſollicitudo imminebat, euiuſmodi erant Vicarii Præfectorum Prætorio, & Rectores prouinciarum: quod præter *hanc l.* ducent aliæ complures *huius tit.* leges: docebit & *tit. inf. de Exactionibus*, & *l. vn. ſup. de off. Vicarii*: propoſita alioquin his pœna, tributa ipſa de ſuo ſoluendi.

Excipiuntur tantum *hac l.* quatuor: quorum duo priora priuilegium reale continent: poſteriora dun, perſonalia ſunt. Primum igitur excipiuntur, *Res priuatæ Principis*: quæ e tributis immunes ſunt, & eſſe debent; *h. l.* & *l.* 36. *inf. hoc tit.* Secundo excipit Imperator *hac l. Eccleſias Catholicas*: Quod quidem religioſum huius Principis inſtitutum fuit. Poſtea enim quum ſatis diuitiarum in Eccleſiam congeſtum ſecuti Principes credidere, Eccleſiæ quoque tributis obnoxiæ factæ ſunt: Conſtantii eam in rem *lex* 15. *inf. de Epiſcopis.* Honorii *lex* 40. *inf. d. t. de Epiſcopis.* De quo eſt & ſolemnis Ambroſii locus *in oratione de Baſilicis non tradendis*, *pag.* 104. *Tom. V. Oper. Edit. Paris. Cardinal. Felicis de Mont. Alto. Si tributum*, inquit, *petit*, (Princeps) *non negamus.* AGRI *Eccleſiæ ſoluunt tributum.* Quod etiam Vrbanus Papa agnoſcit 23. *q.* 8. *Canone, Tributum.* Vnde apparet, immunitatem hanc omnem in veteri Eccleſia Chriſtiana iuris poſitiui fuiſſe. Et hæc quidem ita de ipſis Eccleſiis: nam & Clerici, quemuis a muneribus ciuilibus immunes eſſent, attamen tributis ferme obnoxii fuere:

de

Digitized by Google

de quo dico *inf. tit. de Epiſcopis, Eccl & Clericis:* ac nominatim ad *l. 40. eius tit.* Cæterum *Catholicæ* nominatim Eccleſiæ μηϑῶς hæc immunitas tributa ab Imp. *h. l.* pariter vt priuilegium, quod continetur *l. 4. inf. de Epiſcopis, Eccl. & Cler.* Similiter vt Eccleſiaſticorum priuilegia *l. 1. inf. de hæreticis:* de quo ad *eas leges*. Non igitur hæreticorum Eccleſiis & Eccleſiaſticis. Et hæc de duabus Immunitatibus realibus.

Perſonales duæ ſequuntur. Primom Imperator Immunitatem a tributis *hac l.* tribuit *Euſebii* Clariſſimæ memoriæ (qui proinde hoc tempore iam mortuus erat) Familiæ ſeu Domui: de quo Euſebio id tantum memoratur *hac leg.* eum Ex-Conſule & ex Magiſtro Equitum Peditumque fuiſſe. Huius Euſebii Conſulis, cum nulla in aliis Faſtis Conſularibus mentio fiat, vnus Auctor peruetuſtus Conſularium, & Notitiæ Præfectorum vrbis, meminit Anno Domini 381. his verbis: *Conſulibus, quos iuſſerint* DD NN. *Aug. ex menſe Septembri factus eſt Rufino &* EVSEBIO *V. Kal. Nouemb. Viuius Flauianus Præfectus vrbi.* Quinimo mens ea mihi hunc illum ipſum Euſebium, eſſe patrem Euſebii & Hypatii poſtea Conſulum, & Euſebiæ Conſtantii Imperatoris coniugis, de quibus videndus Ammianus Marcellinus, *lib. 21. cap. 6.* Similis porro huic eſt immunitas illa, quæ teſte Capitolino, Gordiani Familiæ a Senatu decreta, vt a Tutelis atque Legationibus, & a publicis neceſſitatibus, niſi ſi vellent, poſteri eius ſemper vacarent. Et vtrumque hoc immunitatis priuilegium, Euſebii & Gordiani domui tributum, reuocat mihi in mentem geminum, quod in Gallia memorant de *Odone le Maire, Eudone Maiore*, cognomento *De Challo S. Mars:* cui, poſteriſque eius tributa a Philippo I. vel Henrico I. Rege omnium tributorum immunitas, eo quod Regii voti Vicarius & deuotus, ac velut ἀντίψυχος, ſacram peregrinationem, quam Rex vouerat, obiiſſet: de quo præter alios v. vel Chopinum *lib. 3. de ſacra Politia, tit. 2. n 21. 22.* & Orationem *Brettii*. Quæ tamen ipſa immunitas, primoquidem Anno 1559. redacta fuit ad ea duntaxat, quæ terra marioe aut fluuiis vſus ſui cauſa vexiſſent: & Anno 1578. ad eas tantummodo vectigalis ſpecies, quæ in Gallia penſitabantur eo tempore, quo immunitas conceſſa fuerat. Tandem parum profuit quingentorum annorum poſſeſſio: nam quia ingens eorum numerus compertus eſt, qui per prouincias falſo ſeſe familiæ iſti adſcriberent, non minimo tributorum detrimento, abrogata penitus ea Immunitas eſt, æternoque ſilentio damnata, conſtitutione Regis Henrici M. A. D. 1601.

Altera *hac l.* immunitas perſonalis eſt, *Arſacis Armeniorum Regis* Domus. Nempe vt ab antiquo Romani inter inſtrumenta ſeruitutis Reges etiam habuere; ita *Armeniorum* Reges iam ab antiquo Romanorum fœderati & amici, etiam in obſequio Imperatorum hac Conſtantini M. & Conſtantii tempeſtate, & deinceps Iuliani quoque fuere. Sane Zoſimus (quod ad hanc *leg.* noſtram proxime facit) *lib. 2. cap. 27.* poſt Licinianum bellum, octennio ferme poſt æram *huic legi* ſubſcriptam, aperte indicat, Regem Armeniorum Conſtantino fœderatum & amicum fuiſſe, vbi hiſtoriam illam iucundam narrat de Hormiſda Perſarum Regali opera Armeniorum R. ad Conſtantinum euadente. Iulianus quoque *oratione 1. in Conſtantium, pag. 58. edit. Petau. & pag. 18. in fin. edit. Lipſ. Spanhem.* Ἀρμενίους παλαιοὺς συμμάχους, *Armenios veteres ſocios* Romanorum vocat: Vide eundem *pagg. aliquot ſeqq.* Ammianus Marcellinus *ibidem* in rebus Conſtantii *lib. 20. cap. 11. in Geſtis Anni 360. Conſtantius*, inquit, *accitum Arſacem Armeniæ Regem, ſummaque liberalitate ſuſceptum præmonebat & hortabatur, vt nobis Amicus eſſe perſeueraret & fidus. Audiebat enim ſæpius eum tentatum a Rege Perſarum fallaciis, & minis & dolis, vt Romanorum ſocietate poſthabita, ſuis rationibus iungeretur. Qui crebro adiurans, animam prius poſſe amittere, quam ſententiam, muneratus cum Comitibus quos duxerat, rediit ad regnum nihil auſus temerare poſtea promiſſorum, obligatus gratiarum multiplici nexu Conſtantio: inter quas illud potius excellebat, quod Olympiada Ablabii filiam Præfecti quondam Prætorio, ei copulauerat coniugem, ſponſam fratris ſui Conſtantis.* [Hoc Conſtantio exprobat Athanaſius, *ad ſolit. vit. ag. p. 856. Tom. I. Oper. Edit. Lipſ. apud Weidm.*] *Quo dimiſſo a Cappadocia, ipſe per Melitinam, minoris Armeniæ oppidum, & Lacotena, & Samoſata, tranſito Euphrate Aedeſſam venit.* Idem Ammianus in rebus Iuliani Anno 363. *lib. 23. cap. 2.* vbi de procinctu Parthico loquitur; *Inter hæc*, inquit, *legationes gentium plurimarum auxilia pollicentium, liberaliter ſuſcepta remittebantur &c. ſolum Arſacen monuerat Armeniæ Regem, vt collectis copiis validis iubenda opperiretur, quo tendere, quid deberet vrgere, propere cogniturus.* vid. eundem *lib. 21. cap. 6.* Idem *lib. 25. cap. 7.* in eiuſdem Anni geſtis; *Ne*, inquit, *Arſaci poſcenti contra Perſas ferretur auxilium Amico nobis ſemper & fido:* Et cætera quæ *ibi* narrat de hoc Arſace viuo capto a Perſis. Sane & huc illud facit, quod de Scholaribus notamus ad *l. 8. inf. de annonis ciuicis*. Ex *hac* interim *l.* apparet, Armeniorum hunc Regem in Romania ſeu orbe Romano, bona quædam poſſediſſe: quæ *hac leg.* immunitate ab annonis & tributis donantur.

Atque hæc quidem quatuor immunitates ſolæ *hac l.* excipiuntur, reuocatis cæteris omnibus, & in his etiam ea, quæ iam olim *Datiano V. Cl. Patricio conceſſa fuerat.*

Quis autem hic Datianus fuit? qui & Patricius *hac l.* vocatur. In libello ſane *de munificentia Conſtantini*, & apud Anaſtaſium *in Syluestro*, fit mentio domus *Datiani Antiochiæ*, quam Conſtantinus B Petro donauerit: Sed & Datiani mentio in *hymno 5. v. 130. ſeu paſſione Vincentii* apud Prudentium: & Præſidis Datiani in *Martyrologio, 22 Ianuarii.* Et hæc de Datiano ſub Conſtantino M. vel circa eius tempora. Sub Conſtantio quippe memoratur quoque *Datianus* Comes, magnæ apud illum authoritatis, quique inter alios per Epiſtolam Athanaſium hortatus dicitur, vt ad Conſtantium vocatus veniret, teſte Athanaſio *ad ſolit. vit. ag. pag. 823. T. I. Oper. edit. Lipſ. apud Weidm.* v. & Epiphanium *hæreſi 71. num. 1. pag. 829. Tom. I. Oper. edit. Colon. apud Ierem. Schrey.* Hic idem & ſub eodem Conſtantio cum Cereali conſul fuit A. D. 358. De priore illo, cuius domus Antiochiæ,

hæc

hæc *lex* accipienda videatur, vtpote cui hic quoque iungatur *Rex Armeniorum. Patricius* vero hic idem vocatur, quæ antiquiſſima alioquin Patriciorum mentio mihi occurrit: de quo alibi *plene*. Poſterior vero hic Datianus Patricius inter Valentiniani quoque initia memoratur a Philoſtorgio *lib. 8. c. 8.* vbi ait, inter alios, eius ope, conſilio, Valentinianum Imperatorem factum, quod etiam Nicephorus ex eo habet *lib. 11. c. 1.* Idemque Philoſtorgius ait, hunc Datianum Patricium per literas conſilium præbuiſſe ex Galatia, vbi ob ſenium hyememque (a Iouiano ſcil.) relictus fuerat: vbi & apud Ancyram Valentinianum ipſum relictum ſcribit Am. Marcellinus *lib 26. cap. 1.* Libanius tandem, *Orat. inedita, ὑπὲρ Θαλασσίου* multos alios memorat, qui (ſub Conſtantio) a ſordidis pene natalibus ad ſummum faſtigium peruenerunt, Philippum, *Datianum*, Taurum, Helpidium, Domitianum, Dulcitium. Et vero de hoc Datiano hanc *leg.* accipio.

Memorabile cum maxime de eo, quod hic narrat Imperator, eum immunitatem ſibi olim tributam tanta inſtantia auferri depopoſciſſe, cum quanta alii poſcere conſuerunt. Vtilem vero Reipub. virum, inuidiæ tantum non euitandæ. Non abſimilis alioquin apud Iuſtinum antitheſis de Scythis *lib. 2. c. 2.* *Aurum & argentum perinde aſpernantur, ac reliqui mortales appetunt.* Et Sidonius, *lib. 2. Epiſt. 13.* de Damocle; *Illa refugit celeritate diuitias delitiaſque regales, quæ ſolent appeti.*

Atque hæc quidem hactenus, quorum multa ſuadere videntur, vti credamus ſubſcriptionem & Conſules *huic l.* ſubnotatos emendandos videri, Conſtantioque Imperatori eam adſcribendam, in cuius tempora trium virorum *Euſebii* inquam & *Arſacis* & *Datiani* Patricii nomina incidunt. Verum nil temere nunc mutem: Maxime cum videam, Eccleſias *Catholicas* hic memorari, & immunitate donari, quod Conſtantio non conuenit, verum Conſtantini ſtudio: de quo iam *ſupra*.

Itaque dicendum fuerit, *Arſacem* Armeniorum Regem etiam in ea Imperii Romani parte, quæ Conſtantino parebat, quædam poſſediſſe: & Conſtantino quoque amicum fuiſſe.

Nunc ad ſententiam *legis* redeamus. Cum hæc *lex* ſit de *Immunitate* ſeu remiſſione nemini concedenda *a quocunque Magiſtratu*, imperite omnino faciunt, & in his Amaya nuper, qui de indicendorum tributorum poteſtate, ad quem ea pertineat, hic ἀπροσδιονύσως, & prolixe, neque aliud ferme tractant. Vt & illud imperite, quod poſt illa *huius l.* verba, *in fine*, *nihil amplius exigendi*, hæc quæ in nonnullis *Codicibus* Iuſtinianeis inſarta ſunt, *vel remittendi poteſtatem eſſe*, quæ a veteribus & melioribus *libris* abſunt, idem Amaya tuetur, aduerſus Cuiacii, Contii, & parentis mei mentem, ſpretaque *huius Codicis* & *Legis* auctoritate. Et quidem inepta ratione, quæ inſcitiam eius arguit. Nempe quod ſi hæc verba deeſſent, minime congrueret verſus ſequens: *nam ſi qui &c.* totuſque eius contextus. Imo enim optime congruit. Nempe cum præcipuam ſibi hanc curam Conſtantinus *hac l.* indixiſſet, vt omnes ad tributa tenerentur, neque quidquam eorum a Iudicibus remitti poſſet, obiter tantum & velut per parentheſin id pro ſolatio addidit & inſeruit, ſcil. quod retro etiam nihil amplius quam quod delegatione ſua contineretur, exigi ab his poſſet: *nihil amplius*, inquit, *exigendi*: Quibus non ideo minus recte ſubiicitur verſiculus, *Nam ſi qui* &c. qui omnino cohæret cum illis, *omnes penſitare debebunt, quæ manu noſtra delegationibus adſcribuntur.* Sed quid cum hoc homine congredior, qui aperte pronunciat, *Libri veteris & Codicis Theodoſiani auctoritatem tanti apud ſe non eſſe, vt a fide Pandectarum Florentinorum recedat, & cogatur iurare in librum a muribus ſemicomeſum. Abſint tales ſententiæ.* Vbi etiam quod de *fide Pandectarum Florentinorum* hic addit, imperitiſſime facit: Quid enim *Pandectis* & quidem *Florentinis*, cum Codicibus *Conſtitutionum?*

De APOCHIS *tributorum ſolutorum, aduerſus falſas & imaginarias.*

II. (a) Idem A. ad Ælianum Proc. Afric. (b)

POSSESSORES, cum ſatisfecerint publicæ conlationi, cautiones (c) ſuas ad Tabularios publicos deferant: vt eas Tabularii, ſiue Sexagenarii, (d) periculi ſui memores, ſuſcipiant a conlatoribus (ipſas ſpecies, quæ debentur, ex horreis ſuis ad ciuitates ſingulas, per menſes ſingulos perlaturis) ne inlatio tributorum ex ſolis apochis (e) falſis (f) vel imaginariis cognoſcatur: *& cetera.* Dat. Kal. Nou. Treu. Conſtantino A. IV. & Licinio IV. Coſs. [315.]

NOTAE.

(a) Abeſt hæc *lex a Cod. Iuſt.* Iungenda illi eſt *lex 1. inf. de exactionibus. GOTHOFRED.*

(b) *Ælianus* Proc. Africæ ſub Conſtantino M. Eidem hoc Anno inſcribitur, *lex 1. ſup. de concuſſ. adu.* & *l. 3. ſup. de adu. fiſci.* Eius meminit Conſtantinus M. ipſe, apud Auguſtinum in *Epiſtola* 68. (ſiv. 88. edit. Benedictin.) ad Probianum Proconſulem Africæ huius ſucceſſorem, & *lib. 3 contra Creſconium cap.* 70. *pag.* 476, *Tom. IX. Oper edit. Benedictin.* Denique hic eſt qui Anno 314. cauſam Felicis Aptungitani iudicauit. Vide Optatum Mileuitanum *de Schiſmat. Donatiſt. cap* 27. *ID.*

(c) *Cautiones*. i. apochas, vt mox, *fine legis*, & *l.* 19. 32. *inf.* Alias *Securitates* vocantur. *d. l.* 19. & *l.* 273. 285. *inf. de decurionib. ID.*

(d) De iiſdem agitur. *d. l. 1. ID.*

(e) Sup. *cautiones* vocantur, verum ita quoque vocantur, *l.* 19. 32. *ID.*

(f) Falſis forte. *ID.*

COM-

Digitized by Google

COMMENTARIVS.

APOCHÆ illationis tributorum, id eſt, cautiones, ſecuritates, profeſſiones, chirographa, *quittantiæ* tributorum ſolutorum, ne falſæ aut imaginariæ forte emittantur, & ſic illationi tributorum fraus fieri poſſit, accurata forma hac Conſtantini M. conſtitutione inducitur; vt vice verſa, idem ſedulo cauit, ne Prouinciales ſeu Collatores concuterentur, *l. 1. inf. de exaction.* quæ huic eſt conjungenda; quo etiam pertinet eiuſdem *lex 1. inf.* Eiuſdem ſcilicet prouidentiæ eſt, cauere, ne quo commento tributis fraus fiat, neque tributariis.

Falſis igitur Apochis hac ratione occurrit, ſcilicet ſolutione facta ſuſceptori tributorum, Apochas a Suſceptore acceptas ad Tabularios vel Sexagenarios deferri iubet. Nempe *Tabularii* erant ii, qui publicas chartas tractabant, qui Breues & *λογαρικὰ*, polyptica conficiebant tributorum, vt docet vel *d. lex 1. inf. de exact.* (de quibus alioquin pecularis fuit *titulus 2. lib.* VIII. *ſup.* & de iiſdem agitur *leg. 11. 13. inf. h. tit.* & *l. 30. inf. de ſuſceptor.*) Quare Tabularii hi chartas iſtas ſeu Breues ſub tempus exactionis faciendæ dabant exactoribus, quorum vt varia nomina fuerunt, vt oſtendit *d. lex 1. inf. de exaction.* ita de eorum numero fuerunt qui dicebantur *Sexagenarii*, (quorum fit etiam mentio *d. l. 1.* vbi de his dicam pleniſſime.) Igitur, ſolutione tributorum facta ſuſceptoribus, ne qua fraus inter Tributarios & Suſceptores interueniret, falſis forte vel imaginariis Apochis emiſſis, voluit Conſtantinus M. has Apochas deferri ad Tabularios vel Sexagenarios, penes quos erant *Breues* illationis faciendæ, quod & poſtea deinceps obtinuiſſe docet *lex 27. inf. de ſuſceptorib.* v. item *l. 2. inf. de diſcuſſorib.* vt ita Apochæ, cum Breuibus collatæ, de rei veritate fidem facere poſſent, & inſpectis, ſecundum Apochas & Breues, ipſis ſpeciebus illatis. Solæ Apochæ fidem facere non poſſunt, quia fictæ eſſe poſſunt: vnde & εἰκονικὴ ἀποχὴ Lucilio, *lib. 2. Ἀνθολογ. cap. 36. εἰς Νομικὸς. Epigrammat. 1. v. ult. fol. 93. verſo edit. Aldin.* Qua ipſa cauſa etiam inter priuatos ſola Apocha debitorem non liberat, vt apparet ex *l. 46. § 5. D. de administr. tut.* & *l. 19. D. de acceptilat. l. 13. C. Juſt. de ſolutionib.* Quid igitur? quæ ſola fidem facere non poteſt, fidem faciet ipſi Breuibus admotis, & ſecundum vtrumque ἀυτοψία. Quod de perlatione ſpecierum ad ciuitates ſingulis menſibus, additur, id alibi explicabitur.

ADSCRIPTIONIS *modum (ad ſuperexactionem euitandam) Rectores Prouinciarum propria manu deſignare debere.*

III. (a) Idem A. Gregorio PF. P. (b)

MANV propria Iudices (c) vniuerſi, periculo (d) ſuo, annonarias ſpecies & cetera quæ indictione (e) penduntur, definitis quantitatibus, & conprehenſis modis, facta adſcribtione, deſignent: Cuius obſeruantiæ illa erit commoditas, vt, poſt ſucceſſionem (f) quoque eorum, facile requiratur (g), an Exactores, vltra quam oportuit, de fortunis Prouincialium aliquid exculpere voluerunt. Dat. VII. Id. Octob. Nepotiano & Facundo coss. (336)

NOTAE.

(a) Abeſt hæc *Lex a Cod. Iuſtin.* *GOTHOFRED.*

(b) Eidem *Gregorio* inſcripta hoc ipſo Anno Conſtantini M. conſtitutio *de naturalibus liberis & matribus eorum*, quæ prima eſt *Cod. Iuſt.* Cujus etiam meminit Iuſtinianus *Novell.* 89. *cap.* 15. Meminit & Valentin. *l. 1. ſup. de natural. filiis.* Eidem inſcribitur Anno proximo *lex 2 ſup. de contrahen. empt.* Denique hic eſt ille Gregorius Præfectus, de quo, & conuiciis in eum Donati, Optatus Mileuitanus *lib. 3. cap.* 10. Et vt omnino cenſeo, PP. Italiæ, ſub quo Africa erat. *ID.*

(c) *Iudices*, id eſt, Rectores Prouinciarum. *ID.*

(d) Sic & in *leg. 2. ſup. periculi ſui memores.* *ID.*

(e) Facta, ſeu ex indictione. *ID.*

(f) Id eſt, poſteaquam ſucceſſum eis in Prouinciæ adminiſtratione fuerit: Neque enim mutem cum verbo, *ſeceſſionem.* *ID.*

(g) *Reſciatur*, & conſtare poſſit. *ID.*

COMMENTARIVS.

VT ADSCRIPTIO, ſeu modus annonarum & tributorum (de qua plena manu *in paratitlo*) Rectorum Prouinciæ diſpoſitione fiebat, *l. 3. 4. inf. de extraordin.* ita factum propria manu deſignare iidem Rectores hac Conſtantini M. conſtitutione iubentur, pariter vt altera eiuſdem conſtitutione *l. 4. inf. de extraord. ſiue ſord. mun.* Nec abſimile quod *fine d. legis 4.* cauetur, vt videlicet idem Rector prouinciæ ſubſcribat encautis, id eſt, libris cenſualibus ciuitatum & Prouinciarum, quæ & *Encautaria* dicuntur *l. vlt. inf. de cenſu*: ſine adſcriptione, quæ a Tabulariis ciuitatum conficiebantur, vt docet *lex 1.* & *d. lex vlt. inf. de cenſu.* Idque, quod Conſtantinus ipſe *hac l.* profitetur, vt Magiſtratu ſeu adminiſtratione decedentibus Rectoribus, adhuc explorari & reſciri poſſit, num exactores Prouinciales ſuperexegerint. P. 50. Hac igitur quoque inter cæteras ratione ſuperexactionibus occurſum voluit Conſtantinus M.

De ΕΠΙΒΟΛΗ, *ſeu* ADIECTIONE *ſterilium fundorum ad fertiles, ex eodem iure manantes.*

IV. (a) Imp. Conſtantius A.

SI quis ab Emphyteuticariis, (b) ſeu patrimoniali poſſeſſore, priuati iuris quippiam comparauerit, cuius ſubſtantia (c) alias poſſeſſiones ſuſtentare conſueuerat, & ſuccißis quaſi quarundam virium neruis reliqua (d) lababuntur, (e) earum poſſeßionum onera ſubiturus eſt, quæ penes diſtractores (f) inutiles permanebunt. Dat. VIII. (g) Id Decemb. Theſſal. Feliciano & Titiano coss (337.)

NOTAE.

(a) *Lex 1. C. Iuſt. de omni agro deſerto, & quando ſteriles fertilibus imponantur.* forte huic iungenda *lex 7. de exact.* GOTHOFRED.

(b) *Emphyteuticario*, Cod. Iuſt. *ID.*

(c) Τρόφιμα, fertilitas, opimitas, fœcunditas, dotes. *ID.*

(d) In Tiliana & Cujaciana editione perperam, *reliquam.* *ID.*

(e) *Labuntur*, Cod. Iuſt. male. *ID*

(f) *Diſtractorem inopem*, Cod. Iuſt. *ID.*

(g) Al. III. *ID.*

COMMENTARIVS.

ΕΠΙΒΟΛΗ quædam STERILIVM fundorum ad fertiles hac conſtitutione a Conſtantio Imp. inducitur: de quo ἐπιβολῆς iure moreque tres aliæ extant *hoc Codice* conſtitutiones: puta *l. vn. de Saturianis, lex 31. inf.* & *l. 4. ſup. de locat. fund. emphyt.* quæ duæ poſtremæ vna cum hac noſtra, *Codice Iuſtinianeo* in ſingularem *Titulum* coniectæ ſunt, puta *Titulum de omni agro deſerto, & quando ſteriles fertilibus imponantur:* ſub quo ipſo *titulo* hæc quoque *lex* poſita eſt. De eadem ἐπιβολῇ exſtant & Iuſtiniani *Nouellæ* quædam: puta *Nouella 128. c. 8.* duæque aliæ a Cuiacio reſtitutæ περὶ ἐπιβολῶν 166. & περὶ ὁμοδούλων 168. Videndus & Suidas, *in voce*, ἐπιβολή, & Conſtantinus Harmenopulus. Ἐπιβολὴ eſt *Adiectio*, vt vocatur *l. vlt. Cod. Iuſt. de omni agro deſerto*, quoties opimos & fœcundos ſeu fertiles fundos ex eodem iure manantes, ex iiſdem bonis, ex eadem ſubſtantia, ὁμοδούλους, ὁμοκήνσους, *de la meſme baillée* manantes, poſſidenti, deſerti, inutiles, defecti, minus idonei, deſtituti, aſantici, fœnei, ſteriles, infertiles, ἄποροι adiunguntur: & ſic hac ratione, bonorum malorumque mixtura quædam, ſeu bonorum conſolidatio fit, hiſque ita conſolidatis, is cui adiectio hæc facta eſt omnium ex æquo bonorum nomine tributa ſoluere cogitur. Ne alioquin, vt hæc *lex* eleganter loquitur, *poſſeßionibus, quarum ſubſtantia alias conſueuit ſuſtentare, ad alium translatis, & inutilibus penes alium permanentibus; ſuccißis quaſi quarundam virium neruis, reliqua labantur:* i. inutiles oneribus & tributis reſideant. Quod vtique ſæpe eueniebat, Reipubl. damno, hac videl. ratione ſeu fraude quod locupletes fœcundos pauperiorum agros per impotentiam, vt loquitur *lex 8. inf. de cenſitoribus*, vel momentariis eorum neceßitatibus captatis, ad ſe traherent; vt docet quoque *lex 1. inf. ſine cenſu:* & elegantiſſime *d. lex* 8. & compararent, inutilibus ſolis, & fœneis, qui tributis agnoſcendis impares erant, penes eoſdem inopes dominos relictis. Quare cum ea re res tributaria haud parum concideret, ad ἐπιβολῆς ſeu Adiectionis iſtius æquitatem & æqualitatem vt expreſſe dicitur *d. l. 8.* ſubinde decurſum. Atque vt cæteroquin id factum (quod etiam probatur *l. 31. inf.* ibi, *quæ ex eiſdem bonis quæ retinent eſſe monſtrantur*) ita in *Emphyteuticariis* nominatim, & patrimonialibus poſſeſſionibus, priuatæ denique rei fundis factum: vt patet ex hac nominatim Conſtantii conſtitutione: idque quod coniicere licet, per Sardiniam: v. quæ dico ad *l. 7. inf. de exactionibus:* vt ita eadem lege & conditione, & vt proprio verbo vtar, ſub eodem *canone*, in nouos dominos infertiles migrent, quo primum in priuatos translati fuerant: canone videl. non huic aut illi poſſeſſionis regioni vel loco impoſito; verum, vt Tertullianus loqueretur, vniuerſitati & *maſſaliter*, i. ieiunorum compenſatione facta: Nempe, cum Emphyteuticarii & patrimoniales *fundi*, in priuatos transferebantur, ſub canone certo elocabantur: de quo ſuo *tit. ſup. lib. 10. de locat. fundorum iuris emphyteut*, ita quidem vt toti poſſeſſioni canon in ſingula iugera imponeretur: & æqualiter quidem, in ipſa impoſitione compenſatione quadam & æſtimatione facta fertilium & ieiunorum. Exinde poſſeſſores nonnulli fertiles ſolos in ditiores & potentiores transferebant, iiſque vendebant; neque ideo maiorem tributi modum ſoluebant, ſed canonem tantum impoſitum in ſingula iugera: ſterilium vero fundorum Domini nihi ſoluebant. Ideo ad hanc ἐπιβολὴν, & Adiectionis æquitatem & æquabilitatem deuentum. Et hæc quidem eſt huiuſce *legis* Sententia, quam Cuiacius non cepit: qui in ſp. *huius l.* non emphyteuticum vel patrimonialem fundum venditum putauit, ſed ab emphyteuticario vel patrimoniali poſſeſſore, priuatum fundum tacito tantum hypothecæ iure uexum: quem vt lectio *Codicis Iuſtinianei* facilius in errorem induxit, ita potiſſimum *priuati iuris* in *hac l.* appellatio, qua ſane patrimonialis & emphyteuticaria poſſeſſio ſignificatur, *priuati* ſcil. *iuris*, id eſt, patrimonii Principis. Idem vero in eo errat, quod vocem *reliqua* in *hac l.* interpretatus eſt de tributorum reliquis: cum reliqua *hac l.* ſint reliquæ poſſeſſiones. Proinde tertio peccat, cum hac ratione *hanc leg.* titulo,

Digitized by Google

tulo, *ſine cenſu vel reliquis fundum comparari non poſſe*, aptat. Igitur Accurſianæ Interpretationes omnino retinendæ, ſunt. Haec vero ἐπιβολὴν e Græcis quoque multi minus proprie intellexere, cum eam factam vel impoſitam ſcripſere, vel πλησιοχώροις ἢ γείτοσι, vicinis prædiorum defectorum, vt Simeon Metaphraſtes apud Alemannum in Procopii ἀνεκδότοις *c. 23. pag. 376. Edit. Venet. inter Script. R. B.* vel συντελεσταῖς κατὰ ἀναλογίαν τῆς ἑκάστου δυνάμεως, vt Cyrillus Scythopolitanus *apud eundem p. 376. edit. cit.* vel τοῖς τὰ χωρία κεκτημένοις, P. 81. vt Procopius ἀνεκδότοις *cap. 23.* & ex eo Suidas *in v.* ἐπιβολὴ, qui & Iuſtinianum primum ἐπιβολῆς auctorem facit: ἐπιβολὴ enim tantum fiebat & erat fundorum ex eodem iure manantium: De qua ἐπιβολῇ ad praxin Gallicam multa egregie V.C.L. Loiſeau *du Deſguerpiſſement lib. 5. c. 2. de l' adiection ou ſurcharge & accroiſſement des Terres deſguerpies.*

EXTRAORDINARIÆ *cuidam pecuniarum indictioni, nè quis ſe ab ea immunem putaret*, Ordinariæ *ſeu* Canonicæ *nomen inditur a Conſtantio.*

V. (a) Idem A. ad Vranium (b).

OMNES omnino ad oblationem (c) pecuniarum (d) oportet vrgueri: Lege enim noſtra ſignatum (e) eſt, nec eſſe *Extraordinaria*, nec vocari, quæ ſpecialiter (f) a Prouincialibus deuotiſſimis (g) conferenda ſunt. Dat. III. Non. Feb. Conſtantio A. II. & Conſtante coss. [339.]

NOTAE.

(a) *Lex 5. C. Iuſt. eod. tit.* Concordat prorſus huic *l. lex 2. inf. de indictionibus.* GOTHOFRED.

(b) *Vranius* hic quis? *ID.*

(c) *Oblationis* vox propria, quæ non extat. *ID.*

(d) *Functionum publicarum*, ita Tribonianus immutauit in *Cod. Iuſt. ID.*

(e) Id eſt, nominatim & ſignanter expreſſum, ſeu aperta definitione, vt loquitur *lex 2. inf. de indictionib.* v. Gl. in voc. *ſignare. ID.*

(f) *Solenniter*, ita Tribonianus. Plane, contra *huius l* ſententiam. Specialiter autem, id eſt, ſpeciali affectu & deuotione, & ineuitabili neceſſitate: v. *Gloſſ. Theod. ID.*

(g) Vox hæc hac in re propria. Vide *Gloſſarium Theodoſ. ID.*

COMMENTARIVS.

EXTRAORDINARIIS ab indictionibus cum regulariter quædam perſonæ immunes ſint, ſaltem ab extraordinariis ſive ſordidis muneribus, quandoque tamen ea Reipub tempore incidunt, vt tum pecuniarum, tum & aliarum ſpecierum ſuperindictum ſeu Extraordinaria collatio & oblatio ita deſideretur, vt ab his quoque nemo immunis eſſe debeat. Quod in *huius l.* ſpecie ſtatuitur. Eum vero in finem quia euenire ſæpe ſolebat, ab huiuſmodi *ſuperindicto* excuſatos ſe nonnulli vellent, tanquam ab extraordinario munere, & appellatione *Extraordinarii*, velut Gorgonis capite obiecto, vel panno rubro efferati, collationem illam defugerent, & priuilegia ſua obtenderent, ea re viſum Principibus quandoque rei atrocitatem & inuidiam verbi leuitate mollire: ac nominatim cauere, ne *Extraordinaria* aut dicerentur aut crederentur, etſi *ſuperindicti* nomine exigerentur, quin potius ordinaria ſeu Canonica cenſerentur, vt ita omnes huic neceſſitati parerent, amoto omni priuilegio quæ ordinariorum munerum *lex* eſt: v. *tit. D. de vacat. & excus. mun.* Id vero præſtat *hac l.* Conſtantius, quod & ipſum præſtitit quoque poſtea Honorius gemina germana *lege 2. inf. de indictionibus*, pari occaſione & neceſſitate.

Hanc ſane pertinere exiſtimo ad apparatum belli Perſici hoc anno, quo pecuniarum ſuperindicto opus fuit. Sic enim Iulianus *orat. 1. pag. 67. & 68. edit. Petau. ſiu. pag. 21. edit. Lipſ. Spanhem.* de eo ad Conſtantium loquitur: τοῦ πολέμου, inquit, ΧΡΗΜΑΤΩΝ, καὶ σιτηρεσίων, καὶ χορηγίας λαμπρᾶς δεομένου, ὑπάρχοντος δὲ οὐδενὸς σχεδὸν τῶν τοιούτων, αὐτὸς ἐξεῦρες καὶ κατέστησας. ΧΡΗΜΑΤΩΝ δὲ εὐπόρους πόρους οὐκ ΑΥΞΩΝ τοὺς φόρους. οὐδὲ τὰς συντάξεις, καθάπερ Ἀθηναῖοι πρόσθεν, εἰς τὸ διπλάσιον, ἢ καὶ ἐπὶ πλέον κατέστησας, ἐμμένων τοῖς ἈΡΧΑΙΟΙΣ, πλὴν εἴπου πρὸς βραχὺ, καὶ πρὸς οὐκαιρον, ἐχρῆν αἰσθέσθαι δαπανηροτέρων τῶν λειτουργημάτων. id eſt, *cum bellum* PECVNIAS *& annonam, & expenſas in gentes exigeret, nec eorum quicquam fermo ſuppeteret, ipſe adinueniſti & conſtituiſti. Pecuniarum ſinus excogitaſti, non quidem euectis Tributis, & penſitationibus, prout Athenienſes olim, in duplum, vel etiam vltra conſtitutis, verum antiquis inhærens, niſi ſicubi ad breue tempus, & neceſſitatem, functiones grauiores ſubeunda eſſent.*

Ex his iam liquet, Tribonianum interpolatione ſua *huius leg.* ſenſum penitus immutaſſe, relata ea ad *functiones publicas*, & *ſolemnes*, quae ideo etiam voces hic ſubſtituit. Qua cauſa quæ ad *eam l.* a *Cod. Iuſtin.* Interpretibus notantur, huc nequicquam faciunt. Quia & Cuiacius ipſe haud ſatis caute *hanc leg.* interpretatus videtur. Quare hinc ſimul liquet, non tantum de *huius Codicis* vtilitate, verum etiam de Hiſtoricarum cauſarum vſu & neceſſitate, in his Conſtitutionibus probe intelligendis: quæ niſi ad *hanc leg.* adhiberentur, falſa omnino ea videri poſſet: Ecquis enim alioquin

dubitare poſſet: *Extraordinaria* ea omnino eſſe quæ extra ordinem imponuntur, quod tamen hic deſerte negatur? Nempe Conſtantius Politico ſcemmate, vrgente neceſſitate, extraordinariam illam & ſpecialem collationem ad apparatum belli Perſici, cæterarum extraordinariarum collationum nomine exemptam init: quandoquidem ea ſumma Reipubl. neceſſitate vrgente exigeretur: & vt ipſe ait, SPECIALITER *a Prouincialibus* DEVOTISSIMIS *conferenda eſſet*, id eſt, quam pro Imperii defenſione, atque adeo *deuotione*, quæ Imperio debebatur *ſpecialiter*, id eſt, ſpeciali affectu & ineuitabili neceſſitate conferri oportet. Eo ſcil. pertinet vox *ſpecialiter*, & altera *deuotiſſimorum* prouincialium, ſeu *a deuotiſſimis prouincialibus conferendi*: de quibus in *Gloſſario Theodoſiano*. Quibus reſpondent illa Iuliani, πρὸς βραχὺ, πρὸς ἀναγκαῖον ἰσχὺν αἰσθέσθαι, δαπανηροτέρων τῶν λειτουργημάτων. Tandem ad vſum & praxin, ſcemma Politicum *hac l.* continetur, quod ſæpenumero Principes ſequuntur & vſurpant. Imo & eo non ſubditi tantum, ſed & populi exteri ſæpe deluduntur: de quo egregius locus eſt *Saluiani*.

De VINI *ad* CELLARII *vſus & collatione ab Italis.*

VI. (a) Impp. CONSTANTIVS & CONSTANS (b) AA. Ordini Cæſinatium. (c)

VINVM, quod ad Cellarii (d) vſus miniſtrari ſolet, cuncti Italiæ poſſeſſores, iuxta ſtatutum † Conſtantii, (e) fratris mei, conparent (f). Quod, vt fieri facilius poſſit, ab omnibus Italis noſtris conferatur pecuniæ quantitas ea, quam Rufini, (g) Viri Clariſſimi (h) & Inluſtris Præfecti Prætorio, Parentis Amicique noſtri, moderatio dandam eſſe cenſuerat. (i) Dat. XI. Kalend. Iun. Med. Conſtantio VII. & Conſtante III. AA. Coss. [354.]

NOTAE.

(a) Iungenda *huic* eſt *lex* 42. *inf. de Decurionib.* GOTHOFRED.

(b) Inducendum hoc *Conſtantis* nomen: niſi pro *Gallo Cæſ.* id accipiamus: quanquam & hic iam occideras ante menſem Decembrem, quo *hanc l.* datam mox probabo. *ID.*

(c) *Cæſenatium*, *d. l.* 42. De qua ciuitate mox. *ID.*

(d) Noſtri. *ID.*

(†) Quodnam ſtatutum illud? *ID.*

(e) *γρ.* *Conſtantis*, vt mox oſtendam. *ID.*

(f) A vobis Cæſenatibus: ita hoc accipio. *ID.*

(g) De hoc Rufino mox dicam. *ID.*

(h) *Vir Clariſſimus & Inluſtris*, Præfecti Prætorio titulus, *h. l.* & *l.* 19. *ſup. de petitionibus*: *Viri Clariſſimi* Præfecti Prætorio *l.* 1. *ſup. de paſcuis*: & *l.* 15. *ſup. de prætoribus*. *ID.*

(i) Ante aliquot annos, cum Præfecturam prætorianam gereret: de quo mox. *ID.*

COMMENTARIVS.

DE VINI CELLARIENSIS annona, eiuſque coemptione & collatione ad Cellarii Principis vſus, ab Italis facienda, eſt hæc ſingularis Conſtantii conſtitutio data A.D. 354. ad ordinem Cæſenatium (cui iungenda & *lex* 42. *inf. de Decurion.*) Quam, nobilem iam fecit Scriptorum in argumento *Suburbicariarum* diſquiſitio: ex quo ſemel eam, vna cum Sex. Aurelii Victoris loco, quem mox ſubiiciam, ad ANNONARIAS Regiones pertinere indicauimus: Rem quantum potero, compendii nunc faciam.

Primo, *Cellarium* quid eſſet, prolixe oſtenſum eſt ad *l. vlt. ſup. de officio Iudic. omn.* oſtenſum inquam, hac appellatione ſignificari omnia βρώσιμα καὶ πόσιμα, id eſt ſpecies omnes ad eſum & potum pertinentes. Et ſane de vino id ex *hac l.* etiam liquet. Hinc & Cellarienſes ſpecies dicuntur *l.* 32. *ſupr. de erogat. mil. ann.* & *l.* 16. *inf. de indulg. debitor.* *Annonæ* vero proprie erant, quæ in cæteris ſpeciebus conferebantur, veluti capito, ligno, aliis: vnde annonæ & cellaria coniunguntur *d. l. vlt.* & apud Sulpitium Seuerum *lib.* 2. *ſacræ hiſt. c.* 41. annonæ & cellarienſes ſpecies *d. l.* 32. Quanquam & latiore ſeu laxiore appellatione *Annonæ*, vtrumque ſignificabatur.

Cæterum, cum huiuſmodi ſpecies annonarias & cellarienſes, varios ad vſus collatas liqueat, atque in his, ad vſum militarem, expeditionalem, quin imo & Comitum Rectorumque prouinciarum vſus, ſane hæc Conſtantii *lex* eſt de collatione ad *Cellarii Principis, vſus*, vt ex ſequentibus mox apparebit.

De hac igitur cellarienſium ſpecierum collatione hæc obſeruentur. Primo a quibus ea collatio facta fuerit: Nempe ait lex: *a cunctis Italiæ poſſeſſoribus*: mox, *ab omnibus Italis noſtris*: Hic iam dubium: Num tota, quanta eſt, *Italia*, his verbis intelligenda ſit, an vero pars quædam Italiæ tantum, quæ tamen hoc ſeculo ſpecialis *Italiæ* appellationem meruerit? Et ſi id ita eſt, quænam illa ſpecialis Italia fuerit, & quibus finibus coarctata? Quod prius igitur attinet, iamdiu eſt, cum huc Sex. Aurelii Victoris, coætanei Scriptoris, locum inſignem trahebam. Is igitur cum dixiſſet *c.* 39. bellorum mole acrius vrgente, partitoque inter Diocletianum, Maximianum, Conſtantium, Galerium imperio,

imperio ; ' Africam & Italiam Maximiano ceſſiſſe, ſubiicit: *Hinc denique* Parti italiæ *inuectam Tributorum ingens malum: Nam cum omnis* (Italia) *eadem functione* (tributaria) *moderataque ageret: quo exercitus atque Imperator, qui ſemper aut maxima parte* Aderant (in ea Italiæ parte) Ali *poſſent*, Pensionibvs Indvcta Lex Nova: *Quæ* (lex) *ſane, illorum* (Maximiani) *temporum modeſtia tolerabilis, in perniciem proceſſit* (poſt Maximiani tempora.) Vides, *hoc* Victoris *loco*, duo functionum ſeu tributorum & penſionum genera: vnum vetus, quod ante Maximianum omni Italiæ incumbebat: alterum recens a Maximiano inſtitutum, idque parti tantum Italiæ impoſitum, ſed tamen vtrumque in ſpeciebus annonariis: & recens quidem nominatim: quod vel ex eo pateſcit, quod Alendo imperatori & exercitui, impoſitam id fuerit: vt mirer ſcribentem toti quidem Italiæ olim annonariarum ſpecierum collationem impoſitam, at nunc parti Italiæ a Maximiano non ſpecies annonarias, verum tributum, auri, argenti, æris, veſtium, equorum imperatum.

A Maximiano igitur parti Italiæ nouus annonariæ functionis & penſionis modus impoſitus, alendo exercitui & imperatori (& ſic Cellarienſes ſpecies) qui ſemper aut maxima parte, in ea Italiæ ſcil. parte, hærebant. Vt proinde hæc *lex* omnino eodem pertineat, quo Victoris locus ille: nam & de Italia vterque locus eſt, & de annona alendo Principi, ſeu cellarienſi annona. Quare hac l. *Italiæ* appellatione nonniſi pars Italiæ generaliter acceptæ exaudienda fuerit, quæ tamen ipſa ſpecialiter *Italiæ* nomen hoc æuo meruerit.

At, quod poſterius, nunc porro inquirendum, quænam illa Italiæ pars eſſe poſſit. Primum igitur, cum Sex. Aurelius Victor diſerte dicat, annonam illam *parti Italiæ* impoſitam a Maximiano, quo ipſe & exercitus, qui ſemper aut maxima parte Aderant, id eſt, in ea Italiæ parte hærebant, ali poſſent, diſpiciendum modo (quod a nemine factum hactenus) in quanam Italiæ parte, maxime *Maximianus* Imp. hæſerit. Id vero non aliunde temere melius, quam ex ſubſcriptionibus legum Diocletiani & Maximiani colligi poteſt: nempe eum ſubſtitiſſe maxima parte, Ravennæ, quod docet *l. 1. C. I de iure aur. ann.* Veronæ *l 3. C. eod. ad l. Iul. de vi: l. 2. C. eod. commun. de ſucceſſion. l. 1. C. eod. diuort facto apud quem liber.* Mediolani, *l. 9. C. eod. de pignor. act. l. 8. C. eod. ne de ſtatu def. l. 2. C. Hermog. de calumniator.* & apud *veteris Conſultation. Auctorem* § *5. in fin. pag* 8*18 edit. Schulting.* (quam etiam vrbem ſub Maximiano mirum in modum nouis cultiſque mœnibus ornatam Sex. Aurel. Victor tradit, ibique etiam tandem purpuram depoſuit.) Aqvileiæ: quod colligi poteſt ex incerto *Panegyrici* Auctore *ad Maximianum & Conſtantinum, c. 6. & 7.* cuius initium eſt *Dixerint*. Sed & poſt Maximianum Seuerus Cæſar in eo tractu ſtetit cum exercitu, vt docet Zoſimus *lib. 2. cap. 10.* Quinimo & in eam ſeſe rurſum a Maxentiana expeditione recepit. Et ſecuti deinceps Principes, Conſtantinus M. Conſtantius, Valentinianus &c. ſi quando in Italia conſtitere, maxima parte *Aquileiæ*, *Mediolani*, *Rauennæ* hæſere; vt harum proinde ciuitatum primam dignitatem ab hoc tempore repetere ferme ſoleam. Et notandum eſt ſummopere, quod idem Zoſimus *loc. cit.* de *Rauenna* ſcribit, in quam ſe Seuerus Cæſar receperat: τὴν Ῥάβενναν, inquit, πόλιν ὀχυρὰν τε καὶ πολυάνθρωπον, καὶ τροφῶν ἔχουσαν πλῆθος αὐτῷ τε καὶ τοῖς συν αὐτῷ στρατιώταις ἀρκοῦν: : id eſt, *Rauenam tum fuiſſe ciuitatem, non tantum munitam & populoſam, verum &* Annonarvm Copia *abundaſſe, tum ipſi Cæſari, tum exercitui ſufficiente:* & mox in eandem ſententiam, cum de Maximiani aduerſus Seuerum Rauennam motione agit, ait, Seuerum hac inuitum eiici non potuiſſe, ἀσφαλοῦς τε οὔσης καὶ τροφὰς ἐχούσης ἀρκούσας, *quod munita eſſet & commeatu abundaret.* Quod omnino reſpondet Victoris *loco*: Atque exinde illud etiam colligitur, Annonæ iſtius cellarienſis partem tum Rauennam comportatam. Quod & ipſum *huius l.* inſcriptioni rurſum optime conuenit: *ordini* quippe *Caſenatium* hæc *lex* inſcripta eſt, qui Rauennæ proximi, & in eadem Flaminia erant, vnde & Cæſenatis Epiſcopus Rauennatis Archiepiſcopi Suffraganeus fuit. vid. *veterem Epiſcopatuum Notitiam*, & in Concilio Romano ſub Papa *Martino* Cæſenas Epiſc. Rauennatis Archiepiſc. locum tenuit. Et vero vetus *Notitia prouinciarum* Græca, *ἐπαρχίαν ἀννωναρίας* deſcribens, *Rauenam* nominatim in ea collocat: Ἐπαρχία ἀννωναρίας, Ῥάβεννα, Φανὸς, ἐλκύσα, πόλις, πικλυς, πλαυρον, κάστρον Φερεντίνον, Κάστρον Σαλέρνον &c. Iam igitur ex his ſequitur, in illa Italiæ parte (annonaria) quam quærimus, fuiſſe, *Flaminiam, Aemiliam, & Liguriam, & Venetiarum prouinciam.*

Secundo procedat Trebellius Pollio, qui calente hoc Maximiani inſtituto, & ſub hoc ipſo Maximiano, ſcribebat, imo ſub hac ipſa Tetrarchia, Diocletiani, Maximiani, Conſtantii & Galerii (vt ipſemet diſertis verbis *profitetur in vita Claudii cap. 3.*) Is igitur Italiæ prouinciarum recenſum agens, *in Tetrico Seniore, cap. 23.* & his prouinciis Annonariarum nomen iam ante Conſtantinum M. inditum arguit, & Italiæ totius partem fuiſſe oſtendit: & quænam illæ fuerint, haud obſcure indicat; Nam cum dixiſſet, *Tetricum Senatorem P. R. qui iure Præſidiali omnes Gallias antea rexerat, Imperiumque ſibi vindicauerat, ab Aureliano Imp. victum, & per triumphum ductum*, ſubiicit: *Pudore tamen victus vir nimium ſeuerus* (Aurelianus) *eum quem triumphauerat, Correctorem totius Italiæ fecit, id eſt, Campaniæ, Samnii, Lucaniæ, Brutiorum, Apuliæ, Calabriæ, Hetruriæ atque Vmbriæ, Piceni & Flaminiæ, omniſque* Annonariæ Regionis. Trebellius Pollio ſcilicet, totius Italiæ prouinciarum recenſum inſtituens, vbi eas nominaſſet, ſingulas, quæ ad dextram Vrbis Romæ iacebant (quæque cum Annonariis nil commune habebant) reliquas deinceps, quæ ad læuam iacebant, recenſuros, vbi nonnullas nominaſſet, (puta Hetruriam, Vmbriam, Picenum & Flaminiam) breuitatis deinceps ſtudio, loco ſingularum quæ recenſendæ ſupererant, hæc ſubiicit περιληπτικῶς, *Omniſque Annonariæ regionis*, ac ſi dixiſſet, *&, ut compendio dicam, Annonariarum omnium Regionum.* Atquin quænam recenſendæ ſupererant? *Aemilia*

vtique,

Digitized by Google

vtique, *Liguria*, *Venetiarum* prouincia, *Hiſtria*, Non & Alpes: hoc enim ſeculu Alpes ab Italia ſeiunctas fuiſſe docet apertiſſime *lex 1. ſup de deſertorib.* ſilteni Graias, Pœninas, maritimas ex Ammiano Marcellino, Sex. Ruſo, Feſto, aliis. Iam tenemus itaque duobus argumentis, inter annonarias regiones, *Flaminiam*, *Æmiliam*, *Liguriam*, *Venetias*, *Hiſtriam*, & ſic quonam vſque procurrerint Annonariæ. At vnde earum initium? Nempe a Tuſcia & Piceno: Præterquam enim Hetruriam, Vmbriam, Picenum, (ſaltem partem earum) inter eas regiones referendas ex filo ipſo verborum Pollionis colligi haud obſcure poteſt, ita aliunde ſane idcompertiſſimum de Tuſcia, & Piceno. Tuſciæ enim annonariæ meminit Ammian. Marcellinus *lib. 27. cap.* 3. Gaius & Theodoſius *inter Auctores limitum pag. 260 edit. Rigalt.* & *pag. 253. edit. Goes.* & Pelagius Epiſc. Rom. *ep. anno 556.* & Iurnandes *de regnorum ſucceſſ. ſub ſ.* Sed & Ammianus Marcellinus *l. c.* Piſtorienſe oppidum nominatim in ea memorat. Piceni annonarii quoque mentio *in Notitia Imperii fol. 116.* Et hæc quidem adeo annonariæ fuere, vt ad diſcrimen cognominum prouinciarum Suburbicariarum Tuſciæ & Piceni, hoc cognomento *annonarii* diſtingui ſolitæ ſint, & ad errorem tullendum ab his qui accurate loqui vallent, diſtingui oportuerit. Quare confecta nunc res eſt, *Annonarias* videl. regiones partem Italiæ fuiſſe, in qua *Tuſcia*, *Picenum*, *Flaminia*, *Aemilia*, *Liguria*, *Venetia*, *Hiſtria*. Et ſane quis non aperte videt, Pollionem *Annonarias regiones*, ceu partem toti Italiæ opponere? Non enim exerte totius Italiæ prouincias ſeu regiones recenſens, inter eas memorat *Omnem annonariam regionem.* Haud aliter atque Sex. Aurel. Victor, Duplicem tributo-
P. 14 rum functionem in Italia faciens, vnam antiquam totuque olim Italiæ communem; alteram, Italiæ tantum parti propriam, apertiſſime *omnem Italiam*, & *partem Italiæ* diſtinguit? vt qui id negare auſint, medio die cæcutiant. Hæc illa igitur eſt Pars Italiæ, quæ alendo exercitui & Imperatori in ea parte, maxima temporis parte hærenti, a Maximiano deſtinata fuit, quod Sex. Aurel. Victor prodit. Hæ illæ Annonariæ Regiones: hæc illa tandem Italia: hi Itali, huius Italiæ poſſeſſores, quos vinum ad *Cellarii* (Principis ſcil.) vſus miniſtrare ſolitos, hæc Conſtantii *lex* teſtatur. Qua cauſa non temere ſorte Conſtantius *Italos ſuos* vocauerit *h. l.* Ab *omnibus Italis noſtris*, inquit: Sed & Conſtantinus M. pariter *l. 2. inf. de Extraordin. ſiue ſord. mun.* (quam Conſulari Æmiliæ & Liguriæ inſcribi nutandum eſt, pariter vt hanc obſeruandum eſt inſcribi ordini Cæſenatium) *Ab extraordinariis omnibus fundi patrimoniales atque emphyteuticarii per* Italiam Nostram *conſtituti habeantur immunes: vt canonica tantum & conſueta dependant, ad ſimilitudinem per Africam poſſeſſorum.* Nempe *hac l.* Conſtantinus M. fundos illos per Italiam Annonariam ab extraordinariis oneribus omnibus immunes eſſe voluerit, vtpote qui iam ſatis onerati eſſent Cannonica conſuelta functione annonaria, vt qui annonam ad Celarii vſus & Principis miniſtrarent: haud aliter atque Africani, eo quod annonam vrbi ſeu vrbicam ſubminiſtrarent, ea iam immunitate fruebantur. Quod rurſum probat *lex 1. inf. de extraordinariis.* Quod ſi ita eſt, iam altera hæc *huius Codicis* lex fuerit ad Italiam annonariam pertinens, & ſic tertium argumentum, quo Liguria & Aemilia Annonaria comprobetur. Alioquin cum Italia conſtitutionibus Imperatorum ſimpliciter nominatur, totum illud Italiæ ſpatium intelligitur: quo vrbicariæ tantum Regiones excluduntur: vt *l. 9. inf. de extraordin. mun.* Quanquam ſcio illud, *ſuis*, vel *Noſtri*, affectus Principalis teſtimonium eſſe poſſe: quomodo forte eiuſdem Conſtantini M. *lex 1 ſup. de his qui ſanguin.* inſcribitur: Italis Svis: & idem in conſtitutionibus ſuis & epiſtolis, Romam Svam vocauit.

Supereſt igitur illud hac parte, & ex *hac leg.* obſeruandum, ſpeciali *Italiæ* appellatione hanc Annonariam Italiam *huius l. initio* deſignari: *Cuncti*, inquit, *Italiæ poſſeſſores.* Nempe quadruplici ſignificatu *Italia* iam olim accepta. Primo pro tota, quanta eſt Italia, in qua Roma etiam cum Vrbicariis regionibus erat. Secundo imo etiam quandoque Sicilia, Sardinia, Corſica, Italiæ appellatione venere. Tertio pro Italia, quæ extra Vrbem Romam, ſuburbicarias regiones ſeu centeſimum miliarium & tres inſulas eſt (quod poſtremum euidentiſſime oſtendit *lex 9, inf. h. t. lex vn. inf. ſi per obreption. l. 9. inf. de extraordin. mun* & *lex 2. ſup. de integ. reſtit.* & *Notitia Imperii.* Quod negare ſanus & ſiccus nemo poteſt. Quarto *Italia* ſpecialius adhuc pro Italia Annonaria accepta: & vero hoc ſenſu *hac l.* exaudienda eſt, & ſic relatiue ex rei, qua de agitur, qualitate. Neque dubito, quin eodem ſenſu in Synodi Sardicenſis *ep. ad Alexandrinos* apud Athanaſium *Apol. 2. p. 756. edit. Lipſ. apud Weidm.* dicatur, ἡ ἁγία σύνοδος συναχθεῖσα ἀπὸ Ῥώμης καὶ Ἰταλίας, Καμπανίας, Καλαβρίας, Ἀπουλίας. Et Athanaſius ipſe prouincias recenſens, ex quibus Epiſcopi ad Synodum Sardicenſem conuenerunt, Ἰταλίας, Πικηνοῦ, Τουσκίας, Καμπανίας, Καλαβρίας, Ἀπουλίας, Βρεττίας, Σικελίας. Idem Athanaſius rurſum *ep. ad ſolitar. pag. 827 ed. cit.* de Epiſcopis, qui ſecum communicabant: ἀπό τε τῆς μεγάλης Ῥώμης, καὶ τῆς Ἰταλίας πάσης: Καλαβρίας τε καὶ Καμπανίας, Βρεττίας τε. Neque aliu ſenſu vetus chorographia facta, & ex Græco Latina reddita, poſt *Calabriam*, *Brittium*, *Lucaniam*, *Campaniam*, ſtatim ſubiicit: *Et poſtea*, inquit, Italiam: mox in ea vrbem *Romam* ponit, & *Tuſciam quæ proxime adiacet Campaniæ*: Tandem *Aquileiam & Mediolanum* in ea ponit. Mihi illud liquet, eos qui cautius poſt Annonarias inſtitutas locuti ſunt, *totam Italiam*, *omnem Italiam*, ἅπασαν Ἰταλίαν, ideo ferme dixiſſe, ne de hac ſpeciali Italia Annonaria ſenſiſſe viderentur, atſi hoc poſteriore Athanaſii loco aliter ſactum. Neque alio ſenſu in *Synodi Sardicenſis* ſubſcriptionibus *Tom. I. Concil. pag. 651. 652. 653. 654. Ed. Harduin.* dicitur: *Lucius ab Italia de Verona; Furtunatus ab Italia de Aquileia. Seuerus ab Italia de Rauennenſi, Vrſacius ab Italia de Brixia, Protaſius ab Italia de Mediolano.* Deinde, *Maximus a Tuſcia de Luca, Vincentius a Campania de Capua, Ianuarius a Capua de Beneuento, Calepodius a Campania de Neapoli, Stercorius ab Apulia de Canuſio.* Neque alio, *Arelatenſis Synodi* ſubſcriptiones

ones *Tom. I. Concil. ed. cit. pag. 266 267. Ex prouincia Italiæ ciuitate Mediolanenſi Merocles Epiſcopus: ex prouincia Campania de ciuitate Capuenſium Proterius Epiſcopus; Ex prouincia Apulia de ciuitate Arpienſium Epiſcopus Pardus.* Neqoe alio ſenſo Ambroſius *ep. ad Epiſcopos Italiæ* de S. Vitale & Agricola: *paſſi ſunt in ciuitate Bononiæ, prouincia Italiæ.* Neque alio ſenſu accipio *in l. 4. inf. de indulg. debit.* vbi dicam adhuc. Ex Synodi Sardicenſis interim ſubſcriptiooibus colligi quoque poſſe videatur, Italiam, & ſic aunonariam Tuſciam, *Lucam* non procuriſſe: ſed citerius hac parte conſtitiſſe.

Nunc de ipſa *huius legis* ſententia, in qua tria ſpectanda veniunt. Primum eſt, quod de Conſtantii fratris ſui ſtatuto imperator *hac l.* memorat: vbi ſane legendum *Conſtantis*, non *Conſtantii:* Eſt enim ipſe Conſtantius *huius leg.* auctor, cum iam frater ipſius Conſtans e medio ſublatus fuiſſet ante biennium; cui Italia parebat. Neque huic reclamaret *huius l.* inſcriptio: nam qoi *Conſtans* Conſtantio in ea iungitur, non Conſtantii frater, ſed fratruelis, id eſt Gallus Cæſar accipiendus videatur, cui *Conſtantis* nomèn inditum; de quo conſule *Conſularia Theodoſ.* Verum Conſtantis nomen forte penitus *hic* inducendum. Quodnam igitur Conſtantis ſtatutum illud fuit, id eſt, quidnam eo comprehenſum? quod contextus *legis* noo docet: generaliter enim ait, *Vinum, quod ad Cellarii vſus miniſtrari ſolet, cuncti Italiæ poſſeſſores, iuxta ſtatutum Conſtantii, fratris mei, comparent?* In ſubſidium itaque aduocanda eſt Inſcriptio, *Ordini Caſenatium.* Nam quo Ordini Cæſenatium tantum *hac lex* inſcriberetur, quæ eſt de vino ab omnibus Italis comparando, niſi ſtatutum Conſtantis Cæſenates nominatim ſpectaret? Quare mens ea mihi, hoc voluiſſe Conſtaotem, vt videl. vinum iſtod Cellarienſe Itali compararent a Cæſenatibus, quorum ager vrbi proximus generoſiſſimo vino nobilis fuit: Qua cauſa Plinius *lib. 14. cap. 6.* Cæſenatia vina inter generoſa Italiæ mediteraneæ memorat. Sed & Strabo qooque *lib. 5. p. 334. edit. Almelouen* hoc ipſo tractu maximam vini copiam fuiſſe ſcribit, eique rei argumento quoque eſſe ait vaſa vinaria lignea, adeo magna, vt domibus maiora eſſent. Proinde vt copia, ita nobilitate illuſtria fuere vina Cæſenatia: vnde oil mirum, ſi ad Cellarii ſui vſus Conſtans Imp. pri-
P. 15. mom, mox & Conſtantius ea comparari voluerint.

Secundo, comparationis iſtius modus obſeruandus; Nempe quia nimis oneroſum & operoſum graueqoe futurum omnibus Italis fuiſſet, ſi ipſimet hæc vina comparare cogerentur; Ideo, id vt fieri facilius poſſet, pecuniæ quantitatem in id conferre iuſſi Itali; cuius collationis quantitatem ſeu modum a Rufino P. Po. definitam obſeruari Conſtantius *hac l.* iobet.

Porro, quod poſtremum, hic ille eſt Rufinus PP. & quidem Italiæ, vt ex *hac l.* colligitur, ſub quo & Illyricum erat, cui inſcribitur A. D. 349. id eſt ante quinquennium *lex 3. Cod. Iuſt. de heredit. decurionum*, idque temporibus Conſtantis. Eidemque inſcribitur ſob Conſtantio ante biennium A. D. 352. *lex 5. Cod. Juſt. qui teſtam. fac. poſſ.* Eiuſdemque bienno poſt in geſtis A. D. 356. meminit Ammiaous Marcellinus, *lib. 16. cap.* 8. Itemque Epiphanius *hæreſi 51. ſiu. 71. cap. 1. pag. 829. edit. Colonienſ. apud Jerem. Schrey.* vbi Callicratem Exceptorem huius Rufini PP. memorat, qui A. D. 351. vel 357. collationi ioter Baſilium Ancyranum, & Photinum inter alios ταχυγράφυς interfuit. Tandem hic eſt Rufinus PP. quem A. D. 350. a Magnentio & Veteranione Tyrannis vna cum Marcellino, Nunechio, Maxiuno, ad Conſtantium Legatum miſſum, ſcribit Petrus Patricius in *excerptis legationum p. 20. Tom. I. Script. Rer. Byzant. edit. Venet.* quoque vno excepto cæteri io carcerem coniecti fuere. Alius vero ab hoc Aradios Rufinus, de quo Symmachi Patris carmen quis accipiat *in Auctuar. Symmachian. ep. 1.* vbi inter alia *v. 5. 6.*

Principibus, quorum viguiſti tempore, doctus
Aut calcaria ferre bonis, aut frana Tyrannis.

Hic ſcil. Aradius Rufinus eſt Præfectus vrbi ſub Maxentio & Conſtantino M. teſte Auctore *Notitia Præfectorum vrbi.* Sed nobis ſub vnom obtutum colligere iuuat, quæ mihi de hoc Rufino noſtro occurrunt, ſeruata annorum ſerie.

Sub CONSTANTE
An. D. 347.

Conſul fuit cum Euſebio.

An. Dom. 349.

PP. Italiæ fuit, vt docet hæc *lex 6.* Ei inſcribitur *lex 3. Cod. Iuſt. de heredit. Decurionum.*

Sub MAGNENTIO
An. D. 350.

Legatus a Magnentio & Veteranione miſſus ad Conſtantium, atque ab eo humaniter habitus. Petrus Patricius, *in Excerptis Legat. pag. 20. Tom. I Script. R. B. ed Venet.*

Sub CONSTANTIO
An. D. 352.

Ei inſcribitur *lex 5. Cod. Iuſt. qui teſt. fac. poſſ.* qua Eunuchis teſtandi facultas datur, exemplo omnium, id eſt, eadem ætate, qua cæteris.

An. Dom. 354.

Eius meminit Conſtantius Imper. cum affectus ſingularis teſtimonio: cuius & factum quoddam ſeu moderationem comprobat *hac l. 6.*

De eo v. & Amm Marcellinum in huius Anni Geſtis *lib. 14. cap. 10.*

An. Dom. 356.

Ammiaous Marcellinus eius meminit *lib. 16. cap. 8.* quem diuitiarum cupiditatis arguit.

Eidem inſcribitur hoc ipſo Anno *lex 1. ſup. ſi quis pecuniam conſ.* quæ dicitur *Acc. Conſtantina.*

An. Dom. 357.

Vide Epiphanium *hæreſi 51. ſiu. 71. cap. 1.*

Ex ſuperioribus interim liquet, quænam cauſa Annonariarum regionum inſtituendarum fuerit, ſeu vnde earum inſtitutum repetendum ſit, quæ deniqoe huius nominis cauſa ſit. Nempe ob Annonariarum ſpecierum penſionem in vſum Principum in Italia cum exercitu ferme commorantium, vt proinde inane hic commentum ſit, de Annonis in vſus Præſidum & Magiſtratuum, iam inde ab Auguſti æuo.

Pro

PRÆTER Privatas res noſtras, & Eccleſias Catholicas (c), & domum Clariſſimæ memoriæ Euſebij ex Conſule & ex Magiſtro equitum & peditum, & Arſacis Regis Armeniorum, nemo ex noſtra iuſſione præcipuis (d) emolumentis (e) familiaris iuuetur ſubſtantiæ: Datianus enim V. C. Patricius, qui hanc olim gratiam (f) fuerat conſecutus, auferri ſibi id cum tanta inſtantia depopoſcit, cum quanta alii poſcere conſuerunt. Ideoque omnes (*) penſitare debebunt, quæ manu (g) noſtra delegationibus (h) adſcribuntur, nihil amplius exigendi. (i) Nam ſi qui Vicarius, (k) aut Rector Prouinciæ, aliquid iam cuiquam crediderit remittendum, quod aliis remiſerit, de propriis dare facultatibus compelletur. Dat. xv. Kalend. Iul. Conſtantinop. (l) Conſtantino A. IV. & Licinio IV. Coſs. [315.]

NOTAE.

(a) Abeſt *huius legis* principium vſque ad *verſ. Ideoque omnes* à *Cod. Iuſtin.* Omiſit *Baronius* eam in annum ſuum referre. *GOTHOFRED.*

(b) *Proculianum.* Cod. Iuſt. An *Probianum*? Non puto. Præfectum Prætorio fuiſſe colligo, ex *fine legis*: vbi de Vicario & Rectore prouinciæ agitur: qui vtique ſub diſpoſitione Præfecti Prætorio fuere: tum etiam ex eo, quod ad Præfectorum Prætorio curam res tributaria ſpectauit: vt probat vel *lex* 3. 6. 9. 14. 15. 20. 21. 22. 26. 31. 33. 35. *inf. hoc titulo*: Zoſimus *lib.* 2. *pag.* 33. quoque de Præfectis Prætorio, eorum muneris fuiſſe ait, τὰς δασμὰς ἁπανταχοῦ φόρων διὰ τῶν ὑπηρετουμένων αὐτοῖς ἐκπράττειν, *vbique terrarum tributa per apparitores ſuos exigere.* V. & Ennodium *in V. Epiphanii*, *pag.* 1910. *Tom. I. Oper. Sirmond.* Tandem Præfectum Prætorio Orientis fuiſſe, colligo ex Arſacis Regis Armeniorum mentione *ID.*

(c) De hoc dicam mox *ID.*

(d) *Præcipuis*, id eſt, excipuis, immunibus: quodam præcipui præ aliis iure, *Ἐξαιρέτοις. ID.*

(e) *Emolumenta* rei annonariæ *l.* 1. *inf. fine cenſu. ID.*

(f) *Gratiam*, id eſt, immunitatem, indulgentiam: vt *l.* 26. *inf. ID.*

(*) *Lex* 4. *Cod. Iuſt. eod. tit.* hinc deſumpta eſt, *ID.*

(g) Hoc recte habet: pro quo in Cod. Iuſt. *manus noſtra. ID.*

(h) *Delegationes. h. l.* & *l.* 8. *inf. de extraordinar. l. vn. inf. ne conlatio per Logographos l.* 2. 3. 4. *inf. de Indictionibus l.* 22. *in f. de erog. mil. ann. l.* 54. *de Decurionib.* (quæ Delegatoriæ, *l.* 16. *inf. de exactionibus. l.* 21. *de erog. mil. ann.* Edictum, *l.* 34. *inf. h. t.* καθ' ἕκαστον ἔτος γράμματα, *edicta, quæ quotannis emittebantur*, Libanio *Orat. περὶ τῶν ἀγγαρειῶν, num.* 3. *pag.* 33. *edit. prima Gothofred.* & *pag.* 383. *Oper. minor. Gothofred. Edit. Cl. Trotz.* ſunt deſcriptiones, commiſſiones, quibus exigendarum annonarum & tributorum modus continebatur: Suidas recte voc. δελεγατίων. Δηλεγατίων κατὰ Ῥωμαίους ἡ ἐκλογὴ τῆς σιτοπομπείας, καὶ ἡ ἀννωνῶν μετακομιδή. *Delegatio. Sic apud Romanos vocatur procuratio rei frumentariæ, & annonæ transportatio.* Inde autem dictæ, non quod ex ablegari mittique in prouincias ſolerent, quod etiam Accurſius, Cuiacius, Briſſonius, aliique credidere: verum quod his delegaretur, id eſt, mandaretur exigendorum tributorum munus. Ita *delegata* Iuriſdictio, pro demandata. Plura ad *l.* 54. *inf. de decurionib.* & in *Gloſſario. ID.*

(i) *Exigendi*, omnes (poſſeſſores ſcil.) Quare etiam ineptum eſt, quod in *vulgatis Codicib. Iuſtin.* hic infartum, *vel remittendi poteſtatem eſſe*: quæ a *veteribus libris* recte abſunt; quod & Cuiacius & Contius iam monuit. De quo mox plura. *ID.*

(k) *Vicarios* reſpexit res tributaria: quod præter *leg. vn. de offic. Vicar.* inſuper docet *l.* 10. 11. 12. 13. 16. 17. 25. 30. *inf. h. tit.* Vicarios, inquam, Præfectorum Prætorio, de quibus vt alibi plena manu, ita & ex *h. l.* eos ſub initium Imperii Conſtantini M. iam fuiſſe liquet: de quo in Ἀπολύτῳ dixi plene aduerſus communem errorem, quo à Conſtantino M. primum conſtituti creduntur: Quibus vel *lex* 2 *C. Juſt. de pedaneis Iudicib.* eam in rem ſingularis, refutandis ſufficit. *ID.*

(l) Ireptitia vox, ex ſequentis vocis occaſione, vt hic, ita aliis pluribus *huius Codicis* conſtitutionibus. *ID.*

COMMENTARIVS.

CONSTANTINI M. tres Conſtitutiones (ſi modo prima hæc quoque Conſtantini eſt) primo loco occurrunt: ex quibus patet, hinc, quam anxio ſtudio Princeps hic *rei tributariæ*, ne fraus ei fieret, prouiderit, quo pertinet *lex* 1. & 2. inde, ne tributariæ rei obtentu miſeri prouinciales vexarentur, quo ſpectat *lex* 3. Hac prima vetatur regulariter IMMVNIS quiſquam ab annona & tributis haberi vel fieri a quoquam Magiſtratu. Quam in ſententiam eſt pariter *lex* 20. 25. 26. 33. 36 *hoc ipſo tit. l.* 6. 7. *ſup. de diuerſ. reſcriptis*, & Titulus integer *infr.* 12. *de Immunitate conceſſa*: Idque, ne beneficio quidem aut reſcripto Principis: *h. l.* & *d. l.* 10. *infr.* & *d. l.* 7. *de diu. reſcript.* & *d. tit. de Immunitate*: Ac multo minus Iudicum, quibus profligandorum ſeu exigendorum tributorum ſollicitudo imminebat, eiuſmodi erant Vicarii Præfectorum Prætorio, & Rectores prouinciarum: quod præter *hanc l.* docent aliæ complures *huius tit.* leges: docebit & *tit. inf. de Exactionibus*, & *l. vn. ſup. de off. Vicarii*: propoſita alioquin his pœna, tributa ipſa de ſuo ſoluendi.

Excipiuntur tantum *hac l.* quatuor: quorum duo priora priuilegium reale continent: poſteriora duo, perſonalia ſunt. Primum igitur excipiuntur, *Res priuatæ Principis*: quæ a tributis immunes ſunt, & eſſe debent; *h. l.* & *l.* 36. *inf. hoc tit.* Secundo excipit Imperator *hac l. Eccleſias Catholicas*: Quod quidem religioſum huius Principis inſtitutum fuit. Poſtea enim quum ſatis diuitiarum in Eccleſiam congeſtum ſecuti Principes credidere, Eccleſiæ quoque tributis obnoxiæ factæ ſunt: Conſtantii eam in rem *lex* 15. *inf. de Epiſcopis*. Honorii *lex* 40. *inf. d. t. de Epiſcopis*. De quo eſt & ſolemnis Ambroſii locus *in oratione de Baſilicis non tradendis*, *pag.* 104. *Tom. V. Oper. Edit. Paris. Cardinal. Felicis de Mont. Alto. Si tributum*, inquit, *petit*, (Princeps) *non negamus.* AGRI *Eccleſiæ ſoluunt tributum.* Quod etiam Vrbanus Papa agnoſcit 23. *q.* 8. *Canone, Tributum.* Vnde apparet, immunitatem hanc omnem in veteri Eccleſia Chriſtiana iuris poſitiui fuiſſe. Et hæc quidem ita de ipſis Eccleſiis: nam & Clerici, quamuis a muneribus ciuilibus immunes eſſent, attamen tributis ferme obnoxii fuere:

de

de quo dico *inf. tit. de Epiſcopis, Eccl & Clericis:* ac nominatim ad *l. 40. eius tit.* Cæterum *Catholicæ* nominatim Eccleſiæ *ꝑτῶς* hæc immunitas tributa ab Imp. *h. l.* pariter vt priuilegium, quod continetur *l. 4. inf. de Epiſcopis, Eccl. & Cler.* Similiter vt Eccleſiaſticorum priuilegia *l. 1. inf. de hæreticis:* de quo ad *eas leges:* Non igitur hæreticorum Eccleſiis & Eccleſiaſticis. Et hæc de duabus Immunitatibus realibus.

Perſonales duæ ſequuntur. Primum Imperator Immunitatem a tributis *hac l.* tribuit *Euſebii* Clariſſimæ memoriæ (qui proinde hoc tempore iam mortuus erat) Familiæ ſeu Domui: de quo Euſebio id tantum memoratur *hac leg.* eum Ex-Conſule & ex Magiſtro Equitum Peditumque fuiſſe. Huius Euſebii Conſulis, cum nulla in aliis Faſtis Conſularibus mentio fiat, vnus Auctor peruetuſtus Conſularium, & Notitiæ Præfectorum vrbis, meminit Anno Domini 311. his verbis: *Conſulibus, quos iuſſerint* DD NN. *Aug. ex menſe Septembri factus eſt Rufino &* EVSEBIO *V. Kal. Nouemb. Viuius Flauianus Præfectus vrbi.* Quinimo mens ea mihi hinc illum ipſum Euſebium, eſſe patrem Euſebii & Hypatii poſtea Conſulum, & Euſebiæ Conſtantii Imperatoris coniugis, de quibus videndus Ammianus Marcellinus, *lib. 21. cap.* 6. Similis porro huic eſt immunitas illa, quæ teſte Capitolino, Gordiani Familiæ a Senatu decreta, vt a Tutelis atque Legationibus, & a publicis neceſſitatibus, niſi ſi vellent, poſteri eius ſemper vacarent. Et vtrumque hoc immunitatis priuilegium, Euſebii & Gordiani domui tributum, reuocat mihi in mentem geminum, quod in Gallia memorant de *Odone le Maire, Eudone Maiore,* cognomento *De Challo S. Mars:* cui, poſteriſque eius tributa a Philippo I. vel Henrico I. Rege omnium tributorum immunitas, eo quod Regii voti Vicarius & deuotus, ac velut *ἀντίψυχ⊚ς*, ſacram peregrinationem, quam Rex vouerat, obiiſſet: de quo præter alios v. vel Chopinum *lib. 3. de ſacra Politia, tit. 2. n. 21. 22.* & Orationem *Brettii.* Quæ tamen ipſa immunitas, primo quidem Anno 1559. redacta fuit ad ea duntaxat, quæ terra mariue aut fluuiis vſus ſui cauſa vexiſſent: & Anno 1578. ad eas tantummodo vectigalis ſpecies, quæ in Gallia penſitabantur eo tempore, quo immunitas conceſſa fuerat. Tandem parum profuit quingentorum annorum poſſeſſio: nam quia ingens eorum numerus compertus eſt, qui per prouincias falſo ſeſe familiæ iſti adſcriberent, non minimo tributorum detrimento, abrogata penitus ea Immunitas eſt, æternoque ſilentio damnata, conſtitutione Regis Henrici M. A. D. 1601.

Altera *hâc l.* immunitas perſonalis eſt, *Arſacis Armeniorum Regis* Domus. Nempe vt ab antiquo Romani inter inſtrumenta ſeruitutis Reges etiam habuere; ita *Armeniorum* Reges iam ab antiquo Romanorum fœderati & amici, etiam in obſequio Imperatorum hac Conſtantini M. & Conſtantii tempeſtate, & deinceps Iuliani quoque fuere. Sane Zoſimus (quod ad hanc *leg.* noſtram proxime facit) *lib. 2. cap. 27.* poſt Licinianum bellum, octennio ferme poſt æram *huic legi* ſubſcriptam, aperte indicat, Regem Armeniorum Conſtantino fœderatum & amicum fuiſſe, vbi hiſtoriam illam iucundam narrat de Hormiſda Perſarum Regali opera Armeniorum R. ad Conſtantinum euadente. Iulianus quoque *oratione 1. in Conſtantium, pag. 58. edit. Petau.* & *pag. 18. in fin. edit. Lipſ. Spanhem.* Ἀρμενίους παλαιοὺς συμμάχους, *Armenios veteres ſocios* Romanorum vocat: Vide eundem *pagg. aliquot ſeqq.* Ammianus Marcellinus *ibidem* in rebus Conſtantii *lib. 20. cap. 11. in Geſtis Anni 360. Conſtantius,* inquit, *accitum Arſacem Armeniæ Regem, ſummaque liberalitate ſuſceptum præmonebat & hortabatur, vt nobis Amicus eſſe perſeueraret & fidus. Audiebat enim ſæpius eum tentatum a Rege Perſarum fallaciis, & minis &, dolis, vt Romanorum ſocietate poſthabita, ſuis rationibus iungeretur. Qui crebre adiurans, animam prius poſſe amittere, quam ſententiam, muneratus cum Comitibus quos duxerat, rediit ad regnum nihil auſus temerare poſtea promiſſorum, obligatus gratiarum multiplici nexu Conſtantio: inter quas illud potius excellebat, quod Olympiada Ablabii filiam Præfecti quondam Prætorio, ei copulauerat coniugem, ſponſam fratris ſui Conſtantis.* [Hoc Conſtantio exprobat Athanaſius, *ad ſolit. vit. ag. p. 856. Tom. I. Oper. Edit. Lipſ. apud Weidm.*] *Quo dimiſſo a Cappadocia, ipſe per Melitinam, minoris Armeniæ oppidum, & Lacotena, & Samoſata, tranſito Euphrate Aedeſſam venit.* Idem Ammianus in rebus Iuliani Anno 363. *lib. 23. cap. 2.* vbi de procinctu Parthico loquitur; *Inter hæc,* inquit, *legationes gentium plurimarum auxilia pollicentium, liberaliter ſuſcepta remittebantur &c. ſolum Arſacem monuerat Armeniæ Regem, vt collectis copiis validis iubenda opperiretur, quo tendere, quid deberet vrgere, propere cogniturus.* vid. eundem *lib. 21. cap. 6.* Idem *lib. 25. cap. 7.* in eiuſdem Anni geſtis; *Ne,* inquit, *Arſaci poſcenti contra Perſas ferretur auxilium Amico nobis ſemper & fido:* Et cætera quæ *ibi* narrat de hoc Arſace viuo capto a Perſis. Sane & huc illud facit, quod de Scholaribus notamus ad *l. 8. inf. de annonis ciuicis.* Ex *hac* interim *l.* apparet, Armeniorum hunc Regem in Romania ſeu orbe Romano, bona quædam poſſediſſe: quæ *hac leg.* immunitate ab annonis & tributis donantur.

Atque hæc quidem quatuor immunitates ſolæ *hâc l.* excipiuntur, reuocatis cæteris omnibus, & in his etiam ea, quæ iam olim *Datiano V. CL. Patricio conceſſa fuerat.*

Quis autem hic Datianus fuit? qui & Patricius *hac l.* vocatur. In libello ſane *de munificentia Conſtantini,* & apud Anaſtaſium *in Sylueſtro,* fit mentio domus *Datiani Antiochiæ,* quam Conſtantinus B Petro donauerit: Sed & Datiani mentio in *hymno 5. v. 130. ſeu paſſione Vincentii* apud Prudentium: & Præſidis Datiani in *Martyrologio,* 22 *Ianuarii.* Et hæc de Datiano ſub Conſtantino M. vel circa eius tempora. Sub Conſtantio quippe memoratur quoque *Datianus* Comes, magnæ apud illum authoritatis, quique inter alios per Epiſtolam Athanaſium hortatus dicitur, vt ad Conſtantium vocatus veniret, teſte Athanaſio *ad ſolit. vit. ag. pag. 813. T. I. Oper. edit. Lipſ. apud Weidm.* v. & Epiphanium *hæreſi 71. num. 1. pag. 829. Tom. I. Oper. edit. Colon. apud Ierem. Schrey.* Hic idem & ſub eodem Conſtantio cum Cereali conſul fuit A. D. 358. De priore illo, cuius domus Antiochiæ,

hæc

Digitized by Google

hæc *lex* accipienda videatur, vtpote cui hic quoque iungatur *Rex Armeniorum. Patricius* vero hic idem vocatur, quæ antiquiſſime alioquin Patriciorum mentio mihi occurrit: de quo alibi *plene*. Poſterior vero hic Datianus Patricius inter Valentiniani quoque initia memoratur a Philoſtorgio *lib. 8. c. 8.* vbi ait, inter alios, eius ope, conſilio, Valentinianum Imperatorem factum, quod etiam Nicephorus ex eo habet *lib. 11. c. 1.* Idemque Philoſtorgius ait, hunc Datianum Patricium per literas conſilium præbuiſſe ex Galatia, vbi ob ſenium hyememque (a Iouiano ſcil.) relictus fuerat: vbi & apud Ancyram Valentinianum ipſum relictum ſcribit Am. Marcellinus *lib 26. cap. 1.* Libanius tendem, *Orat. inedita, ὑπὲρ Θαλασσίου* multos alios memorat, qui (ſub Conſtantio) a ſordidis pene natalibus ad ſummum faſtigium peruenerunt, Philippum, *Datianum*, Taurum, Helpidium, Domitianum, Dulcitium. Et vero de hoc Datiano hanc *leg.* accipio.

Memorabile cum maxime de eo, quod hic narrat Imperator, eum immunitatem ſibi olim tributam tanta inſtantia auferri depopoſciſſe, cum quanta alii poſcere conſuerunt. Vtilem vero Reipub. virum, inuidiæ tantum non euitandæ. Non abſimilis alioquin apud Iuſtinum antitheſis de Scythis *lib. 2. c. 2. Aurum & argentum perinde aſpernantur, ac reliqui mortales appetunt.* Et Sidonius, *lib. 2. Epiſt. 13.* de Damocle; *Illa refugit celeritate diuitias delitiaſque regales, quæ ſolent appeti.*

Atque hæc quidem hactenus, quorum multa ſuadere videntur, vti credamus ſubſcriptionem & Conſules *huic l.* ſubnotatos emendandos videri, Conſtantioque Imperatori eam adſcribendam, in cuius tempora trium virorum *Euſebii* inquam & *Arſacis* & *Datiani* Patricii nomina incidunt. Verum nil temere nunc mutem: Maxime cum videam, Eccleſias *Catholicas* hic memorari, & immunitate donari, quod Conſtantio non conuenit, verum Conſtantini ſtudio: de quo iam *ſupra*.

Itaque dicendum fuerit, *Arſacem* Armeniorum Regem etiam in ea Imperii Romani parte, quæ Conſtantino parebat, quædam poſſediſſe: & Conſtantino quoque amicum fuiſſe.

Nunc ad ſententiam *legis* redeamus. Cum hæc *lex* ſit de *Immunitate* ſeu remiſſione nemini concedenda *a quocunque Magiſtratu*, imperite omnino faciunt, & in his Amaya nuper, qui de indicendorum tributorum poteſtate, ad quem ea pertineat, hic ἀπροσδιονύσως, & prolixe, neque aliud ferme tractant. Vt & illud imperite, quod poſt illa *huius l.* verba, *in fine*, *nihil amplius exigendi*, hæc quæ in nonnullis *Codicibus* Iuſtinianeis infarta ſunt, *vel remittendi poteſtatem eſſe*, quæ a veteribus & melioribus *libris* abſunt, idem Amaya tuetur, aduerſus Cuiacii, Contii, & parentis mei mentem, ſpretaque *huius Codicis* & *Legis* auctoritate. Et quidem inepta ratione, quæ inſcitiam eius arguit. Nempe quod ſi hæc verba deeſſent, minime congrueret verſus ſequens: *nam ſi qui &c.* totuſque eius contextus. Imo enim optime congruit. Nempe cum præcipuam ſibi hanc curam Conſtantinus *hac l.* indixiſſet, vt omnes ad tributa tenerentur, neque quidquam eorum a Iudicibus remitti poſſet, obiter tantum & velut per parentheſin id pro ſolatio addidit & inſeruit, ſcil. quod retro etiam nihil amplius quam quod delegatione ſua contineretur, exigi ab his poſſet: *nihil amplius*, inquit, *exigendi*: Quibus non ideo minus recte ſubiicitur verſiculus, *Nam ſi qui* &c. qui omnino cohæret cum illis, *omnes penſitare debebunt, quæ manu noſtra delegationibus adſcribuntur.* Sed quid cum hoc homine congredior, qui aperte pronunciat, *Libri veteris & Codicis Theodoſiani auctoritatem tanti apud ſe non eſſe, vt a fide Pandectarum Florentinorum recedat, & cogatur iurare in librum a muribus ſemicomeſum. Abſint tales ſententiæ.* Vbi etiam quod de *fide Pandectarum Florentinorum* hic addit, imperitiſſime facit: Quid enim *Pandectis* & quidem *Florentinis*, cum Codicibus *Conſtitutionum?*

De APOCHIS *tributorum ſolutorum, aduerſus falſas & imaginarias.*

II. (a) Idem A. ad Ælianum Proc. Afric. (b)

POSSESSORES, cum ſatisfecerint publicæ conlationi, cautiones (c) ſuas ad Tabularios publicos deferant: vt eas Tabularii, ſiue Sexagenarii, (d) periculi ſui memores, ſuſcipiant a conlatoribus (ipſas ſpecies, quæ debentur, ex horreis ſuis ad ciuitates ſingulas, per menſes ſingulos perlaturis) ne inlatio tributorum ex ſolis apochis (e) falſis (f) vel imaginariis cognoſcatur: *& cetera.* Dat. Kal. Nou. Treu. Conſtantino A. IV. & Licinio IV. Coſs. [315.]

NOTAE.

(a) Abeſt hæc *lex* a *Cod. Iuſt.* Iungenda illi eſt *lex 1. inf. de exactionibus. GOTHOFRED.*

(b) *Ælianus* Proc. Africæ ſub Conſtantino M. Eidem hoc Anno inſcribitur, *lex 2. ſup. de conuſſ. adu.* & *l. 3. ſup. de adu. fiſci.* Eius meminit Conſtantinus M. ipſe, apud Auguſtinum in *Epiſtola* 68. (hv. 88. edit. Benedictin.) ad Probianum Proconſulem Africæ huius ſucceſſorem, & *lib. 3 contra Creſconium cap. 70. pag. 476. Tom. IX. Oper. edit. Benedictin.* Denique hic eſt qui Anno 314. cauſam Felicis Aptungitani iudicauit. Vide Optatum Mileuitanum *de Schiſmat. Donatiſt. cap 27. ID.*

(c) *Cautiones*. i. apochas, vt mox, *fine legis*, & *l.* 19. 32. *inf.* Alias *Securitates* vocantur. *d. l.* 19. & *l.* 273. 285. *inf. de decurionib. ID.*

(d) De iiſdem agitur. *d. l. 1. ID.*

(e) Sup. *cautiones* vocantur, verum ita quoque vocantur, *l.* 19. 32. *ID.*

(f) Falſis forte. *ID.*

COM-

COMMENTARIVS.

APOCHÆ illationis tributorum, id eſt, cautiones, ſecuritates, profeſſiones, chirographa, *quittantiæ* tributorum ſolutorum, ne falſæ aut imaginariæ forte emittaotur, & ſic illationi tributorum fraus fieri poſſit, accurata forma hac Conſtantini M. conſtitutione inducitur: vt vice verſa, idem ſedulo cauit, ne Prouinciales ſeu Collatores concuterentur, *l. 1. inf. de exaction.* quæ huic eſt conjungenda; quo etiam pertinet eiuſdem *lex 1. inf.* Eiuſdem ſcilicet prouidentiæ eſt, cauere, ne quo commento tributis fraus fiat, ne quo tributariis.

Falſis igitur Apochis hac ratione occurrit, ſcilicet ſolutione facta ſuſceptori tributorum, Apochas a Suſceptore acceptas ad Tabularios vel Sexagenarios deferri iubet. Nempe *Tabularii* erant ii, qui publicas chartas tractabant, qui Breues & λογαϱικά, polyptica conficiebant tributorum, vt docet vel *d. lex 1. inf. de exact.* (de quibus alioquin pecularis fuit *titulus 2. lib.* VIII. *ſup.* & de iiſdem agitur *leg. 11. 13. inf. h. tit.* & *l. 30. inf. de ſuſceptor.*) Quare Tabularii hi chartas iſtas ſeu Breues ſub tempus exactionis faciendæ dabant exactoribus, quorum vt varia nomina fuerunt, vt oſtendit *d. lex 1. inf. de exaction*, ita de eorum numero fuerunt qui dicebantur *Sexagenarii*, (quorum fit etiam mentio *d. l. 1.* vbi de his dicam pleniſſime.) Igitur, ſolutione tributorum facta ſuſceptoribus, ne qua fraus inter Tributarios & Suſceptores interueniret, falſis forte vel imaginariis Apochis emiſſis, voluit Conſtantinus M. has Apochas deferri ad Tabularios vel Sexagenarios, penes quos erant *Breues* illationis faciendæ, quod & poſtea deinceps obtinuiſſe docet *lex 27. inf. de ſuſceptorib.* v. item *l. 2. inf. de diſcuſſorib.* vt ita Apochæ, cum Breuibus collatæ, de rei veritate fidem facere poſſent, & inſpectis, ſecundum Apochas & Breues, ipſis ſpeciebus illatis. Solæ Apochæ fidem facere non poſſunt, quia fictæ eſſe poſſunt: vnde & εἰκονικὴ ἀποχὴ Lucilio, *lib. 2. Ανθολογ. cap. 36. εἰς Νομικὸς. Epigrammat. 1. v. ult. fol. 93. verſo edit. Aldin.* Qua ipſa cauſa etiam inter priuatos ſola Apocha debitorem non liberat, vt apparet ex *l. 46. § 5. D. de adminiſtr. tut.* & *l. 19. D. de acceptilat. l. 13. C. Juſt. de ſolutionib.* Quid igitur? quæ ſola fidem facere non poteſt, fidem faciet ipſi Breuibus admotis, & ſecundum vtrumque αὐτοψία. Quod de perlatione ſpecierum ad ciuitates ſingulis menſibus, additur, id alibi explicabitur.

ADSCRIPTIONIS *modum (ad ſuperexactionem euitandam) Rectores Prouinciarum propria manu deſignare debere.*

III. (a) Idem A. Gregorio PF. P. (b)

MANV propria Iudices (c) vniuerſi, periculo (d) ſuo, annonarias ſpecies & cetera quæ indictione (e) penduntur, definitis quantitatibus, & conprehenſis modis, facta adſcribtione, deſignent: Cuius obſeruantiæ illa erit commoditas, vt, poſt ſuccesſionem (f) quoque eorum, facile requiratur (g), an Exactores, vltra quam oportuit, de fortunis Prouincialium aliquid exculpere voluerunt. Dat. VII. Id. Octob. Nepotiano & Facundo coss. (336)

NOTAE.

(a) Abeſt hæc *Lex* a *Cod. Iuſtin. GOTHOFRED.*

(b) Eidem *Gregorio* inſcripta hoc ipſo Anno Conſtantini M. conſtitutio *de naturalibus liberis & matribus eorum*, quæ prima eſt *Cod. Iuſt.* Cujus etiam meminit Iuſtinianus *Nouell.* 89. *cap.* 15. Meminit & Valentin. *l. 1. ſup. de natural. filiis.* Eidem inſcribitur Anno proximo *lex 2 ſup. de contrahen. empt.* Denique hic eſt ille Gregorius Præfectus, de quo, & conuiciis in eum Donati, Optatus Mileuitanus *lib.* 3. *cap.* 10. Et vt omnino cenſeo, PP. Italiæ, ſub quo Africa erat. *ID.*

(c) *Iudices*, id eſt, Rectores Prouinciarum. *ID.*

(d) Sic & in *leg. 2. ſup. periculi ſui memores. ID.*

(e) Facta, ſeu ea indictione. *ID.*

(f) Id eſt, poſteaquam ſucceſſum eis in Prouinciæ adminiſtratione fuerit: Neque enim mutem cum verbo, *ſeceſſionem. ID.*

(g) *Reſciatur*, & conſtare poſſit. *ID.*

COMMENTARIVS.

VT ADSCRIPTIO, ſeu modus annonarum & tributorum (de qua plena manu *in paratitlo*) Rectorum Prouinciæ diſpoſitione fiebat, *l. 3. 4. inf. de extraordin.* ita factum propria manu deſignare iidem Rectores hac Conſtantini M. conſtitutione iubentur, pariter vt altera eiuſdem conſtitutione *l. 4. inf. de extraord. ſiue ſord. mun.* Nec abſimile quod *fine d. legis 4.* caoetur, vt videlicet idem Rector prouinciæ ſubſcribat encautis, id eſt, libris cenſualibus ciuitatum & Prouinciarum, quæ & *Encautaria* dicuntur *l. vlt. inf. de cenſu:* ſine adſcriptione, quæ a Tabulariis ciuitatum conficiebantur, vt docet *lex 1. & d. lex vlt. inf. de cenſu.* Idque, quod Conſtantinus ipſe *hac l.* profitetur, vt Magiſtratu ſeu adminiſtratione decedentibus Rectoribus, adhuc P. 10.
explorari & reſciri poſſit, cum exactores Prouinciales ſuperexegerint. Hac igitur quoque inter cæteras ratione ſuperexactionibus occurſum voluit Conſtantinus M.

Digitized by Google

De ΕΠΙΒΟΛΗ, *ſeu* ADIECTIONE *ſterilium fundorum ad fertiles, ex eodem iure manantes.*

IV. (a) Imp. Conſtantius A.

SI quis ab Emphyteuticariis, (b) ſeu patrimoniali poſſeſſore, priuati iuris quippiam comparauerit, cuius ſubſtantia (c) alias poſſeſſiones ſuſtentare conſueuerat, & ſucciſis quaſi quarundam virium neruis reliqua (d) lababuntur, (e) earum poſſeſſionum onera ſubiturus eſt, quæ penes diſtractores (f) inutiles permanebunt. Dat. VIII. (g) Id Decemb. Theſſal. Feliciano & Titiano coss (337.)

NOTAE.

(a) *Lex 2. C. Iuſt. de omni agro deſerto, & quando ſteriles fertilibus imponantur.* forte huic iungenda *lex 7. de exact.* GOTHOFRED.

(b) *Emphyteuticario*, Cod. Iuſt. *ID.*

(c) *Τριτώσεως*, fertilitas, opimitas, fœcunditas, docet. *ID.*

(d) In Tiliana & Cujaciana editione perperam, *reliquam. ID.*

(e) *Labuntur*, Cod. Iuſt. male. *ID*

(f) *Diſtractorum inopum*, Cod. Iuſt. *ID.*

(g) Al. III. *ID.*

COMMENTARIVS.

ΕΠΙΒΟΛΗ quædam STERILIVM fundorum ad fertiles hac conſtitutione a Conſtantio Imp. inducitur: de quo ἐπιβολῆς iure moreque tres aliæ extant *hoc Codice* conſtitutiones: puta *l. vn. de Saturianis, lex 31. inf. & l. 4. ſup. de locat. fund. emphyt.* quæ duæ poſtremæ vna cum hac noſtra, *Codice Iuſtinianeo* in ſingularem *Titulum* coniectæ ſunt, puta *Titulum de omni agro deſerto, & quando ſteriles fertilibus imponantur*: ſub quo ipſo *titulo* hæc quoque *lex* poſita eſt. De eadem ἐπιβολῆ exſtant & Iuſtiniani *Nouellæ* quædam: puta *Nouella 128. c. 8.* duæque aliæ a Cuiacio reſtitutæ περὶ ἐπιβολῶν 166. & περὶ ὁμοδούλων 168. Videndus & Suidas, *in voce*, ἐπιβολή, & Conſtantinus Harmenopulus. Ἐπιβολὴ eſt *Adiectio*, vt vocatur *l. vlt. Cod. Iuſt. de omni agro deſerto*, quoties opimos & fœcundos ſeu fertiles fundos ex eodem iure manantes, ex iiſdem bonis, ex eadem ſubſtantia, ὁμοδούλους, ὁμονύμους, *de la meſme baillée* manantes, poſſidenti, deſerti, inutiles, defecti, minus idonei, deſtituti, afantici, ſœnei, ſteriles, infertiles, ἄποροι adiunguntur: & ſic hac ratione, bonorum malorumque mixtura quædam, ſeu bonorum conſolidatio fit, hiſque ita conſolidatis, is cui adiectio hæc facta eſt omnium ex æquo bonorum nomine tributa ſoluere cogitur: Ne alioquin, vt hæc *lex* eleganter loquitur, *poſſeſſionibus, quarum ſubſtantia alias conſueuit ſuſtentare, ad alium translatis, & inutilibus penes alium permanentibus; ſucciſis quaſi quarundam virium neruis, reliqua labantur*: i. inutiles oneribus & tributis reſideant. Quod vtique ſæpe eueniebat, Reipubl. damno, hac videl. ratione ſeu fraude quod locupletes ſœcundos pauperiorum agros per impotentiam, vt loquitur *lex 8. inf. de cenſitoribus*, vel momentariis eorum neceſſitatibus captatis, ad ſe traherent; vt docet quoque *lex 1. inf. ſine cenſu*: & elegantiſſime *d. lex 8.* & compararent, inutilibus ſolis, & ſœneis, qui tributis agnoſcendis impares erant, penes eoſdem inopes dominos relictis. Quare cum ea re res tributaria haud parum concideret, ad ἐπιβολῆς ſeu Adiectionis iſtius æquitatem & æqualitatem vt expreſſe dicitur *d. l. 8.* ſubinde decurſum. Atque vt cæteroquin id factum (quod etiam probatur *l. 31. inf.* ibi, *quæ ex eiſdem bonis quæ retinent eſſe monſtrantur*) ita in *Emphyteuticariis* nominatim, & patrimonialibus poſſeſſionibus, priuatæ denique rei fundis factum: vt patet ex hac nominatim Conſtantii conſtitutione: idque quod conicere licet, per Sardiniam: v. quæ dico ad *l. 7. inf. de exactionibus*: vt ita eadem lege & conditione, & vt proprio verbo vtar, ſub eodem *canone*, in nouos dominos infertiles migrent, quo primum in priuatos translati fuerant: canone videl. non huic aut illi poſſeſſionis regioni vel loco impoſito; verum, vt Tertullianus loqueretur, vniuerſitati & *maſſaliter*, i. ieiunorum compenſatione facta: Nempe, cum Emphyteuticarii & patrimoniales *fundi*, in priuatos transferebantur, ſub canone certo elocabantur: de quo ſuo *tit. ſup. lib. 10. de locat. fundorum iuris emphyteut*, ita quidem vt toti poſſeſſioni canon in ſingula iugera imponeretur: & æqualiter quidem, in ipſa impoſitione compenſatione quadam & æſtimatione facta fertilium & ieiunorum. Exinde poſſeſſores nonnulli fertiles ſolos in ditiores & potentiores transferebant, iiſque vendebant; neque ideo maiorem tributi modum ſoluebant, ſed canonem tantum impoſitum in ſingula iugera: ſterilium vero fundorum Domini nihi ſoluebant. Ideo ad hanc ἐπιβολὴν, & Adiectionis æquitatem & æquabilitatem deuentum. Et hæc quidem eſt huiuſce *legis* Sententia, quam Cuiacius non cepit: qui in ſp. *huius l.* non emphyteuticum vel patrimonialem fundum venditum putauit, ſed ab emphyteuticario vel patrimoniali poſſeſſore, priuatum fundum tacito tantum hypothecæ iure nexum: quem vt lectio *Codicis Iuſtinianei* facilius in errorem induxit, ita potiſſimum *priuati iuris* in *hac l.* appellatio, quæ ſane patrimonialis & emphyteuticaria poſſeſſio ſignificatur, *priuati* ſcil. *iuris*, id eſt, patrimonii Principis. Idem vero in eo errat, quod vocem *reliqua* in *hac l.* interpretatus eſt de tributorum reliquis: cum reliqua *hac l.* ſint reliquæ poſſeſſiones. Proinde tertio peccat, cum hac ratione *hanc leg.* titulo,

tulo, *ſine cenſu vel reliquis fundum comparari non poſſe*, aptat. Igitur Accurſianæ Interpretationes omnino retinendæ, ſunt. Hanc vero ἐπιβολὴν e Græcis quoque multi minus proprie intellexere, cum eam factam vel impoſitam ſcripſere, vel πλησιοχώροις ἢ γείτοσι, vicinis prædiorum defectorum, vt Simeon Metaphraſtes apud Alemannum in Procopii ἀνεκδότοις *c. 23. pag. 376. Edit. Venet. inter Script. R. B.* vel συντελεσταῖς κατὰ ἀναλογίαν τῆς ἑκάστου δυνάμεως, vt Cyrillus Scythopolitanus *apud eundem p. 376. edit. cit.* vel τοῖς τὰ χωρία κεκτημένοις, P. II. vt Procopius ἀνεκδότοις *cap. 23.* & ex eo Suida *in v.* ἐπιβολή, qui & Iuſtinianum primum ἐπιβολῆς auctorem facit: ἐπιβολὴ enim tantum fiebat & erat fundorum ex eodem iure manantium: De qua ἐπιβολῇ ad praxin Gallicam multa egregie V.C.L. Loiſeau *du Deſguerpiſſement lib. 5. c. 2. de l' adiection ou ſurcharge & accroiſſement des Terres deſguerpies.*

EXTRAORDINARIÆ *cuidam pecuniarum indictioni, nè quis ſe ab ea immunem putaret*, Ordinariæ *ſeu* Canonicæ *nomen inditur a Conſtantio.*

v. (a) Idem A. ad Vranium (b).

OMNES omnino ad oblationem (c) pecuniarum (d) oportet vrgueri: Lege enim noſtra ſignatum (e) eſt, nec eſſe *Extraordinaria*, nec vocari, quæ ſpecialiter (f) a Prouincialibus deuotiſſimis (g) conferenda ſunt. Dat. III. Non. Feb. Conſtantio A. II. & Conſtante coss. [339.]

NOTAE.

(a) *Lex 5. C. Inſt. eod. tit.* Concordat prorſus huic l. *lex 2. inf. de indictionibus.* GOTHOFRED.

(b) *Vranius* hic quis? *ID.*

(c) *Oblationis* vox propria, quæ non extat. *ID.*

(d) *Functionum publicarum*, ita Tribonianus immutauit in *Cod. Inſt. ID.*

(e) Id eſt, nominatim & ſignanter expreſſum, ſeu aperta definitione, vt loquitur *lex 2. inf. de indictionib.* v. Gl. in voc. *ſignare. ID.*

(f) *Solenniter*, ita Tribonianus. Plane, contra *huius l* ſententiam. Specialiter autem, id eſt, ſpeciali affectu & deuotione, & ineuitabili neceſſitate: v. *Gloſſ. Theod. ID.*

(g) Vox hæc hac in re propria. Vide *Gloſſarium Theodoſ. ID.*

COMMENTARIVS.

EXTRAORDINARIIS ab indictionibus cum regulariter quædam perſonæ immunes ſint, ſaltem ab extraordinariis ſiue ſordidis muneribus, quandoque tamen ea Reipub tempora incidunt, vt tum pecuniarum, tum & aliarum ſpecierum ſuperindictum ſeu Extraordinaria collatio & oblatio ita deſideretur, vt ab his quoque nemo immunis eſſe debeat. Quod in *huius l.* ſpecie ſtatuitur. Eum vero in finem quia euenire ſæpe ſolebat, ab huiuſmodi *ſuperindicta* excuſatos ſe nonnulli vellent, tanquam ab extraordinario munere, & appellatione *Extraordinarii*, velut Gorgonis capite obiecto, vel panno rubro efferati, collationem illam defugerent, & priuilegia ſua obtenderent, ea re viſum Principibus quandoque rei atrocitatem & inuidiam verbi lenitate mollire: ac nominatim cauere, ne *Extraordinaria* aut dicerentur aut crederentur, etſi *ſuperindicti* nomine exigerentur, quin potius ordinaria ſeu Canonica cenſerentur, vt ita omnes huic neceſſitati parerent, amoto omni priuilegio quæ ordinariorum munerum *lex* eſt: v. *tit. D. de vacat. & excus. mun.* Id vero præſtat *hac l.* Conſtantius, quod & ipſum præſtitit quoque poſtea Honorius gemina germana *lege 2. inf. de indictionibus*, pari occaſione & neceſſitate.

Hanc ſane pertinere exiſtimo ad apparatum belli Perſici hoc anno, quo pecuniarum ſuperindicto opus fuit. Sic enim Iulianus *orat. 1. pag. 67. & 68. edit. Petau. ſiu. pag. 21. edit. Lipſ. Spanhem.* de eo ad Conſtantium loquitur: τοῦ πολέμου, inquit, ΧΡΗΜΆΤΩΝ, καὶ σιτηρεσίου, καὶ χορηγίας λαμπρᾶς δεομένου, ὑπάρχοντος δὲ οὐδενὸς σχεδὸν τῶν τοιούτων, αὐτὸς ἐξεῦρες καὶ κατεστήσω. hic vocem: ΧΡΗΜΆΤΩΝ δὲ εὐπόρους οὐκ ΑΥΞΩΝ τοὺς φόρους. οὐδὲ τὰς συντάξεις, καθάπερ Ἀθηναῖοι πρόσθεν, ἐς τὸ διπλάσιον, ἢ καὶ ἐπὶ πλεῖον κατέστησας, ἐμμένων τοῖς ἈΡΧΑΊΟΙΣ, πλὴν εἴ που πρὸς βραχύ, καὶ πρὸς τὸν καιρὸν, ἐχρῆν αἰσθέσθαι δαπανηροτέρων τῶν λειτουργημάτων. Id eſt, *cum bellum* PECVNIAS *& annonam, & expenſas in gentes exigeret, nec eorum quicquam ferme ſuppeteret, ipſe adinuenisti & conſtituiſti. Pecuniarum ſinus excogitaſti, non quidem auctis Tributis, & penſitationibus, prout Athenienſes olim, in duplum, vel etiam vltra conſtitutis, verum antiquis inhærens, niſi ſicubi ad breue tempus, & neceſſitatem, functiones grauiores ſubeundæ eſſent.*

Ex his iam liquet, Tribonianum interpolatione ſua *huius leg.* ſenſum penitus immutaſſe, relata ea ad *functiones publicas, & ſolemnes*, quas ideo etiam voces hic ſubſtituit. Qua cauſa quæ ad *eam l.* a *Cod. Iuſtin.* Interpretibus notantur, huc nequicquam faciunt. Quia & Cuiacius ipſe haud ſatis caute *hanc leg.* interpretatus videtur. Quare hinc ſimul liquet, non tantum de *huius Codicis* vtilitate, verum etiam de Hiſtoricarum cauſarum vſu & neceſſitate, in his Conſtitutionibus probe intelligendis: quæ niſi ad *hanc leg.* adhiberentur, falſa omnino ea videri poſſet: Ecquis enim alioquin dubita-

dubitare poſſet: *Extraordinaria* ea omnino eſſe quæ extra ordinem imponuntur, quod tamen hic deſerte negatur? Nempe Conſtantius Politico ſcemmate, vrgente neceſſitate, extraordinariam illam & ſpecialem collationem ad apparatum belli Perſici, cæterarum extraordinariarum collationum nomine exemptam iuit: quandoquidem ea ſumma Reipubl. neceſſitate vrgente exigeretur: & vt ipſe ait, SPECIALITER *a Prouincialibus* DEVOTISSIMIS *conferenda eſſet*, id eſt, quam pro Imperii defenſione, atque adeo *deuotione*, quæ Imperio debebatur *ſpecialiter*, id eſt, ſpeciali affectu & ineuitabili neceſſitate conferri oportet. Eo ſcil. pertinet vox *ſpecialiter*, & altera *deuotiſſimorum* prouincialium, ſeu *a deuotiſſimis prouincialibus conferendi*: de quibus in *Gloſſario Theodoſiano*. Quibus reſpondent illa Iuliani, πρὸς βραχὺ ἢ, πρὸς ἱκαιρον ἐχρῆν αἰσθέσθαι, δαπανηροτέρων τῶν λειτουργημάτων. Tandem ad vſum & praxin, ſcemma Politicum *hac l.* continetur, quod ſæpenumero Principes ſequuntur & vſurpant. Imo & eo non ſubditi tantum, ſed & populi exteri ſæpe deluduntur: de quo egregius locus eſt *Saluiani*.

De VINI *ad* CELLARII *vſus & collatione ab Italis.*

VI. (a) Impp. CONSTANTIVS & CONSTANS (b) AA. Ordini Cæſinatium. (c)

VINVM, quod ad Cellarii (d) vſus miniſtrari ſolet, cuncti Italiæ poſſeſſores, iuxta ſtatutum † Conſtantii, (e) fratris mei, conparent (f). Quod, vt fieri facilius poſſit, ab omnibus Italis noſtris conferatur pecuniæ quantitas ea, quam Rufini, (g) Viri Clariſſimi (h) & Inluſtris Præfecti Prætorio, Parentis Amicique noſtri, moderatio dandam eſſe cenſuerat. (i) Dat. XI. Kalend. Iun. Med. Conſtantio VII. & Conſtante III. AA. Coſs. [354.]

NOTAE.

(a) Iungenda *huic* eſt *lex* 42. *inf. de Decurionib.* GOTHOFRED.

(b) Inducendum hoc *Conſtantis* nomen: niſi pro *Gallo Cæſ.* id accipiamus: quanquam & hic iam occiderat ante menſem Decembrem, quo *hanc l.* datam mox probabo. *ID.*

(c) *Cæſenatium, d. l.* 42. De qua ciuitate mox. *ID.*

(d) Noſtri. *ID.*

(†) Quodnam ſtatutum illud? *ID.*

(e) γρ. *Conſtantis*, vt mox oſtendam. *ID.*

(f) A vobis Cæſenatibus: ita hoc accipio. *ID.*

(g) De hoc Rufino mox dicam. *ID.*

(h) *Vir Clariſſimus & Inluſtris*, Præfecti Prætorio titulus, *h. l* & *l.* 19. *ſup. de petitionibus*: *Viri Clariſſimi Præfecti* Prætorio *l.* 1. *ſup. de paſcuis*: & *l.* 15. *ſup. de prætoribus. ID.*

(i) Ante aliquot annos, cum Præfecturam prætorianam gereret: de quo mox. *ID.*

COMMENTARIVS.

DE VINI CELLARIENSIS annona, eiuſque coemptione & collatione ad Cellarii Principis vſus, ab Italis facienda, eſt hæc ſingularis Conſtantii conſtitutio data A.D. 354. ad ordinem Cæſenatium (cui iungenda & *lex* 42. *inf. de Decurion.*) Quam, nubilem iam fecit Scriptorum in argumento *Suburbicariarum* diſquiſitio: ex quo ſemel eam, vna cum Sex. Aurelii Victoris loco, quem mox ſubiiciam, ad ANNONARIAS Regiones pertinere indicauimus: Rem quantum potero, compendii nunc faciam.

Primo, *Cellarium* quid eſſet, prolixe oſtenſum eſt ad *l. vlt. ſup. de officio Iudic. omn.* oſtenſum inquam, hac appellatione ſignificari omnia βρώματα καὶ πόματα, id eſt ſpecies omnes ad eſum & potum pertinentes. Et ſane de vino id ex *hac l.* etiam liquet. Hinc & Cellarienſes ſpecies dicuntur *l.* 32. *ſupr. de erogat. mil. ann.* & *l.* 16. *inf. de indulg. debitor. Annonæ* vero proprie erant, quæ in cæteris ſpeciebus conferebantur, veluti capito, ligno, aliis: vnde annonæ & cellaria coniunguntur *d. l. vlt.* & apud Sulpitium Seuerum *lib.* 2. *ſacræ hiſt. c.* 41. annonæ & cellarienſes ſpecies *d. l.* 32. Quanquam & latiore ſeu laxiore appellatione *Annona*, vtrumque ſignificabatur.

Cæterum, cum huiuſmodi ſpecies annonarias & cellarienſes, varios ad vſus collatas liqueat, atque in his, ad vſum militarem, expeditionalem, quin imo & Comitum Rectorumque prouinciarum vſus, ſane hæc Conſtantii *lex* eſt de collatione ad *Cellarii Principis, vſus*, vt ex ſequentibus mox apparebit.

De hac igitur cellarienſium ſpecierum collatione hæc obſeruentur. Primo a quibus ea collatio facta fuerit: Nempe ait lex: *a cunctis Italiæ poſſeſſoribus*: mox, *ab omnibus Italis noſtris*: Hic iam dubium: Num tota, quanta eſt, *Italia*, his verbis intelligenda ſit, an vero pars quædam Italiæ tantum, quæ tamen hoc ſeculo ſpecialis *Italiæ* appellationem meruerit? Et ſi id ita eſt, quænam illa ſpecialis Italia fuerit, & quibus finibus coarctata? Quod prius igitur attinet, iamdiu eſt, cum huc Sex. Aurelii Victoris, coætanei Scriptoris, locum inſignem trahebam. Is igitur cum dixiſſet *c.* 39. bellorum mole acrius vrgente, partitoque inter Diocletianum, Maximianum, Conſtantium, Galerium imperio,

imperio ; Africam & Italiam Maximiano ceſſiſſe, ſubiicit: *Hinc denique* PARTI ITALIÆ *inuectum Tributorum ingens malum: Nam cum omnis* (Italia) *eadem functione* (tributaria) *moderataque ageret: quo exercitus atque Imperator, qui ſemper aut maxima parte* AGERANT (in ea Italiæ parte) ALI *poſſent*, PENSIONIBVS INDVCTA LEX NOVA: *Quæ* (lex) *ſane, illorum* (Maximiani) *temporum modeſtia tolerabilis, in perniciem proceſſit* (poſt Maximiani tempora.) Vides, *hoc* Victoris *loco*, duo functionum ſeu tributorum & penſionum genera: vnum vetus, quod ante Maximianum omni Italiæ incumbebat: alterum recens a Maximiano inſtitutum, idque parti tantum Italiæ impoſitum, ſed tamen vtrumque in ſpeciebus annonariis: & recens quidem nominatim: quod vel ex eo patefcit, quod ALENDO imperatori & exercitui, impoſitum id fuerit: vt mirer ſcribentem toti quidem Italiæ olim annonariarum ſpecierum collationem impoſitam, at nunc parti Italiæ a Maximiano non ſpecies annonarias, verum tributum, auri, argenti, æris, veſtium, equorum imperatum.

A Maximiano igitur parti Italiæ nouus annonariæ functionis & penſionis modus impoſitus, alendo exercitui & imperatori (& ſic Callarienſes ſpecies) qui ſemper aut maxima parte, in ea Italiæ ſcil. parte, hærebant. Vt proinde hæc *lex* omnino eodem pertineat, quo Victoris locus ille: nam & de Italia vterque locus eſt, & de annona alendo Principi, ſeu cellarienſi annona. Quare hac l. *Italiæ* appellatione nonniſi pars Italiæ generaliter acceptæ exaudienda fuerit, quæ tamen ipſa ſpecialiter *Italiæ* nomen hoc æuo meruerit.

At, quod poſterius, nunc porro inquirendum, quænam illa Italiæ pars eſſe poſſit. Primum igitur, cum Sex. Aurelius Victor diſerte dicat, annonam illam *parti Italiæ* impoſitam a Maximiano, quo ipſe & exercitus, qui ſemper aut maxima parte AGERANT, id eſt, in ea Italiæ parte hærebant, ali poſſent, diſpiciendum modo (quod a nemine factum hactenus) in quanam Italiæ parte, maxime *Maximianus* Imp. hæſerit. Id vero non aliunde temere melius, quam ex ſubſcriptionibus legum Diocletiani & Maximiani colligi poteſt: nempe eum ſubſtitiſſe maxima parte, RAVENNÆ, quod docet *l. 1. C. I de iure aur. ann.* VERONÆ *l 3. C. eod. ad l. Iul. de vi: l. 2. C. eod. commun. de ſucceſſion. l. 1. C. eod. diuort facto apud quem liber.* MEDIOLANI, *l. 9. C. eod. de pignor. act. l. 8. C. eod. ne de ſtatu def. l. 2. C. Hermog. de calumniator* & apud *veteris Conſultation. Auctorem* 8 5. *in fin. pag* 818 *edit. Schulting.* (quam etiam vrbem ſub Maximiano mirum in modum nouis cultiſque mœnibus ornatam Sex. Aurel. Victor tradit, ibique etiam tandem purpuram depoſuit.) AQVILEIÆ: quod colligi poteſt ex incerto *Panegyrici* Auctore *ad Maximianum & Conſtantinum, c. 6. & 7.* cuius initium eſt *Dixerint.* Sed & poſt Maximianum Seuerus Cæſar in eo tractu ſtetit cum exercitu, vt docet Zoſimus *lib 2. cap. 10.* Quinimo & in eam ſeſe rurſum a Maxentiana expeditione recepit. Et ſecuti deinceps Principes, Conſtantinus M. Conſtantius, Valentinianus &c. ſi quando in Italia conſtitere, maxima parte *Aquileiæ, Mediolani, Rauennæ* hæſere; vt harum proinde ciuitatum primam dignitatem ab hoc tempore repetere ferme ſoleam. Et notandum eſt ſummopere, quod idem Zoſimus *loc. cit.* de *Rauenna* ſcribit, in quam ſe Seuerus Cæſar receprat: τὴν Ῥάβενναν, inquit, πόλιν ὀχυρὰν τε καὶ πολυάνθρωπον, καὶ τροφῶν ἔχουσαν πλῆθος αὐτῷ τε καὶ τοῖς σὺν αὐτῷ στρατιώταις ἀρκοῦν: : id eſt, *Rauenam tum fuiſſe ciuitatem, non tantum munitam & populoſam, verum &* ANNONARVM COPIA *abundaſſe, tum ipſi Cæſari, tum exercitui ſufficientes*: & mox in eandem ſententiam, cum de Maximiani aduerſus Seuerum Rauennam motione agit, ait, Seuerum hac inuitum eiici non potuiſſe, ἀσφαλοῦς τε οὔσης καὶ τροφὰς ἐχούσης ἀρκούσας, *quod munita eſſet & commeatu abundaret.* Quod omnino reſpondet Victoris *loco*: Atque exinde illud etiam colligitur, Annonæ iſtius cellarienſis partem tum Rauennam comportatam. Quod & ipſum *huius l.* inſcriptioni rurſum optime conuenit: *ordini* quippe *Caſenatium* hæc *lex* inſcripta eſt, qui Rauennæ proximi, & in eadem Flaminia erant, vnde & Cæſenatis Epiſcopus Rauennatis Archiepiſcopi Suffraganeus fuit. vid. *veterem Epiſcopatuum Notitiam*, & in Concilio Romano ſub Papa *Martino* Cæſenas Epiſc. Rauennatis Archiepiſc. locum tenuit. Et vero vetus *Notitia prouinciarum* Græca, ἐπαρχίαν ἀννωναρίας deſcribens, *Rauenam* nominatim in ea collocat: Ἐπαρχία ἀννωναρίας, Ῥάβεννα, Φαυὲς, ἔλλεσα, πολὺς, πεκλὺς, πίσαυρον, κάστρον Φερέντιον, Κάστρον Σαλέριον &c. Iam igitur ex his ſequitur, in illa Italiæ parte (annonaria) quam quærimus, fuiſſe, *Flaminiam, Aemiliam, & Liguriam, & Venetiarum prouinciam.*

Secundo procedat Trebellius Pollio, qui calente hoc Maximiani inſtituto, & ſub hoc ipſo Maximiano, ſcribebat, imo ſub hac ipſa Tetrarchia, Diocletiani, Maximiani, Conſtantii & Galerii (vt ipſemet diſertis verbis profitetur *in vita Claudii cap. 3.*) Is igitur Italiæ prouinciarum recenſum agens, *in Tetrico Seniore, cap. 23.* & his prouinciis Annonariarum nomen iam ante Conſtantinum M. inditum arguit, & Italiæ totius partem fuiſſe oſtendit: & quænam illæ fuerint, haud obſcure indicat: Nam cum dixiſſet, *Tetricum Senatorem P. R. qui iure Præſidiali omnes Gallias antea rexerat, Imperiumque ſibi vindicauerat, ab Aureliano Imp. victum, & per triumphum ductum*, ſubiicit: *Pudore tamen victus vir nimium ſeuerus* (Aurelianus) *eum quem triumphauerat, Correctorem totius Italiæ fecit, id eſt, Campaniæ, Samnii, Lucaniæ, Brutiorum, Apuliæ, Calabriæ, Hetruriæ atque Vmbriæ, Piceni & Flaminiæ, omniſque* ANNONARIÆ REGIONIS. Trebellius Pollio ſcilicet, totius Italiæ prouinciarum recenſum inſtituens, vbi eas nominaſſet, ſingulas, quæ ad dextram Vrbis Romæ iacebant (quæque cum Annonariis nil commune habebant) reliquas deinceps, quæ ad læuam iacebant, recenſurus, vbi nonnullas nominaſſet, (puta Hetruriam, Vmbriam, Picenum & Flaminiam) breuitatis deinceps ſtudio, loco ſingularum quæ recenſendæ ſupererant, hæc ſubiicit περιληπτικῶς, *Omniſque Annonariæ regionis*, ac ſi dixiſſet, & , *vt compendio dicam, Annonariarum omnium Regionum.* Atquin quænam recenſendæ ſupererant? *Aemilia*

ones *Tam. I. Concil. ed. cit. pag. 266 267. Ex prouincia Italia ciuitate Mediolanenſi Merocles Epiſcopus: ex prouincia Campania de ciuitate Capuenſium Proterius Epiſcopus; Ex prouincia Apulia de ciuitate Arpienſium Epiſcopus Pardus.* Neque alio ſenſu Ambroſius *ep. ad Epiſcopos Italiæ* de S. Vitale & Agricola: *paſſi ſunt in ciuitate Bononia, prouincia Italiæ.* Neque alio ſenſu accipio *in l. 4. inf. de indulg. debit.* vbi dicam adhuc. Ex Synodi Sardicenſis interim ſubſcriptionibus colligi quoque poſſe videatur, Italiam, & ſic annonariam Tuſciam, *Lucam* non procuriſſe; ſed citerius hac parte conſtitiſſe.

Nunc de ipſa *huius legis* ſententia, in qua tria ſpectanda veniunt. Primum eſt, quod de Conſtantii fratris ſui ſtatuto imperator *hac l.* memorat: vbi ſane legendum *Conſtantis*, non *Conſtantii:* Eſt enim ipſe Conſtantius *huius leg.* auctor, cum iam frater ipſius Conſtans e medio ſublatus fuiſſet ante biennium; cui Italia parebat. Neque huie reclamaret *huius l.* inſcriptio: nam qui *Conſtans* Conſtantio in ea iungitur, non Conſtantii frater, ſed fratruelis, id eſt Gallus Cæſar accipiendus videatur, cui *Conſtantis* nomen inditum; de quo conſule *Conſularia Theodoſ.* Verum Conſtantis nomen forte penitus *hic* inducendum. Quodnam igitur Conſtantis ſtatutum illud fuit, id eſt, quidnam eo comprehenſum? quod contextus *legis* non docet: generaliter enim ait, *Vinum, quod ad Cellarii vſus miniſtrari ſolet, cuncti Italiæ poſſeſſores, iuxta ſtatutum Conſtantii, fratris mei, comparent?* In ſubſidium itaque aduocanda eſt Inſcriptio, *Ordini Cæſenatium.* Nam quo Ordini Cæſenatium tantum *hac lex* inſcriberetur, quæ eſt de vino ab omnibus Italis comparando, niſi ſtatutum Conſtantis Cæſenates nominatim ſpectaret? Quare mens ea mihi, hoc voluiſſe Conſtantem, vt videl. vinum iſtud Cellarienſe Itali compararent a Cæſenatibus, quorum ager vrbi proximus generoſiſſimo vino nobilis fuit: Qua cauſa Plinius *lib. 14. cap. 6.* Cæſenatia vina inter generoſa Italiæ mediterraneæ memorat. Sed & Strabo quoque *lib. 5. p. 334. edit. Almeloueen* hoc ipſo tractu maximam vini copiam fuiſſe ſcribit, eique rei argumento quoque eſſe ait vaſa vinaria lignea, adeo magna, vt domibus maiora eſſent. Proinde vt copia, ita nobilitate illuſtria fuere vina Cæſenatia: vnde nil mirum, ſi ad Cellarii ſui vſus Conſtans Imp. pri-
P. 15. mum, mox & Conſtantius ea comparari voluerint.

Secundo, comparationis iſtius modus obſeruandus; Nempe quia nimis oneroſum & operoſum graueque futurum omnibus Italis fuiſſet, ſi ipſimet hæc vina comparare cogerentur; Ideo, id vt fieri facilius poſſet, pecuniæ quantitatem in id conferre iuſſi Itali; cuius collationis quantitatem ſeu modum a Rufino P. Po. definitam obſeruari Conſtantius *hac l.* iubet.

Porro, quod poſtremum, hic ille eſt Rufinus PP. & quidem Italiæ, vt ex *hac l.* colligitur, ſub quo & Illyricum erat, cui inſcribitur A. D. 349. id eſt ante quinquennium *lex 3. Cod. Iuſt. de heredit. decurionum*, idque temporibus Conſtantis. Eidemque inſcribitur ſub Conſtantio ante biennium A. D. 352. *lex 5. Cod. Iuſt. qui teſtam. fac. poſſ.* Eiuſdemque biennio poſt in geſtis A. D. 356. meminit Ammianus Marcellinus, *lib. 16. cap. 8.* Itemque Epiphanius *hæreſ. 51. ſiu. 71. cap. 1. pag. 829. edit. Colonienſ. apud Jerem. Schrey.* vbi Callicratem Exceptorem huius Rufini PP. memorat, qui A. D. 351. vel 357. collationi inter Baſilium Ancyranum, & Photinum inter alios ταχυγράφυς interfuit. Tandem hic eſt Rufinus PP. quem A D. 350. a Magnentio & Veteranione Tyrannis vna cum Marcellino, Nunechio, Maximo, ad Conſtantium Legatum miſſum, ſcribit Petrus Patricius in *excerptis legationum p. 20. Tom. I. Script. Rer. Byzant. edit. Venet.* quoque vno excepto cæteri in carcerem coniecti fuere. Alius vero ab hoc Aradius Rufinus, de quo Symmachi Patris carmen quis accipiat *in Auctuar. Symmachian. ep. 1.* vbi inter alia v. 5. 6.

Principibus, quorum viguiſti tempore, doctus
Aut calcaria ferre bonis, aut frena Tyrannis.

Hic ſcil. Aradius Rufinus eſt Præfectus vrbi ſub Maxentio & Conſtantino M. teſte Auctore *Notitiæ Præfectorum vrbi.* Sed nobis ſub vnum obtutum colligere iuuat, quæ mihi de hoc Rufino noſtro occurrunt, ſeruata annorum ſerie.

Sub CONSTANTE
AN. D. 347.

Conſul fuit cum Euſebio.

AN. DOM. 349.

PP. Italiæ fuit, vt docet hæc *lex 6.* Ei inſcribitur *lex 3. Cod. Iuſt. de heredit. Decurionum.*

Sub MAGNENTIO
AN. D. 350.

Legatus a Magnentio & Veteranione miſſus ad Conſtantium, atque ab eo humaniter habitus. Petrus Patricius, *in Excerptis Legat. pag. 20. Tom. I Script. R. B. ed Venet.*

Sub CONSTANTIO
AN. D. 352.

Ei inſcribitur *lex 5. Cod. Iuſt. qui teſt. fac. poſſ.* qua Eunuchis teſtandi facultas datur, exemplo omnium, id eſt, eadem ætate, qua cæteris.

AN. DOM. 354.

Eius meminit Conſtantius Imper. cum affectus ſingularis teſtimonio: cuius & factum quoddam ſeu moderationem comprobat, *hac l. 6.*

De eo v. & Amm Marcellinum in huius Anni Geſtis *lib. 14. cap. 10.*

AN. DOM. 356.

Ammianus Marcellinus eius meminit *lib. 16. cap. 8.* quem diuitiarum cupiditatis arguit.

Eidem inſcribitur hoc ipſo Anno *lex 1. ſup. ſi quis pecuniam conſ.* quæ dicitur *Acc. Conſtantina.*

AN. DOM. 357.

Vide Epiphanium *hæreſ. 51. ſiu. 71. cap. 1.*

Ex ſuperioribus interim liquet, quænam cauſa Annonariarum regionum inſtituendarum fuerit, ſeu vnde earum inſtitutum repetendum ſit, quæ denique huius nominis cauſa ſit. Nempe ob Annonariarum ſpecierum penſionem in vſum Principum in Italia cum exercitu ferme commorantium, vt proinde inane hic commentum ſit, de Annonis in vſus Præſidum & Magiſtratuum, iam inde ab Auguſti æuo.

Pro COLONIS PROFVGIS *Senatores nil de eorum terris poſſidentes non teneri.*

VII. (a) Idem AA. ad Senatum.

CONPERTVM eſt, (b) pro Colonis profugis ad exſoluenda vos fiſcalia (c) conueniri: Iubemus igitur, ſi nihil ex eorundem (d) terris Senatorum quemquam poſſidere conſtiterit, vt nulla cuiquam penſitandi pro his, qui aufugerint neceſſitas inponatur. Dat. v. Non. Maii Tauro & Florentio Coss. [361.]

NOTAE.

(a) Abeſt hæc *lex* a *Cod. Iuſt* Iungendæ ei ſunt *leges octo*, puta *lex* 12. 13. *ſup. de pretorib. lex* 1. *ſup de metatis. lex* 1. *inf. de public. comparat. l.* 84. *inf. de decur. l.* 3. *inf de luſtrali conlat l.* 1. *inf. de protoſtaſia. l.* 7. *inf de oper. publ.* quæ omnes vnius Orationis Conſtantianeæ ad Senatum partes ſunt. *GOTHOFRED.*

(b) Mihi ſcil. *ID.*

(c) *Fiſcalia*, id eſt, annonas & tributa ſeu penſitationes Colonorum *ID.*

COMMENTARIVS.

P. 16. PRO COLONIS (Originalibus ſcil. vt *l. 14. inf.*) FVGITIVIS ſeu profugis, eorumque terris Senatores Domini tributa ſeu annonas præſtare necquicquam cogendi ſunt. Hæc Conſtantianeæ huius conſtitutionis ſenteotia eſt, quæ maioris ad Senatum Conſtantinopolitanum *Orationis* ἀπόσπασμα eſt, iiſqoe legibus omnibus, quas in *Notis* congeſſi conſſanda venit. Quæ in voiuerſum oratio tota eſt de *Senatoribus*, & eorum priuilegiis & immunitatibus.

Vt ad *huius leg.* ſententiam redeamus: videri poſſit iſthæc *huic l.* aptanda: hoc præcognito Senatores vt latiſſime fines eorum & agri per prouincias tendebaot, ita per colonos eos exercuiſſe, eorumque nomine tributa ſoluiſſe, nihilo ſecius atque alii Prouinciales, de quo dicetur rurſum aliquid *ad l. 13. inf.* Hoc præmiſſo videatur id *h. l.* ſtatui, Senatores hoc caſu non teneri tributa ſoluere, ſi colonis aufugientibus ſeu profugis, poſſeſſiones ipſæ iacerent; quaſi æquum non ſit ab his tributa penſitari, qui prædiorum emolumenta nulla ſua culpa non conſequerentur. Qno ſaoe ferme ſpectat, quod Symmachus, *lib. 9. epiſt. 37.* ſcribit. *Agri ſororis meæ Italicæ Illuſtris fœminæ*, CVLTORE *vacuati & feſſi onere munerum publicorum iudicaria auctoritate refouendi ſunt. Hanc opem de tui animi æquitate promiſi.* Et proinde fuerit iſtud ſingulare Senatorum priuilegium, quod in aliis per prouincias poſſidentibus, & in iis commorantibus noo æque competere docet *lex vlt. §. 4. inf. de patrocin. vicor.*

Verum non hæc *huius leg.* ſententia eſt: ſed iſthæc; noo cogi Senatores pro coloois alioquin ſois, qui & capitationi ſubiacebant, & terrulas ſæpe quaſdam & peculia ſua habebaot: de quo plene dixi *ad leg. 1. ſup. de fugitiu. colon.* profugis tributa ſoluere. Nam vt maxime terrulæ quodammodo ſint dominorum Senatorum, attamen peculiaris eorum ratio eſt, & extra cenſum dominicum poſita, cuius reditus ad Senatores dominos non ſpectebant. Quia neque capitationem pro his ſoluere tenentur. Et ſic idem ſenſus *huius leg.* fuerit, qui *legis 14. verſ. ſane infr.*

ADÆRARI *ſpecies vrbis Romæ, non debere.*

VIII. (a) Impp. VALENTINIANVS & Valens AA. ad Symmachum P.V. (b)

NEMINI (c) aurum, pro ſpeciebus Vrbis Romæ, liceat exigere de (d) futuro. Dat. Id. Iun. (e) Naiſſo, Diuo Iouiano & Varroniano Coss. [364.]

NOTAE.

(a) Abeſt & hæc *lex* a *C. Iuſt.* De cuius rei ratione dicam *tit. prox.* Iungendæ *huic* omnino videntur *lex.* 4. 5. 6. *inf. de piſtorib. lex* 2. *inf de calcis coctor. lex vn inf de ſaccariis. lex* 18. *inf. de operib. publ. lex* 1. *inf. de canone frument. V. R. lex* 5. *ſup. de pœnis. GOTHOFRED.*

(b) *Symmachus* P. V. Romæ ſub Valentiniano Sen. Epiſtolographi pater: v. *Proſopogr.* & Ammianum Marcellinum *lib.* 27. *cap.* 3. *ID.*

(c) Exactori, *ID.*

(d) In futurum. *ID.*

(e) *al. VI. Id. Iun.* vt pleriſque *dictarum legum*. *ID.*

COMMENTARIVS.

MVTARI ſeu ADÆRARI pretio canonem vrbicarium, vſibus vrbis ROMÆ deſtinatum vetat *hac l.* Valeotinianus Sen. pariter vt idem vetat ſequente Anno, conſtitutione emiſſa ad eundam Symmachum P. V. *l. 1. 2. inf. tributa in ipſis ſpecieb.* Pariter vt Theodoſius M. *l. 4. 5. eod. tit.* (a quo diuerſus eſt aliquo modo Theodoſius Iun. *l. vlt. h. tit.*) & Honorius *l. 30. inf. hoc tit.* & *l. 5. inf. de canone frum.*

ſrum. V. R. qua de re etiam erit *inſr.* ſpecialis *titulus. Tributa in ipſis ſpecieb.* Id inquam vetatur a Valentiniano Sen. *hac conſtitutione*, quæ prolixæ, ad Symmachum P. V. vtilitati Vrbis Romæ ac potiſſimum annonæ Vrbicæ conſulentie conſtitutionis portio eſt, quod docent *leges* illæ, quae *huic* coniungendas dixi. Nempe, neque hæc poſtrema annonæ vrbicæ conſulandi ratio remedium & conſilium eſt, ſi ipſæmet ſpecies annonariæ inferantur, non etiam, ſi aurum earum loco quod facilius interuertitur, quoque facilius etiem ſpecies ipſæ inferuntur: De quo ad *d. tit. Tributa in ipſis ſpeciebus*; vbi & de Simmachi ſtudio hanc ad rem, annonæ, inquam, vrbicæ cura, plura.

Atque ita quidem hæc *lex* intelligenda eſt, do annonariis ſpeciebus, quæ in Vrbis Romæ vſum conferebantur. Grauis enim error eſt nuperi Scriptorie Doct. *3. Miſcell. 23. p 204.* qui ex *hac l* colligebat, vrbem Romam ipſam annonariam functionem agnouiſſe. Quod ridiculum eſt. Agitur enim *hac l.* de ſpeciebus vrbis Romæ, id eſt vrbis Romæ vſibus deſtinatis, quæ ipſi conferebantur, non quæ ab ipſa.

P. 17. De TRANSVECTIONE *annonæ ad mutationes & manſiones a quo loco, quoque tempore fieri debeat: & de* SVBVRBICARIIS *Regionibus.*

IX. (a) Idem AA. ad Mamertinum. PF. P. (b)

TABVLARIORVM (c) fraudes ſe reſecaſſe, per Suburbicarias Regiones, Vir Clariſſimus Anatolius Conſularis, miſſa Relatione, (d) teſtatus eſt: quod pabula, quæ hactenus, ex eorum (e) voluntate atque arbitrio, ad Mutationes (f) Manſioneſque ſingulas, animalibus curſui publico deputatis, repente atque inprouiſe ſolebant conuehi, nunc in conſilio, (g) ratione tractata, pro longinquitate vel moleſtia itineris, ab vnoquoque oppido, certo ac denunciato tempore, deuehi ordinauit. Quod iubemus, vt etiam per omnes Italiæ Regiones pari ratione ſeruetur. Dat. Prid. Non. Mar. Treu. (h) Valentiniano & Valente AA. Coss. [365.]

NOTAE.

(a) Et hæc *lex* abeſt a *Cod. Iuſt. GOTHOFRED.*

(b) *Mamertinus* PP. ſub Valentiniano ſcil. & quidem Italiæ. v. *Proſopogr. ID.*

(c) De *Tabulariis* fuit *ſup titulus 2. lib. 8. ID.*

(d) De his *Relationibus* erit *inf. titulus* peculiaris *hoc libro. ID.*

(e) Tabulariorum ſcil. *ID.*

(f) De his *Mutationibus* & *Manſionibus* iam actum quoque fuit *ſup. lib 8. tit. 5 de curſ publ ID.*

(g) *Conſilium* Rectoris Prouinciæ obſerua: Neque enim hic reponendum, *Concilio*, quod quidam malebat. *ID.*

(h) Error in hac voce. *ID.*

COMMENTARIVS.

DE CONVECTIONE ſeu *Tranſuectione* Annonæ ſeu pabulorum, & vt hoc ſeculum loquebatur, *capiti*, ad mutationes & manſiones, & quidem deputatorum animalibus curſus publici, (de quo ipſo pabuli genere eſt quoque *lex* 60. & 64. *ſup. de curſu publ.*) eſt hæc Valentinieni Sen. conſtitutio A. D. 365. Quis videl. hac in re modus obſeruandus ſit, ac nominatim per Italiem totam: deriuato exemplo a parte eius, id eſt, a Suburbicariis regionibus, ad omnes Italiæ regiones, & quidem reſecandis Tabulariorum fraudibus, & ſubleuandis ipſis collatoribus. Quam conſtitutionem nobilem etiam fecit Virorum Doctorum controuerſia, in negotio *de ſuburbicariis regionibus*; ex quo ſemel oſtenſum eſt, quo ſenſu Italiæ regiones a Suburbicariis ſecerni ſoleant; de quo vt non prodige, ita aliquid etiamnum dicendum eſt.

Prius tamen ipſa *legis* ſententia expendende venit: Nempe duobus *hac leg.* colletorum vtilitati conſulitur, tum ratione *loci*, tum & *temporis*: videlicet tranſuectioni huic faciendæ habendam rationem longinquitatis & moleſtiæ itineris, id eſt, ab eo oppido tranſuectionem faciendam, quod neque diſſitum nimis, aut cuius iter non nimis confragoſum: Deinde nec repente aut improuiſe hanc tranſuectionem Prouincialibus imperandam (vt ferme incerta & inopinata Prouinciales turbare ſolent, *l. 4 § 4. D. de offic. Proconſ.*) Verum certo ac denunciato prius tempore. Ad prius pertinet, pariter *lex* *11* 21. & *22 inſ.* quæ hanc in rem ſunt admodum ſingulares: Itemque *lex 1. Cod. Iuſt. de fundis limitrophis. lex 15. ſup. de erogat. mil. anu l 4. inſ. de Suariis.* Atque hæc etiam deprædandi materies fuit.

Eodem ſpectat hic Taciti locus, *in vita Agricole c. 19. Frumenti & tributotum auctionem æqualitate munerum mollire, circumciſis quæ in quæſtum reperta, ipſo tributo grauius tolerabantur* &c. *Deuortia itinerum & longinquitas regionum indicebatur, vt ciuitates a proximis hibernis in remota & auia deferrent, donec quod omnibus in promptu erat paucis lucroſum fieret.* Huc ſpectat Ciceronis locus in *Verrem lib. 3. c. 82. cum in eum locum quo imperabatur, frumentum portare nollet, inſtituerunt ſemper ad vltima ac difficillima loca apportandum frumentum imperare, vt vectura difficultate*

ad quam vellent æſtimationem peruenirent. Valeriani inde Imp. mandatum *apud Trebellium Pollion. in Baliſta c. 17.* Ne Præſes prouincialem, aut poſſeſſorem, cogat frumenta illic, vbi non habet dare, equum vbi non poteſt paſcere: *Quia*, inquit, *non eſt vlla prouiſio melior, quam vt in locis ſuis erogentur quæ naſcuntur, ne aut vehiculis aut ſumptibus Rempubl. grauent:* Eodem ſpectat hic locus Eumenii, *in gratiarum actione Flauienſium nomine cap. 7. Vidiſti, vt militaris* Via *ſit* Confragosa, *& alternis montibus ardua atque præceps, vt vix ſemiplena carpenta, interdum vacua tranſmittat: ex quo ſæpe accidit, vt obſequia noſtra tarda ſint, cum paucarum frugum nobis* Difficilior Sit Evectio, *quam cæteris plurimarum. Quo magis Imp. pietati tuæ gratias agimus, qui cum ſcires,* Itinerum *regionum noſtrarum aditum atque aſpectum tam fœdum, tamque aſperum, tamen illo deflectere dignatus es.* Quæ omnia concinunt ei, quod *hac l.* dicitur, pro longinquitate vel moleſtia itineris. Item ei quod dicitur *leg. 22. inf. vt plus haberet diſpendii translatio, quam deuotionis inlatio.* Et *l. e1. omnis itineris ac neceſſitatis habita ratione.* Secundo Tabulariorum fraudibus nominatim *hac leg.* occurritur hac in re, quod & ipſum *dict. l. 11. infr.* exprimitur: Vnde interim liquet, quodnam tabulario-
P. 18. rum in re tributaria munus fuerit: Nempe collationis & tranſuectionis annonariæ ſollicitudinem ad eos ſpectaſſe, quod docuit etiam *lex 2. ſup.* docebit & *lex 11. inf.* quorum fraudibus ſæpe occurſum, *vt hac l.* & *l. 11. inf.* & *l. 27. inf. de ſuſcept.* & *l. 1. inf. de cenſu.*

Secundo, de *Manſionib.* & *Mutationibus*, quarum *hoc Codice* multa mentio, heic ſemel & plane dicendum eſt: de Manſionibus ſane agitur, præter hanc leg *l. 4. ſup. de off. Rectoris prouinc. l. 9. 12. ſup. de re militari: l 1 ſup. ne quis in Palat. man. l. 1. 23. 35. ſup. de curſu publ. l. 2. ſup. de concuſſ. Aduocat. h. l* & *l. 21 inf. h. t. l. 21.* & *119. inf. de decurion. l. 21 inf. de ſuſceptoribus.* De Mutationibus, *h. l.* & *l. 34 36. 53. 58. ſup. de curſu publico.*

Mansiones igitur primum ſeparantur appellatione a Ciuitatibus, *l 1. ſup ne quis in palat. man. l. 35. ſup. de curſu pub. l. e. ſup de concuſſion. Aduoc. l. 21. inf. de ſuſceptor.* ſeu ab oppidis, *d. l. 35.* & *d. l. 119.* & vicis *d. l. 35 ſup. de curſu publ.* ſeparantur & a mutationibus *hac l.* Et vero hæc omnia ferme videre eſt quoque in Itinerario Burdigalenſi, ſeu Hieroſolymitano, quod ſub Conſtantino M. conſcriptum Petrus Pithœus extulit: vbi clere diſtinguuntur itinera per Mutationes, Manſiones, & Ciuitates: Manſiones certe Mutationibus præſtabant. Hinc adeo pauciores Manſiones quam Mutationes, in eodem itinere erant. Hinc & in Manſionibus Palatia quoque Principum fuere, *l. 1. ſup. ne quis in Palatiis man.* Curiæ quoque & Curiales in nonnullis, vt in oppidis fuere, *l. 119. inf. de decurionib.* Fuere & in nonnullis Manſionibus Epiſcopi: ſic enim *act 3. Concilii Chalcedonenſis pag. 374 Tom. II. Concil. Ed. Harduin.* memoratur *Helpidius manſionis Thermanorum Epiſcopus.* Et vero quid mirum, cum & alias ciuitates eundem vſum præſterent quem manſiones, quem mox aperio: Hoc tantum diſcrimine, quod manſiones nonniſi geminum vſum præſtarent: vt vice verſa mutationes eundem vſum præſtabant, quem manſiones, ſaltem quoad curſum publicum: Denique in ciuitatibus manſiones erant & mutationes; in manſionibus, mutationes: At mutationes nudæ animalium mutationes erant. Atque vt manſionum vſum, quidque adeo fuerint, aperiam: *Manſiones* erant, in quibus, qui publica in cauſe commeabant, præter Principes ipſos, conſiſtebant & manebant; veluti Iudices tranſeuntes, *l. 4 ſup de offic. Rector. prou.* Tribuni & milites, *l. 12. ſup. de re milit.* legati etiam exterarum Gentium, *l. 9. eod. tit.* Qua cauſa ſolitæ ee publicæ manſiones dicuntur, *d. l. 12.* & in eggere publico conſtitutæ erant *l. 1. ſup. ne quis in palat. man. collata l. 2. eiusdem tit.* Manebant, inquam, tum alimoniæ cauſa atque annonarum, & cellarienſium ſpecierum conſequenderum gratia, ſimul & curſus publici vſurpandi. Geminum hunc videl. vſum præſtiterunt manſiones.* De curſu publico, ac proinde animalibus ibi curſui publ. deſtinatis fidem facit *lex 1. 23. 35. ſup. de curſu publ.* Imo hæc ipſa *lex 9.* ad quam ſcribimus. De ſpeciebus annonariis & pabulo fidem facit præter hanc ipſam leg. *lex 21. inf. h. t. lex e. ſup. de concuſſ. Aduocat.* Lampridii locus in *Alexandro Seuero cap. 45.* & Ambroſii *Serm. 5. in Pſal. 118. pag. 906. Tom. II. Oper. edit. Pariſ. Cardinal. Felicis de Monte Alto.* Quare horrea in his fuere, vt oſtendit *lex 2. C. Iuſt. de condit in pub. horreis.* Ibidemque modii & ſextarii habiti *l. 21. inf. de ſuſcept.* Hie manſionibus præponebantur *Præpoſiti manſionum* ex corpore Curialium ciuitatis, in cuius territorio manſiones erant, *l. 21. ſup. de decurion.* Harum denique inſtruendarum, annonis ſcil. & inſtaurandarum cura, ad Rectores Prouinciarum pertinebat, *l. 4. ſup. de offic. Rector. prou.* Et hæc de Manſionibus, quarum mentio apud Hiſtoriæ Auguſtæ Scriptores, Ammianum Marcellinum, Ambroſium, Hilarium, Hieronymum, Iornandem.

At *Mutationes*, ſeu ἀλλαγαὶ nudum vſum curſus publ. præſtabant: Quare & Ammianus *lib. 21. c. 9. Vectus*, inquit, *mutatione celeri curſus publ.* Quare eodem itinere plures mutationes quam manſiones emetiendæ erant; quod etiam videre eſt diſerte in *Itinerario Burdigalenſi*, non *vno loco*, mutationum & manſionum numero ſubinde collecto; his inter cætera locis, *pag. 553. edit. Weſſeling. Fit a Burdigala Arellato vſque millia CCCLXXI. Mutationes XXX. Manſiones XI.* Item *pag. 558. ed. cit. Fit ab Arellato Mediolanum vſque Mil. CCCLXXV. Mutationes LXIII. Manſiones XXII.* Solemnem locum geminum de manſionibus neque hic omittere poſſum. Prior eſt Lampridii in *v. Alexandri Seueri cap. 45. Expeditiones bellicas habuit, de quibus ordine ſuo ediſſeram. Primum tamen eius conſuetudinem dicam de rebus vel tacendis vel prodendis. Tacebantur ſecreta bellorum: itinerum autem dies publice proponebantur, ita vt Edictum penderet ante menſes duos, in quo ſcriptum eſſet: Illa die, illa hora, ab vrbe ſum exiturus, & ſi Dii voluerint in prima Manſione manſurus: deinde per ordinem Manſiones, deinde Statiuæ, deinde vbi Annona eſſet accipienda: & id quidem eo vſque quamdiu ad fines Barbaricos veniretur: iam enim inde tacebatur & omnes ambulabant, ita ne diſpoſitionem Romanam barbari ſcirent.* Alter eſt Ambroſii, *Sermone 5. in Pſalm 118. p. 906. edit. Pariſ. Cardinal. Felicis de Mont. Alto, Miles* &c.

Itine-

Itinerarium ab Imperatore accipit. Et mox: *Si alio ambulauerit itinere, annonam non accipit: Manſionem paratam non inuenit: quia Imperator ita iubet hæc præparari omnia, quæ ſequuntur:* &c.

Tertio iam ſuccedit tractatus *de Suburbicariis Regionibus*, de quibus & *l. 12. inf. de indulg. debitor.* quæ & ſuburbicariæ partes vocantur, *l. 12. inf. de extraordin. mun.* ſuburbicariæ prouinciæ, *Nouella Valentin.* inter Theodoſianas 41 *de tiron. l. 2.* dicuntur & ſuburbanæ, *l. 13. ſup. de accuſat.* & a Symmacho *lib. 1. ep. 84. & lib. 2. ep. 74* item Vrbicariæ, *l. 9 inf. de extraord. mun. l. 3. ſup. quib. equor. vſus: l. 3. inf. tribut. in ipſis ſpec. l. vn. inf. ſi per obrept. l. 14. inf. de indulg. debitor.* & in *Notitia Comitis R. P.* & apud Gaium & Theodoſium *in corpore de limitibus p. 253. edit. Goes.* Hæc enim promiſcue pro eodem accipienda iam liquere debet. Et vero de eo iam liquet inter vtriuſque partis Anteſignanos.

At maior controuerſia, quot numero fuerint, quique adeo earum fines, de quo dicendi materies erit *inf. l. 1. de calcis coctor.* vbi quatuor regiones indicantur. Illud ſaltem ex *hac l.* conſtat Italiæ regiones a Valentiniano Suburbicariis regionibus oppoui, pariter ut a Valentiniano Iun. *l. vn. ſi per obrept. ſuer. impetr.* quæ Probo PP. inſcribitur: *Igitur Sinceritas tua id ipſum per omnem Italiam, tum etiam per vrbicarias Africanaſque regiones ac per omne Illyricum prælata oraculi huius auctoritate firmabit:* & a Conſtantio iam antea *l. 9. inf. de extraord. mun.* ad Taurum PP. *Exemplo Africæ debent fundi patrimoniales & emphyteutici per Italiam conſtituti ab extraordinariis omnibus excuſari. Non enim per Italiam tantum, ſed etiam per Vrbicarias regiones & Siciliam, patrimonialium & emphyteuticorum fundorum vires ſeruandas eſſe perſpeximus.* Et ſic *tres* iam hac de re *leges* tenemus iam inde a Conſtantii, cuius eſt *d. lex 9.* temporibus, Valentiniani Sen. cuius hæc eſt; Valentiniani Iun. quem auctorem habet *d. lex vn.* Quartum ſub Theodoſio Iun. eſt in *Notitia imperii Occidentalis* ſub diſpoſiti-
P. 19 one *Comitis R. P.* vbi Procuratores per diœceſes ita diſtinguit: *Rationalis rei priuatæ per Italiam, Rationalis rei priuatæ per vrbem Romam, & Suburbicarias Regiones cum parte Fauſtinæ, Rationalis rei priuatæ per Siciliam, Rationalis rei priuatæ per Africam.*

At quibus *Italia* ſic dicta limitibus coercebatur? quod ſane ſciri intereſt: hac enim iam ratione ſciri poterit, quos intra fines Suburbicariæ conſtiterint. Procedat igitur Principibus illis, quos dixi, omnibus prior Conſtantinus *M. l. 2. ſup. de integr. reſtit.* ad Baſſum PP. *Placuit poſt completum XX. & V. annum, ex eo quo viceſimi & ſexti anni dies illuxerit, ad interponendam conteſtationem in Vrbe Roma vſque ad anni triceſimi extremum diem ſpatia prorogari, & intra centeſimum vrbis Romæ miliarium, ſi tamen ab his Iudicibus, qui Romæ ſunt, fuerit iudicandum. Per omnem vero Italiam vſque ad finem anni viceſimi & noni. In cæteris omnibus Prouinciis vſque ad completum annum viceſimum & octauum.* Nempe vides, vt Conſtantino M. Iuniores Principes Suburbicarias ſeu Vrbicarias regiones Italiæ opponunt, exorto iam Suburbicariarum nomine; ita ante exortum huius nominis a Conſtantino M. centeſimum ab vrbe Roma & Italiam oppuni. Quare oportet Suburbicarias regiones & centeſimum idem eſſe. Sane & Conſtantinum M. vt altius adhuc aſſurgamus, non aliter Dio *lib. 52. p. 548. edit. Henr. Stephani 1592.* Τήν τε Ἰταλίαν, inquit, πᾶσαν ὑπὲρ πεντήκοντα καὶ ἑπτακοσίους ἀπὸ τῆς πόλεως σταδίους οὖσαν. Nam eo loco 750. ſtadia præciſe efficiunt 100. miliaria, quod alibi a me oſtenſum eſt. Imo, non aliter in epiſtola D. Seueri ad Fabium Chilonem P. V. vt refert Vlpianus *l. 1. in pr. D. de off. P. V.* *Omnia omnino crimina*, inquit, *Præfectura vrbis ſibi vindicauit: nec tantum ea quæ intra vrbem admittuntur, verum ea quoque quæ extra vrbem intra Italiam Epiſtola D. Seueri ad Fabium Chilonem Præfectum vrbi miſſa declaratur.* Quo loco vox *Intra*, excluſiue accipienda, vt alibi pluribus oſtendo: quod hactenus non perſpectum, fecit vt hic locus cum altero eiuſdem Vlpiani pugnare vulgo crederetur, quo nonniſi centeſimum Præfecti vrbis adminiſtrationi tribuit: cum tamen eadem ſit ſententia: Centeſimum enim ab vrbe ad Italiam decurrit, ſeu inter vrbem & Italiam iacet. Quare veriſſimum, Regiones Suburbicarias & centeſimum idem eſſe: contra *Italiæ* appellatione cum his Suburbicariæ opponuntur, veniſſe Prouincias omnes vltra centeſimum ſubmotas. Eapropter vt Piceni & Tuſciæ pars intra Centeſimum de Suburbicariarum numero fuit: ita ſubmotior Piceni & Tuſciæ pars Annonaria & ſic Italiæ fuit. Eapropter rurſum Felix Campania vltra Centeſimum ſubmota, a Piceno & Tuſciæ Suburbicariis regionibus ſeparatur *l. 12. inf. de indulg. debitor.* Neque his reclamare poteſt, quod de anguſtiore adhuc *Italiæ* appellatione dictum eſt ad *l. vinum 6. ſup. h. t.* Nam relatiue id accipiendum eſt pro ſubiecti argumenti ratione: Nam cum in *ea leg.* agatur de Annona cellarienſi ab Italiæ poſſeſſoribus miniſtrari ſolita; Cæterum eam annouam non niſi modica Italiæ pars miniſtrauerit, quæ & ideo *Annonaria* dicta; ſane *Italiæ* appellationem anguſtiore ibi ſignificatu accipi oportet, pro *Italia Annonaria*. Quod & poſtea alio propagatum. Verum hic ſubſiſto, cum peculiaribus libellis hoc negotium exactum ſit. Forte erit & tempus, cum ſuperioribus & alia adſtruentur argumenta: vbi non poſtremo loco futurum eſſet, ſi aliunde ſpecialius eruere liceret, quarum Prouinciarum Conſularis fuerit Anatolius, quem *Conſularem Regionum Suburbicariarum* hæc *lex* deſignat: quod apud Zoſimum & Amm. Marcellinum fruſtra requiro.

Illud ſaltem ex *hac l.* diſcere licet, Conſularis iſtius poteſtatem non intra vnam regionem Suburbicariam conſtitiſſe, verum plures Suburbicarias ei commiſſas, & forte omnes: ſic vt iuncta earum adminiſtratio fuerit, ſub Valentiniano Sen. ſaltem A. D. 365. antea quippe ſuburbicariæ cum cognominibus ab eodem regebantur: ſic enim Tuſciæ Rector & Annonariæ & Suburbicariæ Tuſciæ præerat: quod oſtendimus ad *l. vrbis Vulſinienſium, inf. de decurion.* quas tamen poſtea adminiſtratione ſeiunctas docet *Notitia imperii*, vbi *Conſularem Piceni Suburbicarii* memorat. Sed & Nouella Maioriani de adulteriis, inſcribitur *Rogatiano Conſulari Tuſciæ Suburbicariæ*: Vbi etiam obſeruandum eſt, rurſum totam Italiam opponi Suburbicariæ Tuſciæ.

Illud interea quoque hic monendum, hanc

Suburbicariarum Regionum & prouinciarum appellationem enatam videri ſub Conſtentio, & quidem A. D. 357. quarum etiam prima mentio occurrit biennio poſt, A. 359. quo ipſo Anno etiam *Quatuor Regiones* memorantur. De quo alibi prolixius.

COMPENSATIO *opulentarum & deſertarum poſſeſſionum, ad eundem pertinentium, in re annonaria.*

X. (a) Idem AA. ad Dracontium (b) Vic. Afric.

OMNES qui per Africam opulentas deſertaſve (c) centurias (d) poſſident, ad integrum profeſſionis (e) modum neceſſitati (f) publicæ ſatisfaciant. Dat. XVI. Kal. Iun. Med. Valentiniano & Valente AA. Coſs. [365.]

NOTAE.

(a) Abeſt hæc *lex* a *Cod. Iuſtin.* iungenda porro ei videtur *lex prox.* 11. *inf.* quæ eidem etiam inſcribitur. GOTHOFRED.

(b) *Dracontius* Vicarius Africæ ſub Valentiniano Sen. A. D. 364. 365. 367. v. *Proſopogr.* Eidem *tres* præterea *leges* hoc ipſo *titulo* inſcribuntur, *lex* 12. *prox. lex* 13. & 16. *ID.*

(c) De *Deſertis* centuriis mox. *Ve* autem hic pro *&*, quemodo & alias paſſim *vel* pro *&*. v. *Gloſſ. Theod. ID.*

(d) De *Centuriis* his mox. *ID.*

(e) *Profeſſio.* De hac voce mox. *ID.*

(f) *Neceſſitas* publica eſt res tributaria, paſſim *hoc tit.* & alibi vid. *Gloſſar. Theod. ID.*

COMMENTARIVS.

P. 20. STERILIVM agrorum eiuſdem domini ſeparatam ab opulentis rationem in inſpectione reque tributaria haberi vetat *h. l.* Valentinianus Sen. id eſt, deſertarum quoque ſeu fœnearum nihilominus poſſeſſionum nomine poſſeſſores cenſeri, tributaque inferre cogi iubet: ſi iidem Domini ſint opulentarum. Denique vult Valentinianus compenſationem & contributionem vtrarumque fieri, in re Annonaria. Quod vt intelligatur, ſciendum eſt, Imperatores, ad prouincialium querelas, ſæpe *Inſpectores* in prouincias miſiſſe, quo deſerta & ſqualida loca cenſibus & tributis eximerentur: quod factum quoque ab Honorio *l. 2. in ſ. de indulg. debitorum*, per Campaniam, per Africam proconſularem & Byzacenam *l. 13. inf. de indulg. debitorum*: vbi illuſtre exemplum habemus: de quo plene ſuo *titulo infra de Cenſitoribus*. Id inquam factum ſæpe. Verum non promiſcue; ſuper deſertorum enim nomine querelae eorum, qui alios præterea opulentos agros haberent non admiſerunt, neque admitti voluerunt: vt Valentinianus Sen. *hac l.* & *l. 17.* & ſimiliter Theodoſius M. *l. 3. inf. de Cenſitoribus*: Honorius *l. 31. inf. h. t. l. 12. inf. inf. de indulg. debitor.* & *l. 14 inf. de cenſitoribus*. Et quidem per Africam nominatim *h. l.* & *d. l. 17. inf.* Etiam in hæredibus *d. l. 17.* Scilicet niſi quid aliud interueniat, vel ſuadeat, æquabile id & ſecundum naturam eſt, vt opulentarum poſſeſſionum ſubſtantia alias, & deſertas ſuſtentet, quibus ſunt quaſi quarundam virium nerui. Atque hanc eandem æqualitatem, ſeu æquabilitatem vrget Arcadius *l. 8 inf. de Cenſitoribus*. Atque hæc eſt *huius leg.* ſententia. Quæ quidem ipſa æquitas & æquabilitas militat in ἐπιβολῇ, & vero inculcatur *l. 4 ſup.* Quæ tamen ab hac re diuerſa eſt, & perperam cum *hac l.* commiſceretur.

In *hac* vero *leg.* tria obiter adhuc notamus. Primum eſt de *Centuriis*, quarum *h. l.* mentio fit: vt & *l. 13. inf. de indulg. debitor.* In Centurias ſcil. diuiſi agri olim fuere: de quibus Varro, Feſtus, & limitum Scriptores, indeque & agri diuiſi, aſſignati, conſtituti per Centurias &c. Meminit & Iuſtinianus *Nouella 128.* περὶ τῆς τῶν δημοσίων ἀπαιτήσεως, *de exactione publicorum tributorum*, in eadem re. Quis vero modus Centuriæ fuerit, oſtendunt Scriptores *finium regundorum*, ſeu de *limitibus*: nempe ducentorum ferme iugerum. Eſt tamen vbi minore modo conſtabat centuria, eſt vbi maiore, ſic vt etiam ducenta decem, vel ducenta quadraginta contineret. De quo Varro, Feſtus, Siculus Flaccus, *p. 18. 23. & 24. ed. Rigalt.* ſiv. *pag. 15. & 20. edit. Goes.* Fragmentum agrarium *de limitibus, p. 298. p. 337. ed. Rigalt. & pag. 216. & 292. Ed. Goes.* & vetus Agrimenſor Aggenus Vrbicus in Iulii Frontini de limit. agror. commenter. *ab init. pag. 59. edit. Rigalt. & pag 44 45. edit. Goes.* & Frontinus *in libello de Coloniis, p. 90. edit. Rigalt. & pag. 109. edit. Goes.* Hyginus *de limitibus, p. 213. ed. Rigalt. & pag. 154. 216. ed. Goes.* Sane etiam ex *d. l. 13. inf. de indulg. debitorum*, apparet in vna centuria fuiſſe vt minimum 141. vel 144. 180. iugera. *Centuriæ* porro non omnes opulentæ prorſus erant, ſed pro parte deſertæ: atque ita militibus & veteranis aſſignabantur pro æſtimio vbertatis, neque eadem bonitate, de quo Siculus Flaccus, Frontinus & Geodetæ Græci, in queis Heron & Pediaſimus: Ad quas centurias per Africam hanc *leg.* pertinere omnino puto, pariter vt *d. legem 13.*

Deſerta porro (quod hic ſecundo loco notandum,) centuriæ dicuntur pariter deſerti agri *l. 12. inf.* deſerta ſimpliciter, *l. 12. inf. de indulg. deb.* deſerta & ſqualida loca, *l. 2. inf. de indulg. debitor.* minus idonei fundi, *l. 17. inf.* inutiles, *l. 4. ſup.* fœnei, defectiue, *l. 3. inf. de exactionib.* vnde & prædiorum defectio, *l. 31. inf.* deſtitutæ poſſeſſiones, *d. l. 31.* vetus quoque Interpres *Nouellæ 7.* ἄπορον κτῆσιν vertit *fœneam poſſeſſionem*; Mantica prædia *l. 3. inf. de Cenſitoribus*. Tot ſcil. nominibus deſertæ poſſeſſiones deſignantur: quibus ſimilia v. & apud Geodetas Latinos, Græcos.

Tandem obſeruandum, cenſualibus tabulis ſeu

polyp-

polypticis *l. 13. inf. de indulg. debit.* inditas & profeſſas huiuſmodi centurias ſiue opulentas, ſiue deſertas, *h. l.* & *d. l. 13.* hisque pro æſtimio vbertatis tributi modum impoſitum: qui *Profeſſionis modus* dicitur *h. l.* & *d. l. 13.* de qua *Profeſſionis* voce *inf. tit. de Cenſu:* v. & Auctores *finium regundorum* Siculum *p. 21. 25. edit. Rigalt.* & *pag. 18. 21. edit. Goes.* Hygenum, *p. 171. 206. ed. Rigalt.* & *pag. 160. 198. ed. Goes.* Frontinum, *p. 98. ed. Rigalt.* & *pag. 116. ed. Goes.* Vlp. *l. 3. §. 15. D. de cenſibus:* Vetus fragm. *legis Agrariæ*, CCV. *1. in eo numero agri profeſſus erit.* Quare *profeſſio* iam pro ipſa penſione tributaria *hoc Codice* paſſim *h. l.* & *l. 12. inf.* vid. *Gloſſ. Theod.*

De TRANSVECTIONE *annonæ ad limitem, ex quo loco fieri debeat.*

XI. (a) Idem AA. ad Dracontium Vic. Afric.

PRO loco (b) ac proximitate poſſeſſionum annona (c) ad limitem (d) tranſuehatur: Quæ (*) iuſſio haud difficile capit (e) effectum, ſi (f) Tabularii (g) metu præſentium tormentorum, a conſuetis fraudibus arceantur. Dat. xv. Kal. Iul. Med. Valentiniano & Valente Coſs. [365.]

NOTAE.

(a) *Lex 6. C. Iuſt. eod. tit.* Et coniungenda *huic*, vt videtur *lex prox. præced. 10.* GOTHOFRED.
(b) *Locis*, Cod. Iuſt. *ID.*
(c) *Annonam ad limites tranſuehi præcipimus:* ita immutatum hoc, *Cod. Iuſt. ID.*
(d) Africæ videlicet, oppoſitum barbaris gentibus. At Tribonianus generalius, *limites. ID.*
(*) Sequentia omnia a *Cod. Iuſt.* reſecata ſunt. *ID.*
(e) *rp. Capiet. ID.*
(f) Male hic nonnulli ſubſtituunt, *miſ. ID.*
p. 21. (g) De his *Tabulariis*, iam dixi ad *leg. 9. ſup. ID.*

COMMENTARIVS.

DE TRANSVECTIONE, ſeu CONVECTIONE, Comportatione militaris Annonæ limitaneæ a prouincialibus facienda, eſt hæc Valentiniani Sen. conſtitutio; cui concordant in ſummam quatuor præterea *leges*, puta eiuſdem Valentiniani *lex 9. ſup.* Valentis *lex 15. ſup. de erogat. milit. ann.* Theodoſii M. *lex 21. & 22. inf. hoc tit.* Nempe vt cæteroquin ſubleuandis collatoribus & prouincialibus conſtitutum, vt in annonæ tranſuectione longinquitatis itinerisque ratio haberetur, id eſt, vt non remoti, ſed in vicinia poſiti poſſeſſores annonam ad mutationes, manſiones, caſtra, limites ſubueherent, ne alioquin haberet plus diſpendii translatio, quam ipſæ deuotionis ſeu tributorum illatio, vt diſerte ait *d. lex. 22.* vnde & longæ ſubuectionis damna vocantur *l. 4. inf. de Suariis.* Ita nominatim id *hac l.* ſtatuitur, de annona ad limitem & militem tranſuehenda. Eadem proinde hac parte etiam limitaneorum annonæ ratio fuit, quæ cæterarum; quod Valenti fratri pariter placuit *d. l. 15. ſup. de erog. milit. ann.* Atenim alia mens poſtea hac parte ſedit Theodoſio M. *d. l. 21. inf. h. t.* limitaneorum quippe annonam is ab hac Regula excepit: Quod tamen Triboniano diſplicuiſſe apparet ex *ea l.* in *C. Iuſt.* hac parte interpolata, vbi hæc verba reſecata ſunt, *excepta limitaneorum annona.* Ingens nempe ac frequens iſtud in Imperio Romano ſubinde malum, quo Prouinciales afflicti. De Britannia imo olim teſtis Tacitus *in vita Agricolæ c. 19. Frumenti & tributorum exactionem æqualitate munerum mollire, circumciſis quæ in quæſtum reperta, ipſo tributo grauius tolerabantur: namque per ludibrium aſſidere clauſis horreis, & emere vltro frumenta, ac vendere pretio cogebantur: deuortia itinerum & longinquitas regionum indicebatur, vt ciuitates a proximis hibernis in remota & auia deferrent, donec quod omnibus in promtu erat, paucis lucroſum fieret. Hac primo ſtatim anno comprimendo egregiam famam paci circumdedit; quæ vel incuria vel tolerantia priorum, haud minus quam bellum timebatur.* Omitto ſub Conſtantino Eumenii querelam, cuius verba iam ante conſignaui ad *l. 9 ſup.* Omitto & Valeriani Imp. verba apud Pollionem in *vita Balliſtæ.* Quare ingenti malo, quod per Tabulariorum nominatim (quorum muneris erat tranſuectio annonæ, vt oſtenſum *l. 9 ſup.*) fraudes inoleuerat, vt præter *hanc l.* docet *d. lex 9 ſup.* ſubinde quoque obuiam itum, & *hac* quidem *lege*, acerrima pœna propoſita; metu, inquam, *præſentium tormentorum*, id eſt, certiſſima, quamque euitare non poſſent, pœna, vltimoque ſupplicio, *leg. mediterraneæ 22. inf. h. t.*

Pertinet autem *hæc l.* ſpeciatim ad limitem Africæ, quam hoc tempore Auſtoriani Mauricæque aliæ gentes ſolito acrius incurſabant, vt ſcribit Amm. Marcellinus, *lib. 26. c. 4.* V. eundem & *lib. eod. cap. 5.* & *lib. 28. cap. 6.* De tranſlatione alioquin annonæ militaris, ſeu στρατιωτικὰ, ex Aquitania ad limitem Gallicanum, vide eundem Ammianum *lib. 14. cap. 10.* & *lib. 17 cap. 8.* vt & ex Britannia in Gallias, vide Eunapium *in Excerptis legationum ab init. pag. 11. ed. Venet. inter Scriptor. R. B.* & Zoſimum *lib. 4. c. 10.*

Et hactenus quidem de *huius l.* ſententia. Falſum enim eſt, quod Amaya ſcribit, duo *hac l.* conſiderari citra alimoniam militum, nempe ampliores fundos & viciniores, ita vt plus ſoluant qui maiores fundos habeant, quam qui minores: & viciniores, quam longinqui, vt ſic qui habent vicini-

ora prædia limitibus ad quos annona deferenda eſt, plus grauentur ex eo, quod releuantur in expenſis itineris, &c. Duplici errore: nam neque de maioribus fundis hic agitur, ſed de vicinioribus tantum; *pro loco* (inquit lex) *ac proximitate*, id eſt, pro loci proximitate & vicinia: neque de Collationis modo hic quidquam definitur, ſed de tranſuectionis tantum onere.

Pro PROFVGIS *&* TRANSFVGIS *ſeruis poſſeſſores teneri.*

XII. (a) Idem AA. ad Fauentium. (b) Vic. Ital.

QVISQVIS, (c) ex deſertis agris, velut (d) vagos, ſeruos liberalitate noſtra fuerit conſecutus, pro fiſcalibus penſitationibus ad integram glebæ (e) profeſſionem, (f) ex qua videlicet ſerui videantur (g) manere, (h) habeatur obnoxius. Id etiam circa eos obſeruari volumus, qui ex huiuſmodi fundis ſeruos ad poſſeſſiones ſuas tranſire (i) permiſerint. Etiam, (*) ſi Militares viri aliquos ex his penes ſe retentant, (k) conueniendi primitus ſint, vt aut reſtituant, quos perperam petiuerunt, aut ſciant pro tributis obnoxios ſe futuros. Dat. Prid. Kalend. Auguſt. Med. Valent. & Valente AA. Coſs. [365.]

NOTAE.

(a) *Lex 3. Cod. Iuſt. de Agricolis & Cenſitis.* GOTHOFRED.

(b) *Fauentius* Vicarius Italiæ ſub Valentiniano Sen. cuius nulla præterea mentio mihi occurrit. *ID.*

(c) Etiam militaris, *verſ. etiam, inf. ID.*

(d) Ceu. *ID.*

(e) Id eſt, ad integram totius tributi præſtationem totius terræ nomine, quomodo Tribonianus hic vocem *terræ* pro *glebæ*, ſubſtituit. *ID.*

(f) De hac *Profeſſionis* voce dixi ad *l. 10. ſup.* Tribonianus hic ſubſtituit *poſſeſſionem. ID.*

(g) *Videantur* manare, pro manant. v. *Gloſſ. ID.*

(h) Malim reponere, *manare*, quomodo etiam nonnulli *Iuſtinianei* habent. *ID.*

(i) Vltro ſcil. non etiam Principis liberalitate. *ID.*

(*) Reliqua reciſa abſunt a *Cod. Iuſt. ID.*

p. 32. (k) De hac *Retentandi* voce vide *Gloſſarium. ID.*

COMMENTARIVS.

SERVOS ex deſertis agris ceu VAGOS, id eſt, dominio penitus vacantes, qui poſſidet, quocunq; modo eos poſſideat, & quiſquis ille ſit qui poſſidet, totius agri deſerti tributum ſoluere tenetur, ex hac Valentiniani Sen. conſtitutione: Quocunque, inquam, modo poſſideat, ſiue Principis liberalitate & a Principe petitos: ſiue vltro in poſſeſſiones ſuas transeuntes. Perperam ſcil. ſerui ex deſertis agris petuntur, quod *ſine legis* etiam diſerte exprimitur, cum alias ſeruos reuera vagos eiſdem Valentiniani conſtitutionibus recte petere liceat, puta *l. 1. 2. ſup. ſi vagum pet. mancip.* & Theodoſii M. *l. 20. ſup. de petit.* Nempe vt iniectio manus in hæc mancipia, fiſco competebat, quod docet *d. lex 2.* ita recte ab eodem petebantur. Quod non idem dicendum eſt de ſeruis agrorum deſertorum, ſcilicet hi non recte petuntur; niſi ſub hac conditione, vt videlicet indemnitatem tributorum faciant petitores, vt loquitur *d. lex 2.* vel retentatores. Scilicet re ipſa compertum eſt, hac arte, hoc colore deſtitutos cultoribus agros deſeri, remque tributariam concidere, ac maxime, vbi in militares viros huiuſmodi nequam ſerui incurrerent. Reliqua fuſe *ad d. tit. ſup. ſi vagum petatur mancipium.*

XIII. (a) Idem AA. ad Dracontium (b) Vic. Afric.

PLACVIT, per ſingulos quoſque annos reliqua (c) eorum, qui Romæ (d) conſiſtentes (e) in Africa poſſident, miſſis breuibus (f) indicari: eoſdemque compelli, vt Procuratores inſtructos (g) ad Officium (h) Tuæ Sinceritatis, pro celebranda (i) ſolutione, tranſmittant. Vt autem nihil de tranſmiſſione (k) ac peruectione (l) obſcuritatis oriatur, Tabularios (m) Præfecti Annonæ Afric. ſed (n) & Vrb. Romæ ad Officium quod Sollertiæ Tuæ paret, deduci præcipimus, collaturos apud acta, quid tranſmiſſum, quid peruectum ſit; cuius rei indicia (o) manere, & perferri ad Scrinia Noſtra debebunt; Eo nihilominus curando, vt plena inſtructio ad Officium Illuſtris Præfecturæ Prætorianæ deferatur. Dat. xv. Kal. Nou. PARISIS. (p) A. D. 365. Acc. xv. Kalend. Feb. Karthag. (q) Poſt Conſ. Valentiniani & Valentis AA. A. D. [366.].

NOTAE.

NOTAE.

(a) Abeſt hæc *lex* a *Cod. Iuſt.* Sane fugitiua etſi non prorſus ſit, attamen *titulo de Canone frum. V. R.* melius reddita fuiſſet. *GOTHOFRED.*

(b) Eidem *Dracontio* Vicario Africæ inſcribitur *lex* 10. & 11. *ſup. h. t. ID.*

(c) *Reliqua* λοιπάδες V. *Gloſſ. ID.*

(d) Et in his maxime Senatorum, de quo dixi *ad l. 7. ſup. ID.*

(e) Id eſt, poſiti. *ID.*

(f) De hac *Breuium* appellatione, conſule *Gloſſarium. ID.*

(g) *Inſtructos*, ab annonis ſcil. *ID.*

(h) Officium Vicarii Africæ obſerua; de quo vide *Notitiam dignitatum & Cod. Theod. ID.*

(i) *Celebrandi* vox hæc in re propria; Conſule *Gloſſarium Theod. ID.*

(k) Ex Africa. *ID.*

(l) Romam. *ID.*

(m) Tabularios Præfecti Annonæ Africæ obſerua, de quo in *ead. Notitia dignitatum. ID.*

(n) Tabularios Præfecti Vrbis Romæ obſerua, de quo in *eadem* Notitia. *ID.*

(o) *Indicia* hic, quod ſupra *Breues*. Ammianus *lib. 21. in f. Ei vehiculo inſidenti, vt principibus ſolet, Annonæ militaris offerebantur Indicia, vt ipſi nominant, proba; & animalia publico monſtrabantur.* Quanquam ibi *Indicia* ſunt ſpecimen Annonæ. *Dignata* vocantur *l. 9. inf. de Suariis.* Simuli ſignificatu Indicium, *l. vlt. inf. de ſuperexact. ID.*

(p) PARISIIS data hæc *lex*: de quo mox. *ID.*

(q) *Karthagine* ſedebat Vicarius Africæ. *ID.*

COMMENTARIVS.

ANNONÆ VRBICÆ, ſeu annonæ, Vrbis Romæ, (quæ ſolemniter ex Africa Romam tranſmittebatur) ne fraus aliqua fieret, hac conſtitutione occurrit Valentinianus Sen. Qui cæteroquin hac tempeſtate Annonæ Vrbicæ ſerio proſpexit, quo & incorrupta & integra Romam tranſmitteretur, quod docet etiam *lex 2. inf. de canone frument. Vrb. R.* quæ Præfecto annonæ inſcribitur, hoc ipſo Anno 366. Igitur & eo pertinent duo *huius l.* capita. Primo capite, ſolutioni ipſi cauendum credidit: ne forte per abſentiam eorum, qui annonam præſtare debebant, ea minus ſolueretur. Plurimi nempe, & in his maxime Senatores, Romæ conſiſtentes, per Prouincias poſſidebant, ac nominatim in Africa, quod præter *hanc l.* docet quoque Symmachus *lib. 7. ep. 66.* Quare cum abſentibus iis non tam facile annonæ vrbicæ exigi poſſent, plurimaque *in Reliquis* reſiderent, colonis & actoribus non ſatisfacientibus, ſequentia duo Valentinianus Sen. conſtituit. *Primo*, per ſingulos annos hæc reliqua miſſis Breuibus a Vicario Africæ indicari oportere. *Secundo*, poſſeſſores Romæ conſiſtentes, Procuratores inſtructos (ab annonis ſcil.) ad ſolutionem faciendam ad officium Vicarii Africæ tranſmittere oportere: Procuratores, vel Actores, ut *l. 4. inf.* Et hæc ipſam ſolutionem ſpectant. Secundo capite, ne *Tranſmiſſioni & peruectioni* annonæ vrbicæ quoque fraus aliqua fieret, hæc conſtituenda putauit: *Primo*, collationem apud Acta Vicarii Africæ faciendam a Tabulariis; collationem, inquam, tranſmiſſionis, id eſt, quantum annonæ ex Africa tranſmiſſum fuerit; *Rur-*
P. 23 *ſum* collationem peruectionis, id eſt, quantum reuera Romam fuerit peruectum, vt ita liquere poſſit penes quem fraus reſideat Annonæ interuerſæ: Modum autem collationis hunc præſcribit, nempe ad id faciendum vtriuſque Præfecti annonæ, tam Præfecti annonæ Africæ, quam Præfecti annonæ Vrbis Romæ (quorum ille tranſmittendæ Romam, hic peruectæ ſuſcipiendæ & adminiſtrandæ ſolicitudinem gerebat) Tabularios, per quos ſcil. rationes huius annonæ conficiebantur, ad Vicarium Africæ perduci oportere, ibi collaturos, quid tranſmiſſum, quid peruectum ſit, atque id omne in ſcripturam redigendum, ſeu vt loquitur lex, *Indicia* conficienda, de qua voce iam in *Notis* dixi. Hoc ita facto ad ſcrinia Principis hæc Indicia perferri oportere: *Tandem* & Præfectum Prætorio (quem totius Annonæ cura ſpectabat) plene ſuper hoc inſtruendum. Quæ omnia vt exactam vrbicæ Annonæ conſulendi rationem continent; ita quam variæ Dignitates & Officia circa hanc annonam vrbis Romæ occupata fuerint, edocent. Nempe ſummo loco Præfectus P. poſt hunc præfecti duo Annonæ, quorum vnus in Africa, alter Romæ; ille tranſmittendæ, hic tranſmiſſæ ſuſcipiendæ deſtinatus. Vtrique ſuos & varios Officiales habentes, & in his Tabularios, qui annonæ tranſmiſſæ & peruectæ tabulas ſeu Indicia conficiebant; de quibus ſpecialius *inf. de canone frumentario vrbis Romæ*, vbi *hæc l.* melius quadraret. De Præfecto Annonæ Africæ illud interim monere operæ pretium, cuius prima mentio occurrit *in l. 8. inf. de exactionibus: l. 16. de Nauicular. l. 2. de naufragio*, poſteaquam Africana annona vrbi Romæ deſtinata, Alexandrina vero Conſtantinopoli, exinde iam peculiares & nouos Præfectos annonæ duos inſtitutos, quorum vnus Karthagine Præfectus annonæ Africæ, de quo *h. l. & dictis legibus*: alter Præfectus annonæ Alexandriæ, de quo *l. 3. inf. de ſuſceptorib.*

Neque huius *legis* ſubſcriptionem omittere poſſum, caræ mihi ciuitatis contemplatu, vnde mihi origo. *Dat.* PARISIIS.

PARISIIS ſcil. Valentinianus Sen. fine A. D. 365. conſtitit: vnde data hæc *lex* fine huius Anni, & duæ præterea *hoc Cod.* conſtitutiones, puta *lex 3. ſup. de metallis: lex 11. ſup. de Numerar.* Et vero huc pertinet Ammiani locus *lib. 26. cap. 5. in geſtis huius Anni 365. Circa id tempus, aut non multo poſterius, in Oriente Procopius in res ſurrexerat nouas: quæ* PROPE KAL. NOVEMBRIS *venturo Valentiniano* PARISIOS, *eodemque nunciata ſunt die.* Qui Ammiani

miani locus ſuadere videatur, non *XV. Kal. Nouembr.* hanc *leg.* datam, ſed citeriore aliquo Kalendarum Nouemb die. Idem ſane Ammianus *initio lib. 27.* Anni ſeq. 366. initio, eundem Valentinianum Pariſiis bæſiſſe teſtatur *cap. 2.* Neque dubito, ad hanc ipſam ciuitatem, imo & ad hoc ipſum tempus referri oportere fidem illam, quæ inter *fragmenta* Hilarii, ex V. C. Petri Pithœi bibliotheca apud PARISIAM Ciuitetem, (ita enim reſcribendum,) expoſita ab Epiſcopis Gallicanis ad Orientales Epiſcopos miſſa dicitur. Nempe Pariſiis congregati Epiſcopi Gallicani, occaſione præſentis Valentiniani Imp. & quidem agente id & promouente Hilario Ep. Pictauienſi: quod vt ex ea ipſa fide ſatis colligere licet, ita & hanc inter cæteras Pariſienſem Synodum reſpexit Sulpitius Seuerus *lib. 2. cap. 45.* cum ait, Hilarium poſt reditum ab exilio cunctos ad emendationem & pœnitentiam reuocaſſe, *frequentibus*, inquit, *intra Gallias conciliis, atque omnibus fere Epiſcopis de errore profitentibus apud Ariminum geſta condemnant, & in ſtatum priſtinum Eccleſiarum fidem reformant.* Itidemque de Saturnino Arelatenſi Ep. Eccleſia eiecto ſubiicit: quod & ipſum in Pariſienſi illa Synodo memoratur. Iuuat nunc breue Chronicon horum temporum oculis ſubiicere, de vrbe Pariſienſi, cuius etiam fit mentio in *Itinerario Peutingeriano Tabula 2. pag. 730. Operum M. Velſeri edit. Norimbergens.*

CHRONICI PARISIENSIS PARS.

Sub CONSTANTIO Imp. & IVLIANO C.

AN. DOM. 358.

IVLIANVS C. cum anno ſuperiore apud SENONAS hyemem exegiſſet, inde aduerſus Germanos moturus, REMOS primum progreſſus, mox poſt Argentoratenſem pugnam, FRANCORVMQVE conatus circa Moſam fluuium, Decembri menſe ſuperioris anni, & Ianuario huius anni, repreſſos, acturus hyemem PARISIOS reuertit: Ammianus *lib. 16. cap. 12. lib. 17. c. 2.*

Iulianus apud PARISIOS hyemen agens, ante menſem Iulium in Alemannos & FRANCOS SALIOS, Chamauos rurſum mouet. Ammianus, *lib. 17. cap. 8.*

AN. DOM. 359.

Militis cuiuſdam, Equeſtri turma militantis, apud PARISIOS nati, vindictæ ob commiſſum facinus metu ad Perſas profugi, meminit Ammianus lib. 18. *cap.* 6.

AN. DOM. 360.

Iulianus C. hyemem agit apud PARISIOS, vnde Britannis ſubſidio ire noluit, ne Rectore vacuas relinqueret Gallias, Alemannis tum ad ſæuitiam incitatis & bella. Ammianus, *lib. 20. initio.*

Cum Conſtantius milites ex Galliis in Orientem euocaſſet, placuit eos per PARISIOS tranſire, vbi morabatur adhuc Cæſar nuſquam motus; (contra conſilium & monita Iuliani, qui id maxime ſuaſerat, veritus, ne id quod accidit, miles viſo Cæſare res nouas agitaret, vt ſcribit Libanius in *Orat funebri pag. 284. edit. Morell.* & Iulianus ipſe in *ep. ad Athenienſes. pag. 284. edit. Lipſ. Spanhem.* Iiſdemque aduentantibus in Suburbanis [*Pariſiorum*] occurrit Iulianus, eoſdemque beneuolentia magna affatus, ſibi conciliauit.

Mox PALATIVM [Pariſienſe Iuliani] petiuere, vbi Iulianum Auguſtum appellauere, & impoſitum ſcuto pedeſtri, & ſublatius eminentem, populo ſilente Auguſtum renuntiauere, torque draconarii capiti eius impoſito. His auditis P. 24. etiam illi, qui antegreſſi iam fuerant duce Sintula, cum eo iam ſecuti PARISIOS reuerſi: Iulianus tribunali aſcenſo, oratione ad eos habita ſe commendauit, hoc inter alia ſtatuto, dignitatum gradus & proceſſus non alieno ſuffragio, verum meritis ſuffragantibus, a ſe deinceps conferendos. V. Ammianum *lib. 20. cap. 4. & 5.* Zoſimum *lib. 3. cap. 9.*

Iulianus apud PARISIOS hybernis locatis, de Auguſta dignitate ſibi collata ad Conſtantium literas dedit. Ammianus *lib. 20. cap. 8.* Zoſimus, *d. l. 3. cap. 9.*

Conſtantius de his certior factus Leonam Quæſtorem ſuum in Gallias miſit; qui PARISIOS ingreſſus. Ammianus, *lib. 20. cap. 9.*

Inde mox Iulianus in limitem Germaniæ ſecundæ aduerſus FRANCOS Atthuarios egreſſus eſt, Marcellinus *lib. 20. c. 10.*

Memorat Ammianus *lib. 21. c. 2.* & Iulianum apud PARISIOS exercuiſſe ſe in campo: ſimul & memorat, quid ei euenerit ſcutum quatienti.

Iulianus ipſe *in Miſopogone* ſuæ ipſius moræ PARISIIS meminit; eamque ſimul deſcribit, & aërem commendat, quidque ibi occaſione camini calefacti ſibi contigerit, *pag. 340. 341. edit. Lipſ. Spanhem.*

Sane vocat eam *pag. 342. charam Lutetiam* φιλτάτην Λευκετίαν: Lutetiam appellat PARISIORVM πολίχνην oppidum: vocat νῆσον *Inſulam* οὐ μεγάλην.

Ammianus quoque *lib. 15. c. 11.* (qui ſub Theodoſio M. ſcripſit.) vocat *Lutetiam Pariſiorum caſtellum*, circum clauſum ambitu inſulari.

Pontes vtrimque ad eam ſublicios fuiſſe, idem Iulianus ſcribit. *pag. 340.* Zoſimus *lib. 3. c. 9.* vocat Γερμανίας πολίχνην: cum debuerit dicere Λουγδουνησίας.

Sub VALENTINIANO SENIORE.

AN. DOM. 365.

Valentinianus prope Kal. Nouembris PARISIOS venit, Ammianus *lib. 26. cap. 5.*

Conſtitutiones itaque aliquot PARISIIS a Valentiniano datæ hoc Anno; xv. Kal. Nouemb. *lex hac 13. Cod.*

Cod. Theod. de Annona & Trib. ad Dracontium Vic. Africæ IV. Id Decemb. *lex 3. Cod. Th. de metallis:* ad Creſconium Com. Metallorum Prid. Id. Decemb. *lex 11. C. Th. de Numerariis* ad Rufinum PP.

Synodus apud Pariſiam ciuitatem habita ab Epiſcopis Gallicanis: promouente Hilario Ep. Pictauienſi: vbi fides expoſita & ad Orientales Epp. emiſſa, condemnata Synodo Ariminenſi. Quæ extat inter Hilarii *fragm.* Quam proculdubio, & Seuerus Sulpitius intellexit *lib. 2. cap. 45.* Neque dubito, quin ea Synodo Saturninus Arelatenſis Ep. Eccleſia eiectus fuerit: vt indicium facit ea fides *in fin.*

An. D. 366.

Valentinianum initio huius Anni Pariſiis adhuc egiſſe duobus locis oſtendit Ammianus *lib. 27. cap. 2.* vbi Alemannorum ſtatim poſt Kal. Ianuarias in Germaniam tranſitum, Chariettouis Ducis per Germaniam interitum, & vexilla quædam direpta, ait, hac clade cum vltimo mœrore [a Valentiniano] comperta, correcturum huiuſmodi geſta Dagalaiphum a Pariſiis miſſum. Addit accitum paulo poſt, vt cum Gratiano ſuſciperet inſignia Conſulatus, Iouinumque Equitum Magiſtrum accinctum &c.

Mox ſubiicit Iouino redeunti Pariſios poſt claritudinem recte geſtorum Imperatorem (Valentinianum) lætum occurriſſe, eumque poſtea Conſulem deſignaſſe.

Inde Remos progreſſus Valentinianus; v. Ammianum, & *Chron. Theod.*

Sub GRATIANO.

An. D. 383.

Gratianus Imp. Pariſiis Merobaudis Magiſtri militum proditione ſuperatus fugienſque apud Lugdunum occiſus eſt, VIII. Kal. Septembr. vid. *Chronicum Theodoſ.*

Sub VALENTIN. IVN. ET Theodosio M.

An. D. 390.

Ammianus Marcellinus *lib. 15. cap. 11.* In illa inſigni de Gallis ἐκβάσει, einſque deſcriptione, eius quoque meminit, Pariſiorum caſtellum, Lutetiam nomine appellat. Addit, circumclaudi ambitu inſulari; inde Sequanam & Matronam conſociatim meare, meanteſque protinus prope caſtra Conſtantia fundi in mare.

Sub VALENTINIANO III.

An. D. 427.

Fit eius mentio duobus locis in *Notitia Imperii.* Ibi quipppe memoratur, *In prouincia Lugdunenſi Senonia, fol. 179. Præfectus claſſis Anderetianorum* Pariſiis.

Item *ibid. Præfectus Sarmatarum Gentilium a Chora* Pariſios *vſque.*

Erat ſcil. hæc claſſis, vt & Sarmatæ Gentiles, illis locis, aduerſus Francos & Burgundiones, qui vicina iam tum loca tenebant: *Chora* fluuius eſt, qui hodie *Chœur*, non procul ab Auguſtoduno, Aualonem & Antiſidorum inter.

XIV. (a) Idem AA. ad Modeſtum PF. P. (b)

P. 25. Penes (c) quos fundorum dominia ſunt, pro his Colonis (d) originalibus, quos in locis hiſdem (e) cenſos (f) eſſe conſtabit, vel per ſe, vel per Actores (g) proprios, recepta Compulſionis (h) ſolicitudine, implenda munia functionis (i) agnoſcant. (k) Sane quibus (l) terrarum erit quantulacumque poſſeſſio, qui in ſuis (m) conſcripti (n) locis proprio nomine libris cenſualibus detinetur, ab huius (o) præcepti commonitione (p) diſcernimus: eos enim conuenit propriæ commiſſos mediocritati annonarias functiones ſub ſolito Exactore cognoſcere. (q) Dat. Kal. Maii. Conſtantinop. Gratiano (r) A. & Dagalaiſo Coss.

NOTAE.

(a) *Lex 4. Cod. Iuſt. de Agricolis cenſitis & colonis.* Concordat *lex 2. inf. ſine cenſu vel reliquis*, & *lex 3. inf. de cenſu.* GOTHOFRED.

(b) *Modeſtus* PP. Orientis ſub Valente Imp. v. *Proſopogr.* vbi plene de eo dico ex Libanio, Am. Marcellino, Baſilio, Gregorio *in Monodia Baſilii*, Zoſimo, Socrate, Idacio. *ID.*

(c) *Hi penes quos* C. Iuſt. addita voce *hi. ID.*

(d) De Colonis his conſule *Paratitlon de fugitiuis colon. ID.*

(e) *Eiſdem.* C. Iuſt. *ID.*

(f) *Cenſitos* C. Iuſt. quod idem eſt. Sic Tertullianus Apolog. *cap. 13. Hominum capita ſtipendio CENSA ignobiliora. ID.*

(g) *Exactores* C. Iuſt. male. *ID.*

(h) De *Compulſoribus* dico ad *l. 34. inf. h. t. ID.*

(i) *Functio*, plenius *fine l.* functio annonaria. ID.

(k) *Cognoſcant* in *fine leg. Agnoſcendi* vox in hac re propria. v. *Gloſſ.* & *l. 17. inf. ID.*

(l) Colonis ſcil. *ID.*

(m) Propriis, ad ſe pertinentibus. *ID*

(n) *Conſcripti* vox hac in re propria, vt apud Græcos ἀπογράφεσθαι, qua voce vtitur Baſilius *ep. 278.* (ſiu. 281. *edit. Benedictin.*) ad eundem PP. Modeſtum, qua eum rogat, vti Presbyterorum & Diaconorum immunitas a cenſu his ſeruetur. *ID.*

(o) *Huiusmodi* Cod. I. *RITTER.*

(p) *Commenione* C. Iuſt. Neque tamen iſtud mutem: nempe *Commonitionem* vocat Imperator ſuperius præceptum. *GOTHOFRED.*

(q) *Agnoſcere.* C. Iuſt. vt ſup. *initio l* & *l. 17. inf. ID.*

(r) Male Conſulatus hic ita notatur *hac l.* & *l. 10. ſup. de pœnis*: & *l. 1. ſup. de poſtliminio*: Nondum enim Gratianus Auguſtus erat. Rectius *Nob. P.* vt in aliis *legib.* & in *Conſularibus.* Imo in totum male hic Conſulatus *huic l.* adſcriptus: ſubſcribendus enim *Gratiano A. II. & Probo COSS.* id eſt, *A. D.* 371. Modeſtus enim ab Anno demum 370. Præfectus Prætorio Orientis fuit, vt alibi oſtendo. *ID.* Vide *Chronologiam*, ad annum 366. & ibi *Petri Relandi* obſervationem. *RITTER.*

COMMENTARIVS.

PRo Colonis an & quando fundorum domini tributa ſoluere cogantur, definit *hac l.* Valens Imp. Pro colonis, inquam, originalibus: Coloni ſcil. originales: ipſa originis ratione, ſeu naſcendi ſorte fundos dominorum colebant, iiſque adſcripti & adſtricti erant: de quibus dixi ſemel plene ad *l. 1. de fugitiuis colonis.* Igitur in hoc argumento ita diſtinguit Valens Imp. Vel coloni iſti originales in Dominorum locis tantum cenſi vel cenſiti ſunt, id eſt nullas habent ipſi proprias terras vel poſſeſſiones: vel iis eſt terrarum quantulacunque poſſeſſio, atque ideo in ſuis conſcripti locis proprio nomine libris cenſualibus detinentur. Priore caſu, domini fundorum, penes quos fundorum dominia ſunt, functiones pro colonis his implere ſeu tributa annonaſque ſoluere tenentur: & quidem vel per ſe, ſi videl. præſentes ſint; ſi abſentes, per Actores ſuos: male enim *Cod. Iuſt.* per *Exactores,*: vel Procuratores, vt *l. 13. ſup.* Nempe qui in diſſitis & diuerſis prouinciis locisque fundos habebant, in his Actores habebant, qui eorum curam haberent, penſiones exigerent, de quibus paſſim *hoc Codice*, & apud Symmachum Vid. vel *lib. 5. ep. 87.* (vbi inter alia, quod *huic l.* conuenit: *Graue eſt enim nos quidem pro agris noſtris Functionibus publicis eſſe munificos, Actores autem locorum, ne id quidem velle redhibere,* [*ſoluere*] *quod ſciunt per annos ſingulos eſſe ſoluendum.*) Et *lib. 9. ep. 6. 15.* Ergo Domini ipſi hoc caſu tributa pro colonis ſoluere tenentur, *recepta*, inquit, *compulſionis ſollicitudine*, id eſt, quæ interpretatio huc adferri poteſt, compellendorum colonorum ad ſolutionem onere in ſe recepto. Nempe fiſcus remitti a dominis ad colonos non poteſt: verum etſi coloni penſiones non ſoluerint, ipſi domini fiſco tenentur; ſaluo (vt hodie loquitur) regreſſu aduerſus colonos: qui regreſſus, *Compulſionis ſollicitudo* vocatur. Niſi potius putemus, id his verbis indicari, dominos *a Compulſoribus* exigi poſſe: de quibus Compulſoribus, *ad l. 34. inf. h. t.* Poſteriore vero caſu, domini pro colonis non tenentur, earum videl. poſſeſſionum nomine quas coloni proprio iure poſſident: nam & hi libris cenſualibus proprio nomine retinebantur: ſeu cenſualibus libris adſcripti erant, ſua ſcil. quemque onera ferre æquum eſt. Quæ & ipſa ſententia eſt *legis 7. ſup.*

Hinc interim colligimus colonos etſi originales, etſi dominos agnoſcerent, fundiſque alienis naſcendi ſorte adſtricti eſſent, attamen proprios quoſdam aliquando fundos habuiſſe: & quidem modicos. Vnde ὑποχορισμὸς illa: *quibus erit* Qvantvlacvnqve *poſſeſſio*: & mox: *eos enim conuenit propria commiſſos* Mediocritati *annonarias functiones ſub ſolito Exactore cognoſcere.* Denique peculia ſua quædam habebant, vt docet *lex vn. ſup. de Inquilinis colonis, l. vn. ne colonus inſcio domino ſuum alienet peculium*: *l. 2. Cod. Iuſt. in quib. cauſis coloni dom. accuſ. poſ. l. vn. C. eod. de colonis Thrac.*

p. 26. XV. (a) Idem AA. ad Probum PF. P. (b)

VNvsqvisqve annonarias ſpecies, pro modo capitationis (c) & ſortium, (d) præbiturus, (e) per quaternos menſes anni curriculo (f) diſtributo, tribus vicibus ſummam conlationis implebit. (g) Si vero quiſque (h) vno tempore omnia ſua debita (i) optat expendere (k) proprio in adcelerandis neceſſitatibus ſuo (l) vtatur arbitrio. Dat. XIV. (m) Kal. Iun. Remis, (n) Gratiano & Dagalaiſo Coss. [366.]

Interpretatio. *Iſta lex hoc præcipit, vt in inferendo publicis horreis tritico, quod debet poſſeſſor pro rata canonis ſui tribus illationibus, id eſt, quaternis menſibus ſingulas debitorum partes acceleret, vt per annum ſumma debiti canonis impleatur. Erit autem in ipſius arbitrio, ſi celerius potuerit, debita frumenta conuehere.*

NOTAE.

(a) Abeſt hæc *lex* a *Cod. Iuſt.* concordat huic *lex prox.* 16. & *lex 35. inf. de ſuſceptoribus*: *lex 11. inf. de Exactionibus. GOTHOFRED.*

(b) *Probus* PP. ſub Valentiniano Sen. cuius vero Præfecturæ hoc Anno 366? Non Italiæ: Anno quippe demum 368. PP. Italiæ factus eſt poſt Rufinum, qui eam adminiſtrauerat A. D. 366. 367. vt docet *Chronologia*, & Amm. Marcellinus *lib. 27. cap. 7.* Quare PP. Galliarum hic accipiam: cuius Probi Præfecturæ Prætorianæ mentio in *l. 4. Cod. Iuſt. ne rei domin. vel templor.* & in tribus veteribus Inſcriptionibus, quarum duæ Romæ: tertia Calderii prope Veronam. vide Gruterum CCCCL. 1. 2. 3. & *Proſopograph. ID.*

(c). De hac *Capitationis* voce mox. *ID.*

(d) De hac *ſortium* voce mox. *ID.*

(e) Abeſt *præbiturus* a Cod. W. *RITTER.*

(f) Cir-

(f) *Circulo*, MS. G. & Sichard. *ID.*

(g) Eumenius in Panegyrico Flauienſium, nomine *cap. 11. Deſperatio perferendi debiti, etiam id quod dari poterat, inbibebat, nec erat ratio conandi, cum non eſſet ſpes vlla complenda.* GOTHOFRED. In MS. W. legitur, *implenis. RITTER.*

(h) *Quiſque*, pro quiſquam, v. *Gloſſ. Theod.* GOTHOFRED.

(i) *Debita* ſunt tributa: dixi iam plene ad *l. 6. ſup. de diuerſ. reſcr. ID.*

(k) *Expendere*, eſt ſoluere, præſtare, & quidem feſtinata ſolutione. *ID.*

(l) *Suis*, MSS. W. & G. Sichard. prior Cuiac. & illa in Quarto. *RITTER.*

(m) *XVI. Kal. Ianuar.* ita Anianus Rhemenſis. *GOTHOFRED. XVII. Kal. Ian.* MS. W. & Sichard. *RITTER.*

(n) *Remis* in Gallia hoc Anno 366. & ſequente 367. conſtitit Valentinianus Sen. v. *Conſular. Theod.* & Am. Marcellinum *lib. 26. cap. 5.* Quare ibi plures ab eo *leges* datæ rum. *GOTHOFRED.*

COMMENTARIVS.

DE TEMPORE SOLVTIONIS ſpecierum Annonariarum eſt hæc Valentiniani Sen. conſtitutio, data in Gallia *Remis*, & vt exiſtimo ad Præfectum Prætorio Galliarum: de quo iam *in Notis.* Definit igitur *hac leg.* Valentinianus, tributa, ac nominatim *annonarias ſpecies* (quod Interpres ad *triticum* male coarctat,) per quaternos menſes tribus vicibus in anno ſolui & impleri debere: quod & ipſum ab eodem ſtatuitur *l. 3. inf. de conlat. fundor. patrimon. l. 11. inf. de exactionibus: l. 15. inf. de ſuſceptoribus:* & a Valente fratre eius, ſi Valentis ea eſt, quod non puto: *l. 16. inf. prox.* Atque ita deinceps obtinuit ſub Theodoſio M. quoque; vt docet eius *lex vn. inf. de quadrimenſtruis breuibus.* Sed & Libanii locus ad eum ipſum Imp. Theodoſium *Orat. contra Tiſamenum, p. 448. edit. Morelli*, vbi Tiſamenum eo nomine reprehendit, quod annuum tributum non per quaternos menſes, verum annua vnicaque ſolutione inferri cogeret. Καὶ τῦτο τὸ δίκαιον, ἔν τε τοῖς ἄλλοις κ̀ τῷ φόρῳ. μὴν μὲν γὰρ ἐνοσὶ τῷ ἔτει τέταρτος, τὸ τρίτον τῦ ἐνιαυτῦ μέρος. ἠδικῆσθαι δὲ τὸν βασιλέα. φησὶν, εἰ τῦ παντὸς εἰσενηνεγμένυ. πῶς, ὦ καταγέλαστε; κ̀ γὰρ ἐν ἀγροῖς κείμενον, ἐκεῖ ἂν ὁμοίως τῷ βασιλεῖ: κ̀ ὐκ ἂν ἦν ἔλαττον. ὐδὲ γὰρ ἐνταῦθα κείμενον πλέον τῷ φέροντι δὲ, ὐκ ἴσον ἢ τήμερον ἅπαν, ἢ μεμερισμένον εἰς μῆνας εἰσενεγκεῖν. ὐδὲ κέρδος ἐκείνῳ, ζημίαν δὲ ἡμῖν προξενῦν τὸ [illegible] ζητεῖ, &c. *Atque hac eius iuſtitia tum in aliis, tum in Tributis eſt. Menſis equidem hic quartus anni eſt, tertiaque anni pars, verum is iniuria affici Imperatorem ait, niſi totius anni tributum inferatur. Quomodo enim, vir ridicule, ſiquidem quod in agris conditum eſt, conditum id quoque ſimiliter eſt Imperatori: neque ibi conditum aut minus aut maius efficitur. Inferenti vero non idem eſt, hodiene totum an vero in menſes diuiſum inferat: neque* (Imperatori ſcil.) *feſtinata ſolutio lucrum eſt, damnum vero nobis id conciliat.* Id ipſum obtinuit & ſub Honorio & Theodoſio Iun. vt oſtendit *lex 173. inf. de decurionibus: lex 27. inf. de ſuſceptoribus.* Eoque pertinent Quadrimenſtrui breues, de quibus erit *infr.* peculiaris *titulus hoc ipſo libro:* vbi *lex vnica* eſt Theodoſii M. deque iiſdem agitur *dict. leg. 173. inf. de decurionibus*, & *dict. leg. 27. inf. de ſuſceptoribus;* videnda & Maioriani *Nouella de indulgent. reliquorum 4.* vbi & rationem huius tripartitæ ſolutionis addit. *Et quia totum pro remedio poſſeſſoris Serenitas noſtra conſtituit, quem tributorum ſoluendorum gratia fruges ſuas ſub opportunitatibus vendentem volumus per temporis interualla refoueri, trina per annum vice ſingulari indictionum quantitas ſperanda ſoluatur, & quadrimenſtruis illationibus annuæ functionis celebretur exactio.* Tandem frequens eius mentio apud Caſſiodorum.

Tripartita igitur ſolutione per quaternos menſes, ſeu quadrimenſtrua totius anni tributa ſoluebantur: & fiſci & priuatorum commodo. Quare neque inuiti prouinciales vna ſolutione eo adigi poterant; & viceuerſa conſtitutis temporibus ea inferri oportebat; neque exactioni inſiſtentes dilationem tribuere poterat, quod facere ſæpe ſoliti ſubleuandis in ſpeciem tributariis, reuera tamen & ſpoliandis ſeu concutiendis illis, & in fiſci præiudicium: De quo extat egregius Caſſiodori locus p. 27. *lib.* XI. *Var. 7.* ad Iudicem prouinciæ. *Poſſeſſorem te officiumque tuum præcipimus admonere, vt* TRINA ILLATIONE *deuotus* [poſſeſſor ſcil.] *conſtitutis temporibus ſuam compleat functionem: ita vt ceſſet venalis illa* DILATIO, *quæ non ad tributariorum compendia, ſed fraudis ambitum cognoſcitur exquiſita: nam qui ſe huiuſmodi onera ſubleuare dicunt, aliud maius pondus abominabilis nundinationis imponunt. Abſit a noſtris temporibus deteſtabilis & fugienda verſutia: poſſeſſor nihil aliud niſi quod publico debetur exoluat: nam ſua damna potius agunt, qui ſub nobis aliqua fraudare contendunt. Quapropter ſicut fiſcalia onera nulla occaſione volumus aggrauari, ita* CONSTITVTIS TEMPORIBVS *præfinitas illationes præcipimus, Deo iuuante, compleri: quatenus & poſſeſſorum deuotio gratiſſima dominis innoteſcat, & tarditatis inuoluta confuſio noſtris rationibus auferatur. Vnde ſingulis quibuſque temporibus ſolemni more factos Breues ad ſcrinia noſtra tranſmitte, ſicut te & priſca Legum, & noſtra iuſſionis præſens commonere videtur auctoritas: ne ſi aliquid horum æſtimaueris negligendum, tu tibi abſolute facias eſſe periculum.*

Alter in eandem ſententiam Caſſiodori locus eſt *lib. XII. Var. 2. Te officiumque tuum, poſſeſſores præcipimus admonere, vt tributa deuota mente perſoluant: quatenus trinæ illationis moderamine cuſtodito, debitam Reipubl. inferant functionem. Tempora exactionum ſtatuta ſeruentur: ita tamen, vt nullus ſub immatura Compulſionis iniuria ſe ingemiſcat exactum: nec iterum ſub turpi venalitate induciarum, largitas damnoſa præbeatur. Dilatio enim tributi maior ſit cauſa diſpendii: quando irrite ſuſpenditur, quod nullis protractionibus euitatur. Expenſarum quoque fidelem notitiam, quaternis menſibus comprehenſam, conſuetudine cuſtodita ad ſcrinia noſtra dirigere maturabis &c.* Vide eun-

de eundem & *lib. XII. Var*, 10. Tertius *XII. Var.* 16. *Poſſeſſorem te præcipimus admonere, vt trina illatione ſeruata aſſem tributarium deuotus exſoluat; quatenus nec alioqui ſe ſub immatura compulſione ingemiſcat exactum, nec iterum remiſſione latata* [tentati] *quiſquam ſe dicat eſſe præteritum.*

Cœterum huius inſtituti auctor mihi omnino videtur hic idem Valentinianus Sen. prouinciarum æquiſſimus tutor, in prouinciales admodum parcus, & tributorum vbique molliens ſarcinas, quod Amm. Marcellinus de eo ſcribit *lib. 30. cap. 9.* quod ex *hac l.* & *d. l. 3. inf. de conlat. fundor.* quæ omnium prima eſt, & *l. 11. inf. de Exactionib.* & *d. l. 15. inf. de ſuſceptoribus*, haud obſcure colligere licet: Et omnium expreſſiſſime ex *d. l. 11. Illud etiam*, inquit, *moderationi* ADIECIMVS, *vt tripertita eſſet inlatio Fiſcalium penſionum:* vbi vide etiam quæ de huius iuris proceſſu ibi notamus.

Quanquam vero hæc ita conſtituantur, in arbitrio tamen cuiuſque collocatur, vt vel vno tempore vnicaque ſolutione ſi velit, integrum annuum, ſeu anniuerſarium canonem expendere, id eſt, ſoluere feſtinata ſolutione, præſtareque poſſit: id quod ipſum iudicatur & *l. 35. inf. hoc tit.* & *l. 4. Cod. Iuſt. de collat. fundor. patrimon.* Ante Valentinianum, vna ſolutione circa finem anni eas inferri oportebat, quod indicat *lex* Valentiniani noſtri *3. inf. de conlat. fundor. patrim.*

Et hæc quidem de Annonariis ſpeciebus. Alia vero auri, ſeu aurariæ præſtationis ratio eſt: nempe idem Valentinianus aurum, quod circa finem anni inferri oportebat: intra quadraginta videlicet poſtremos anni dies, ex die X. Kal. Decembribus, in pridie Kalendas Ianuarias, quandocunque intra annum ſolui permiſit, non tripertita ſolutione, verum vel vna, vel pluribus etiam: *l. 3. inf. de conlat. fundor. patrim.* quod etiam Conſtantinus M. conſtituerat *d. lege 2. inf. de ſuſceptoribus.* Ad quod ius poſtea Honorii conſtitutione reditum videtur, *l. 32. inf. de ſuſceptoribus:* De cuius diſcriminis vel exæquationis ratione ad eas *leges* dicetur.

Atque hæc quidem de *huius l.* ſententia: vbi duo adhuc notanda vel illuſtranda veniunt. Primum eſt de *Capitatione:* Capitatio vel de prædiis ipſis dicitur ſeu de modo quodam poſſeſſionis, qui cenſitus erat; vel de ipſo cenſus modo adſcripto & impoſito per *capita* ſeu iuga; quo ſenſu & *l. 33. inf.* & *l. vlt. inf. ſine cenſu:* vbi quoque dixi, & *l. 2. inf. de immunit. conceſſ. l. 11. de exactionibus: l. 2. 4.* & *vlt. inf. de cenſu: l. 2. ſup. de excoctione · l. 36. inf. de decurion. l. vlt. de patrociniis vicorum: l. 1. ſup. ne quid pub. lætitia.* Hinc *Capitatio & ſortes* hic iunguntur: *capitatio prædii* dicitur, *l. 9. C. Iuſt. de act. empti:* Vox hæc deducta a *Capitibus*, id eſt a iugis: Hinc & Capita ſiue iuga, *l. vlt. inf. de collat. donatar. l 5. inf. de itinere mun. l. 6. inf. de extraordinar.* Iugatio vel capitatio, *l. vlt. inf. de cenſu. l. 11. inf. de exaction.* iugorum capitatio, *l. 1. inf. de immunit. conceſſa.*

Hoc ſenſu Eumenius *Gratiarum actione* Flauienſium nomine ad Conſtantinum M. *Septem millia* CAPITVM *remiſiſti, quartam amplius partem noſtrorum* CENSVVM. Et mox: *remiſſione iſta ſeptem millium capitum, viginti quinque millibus dediſti vires.* Eodem ſenſu Ammianus Marcellinus *lib. 16. cap. 5.* de Iuliano. *Primitus partes eas* (de Gallis loquitur) *ingreſſus, pro* CAPITIBVS *ſingulis tributi nomine vicenos quinos aureos reperit flagitari, diſcedens vero ſeptenos tantum, munera vniuerſa complentes.* Quo loco errant, qui vocem illam accipiunt pro capitis perſonæ tributo, ſeu cenſu. Idem Ammianus Marcellinus *lib. 17. cap. 3. Dum ærumnoſis*, inquit, POSSESSIONVM *damnis mederi poſſe credebat*, TRIBVTI *Ratiocinia diſpenſauit: cumque Florentius PP. cuncta permenſus; vt contendebat, quicquid in* CAPITATIONE *deeſſet, ex conquiſitis ſe ſupplere firmaret, talium gnarus, animam prius amittere, quam hoc ſinere fieri memorabat.* Mox: *Iulianus ſcrupoloſe computando & vere, docuit, non ſufficere ſolum, verum etiam exuberare* CAPITATIONIS *calculum, ad commeatuum neceſſarios apparatus.*

Eodem ſenſu Saluianus *lib. 5. de Gubernat. cap. 8. Exterminati agellis ſuis, cum rem amiſerint, amiſſarum tamen rerum tributa patiuntur: cum poſſeſſio ab his receſſerit,* CAPITATIO *non recedit: proprietatibus carent, & vectigalibus obruuntur.* Sidonius Apollinaris etiam *Carmine 13. v. 19. 20.* ab Imp. Maioriano, trium capitum remedium, ſeu releuationem poſtulauit, capta per deditionem Lugduno;

Geryones nos eſſe puta, monſtrumque tributum:
Hic capita, vt viuam, tu mihi tolle tria.

In Iſidori Gloſſis, *Capite cenſus, Taxatio poſſeſſionum:* Quare falluntur Iuriſconſulti nonnulli, ſed & Sidonii Interpretes, qui aliter vocem *Capitationis* interpretati ſunt. Et hæc de *Capitatione.*

Sortes (quod ſecundo loco notandum) *hic* & *l. vlt. ſup. de locat. fund. iur. emphyt.* non dicuntur quaſi ſorti commiſſæ, vel quæ per ſortem contigerunt in vrna ſorte ductam; verum ſunt poſſeſſiones & moduli agrorum certa menſura comprehenſi. Fragmentum Agrarium *de limitib. p. 216. edit. Wil. Goeſii. Duo iugera iuncta in vnum quadratum, agrum efficiunt, quod ſint in omnes partes actus bini in hunc modum. Quidam primum appellatum dicunt* SORTEM, *& centies ductum, Centuriam.* Quomodo & Iulianus *in Miſopogone in fine, pag. 370. Oper. edit. Lipſ. Spanhem.* γῆς κλήρυς, ἔφαμ, τρισχιλίυς ἔφασαν ἀπόρυς εἶναι, *agri iugerum tria millia infructuoſa eſſe dixiſtis.* Hinc & *ſortem ſuam claudere*, Viſigoth. *lib. 8. tit. 5. l. 5.* Hinc & Ca- p. 29
pitationis modus & ſortium pro eodem, *hac l.* de quo ad *leg. 2. inf. de cenſu:* Hinc & ſors pro hæreditate, indeque *Conſortes*, qui alias Cohæredes, *l. 31. §. 4. D. de excuſat.* in veteri *Inſcript.* apud Gruterum DXVI. 5. apud Feſtum *voce erctum*, & *diſertiones*, & Sidonium *lib. 4. ep. 24.* Imo integræ etiam gentis regnique ſors: hinc limes Gothicæ ſortis apud eundem Sidon. *lib. 7. ep. 6.* promotæ ſortis limes, Eidem *lib. 8. ep. 3.* Sortes Vandalorum apud Victorem Vticenſem *lib. 3.* Κλῆροι Βανδίλων, Procop. *Vandal. lib. 1. cap. 5.* Sortes Gothicæ, *leg. Viſigoth. 10. tit. 2. l. 1.* Gregorius Turonenſ. *lib. 4. c. 50. Niſi me permiſeris per tuam ſortem hunc fluuium tranſire, cum omni exercitu meo ſuper te pergam.*

XVI. Idem

XVI. (a) Idem AA. ad Dracontium. (b)

PROVINCIALES noſtri tributa fiſcalia per anni curriculum tripertita ſatisfactione reſtituant. (c) Dat. VIII. Kal. Nou. Nicomediæ, (d) Poſt Conſulatum Gratiani A. & Dagalaifi. [367.]

NOTAE.

(a) Abeſt & hæc *lex* a *Cod. Iuſt.* GOTHOFRED.

(b) Vicarium Africæ, cui inſcribuntur quoque *lex* 10. 11. 13. *ſup. hoc tit.* imo & hoc ipſo anno, menſe Aprili extremo *lex* 4 *inf de præd. nauicul.* ID.

(c) *Reſtituant* hic pro ſimplici præſtant, pariter vt *l.* 18. *inf.* vide plura exempla in *Gloſſ. Theod.* ID.

(d) Non videtur hæc vox hic ſtare poſſe: de quo mox. *ID.*

COMMENTARIVS.

DE TEMPORE SOLVTIONIS tributorum tripertita ſatisfactione per quaternos menſes, eadem eſt *huiuſce legis* ſententia quæ *ſuperioris* 15. *ſup.* ad quam plene dixi. Illud hic tantum videndum eſt, cuinam Imperatori ea accepto ferenda ſit. Sane enim, ſi ſubſcriptioni ſtamus: vbi hæc *lex* data dicitur *Nicomediæ*, tum Valenti adſcribenda videatur: vtpote ad cuius Imperium Bithynia, & in ea Nicomedia pertineret: non vero Valentiniano, qui hoc tempore in Galliis agebat, vt videre eſt in *Chronologia Legum huius Anni*, & quidem vel Treuiris, vel Remis, vel Nemaſiæ, vel Ambianis, vbi & Gratianus a patre Auguſtus creatus fuit. Viceuerſa argumento inſcriptionis tribuenda videatur hæc *lex* Valentiniano: dicitur enim data *ad Dracontium:* qui ſane Vicarius Africæ fuit: ad quem datæ plures *leges* A. D. 364. 365. & in his *hoc ipſo titulo* tres *leges*, puta *lex* 10. 11. 13. *ſup.* Imo & hoc ipſo Anno 367. ad eundem data, dignitate expreſſa, Remis *lex* 4. *inf. de præd. nauicular.* & ad eundem, dignitate pariter vt hic omiſſa, data Nemaſia *lex* 3. *inf. de ponderatoribus*, vbi & Conſulatus pariter vt hic deſignatur, *Poſt Conſulatum Gratiani & Dagalaiphi.* Quare Valentiniano adſcribenda videtur, non vero Valenti: qui etiam hoc Anno, Gothico bello illigatus non in Bithynia Nicomediæ egit, verum in Thracia & Myſia Marcianopoli, vel Doroſtori: vt docet *Chronologia legum.* Proinde *Nicomedia* alia a Bithynia hic quærenda fuerit, vel certe alterius loci nomen ſubſtituendum: putet quis *Icoregiam* hic quadrare, quæ inter Remos & Treueros eſt. Ego *Nicomedia* nomen non temere mutem: non magis quam *Nemaſiæ*, *d. l. 3. inf. de ponderatoribus*, & vtramque in Gallia Belgica vel prope collocem. Si mutare hic licet, pro *Nicomedia*, forte reponendum *Nimetaco:* tranſpoſitis duabus ſyllabis, vel *Nicro medio:* Certe, hoc tempore, vt & proximis annis cum Alemanni Gallias vaſtarent, inter alia memorat Ammianus Marcellinus *lib. 28. cap. 2.* Valentinianum a primis fundaſſe auſpiciis, munimentum celſum & tutum præterlabente *Nicro* fluuio: quod & validum fuit, meatu fluminis aliorſum quoque verſo, labore militis.

XVII. (a) Imppp. VALENTINIANVS, Valens & Gratianus AAA. ad Creſcentem (b) Vic. Afric.

HEREDES ſcribti, etiam pro minus idoneis (c) fundis, fiſcale onus cogantur agnoſcere: (d) vel ſi renuntiandum hereditati putent, cedant his omnibus rebus, quas ex hiſdem bonis quocumque titulo & iure perceperint. Dat. IV. Id Iul. Contionaci, (e) Gratiano A. II. & Probo Coss. [371.]

INTERPRETATIO. *Hii qui heredes teſtamento ſcripti ſunt, hereditariorum agrorum onus, id eſt, tributum cogantur agnoſcere. Quod ſi hereditatem ſibi damnoſam credunt, cedant hiis omnibus rebus, quæ eis de hac ipſa hereditate poterunt prouenire.*

NOTAE.

P. 29. (a) *L. 4. Cod. Iuſt. de omni agro deſerto.* GOTHOFRED.

(b) *Creſcentium*, Cod. Iuſt. male. Eidem Creſcenti Vicario Africæ inſcribitur *lex* 8. *ſup. de actorib & procuratoribus* ſed quæ perperam ad A. D. 365. refertur: retrahenda enim ad A. D. 373. v. *Conſul. Theod.* Eiuſdem meminit, Amm. Marcellinus *lib.* 28. *extremo*, in geſtis huius ipſius Anni 371. *ID.*

(c) *Minus idonei fundi*, v. dicta ad *l.* 10. *ſup.* ID.

(d) *Agnoſcendi* verbum proprium in hac re tributaria: dixi ad *l.* 14. *ſup.* ID.

(e) *Contionaci*, (*Contionati* alibi expreſſum) tres aliæ conſtitutiones hoc menſe ipſo Iulio, & ſuperiore Iunio datæ occurrunt: puta *lex* 5 *ſup. de cuſtod. reorum: lex* 3. *ſup. de denuntiat. lex* 1. *ſup. de naturalib. filiis.* *Contionacum* porro iſtud fuerit neceſſe eſt inter Treueros & Mogontiacum, vel circumcirca, quibus locis hoc Anno conſtitit Valentinianus: V. *Chronolog. noſtram*, & Am. Marcellinum *lib.* 29. in huius anni geſtis *cap.* 4. Forte *Contionacum*, quæ hodie *Crucaniacum*, *Kreutzenach*, vel *Gentzingen* ad Nauam. *ID.*

COMMENTARIVS.

STERILIVM, ſeu minùs idoneorum, ſimul & fœcundorum fundorum compenſatio ad integra tributa ſoluenda, vt circa dominos obtinere debet, de quo *l. 10. ſup.* Ita hac eiuſdem Valentiniani Sen. conſtitutione, per eandem Africæ diœceſim, circa HÆREDES ſcriptos firmatur: Nempe omnium ex æquo hæreditariorum fundorum nomine ſibi delatorum hæredes tributa agnoſcere tenentur, niſi malint ex æquo omnibus rebus hæreditariis renunciare. Nam, vt cæteroquin commodi & incommodi connexi, circa idem videl. connexa quoque ratio eſt, & hæres pro parte hæreditaria ſcindendo adire non poteſt, quaſdam partes repudiando, quaſdam agnoſcendo; *l. 1. 2. 36. D. de adquir. hæred. l. 20 in f. Cod. Iuſt de iure deliber. l. 6. Cod. eod. de impub. & aliis ſubſtit. l. 38. D. de legatis 1.* Paulus 3. *ſentent. 6 §. 12.* quæ etiam eſt vulgatæ *regulæ 7. D. de regulis iuris* ſententia: Ita & hæredes vnius fundi nomine onus defugere non poſſunt; tributum, inquam, deſerendo ſeu repudiando: vel eius nomine immunitatem poſtulare. Quomodo in ſp. *huius l.* factum fuiſſe videtur, cum videl. hæredes quidam ſcripti immunitatem non idoneorum fundorum nomine petiiſſent apud Creſcentem Vicarium Africæ, aduerſus vel Inſpectores forte in id miſſos. Porro additur *fine legis*, id obtinere debere *quocunque titulo & iure* hæredes ſcripti res ex bonis defuncti perceperint: id eſt, etſi legati aut fideicommiſſi vel quocunque alio titulo conſecuti ſint: vt proinde, quod ſingulare, *hæredum ſcriptorum* appellatione *initio huius legis* etiam legatarii & fideicommiſſarii intelligendi ſint, compendio videl. orationis. Quod ſane in *l. 17. inf. de hæreticis*, videre eſt, Ibi; *Non* (habeant) *etiam* (licentiam) *relinquendi heredem nomine principali, non fideicommiſſario, non legatario, non tacito fideicommiſſo, vel quamcunque in huiuſcemodi negotiis nuncupationem iuris ordo conſtituit.*

Et hæc quidem eſt genuina *huius l.* ſententia. Vnde de duobus iam apparet. *Primo*, non eſſe *hanc leg.* de ἐπιβολῇ, ſeu de Adiectione, non magis quam *d. legem 10. ſup.* quotiens videl. diſtracti fundi ſteriles, ab opimis ex eodem iure manantes rurſum conſolidantur ad integram tributorum functionem: de qua ἐπιβολῇ, Adiectione fundi, fuit *lex 4. ſup.* erit & *lex 31. inf.* verum eo tendere, pariter vt *d. l. 10.* ne ſteriles a fœcundis & opimis diſtrahantur. Eadem tamen ſemper æquitatis & æqualitatis ratione. *Secundo*, ex ſuperioribus quoque apparet, non eſſe admittendam eam *huius l.* ſententiam, quam putabat Doctiſſimus Loiſæus *tractatu du deſguerpiſſement lib. 5. c. 2. n. 11.* Nempe putabat is, in ſpecie *huius l.* fraudulentum poſſeſſorem præſumptis hæredibus ſuis inter viuos opimos fundos mancipaſſe, donaſſe, ſterilibus ex eodem iure manantibus ὁμοκήνσοις in hæreditate ſua relictis: quos cum fraudis participes hæredes, retentis opimis repudiarent, Valentinianum, huic fraudi *hac l.* occurriſſe. Quod ſane non admitto, nihil enim tale in *hac l.* occurrit: etſi non dubitem, hoc caſu idem quoque dici oportere, atque adeo *huius legis*, vel etiam ἐπιβολῆς & adiectionis æquitatem, ad hanc quoque ſpeciem trahendam.

XVIII. (a). Imppp. Gratianus, VALENTINIANVS & Theod. AAA. ad Populum. (b)

QVISQVIS poſſeſſor, aut maximæ (c) dignitatis, aut infimæ, annonæ Vrbis Æternæ (d) annuam penſitationem ſoluendo moram dilationis adtulerit, eius anni atque Inductionis (e) exordio, quæ nouum denuo annonæ commeatibus (f) poſcit obſequium, (g) duplum protinus, etiam graui coactus incommodo, reſtituere (h) cogatur: aut ſi forte non profecerit (i) etiam geminati debiti in adceleranda ſolutione, correctio quadrupli (k) deinceps etiam, proprii dilapidatione patrimonii, veſtræ liberorumque veſtrorum alimoniæ (l) profuturis, (m) ingratus & degener *Ciuis* exſoluat. Dat. VII. Kal. Ianuar. Aquil. Syagrio & Eucherio Coss. [381.]

NOTAE.

(a) Abeſt hæc *lex a C. Iuſt.* Et tamen ad hanc *legem* traho, quod neſciunt Interpretes, *legem 4. C. Iuſt. Comminationes, Epiſtolas, Program. Subſcript. Auctoritatem rei iudicatæ non habere.* GOTHOFRED.

(b) Vrbis Romæ ſcil. de cuius annona eſt hæc *lex*, quæque mox, *Vrbs æterna* dicitur. *ID.*

(c) Puta Illuſtris, veluti Præfectorius, &c. *ID.*

(d) *Æterna vrbs*, pro vrbe Roma, V. *Gloſſarium Theodoſ. ID.*

P. 30. (e) *Indictio & annus* pro eodem *hac l.* & *l. 35. inf.* De Indictionibus proprio capite agam in *Conſularibus Theodoſ. ID.*

(f) Vid. *leg. vn. inf. de patronis horreorum portuenſium*; Ibi, *nouis commeatibus* (nam ita reſcribendum, non, *nobis commeantibus*,) *inſeratur*, & *leg. 10. inf. de ſuſceptorib. Commeatus* vox hac in re propria; de qua vide *Gloſſarium Theod.* & Symmachum paſſim, itemque Ammianum Marcellinum. *ID.*

(g) *Obſequii* vox hac in re propria. V. *Gloſſar.* & *d. l. 4. ID.*

(h) *Reſtituere* pro ſimplici *præſtare*, hic & *l. 16. ſup. ID.*

(i) *Non profecerit correctio:* ita hæc iungenda. *ID.*

(k) Suſtineri poſſe ſcio, ſed malim, *quadruplum profuturum. ID.*

(l) De hac *Alimoniæ* voce, vide *Gloſſarium. ID.*

(m) γρ. *Profuturi*, vel *profuturum:* niſi malis *profuturis iis*, puta duplo & quadruplo. *ID.*

COM-

COMMENTARIVS.

MORATOR Vrbicarii canonis, ſeu annuæ penſitationis annonæ V.R. ſi intra annum quod debet, non intulerit, dupli pœna: ſi & tum moratus fuerit, ſeu vt loquitur *lex 27. inf. reſtiterit*, & poſt ſecundam moram, Quadrupli hac Valentiniani Iun. Conſtitutione fine anni 381. multari iubetur; quo pertinet & *lex 27.* & *lex 35 inf. hoc tit.* Eodem ſpectat, ſaltem huiuſce Iuris originem commonſtrat, Gordiani conſtitutio, puta *lex 4. C. Iuſt. Comminat Epiſtolar, &c. Interlocutio*, inquit, *Præſidis apud acta ſignata, vt niſi ſolutioni debiti is, qui conuenitur, obſequium præſtitiſſet, duplum ſeu quadruplum inferat: voluntas potius comminantis, quam ſententia iudicantis eſt: cum placitum huiuſmodi, nec rei iudicatæ auctoritatem obtineat, iuris ratio declarat.* Spectat ſcil. *hac lex* ad publicos debitores, quo pertinent *debiti & obſequii* vocabula, quæ in re tributaria propria, quod iam *alibi* oſtenſum eſt. Quare & Græcorum & Accurſianorum interpretationes ad eam nequicquam faciunt.

Enixam interim annonæ Vrbicæ, ſeu vrbis Romæ conſulendi, Valentiniani Iun. curam hac tempeſtate, ex hac tota *leg.* videre eſt: Nempe quod frequentes admodum tum de annonæ Vrbicæ defectu querelæ ad Valentinianum perlatæ fuiſſent, cuiuſmodi querelæ frequentes apud *Symmachum* occurrunt. Etiam illa, quæ *huic l.* apprime conuenit, *lib. 10 ep. 50* vbi queritur, *iam diu ſolitorum vectigalium decretas prouincias nihil contuliſſe;* Vectigalium inquam, *quorum ratio Hiſpanienſes atque Alexandrinos inuehere debent* COMMEATVS: (hæc ipſa vox *hac leg.* occurrit:) *Illationem* proinde *ſolemnis impendii*: Quare orat Theodoſium vel potius Valentinianum noſtrum, vt *Aeternæ vrbis expenſas a defectu ſumptuum vindicet*, imploratque *opem eius largam populi Romani ærario, ut ceſſantibus ſubſidiis neceſſaria deferantur, quæ hactenus perſonæ tenues alieno ære tolerarunt:* denique, *vt auxilium ferat, priſcaque Populo Romano beneficia ſeruet, qui noua etiam deferret, & urbi annueret, quod prætermiſſio præterita ſuſpendit, & quod futurus vſus expoſceret.* Qui Symmachi locus eo quoque inſignis eſt, quod oſtendit, certas quaſdam prouincias fuiſſe affectatas vrbicario Canoni, quæ vectigal quoddam annuum Vrbis Romæ ærario conferebant, quorum ſumtu, ſubſidioque, ſeu ratione, annona ex Hiſpania & Ægypto coemebatur. Quæ illa proculdubio eſt annua penſitatio annonæ, ſeu ad annonam vrbis æternæ, de qua *hac l.* agitur: & in qua ſoluenda multi poſſeſſores moram dilationis attulerant.

XIX. (a) Idem AAA. (b) Poſt alia. (c)

ID quod in titulis (d) debitis ſub præſtatione confertur *Auraria*, non aliter niſi ſcientibus Defenſoribus (e) detur, quo ſub eorum conſcientia (f) (ſicut & ante (†) præceptum eſt) ſoluantur debita, ſecuritateſque (g) reddantur: (h) Cuſtodita ſanctione emiſſæ primitus (i) legis (*), quo Apocharum vel ſecuritatum, quæ reſtituentur, digeſta ſignatio cum a Suſceptoribus dabitur, & formam indictionis teneat, & manifeſtationem eius, quæ fuerit exacta, præſtationis oſtendat. Dat. (k) Prid. Kal. Feb. Byrtho, Richomere & Clearcho Coſs. [384.]

NOTAE.

(a) Abeſt & hæc *lex* a *Cod. Iuſt.* Iungenda autem illi *lex 4 inf. tributa in ipſis ſpecieb.* & *lex 2. inf. de publica comparat.* Melius porro hæc *lex* ſub *tit. de ſuſceptoribus*, collocata fuiſſet. GOTHOFRED.

(b) Perperam *huic l.* & prædictis *duab.* inſcribuntur, *iidem AAA.* Tribuendæ enim ſunt *Valentiniano, Theodoſio, & Arcadio.* Vide *Conſularia Theodoſ. ID.*

(c) Nomen eius, cui hæc *lex* inſcripta fuit, vbique intercidit, & *hoc l.* & duab. illis *legibus*, quæ *huic* iungendæ ſunt: Niſi putemus Edictum fuiſſe emiſſum ad prouinciales: quod ego puto. *ID.*

(d) *Quæ* continentur *d. l. 4.* & *d. l. 2.* *Titulorum* appellatione paſſim intelligendæ ſunt ſpecies ſeu genera functionum, ſeu tributorum. v. *Gloſſar. inm. ID.*

(e) De his *Defenſoribus* fuit *ſup. tit. 11. lib. 1. ID.*

(f) Id eſt, præſentia. *ID.*

(†) Intelligit *legem* ſuam ſuperiore anno 383. latam, puta *legem 18. inf. de ſuſceptorib. ID.*

(g) *Securitates* hic & mox, ſunt *Apochæ*: quod vel illa oſtendunt, *Apocharum vel Securitatum. ID.*

(h) *Reddantur* hic pro ſimplici, dentur; vel pro inuicem dentur, vt mox, pariter vt *l. 16.* & *18. ſup. reſtituentur*, pro præſtabuntur. *ID.*

(i) *Primitus*, pro prius, *hic* & alibi. v. *Gloſſ. ID.*

(*) Intelligenda, quod omnino exiſtimo, *lex 18. inf. de Suſceptor.* quæ Proconſuli Aſiæ inſcripta eſt, quæque Anno ſuperiore data eſt. *ID.*

(k) Ita quoque *d. l. 4. Tributo in ipſis ſpeciebus.* Sed vtrobique reponendum, vt habet *d. lex 2 de publica compar. PP. Byritho.* Nempe Theodoſius M. hoc tempore Conſtantinopoli conſiſtebat, vt docent *Conſularia Theodoſ.* verum de *Berytho* mox.

COM-

Digitized by Google

COMMENTARIVS.

p.31 AVRI collationi ſeu ſuſceptioni Theodoſius M. hac conſtitutione ſua certam formam præſtituit, tum ad prouincialium ſecuritatem, tum ad euitandas ſuſceptorum fraudes. Eſt ſcil. hæc conſtitutio pars prolixioris Edicti Theodoſiani, quo non vna ratione prouincialium ſecuritati & indemnitati annonas ſoluentium conſultum iuit, vt docet *lex 4. inf. trib. in ipſis ſpeciebus*, & *lex 2. inf. de publica compar.* quæ huic noſtræ coniungendæ ſunt. Et quidem edicto propoſito Beryti, cuiuſmodi complures aliæ *leges* ibidem propoſitæ *hoc Codice* occurrunt, *vt lex 2. ſup. de agentibus in rebus. lex 11. ſup. de Tironib. lex 41 ſup. de curſu publ. lex 7. ſup. de filiis militar. apparit. lex 3. de his qui cum diſpenſat. lex 54 & 63. inf. de decurion. lex 9. inf. de luſtr. conlat. lex 1. inf. de naufrag. lex 1. inf. de gladiator.* Nempe, etſi totius Phœnices hac tempeſtate Metropolis foret Tyrus, attamen non Tyri, ſed Beryti ferme *leges* proponi ſolitæ: vtpote quæ frequentiſſima eſſet totius prouinciæ ciuitas: Quod ante biennium oſtendit ſingularis ſubſcriptio *legis 11. ſup. de tironibus*, quam ex urbe Conſtantinopolitana Theodoſius M. miſerat: hæc ſcil. *Dat. Tyra Metropoli: PP. Byrito.* Cuius ſubſcriptionis hic ſenſus eſt, prius miſſam Tyrum *hanc l.* vt quæ Metropolis eſſet prouinciæ, & in qua Conſularis Phœnices hæreret: attamen exinde Beryti propoſitam. Quæ inſignis eſt obſeruatio: Nempe ſi frequentior eſſet in prouincia aliqua ciuitas, quam Metropolis, in ea *leges* propoſitas; ſed ita tamen, vt ſuus Metropoli ſeruaretur honos, id eſt, vt prius ad Metropolim dirigerentur; exinde demum ad eam, in qua proponendæ eſſent. Igitur & hoc Theodoſii M. Edictum Beryti propoſitum, quod ad Syriam Phœnicem emiſſum.

Et quia iam de Beryto agere cœpimus, alia inſuper addenda, quæ iſtius vrbis magnitudinem & gloriam hac tempeſtate arguunt, obtrita etiam aliquantum Tyro metropoli. Primum iam olim liberalibus ſtudiis, ac maxime iuris profeſſione, Berytum nobilem fuiſſe, teſtis Gregorius Thaumaturgus *Orat. Panegyr. ad Origenem p. 186. 187. 188.* Diocletiani item *Codice Iuſtinianeo* oſtendit *lex 1. qui ætate vel profeſſione ſe excuſant*; quæ inſcripta Seueriano & aliis Scholaribus Arabiæ: *Cum*, inquit, *vos adfirmetis, liberalibus ſtudiis operam dare, maxime circa iuris profeſſionem, conſiſtendo in ciuitate Berytiorum prouinciæ Phœniciæ, prouidendo vtilitati publicæ & ſpei veſtræ decreuimus, vt ſinguli vſque ad viceſimum quintum annum ætatis ſuæ ſtudiis non auocentur.* Eunapius quoque in *vita Proæreſii, p. 150. edit. Commelin.* ſub Conſtantio teſtis, vbi de Anatolio Berytio Phœniciæ vrbe oriundo agit: Καὶ τῆς τε, inquit, νομικῆς τελεωμένης παιδείας εἰς ἄκρον ἀφιγμένος, ὡς ἂν πατρίδα ἔχων τὴν Βηρυτὸν, ἣ τοῖς τοιούτοις μήτηρ ἐστι καὶ τροφὸς παιδεύμασι: *Et iuris ciuilis ſcientia exacta clariſſimus: nec mirum, quippe cui patria Berytus fuerit eiuſmodi ſtudiorum mater & alumna.* Peruetuſtus Auctor deſcriptionis Gentium & totius mundi, de Græco Latinus factus *pag. 12. ed. Gothofr.* & *pag 256. edit Gronou. Beritus ciuitas valde deliſioſa, & Auditoria legum habens, per quam omnia iudicia Romanorum conſiſtunt: Inde enim viri Docti in omnem orbem terrarum adſident Iudicibus, & ſcientes leges, cuſtodiunt prouincias quibus mittuntur legum ordinationes.* Libanii quoque locus inſignis, *Orat. 26. Apolog. p. 595. edit. Morell.* ſub Valente, & *Ep. 329.* ad eundem Anatolium, & *Ep. 550.* Tandem & Iuſtinianus quoque hanc ciuitatem *Vrbem Legum* appellat, τὴν τῶν νόμων πόλιν, *in conſtit.* δέδωκεν ἡμῖν. *§. 9. de veter. iur. enucleand.* & in conſtit. ad Anteceſſores §. 7. vbi *Nutricem Legum* vocat, vt Eunapius, & Libanius *ep. 550.* μητέρα, *matrem.* De eadem ſchola v. Agathiam *lib. 2. p. 37. edit. Venet. inter Scriptor. R. B.* Ex ea Dorotheus & Anatolius Iuris Profeſſores exciti, Digeſta cum aliis concinnarunt: e quibus poſtremum hunc ait Iuſtinianus *in d. conſtit.* δέδωκεν *§. 9.* ἄνδρα ἐκ τριγονίας σεμνῆς τῆς παρὰ Φοίνιξιν τῶν νόμων διδασκάλους καταβαίνοντα; *virum ex tertia ſtirpe laudabili iuris apud Phœnices interpretum deſcendentem.* Agathias *lib. 2. pag. 37. edit. cit.* Βηρυτὸς ἡ καλλίστη, τὸ Φοινίκων τέως, ἐγκαλλώπισμα, *Berytus pulcherrimus ille tum temporis Phœniciæ ocellus:* & mox, cum urbem terræ motu corruiſſe, & magnam incolarum multitudinem mole ruinæ oppreſſam ſcripſiſſet, addit: πολλοὶ δὲ νέοι ἐπήλυδες, εὐπατρίδαι τε καὶ παιδείας ἄριστα ἔχοντες, οἱ δὴ παρῆσαν τοὺς Ῥωμαίων αὐτοῦ ἀναλεξόμενοι νόμους· τοῦτο γὰρ πάτριον τῇ πόλει καὶ ὥσπερ γέρας τι μέγιστον τὰ τοιάδε αὐτῇ ἀνεῖται διδασκαλεῖα; *multi etiam iuuenes aduenæ nobiles & eruditi, qui addiſcendarum legum Romanarum cauſa eo commearant. Erat enim hoc vrbi patrium & veluti maxima honoris prærogativa, quod eiuſmodi ſcholæ ei eſſent dicatæ.* Nonnus *Dionyſ. lib. 41. v. 396.* Βηρυτὸς βιότοιο γαληναίοιο τιθήνη, *Berytus vitæ tranquillæ nutrix*, & antea, *v. 145.* Δίκης πέδον, ἄστυ θεμίστων, *iuris ſolum, urbs legum.* Zacharias Scholaſticus, poſtea Epiſcopus Mitylenes, *in Dialogo de Opificio mundi contra Philoſophos, ab initio, pagin. 164. edit. Lipſ. Caſp. Barthii 1655 in 4.* Νόμων με, ὦ φίλος, ἔρως ἄγει παρὰ τὴν μητέρα τῶν νόμων, *Legum me, o carum caput, amor ad matrem legum compulit.* (a) Secundo Comitem Orientis ibi ſedem ſuam habuiſſe colligo ex *l. 54. 63. inf. de decurionib. l. 41. ſup. de curſu.* Sed & non raro conſularem Phœnices ex *l. 9. de luſtrali collat.* Tertio, Negotiatorum frequentia celebrem colligo ex *d. l. 9. de luſtrali collat.* Quarto, Conchylilegulos, & ſic purpuræ fucandæ baphium & muricem eo delatum, ex *d. l. 9.* quo pertineat forte & *lex 11. de tironibus.* Quinto, mercium exoticarum cataplum eo delatum, colligo ex *leg. 1. inf. de naufragiis.* Sexto, gladiatoriis ludis frequentatam maxime ſtatuo ex *l. 1. inf. de gladiatorib. tollendis.* Octauo, & curſum publicum tanquam in celeberrimam ciuitatem ſucceſſiſſe ex *leg. 43. ſup. de curſu publico.* Hæc ex *hoc Codice* de Beryto ſemel dixiſſe volui.

Nunc ad *leg.* redeamus. Duæ eius ſunt ſententiæ. Prior, *Aurum* ſciente & præſente *Defenſore* ciuitatis

(a) Conſule *STRAVCHIVM in libello de Beryto, CASPAR. BARTHIVM in not. ad Zachar Scholaſt pag. 244. 245.* & *EZECH. SPANHEM in Obſeruat. ad Iuliani Imp. Orat 1. pag. 36. 37. it. pag. 120. 121.*

ciuitatis ſolui oportere: atque inuicem apochas, ſoluenti dari: confirmate enteriore quadam *lege*, qua hoc ipſum cautum iam fuerat; quam anteriorem cenſeo eſſe *legem 18. inf. de Suſceptorib.* Nempe, aurariæ ſeu auri ſolutionis peculiaris quædam ratio habita, ne qua arte a ſuſceptoribus interuerteretur, aut miſeri prouinciales denuo exigerentur. Ideo Defenſoribus præſentibus eam ſolutionem fieri Theodoſius M. voloit. Defenſores enim ciuitatum, vt cœteroquio conſtituti poſſeſſoribus & collatoribus ab iniuria vindicandis (de quo docuit pleoe *Paratitlon dt defenſorib. ciuit.*) & quotidianis actibus præeraot, *l. 3. dicto tit. de defenſor. ciuit.* ita nominatim a ſoſceptorum fraudibus: quod etiam oſtendit einſdem Theodoſii M. conſtitutio *hac* poſterior, puta *lex 23. inf. de ſuſceptoribus*, & quidem io eandem pene ſententiam: *Suſceptores*, inquit, *præſentibus Defenſoribus, & modum iugationis poſſeſſorum, & ſpecies ſingulas, vel earum numerum quantitatemque praſcribant*: Quæ lex & ipſa eſt *10. Cod. Iuſt. de ſuſceptoribus.* Verum, vt dixi, peculiaris auri & Aurariæ ſolutionis ratio, hoc tempore habita. Adeo quidem, eodemque fine, vt Honorius poſtea voluerit omne aurum & argentum per Africam Proconſularem a poſſeſſoribus in Karthaginienſi vrbe, ſub oculis iam Proconſulis Africæ poſci ſoluique, & Capitolio Vrbis inferri: *l. 32. 34. inf. h. t.* ratione ibi nominatim adſignata: *in qua* (vrbe, inquit) *opportunitas eſt, ſi deprædator fraudium pareat, Iudicis adeundi: ne cui ſit facultas apochas abnegari, cum deuotio Cognitori potuerit aperiri: ſcilicet remotis omnibus, qui ad exactionem prouincialium exquiſita lucra captare feſtinant.* Circa aurariam ſane collationem ſingularis quoque eſt Honorii *lex 14. ſup. de iure fiſci.*

Secunda *huius leg.* ſententia eſt, de *Apocharum* auri illati forma & tenore: quidnam videl apochis auri ſuſceptores inſerere debeant, confirma- p. 32. ta, nominatim ſuper hoc enteriore quadam ſua conſtitutione: puta *dict. leg. 18. inf. de ſuſceptoribus*, vbi dicendi locus erit: cui reſpondet & *lex 16. & 32. eod. tit.* & *lex 173. inf. de Decurionibus.* Et ſic quinque de hac re *hoc Codice* conſtitutiones occurrunt.

XX. (a) Idem AAA. (b) ad Principium PF. P.

IN fraudem annonariæ rei, ac deuotionis (c) publicæ, elicitum damnabili obreptione Reſcriptum, manifeſtum eſt (d) vires non poſſe ſortiri. Circa omnes igitur par atque æqualis inlationis forma teneatur. Dat. VIII. Kal. Octobr. Aquil. (e) Arcad. A. I. & Bautone Coſs. [385.]

NOTAE.

(a) *L. 7. Cod Iuſt. eod. tit* Repetita hæc *lex* totidem verb. *titulo de diuerſis reſcriptis*: vbi *ſeptimum* hodie locum occupat. Iungenda huic *lex 1. Cod Iuſt de fundis limitrophis.* GOTHOFRED.

(b) Iam ad *leg. ſuperiorem* notaui, & *hanc leg.* tribui oportere *VALENTINIANO, Theodoſio & Arcadio. ID.*

(c) De hac voce vide dicta ad leg. 7. ſupr. de diuerſ. reſcript. *RITTER.*

(d) *Iure non poſſe vires*, ita *d. l. 7. ID*

(e) In hac vrbe Valentinianus Iun. hoc tempore conſtitit. Vid. *Chronolog. ID.*

COMMENTARIVS.

RESCRIPTA, de vnius forte immunitate, io fraodem Tributorum, inualida eſſe iubet Valentinianus Iun. *hac conſtitutione*, Anno Domini 375. quæ repetita *ſup. titul. de diuinis Reſcript.* vbi dicta huc arceſſi poſſunt.

CONVEHI *Annona Manſionatica, a proximis poſſeſſoribus: Limitanea vero etiam a longius poſitis poteſt, ex hac Theodoſii M. conſt. A.D. 385.*

XXI. (a) Imppp. Valentinianus, THEOD. & Arcad. AAA. Cynegio PF. F. (b)

NEMO poſſeſſorum ad inſtruendas (c) Manſiones, (d) vel conferendas (e) ſpecies, excepta (f) Limitaneorum annona, longius delegetur: ſed omnis, (g) itineris ac neceſſitatis habita ratione. Dat. x. Kalend. Ianuar. Conſtantinop. Arcad. A. I. & Bautone Coſs. [385.]

NOTAE.

(a) *L. 8. Cod. Iuſt. eod. tit* Concordant huic legi, *lex 9. 11. ſup.* & *l. 52. inf prox.* & *l. 1. C. Iuſt. de fundis limitrophis*: *lex 15 ſup. de erogat. mil. ann.* GOTHOFRED.

(b) *Cynegius* PF. ſub Theodoſio M. & quidem Orientis, vid. Zoſimum *lib. 4. cap. 37. 45.* & Indicem *Perſonarum. ID.*

(c) *Inſtruendi* vox hac in re propria: quod etiam docet *lex 4. ſup. de offic. Rector. prou. l. 28. inf. de Suſceptorib.* de quo dixi *l vlt ſup. de off. Iud tit. ID.*

(d) De *Manſionibus* his dixi ad *d. l. 9. ſup. ID.*

(e) Comportandas. *ID.*

(f) Reſecata hæc exceptio a Tribon. de quo *mox ID.*

(g) Poſſeſſor ſcil. vel, *omnis itineris:* quanquam Tribonianus ita hunc locum immutauit, *ſed omnes*, &c. *delegentur.* Et forte etiam ita hic legendum *omnis*, pro *omnes. ID.*

COMMENTARIVS.

CONVEHI annonam, *Manſionaticam* ad *Manſiones* (de quibus dixi pleniſſime ad *l. 9. ſup. h. t.*) a proximis poſſeſſoribus, non a longius poſitis, iubet hac conſtitutione Theodoſius Magn. A. D. 385. pariter, vt Valentinianus Sen. *l. 9. ſup.* & rurſum idem Theodoſius M. *l. 22. prox.*

At ad *Limitaneorum* annonam conuehendam Theodoſius M. etiam longius poſitos delegari poſſe ſtatuit: quod limitis tuendi aduerſus Barbaras gentes peculiaris quædam ratio eſſet: & nonniſi bene ſatur miles limitaneus, limitem recte tueretur: facile alioquin, ventre famelico, Barbaris limitem prodituro: hac præſertim tempeſtate, Barbaris limitem perſultantibus, & ſi credimus Zoſimo *lib. 4. cap. 32* prouincialibus, tributorum onere attritis, Barbaros iam inuitantibus. Et tamen hoc ipſum Iuſtiniano diſplicuit: in cuius *Codice* ideo hæc *huius leg.* verba abſunt, *excepta limitaneorum annona.* Et ſane id Valenti etiam antea diſplicuerat, *l. 15. ſup. de erog. mil. ann.* & Valentiniano Seniori *l. 11. ſupr.* quibus viſum, limitaneam quoque annonam nonniſi a proximis poſſeſſoribus conuehi debere. De quo iam dixi ad eam *l. 11.*

P. 33.

De CONVECTIONE *annonarum: quibus ex locis ad quæ loca.*

XXII. (a) Idem AAA. Cynegio P. F. P. (b)

MEDITERRANEÆ ciuitates antea maritimis, & maritimæ mediterraneis onerabantur expenſis, (c) vt (d) plus haberet diſpendii translatio, quam deuotionis (e) inlatio: Hoc non ſolum in præſens, verum etiam in poſterum prohibemus: ea lege, vt ſe vltimo nouerint ſupplicio puniendos, qui iſta commiſerint. Dat. III. Non. Septemb. Valentiæ, (f) Honor. NB. P. & Euodio Coss. [386.]

NOTAE.

(a) *L. 9. Cod. Iuſt. eod. tit.* Iungenda autem huic legi, *lex 113. inf. de decurionib.* non quidem paritate inſcriptionis, aut argumenti, ſed paritate ſubſcriptionis: eodem quippe die data ex eadem vrbe, iiſdem Coss. *GOTHOFRED.*

(b) Cynegius P. P. ſub Theodoſio M: & quidem Orientis, cui ipſi inſcribitur in eodem argumento *lex prox. ſup. 21. ID.*

(c) *Expenſarum* vox hic proprie de militari annona. *ID.*

(d) *Expenſis, ſic vt* &c. *ID.*

(e) De hac *Deuotionis* voce dixi ad *l. 7. ſup. de diu. reſcript.* quæ eadem eſt cum *l. 20. ſupr. h. t. ID.*

(f) Ita quoque *d. l. 113. inf. de decurionibus.* Sed reponam ego MELANTIÆ: cauſas reddidi in *Chronico Theodoſiano* ad hanc ipſam *leg.* & mox reddam. *ID.*

COMMENTARIVS.

CONVEHI ſeu transferri annonam, vt a proximis poſſeſſoribus iam antea ſæpe conſtitutum eſt *l. 9. 11. 21.* quæ & ipſa Theodoſii eſt, *ſup. h. t. l. 15. ſup. de erogat. mil. annonæ:* & quidem ab ipſomet Theodoſio M. *d. l. 21. ſup.* ita *hac l.* idem Theodoſius nominatim huiuſmodi a longinquo conuectionem damnat; & quidem ſub capitali pœna, qua mediterraneæ ciuitates ad maritima, & viciſſim maritimæ ad mediterranea, annonas conuehere ſæpe cogebantur: ratione addita: quam pluribus expendi iam & illuſtraui ad *d. l. 9. ſup.* ac nominatim loco ex *Eumenio* laudato.

Cæterum emiſſa hæc *lex* a Theodoſio M. eo tempore, quo is Thraciam ab hoſtibus Grothingis inuaſam his ipſis Coss. & hoc tempore vindicauit, vnde victor Conſtantinopolim poſtea regreſſus eſt IV. Iduum Octobris: de quo alioquin videndus Marcellinus *in Conſularibus*, & Conſularia *Idacio ſubdita:* Hiſtoriam ipſam vid. apud Zoſimum, *lib. 4. cap. 38. 39.* Quare tuto iam reponendum exiſtimo in ſubſcriptione *huius leg.* & *leg. 113. inf. de decurionib.* quæ eodem die data eſt, MELANTIÆ: qui locus ſane in Thracia ſolemnis fuit, XVIII. lapide a Conſtantinopoli: cuius mentio ſit in vtroque *Itinerario pag. 138. 230. 323. 332. edit. Weſſeling.* & *Tabul. Peutinger. pag. 755. edit. Norimberg. Oper. M. Velſeri*, & *Melantiada* vel *Melantiana* & *Melanthiada* vocant, de qua & Am. Marcellinus *lib. 31. c. 11.* Agathias, *lib. 5. pag. 158. edit. Paris.* & *pag. 110. edit. Venet inter Script. R. B.* Chronicon *Alexandrinum pag. 896 edit. Raderi*, & ex *Agathia* Suidas voc. μαλανθιάς. Quare pertinet omnino hæc *lex* ad annonam militarem Thraciæ limitis potiſſimum, Scythicique: ac proinde ciuitates maritimas, & mediterraneas eius tractus: Scythici, inquam, limitis, qui in latius diffuſiuſque porrigebatur, *l. vn. ſup. de Luſoriis Danubii.* Sane de annona militari Thraciæ & tranſuectione ſpecierum annonariarum eo; præter hanc leg. eſt. *d. l. vnica, in f.* & Zoſimi locus, *lib. 4. c. 10.*

XXIII.

XXIII. (a) Imppp. THEODOSIVS, Arcadius & Honorius, AAA. Rufino PF.P. (b)

ÆRARIÆ præſtationis adiectio, quam citra priſcam conſuetudinem, (c) Prouincialium humeris Tatianus inpoſuit, a cunctis penitus, ſalubri moderatione, remouenda eſt. Dat. prid. Id Iun. (d) Conſtantinop. Theodoſio A. IV. (e) & Abundantio Coss. [393.]

NOTAE.

(a) Iungendæ huic legi ſunt *lex* 12. & 13 *ſup. de bonis proſcriptorum. GOTHOFRED.*

(b) *Rufinus* PP. ſub Theodoſio Orientis: Tatiani in in ea Præfectura ſucceſſor. v. quæ notaui in *Conſular. Theod.* anno ſuperiore 392. *ID.*

(c) *Conſuetudo*, in tributis ſeruanda: v. quæ noto ad *l.* 1. *ſup. de longa conſuetud.* & ad *l.* 15. *inf. de exactionib. ID.*

(d) Ita quoque *d. l* 12 *ſup. de bonis proſcriptorum.* Sed enim reſtituendum ex *d. l.* 13. *eod. tit.* IAN. vbi & integre expreſſum *Iannar. ID.*

(e) *vg* III. ut *dictis legib. recte*, *ID.*

P. 34.

COMMENTARIVS.

ÆRARIÆ præſtationis ADIECTIO quædam a Tatiano, prouincialium humeris ſuperimpoſita: a Theodoſio M. hac conſtitutione A. D. 393. tollitur: pariter, vt alia nonnulla eiuſdem Tatiani acta irritantur, *l.* 12. & 13. *ſup. de bonis proſcript.* quæ *huic l.* coniungendæ ſunt; Irritantur & alia paulo poſt hoc ipſo Anno, menſe prox. ſequente, *l.* 131. *inf de decurion.* Irritantur & filii huius Tatiani, Proculi, inquam, Præfecti Vrbis Conſtantinopolitanæ, fina huius anni *l.* 12. *inf. de annonis ciuic.*

Tatiani huius PP. Orientis hiſtoriam iam exſecutus ſum ad *l.* 9 *ſup. de indulg. crimin.* qua *leg.* viciſſim triennio, & quod excurrit, poſt *hanc l.* data ab Arcadio Theodoſii filio, fama reſtituitur huic Tatiano. Nempe (vt *lex* illa quoque oſtendit, iuxta Ambroſium *Epiſt.* 53.) quemadmodum cum Tatianus offenſionem incurriſſet Rufini, acta eo ſatagente infirmata fuerant; ita viceuerſa poſtea Rufino iam occiſo, eidem Tatiano fama reſtituta eſt. Quare & hæc lex *Rufino* inſcribitur, vt & *d. lex.* 12. *ſup. de bon. proſcriptor.*

Inter cætera igitur Tatiani Acta, *hac l.* nominatim infirmatur *Æraria* præſtationis adiectio, quam is de nouo induxerat citra priſcam conſuetudinem: Nempe cum Præfecti P. diſpoſitioni & ſolicitudini cura rei annonariæ incumberet; de quo iam *ſæpe* dictum eſt: attamen ſuperindictum ſeu indictionale augmentum Præfectus P. inſtituere non potuit, vt docebit *lex vn. inf. de ſuperindicto:* de quo alioquin indictionali augmento ſolemnis locus eſt apud Ammianum *lib.* 17. *cap.* 3. Similiſque adiectio aduerſus veterem pariter præſtationis conſuetudinem ab eodem Tatiano factam Antiochiæ infirmatur *d. l.* 131. *inf. de decurion.*

Ærariæ porro præſtationis adiectionem *hanc* Cypriorum nominatim humeris impoſitam a Tatiano haud abſurde quis ſuſpicetur, (de quo dicetur *inf. tit. de conlat. æris*) ſed nihilominus & aliis imponi potuit. Similiter porro Baſilius *ep.* 277. *ſiv. nu. edit. Benedictin.* Modeſtum PP. rogat, vt tolerabilem ferri præſtationem ſeu collationem montem Taurum incolentibus indici iubeat. Ἐλεεινῇ ἀγροικίᾳ τὴν σωτηρίαν χαρίσασθαι, καὶ τοῖς τὸν Ταῦρον οἰκοῦσι τὸν σιδηροφόρον φορητὴν προστάξαι γενέσθαι τὴν τοῦ σιδήρου συντέλειαν, ὡς μὴ εἰς ἅπαξ αὐτοὺς ἐκτριβῆναι, ἀλλὰ διαρκῆ αὐτῶν εἶναι τὴν ὑπηρεσίαν τοῖς δημοσίοις. *Miſeris Ruſticis ſalutem præſtare velis, Taurumque ferriferum incolentibus tolerabilem ferri collationem indici iubeas, quo videl. non ſimul & ſemel illi opprimantur, verum ſufficiens eorum functio ad vſus publicos eſſe poſſit.*

XXIV. (a) Impp. Arcadius & HONORIVS AA. Ennoio (b) ſuo Sal.

TEXTRINIS vel Gynecæis, ex more, a Corporatis Karthaginis ſpecies ſolitas (c) præſtari cognouimus, ſed inmodica (d) pro hiſdem reddi (e) pretia, quod in diſpendium nolumus fieri Corporatorum: atque ideo ſublimitas (f) Tua pretiorum modum ſtatuat. Dat. XII. (g) Kal. Ian. Mediol. Olybrio & Probino Coss. [395.]

NOTAE.

(a) Abeſt hæc *lex* a *C Iuſt* Iungenda huic eſt *lex* 149. *inf de decurion.* & *lex* 25. *inf. de nauicul* Imo vt exiſtimo & *lex* 141. 142. 143. 144. 145. *eod. tit. de decurionib. lex* 53. *inf. de appellat* GOTHOFRED.

(b) Ita quoque reliquæ omnes conſtitutiones: niſi quod *d. lex* 25. *de nauicul.* habet *Ennodio.* Cæterum hic fuit Proconſul Africæ, quod præferunt nominatim quinque illæ *leges tit. de decurion.* & *d. lex* 53. *de appellat. ID.*

(c) *Solitæ* ſpecies, id eſt canonicæ, ſolemnes, quæ de more præſtantur: Ita ſoliti Tituli, *l.* 19 *ſup.* & abſolute, *ſolita* Ammiano *lib.* 17. *cap.* 3. *ID.*

(d) Putem ſcribendum *modica*, vel, *iis modica. ID.*

(e) *Reddi*, id eſt, invicem præſtari, V. *Gloſſar Theodoſ. ID*

(f) *Sublimitatis* appellationem Proconſuli Africæ tribui ab Honorio obſerua: pariter vt *d. l.* 149. *de decurionib.* quæ *huic* iungenda eſt. *ID.*

(g) Aliæ *leges* habent *XVII. Kal.* Ian, aliæ *VII. Kal. Ian. ID.*

COMMENTARIVS.

GYNECEIARIARVM ſpecierum, id eſt, ſpecierum, quæ a Corporatis Carthaginenſibus conferebantur ad textrina Principis, quæ proprio vocabulo *Gynæceia* vocabantur, (de quibus ſuo peculiari *tit. ſup. lib. 10. de Murilegulis & Gynæceiariis*, & Notitia *Imperii*: Sed & Ammianus Marcell. *lib. 14. cap. 7. & 9. vbi* de Tyrio Textrino agit) pretium, hac Honorii conſtitutione a Proconſule Africæ ſtatui iubetur: Hac, inquam, Honorii conſtitutione A. D. 395. quæ prolixæ Honorianæ conſtitutionis portio eſt, vt ex illis *legibus* omnibus liquet, quæ *huic* ſunt coniungendæ. Ea vero conſtitutione Honorius in vniuerſum commodis Curiarum, Civium & *Corporatorum* per Africam, neque vna ratione conſultum init, ac nominatim Civium ac Corporatorum vrbis Carthaginienſis, (quæ totius Africæ caput erat) vt præter *hanc l.* docet *d. lex 145. inf. de decurion. Africani*, inquit, *ſacerdotales Karthagini reſtitui, ibique arbitratu ſuo agere cum fauorabili editione placuit. Quod facientes Divi Patris noſtri beneficium renouamus.* Quare, hoc primum argumento, cenſeo non Corporatorum cupiditati *hac l.* fibulam ſeu modum imponi, quaſi immodica pretia exigerent, quod tamen præfert *huius l.* lectio: verum imo his conſuli aduerſus Præpoſitos Gynæceis, quod modica nimis pretia his pro ſpeciebus præſtitis ſoluerent: atque adeo legendum *hic* videri, *ſed tit modica*. Et ſane, quod ſecundum argumentum habeo, Honorius diſerte indicat, id quod *hac l.* emendari iubetur, in Corporatorum diſpendium factum. Tertio, ipſo ſtatim *legis* initio Corporatos mori ſolitæque præſtationi latisfeciſſe ait Honorius: Quare nun his modus imponi iubetur. Quid igitur? Iuſtum pretium Corporatis reddi vult *hac l.* Honorius pro ſpeciebus & ſolitis, quas Gynæceis ex more præſtabant, ne vt hactenus fiebat, id in P. 35.
diſpendium eorum vergeret. Eum vero in finem pretiorum modum ſtatui iubet ab Ennoio ſeu Ennodio Proconſule Africæ.

Ex *hac* interim *leg.* diſcere licet; Primum Karthagine fuiſſe Gynæceum Principis, ſiue textrinum, de quo eſt pariter *ſup. l 9. de murileg. & gynæc. Imppp Gratianus, Valentinianus, & Theod AAA. ad Eucherium* [Proconſ. Africæ] *Qui textrini noſtri mancipia occultatione celauerit: ternis libris auri pro ſingulorum hominum ſuppreſſione plectatur. PP. Karthag. III. Kal. Mar. poſt conſulatum Auxonii & Olybri.* Meminit eius & Notitia Imperii ſub diſpoſitione Comitis S.L. *fol. 141. Procurator* inquit, *Gynæcii Karthaginienſis Africa* Secundo, de Corporatis Karthaginienſibus dicetur ad *l. 2. infr. de collegiatis.*

ACTORIBVS *morantibus in tributis ſoluendis, ipſi prædiorum Domini tenentur.*

XXV. (a) Idem AA. Mineruio (b) Com. R. P.

OBSISTERE commodis (c) publicis, & ſtatutis (d) neceſſitatibus, non poſſunt priuilegia dignitatum: Vnde, vt quiſque prædii (e) emolumenta conſequitur, ſi non, (f) euoluto anni ſpatio, intra ſex menſes omnem cui eſſe conſtrictus dicitur, reliquorum (g) intulerit cumulum, (h) ad ipſos qui ſunt Domini prædii, exactionem volumus pertinere. PP. (i) *in programmate*, (k) *Vari* (l) *Viri Clariſſimi Vicaris Vrb. Rom.* Honorio A. IV. & Eutychiano Coss. [398.]

NOTAE.

(a) *Lex 10. vulgo 9. C. Iuſt. eod. t* GOTHOFRED.

(b) Mineruius Comes R. P. ſub Honorio: Eidem inſcribitur Anno ſuperiore *lex 14. ſup de Tyronibus; & lex 1. C. Iuſt. de off Com S. P.* Hic idem Comes *Palatii* eſt, ad quem extant complures Symmachi Epiſtolæ, *lib. 4.* Et ſane, eum Comitem etiam rerum priuatarum fuiſſe, indicat Symmachi *Epiſtola* 37. 42. & 43. Plura in *Proſopogr. ID.*

(c) *Commodorum* vox propria de re annonaria: v. *Gloſſarium* Quinimo & ſpeciatim, de annona vrbis Romæ, quo ſenſu accipitur *l. 1. 3. inf tit. prox. tributa in ipſis ſpec. l. 8 inf. de Medic. & Profeſſor l. 3. inf de canon. frum. V R l 6. inf. de ſuariis ID.*

(d) Id eſt publice conſtitutis, ſolitis, ſolemnibus & canonicis: neque enim fero hic mutantes illud in *ſtatis. ID.*

(e) *De prædiis emolumentum*, ita *C. Iuſt.* Iſtud noſtrum elegantius & Latinius, *ID.*

(f) *Si non is*, ita *Cod Iuſt* quo nil opus. *ID.*

(g) *Reliqua*, ſunt λοιπάδες, paſſim: vid. *Gloſſ. ID.*

(h) *Cumulus* eſt ἄθροισμα Vid. *Philoxeni Gloſſ ID.*

(i) De hac ſubſcriptione & propoſitione iam dictum quoque *ſup ad leg. 3. de offic. Rect. prou ID.*

(k) Abſunt hæc, *in programmate Vari Viri Clariſſimi Vicarii Vrb* a nonnullis Codicis Iuſtinian. Editionib. De hac ſubſcriptione ad *leg 37. inf. de heret. & l. vn. inf ſi per obrept.* vid. & *Paratit. de conſtit. Princip. ID.*

(l) *Varus* Vicarius V. R. Ad hunc omnino pertinet Symmachi *ep. 16. Auctuar. Paris. Edit.* 1604. vbi clare indicatur, eum Vicarium Vrbis Romæ fuiſſe, vt in *Proſopogr.* oſtendo. *ID.*

COMMENTARIVS.

DOMINOS PRÆDIORVM ipſos tributa ſoluere iubet Honorius *hac conſtitutione*, ſi ii qui emolumentum prædii conſequuntur, id eſt fructus colligunt, euoluto anno, qui tributis ſoluendis præſtitutus, intra ſex proximos menſes tributa præteriti temporis & anni non ſoluerint, quacunque tandem, domini prædiorum, dignitate potiantur. Quo pertinet quoque *lex 14. ſup. & lex 4. infr. ſine cenſu.*

Hæc

Hæc quidem *huiuſce leg.* eſt ſententia. Sed vt melius ea intelligatur, ſciendum eſt, Primo, per eos qui emolumenta prædii conſequi *hac l.* dicuntur, intelligi, non tantum Colonos originales, de quibus fuit *d. lex 14. ſup. h. tit.* erit & *lex prox.* de quibus plene *Paratit. de fugitiuis colonis ſup.* verum omnes omnino quocunque titulo & iure aliena prædia verſantes, fructus colligentes, veluti Actores, nam & hi prædii emolumenta conſequuntur, id eſt colligunt, percipiunt ipſi, non ſibi, ſed dominis: cuiuſmodi Actores habuere per prouincias in dignitatibus poſiti, quod etiam oſtendit *d. lex 14.* oſtendit & Symmachus paſſim: deque his infinita mentio *hoc Codice*; item *Emphyteuticarii*, de quibus *hanc l.* veteres ferme Interpretes accepere: vt & de *Fructuariis* fundi: Hi inquam omnes vt emolumentum prædii conſequuntur, ita canonem & tributum prædii præſtare tenebantur: *l. 2. C. Iuſt. de iure emphyteut. l. 7. §. 2. l. 27. §. 3. D. de vſufructu & quemadmodum quis utat. l. 28. D. de uſu & vſufruct. & reditu.*

Hi, inquam, omnes emolumentum prædii conſequuntur: & tamen de *Actoribus* nominatim, vel potiſſimum, & *emphyteuticariis*, Honorium cogitaſſe cenſeo: De *Actoribus*, inquam, potiſſimum, quibus *Domini* prædiorum etiam apud Symmachum opponuntur *lib. 9. ep. 6.* Nempe, quod ſecundo obſeruandum, *Actores prædiorum* ferme, quibus longinqua prædia committebantur, contumacia & duritia in ſoluendis tributis, & penſionibus cenſebantur, quod Symmachus teſtatur, *libro 5. ep. 87. lib. 9. ep. 6.* & *15.* ſic vt, quod idem Symmachus ſcribit, *d. ep. 6.* tanquam ſoluti legibus viuerent, quoniam procul poſitis nullus Dominorum terror incurreret. Quare ne horum contumacia partim, partim Dominorum ſecuritate, nequam Actores conſtituentium tributariæ rei fraus fieret, & ſollicitandorum Actorum Dominis ſollicitudo *hac leg.* impoſita: & penſioni ſeu canoni non ſatiſfacientibus Actoribus, ab ipſis Dominis tributum exigi conſtitutum: cuius ſollicitudinis & periculi teſtes ſunt illæ Symmachi epiſtolæ: ac maxime *ep. 87. lib. 5. Noſtrorum duritiam ferre non poſſumus, qui cum* R E L I Q V A *ſuperiora nec dum ſoluerint, etiam penſionem proximi anni ferre detrectant. Idcirco, quaſo vt cum homine meo, quem ad exactionem titulorum miſi, curam communicare* p. 36. *digneris, & religioſam operam libenter adripias: Graue eſt enim, Nos quidem* P R O A G R I S N O S T R I S F V N C T I O N I B V S P V B L I C I S E S S E M V N I F I C O S, *Actores autem locorum, ne id quidem velle redhibere, quod ſciunt per annos ſingulos eſſe ſoluendum.*

Tandem obſeruandum, ſex menſium ſpatium *h. l.* poſt annum elapſum, id eſt, poſt tempus tributi ſoluendi elapſum, definiri, poſt quod Dominos exigi ipſos iubet Honorius. Sufficiens nempe hoc ſpatium viſum, intra quod Domini prædiorum, quantumuis longe poſitorum, Actoribus ſuis imminerent, eoſque ad ſolutionem vrgerent. Quare non ſatisfacientibus iam Actoribus, in Dominos periculum recidere vult, quaſi penes eos culpa reſidente: qui Nequam Actores vltro præfeciſſe videntur; quibus non ſoluentibus, ipſi Dignitate ſua ſeſe tutos putabant. Nempe in Dignitatibus poſiti viri Romæ, ſuos Actores per prouincias habuere, non minus ipſis Actoribus contumaces, veluti Illuſtres Viri. Quare nullo Dignitatis priuilegio ab *huius l.* ſeueritate dominos immunes eſſe iubet Honorius, elegantiſſima ſententia *initio l.* præmiſſa. Dixi Romæ: ideo enim hæc *lex propoſita in programmate Vari viri clariſſimi Vicarii vrbis Romæ*: de qua ſubſcriptione in *Prolegomenis* Cui Varo inter alias prouincias Campania & Apulia ſuberant, vt teſtatur Symmachus, ea quam dixi ad eum epiſtola.

Ad praxin igitur quomodo hæc *lex* deduci poſſit, ſeu ad quod argumentum ea *lex* trahi poſſit, hinc conſtat. Perperam enim a nonnullis ea aptatur quæſtioni illi, quod tempus ceſſationis in ſoluenda penſitatione requiratur, vt bona ceſſantis ſubhaſtari poſſint: vt recte notauit Menochius *de arbitr. lib. 2. c. 55. n. 6.*

XXVI. (a) Idem AA. Vincentio PF. P. Gall. (b)

OMNI amoto priuilegio beneficiorum, (c) poſſeſſores Sublimitas Tua præcipiet vniuerſos muneribus (d) adſtringi, earum ſcilicet prouinciarum, (e) ex quibus orta querimonia eſt, aut in quibus hæc (f) retinendæ (g) plebis ratio adſcribtioque ſeruatur: Nullum gratia (h) releuet: nullum iniquæ partitionis vexet incommodum, ſed pari omnes ſorte teneantur: Ita tamen, vt ſi ad alterius perſonam transferatur (i) prædium, cui certus plebis numerus fuerit adſcriptus, venditi (k) onera nouellus poſſeſſor conpellatur agnoſcere: cum plebem conſtet, non tam (l) in omnibus prædiis adſcribendam, neque auferendam ab eo, (m) cui ſemel poſthac deputata fuerit, &c. Dat. XIII. Kal. Iul. Med. Theodoro v. c. CONS. [399.]

NOTAE.

(a) Abeſt & hæc *lex* a *Cod. Iuſtin. GOTHOFRED.*

(b) *Vincentius* hic PP. Galliarum fuit iam inde ab Anno ſuperiore 398. & per totum triennium fuit in ea dignitate A. 398. 399. 400. v. *Conſular. Ibid. ID.*

(c) *Beneficiorum*, id eſt immunitatum ſpecialium: v. quæ noto ad *l. vlt. ſup. de conſtit. Princip. ID.*

(d) *Muneribus*, id eſt annonis & tributis. Saluianus *lib. 5. c. 8. Iure iſti agellos non habent, & agrorum munere necantur. ID.*

(e) Gallicanarum. *ID.*

(f) Quam indicaſti. *ID.*

(g) *Retinere*, an hic eſt obnoxium facere, ſubiicere, obligare, ac proinde & vexare? Non: mox vt dicam. *ID.*

(h) Vid. *l.* 1. *ſup. ID.*

(i) Venditione. *ID.*

(k) Sibi. *ID.*

(l) An reponendum, *non tam hominibus, quam prædiis*? *ID.*

(m) Prædio ſcil. *ID.*

COMMENTARIVS.

AEQVABILITATI tributariæ functionis ſeu tributorum ſoluendorum, aduerſus Potentiorum iniurias, tenuioribus & miſeris prouincialibus per Gallias ſubleuandis hac conſtitutione data ad Vincentium PP. Galliarum, Honorius Imp. A. D. 399 conſultum it.

Duplex ſcil. ex Gallicanis prouinciis querimonia hac tempeſtate perlata fuerat: Prior, quod infirmiores ferrent ſarcinas tributorum, imo ſarcinas fortiorum: *iniqua* denique *partitionis incommodo* (vt hæc *lex* loquitur) *vexarentur*, dum alios & potentiores gratia releuaret. Quare Honorius huic malo obuiam iturus, & Gallicanas prouincias hac parte vexatas ſubleuaturus conſtituit, vt omni amoto priuilegio beneficiorum ſeu immunitatum, poſſeſſores vniuerſi muneribus adſtringantur: nullum gratia releuet: pari tandem omnes ſorte teneantur. Quod ius vt tralatitium, ita Gallicanis prouinciis hac tempeſtate neceſſarium, ſed iniquitate Potentiorum identidem perfractum, mox vt oſtendam pluribus.

Secunda querimonia ex Gallicanis prouinciis ad Honorium perlata, fuit de iniqua *plebis retinendæ ratione, adſcriptioneque.* Quod quid ſit, inueſtigandum nobis venit. Et vero ex *hac ipſa leg.* Primum liquet, Prædiis ſeu poſſeſſionibus ſingulis certum plebis numerum fuiſſe adſcriptum ſeu deputatum, ſeu in his prædiis cenſos illos, vt ait *lex 14. ſup* Plebis, id eſt colonorum originalium, vt eos vocat *d. lex 14. ſup.* colonorum ſimpliciter, *l. 3. inf. de cenſu*: mancipia vocat adſcripta cenſibus *lex 2. inf. ſine cenſu*: de quibus plene ſemel dixi *ſup. Paratitl. de fugitiuis Colonis.* Quare poſſeſſores prædiorum, onera iſtius plebis ſeu colonorum agnoſcere compellebantur, & pro his tributa ſoluere: *h. l. & d. l. 14. & d. l. 2.* Poſſeſſores, inquam, non alii: *Cum plebem conſtet*, inquit lex, *non tam hominibus quam prædiis* (ita enim hunc locum reſtituo) *adſcribendam, neque auferendam ab eo cui ſemel poſthac deputata fuerit.* Quod & ipſum tralatitium eſt, in tributis non perſonas ſed ipſa P. 37. prædia conueniri: de quo omni ad titulum *inf. ſine cenſu vel reliquis*: cuius *lex prima* & ipſa ad Galliam pertinet. Quicquid tandem in venditione prædii conuenerit: quo pertinet & *dicta lex 2. inf. ſine cenſu*: *dicta lex 3. inf. de cenſu*: & *hac lex.* Et quidem in ſp. *huius leg.* quicquid tandem conuenerit inter emptorem & venditorem, *vt* videl. *venditor plebem retineret*, id eſt certam colonorum originalium partem, quorum nomine *adſcriptiones* ſeu tributariam functionem agnoſceret. Atque hæc eſt illa *retinendæ plebis ratio adſcriptioque*, quæ per Gallicanas prouincias damnatur. *Retineri* plebs *h. l.* dicitur, cum venditor agri in ſe recipit, & penes ſe retinet onus & cenſum colonorum nomine. Ita pariter *l. 3. inf. ſine cenſu*: *omnes pro his agris, quos poſſident, publicas penſitationes agnoſcant, nec pactionibus contrariis adiuuentur, ſi venditor aut donator apud ſe conlationis ſarcinam pactione inlicita voluerit* RETINERE. Ita in eodem argumento, *l. 3. inf. de cenſu*: *ſi quis prædium vendere voluerit, vel donare*, RETINERE *ſibi transferendos ad alia loca colonos priuata pactione non poſſit.* Denique hoc duplici malo inter cætera vt Gallicanæ prouinciæ laborauere, ita cohærente & creſcente factum, vt Barbaris gentibus mox patuerint, atque in eorum iura magis magiſque Dei iudicio, transgreſſæ ſint. Quod argumentum cum ex profeſſo exequatur quadraginta annis poſt *hanc leg.* Saluianus Maſſilienſis Presbyter *libro 5. de Gubernat. Dei cap 7.* hæc ipſa duo mala, quæ *h. l.* memorantur, inter cætera plura perſtringit. *Et quidem hoc ipſum, quamuis durum & inhumanum, minus tamen graue atque acerbum erat, ſi omnes* ÆQVALITER *atque in commune tolerarent. Illud indignius ac pœnalius, quod omnium onus non omnes ſuſtinent, imo quod pauperculos homines tributa diuitum premunt, & infirmiores ferunt ſarcinas fortiorum. Nec alia cauſa eſt, quod ſuſtinere non poſſunt, niſi quia maior eſt miſerorum ſarcina quam facultas. Res diuerſiſſimas diſſimillimasque patiuntur, inuidiam & egeſtatem. Inuidia eſt enim in ſolutione, egeſtas in facultate. Si reſpicias quod dependunt, abundare arbitreris: ſi reſpicias quod habent, egere reperies. Quis æſtimare rem huius iniquitatis poteſt? Solutionem ſuſtinent diuitum, & indigentiam mendicorum.* Et hæc quidem Saluianus ad priorem *huius l.* querimoniam ſpectantia: Ad poſteriorem hæc eiuſdem pertinent *libro eodem cap. 8. Et quod dixi* VENDVNT, *vtinam venderet vſitato more, atque communi. Aliquid forſitan remaneret emptoribus. Nouum quippe hoc genus venditionis & emptionis eſt. Venditor nihil tradit, & totum accipit. Emptor nihil accipit, & totum penitus amittit.* Et mox: *Nam illud quale, quàm non ferendum, atque monſtrigerum, & quod non dicam pati humanæ mentes, ſed quod audire vix poſſunt, quod plerique pauperculorum atque miſerorum ſpoliati reſculis ſuis, & exterminati agellis ſuis, cum rem amiſerint, amiſſarum tamen rerum tributa patiuntur, cum poſſeſſio ab his receſſerit, capitatio non recedit? Proprietatibus carent, & vectigalibus obruuntur: Quis æſtimare hoc malum poſſit? Rebus eorum incubant peruaſores, & tributa miſeri pro peruaſoribus ſoluunt. Poſt mortem patris, nati obſequiis iuris ſui agellos non habent, & agrorum munere enecantur.* Et iſta quoque Saluianus ad poſteriorem *huius leg.* querimoniam pertinentia, quod ſcil. venditores agrorum venditorum onera agnoſcerent. Rationem, quomodo iſtud fieret, non explicat Saluianus, id explicant *hac lex*, & *d. lex 1. inf. ſine cenſu vel reliquis*: imo omnes *illius tituli leges*: *lex 4. ſup. h. t.* Nempe vel cenſum ſeſe agnituros ſpondendo: vel opimos fundos, ſeruatis & retentis inutilibus, ven-

vendendo: vel retento plebis onere: Et hæc omnia, captatis momentaneis miſerorum venditorum neceſſitatibus. Qua cauſa fortiter defendo, pactum iſtiuſmodi non tantum fiſci ratione, ſeu reſpectu, verum & ipſorum paciſcentium penitus inualidum fuiſſe: de quo ad *legem 1. inf. ſine cenſu.*

XXVII. (a) Idem AA. Saluino (b) Com. R. P.

OPVLENTOS, quos annua ſolutione debitas inferre conuenerat penſiones, cum eo quod reſedit indebitum, (c) quadruplum iubemus inferre. Hii vero, quos forte mediocritas (d) a contumaciæ huius excuſat inuidia, ſimplam debiti ſummam omni maturitate redhibere (e) cogantur: quos tamen oportuerat pro media ſaltem præceptionis (f) condemnatione (g) retineri, (h) qui ad ſoluenda rei noſtræ debita reſtiterunt. (i) Dat. Id. Nou. Rau. Stilichone & Aureliano Coss. [400.]

NOTAE.

(a) Abeſt & hæc *lex* a *Cod. Iuſtin.* *GOTHOFRED.*

(b) *Saluinus* Comes R. P. ſub Honorio: Hic proculdubio eſt, ad quem extat Symmachi *epiſtola* 29. *lib.* 8. *ID.*

(c) *γρ.* Diuiſim, *in debitum* *ID.*

(d) *Mediocritas*, id eſt, paupertas. v. *Gloſſ.* *ID.*

(e) *Redhibere*, pro ſimplici præſtare, ſoluere. *ID.*

(f) *Præceptio*, hic eodem ſenſu, quo Generale præceptum, *l. vlt. ſup. de conſtit. Princip.* Imperiale præceptum, *l. vn. inf. de ſuperindicto*, id eſt, quod alias Edictum dicitur, *l.* 34. *inf. h. t.* id eſt, Indictio, delegatio, delegatoria, quæ de tributis ſoluendis emittebatur. *ID.*

(g) *Condemnatio*, pro multa: v. *Gloſſar.* *ID.*

(h) *Retineri*, eſt puniri, obnoxium reddi. *ID.*

(i) Id eſt, *morati ſunt.* *ID.* Cuiac. prim. & illa in 4. *exſtiterunt.* *RITTER.*

COMMENTARIVS.

MORATORI, qui intra annum tributa rei priuatæ non ſoluit, ſi opulentus ſit, præter id quod tributi nomine debet, quadrupli pœna mere pœnalis imponitur *hac* Honorii *conſtitut.* A. B. 400. Cui ſimilis Valentiniani Iun. conſtitutio eſt, *lege* 18. *ſup.* circa moratores Vrbicarii Canonis:
P. 38 Quanquam ea non illico ad quadrupli pœnam peruenitur; ſed poſt iteratam ſeu ſecundam moram & contumaciam. Et hæc de moratore opulento. Atenim mediocri ſeu pauperi hæc pœna remittitur, cum quadam Clementiæ oſtentatione: nempe quod dimidia ſaltem plus multari debuiſſent, [illegible]: nam etſi *eos mediocritas a contumaciæ excuſet inuidia*, vt *h. l.* dici obſeruandum eſt; attamen eo ipſo quod *reſtiterunt*; id eſt, intra annum non ſoluerunt, multandi videbantur.

XXVIII. (a) Idem AA. Pompeiano (b) Proconſ. Afric.

VETERANI terras cenſibus obligatas, vt cognouimus, vindicarunt, pro quibus tributum ſoluere dedignantur. Quoſcunque igitur inſertas cenſibus terras tenere fuerit deprehenſum, ilico ad ſoluenda tributa conpelli præcipimus. Dat. prid. Kal. Ian. (c) Med. Stilichone & Aureliano Coss. [400.]

NOTAE.

(a) Abeſt & hæc *lex* a *Cod. Iuſt.* Iungendæ autem ei ſunt *lex* 27. *inf. de ſuſceptorib.* & *lex* 3. *ſup. de concuſſ. Aduoc.* Imo & *lex* 2. *ſup. ad l. Iul. de ambitu: lex* 166. *inf. de decurionib. l.* 18. *inf. de luſtrali conlatione:* Tandem & *lex* 60. *inf. de appellationib.* *GOTHOFRED.*

(b) *Pompeianus* Proconſul Africæ ſub Honorio: de eo v. *Proſopogr.* *ID.*

(c) Ita quoque *d. l.* 27. & *l.* 3. At, Prid. Kal. Iun. d. *l.* 2. Prid. Kal. Iul. *d. l.* 166. & *d. l.* 18. Dat. Kal. Iun. *d. l.* 60. *ID.*

COMMENTARIVS.

VETERANI quoque terras cenſibus obligatas, inſertas, tenentes, tributa ſoluere iubentur ab Honorio *hac l.* Cui iungendæ non tantum *lex* 27. *inf. de ſuſceptoribus:* & *lex* 3. *ſup. de concuſſ. Aduocat.* verum etiam ceteræ omnes illæ, quas in *Notis* congeſſi, quæque omnes vnius prolixæ Honorianæ conſtitutionis partes ſunt: quæ emiſſa fuit ad Africanorum querelam & legationem, Meciliano Legato miſſo, vt oſtendit *lex* 166. *inf. de decurionib.* Inter ceteras autem querelas, aliquam multæ rem *Tributariam* reſpexere, qua Africani non vna ratione atterebantur, partim ſuſceptorum & Tabulariorum fraudibus: quo pertinet *d. lex* 27. *de ſuſceptoribus*, partim compulſorum deprædationibus, quo ſpectat *d. l.* 3. *ſup. de concuſſ. aduoc.* partim immunitate Potentiorum, quo pertinet *hac lex*, & *d. lex* 18. *inf. de luſtrali conlat.* Atque ita etiam argumenti in commune paritate hæ quatuor *leges* inter ſe optime concordant. Igitur vt *h. l.* ita & *l.* 18. *inf. de luſtrali conlat.* immunitati, quam Potentior quiſque

qoiſque ſibi vindicabat, Honorius oceurrit: & *hac* qoidem, veteranorum immunitati iniuſtæ. Nempe *Veterani* a cenſibus tum demum immunes ſunt, ſi non cenſibus obnoxias terras vindicare cœperint: de qoo ſuo *titulo ſup. de veteranis.* Denique neq; veteranorum obtentu tributorum modum infriugi oportet.

XXIX. (a) Idem AA. Prouincialibus prouinciæ Proconſularis. (b)

PERPENSA (c) cura ſtatuimus, Vt non amplius vobls aliquid extra ordinem indicetur, (d) quam rei annonariæ neceſſitas, ac deuotio (e) poſtularit. (*) Si quid vero de eodem modo (f) diuerſarum (g) ſpecierum potuerit redundare, futuræ iuſſimus inlationi (h) proficere, ſcilicet (i) vt in locis propriis conlata frumenta poſſeſſor dependat. Vt (*) vicenis ſolidis, qui in præteritum pro equis Curatoriciis (k) petebantur, duo ſolidi detrahantur: ita vt Proconſularis (l) Numidiæ cognoſcat, octonos & denos ſolidos pro ſingulis equis debere perſoluere: Byzaceni etiam Tripolitanique cognoſcant, quinos denos pro ſingulis equis ſe debere præſtare. (*) Sportularum autem nomine, quæ Comiti Sacri Stabuli præſtabantur, nihil penitus inferendum. Dat. prid. Kalend. April. Med. Vincentio & Frauitta Coss. [401.]

NOTAE.

(a) Abeſt & hæc *lex* a *Cod. Iuſtin.* Iungenda autem ei eſt *lex 26. ſup. de erogat. mil. ann.* & *l. 63. ſup. de curſu publ.* Imo iungenda ei & *lex 1. inf. de indictionib.* & forte *lex 28. infr. de ſuſceptor.* GOTHOFRED.

(b) *Proconſularis prouincia* eſt Africa, quæ ſub Proconſule erat; de quo v. Orbis Romani deſcriptionem e *Cod. Th.* vid. & *l. vlt. inf de ſuſceptoribus*: & quæ dixi iam ad *d. l. 28. ſup. de erog. mil. ann.* Illud itaque mirum, cum hæc *lex* ad Africam Proconſularem ſpectet: nihilominus de Numidis, Byzacenis & Tripolitanis quoque caueri. Quare oportet, integram conſtitutionem, vnde *hæc* & *duæ illæ priores*, quas *huic* coniungendas dixi, deſumptæ eſt, *Prouincialibus prouinciæ Proconſularis & cæterarum Africæ prouinciarum*, inſcriptam fuiſſe: Etſi *lex 1. inf de indictionib.* quæ & *huic* iungenda eſt, ſpeciatim *Pompeiano Proconſuli Africæ* inſcribatur. *ID.*

(c) *Perpenſa*: v. quæ dixi ad *l. 2. ſup. de conſtit. Principum. ID.*

(d) Reponendum *indiceretur*: vel *indicatur*, quod præfero. *ID.*

(e) *Deuotio* hic pro annona, & militari ſpeciatim: vt docet collatio *d. legis 1. inf. de indiction.* cum *hac l.* de hac alioquin Deuotionis ſignificatione dixi plura ad *l. 7. ſup. de diu. reſc. ID.*

(*) *Secunda* ſententia *huius leg. ID.*

(f) Id eſt quantitate & ratione collationis extraordinariæ. *ID.*

(g) In ſpeciebus diuerſis *d. l. 1. inf de indictionib. ID.*

(h) Indictioni conlationique *d. l. 1. ID.*

P. 39. (i) *Sed &*, *vt* &c. ita hunc locum reſtituo. *ID.*

(*) *Tertia* ſententia *huius l.* de *Equorum curatoriciorum* æſtimatione. *ID.*

(k) Curatoricio nomine flagitari dicuntur, *l. 2. inf. de equorum collat.* de quo mox. *ID.*

(l) Malim *Prouincialis*: Neque enim Numidia Proconſularis fuit, ſed Conſulari paruit, vt docet *Notitia Imperii fol.* 154. Sed & *Proconſularis* Numida, pro prouinciali eius prouinciæ, vix recte dicatur: quomodo *prouinciæ Proconſularis prouincialis* recte dicitur, vel *hac l.* Et quid ſi legamus: *Proconſularis & Numidæ*, id eſt, tam Proconſularis Africæ ſcil quam Numidiæ? *ID.*

(*) *Quarta* ſententia *huius leg* de *ſportulis Comitis S. Stabuli. ID.*

COMMENTARIVS.

DE EXTRAORDINARIA MILITARIS Annonæ, & EQVORVM collatione eſt hæc Honorii Imp. *lex*, data A. D. 401. Quæ pars eſt prolixioris Hoorianæ conſtitutionis, qua is Africæ proconſulari potiſſimum prolixe conſoltum fuit, ne videl. extraordinaria militaris annonæ, equorumque, imo paraueredorum parangariarumque exactione, plus nimio grauaretur: Quod præter *hanc l.* docent *lex 26. ſup. de erogat. mil. ann. l. 63. ſup. de curſu publ.* imo & *lex 1. inf. de Indictionibus*, emendato die, quæ omnes ex eadem conſtitutione deſumptæ, *huic* noſtræ coaſſandæ veniunt. Ad quem eundem finem datæ ab eo hoc ipſo anno, ſuperiore partim menſe, partim hoc ipſo, *lex 2. & 3. inf. de Equorum conlat. l. 28. de ſuſceptorib.* Et hanc quidem ideo conſtitutionem *perpenſa cura* a ſe emiſſam ait, vt enixi ſtudii ſui, maturoque conſilio ſuſceptæ ſolicitudinis indicium faceret: hæc enim eſt vocis *Perpenſi* ſecretior ſignificatio: de qua dixi plene ſemel ad *l. 2. ſup. de conſtitut. Principum.* Antequam vero de ipſius *legis* ſententia agimus, hiſtorica *huius leg.* occaſio retexenda nobis eſt. Igitur ſciendum eſt, tuendæ Africæ vt iam antea, ita & hac tempeſtate militem in ea locatum fuiſſe: tum aduerſus Barbaros, tum ne ea pars orbis Romani rebellaret. Quod paulo ante certe euenerat per Gildonis Tyrannidem, qui in ea aduerſus Honorium rebellauerat, iam inde ab A. D. 396. imo & Arcadii Imperio eam adiectam voluerat. Et quanquam is iam Anno 398. debellatus fuiſſet, tamen Gildonianæ factionis reliquiæ adhuc ſupererant. Sed & Marcharidus in ea quidam hoſtis publicus profligatus, de quo eſt hoc ipſo anno 401. *lex 18. ſupr. de bonis proſcriptorum.* Inde

vero

vero Mauri eam laceſſebant, teſte Claudiano *de bello Gildonico v. 283. ſeqq.* & *lib. 1. in Eutropium v. 400.* Zoſimo, *lib. 5. cap. 11.* donec Stiliconis conſiliis & prouiſione liberaretur. His igitur malis motibuſque afflictæ, inter alia extraordinaria, annona militari, equiſque militaribus opus fuit. Quo obtentu, ne prouinciales nimio plus attererentur, hac conſtitutione prouidendum credidit Honorius: His quatuor *hac l.* conſtitutis: nam & totidem *huius l.* ſunt capita.

Prima ſententia eſt de *Modo* extraordinariæ iſtius militaris annonæ: Nempe id demum, ſeu id tantum Afris eo nomine indicendum ſtatuit, quantum annonæ militaris neceſſitas reuera depoſcere videretur: Nempe enim, ſicut nonniſi ſumma neceſſitate vrgente hæc indictio fit, ita nonniſi quatenus neceſſitas poſtulat, facienda eſt. Id quod pariter continetur *d. l. 1. inf. de Indictionibus*, quæ *huic* inter alias coniungenda eſt: hoc tantum ferme diſcrimine, quod *illa* Proconſuli Africæ inſcribitur, *hæc* & *cæteræ* Prouincialibus ipſis prouinciæ proconſularis: Quomodo de eadem re ad diuerſos eodem tempore ſcribi moris fuiſſe complures aliæ hoc Codice *leges* oſtendunt: de quo peculiari capite *in Prolegomenis.* Verba igitur *legis* illius hæc ſunt: *Id tantum, quod eſt neceſſarium intra Africam militibus conſiſtentibus, prouincialibus iubemus indici, ac iuxta matricularum fidem, quod exigit ratio, poſtulari.* Ex his interim apparet quod initio dixi, hac tempeſtate milites intra Africam conſtitiſſe, tuendo eius limiti: ſubinde qua Barbaris, qua Tyrannis in ea exorientibus repellendis.

Secunda ſententia eſt: *Redundantem* etiam ex hac extraordinaria militaris annonæ collatione, quantitatem, id eſt, ſi quid poſt factam erogationem in milites ſuperfuerit, futuræ indictioni ſeu illationi proficere & imputari debere. Quod ipſum rurſum *d. l. 1.* continetur: *Ita vt*, inquit, *ſi quid erogationibus redundarit in ſpeciebus diuerſis, vel præbitione, vecturiſque, id futuræ Indictioni conlationique proficiat.* Non abſimiliter, pretia ſpecierum vrgente neceſſitate fiſco venditarum in collationem fiſco inferendam imputantur, *l. 2. Cod. Iuſt. vt nemini liceat inempt. ſpecierum.* Similiter & ſumptus facti in tranſitu militum, *Nouella 130 c. 3.* Quæ tres imputationum ſpecies notandæ veniunt, vel eo magis, quod vix quidquam de præterito in futurum ſibi fiſcus imputari patitur.

Tertia ſententia Equorum Curatoriciorum adæratio ſit, & quidem moderatior, id eſt, eorum pretium conſtituitur, pro prouinciarum Africæ diœceſeos diuerſitate. Quod quid ſit paucis videndum eſt. *Curatoricii* igitur Equi, qui *h. l.* vocantur, dicuntur Curatoricio nomine flagitari in *l. 2. inf. de Equorum conlat.* quæ & ipſa *lex* ad Africam ſpectat, imo & eidem Pompeiano Proconſuli Africæ hoc ipſo anno inſcribitur ante ſex ſeptimanas, cui & *d. lex 1. inf. de indictionib.* inſcribitur, quæ *huic* noſtræ coniungenda eſt. Sane ex *eadem l.* apparet, eos in vſum militarem exactos. Lex ita habet: *Impp. Arcadius & Honor. AA. Pompeiano Proc. Afric.*

Sicut dudum præceptum eſt, quamprimum Equorum, qui Curatoricio nomine flagitantur, in pretio maturetur exactio: ita vt viceni quidem ſolidi pro ſingulis equis a prouincialibus exigantur: ſepteni vero Contubernalibus miniſtrentur. Dat. Id. Feb. Med. Vincentio & Frauitta COSS. Eoſdem *lex 3. d. t. de equorum conlatione*, vocare videri poſſit, *Equos canonicos militares Diœceſos Africanæ:* quæ *lex* decem tantum diebus hac antiquior eſt. Quod non probo: de quo etiam ad *d. l. 2.* Curatoricios igitur equos dictos quis exiſtimet, eo quod ab iis primum exacti ſeu collati, quibus per Africam cura aliqua demandata erat, quique ad agendas curas deſtinabantur, a quibus proinde pro huiuſmodi actu Equi ſolemnes collati fuerint; quod certe teſtatur Conſtantini M. ſingularis *lex 2 ſup. de priuil. eorum qui in ſacro Palatio*: Quibus & deinceps alii Honorati acceſſere, a quibus iidem equi ad militare ſubſidium, ſeu ad vſum armorum exacti: quod oſtendit *lex 2. ſup. de decur. & ſilent. lex 3. ſup. de proximis Comit. diſpoſitionum: d. l. 2. ſup. de priuil. eorum qui in ſacro Palatio: l. vn. ſup. de oblat. equorum: l. vn. inf. qui a præbitione tironum excuſ.* Ac nominatim Nauicularii codicillis ornati, *l. 15. inf. de Nauiculariis:* Nihilominus tamen Curatoricii ſemper a prima ſui origine dicti fuerint. Verum de eo plenius & certius ad *d. l. 2.* P. 40.
inf. de Equorum collat. & ad *l. 3. eod. tit.*

Nunc de pretio iſtorum Equorum Curatoriciorum. Igitur, cum antea viceni pro ſingulis equis exigerentur, *d. l. 2. inf. de Equorum conlat.* cuius verba antea retuli, octodecim ſolidis nunc Numidæ taxantur, Byzaceni & Tripolitani quindenis. Nempe, quod notandum, Numidæ equi maiore pretio taxati ſeu adærati: hi quippe præſtantiſſimi fuere: Quod præter *hanc l.* docet *lex 15. inf. de nauicul.* & Auctor *veteris Orbis deſcriptionis* ſub Conſtantio *cap. 52.* Numidarum Equorum inter præcipuos quoque meminit Vegetius *de re Veterinar. lib. 4. c. 7.* Imo & eodem reſpicit aliquatenus *lex 2. de cohortalib.* Verum de *Equorum adæratione* ſeu taxatione ad *leg. 1. inf. de Equor. collat.*

Sequitur poſtrema *huius leg.* ſententia, qua vetat Honorius Imp. quidquam *ſportularum* nomine pro his Equis Curatoriciis tribui Comiti S. Stabuli: de quo commodius ad *d. l. 3. inf. de Equorum collat.*

MVTARI *canonem Africanum frumentarium, vrbis Romæ vſibus deſtinatum, ſub pœna dupli, vetat Honorius Imp.*

XXX. (a) Impp. Arcadius, HONORIVS & Theod. AAA. Sapidiano Vic. Afric. (b)

SVPER mutando canone (c) a quolibet inpetrata Reſcribta vacuentur (d): & ſi quid (e) deinceps auſus fuerit quæ prohibemus, poſtulare, in duplum teneatur obnoxius: Nam cum in priuatis cauſis, quæ contra leges fuerint elicita caſſentur, rectius (f) in publicis negotiis quæ aduerſum vetera (g) decreta extorta fuerint ſubmouemus. Dat. prid. Non. Septemb. Altino, Arcadio (h) A. VI. & Probo Coss.

NOTAE.

(a) Abeſt hæc *lex* a *Codice Iuſtin.* Iungendaque *huic*, meo quidem iudicio, mox vt oſtendam, *lex* 5. *inf. de can. frum. V R.* concordat etiam huic *lex* 4. *ſup.* & *lex* 1. 2. 4. 5. *inf. tributa in ipſis ſpeciebus. GOTHOFRED.*

(b) *Sapidianus* Vicarius Africæ ſub Honorio. Huic inſcribitur & anno 399. *lex* 34. *inf de Epiſcopis*, & anno 409. *lex* 9. *ſup de metatis*, omiſſa tamen ibi dignitate. Proculdubio hic idem eſt, ad quem extat Symmachi *ep.* 16. *lib.* 9. vbi & *publica eum tractaſſe* indicat: & Animalia ludorum apparatui præparari ſibi ab eo depoſcit: *animalia*, in quibus ſane erant Lybica, ſeu Africana, quod idem Symmachus teſtatur, *lib.* 2. *ep.* 46. 76. *lib.* 7. *ep.* 121. v. & Caſſiodorum *Chronico. ID.*

(c) Frumentario vrbis Romæ, *d. l.* 5. *ID.*

(d) *Vacuentur*, id eſt, pro nullis & inanibus habeantur. vid. *Gloſſar.* mox, *caſſentur*: item *ſubmouemus. ID.*

(e) *γρ qui*: expuncta litera *d.* quæ ex ſequ. vocis occaſione hic infarta. *ID.*

(f) *Rectius*, id eſt, multo magis, potiori ratione. v. *Gloſſ. ID.*

(g) *Veterem diſpoſitionem, d. l.* 5. ID.

(h) Emendandi hi Conſules, mox vt oſtendam. ID.

COMMENTARIVS.

MVTARI canonem vt cæteroquin non oportet (de quo erit etiam *lex vlt. inf. h. t.*) ita canonem nominatim *vrbicarium*, deſtinatum vſibus vrbis Romæ, etiam Reſcripto Principis mutari, vetat *h. l.* Honorius: pariter vt *l.* 5. *inf. de canone frum. V. R.* (quam *huic* coniungendam videri mox oſtendam:) pariter vt vetuit Valentinianus Senior *l.* 8. *ſup.* & *l.* 1. 2. *inf.* mox peculiari *titulo*, *Tributa in ipſis ſpeciebus*: Imo & Theodoſius M. per Orientem quoque pariter canonem mutari vetuit, *l.* 4. & 5. *ſeu vlt. inf. Trib. in ipſis ſpecieb.* contrarius hac parte fuit Theodoſius Iun. *l. vlt. hoc tit. Mutari*, inquam, id eſt vel alia ſpecie commutari, vel adærari, ſeu pretio taxari, vt *l.* 8. *ſup. Canonem* inquam, vrbis Romæ frumentarium, qui ex Africa Romam ſubuehendus erat: Quare hæc *lex* inſcripta Vicario Africæ: de quo dicetur *l.* 3. *inf. de canone frum. V. Rom.*

Adeo autem mutationi huic intercedit Honorius, vt ſi in poſterum huiuſmodi Reſcriptum quis impetrauerit, in duplum eum teneri velit. Quod ipſum omne continetur *d. l.* 5. *inf. de canone frum. V. R.* cuius ſubſcriptio talis eſt, *Dat. prid. Non. Septemb. Altino, Theodoro V. C.* CONS. Vides Diem, menſem, & Locum in hac ſubſcriptione, conuenire cum iis, quæ habet ſubſcriptio *huius l.* Quare mihi mens ea omnino, *hanc l.* cum *illa l.* 5. coniungendam eſſe, atque adeo Coss. in hac emendandos. Præter argumenti paritatem, & ſubſcriptionis ſimilitudinem, & hoc inſuper argumentum habeo: quod Honorius *Arcadio VI. & Probo* Coss. id eſt A. D. 406. toto, *Rauenna* conſtiterit: At enim *Theodoro*. Cons. id eſt A. D. 399. indubie Patauio digreſſus menſe Septembri *Altini* conſtitit: quod docet præterea *lex* 6. *inf. de Canone frum. V. R. l* 15. *inf. de exactionibus*: imo & *lex* 16. *ſup. de bonis proſcriptor*. Etſi fateor nil impedire, quominus Honorius & Altini A. D. 406. aliquando conſiſtere potuerit: quomodo etiam A. 400. Mediolano digreſſum Altini ſubſtitiſſe, docet *lex vn. inf. de patronis horr. Portuens.* itemque fine Anni 401. *l. vn. ſup de off. Vicarii.*

Ratio tandem & argumentatio *huius l.* a minori ad maius elegans notetur: a priuatis videl. cauſis ad publica negotia.

P. 41. XXXI. (a) Impp. HONOR. & Theod. AA. Seleucho PF. P. (b)

POSSESSOR (*) Africanus pro deſtitutis (c) poſſeſſionibus cogetur (d) tributa dependere: Quod ne accidat, hac (**) definitione ſancimus, Nullum poſſeſſorem, neque munificum (e) prædium, pro alienis debitis, (f) vel deſtitutione (g) eſſe detinendum: Neque eorum prædiorum deſpectione (h) prægrauari, quæ ex hiſdem bonis quæ retinent, (i) nequaquam eſſe monſtrantur: ne (k) vllis præſtigiis atque commentis exactio mutiletur. Electos (***) igitur Inſpectores (l) iam nunc (m) cenſuimus eſſe mittendos, vt eorum relatione integro canoni (n) & inlibatæ penſitatione (o) ſolemni, (p) quatenus prouideri debeat, æſtimetur. Dat. Prid. Kal. Feb. Rau. Honor. VIII. (q) & Theod. V. AA. Coss. [412.]

NOTAE.

(a) *L.* 11. *Cod. Iuſt. de omni agro deſerto. GOTHOFRED.*

(b) Seleucus PP. ſub Honorio, & quidem Italiæ, quod docet Africæ mentio *h. l.* & *l.* 52. *inf. de hæreticis.* v. *Proſo. pogr. ID*

(*) *Prima*

Digitized by Google

(*) *Primo* hæc ſententia hiſtorica reciſa a Triboniano. *ID.*

(c) Alienis. *ID.*

(d) *γϱ. Cogitur*: ſunt enim hæc verba Honorii malum memorantis, mox remedium propoſituri. *ID.*

(**) Hinc iam deſumpta eſt *d. lex* 12. *ID.*

(e) *Munificum* prædium, quod munus publicum ſeu tributa agnoſcit. v. *Gloſſ.* Inanis coniectura eſt Gutherii *de off. domus Aug l* 3. *c.* 14. *pag* 637. *edit Lipſ.* qui interpretatur obnoxia munificib. curſus publici. *ID.*

(f) *Debitum*, de tributario. v. *Gloſſar. ID.*

(g) *Deſtitutionem* vocat prædium, ſeu poſſeſſionem deſtitutam, *ſup.* Cod. Iuſt. hic legit, *deſtitutionibus eſſe retinendum ID.*

(h) *γϱ. Defectione*, vt etiam hodie habetur in accuratis Editionib. *Cod. Iuſt.* antea editum fuerat, *defunctione.* Hinc & defecta prædia. v. *Gloſſar ID.*

(i) Poſſeſſor ſcil. & prædium munificum: at *Cod. Iuſt. retinentur. ID.*

(k) *Nec*, C. Iuſt. Editiones quædam. *ID.*

(***) Et hæc poſtrema ſententia Hiſtorica a Triboniano reciſa eſt. Non male forte. *ID.*

(l) De *Inſpectoribus* his agitur rurſum *l.* 33. *inf.* & ſun tit. *inf de Cenſitorib. peræquatorib. & Inſpectorib.* plene. *ID.*

(m) *Iam nunc*, id eſt, ex die præſenti, continuo, illico *h. l* & *l.* 2. *ſup de Palatinis S. L. l.* 1. *ſup. de off. Rector. prou. l* 2. *ſup. de Veteranis: l* 9. *inf. de luſtrali collat. l.* 17. *ſup. de Tyronibus.* vid. *Gloſſ. Theod. ID.*

(n) *Canon*, pro tributo, v. *Gloſſar ID.*

(o) *γϱ. Penſitationi*, ut habet Editio in 4. *ID.*

(p) *Solemnis* penſitatio. v. *Paratitlon ID.*

(q) *γϱ. IX. ID.*

COMMENTARIVS.

SIcut Επιβολὴ ſeu Adiectio, Compenſatio STERILIVM ſeu deſtitutorum, afanticorum fundorum, ex iiſdem bonis manantium, propriorumque cum opimis æquiſſimo iure ad tributorum ſolutionem, & *hac leg.* vt *l.* 4. *ſupr.* vbi de ἐπιβολῇ plene, comprobatur (ſic vt omnium ex æquo nomine idem integrum tributum ſoluere cogatur) ita contra alienorum ſterilium fundorum ex diuerſo iure manantium ἐπιβολὴν, per Africam nominatim velut iniquiſſimam, abolet Honorius Imp. A. D. 412. Επιβολὴ non fit, ſeu ſterilia fertilibus non imponuntur, niſi ex eiſdem bonis *h. l.* & *d. l* 4. 17. *ſup.* & *l* 10 *Cod. Iuſt. de omni agro deſerto.* Non ex alienis: neque alius pro alio conueniri debet, *l.* 2. *inf. de exactionib. l.* 186. *inf. de decurionib. l. vlt. ſup. de execution ib. & exactionib.*

Cœterum ne præſtigiis aut commentis aliquibus, fraus tributis fiat, quorum exactio hoc tempore maxime vrgebatur, Inſpectores in Africam mitti Honorius iubet: vt ita eorum relatione integro Canoni prouideri poſſit. *Inſpectores* ſcil. extra ordinem in prouincias miſſi, qui tributariæ rei ſtatum, fundorum ingenium & dotes inſpicerent, & referrent: vt ita tributaria res ad eorum relationem, conſtitueretur, poſſeſſionibus tributa indicerentur: quod præter *hanc leg* docet *lex* 33. *inf. h. t.* De his vt erit infra quoque *lex* 33. ita peculiaris *titulus* 11. *lib.* 13. *de Cenſitoribus, Peræquatoribus & Inſpectoribus*: vbi de his dicam plene.

XXXII. (a) Idem AA. Euchario (b) Proconſ. Afric.

INLATIONEM omnem Auri vel Argenti a poſſeſſoribus in Karthaginienſi Vrbe poſcendam eſſe decernimus, in qua oportunitas eſt, ſi deprædator fraudium pareat, (c) Iudicis (d) adeundi, ne cui (e) ſit facultas apochas abnegari, (f) cum deuotio (g) Cognitori (h) potuerit aperiri: Scilicet remotis omnibus, qui ad (i) Exactionem Prouincialium exquiſita lucra captare feſtinant. Dat. Prid. Kalend. Mart. Rau. Honorio IX. & Theod. V. AA. Coss. [412.]

NOTAE.

(a) Ex hæc *lex* abeſt a *Cod. Iuſt* Iungenda porro illi ſunt *lex* 19. 20. 21. *inf de exactionibus*: *lex* 31. *inf. de Suſceptoribus*: *lex* 23. *ſup. de cohortalib. lex* 9. *ſup. de curioſis.* Imo & *lex* 22. 24. *ſup. de cohortalibus.* Concordat ex parte *lex* 34. *inf.* GOTHOFRED.

(b) *Eucharius* Proconſul Africæ ſub Honorio: v. *Proſopogr. ID.*

(c) *γϱ. Fraudium quid paret*: vel *fraudem paret*, vel *fraudi iam pareat. ID.*

(d) *Iudicis*, id eſt, Proconſulis Africæ, de quo mox. *ID.*

(e) Poſſeſſori. *ID.*

(f) A Suſceptore. *ID.*

(g) *Deuotio*, id eſt, illatio tributorum, v. *Gloſſ ID.*

(h) *Cognitori*, id eſt, Proconſuli Africæ. *ID.*

(i) Id eſt, ſupra, præter exactionem, & cum exigunt. *ID.*

COMMENTARIVS.

AVRI, ARGENTI illationi, aduerſus Suſceptorum fraudes ſuccurrit, EXACTORVMQVE deprædationi, concuſſioni occurrit, (& quidem per Africam Proconſularem) Honorius Imp. A. D. 412 *hac leg.* quæ prolixæ Honorianæ conſtitutionis pars eſt: qua in vniuerſum, de Suſceptorum, Exactorum, Mancipum curſus publici officio prolixe egit, vt ex illis omnib. *legib.* quas *huic* coniungendas eſſe docui, liquet:) ita nominatim Suſceptorum & Exactorum fraudibus, prædiis, ſpoliis, p. 42. concuſſionibus, occurrendum credidit: quod arguunt, præter hanc *l. d. lex 19 & 20. inf. de exactionib.* & hæc quidem poſtrema elegantiſſima.

Huius igitur *legis* hæc ſententia eſt; *Aurum* & argentum poſſeſſores inferre non alibi cogendos, quam in totius diœceſeos Africæ Metropoli, quæ in orbe Africano quaſi Roma erat, puta *Karthagine*, ſeu Capitolio Karthaginienſi, vt cauetur pariter *l. 34. inf. h. t.* Auri ſcil. & argenti, ac maxime aurariæ illationis, peculiaris quædam ratio habita, ne qua Suſceptorum fraude interuerteretur, neue ad iteratam ſolutionem poſſeſſores adigerentur. Hoc fine igitur Theodoſius M. conſtituerat *l. 19. ſup. h. t.* vt præſente Defenſore ciuitatis aurum ſolueretur & apochæ collatoribus darentur: Eodem fine nunc Honorius ſub oculis, non nudi Defenſoris, qui quotidianis actibus præerat, *l. 3. ſup. de Defenſorib.* ſed ſupremi Iudicis & Cognitoris Africæ, quem quotidianum Iudicem Saluianus vocat, in vrbe Karthaginienſi aurum, argentum inferri iubet: & rurſum per eandem Africam Valentinianus III. *d. l. 34. inf. h. t.* Idque de aliis Metropolibus pariter indicat *lex 2. inf. de Suſceptoribus.* Et tamen diſplicuit Valentiniano Iuniori *l. 17. d. t. de Suſceptorib.*

Rationem aperte hic adſignat Honorius: *In Karthaginienſi vrbe*, inquit, *in qua opportunitas eſt, ſi deprædator fraudium quid paret* (ita enim reſtituo) *Iudicis adeundi, ne cui ſit facultas apochas abnegari, cum deuotio Cognitori potuerit aperiri.* Scilicet, quod præter *hanc l.* innumeræ *hoc Codice* leges arguunt, quas *in Notitia Dignitatum* Theodoſiana, congeram, Proconſul Africæ Karthagine ſedem habebat. Saluianus quoque *lib. 7. cap. 15.* de Karthagine agens. *Illic Honor Proconſularis: illic* QVOTIDIANVS IVDEX, *& Rector: quantum ad nomen quidem Proconſul, ſed quantum ad potentiam Conſul.*

Non omittere poſſum, quod *d. l. 20. inf. de exactionibus*, quæ *huic* inter alias coniungenda eſt, cauetur, non abſimili fine, aduerſus Exactorum iniquam fraudes, prædas, ſimili ratione: Nempe, in eadem vrbe Karthaginienſi in Secretario (Proconſulis Africæ) admiſſo populo Exactores idoneos, ſtrenuoſque *ea l.* ordinari oportere: & populari accuſatione admiſſa, concuſſores grauiter puniri, multarique.

XXXIII. (a) Imp. THEOD. (b) A. Iſidoro (c) PF. P. Illyrici.

ID ab vnaquaque prouincia cenſuimus (d) expetendum, quod ab hiſdem nuper eſſe promiſſum Tua Sublimitas indicauit. Vt (e) vero nullus de cetero ad poſſeſſiones eorum (quod maxime reformidant) (f) Inſpector (g) accedat, Macedonum reliqui (h) exemplum ſecuti, mediæ quantitatis, vt obtuliſſe noſcuntur, tributa ſuſcipiant. (i) Sed Achiui, (k) qui proteſtati ſunt, nihil a ſe vltra tertiam partem poſſe conferre, (l) illud exſoluant, ad quod ſe indubitanter fore idoneos pollicentur. Quæ diſpoſitio in perpetuum obſeruanda (m), initio Indictionis (n) octauæ congruum ſumere debebit exordium: Sacroſancta (*) Theſſalonicenſis Eccleſia (o) ciuitatis excepta: ita tamen, vt aperte ſciat, propriæ tantummodo capitationis modum beneficio mei (p) Numinis ſubleuandum: *nec externorum* (q) *grauamine tributorum Rempublicam Eccleſiaſtici nominis abuſione lædendam.* Dat. VI. Id. Octob. Conſtantinop. Victore v. c. CONS. [424]

NOTAE.

(a) *L. 11. C. Inſt. eod. tit. & L. 8. Cod. eod. de Sacroſ. Eccleſ.* GOTHOFRED.

(b) In *Cod. Inſt. d. l. 8.* perperam *Imp. Carus.* Item male Haloander in *d. l. 11.* *Valentinianum* (Tertium ſcil.) contra fidem antiquorum librorum adſociat. *ID.*

(c) *Iſidorus* PP. Illyrici, ſub Theodoſio Iun. vid. *Proſopogr.* Eidem inſcribitur hoc ipſo Anno *lex 4. inf. de ſpectacul.* Hinc emendanda Inſcriptio *d. l. 8. ID.*

(d) *Cenſemus*, Cod. Iuſt. *ID.*

(e) *Nullus vero:* ita C. *Inſt.* Male. *ID.*

(f) *Formidant.* Cod. Iuſt. *ID.*

(g) De *Inſpectore* iam dictum *ad l. 31. ſup.* dicetur plene *ſuo tit. inf. de Cenſitorib. &c. ID.*

(h) Id eſt, Macedones omnes, ſeu Macedoniæ diœceſeos prouinciæ omnes, Achaia ſola excepta. Quanquam inuoluta hic conſtructio (pariter vt mox infra *Sacroſancta Theſſalonicenſis Eccleſia ciuitatis*) ita euoluenda: *Macedonum exemplum, reliqui ſecuti* ID.

(i) *Suſcipiant*, id eſt, agnoſcant, v. *Gloſſar.* ID.

(k) Ita quoque veteres *Cod. Iuſtin.* & *Paratitla Græca*, quomodo & Accurſius legit: Male in vulgatis Editión. *Sed & hi. ID.*

(l) Vel legendum hic, vt Cod. Iuſt. *conferri*, vel præpoſitio, *a*, quæ *ſupra*, inducenda eſt. *ID.*

(m) *Obſer-*

(m) *Obſeruabitur*: ita *C. Iuſt.* reſecatis ſequentibus, vſque ad *Sacroſancta*. Nempe quia Hiſtorica ſunt: qua ratione & ſuperiora Tribonianus immutare debuerat. *ID.*

(n) *Indictio octaua* hæc congruit Anno proxime ſequenti 425. vt præter *hanc l.* docet Chronicon *Marcellini*, & alterum *Alexandrinum*. De *Indictionibus* omnia, quæ *hoc Codice* occurrunt collegi peculiari capite ſub finem *Conſulariorum Theodoſianorum*, & dicam ad *tit. inf. de indulg. debitorum*. *ID.*

(*) *L. 8. Cod. Iuſt. de Sacroſ. Eccl.* hinc deſumpta eſt. Cæterum & *hac l.* augeri Annales Eccleſiaſtici Anni D. 424. poſſunt, quam Baronius omiſit in annum ſuum referre. Retulit ſub Cari Imperio A. D. 284. errorem *Cod. Iuſtinianei* ſecutus. *ID.*

(o) Inuoluta hic conſtructio, vt nonnullis aliis *huius l.* locis. Recte euoluit *Cod. Iuſtin.* in *d. l. 8.* at non & in *d. l 12. ID.*

(p) Ita quoque *d. l.* 12. at in *d. l. 8. Noſtri*. *ID.*

(q) Ita quoque *d. l.* 12. at *d. l. 8. Extraneorum*: male. *ID.*

COMMENTARIVS.

MACEDONICÆ Diœceſeos prouinciarum tributi MODVS, iuxta ſpontaneam earumdem oblationem, promiſſionem, pollicitationem, Inſpectoris gratia factа, a Theodoſio Iuniore A. D. 424. ſancitur: ſimul & quod alterum *huius l.* caput eſt, THESSALONICENSIS Eccleſiæ immunitas firmatur *hac l.* quæ & localis eſt, quod Accurſius, Platea, Pyrrhus & alii poſt hos recte notarunt: imo & Temporaria, quam proinde mirum a Triboniano retentam.

De vtroque ſeparatim agendum eſt: Quanquam ante omnia ſciendum, e duabus diœceſibus, quibus Illyricum Orientale, ſeu Præfectura Prætoriana Illyrici conſtabat, fuiſſe Macedonicam diœceſim: cuius ſpeciales prouinciæ fuerunt *Achaia, Macedonia, Creta, Theſſalia, Epyrus vetus, Epyrus noua, & pars Macedoniæ ſalutaris*: vt docet Sex. Rufus Feſtus *in Breuiario ad Valentem cap. 7.* circa A. D. 370. & *Notitia Imperii* circa A. D. 427. *fol. 15.*

Macedonicæ igitur Diœceſeos prouinciæ ſolitis tributis impares, & ab Inſpectoribus ſibi maxime metuentes, qui extra ordinem in prouincias ſubinde mittebantur, ſed graues ipſis prouincialibus plurimum erant (de quibus iam *l. 31. ſup.* & *ſuo titulo inf. de Cenſitorib. Peræquatoribus, & Inſpe-*
P. 43 *ctoribus*) ad Iſidorum PP. Illyrici (ſub quo Diœceſis Macedonica erat) ſpontanea oblatione perferri curauerant, quantam tributi partem ſoluere parati eſſent. Primi *Macedones* prouinciales mediæ tantum quantitati ſeſe ſufficere dixerant. Horum exemplum ſecuti & reliqui, (Cretenſes, Theſſali, Epyri) ſoli Achiui proteſtati fuerant, ſe vltra tertiam partem ſoluere non poſſe. Id per Iſidorum PP. ad Theodoſium Imp. perlatum *h. l.* confirmatur, acceptata vltronea Macedonum Oblatione, & Inſpectoria, (de quo alibi) inſuper gratia iis facta. Idqoe in perpetuum obſeruari iubet, illam inquam diſpoſitionem & oblationem vltroneam. Qua occaſione Interpretes nugatorie hic agunt de Principe, quod teneatur ad conuentionem cum ſubditis celebratam obſeruandam, & quod non poſſit reuocare priuilegia indulta ratione contractus. Et hæc de primo *huius leg.* capite.

Secundo capite THESSALONICENSI Eccleſiæ immunitatem, a tributis *hac l.* firmat Theodoſius Iun. Nempe Theſſalonica ipſa, vt in ſecularibus pari paſſu cum maximis orbis Rom. & nobiliſſimis vrbibus ambulauit, ac Macedonicæ diœceſeos metropolis fuit, μήτηρ πάσης Μακεδονίης, *mater omnis Macedoniæ*, vt eſt in Antipatri *Epigrammate lib. 1. ἀνθολογ. cap. 26. Epigr. 5. v. 2.* imo totius Illyrici Orientalis (quod Theodoretus teſtatur *lib. 5. c. 17. initio.*) Θεσσαλονίκη, inquit, πόλις ἐςὶ μεγίςη ϗ πολυάνθρωπος, εἰς μὲν τὸ Μακεδόνων ἔθνος τελοῦσα, ἡγεμόνη δὲ ϗ Θετταλίας ϗ Ἀχαΐας, ϗ μέντοι ϗ ἄλλων παμπόλλων ἐθνῶν, ὅσα τῶν Ἰλλυριῶν τὸν ὕπαρχον ἡγούμενον ἔχει: *Theſſalonica vrbs eſt maxima & populoſa, Macedonum quidem in gente poſita, ſed quæ caput eſt, tum Theſſaliæ & Achaiæ, tum aliarum complurium prouinciarum, quæ reguntur a Præfecto Prætorio Illyrici.* Ita Theſſalonicenſis Eccleſia & Epiſcopus iam olim Illyrici totius Primas, præcipuoque honore fuit: de quo Acta *Synodi Primæ Nicænæ* apud Gelaſium *cap. 27. pag. 423. T. I. Concil. Edit. Harduin.* & *canon. 20. (ſiu. 16. græc.)* Concil. Sardicenſ. Tom. eod. Concil. *pag. 651.* Ἰλλυριῶν ἀρχιερεὺς, de quo Procopius *orat. 4.* cuius verba excitat Philippus Berterius *Pithanon Diatrib. 2. cap. 2. pag. 866. Tom. IV. Theſaur. Iur.* Vid. & quæ dixi ad *l. 45. inf. de Epiſcopis*. Sane, quod omiſit ille, omittunt & Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ Scriptores ſuo Anno memorare, & hæc *lex* argumentum illuſtre præbet. Ei nempe Theſſalonicenſi Eccleſiæ, vni in tota Macedonica diœceſi, imo in tota Præfectura Prætoriana Illyrici, ſingulari priuilegio immunitas a tributis a *Theodoſio Iun.* tribuitur: idque non ſine elogio: *Sacroſancta*, inquit, *Theſſalonicenſis Eccleſia ciuitatis excepta*. Sane vt Apoſtolica Eccleſia hæc fuit, in Metropoli vrbe fundata, ita præcipuo honore eius Antiſtites fuere; quorum Catalogum aliquem nectit a Conſtantini M. temporibus Baronius A. D. 378. n. 42. 43. Eum vlterius pertexam: vt ita ad eum deueniamus, qui *huius l.* tempore fuit:

ALEXANDER. *Conſtantini M.* temporibus fuit: Nicæno Concilio interfuit: eius literæ extant ad Athanaſium.

AETIVS. Tempore Concilii Sardicenſis, ſub *Conſtantio*.

IRENIVS, vel IREMIVS, poſt Concilium Ariminenſe ſub *Conſtantio*: De eo Athanaſius *Apolog. ad Conſtantium pag. 692. Tom. I. Oper. edit. Lipſ. apud Weidm.*

ACHOLIVS. Sub *Valente*, & *Theodoſio M.* & tempore Concilii Conſtantinopolitani. v. Ambroſium *ep. 59.* ſiu. *lib. 3. epiſt. 22. Tom. V. Oper. edit. Paris. Cardinal. Felicis de Mont. Alto.* Epiſtolam Synodalem Concilii Conſtantinopolitani apud Theodoretum, *lib 5. c. 9.* Hic Theodoſium baptizauit. v. Sozom. *lib. 7. c. 4.* & Socratem, *lib. 5. c. 6.*

Anysius, Acholio ſubrogatus (ſub *Theodoſio M.*) teſte Ambroſio *ep. 59. 60.* ſiu *ep. 22. 23. edit cit.* Superſtes fuit poſt Concilium Capuanum, id eſt, A. D. 389. teſtis idem Ambroſius *ep. 79.*

Rufus, vel Rufius. Sub *Theodoſio Iuniore*, tempore Concilii Epheſini, & eo tempore, quo primum Neſtorius motus ſuos exeruit: Celeſtini Ep. Rom. epiſtolam ad eum memorat Liberatus *in Breuiario cap. 5*

Anastasius. Sub *Theodoſio Iun.* tempore Concilii Chalcedon. *Rufium* igitur *huius l.* tempore fuiſſe apparet.

Sed ad rem. Singulari priuilegio immunitas a tributis vni Theſſalonicenſi Eccleſiæ per Illyricum tributa: de quo etiam dicam aliquid ad *l. 21. inf. de extraord* ita vt exinde etiam duo obſeruanda veniant. Primo, Eccleſias hac tempeſtate in commune a tributis immunes non fuiſſe: quod vt prolixius oſtendi ad *l. 1. ſup. h. t.* ita id *h. l.* egregie firmatur. Firmatur & *l. 15. inf. de Epiſcopis*. Etſi ab initio Conſtantinus M. omnes Eccleſias Catholicas a tributis immunes feciſſet, *l. 1. ſup. h. t.* Nempe, inter initia reſpirantis a perſecutionib. Eccleſ. & adhuc paupertinæ. Secundo, modus quoque quem huic ſingulari immunitati præſtituit Theodoſius Iun. obſeruandus eſt: Nempe ita Theſſalonicenſi Eccleſiæ hoc priuilegium tribuit, vt ne obtentu Eccleſiæ & Eccleſiaſtici nominis *externi*, ſeu alii ſiue priuati, ſiue Clerici, aut Eccleſiæ per fraudem & colluſionem hac immunitate potiantur; vnde ſuſpicio mihi, Epiſcopum Theſſalonicenſem, qui hac tempeſtate fuit, hiſce fraudibus implicitum fuiſſe, ſuoque & Eccleſiæ ſuæ nomine aliorum quoque poſſeſſiones quaſi ſuas defendiſſe: Itaque & Theodoſio Iun. huic fraudi occurrere viſum. Ita tamen, inquit, vt aperte ſciat, propriæ tantummodo Capitationis modum beneficio mei numinis ſubleuandum: *nec exterorum grauamine tributorum Rempublicam Eccleſiaſtici nominis abuſione lædendam.* Quomodo idem fraudi ſimili iam occurrit ante decennium circa Eccleſiam Conſtantinopolitanam & Alexandrinam *l. vlt. inf. de patrocin vicorum*. Sane ex *l. 45. inf. de Epiſcopis*, quæ data A. 421. triennio ante *hanc leg.* pariter colligere mihi videor, notatorem & turbulentum huius temporis Epiſcopum Theſſalonicenſem extitiſſe: vbi v. quæ dico plura. Neque hic omittere poſſum, quod Malchus tradit, *in excerptis legationum pag. 53. Tom. I. Script. R. B. ed. Venet.* Epiſcopo eius vrbis claues traditas, τὰς κλεῖς, inquit, τῶν πυλῶν ἐκ τοῦ ὑπάρχου λαβόντες, τῷ ἀρχιερεῖ ἔδοσαν, *claues ciuitatis a Præfecto acceperunt, & Archiepiſcopo tradiderunt.*

Ex his tum apparet, in hiſce poſterioribus verbis nihil hærere vitii, neque in *hoc Codice*, neque in *Iuſtinianeo*, quod Leonclauius credidit *in paratitla p. 221.* Senſus enim apertiſſimus, Eccleſiam Theſſalonicenſem ſatis habere oportere, ſi ipſa immunis ſit a tributis: at non ideo hoc obtentu extranea & aliena tributa ſub nomine ſuo ſubleuare debere: vt Græci etiam habent *in dict. Paratitl.* ſiu. *Theodori Balſamonis Diaconi collectione Eccleſiaſticar. conſtitution. tit. 2. pag. 1252 Tom. II. Bibliothec. Iur. Can. Hen. Iuſtelli.* εἰ γὰρ ἐπειδὴ αὕτη συγκεχώρηται, διὰ τοῦτο ὀφείλει ἀλλότρια τελέσματα τῷ οἰκείῳ κουφίζειν ὀνόματι: *& quamvis hæc remiſſionem tributorum eſt conſecuta, propterea tamen aliena tributa ſub nomine ſuo ſubleuare non debet.* Ait lex *exterorum grauamine tributorum*, quibus ſcil. grauaretur Reſpublica, ſi fraudulentæ immunitati locus fieret Eccleſiaſtici nominis obtentu. Certe ſi quid mutandum foret, tum pro *grauamine* reponendum eſſet *leuamine*. *Extranea tributa* hic opponuntur Eccleſiæ tributis. Neque enim admittenda Heraldi interpretatio, qui id refert ad *modum* ſeu formam: vt extranea tributa ſint, quæ inſolito & inuſitato modo percipiuntur: vnde Reſpublica, quæ *certam* formam, & vtilem exigendis tributis conſtituit, damnum pati poteſt.

Interim, *hac l.* aperte docemur, quid per *Capitationem* hic intelligendum ſit, vt de eo ambigere deſinant deinceps Interpretes, vt iam olim ab his factum, qui iocullariter lapſi adeo. Nempe ex *tota h. l.* liquet *Capitationem* eſſe, tributum ſoli & poſſeſſionum. De qua voce plura ad *l. 15. ſup.* & plene in *Paratitlo huius tituli*: & ad *l. 2. inf. de Cenſu.*

XXXIV. (a) Impp. Theodoſius & VALENTINIANVS AA. Celeri (b) ſuo Sal.

P. 44.

Nvmqvam, pro diſſimulatione Iudicum Conpulſore (c) aut Opinatore Africanus poſſeſſor mittatur in prædam: ſed quatuor menſium ab Edicti publicati die induciis datis, aurum à poſſeſſore Capitolio, (d) ſtudio ſpontaneæ (e) deuotionis, (f) ſancimus inferri: Vltra id tempus, ſi tarditas adferatur, tunc militi (g) debiti poſtulati delegandam eſſe rationem. Quæ pietatem noſtram Viri Spectabilis Bubuli (h) Comitis & Legati decernere coëgit eloquium. (i) Dat. v. Kalend. Mart. (k) Poſt conſ. Felicis & Tauri. [429.]

NOTÆ.

(a) Abeſt hæc *lex* a *Cod. Iuſtin.* Iungenda huic *lex vlt. inf. de appellationib* & *lex* 185. 186. *inf de Decurionibus.* GOTHOFRED.

(b) *Celer* hic ſub Valentiniano Tertio Proconſul Africæ fuit: vt nominatim additur *d. l.* 185. 186. Meminit eius & D. Auguſtinus *ep.* 210. & 237. ſiu. ep. 56. & 57. edit. Benedictin. *ID.*

(c) *Compulſori aut Opinatori*: vel, *de Compulſore aut Opinatore*, vel denique addenda vox, *miſſo*. De quibus agitur etiam *d. l.* 186. quæ *huic* iungenda eſt. *ID.*

(d) *Capitolium* vrbis Karthaginenſis ſcil. de quo mox. *ID.*

(e) 'Avτο-

(e) *'Αὐτοπραγίας. ID.*

(f) *Deuotionis* vocabulum hac in re proprium, vt iam ſæpe dixi. *ID.*

(g) Compulſori, aut opinatori. *ID.*

(h) *γρ. Bubulci,* vt *d. l.* 186. quæ *huic* coniungenda eſt. *ID.*

(i) *Eloquium* Legati, eſt id, quod Legatus apud Principem eloquitur, & exponit. *ID.*

(k) Ita quoque *d. l. vlt. de appellation.* at *d. l.* 185. & 186. Maii. *ID.*

COMMENTARIVS.

COMPVLSOR aut OPINATOR tributis & quidem AVRI exigendis per Africam quando mitti debeat, definit *hac conſtitut.* Valentinianus III. A. D. 429 Quæ vt prolixæ conſtitutionis de re tributaria, & penſionibus priuatæ rei portio eſt (quod oſtendit *lex 68 inf. de appellat.* & *lex 185. 186. inf. de decurion.* quæ *huic* iungendæ ſunt:) Eaque conſtitutio tota emiſſa ad querelam & legationem expreſſam prouinciæ Proconſularis Africæ, miſſo in legato viro Spectabili Bubuleo Comite, vt præter *hanc l.* pariter teſtatur *d. lex 186. inf. de decurion. Legatio*, inquit, *Proconſularis prouinciæ, per Bubulcum Spectabilem Virum Comitem*: De cuiuſmodi legationibus & querelis, eſt *inf.* peculiaris *titulus*, *de legatis & decretis legationum.* Atque vt de variis hominum generibus querelæ ſubinde ad Principes perlatæ: ita nominatim de Compulſoribus & Opinatoribus cœteriſque exactoribus.

Compulſores (quorum *hac l.* mentio fit, & *d. l. 186.* & *l. 5. ſup. de off. Rectoris prouinciæ*, & *l. 7. ſup. de executor. l. 15. inf. de exaction. l. 3.* & *4. ſup. de concuſſionib. Aduocat. l. 4. inf. ne conlationis translatio poſtul. l. 16. ſup. de iure fiſc.*) erant Exactores, qui tempore elapſo, quo tributorum ſolutionem factam oportebat, ad compellendos prouinciales, eoſque exigendos mittebantur: Hinc *Inſtantia* Compulſorum proprie, *d. l. 4. inf. ne conlat. translat. poſtul.* Compulſorum horum meminit quoque Am. Marcellinus *lib. 22. cap. 6.* vbi & munus eorum ſatis indicat: *Si compulſori qui aquam dederit, vt leuari debito poſſit, vel certe commodius per dilationem inferre quæ flagitantur* &c. Κατεπείγοντας vocat Libanius *orat. contra Florentium pag 428. edit. Morelli*, Gloſſæ, *Compulſionem* ἤσπραξεν, ἀπαίτησιν. Fit & mentio in *Nouellis*, & apud *Caſſiodorum*, de quo mox. Græci ἐξπελευστὰς dixerunt; de quibus vide præterea *l. vlt. C. Iuſt. de exactor. tribut.* & *Nouellam Iuſtin. 128. cap. 6.* Fit eius quoque mentio apud Ennodium *Epiſtolarum lib. 7. Epiſt. 10.* & apud Caſſiodorum frequens *VII. Variar. 45.* & *IX. Var. 4.* & *XII. Var. 8.* Porro vel Curialib. vel Apparitoribus Rectorum prouinciæ hoc munus imponebatur. *l. 4. inf. ne conlat. transl.* De his & eorum deprædationibus, per Africam nominatim, cum variæ querelæ exortæ fuiſſent, vt apparet ex *hac l.* & *d. l. 186.* & *l. 3. ſup. de concuſſion. Aduocat.* vid. & *d. l. 5. ſup. de off. Rect. prouinc.* & *d. l. 16. ſup. de iure fiſci* ſubinde etiam repreſſi; tandem ex Africanis prouinciis penitus pulſi, *d. l. 4. de concuſ. Aduocat.* Mox & vniuerſa Præfectora Prætoriana Italiæ, *Nou. Maioriani 4.* At Anaſtaſii Imper. conſtitutione inductum poſtea fuit, vt compulſores non prouincialibus ipſis, verum Iudicibus eorumque Officiis & Canonicariis imminerent, *d. l. vlt. Cod. Iuſt. de exact. trib.* Iuſtiniani tandem conſtitutione nouiſſima ſublati ſunt penitus Compulſores, *Nou. 128.* Et hæc de Compulſoribus.

Opinatores, de quibus pleniſſime dixi ad *l. 26. ſup. de erogat. milit. ann.* erant Exactores annonæ militaris nominatim, modo ſic, vt non prouincialibus, verum Judicibus & eorum officiis imminerent, modo Prouincialibus ipſis, vt ex *hac l.* & *d. l. 186.* & *l. 26. ſup. de erog. milit. ann. l. 2. de exact. & translat. ann. l. 16. de exactionib. l. 6. ſup. de exſecutoribus*, liquet.

Igitur compulſores & Opinatores hos non illico exigendis prouincialibus mitti iubet Valentinianus Tertius, *hac l.* ne alioquin poſſeſſor in prædam mittatur, id eſt, prædæ obnoxius fiat, quod diſſimulatione Iudicum ſæpe ſiebat. Quid igitur? 'Αὐτοπραγίας, id eſt, vt *hac l.* vocatur, ſpontaneæ deuotionis & illationis ius prouincialibus *hac l.* tribuitur: αὐτοπραγίας inquam, vel vt vocatur *l. 4. inf. ne conlation. translat. poſt. Autopractorum.* Spontaneæ ſcil. illationis ius, vti ſibi Collatores tribui ambitioſe ſubinde expetierunt; ita deprehendere licet, ſæpe pro ſingulari priuilegio id nonnullis conceſſum, ne a ſolitis Compulſoribus exigerentur, vt docet *lex 15. inf. de exact.* & *d. lex 4. inf. ne conlat. translat.* Sed enim & in commune omnibus poſſeſſoribus nonnunquam tributum hæc lex oſtendit, vbi videlicet de his compulſoribus & P. 45. eorum deprædationibus querelæ exoriuntur. Hac itaque conſtitutione Africanis nunc conceduntur induciæ quatuor menſium ab Edicto publicato, id eſt, ab Indictione publice propoſita. Nam vt cœtera Principum Edicta publice ſolemnibus locis proponi mos fuit; ita & Edicta Indictionum, *l. 3. inf. de indiction.* Induciæ, inquam, quatuor menſium tribuuntur, intra quos tributum auri ſponte inſerant, & quidem Capitolio vrbis Carthaginienſis. Nempe, vt iam Honorius aurum & argentum a poſſeſſoribus in vrbe Carthaginienſi poſci, præſtari iuſſit *l. 32. ſupr. h. t.* ita *hac l.* oſtendit, id Capitolio eius vrbis illatum. Notum ſcil. iam, in præcipuis vrbibus Capitolia fuiſſe, non Romæ, vel Conſtantinopoli modo (de Conſtantinopolitano vid. *l vlt. inf. de ſtudiis liberal. V. R.* & *l. vn. ſup. de profeſſorib. qui in V. Conſtantinop.*) ſed & ad horum inſtar alibi quoque: *Capitolia*, inquam, id eſt arces, vt Iſidorus recte interpretatur: veluti Karthagine, *hac l.* cuius meminit & Cyprianus *Ep. 55. edit. Pamel.* ſiu. *epiſt. 59. edit. Ioan. Felli Epiſcop. Oxon. ad Cornelium, pag. 134. Compelluntur adhuc inſuper lapſi, vt linguis atque ore, quo in Capitolio ante deliquerant, Sacerdotibus conuitium faciant.* Vide & eundem *tractat. de lapſis pag. 125. edit. cit.* De aliis Capitoliis alibi dictum.

Tandem quatuor his menſibus elapſis, ſi tributum ſolutum non fuerit, Compulſores & Opi-

nato-

natores tributo exigendo mitti iubeotur, qui *Militis* appellatione hic deſigoantur. *Apparitores* ſcilicet hac voce deſignautur, vt docet *d. lex 4. inf. ne conlat. translat. poſtuletur.*

XXXV. (a) Idem AA. Voluſiano PF. P. (b) Poſt alia.

NE Prouinciales, (ad quorum vtilitates ſpectat omnis hæc noſtra prouiſio,) *a deuotione* (c) *reuocet nimia ſecuritas, & ſoluendi voluntas ceſſent* (d) *neceſſitates, ſubmota* ea quæ noſtro ærario penſitantur, hac ratione diſſoluent, vt omni modo antequam elabatur Indictio (e), annua tributa gratus beneficiis noſtris poſſeſſor exſoluat. Si quis vero ſolutionem voluerit in tempora longiora differre, hunc prouinciæ Rector omni exactionis aceruitate (f) conpellat: *& cetera.* Dat. XVI. (g) Kalend. Mar. Rau. poſt conſ. Felicis & Tauri. [429.]

N O T Æ.

(a) Abeſt & hæc *lex* a *C. Iuſt.* Et iungenda *huic* eſt proculdubio *lex 31. inf. de ſuſceptor. GOTHOFR.*

(b) *Voluſianus* ſub Valentiniano Tertio P.P. & quidem Italiæ: Cui eidem ſuperiore Anno inſcribitur *lex vlt ſup. de Tyron.* vbi mentio fit *Proconſularis Prouinciæ* ſeu Africæ. Eidem inſcribitur hoc ipſo Anno famoſa *lex 4. C. Iuſt de legib. ID.*

(c) *Deuotionis* appellatio quo ſenſu hic accipienda, iam ſupra dictum, ac nominatim ad *l. 7. ſup. de diuerſ. reſcript.* v. pleniſſime *Gloſſ. Theod. ID.*

(d) γρ. et interpunge ſic: *& ſoluendi voluntas ceſſet neceſſitate ſubmota, ea quæ noſtro,* &c. *ID.*

(e) *Indictio,* id eſt, annus. *ID.*

(f) *Acerbitate. ID.*

(g) III. in *d. l. 31. inf. de ſuſceptor. ID.*

C O M M E N T A R I V S.

AVTOPRAGIAS ius *hac l.* pariter vt *ſuperiore,* quemadmodum poſſeſſoribus tribuitur ab eodem Valentiniano III. ita & eidem modus quidam adhibetur; *ne* inquit, quod eleganter & vere dictum, *prouinciales, ad quorum vtilitates ſpectat omnis hæc noſtra prouiſio, a deuotione reuocet nimia ſecuritas, & ſoluendi voluntas ceſſet neceſſitate ſubmota:* (Nam ita hic locus conſtituendus eſt.) Nempe ſuo quiſque arbitrio vt relinquitur; ita ferme nimia ſecuritate a deuotione & debito officio reuocatur. De ipſo primum Autopragias iure videamus: dein de modo ei appoſito. Autopragiam igitur Valentinianus III. prouincialibus *hac l.* concedit, & quidem non iam quatuor menſibus poſt annum elapſum tributis, vt *prox. l. 34. ſup.* verum pleniſſimam integri anni, haud aliter atque *l. 3. inf. de conlat. fund. patrimon.* & *l. 2. inf. de ſuſceptor.* Quod quidem de *Auri* conlatione proprie accipiendum eſt, vt *hac l.* loquitur, *de iis quæ ærario penſitantur:* Annonariæ enim ſpecies per quaternos menſes ſoluebantur, vt docet *d. lex 3. inf. de conlat. fundor. patrim.* & *lex 15. ſup. h. t.* vbi plures alias *leges* cumulaui. Nunc de *modo:* Igitur anno elapſo, omni acerbitate moratorem compelli iubet. Scilicet vt intra annum compelli a Palatino Compulſore nemo prouincialium debet; ita poſt id tempus omni eum acerbitatem adhiberi oportet.

P. 46. XXXVI. (a) Idem AA. Flauiano (b) PF. P.

EXCEPTO patrimonio Pietatis Noſtræ (cuius quidem reditus neceſſitatibus publicis frequentisſime deputamus) vniuerſos poſſeſſores functionis (c) in canonicis (d), & ſuperindictitiis (e) titulis abſque vllius beneficii (f) exceptione, agnoſcere (g) oportere cenſemus. Igitur Tua Sublimitas, pragmatici (h) noſtri ſtatuta cuſtodiens, indifferenter (i) cunctum (k) poſſeſſorem, obnoxium videlicet publicæ functioni, ad ſubeunda deſignatione (l) diſtributa conpellet. Dat. III. Kalend. Maji, Rau. Baſſo & Antiocho Coſs. [431.]

N O T Æ.

(a) *Lex vlt. C. Iuſt. de priuilegiis domus Auguſtæ, vel rei priuatæ,* hinc interpolata eſt. *GOTHOFR.*

(b) *Flauianus* ſub Valentiniano Tertio PP. Cui Anno quoque proximo 432. inſcribitur *lex 3. ſup. de decurion. & ſilentiariis. ID.*

(c) Pro *functiones,* vt habet Cod. Iuſt. *ID.*

(d) In *Canonicis,* hæc Tribonianus reſecauit. *ID.*

(e) De *Superindicto* v. *inf. tit. peculiarem 6. ID.*

(f) Id eſt, Reſcripti ſingularis ſuper immunitate: Quo ſenſu *beneficii* vocem accipi plerumque oportet, de quo iam dixi plene ad *l. vlt. ſup. de conſtitut. Principum. ID.*

(g) *Agnoſcendi* vox hic propria. Dixi iam *ſup. ad l. 14. h. t. ID.*

(h) Prag-

(h) *Pragmaticum* Principis, Edictum ſcil: v. *Parat. de conſtit. Princ. ID.*

(i) Pari atque æquali inlatione, *l. 7. ſup. de diuerſis Reſcriptis. ID.*

(k) *Cunctum* poſſeſſorem; vide *Gloſſarium*: id eſt, omnem poſſeſſorem. *ID.*

(l) *Deſignatio* hic non eſt Indictio ſeu Delegatio; Vide *Paratitlon huius tit.* Verum partitio, ſeu adſcriptio, & diſtributio. *ID.*

COMMENTARIVS.

IMMVNEM a tributariis functionibus ſiue ordinariis & canonicis, ſiue ſuperindictitiis, de quibus *tit. 6. inf.* quenquam eſſe vetat hac conſtit. Valentinianus III, A. D. 431. quodcumque tandem beneficium Principis prætendat. Quam in ſententiam eſt pariter *lex 1. 20. 25. 26. 33. ſup. h. t. lex 6. & 7. ſup. de diuerſ. reſcript. lex vlt. ſup. de conſtit. Princip. & tit 12. inf. de immunit. conceſſa*: ſolum Principis patrimonium excipitur *hac l.* & *l. 1. ſup.* & rationem addit Valentinianus Tertius, *quod patrimonii ſui reditus publicis neceſſitatibus frequentiſſime deputet*: Quod de Valentiniani animo metiendum eſt, quem ſingularis clementiæ famam captaſſe & neceſſitatibus publicis ſubueniendi gloriam oſtentaſſe, neque tam ipſum quam Placidiam matrem, cuius nutu regebantur omnia (cum reuera tamen publicæ tum neceſſitates deſtituerentur, rennuente magis magiſque imperio) compertiſſimum eſt; ita vt vix vllius Principis conſtitutiones plus ciuilitatis in ſpeciem ſpirent, quam huius ipſius Principis. Videnda ſaltem *lex 4. Cod. Iuſt. de legibus.*

XXXVII. (a) Idem AA. Dario (b) PF. P.

PRAETERITIS, vtcumque impetrata ſunt, in ſuo ſtatu manentibus, quoniam *munificentiam principalem nefas eſt reuocari*, in poſterum, excepto Cyro Reuerendiſſimo Afrodiſienſium ciuitatis Epiſcopo (cuius tanta ſunt merita, vt etiam contra generalem huiusmodi ſanctionem ſpeciali beneficio (c) perfrui non vetetur) quicumque per Adnotationem noſtram in auro voluerit tributa dependere, communicata æſtimatione quinquennii ſterilitatis ac fecunditatis, pro foro rerum venalium habita ratione, ex eadem ſumma, quæ eiusdem quinquennii perpenſis frugibus colligitur, partem quintam pro annis ſingulis ſoluere compellantur. Dat. v. Kal. Septemb. Apameæ, (d) Iſidoro & Senatore Coss. [436.]

NOTAE.

(a) Abeſt hæc *lex* a *C. Iuſt.* velut temporaria & hiſtorica: Iungenda *huic* eſt *lex vlt. inf de indictionib* quæ alioquin eſt *lex 2, C. Iuſt eod. tit* Cæterum hæc *lex* non minus recte ſtaret ſub *tit. prox. inf* Eam Baronius ad annum ſuum 436. non retulit, etſi eius meminerit *A D. 431. n. 37. GOTHOFR.*

(b) *Darius* ſub Theodoſio Iun. PP & quidem Orientis: vt expreſſe vocatur *l. vlt. ſup de decurion. & ſilent.* quæ ei anno prox. 437. pariter inſcribitur. *ID.*

(c) *Beneficium* ſpeciale, id eſt priuilegium circa [illegible]butariam, v. *Gloſſ. ID.*

(d) Bithyniæ, v. *Chronol. ID.*

P. 47.

COMMENTARIVS.

MVTARI canon, etſi ordinarie non poſſit; id eſt, etſi SPECIERVM loco aurum regulariter inferri non poſſit: contra, tributa in ipſis ſpeciebus inferri oportent (qua de re fuit, iam *lex 8. & 30. ſup. h. t.* erit *lex 5. inf. de canone frum. V. R.* Imo erit *Titulus peculiaris prox. inf.* cui *hac l.* non minus recte aptari potuiſſet) attamen *hac l.* Theodoſius Iun. An. Dom. 436. tres exceptiones admittit.

Primo, beneficia ſuper hoc vtcunque iam a nonnullis impetrata in ſuo ſtatu manere concedit: *Quoniam*, inquit, *Munificentiam principalem nefas eſt reuocari.* In quo, vt in commune Principibus aliis alia ſubinde ſententia ſtetit, quibus ea omnia reſcripta, quæ in fraudem tributorum conceſſa fuerant, infirmare viſum; ac nominatim Theodoſio M. *l. vlt. ſup. de conſtitut. Princip. leg. 6. ſup. de diuerſ. reſcript.* & Valentiniano Iun. *l. 7. eod. tit.* Ita diſerte reſcripta ſuper mutando Canone vacuari iuſſa, *d. l. 30. ſup. h. tit.* & *d. l. 5. inf. de Canone frument. V. R.*

Secundo. Cyrum Epiſcopum Afrodiſienſium ſpeciali beneficio & priuilegio excipit; cum inſignis elogii prærogatiua; *cuius*, inquit, *tanta ſunt merita, vt etiam contra generalem huiuſmodi ſanctionem ſpeciali beneficio perfrui non vetetur.* Nempe hic Cyrus Afrodiſienſium in *Caria* metropoleos Epiſcopus fuit, qui Epheſinæ Synodo Oecumenicæ quæ aduerſus Neſtorium, quinquennio ante *hanc leg.* latam celebrata fuit, præcipuus Neſtorianæ hæreſi conficiendæ, interfuit, vt docent eius Concilii acta; Et, ſi coniicere licet, forte ipſius Neſtorii in exilium mittendi auctor extitit: Quandoquidem hoc ipſo Anno Neſtorium in Oaſim deportatum docet Theodoſii Edictum ſeu mandatum ſuper eo ad Iſidorum PP. huius Darii, cui hæc *lex* inſcribitur, in Præfectura Præt. deceſſorem. Ob quæ ſimiliaque, ingentia Cyri iſtius *merita* hic a Theodoſio Iun. deprædicantur. Cæterum *Afrodiſiadis* huius meminit quoque Plinius *Hiſt. Nat. lib. 5. c. 29.* & Pomponius Mela *lib. 1. c. 16.* qui & vrbem Cariæ nominatim facit, & *Aphrodiſium* vocat:

vocat: ſed & Tacitus *lib. 3. Annal cap. 62.* vbi & Aſyli apud eos meminit. Eadem & Liuii Aphrodiſias Crene *lib. 37. cap. 21.* eademque cuius mentio in oraculo apud Appianum *in Mithridaticis.* Fit certe quoque Aphrodiſienſium ciuitatis mentio *Nou.* 160. Cum hac miſceri non oportet alteram Afrodiſiadem, quæ in Thracia fuit, cuius mentio fit, cum alibi, tum in *vtroque Itinerario:* Cuius etiam nomen reſtituendum in *Nouella Theodoſii 30.* ſubſcriptione, vbi perperam hactenus editum *Frodoſiada.* Atque vt duas has ciuitates miſceri non oportet; ita neque Cyrum Smyrneorum Epiſcopum, cum iſto Afrodiſienſium confundi.

Poſtremo, Theodoſius Iun. canonem deinceps mutari Adnotatione Principis promiſcue permittit ſub hac conditione, vt videlicet quinquennalis prouentus ex poſſeſſionibus percipiendi æſtimatione facta, & quidem ſterilitate & fœcunditate communicata, idque omne pro foro & æſtimatione rerum venalium, æſtimationis ita factæ quintam partem ſingulis annis poſſeſſor in auro ſoluat: vbi Tria ſingularia occurrunt. Primo, luſtralis conlationis ſpecies notanda, per ſingulos annos diſtributæ: Secundo, proportionis, æſtimationiſque ineundæ ratio, compenſatione quinquennii facta ſterilium & fœcundorum annorum, *bon an, mal an.* Quod ſingulare admodum eſt: puta, vt luſtro ſeu quinquennio colligatur frugum æſtimatio, ſeu vt hæc *lex* loquitur, *communicetur æſtimatio.* Quod in praxin vtiliter traduci poteſt, vbi de æſtimatione frugum agetur, ſterilitatis & fœcunditatis habita ratione. Tandem pretii ratio pro foro & æſtimatione rerum venalium, quæ communis & alias æſtimatio eſt *hic*, & *l. 2. tit. prox. l. 2. inf. de publ. compar.* vide & Symmachum & Caſſiodorum.

p. 48. # TRIBVTA IN IPSIS SPECIEBVS INFERRI.

TITVLVS II.

Nullus talis *Titulus* extat in *Cod. Iuſt.* omiſſæque ibi omnes Conſtitutiones *huius Tituli*, cœteræque quæ in eandem ſunt ſententiam: vnde colligimus, Iuſtiniano contrarium viſum, vna *leg.* 5. *de Can. Frum. V. R.* excepta.

Ad Annonam Vrbicam ſeu Ciuicam Vrbis Romæ pertinet *lex* 1. 2. 3. *h. t.*

Ad Orientem *lex* 4. 5. *h. t.*

Ad hunc *Titulum* pertinent *lex* 8. 30. & *vlt. ſup. tit. prox.* & *l.* 5. *inf. de can. Frum. V. R. lex vlt. inf. de conlat. æris.*

PARATITLON.

TRIBVTA, *Rubr.* & *l. vlt. inf. de conlat. æris*, id eſt ſpecies annonariæ, *l.* 4. 5. *h. t.* (veluti vinum, *l.* 2. 3. *h. t.* item ſpecies ad fabricas, *l.* 2. *ſup. de fabricenſ.* (veluti ferrum, *d. l.* 2. & *l. vlt. inf. de collat. donat.* æs, *l. vlt. inf. de conlat. æris:* & *d. l. vlt. de collat. donat.* & *tit. inf. de collat. æris:* aliæque ad reparatiunem operis publici, *l.* 17. *de operib. publ.*) Vrbis æternæ nominatim, popularibus commodis, ſeu populi vſibus deſtinatæ, *l.* 1. 2. 3. & *l.* 8. 30. *ſup. de annona:* item militares, quo pertinent *lex* 10. 14. 18. 20. 21. 22. 30. 31. 32. *ſup. de erog. mil. ann.* aliæque præbitiones canonicæ vel debitæ, *l.* 4. 5. *h. t.* ipſæ, *Rubr.* & *l.* 4. *h. t.* & *l.* 2. *ſup. de fabricenſ.* & *d. l. vlt. inf. de conlat. æris.* a Prouincialibus inferri, *Rubr. l.* 4. 5. *h. t.* & *d. l.* 2. *ſup. de fabricenſ.* comportari, *l.* 2. *h. t.* ſolui, *l.* 4. *h. t.* perſolui, *l. vlt. inf. de conlat. æris:* conferri, *l.* 3. *h. t.* exſolui, *d. l. vlt. h. t.* poſtulari, *l.* 1. 4. *h. t.* debent: non autem apochari, *l.* 1. 2. *h. t.* id eſt nummus pro his aut poſtulari, *d. l.* 1. *h. t.* aut a prouincialibus volentibus inferri, *l.* 5. *h. t.* pretia eorum inferri, *l.* 4. *h. t.* pretio taxari, *d. l.* 4. *h. t.* aurum exigi, *d. l.* 8. *de annona & trib.* pecunias inferri, *d. l.* 2. *ſup. de fabricenſ.* Alioquin ſecuritates hoc modo editæ nullius ſunt momenti, *l.* 5. *h. t.* dantem prouincialem & accipientem ſuſceptorem reatus inuoluit, *l.* 4. *h. t.*

Breuiter; *Mutari* vt cœterarum annonarum præſtatio, ita Canon Vrbis Romæ non poteſt, *l.* 1. 3. 5. *h. t.* & *d. l.* 8. & *l.* 30. *ſup. de annona & trib.* & *l.* 5. *inf. de canone frum. V. R.* ne quidem ex Reſcripto Principis, *d. l.* 5. & *d. l.* 30. vt nec aliæ ſpecies, *d. l. vlt. inf. de conlat. æris:* nec Comitis S. L. præcepto, nec Principis reſcripto, *d. l. vlt.* Alioquin dupli pœna quis tenetur, *d. l.* 5. *inf. de canone frum. V. R.* & *d. l.* 30. *ſup. de annona & trib.*

1 (a) Impp.

I. (a) Impp. VALENTINIANVS & Valens AA. ad Symmachum P.V. (b)

SCIAS, inhibitam eſſe apochandi (c) licentiam, ita vt, ne ex præſenti, aut futuro, vel præterito, ſub hoc titulo (d) nummus a prouincialibus poſtuletur. PP. pridie Idus Aug. Valentiniano & Valente AA. Coss. [365.]

NOTAE.

(a) Abeſt hæc *lex* a *Cod. Iuſtin.* pariter vt reliquæ omnes *huius tituli* Conſtitutiones. *GOTHOFR.*

(b) *Symmachus* Præfectus Vrbis, ſub Valentiniano Sen. Romæ ſcil. Epiſtolographi autem hic pater eſt: qui & ipſe ſub Valentiniano Iun. viginti annis poſt, A. D. 384. P. V. fuit. *ID.*

(c) *Apochandi* voce hac, eodem ſenſu vtitur ruſum idem Valentinianus ad eundem Symmachum hoc ipſo Anno *l.* 2. *inf. ID.*

(d) *Tituli* vox hac in re propria: *v. Gloſſ. Theod. ID.*

II. (a) Idem AA. ad Symmachum P. V. (b)

P. 49. COMMODA (c) cogitantes Vrbis Æternæ, *Vini* ſpeciem ita Prouinciales ſtatuimus conportare, vt apochandi (d) præſumptione damnata, vina Romam portentur. In (*) tantumque, populi (e) vſibus profutura, prouiſionis noſtræ emolumenta porreximus, vt etiam pretio laxamenta tribuantur: Sanximus quippe, vt per vini ſingulas qualitates detracta quarta pretiorum, quæ habetur in foro (f) rerum venalium, eadem ſpecies a mercantibus conparetur. Dat. x. Kal. Nou. (g) Med. Valentiniano & Valente AA. Coss. [365.]

NOTAE.

(a) Abeſt & hæc *lex* a *Cod. Iuſtin. GOTHOFR.*

(b) Romæ, dixi ad *leg. ſuper ID.*

(c) *Commoda* popularia eodem ſenſu *l.* 3. *prox.* v. *Gloſſ. Theod. ID.*

(d) *Apochandi* voce hac eodem ſenſu vtitur *l.* 1. *ſup. ID.*

(*) Fugitiua hæc *huiuſce legis* pars eſt ab hoc *titulo. ID.*

(e) *Popularia* commoda *l.* 3. *infra ID.*

(f) De Foro rerum venalium, & pretio rerum ſecundum id, alias dixi: v. & *l. vlt. ſup. tit. prox. ID.*

(g) *ix. Septemb.* vel *Octob.* nam hoc tempore iam Valentinianus ex Italia in Galliis, Præfectus Pariſiis agebat v. *Conſul. Theod. ID.*

COMMENTARIVS.

VALENTINIANI Senioris duæ conſtitutiones primum *hoc titulo* locum occupant: quibus ad eundem Symmachum P. V. eodem Anno datis, VRBICÆ Annonæ conſulit duplici ratione: cuius animus annonæ vrbicæ enixe conſulendi, ex quamplurimis aliis eius conſtitutionibus ad eundem Symmachum P. V. datis, elucet: Atque in his ex *l.* 3. 4. 5. 6. 8. 11. *inf. de piſtorib. l.* 5. & 8. *ſup. de pœnis: l.* 1. *inf. de canone frum. V. R. l.* 1. *infr. de nautis Tiber. l.* 11. *inf. de nauicular. l.* 2. *inf. de prædiis nauicul.* tandem & *l.* 8. *ſup. de annona & trib.* cuius eadem eſt ſententia, quæ harum duarum. Ex quibus etiam coniectura fieri poteſt de Symmachi P. V. ingenio ſtudioque in procuranda Romæ annona.

Primum igitur APOCHARI, (de qua voce mox) ſeu MVTARI, adærari canonem Vrbis R. vetat, id eſt, aurum pro ipſis ſpeciebus inferri, quod pariter ab eodem conſtitutum *d. l.* 8. anno ſuperiore proximo, item ab Honorio *l.* 30. *ſup. eod. tit. de annona & trib.* & *l.* 5. *de can. frum. V. R.* Nempe neque hæc poſtrema viſa annonæ vrbicæ conſulendi ratio: *Commoda*, inquit, *cogitantes Vrbis æternæ*; de quo iam dicere aoteuerti ad *d. l.* 8. Atque vt in commune de aliis ſpeciebus annonæ vrbicæ ſeruientibus id conſtituit; ita ſpeciatim de VINI ſpecie, Populi Romani vſibus deſtinata; de quo Vino alioquin erit mox quoque *lex* 3. *h. t.* & *lex* 1. 3 *inf. de calcis coctor. V. R.* Eiuſque peculiaris Rationalis extitit ſub diſpoſitione P. V. vt teſtatur *Notitia Imperii fol.* 118. Tituli quoque vinarii huius Vrbis Romæ & arcæ vinariæ iuxta *d. l.* 3. meminit Symmachus *lib.* 7. *ep.* 95. & *lib.* 10. *ep.* 47. Ex quibus etiam apparet, vinarii huius Tituli ſeu arcæ vinariæ debita ſæpe admodum in reliquis hæſiſſe, eiuſque diſcuſſionem a Principibus ſubinde demandatam, & diligenter agitatam: etiam ab hoc ipſo Valentiniano Sen. Sic enim Symmachus ad Valentinianum Iun. ſcribens *d. Epiſt.* 47. ait: *Contemplanti mihi reſcriptum Numinis Veſtri, quo arca vinariæ debita a Præfecto eius temporis, quo contracta dicuntur, erui cenſuiſtis, ſilere fas non fuit, quid temporum veſtrorum congruat æquitati:* Et mox: *Diuo etiam Parente Numinis Tui Romanæ iura & fata moderante Præfectis ac diſcuſſoribus mandata prouincia eſt, & per vices amminiſtrantium publici debiti occurrit exactio.* Sane Symmachus Pater (cui *hæc l.* inſcribitur) vt cæteroquin Vrbicæ annonæ conſu-

luiſſe, ita propter vinum cum Populo Rom. colluctatus, ab Amm. Marcellino memoratur *lib.27. cap.3.* SYMMACHVS, inquit, *Aproniano ſucceſſit, quo inſtante* VRBS *ſacratiſſima otio* COPIISQVE *abundantius ſolito fruebatur: & ambitioſo ponte exultat atque firmiſſimo, quem condidit ipſe, & magna ciuium lætitia dedicauit, ingratorum, vt res docuit apertiſſima. Qui conſumptis aliquot annis domum eius in Transtiberino tractu pulcherrimam incenderunt, ea re perciti, quod vilis quidam plebeius finxerat, illum dixiſſe, ſine Indice vllo vel teſte, libenter ſe* VINO *proprio calcarias extincturum, quam id* VENDITVRVM PRETIIS, QVIBVS SPERABATVR. Quæ poſtrema Ammiani Marcellini verba ad poſteriorem *legis 2.* partem pertinere videntur.

Vt ad priorem redeamus; *Apochandi* verbo *vtraque l.* vtitur Valentinianus: quod alias *adærandi* verbo exprimi ſolet, quod eſt pretio & pecunia taxare; vnde taxationes pretiorum, *l. 4. h. t.* Et ſane hoc ipſum & *Apochare* eſt, vt non tantum titulus, ſub quo *hæ leges* poſitæ ſunt, oſtendit, verum & illa in *leg 1. Ne, ſub hoc titulo* NVMMVS *a Prouincialibus poſtuletur*; Item *lex 2.* ibi; *vt apochandi præſumptione damnata, vina Romam portentur.* Tandem vtraque *lex* id oſtendit collata cum *d. l. 8. ſup. de annona & trib.* Nempe proprium hoc moris iſtius vocabulum, inuidiæ ſcil. leuandæ, hoc ſæculo adinuentum eſt: Scilicet a re ordinaria & legitima, id eſt ab *Apochis*, ſeu *ſecuritatibus*, quas illata ſpecie & tributo ſuſceptores collatoribus dabant: quo pertinet *lex vlt. h. t. Ne quis*, inquit, *pro ſpeciebus annonariis pecunias exiſtimet inferendas, ſcientibus cunctis &c.* SECVRITATIBVS *hoc modo editis eos eſſe carituros.* Et eo quoque ex parte pertinet diligens illa *Apocharum* conficiendarum ratio, quæ præſcribitur *l. 18. 32. infr. de ſuſceptoribus. l. 19 ſup. de ann. l. 173. inf. de decur.*

Altera ratio, qua Valentinianus Vrbicæ annonæ conſultum it, *l. 2.* eſt *Vini taxatio*; nempe per ſingulas vini qualitates quartam partem pretii P. 5c. vt tum habebatur in foro rerum venalium, vini pretio detrahit. De eius pretio ſæpe laboratum Romæ, ciueſque conqueſti. Quæ cauſa poſtea fuit, cur huius ipſius Symmachi P. V. domus Romæ incenſa fuerit, vt oſtendit Ammiani Marcellini locus ille *ſupra* conſignatus: de quo plenius dicetur *inf. ad l. 3. de calcis coctorib.* Eſt enim hæc *huius l.* pars ab hoc *titulo* fugitiua, pariter vt *lex 3. prox.* fugitiua eſt.

Cæterum, quiſnam vini huius ad vrbem Romam comportati, tributorum nomine, vſus fuerit, videamus. Calcis equidem coctoribus & vecturariis vinum exinde præbitum docet *lex 1. & 3. inf. de calcis coctoribus.* Sed enim vlterior adhuc & vberior ſeu amplior vſus eius fuit. Valentinianus id indicat *initio legis 2. Commoda*, inquit, *cogitantes Vrbis æternæ, vini ſpeciem ita prouinciales ſtatuimus comportare, vt &c.* Mox: *In tantumque populi vſibus profutura, prouiſionis noſtra emolumenta porreximus.* Et Gratianus *l. 3. prox. Vinum, quod ſollemnis expreſſio popularibus commodis ex Prouincialium collectione deſiderat.* Ergo vinum iſtud populi commodis vſibuſque proficiebat ſeu proderat: imo populi vſibus erogabatur, vt dicitur *dict. leg. 3.* Sed an gratuito id populo erogabatur? Aurelianus Imperator equidem olim gratuitum Romæ vinum populo dare cogitauerat, teſte Vopiſco in *V. Aureliani cap. 48.* Imo & Conſtantinopol. authore Conſtantino M. vinum quoque gratuitum datum, ſi fides Suidæ, *in v.* Παλάτινοι, & Codino, *in originib. Conſtantinopol. num. 15.* verum iſtud quo de nunc agitur Romæ non gratuitum populo datum, verum venditum publice, vt docet expreſſe hæc *lex 2. Vt*, inquit, *eadem ſpecies a mercantibus comparetur.*

III. (a) Imppp. Valens, GRATIANVS & Valentinianus AAA. ad Probianum P. V. (b)

VINVM, quod ſollemnis (c) expreſſio (d) popularibus commodis (e) ex Prouincialium collectione (f) deſiderat, illico ſuſcipiatur aduectum, vt erogationis pro tempore cura præſtetur, vt (g) ea vina populi vſibus erogentur, quæ natura ſua proceſſu (h) temporis ferre non poſſunt. Quod peræque in omni vino, quod ex Vrbicaria Regione (i) confertur, obſeruandum eſſe cenſemus. Dat. xv. Kalend. Octob. Treu. (k) Gratiano A. IV. & Merobaude Coss. [377.]

NOTAE.

(a) Abeſt & hæc *lex* a *Cod. Iuſt.* quæ ab & hoc *titulo* fugitiua eſt. *GOTHOFRED.*

(b) *Probianus* P. V. Romæ ſub Gratiano & Valentiniano Iun. *ID.*

(c) Ita, ſolemnis penſitatio, *l. 31. ſup. tit. prox. de annona & trib. ID.*

(d) *Expreſſionem ſolemnem* vocat Indictionem, præceptionem, præceptum, delegationem, denique Edictum, quo manu Principis modus collationis adſcriptus erat. v. Paratitlon *tit. ſuper.* Quare non mutanda hæc vox in *expenſio*. *Scriptio* ſimili ſenſu *l. 1. ſup. de erog. mil. ann.* digeſta ſignatio. *l. 19. ſup. de annona. ID.*

(e) *Commoda Popularia* vocat, pariter vt populi commoda *l. 8. inf. de Medicis*, & *l. 3. inf. de Canone frum. V. R.* & abſolute, commoda, *l. 2. ſup. h. t.* & *l. 25. ſup. de annona & trib.* abſolute, popularia, *l. 2. ſup. de ſtudiis lib. V. R. & Conſt.* annonam ſeu rem annonariam; vide *Gloſſarium. ID.*

(f) Ferri poteſt hæc vox: etſi alius malit *collatione. ID.*

(g) γρ. *Et. ID.*

(h) γρ.

(h) *γρ. proceſſum.* *ID.*

(i) Quacunque ſcil. Error enim eſt nonnullorum, qui *Regionis* appellatione totam diœceſim Præfecti Vrbis hic accipiunt. *ID.*

(k) Hinc apparet, *hanc l.* tribuendam eſſe Gratiano: qui per hæc tempora etſi Valentinianum fratrem haberet conſortem, Italiam quoque & vrbem Romam temperabat; de quo vide *Conſularia Theodoſ.* *ID.*

COMMENTARIVS.

VINVM Vrbicarii Canonis, quod ſcil. a prouincialibus in vſus Populi Rom. conferebatur (de quo fuit iam nominatim *lex 2. ſup.* eſt & *lex 1.3 inf. de calcis.coctorib.*) vt ſtatim adnectum illico ſuſcipi iubet *hac l.* Gratianus. Ita & ea vina ſtatim erogari populi vſibus quæ natura ſua proceſſum temporis, ſeu vt Plinius loquitur, *malam ætatem*, ferre non poſſunt: *Erogari*, inquam, populi vſibus, quod etiam docuit iam *lex 2. ſup.* quo pertinet arca vinaria, de quo *l 3. inf. de calcis coctor.* Italica ſcil. ferme vina proceſſum temporis non ferunt, contra quam Syra, de quibus *l.25. ſup. de erogat. milit. annona.*

Eademque ratio obſeruari *hac l.* iubetur in omni vino, quod ex Vrbicaria regione confertur. *Ex Vrbicaria Regione*, id eſt ex quacunque tandem ex Vrbicariis Regionibus, de quibus vt in commune ſpecialibus libellis actum fuit, ita nonnulla etiam congeſta ſunt ad *l.9. ſup. tit. prox. de annona & trib.* Error enim eſt quorundam qui *Regionis* appellatione hic omnem præfecti vrbis diœceſim accipiendam volunt: vt & eorum, qui breuiore gyro contra Vrbicariam regionem accipiunt ſolum vrbis territorium, hoc eſt agrum Romanum ſolum ad exemplum coloniarum municipiorumque omnium, quorum *regiones* dictæ, quæ illarum finibus claudebantur.

Illud ſane ex *hac l.* collata cum *l.1. inf. de calcis coctor. V. R.* liquere poteſt, *Quatuor regiones*, quæ *illa l.1.* nominantur, non alias eſſe, quam Vrbicarias iſtas: atque adeo viceuerſa Vrbicarias, omniſi quatuor fuiſſe. Collectionis iſtius hæc ratio eſt, quod vt *hac l.* ita & *illa* de *vini* quoque collatione agitur.

Ex *hac* ſane etiam liquet, prouincias ſeu prouinciales Vrbicariis regionibus opponi, pariter vt ab Italia Africanis regionibus & Illyrico ſeparantur, *l.vn. inf. ſuper obreption.* P. 51.

Tandem obſeruandum, *hanc l.* ab hoc *titulo* fugitiuam eſſe.

IV. (a) Imppp. Gratianus, Valentinianus, & THEOD. (b) AAA. ... (c) ... .

EARVM rerum, quæ in præbitionibus canonicis, (d) vel debitis, (e) ex more poſcuntur, non ſunt pretia ſpecierum, ſed ipſæ quæ poſtulantur ſpecies inferendæ: ſcilicet, vt (quod maximum eſt, & vnde omnis ſolet querela (f) procedere) in annonario (g) quoque (h) titulo ſpecies annonarias ſoluant: neque ſub (i) taxationibus pretiorum diſpendioſis occaſionibus adquieſcant: Nam & accipientem & dantem inlicitæ tranſactionis reatus inuoluet; *& cetera.* (k) Dat. Prid. Kal. Feb. Biritho, (l) Richomere & Clearcho Coss. [384.]

NOTAE.

(a) Abeſt & hæc *lex* a *Cod Iuſtin.* Iungenda autem illi *lex 19. ſup. tit. prox. de annona & trib.* & *lex 1. inf. de publica comparat.* *GOTHOFRED.*

(b) Perperam *hac l.* pariter vt *d. lex 2.* & *d. lex 19.* Gratiano, Valentiniano & Theodoſio tribuuntur: Tribuendæ enim ſunt *Valentiniano, Theodoſio & Arcadio*; Vide *Conſularia Theodoſ.* *ID.*

(c) Puto *hanc l.* & *duas illas ll.* huic coniungendas, partes eſſe *Edicti* cuiuſdam Theodoſiani. *ID.*

(d) Id eſt, Ordinariis & annonariis. *ID.*

(e) *Debitis*, id eſt Tributariis, annonariiſque; & ſic vocabulum *vel* hic eſt exegeticum. Cæterum ita quoque *d. l. 19.* in *titulis debitis.* *ID.*

(f) Prouincialium videlicet. *ID.*

(g) Ita quoque *l. prox. h. t.* pro *ſpeciebus annonariis.* *ID.*

(h) An *quoquo?* Non adeo neceſſe eſt. *Quoque*, pro quocumque: vel *quoque*, pro *etiam.* *ID.*

(i) Ita diuiſis vocibus hic legendum: male enim ſuperioris Indicis auctor vocem *ſubtaxationis* hinc exſculpebat. *ID.*

(k) Quæ continentur *d l. 19.* & *d. l. 1.* *ID.*

(l) De *Berytho* & de hac ſubſcriptione dixi plene ad *d. l. 19.* *ID.*

COMMENTARIVS.

THEODOSII M. conſtitutiones duæ ſequuntur: quibus SPECIES ipſas annonarias, non vero pretia earum, inferri iubet. Hæc prior prolixioris Edicti Theodoſiani pars eſt; quo prouincialibus enixe conſultum iuit circa rem tributariam: ad prouincialium ſuper eo querelas, quod *hac l.* diſerte teſtatur, cui vt dixi iungendæ ſunt *lex 19. ſup. de annona & trib.* & *lex 2. inf. de public. compar.* Ac nominatim circa ſpecierum taxationem grauiſſimæ querelæ exortæ, quæ prouincialibus diſpendioſæ erant, dum maximo pretio ſpecies iſtæ taxarentur: *Scilicet*, inquit, *vt, quod maximum eſt,*

eſt, & vnde omnis ſolet querela procedere, in annonario quoque Titulo ſpecies annonarias ſoluant, neque ſub taxationibus pretiorum diſpendioſis occaſionibus acquieſcant. Ait, *in annonario quoque titulo;* quæ vox, *quoque*, ſi recte habet, neque in *quoquo* mutanda, tum exinde colligi videatur, facilius aliquando & alicubi ſpecierum annonariarum adærationem admiſſam: quæ alibi non tam facile, vt ex *leg. ſequent.* & *leg. 1. 2. 3. ſup.* pute vbi de annona vrbica, vrbis inquam Romæ, vel Conſtantinopoleos ageretur, vel Antiochena.

Quare hinc colligas, aliam & contrariam huiuſce prohibitionis Rationem hic verti, quam in ſpecie *legis 1. & 2. ſup. & leg. prox. inf.* Nam quod hic ſtatuitur, id ad prouincialium indemnitatem ſpectat: Illud, ad eius, cui confertur, id eſt, publici vtilitatem: Vtraque tamen, *Tranſactio illicita*, vt *hac leg.* vocatur. Viceuerſa licita tranſactio, etſi ſpontanea, ea de qua *l. 2. inf. de public. compar.* quam & huic coniungendam oſtendi. Sed tamen crediderim, reuera quoque ad alterum illum finem hancquoque *legem* pertinere: de quo vid. quæ dico ad *d. l. 2.*

---

§. 32. V. (a) Imppp. Valentinianus, THEODOSIVS, & Arcadius AAA. Cynegio (b) PF. P.

NE quis pro ſpeciebus annonariis pecunias exiſtimet inferendas: ſcientibus cunctis, quod ſi quis contra hanc Serenitatis Noſtræ legem captioſum (c) aliquid putauerit perpetrandum, Securitatibus (d) hoc modo editis eos eſſe carituros. Dat. xv. Kal. Ian. Conſtantinop. (e) Timaſio & Promoto Coss. [389.]

NOTAE.

(a) Abeſt & hæc *lex* a *Codice Iuſtin. GOTHOFRED.*

(b) Atqui Tatianus hoc tempore iam Præfectus Prætorio erat, de quo vide *Conſularia Theodoſ. Cynegius* porro hic PP. fuit per Orientem, vt diſerte hoc ipſo Anno vocatur *l. 17. de cohortalib.* De eo plene in *Proſopogr. ID.*

(c) *Captioſum*, eſt damnoſum, v. *Gloſſ. ID.*

(d) *Securitatibus*, id eſt Apochis, v. *Gloſſarium.* Vnde Apochatio in hac re *l. 1. & 2 ſup. ID.*

(e) Atqui hoc tempore Theodoſius M. Mediolani erat: Vide *Conſularia Theod. ID.*

COMMENTARIVS.

THEODOSIANÆ iteratæ huius conſtitutionis eadem eſt ſententia quæ ſuperioris: niſi quod *huius legis* eadem iam ratio eſt, quæ *legis 1. & 2. ſup.* proinde ad annonam ciuicam Vrbis Conſtantinopolitanæ pertineat. Deinde & hoc amplius habet, quod *Apochas* eo nomine nequicquam prodeſſe definit: Atque adeo prouincialem iterata exactione conueniendum; Quo pertinent etiam ea quæ de *apochandi* licentia dicuntur *l. 1. & 2. ſup. hoc tit.*

SINE CENSV VEL RELIQVIS (*) FVNDVM COMPARARI (**) NON POSSE.

TITVLVS III.

Titulum hunc loco mouit Tribonianus, & in tractatum de *emptione, venditione* tranſtulit. Quare eſt hic *Titulus* poſitus *lib. IV.* COD. IVST. *Tit. XLVII.* Huic *Titulo* quoque conuenit Conſtantini M. *lex 2. ſup. de contrab. empt.* Honorii *lex 26. ſup. de Annona & Trib.* De hac ipſa materia, v. Ioann. Philippi *és Arreſts de la Cour des Aides, art.* 14.

(*) De *Reliquorum* voce v. *Gloſſ.*

(**) De quo *l. 1. 2. 3. h. t.* Item, donari *d. l. 3. h. t.* vel quoquomodo dominium quiſquam conſequi, *l. 5. ſeu vlt. h. t.*

1. (a) Imp.

I. (a) Imp. CONSTANTINVS A. ad Antonium Marcellinum, Præſidem Prouinciæ Lugdunenſis primæ. (b)

REI annonariæ emolumenta (c) tractantes, vt (d) cognoſceremus, quanta (e) re-
liqua, (f) per ſingulas quaſque prouincias, & per quæ nomina, ex huiuſmodi
(g) penſitationibus reſediſſent, (h) cognouimus, hanc eſſe cauſam maxime reli-
quorum, Quod nonnulli, captati (i) aliquorum momentarias neceſſitates, ſub hac con-
dicione fundos opimos (k) comparent, & electos, *Vt nec reliqua eorum fiſco inferant, & immunes eos poſſideant.* Ideoque placuit, vt ſi quem conſtiterit huiuſmodi habuiſſe con-
tractum, atque hoc (l) genere poſſeſſionem eſſe mercatum, tam pro ſolidis (m) cenſi-
r.33 bus fundi comparati, quam pro reliquis vniuerſis eiuſdem poſſeſſionis obnoxius tenea-
tur. (n) Dat. Kalend. Iul. Agrippinæ, (o) Conſtantino A. v. (p) & Licinio c. Coss.

NOTAE.

(a) *L. 2. C. Iuſt. eod. tit.* *GOTHOFR.*

(b) De hoc dicam mox in *Interpretatione. ID.* Abſunt hæc a Cod. Iuſt. in quo tantum legitur, *Imp. Conſtantinus A, ad Marcellum. RITTER.*

(c) *Emolumentorum* vox hac in re propria: Ita *l. 1. ſup. de annona* & *trib.* præcipua emolumenta. *GOTHOFR.*

(d) Sententia hæc Hiſtorica vſque ad, *cognouimus* Cod. Iuſt. receſa eſt. *ID.*

(e) *Quanta*, id eſt, quot. Vid. *Gloſſ. ID.*

(f) *Reliqua* λοιπάδες. Vid. *Gloſſar. Theod. ID.*

(g) Rei annonariæ. *ID.*

(h) *Reſidere* in reliquis dicitur, quod ſolutum non eſt. *ID.*

(i) *Captantes*, Cod. Iuſt. Neque tamen iſtud mutandum. *Captati*, id eſt, poſteaquam captauerunt, cum captaſſent. Lucretius quoque dixit *penetratum ſemen Lib. IV. v.* 1240. pro poſtquam, ſeu cum penetrauit,

- - - - - *aut penetratum*

Ægre admiſcetur muliebri ſemine ſemen.

Hanc loquendi formam multis firmat Salmaſius *in Solinum pag.* 39. *edit. Traiectin ID.*

(k) *Opimos & electos:* hæc abſunt a *Cod. Iuſt.* quod omiſſum non oportuit. *Opimi* fundi, *h. l.* quæ opulentæ centuriæ, *h* 10 *ſup. de annona:* munifica prædia, *l.* 31. *d. t.* ita rurſum diſerte in eodem argumento *l.* 8. *inf. de cenſitor.* *Qui per impotentiam fundos opimos ac fertiles occuparunt, cum quaſtuoſis vberibuſque pro rata portione ſuſcipiant infœcundos.* Quare in *optimos* id Fornerius Pater mutare non debuit. Symmachus quoque *lib.* 9. *ep.* 27, *prædia opima* dixit. *ID.*

(l) *Hac lege* C. Iuſt. *Hoc genere*, id eſt, hac ratione. *ID.*

(m) *Solitis*, C. Iuſt. Quid ſi legamus *ſoluendis*, deinceps ſcil. quibus mox *reliqua* opponuntur? Ego hic nil muto. *ID.*

(n) Hic in *C. Iuſt.* ſubicitur a Triboniano prima ſententia *legis* 2. *ſup. de contrahend. emptione. ID.*

(o) *Agrippinæ* in Gallia Belgica data hæc *lex*, de quo mox plura. *ID.*

(p) 77. II. mox vt oſtendam. *ID.*

COMMENTARIVS.

CONSTANTINI M. hæc *lex* eſt, pariter, vt *lex* 2. *prox. inf.* ac tertia præterea in eodem argumento eiuſdem, puta *lex.* 2. *ſup. de contrahend. empt.* de fundis ſine cenſu vel reliquis non comparandis; quarum hæc poſtrema ad Præfecturam Italiæ, ſecunda ad Macedoniam, hæc vero ad Gallias pertinet: Ad Gallias, inquam, & cenſum Gallicanum, de quo alioquin Gallicano cenſu, ſub Conſtantino M. locus eſt elegans apud Iulianum *Orat.* 1. *pag.* 116. fin. *pag.* 34. *edit. Lipſ. Spanhem.* Ac nominatim ad Prouinciam Lugdunenſem & Primam quidem hæc *lex* ſpectat, cuius Præſidi Antonio Marcellino ea inſcribitur: Vnde interea liquet, Galliam Lugdunenſem hoc Conſtantini M. tempore iam diuulſam diuiſamque fuiſſe. Sane & Sextus Rufus Feſtus, *in breuiario*, qui ſub Valentiniano & Valente ſcribebat, & Ammianus Marcellinus *lib.* 15. *cap.* 11. qui ſub Theodoſio M *duas* tantum *Lugdunenſes* memorant; ita quidem, vt in Lugdunenſi Prima fuerint *Lugdunum*, *Cabillones*; *Senones*; *Bituriges*, & *Auguſtodunum:* in Secunda Lugdunenſi *Rotomagi*, & *Turones*, & *Tricaſſini.* At enim poſtea in quatuor prouincias Lugdunenſis diuiſa, vt docet *Notitia* prouinciarum Sconhouiana ſub eodem Theodoſio M. *pag.* 77. *edit. Cellar.* quarum quarta *Senonia* vocata fuit, quod patet ex *Notitia* Imperii, ſeu *Breuiario* Theodoſii Iun. *fol.* 117. *verſo:* de qua Prouinciarum Gallicanarum diuiſione *ſeparato libello* actum fuit. In Prima Lugdunenſi igitur fuerunt *Auguſtodunenſes*, quibus ab hoc Conſtantino noſtro *Flauienſium* nomen inditum fuit: Flauia enim gens, & Flauium nomen Conſtantini, ſic vt Auguſtodunum Æduorum ciuitas *Flauia* dicta fuerit, de Conſtantini M. in eam beneficiis. Et vero hæc Conſtantini M. *lex* eo prorſus pertinere videtur, cuius nomine Eumenius ei pro ipſis Flauienſibus ſolenni Panegyrico gratias egit, qui incipit *Si Flauia Æduorum*,

vbi

Digitized by Google

vbi nominatim gratias agit, ob ſeptem millia capitum in CENSV, & RELIQVA quinque annorum, Flauienſium ciuitati remiſſa; vbi ad principium *huiuſce legis* hæc quoque verba faciunt *cap. 10. Releuaturus*, inquit, CENSVM, *definiſti numerum:* RELIQVA *remiſſurus, quantum deberemus* INTERROGASTI, *quæ interrogatio manifeſta promiſſio fuit*, &c. Conſtantinus M. itaque Gallicanum cenſum retractans hac tempeſtate & indulgentias Lugdunenſibus Primis reliquorum conceſſit, & cenſum imminuit, & ne de cætero in Reliquis aliquid porro reſideret, cauſis repetitis in futurum *hac l.* cauit.

Et ita quidem *huic l.* aptandus omnino videtur ille Eumenii Panegyricus, qui Anno D. 312. habitus fuit, Quinquennalibus Conſtantini iam peractis, quod ipſe nominatim indicat *cap. 13.* Quæ cum ita ſint, ad eum ipſum Annum D. 312. hæc *lex* referenda videtur, id eſt, ad *Conſtantinum Auguſtum II. & Licinium Cæſarem Conſules.* Quod præter ſuperiora euincit quoque ſubſcriptio *legis: Data* quippe *hæc l.* dicitur *Agrippinæ.* Atqui Conſtantinus M. *Conſtantino Auguſto V. Coſ.* id eſt, A. D. 319. non in Gallia, verum in Pannonia hæſit: contra circa hæc tempora Anni 312. antequam in Maxentium mouiſſet, hæſiſſe Conſtantinum in Gallia inferiore, & quidem *Agrippinæ* nominatim, compertiſſimum eſt, ex altero eiuſdem Eumenii Panegyrico, qui incipit, *Facerem:* vbi & pontem *Agrippinenſem in Francos* extruxiſſe eum memorat. Atque exinde tandem aduerſus Maxentium mouit.

Quod ipſam *huius l.* ſententiam attinet, Primum huc arceſſenda ſunt ea, quæ ex Saluiano quoque notaui ad *l. 26. ſup. de annona & trib.* quæ & ipſa ad prouincias Gallicanas pertinet. Deinde & de ratione *huius leg.* videndum erit.

Cuius occaſione Quæſtionem eam pertractare iuuat; vtrum videlicet conuentio iſta inter emptorem & venditorem, donatorem & donatarium, vt priſtinus dominus, id eſt venditor, vel donator, tributum prædii deinceps nihilominus ſoluat, reſpectu ſaltem ipſorummet contrahentium, valeat? ſic vt etſi fiſci ratione non valeat, eo tamen nomine aduerſus priſtinum dominum nouo domino ſeu emptori competat, quanti eius interſuit fiſco nihil pendere? Id quod in ſp. *huius leg.* negandum eſt, ac proinde hanc pactionem penitus inualidam eſſe. Quod, vt Cuiacius recte ſcripſit ad *leg. 42. D. de pactis: & recitat in hunc tit.* (& eo nomine Leonini *1. emend. 8.* cenſuram perperam incurrit,) ita vera ratione id nondum euicit, quæ tamen apertiſſimis verbis continetur *hac leg. 1.* & ex horum temporum ratione ſeu hiſtoria repetenda eſt. Ratio inquam eſt, tenniorum oppreſſio per potentiorum emptorum iniuriam: Nempe hoc illud ſæculum eſt, quo pauperiores parte vna, neceſſitate & penuria adacti; parte altera, peruaſoribus potentioribus obnoxii, rerum ſuarum dominium nulla non conditione transſcribere adigebantur. Ecce verba aperta *huius leg. 1. Nonnulli*, inquit, *captati aliquorum momentarias neceſſitates ſub hac conditione fundos optimos comparant & electos, vt nec reliqua eorum fiſco inferant, & immunes eos poſſideant.* Ecce diſerta Saluiani verba *lib. 5. de gubern. Dei cap. 8. Nam illud quale, quam non ferendum, atque monſtrigerum, & quod non dicam pati humanæ mentes, ſed quod audire vix poſſunt, quod plerique pauperculorum atque miſerorum ſpoliati reſculis ſuis, & exterminati agellis ſuis, cum rem amiſerint, amiſſarum tamen rerum tributa patiuntur, cum poſſeſſio ab his receſſerit, capitatio non recedit? Proprietatibus carent, & vectigalibus obruuntur. Quis æſtimare hoc malum poſſit? Rebus eorum incumbunt inuaſores, & tributa miſeri pro peruaſoribus ſoluunt. Poſt mortem patris nati obſequiis iuris ſui agellos non habent, & agrorum munere enecantur.* Vides, qua conditione huiuſmodi venditiones, donationesve fieri ſolerent; ac proinde quænam prohibitionis iſtius ratio fuerit; non fiſci inquam tantum vtilitas, verum tenniorum & pauperiorum defenſio, & potentiorum Emptorum odium.

Vt ita hac ratione omnino conficiatur illa quæſtio; Quare vice verſa, vbi nulla oppreſſionis iniquæ ſubeſt ratio, ibi licet quantum ad fiſci rationem, talis conuentio ſeruanda non ſit, tamen paciſcentium ratione pactum iuſtum ſit & ſeruandum: vt in ſpecie *leg. 42. leg. 52. §. pen. D. de pactis.* Sane vbi fraudis conſilium venditores iam participarent, ita iniuſtum hoc pactum eſſe aliquando voluit Conſtantinus M. vt etiam venditor particeps fraudis poſſeſſionem ſuam amitteret: emptor, pretium: *d. l. 2. ſup. de contrab. empt.* Nempe non iam miſeri, ſed fraudulenti poſſeſſores & venditores in fraudem fiſci huiuſmodi pacta inibant, inopia ſua inutilem fiſci actionem reddentes: quam etiam non vltimam reliquorum, id eſt tributorum non ſolutorum cauſam Conſtantinus M. rei annonariæ emolumenta tractans cognouit. Et itaquidem accipienda eſt *d. lex 2.* quæ alioquin & irrationabilis videri poſſet, aut ſententiæ noſtræ refragari. Quanquam & nihil adeo abſurdum foret, ſi diceremus Conſtantinum poſt *hanc leg.* creſcente malo ſeueritatem intendiſſe.

P. 54.

II. (a) Idem A. Acacio (b) Com. Macedoniæ.

MANCIPIA adſcripta cenſibus intra prouinciæ terminos (c) diſtrahantur, & qui emptione dominium (d) nacti fuerint, inſpiciendum (e) ſibi eſſe cognoſcant. Id quod in poſſeſſione quoque ſeruari rationis eſt: (f) ſublatis pactionibus eorundem, (g) onera, ac penſitationes publicæ, ad eorum ſollicitudinem ſpectent, ad quorum dominium poſſeſſiones eædem migrauerunt. Dat. (h) III. Kal. Mart. Theſſal. Conſtantio & Maximo Coss. [327.]

NOTAE.

NOTAE.

(a) *Abeſt* hæc *lex* a *Cod. Iuſt.* Eique concordat *lex 26. ſup. de ann. & tribut.* & *lex* 3. *inf. de cenſu*: & *lex vlt. de patrocin. vicor. GOTHOFR.*

(b) An hic idem Acacius Comes videatur, cuius meminit Conſtantinus *epiſtola ſua ad Macarium & cæteros Palæſtinæ Epiſcopos* apud Scriptorem *vitæ Conſtantini*, *lib.* 3. *c.* 53. quam inſeruit Baronius *An.* 326. *n.* 67. *ID.*

(c) *Termini* prouinciarum: vid. quæ dixi ad *leg.* 10. *ſup. de accuſat. ID.*

(d) Horum ſcil. mancipiorum. *ID.*

(e) *Inſpiciendum*, id eſt agnoſcendum, vt *l.* 3. *inf. de immun. conceſſa.* V. in *Gloſſar.* plura. Et ſupplenda vox, *cenſum*, quæ hic intercidit occaſione vltimarum ſyllabarum pene geminarum ſuperioris vocis. *ID.*

(f) *γρ. Eſt*: *ut* (vel, *&*) *ſublatis. ID.*

(g) *Emptorum*: vel reſcribendum, *earundem* (poſſeſſionum) *onera. ID.*

(h) *Data*, hic accipiendum eſt pro *Reddita*: nempe Macedoniæ Metropolis fuit *Theſſalonica*, cuius Comiti hæc *lex* inſcribitur. *ID.*

COMMENTARIVS.

Mancipia, ſeu ſeruos cenſibus adſcriptos, & Possessiones, cum ſuo cenſu & onera ad nouum dominum & emptorem tranſire, non obſtante contraria pactione, a Conſtantino M. iubentur. Mancipia, inquam adſcripta cenſibus, id eſt, ſerui adſcripti cenſibus: de quibus etiam agitur *l.* 3 *ſup. de re milit.* & *l.* 7. *Cod. Iuſt. de agricolis*: & *Rubr. de fugitiuis colonis, inquilinis, & ſeruis.* Alii enim ſunt adſcripti cenſibus, *l. vn. ſup. de bonis Clericor. l.* 2 *Cod. Iuſt. in quib. cauſ. coloni*: Coloni ſcil. originales in iiſdem locis cenſi, vt vocantur *l.* 14. *ſup. de ann & tribut.* Coloni abſolute, *l.* 3. *inf. de cenſu*: ſeu plebs, *l* 26. *ſup. de ann. & tribut.* Homologi Coloni, *l. vlt. inf. de patrocin. vicor. verſ. Hii ſane.* Adſcriptii coloni: de quibus *Paratitl. de fugit. colon.* in quibus tamen idem ius obtinet; nempe quod emptor onera fundi venditi colonorumque agnoſcere iubeatur, non obſtante contraria pactione.

Porro ne huic rei fraus fieri poſſit, mancipia intra eandem prouinciam, intra quam cenſibus adſcripta ſunt, vendi iubet Conſtantinus M. nempe, vt ita cuique prouinciæ ſuus cenſus modus ſeruetur.

P. 55.

III. (a) Idem (b) IVLIANVS A. ad Secundum (c) PF. P.

Omnes pro his agris quos poſſident, publicas penſitationes agnoſcant: nec pactionibus contrariis adiuuentur, ſi venditor aut donator aput ſe conlationis ſarcinam pactione inlicita voluerit retinere, (d) & ſi (e) necdum tranſlata ſit profeſſio cenſualis, (f) ſed aput priorem fundi dominium (g) forte permaneat, diſſimulantibus ipſis, vt non poſſidentes pro poſſidentibus exigantur. Dat. xii. (h) Kal. Mar. Antiochiæ, Iuliano a. iv & Salluſtio Coss. [363.]

Interpretatio. *Fundum nullus audeat comparare*, (i) *ſed omnes pro hiis agris qui ad eos quoquo modo peruenerint, publici canonis impleant functiones, nec de ſolutione tributi cuicunque liberum ſit paciſci, ſed ſiue donetur ager, ſiue vendatur, factus dominus integra rei tributa ſuſcipiat.*

NOTAE.

(a) *Lex* 3. ſeu *vlt. Cod. Iuſt. hoc tit.* Iungenda vero huic *lex. prox. GOTHOFR.*

(b) *γρ. Imp.* vt habet Sichard. *ID.*

(c) *Secundus* PP. Orientis ſub Iuliano. v. *Proſopogr. ID.*

(d) *Retinendi* vox hic propria: dixi ad *l.* 26. *ſup. de annona & trib.* quæ huic concordat. *ID.*

(e) *Et ſic*, in Edit. Cuiac. *ID.*

(f) *Profeſſio* cenſualis, dixi ad *l.* 10. *ſupr. de annon & tribut.* v. & *l. vlt. inf. ID.*

(g) *Dominum* C. Iuſt. & Edit. Sichard. quanquam & iſtud ſuſtineri poteſt. *ID.*

(h) Al. XIV. In *d. l. prox. III. ID.*

(i) Sine cenſu ſcil. *ID.*

COMMENTARIVS.

Iuliani hæc conſtitutio eſt, in eundem ſenſum quo reliquæ *huius tituli*; imo quo vel ipſa *Rubrica*, quæ plenam ſententiam continet: Pariter, vt altera eiuſdem Iuliani *lex prox.* 4. quæ huic coniungenda eſt: etſi Inſcriptio variet: pro eo ſcil. more, quo ad diuerſos ſuper eadem re conſtitutiones & Edicta emitti ſolita: de quo in *Prolegomenis*: Nempe hæc ad Præfectum Prætorio emiſſa eſt, vtpote ad quem ſumma rei tributariæ pertinebat: proxima vero *lex* 4. ad prouinciales ſub *Edicti* nomine: vtpote ad quorum commodum ea ſpectaret; quaque collatorum ipſorum vtilitati conſulitur.

Haud adeo vero ab hoc abludit, quod Iulianus

ipſe in *Miſopogone pag.* 143. ſiu. *pag.* 370. *edit. Lipſ. Spanhem.* ſcribit: γῆς κλήρους, οἶμαι, τρισχιλίους ἔφατε ἀργοὺς εἶναι, καὶ ᾐτήσασθαι λαβεῖν, λαβόντες δὲ ἐνείμασθε πάντες οἱ μὴ δεόμενοι. τοῦτο ἐξετασθὲν ἀνεφάνη σαφῶς. ἀφελόμενος δ' αὐτοὺς ἐγὼ τῶν ἐχόντων οὐ δικαίως, καὶ πολυπραγμονήσας οὐδὲν ὑπὲρ τῶν ἔμπροσθεν, ὧν εἶχον ἀτελῶν, οὓς μάλιστα ἐχρῆν ὑποτελεῖς εἶναι, ταῖς βαρυτάταις ἔνειμα λειτουργίαις αὐτοὺς τῆς πόλεως: id eſt, *Agri iugerum tria millia infructuoſa eſſe dixiſtis, vobisque concedi poſtulaſtis: cum vero id obtinuiſtis, diuites ſoli cæteris fraudatis ea vſurpaſtis. Hoc a me inquiſitum plane compertum eſt. Ego autem illos agros iniuſtis poſſeſſoribus ereptos, nihilque de iis quos immunes prius habuerunt inquirens, quos maxime eſſe oportebat, grauiſſimis ciuitatis muneribus eos adſcripſi.*

Peculiare id habet hæc Iuliani *lex*, quod in eius ſpecie emptor nondum apud acta & paginis cenſualibus nomen ſuum profeſſus erat. Quare dicendum videbatur, tamdiu ſaltem venditorem venditi fundi cenſum præſtare debere, quamdiu eius nomen non fuiſſet expunctum tabulis cenſualibus. Verum contra, *hac l.* definitur: Nempe, illico vt emptus fundus fuit, vel donatione acceptus, ſtatim eius onera in nouum Dominum tranſire; *etſi necdum tranſlata ſit profeſſio cenſualis, ſed apud priorem fundi dominum adhuc permaneat.* Denique non *profeſſionis*, ſed *poſſeſſionis* rationem haberi vult.

Et *rationem* addit, quod diſſimulatione contrahentium id ſæpe fieret, vt non poſſidentes reuera, ſed tamen cenſibus inſerti, quaſi poſſidentes exigerentur. Quare & tandem poſtea *l. vlt. inf. h. t.* conſtitutum, vt nouus dominus rei alienæ dominium conſecutus, *ſtatim* cenſualibus paginis poſtularet nomen ſuum adnotari, ac ſe ſponderet ſoluturum: vt ita ablata moleſtia de *Authore*, id eſt, priore domino, vt recte *ibi* Interpres, in *ſuccedentem*, id eſt, præſentem dominum capitatio transferretur.

IV. (a) Idem A. Edictum. Poſt alia.

DOMINVM qui fructus capit, tributa exigi iuſtum eſt. Dat. III. (b) Kal. Mart. Iuliano A. IV. & Salluſtio Coſs. [363.]

NOTAE.

(a) Abeſt hæc *lex* a *Cod. Iuſt.* Iungenda autem illi *lex* 3. *ſupra. GOTHOFR.*

(b) XIII. *d. l.* 3. *ſup. ID.*

P. 56.

COMMENTARIVS.

IVLIANEI Edicti hæc portio eſt, quam putaret qui a melius reddendam fuiſſe *tit. de annona & tributis*: quaſi in ea non venditor ſeu priſtinus dominus a nouo domino ſeparetur, neque iubeatur, non obſtante contraria pactione cenſum agnoſcere; Quin potius pertinere videatur ad eum caſum qui tractatur *l. 25. ſup. de annona & trib.* Atque adeo opponi videatur potius dominus qui fundi fructus capit, & dominus qui fructus non capit; de qua ad *eam l. 25.* plura dixi ex *l. 2. C. Iuſt. de iure emphyteut. l. 7. §. 2. l. 27. §. 3. D. de vſufructu & quemadmodum. l. 28. D. de vſu & vſufruct. & reditu.* Denique *huic l.* magis videatur reſpondere, quod ex ipſomet Iuliano ad *l. ſuperiorem* notauimus. Verum, cum *hanc l.* eodem tempore datam video, quo *ſuperiorem*; cum inſcriptiones vtriuſque inter ſe committo, ſuper eadem re datas cenſeo: ad diuerſos tantum; nempe *ſuperiorem* ad Præfectum P. *hanc* ad Populum: ad illum, vtpote ad quem ſumma rei tributariæ ſpectabat: ad hunc, vtpote tributa ſoluentem: Et ſic vtriuſque *legis* eandem ſententiam facio.

V. (a) Imppp. THEOD. (b) Arcad. & Honor. AAA. Tatiano PF. P.

QVISQVIS alienæ rei quoquomodo (c) dominium conſequitur, ſtatim pro ea parte qua poſſeſſor fuerit effectus, cenſualibus paginis *nomen ſuum* poſtulet *adnotari*, *ac ſe* (d) ſpondeat *ſoluturum*, ablataque moleſtia de auctore (e) in ſuccedentem capitatio (f) transferatur. Dat. xv. Kalend. Octob. Conſtantinop. Tatiano & Symmacho Coſs. [391.]

INTERPRETATIO. *Quicunque cuiuslibet rei dominium* quolibet ordine *acquiſierit, continua ea parte qua poſſeſſor effectus eſt, publicis libris nomen ſuum petat aſcribi, ac ſe promittat tributum agri cuius poſſeſſor eſt, ſoluturum, vt remota de auctore, id eſt de priore domino, inquietudine, in præſentem dominum ſolutio transferatur.*

NOTAE.

(a) Et hæc *lex* abeſt a *Cod. Iuſtin.* quæ ſane hoc *titulo* fugitiua eſt. *GOTHOFR.*

(b) Perperam tribuitur hæc *lex* Theodoſio Arcadio & Honorio. Tribuenda enim eſt *Valentiniano, Theodoſio & Arcadio. ID.*

(c) Id eſt, etſi non in totum, ſed pro parte tantum. *Quolibet ordine*, Anianus. *ID.*

(d) *Ac ſi reſpondeat*, Edit. Sichard. *ac reſpondeat*, prim. Cuiac. & illa in 4. *RITTER.*

(e) Id eſt, veteri domino: & vt Interpres recte ait, *priori domino. GOTHOFR.*

(f) *Capi-*

(f) *Capitatio*, pro tributo ſoli *h. l.* de quo v. *Paratitlon de cenſu*: Saluianus *lib* 5. *cap* 8. *Poſſeſſio recedit, capitatio non recedit ID. MS. W.* & Edit. Sichard. *in ſuccedentem ut capitatio transf. RITTER.*

COMMENTARIVS.

THEODOSII M. hæc conſtitutio eſt: qua VETERVM dominorum ſecuritati a moleſtia tributorum conſulitur, translato in nouum dominum cenſu: & vt diſerte *hac l.* dicitur, id agitur, *vt ablata moleſtia de auctore in ſuccedentem capitatio transferatur*: *de auctore*, id eſt, a priore domino, vt recte Interpres, *in ſuccedentem*, id eſt, in præſentem dominum, vt recta rurſum Interpretatio *huic l.* ſubdita. Eum in finem igitur Theodoſius M. *hac l.* translato alienæ rei cuiuſcunque dominio hunc ordinem præſcribit: puta, vt nouus dominus ſtatim vt dominus factus fuerit, nomen ſuum in libros cenſuales, *aux Terriers* referri curet, atque ibi ſe cenſum ſoluturum ſpondeat. Idque eſt quod dicitur, *l. 3 ſup.* translata profeſſio cenſualis. Idque obſeruari iubet, *Quoquomodo* quis dominium rei alienæ conſecutus fuerit, *quolibet ordine*, ait Interpretatio, id eſt, quocunque titulo. Item, quod ſequentia oſtendunt, etſi non totum prædium, verum etiam pro parte tantum poſſeſſor fuerit affectus: vt ita expuncto prioris domini nomine, noui domini nomen ſubſtituatur. Vnde iam apparet, *hanc leg.* hoc *titulo* fugitiuam eſſe: neque enim id agitur *hac leg.* vt prohibeatur venditio ſine cenſu, expreſſa pactione fieri, de quo ne verbum quidem in ea exſtat: verum, vt ne venditione cum cenſu facta, priſtinus ſeu vetus adhuc dominus cenſualium & exactorum moleſtiam patiatur: qui ab eo cenſum exigere volebant, eo obtentu quod eius nomen libris cenſualibus ſeu polypticis adhuc contineretur: Regulare enim eſt, vt ab his cenſus exigatur, quorum nomina polypticis, ſeu encautariis publicis continentur, & vt alicubi hodie loquuntur, *cataſtris*: Forte etiam eo obtentu, quod noui poſſeſſores inopes eſſent, veteres locupletes: arg. *Nouella 17. cap 8. §. 1.* Et hæc quidem eſt ſententia *huius l.* argumento horum verborum, *ablata moleſtia*: Quæ doctiſſimus Loiſeus *tractatu du Deſguerpiſſement*, *lib. 4. c. 6. n. 5.* alio trahebat, quaſi in ſpecie *huius l.* venditor ſe cenſu oneraſſet, vel quod Cenſuales nollent emptoris ſeu noui domini nomen in libros cenſuales referre.

Illud nihilominus *hac* quoque *leg.* ſecundo notandum, & NOVORVM Dominorum ſecuritati proſpici in eo, quod *pro ea tantum parte*, qua poſſeſſores facti ſunt, cenſum illi præſtare teneantur, non in ſolidum, pro rata ſcil. portione diuiſo onere, pariter vt *leg. 3. Cod. Iuſt. de collat. fundor. patrim. leg. 2. Cod. eod. de debitorib. ciuitat. C. conſtitutur, X. de relig domib.* de quo vid. Loiſeau *du deſguerpiſſement*, *lib. 2. cap. 11.*

P. 57.

NE CONLATIO (*) PER LOGOGRAFOS CELEBRETVR.

TITVLVS IV.

Abeſt hic *Titulus* a *Codice Iuſtin.*

(*) Recte *Conlatio:* male in nonnullis *editionib. conlocatio.*

I. (a) Imppp. Valentinianus, VALENS, & Gratianus AAA. ad Modeſtum PF. P. (b)

SI quis conlator iugationem (c) ſuam Logografo commiſerit, (d) eam fiſco nouerit vindicandam. Quidquid (e) etiam, vel in pretiis, vel in ſpeciebus, aut aurum (f) ordinem delegationis (g) oblitus, prætermiſſis Suſceptoribus aut horreis, (h) ad Logografos detulerit, omne hoc amiſſurum ſe eſſe cognoſcat, & actionem a ſe debito ordine depoſcendam. Officiales autem, qui ex huiuſmodi commerciis aliquid fuerint accepiſſe detecti, quæ auaritia præcipitante captarant, exerta dupli animaduerſione redhibebunt: (i) Ipſis dumtaxat Logografis, in priſtinæ condicionis diſcrimine permanſuris: ſi quidem his pro omnibus pœnis ſufficiat adſiduo tormentorum periculo ſubiacere. Dat. Prid. Non. April. Seleucia, (k) Modeſto & Arintheo Coss. [372.]

NOTAE.

(a) Abeſt hæc *lex* a *Cod. Iuſt.* GOTHOFR.

(b) *Modeſtus* PP. Orientis ſub Valente, de quo multa mentio apud Ammianum, Libanium, Zoſimum, Baſilium, Gregorium: v. *Proſopogr. ID.*

(c) *Iugationem* hic vocat poſſeſſionem, cuius modo pro modo iugerum cenſus adſcribendus eſt. Ita quoque *l. 49. inf. de operib. publ. l. vlt. inf. de equor. conlat. l. 1. ſup. ne quid publicæ lætitiæ*: Denique *Iugatio* eſt poſſeſſio per iuga & modulos terræ cenſenda. Hinc *capitatio aut iugatio* dicitur, *d. l. 1.* item *l. vlt. de cenſu*: Iugatio, vel Capitatio v. quæ dixi ad *l. 15. ſup. de annona & tributis. ID.*

(d) Cenſendam videlicet, æſtimandam, adſcribendam. *ID.*

(e) *γϱ. Qui quid*, quanquam & hoc ferri poteſt. *ID.*

(f) Ferri poteſt; quanquam alius forte malit, *auro*. Interim obſerua triplicem collationem, pretiorum, ſpecierum, auri, & ſic aurum a pretiis diſtingui. Nempe *pretia* erant, quæ quandoque loco ſpecierum exigebantur, & in ære, argento, ſoluebantur: At enim aurum, quod ſolenni collatione præſtabatur. De qua auri collatione, ſeu auraria præſtatione, vide *l. 19. 32. 34. 35 ſup de annona & trib. ID.*

(g) *Delegatio* hic & *l. 1. ſup. de annona & trib. l 8. inf. de extraord. l. 2. 3. 4. inf. de Indictionib.* quæ & *Delegatoria* dicitur, eſt ſolemnis expreſſio, præceptum, Edictum, cui modus collationis adſcriptus erat: V. Paratitlon tituli *de annona & tribut. ID.*

(h) Id eſt, Præpoſitis horreorum, qui acceptam a Suſceptoribus annonam adſeruabant. *ID.*

(i) Id eſt, *Reſtituent*. V. *Gloſſarium. ID.*

(k) *Seleucia* hic accipienda eſt Seleucia Syriæ, quæ prope Antiochiam, cuius mentio apud Ammianum *lib. 14. cap. 8.* & *lib. 29. cap. 1.* vbi in Geſtis anni 370. id eſt ante biennium, notat, hunc ipſum Valentem in nemoroſo quodam inter Antiochiam & Seleuciam loco conſtitiſſe. Eam quoque deſignatam videre licet in *Itinerario Peutingeriano*. Vide & Stephanum in Σελεύκεια: dixi *tit. de Claſſicis. ID.*

COMMENTARIVS.

P. 58.

LOGOGRAFIS iugatio committi, id eſt poſſeſſiones inſpiciendæ & deſcribendæ, denique cenſus modum eis adſcribendi cauſa committi *hac* Valentis *Conſtitut.* prohibetur: Item ipſa collatio per eos celebrari vetatur: id eſt eis inferri tributi modus interdicitur. Illud ſcil. per Cenſuales, hoc apud Suſceptores fieri debet. Illi Cenſualibus libris tractandis Præpoſiti; hi ſuſcipiendis annonis & in horrea condendis. Officiorum itaque confuſioni *hac l.* occurritur; ne aliis in aliorum officium tranſeuntibus aliqua fiſco fraus fieri poſſit.

Logografi, quorum tribus præterea legibus *hoc Cod.* mentio fit, nota *l. 6. ſup. de diuerſ. offic. l. 8. ſup. de cohortalib. l. 3. ſup. de tabulariis, Logografis, & cenſualibus*: & *Nouella Iuſtin. 128.* qui & plenius *Logografi Ciuitatum* dicuntur *d. l. 3. de tabul.* finitimum quoddam officium erat Tabulariis, Cenſualibus, Scribis, Subſcribendariis, Diurnariis; Quare & his iunguntur tum *ipſo titulo de Tabulariis, Logografis & Cenſualibus*; tum *d. l. 3.* & *d. l. 8.* Fuiſſe eos, vt ante hæc tempora, ita & huius conſtitutionis tempore de *Officialium* ſeu Cohortalium numero, docet *d. lex 8. de cohortal. lex 6. de diuerſ. officiis.* Verum poſtea ex Curialium numero aſſumi cœpiſſe, docet *d. lex 3. ſup. de Tabulariis*; & obnoxia valde hæc Officia fuiſſe iuxta *hanc l.* oſtendit *d. lex 8. ſup. de cohortalib.* Quandoquidem adſiduo tormentorum ſeu ſuppliciorum periculo ſubiacebant. Denique non aliud fuerunt Logographi, vt ex *hac leg.* colligi poteſt, ſimul & finitimis illis quæ dixi, Officiis, quam iiqui rationes conficiebant tributorum. Alii & finitimi his fuere per Ægyptum & Nili tractum, *Logographi Chomatum, de quibus leg. vlt. inf. de conlat. vicorum.*

Illud obſcurum eſt, quod *verſ. Officiales* continetur. Nempe Officiales ex huiuſmodi commerciis aliquid per auaritiam accepiſſe & captaſſe, cuius hunc ſenſum puto: Officiales Iudicum, qui id agere debebant, ut ne officiorum confuſio fieret, lucellum aliquod exinde iam captaſſe, vt Logographi in aliorum Officia inuolarent. Quare *commerciorum* appellatione id *hac leg.* deſignatur: pari ſenſu quo *l. 15. in f. ſup. de Numerariis.*

DE IN-

DE INDICTIONIBVS.
TITVLVS V.
LIB. X. COD. IVST. TIT. XVII.

De INDICTIONIBVS, annorum Indicibus, dicam *inf. tit. de Indulgentiis debitorum.*

PARATITLON.

INDICTIONVM, *Rubr.* & *l.* 1. 4. *h. t.* & *l.* 3. 18. *ſup. de annona & trib.* & *l.* 14. *ſup. de proximis Comitib. diſpoſ. l.* 7. 8. 11. *inf. de extraordin. muner.* quæ & Indicta Symmacho, *lib.* 10. *Ep.* 41. forma hæc erat; Delegatio ſcil. *l.* 2. 3 *inf. h. t.* & *l.* 1. *ſup. de annona & trib.* & *l.* 8. *inf. de extraordin. mun. l. vn ſup. ne conlatio per Logograph.* mittebatur certo tempore, *d. l.* 8. *inf. de extraord. muner.* anniuerſariis vicibus, *d. l.* 8. emittebatur, *d. l.* 8. *inf. de extraord. mun.* promebatur, *d. l.* 8 cui manu Principis modus Indictionis adſcriptus erat, *d. l.* 1. *de annon.* & *trib.* ad Præfectum Prætorio, *d. l.* 8. *inf. de extraord. mun.* Huius delegationis, a Scriniariis Præfecti Prætorio, *l.* 3. *h. t.* fiebant particulares delegationes, quæ per ſingulas prouincias tranſmittebantur, *l.* 4. *h. t.* locis celeberrimis publicabantur, *d. l.* 3. & 4. certo tempore ante Indictionis exordium, *dd. ll.* 3. & 4.

I. (a) Impp. Arcad. & HONOR. AA. Pompeiano (b) Proconſ. Afric.

ID tantum, quòd eſt neceſſarium, intra Africam militibus conſiſtentibus, prouincialibus iubemus indici, (c) ac, iuxta matricularum (d) fidem, quod exigit ratio, (e) poſtulari: ita vt, ſi quid erogationibus redundarit in ſpeciebus diuerſis, vel præbitione, vecturiſque, (f) id futuræ Indictioni conlationique (g) proficiat. Dat. v, Kalend. (h) April. Vincentio & Frauitta Coss. [401.]

NOTAE.

(a) Abeſt hæc *lex* a *Cod Iuſt.* Iungenda autem *ei*, eſt lex 29. *ſup. de erogatione militaris annonæ*: & lex 63. *ſup. de curſu publico*, & lex 29. *ſup. de annona & trib.* Cuius eadem prorſus eſt ſententia. Et forte *lex* 28. *infr. de Suſceptoribus.* GOTHOFR.

(b) Reliquæ *leges*, quas *huic* coniungendas dixi, inſcribuntur *Prouincialibus prouinciæ Proconſularis.* *Pompeianum* interim *hic* obſerua Proconſularem Africæ ſub Honorio, de quo v. *Proſopogr.* *ID.*

(c) Extraordinaria Indictione, vt diſerte docet *d. lex* 29. Quare fugitiua eſt hæc *lex*: niſi de omni Indictionum genere ordinariarum & extraordinariarum hunc *tit.* eſſe putemus. *ID.*

(d) *Matricula.* *ID.*

(e) Id eſt, neceſſitatis militaris & annonariæ deſcriptio. *ID.*

(f) *Vecturæ.* Forte reponat quis hic, *iuncturiſque*, vt ita Curatoricios equos deſignet, de quibus *d. l.* 29. verum de hoc mox. *ID.*

(g) Id eſt, ordinarie. *ID.*

(h) *Prid. Kal.* Ita tribus illis *legibus*, quomodo & hic reponendum. *ID.*

P. 59.

COMMENTARIVS.

AFRICÆ Prouinciæ proconſulari, ne extraordinaria hoc tempore Militaris annonæ collatione, ſed & indebita curſus publici vſurpatione, attereretur, prolixa conſtitutione, cuius hæc noſtra ἀπόσπασμα eſt, vt & reliquæ illæ, quas in *Notis* memoraui, conſultum voluit Honorius Imp. Anno D. 401.

Huius duæ ſunt ſententiæ. Prima, de *Modo* extraordinariæ annonæ militaris: Nempe id demum annonæ militaris nomine extra ordinem Afris indici iubet Honorius, quod neceſſitas annonæ militaris reuera depoſcere videtur. Nempe, vt extra ordinem neceſſitate vrgente hæc Indictio fit, ita nonniſi quatenus neceſſitas poſtulat ea facienda eſt. Id quod pariter continetur *lege* 29. *ſup. de annona & tribut.* quæ & ipſa *huic* inter alias coniungenda eſt: hoc tantum ſerua diſcrimine, quod hæc *Proconſuli Africæ* inſcribitur, illa & cæteræ *Prouincialibus* ipſis *prouinciæ Proconſularis*: Quomodo de eadem re ad diuerſos eodem tempore ſcribi moris fuiſſe, complures aliæ *hoc Codice* leges oſtendunt: de quo peculiari capite *in Prolegomenis.* Verba *legis* illius hæc ſunt: *Perpenſa cura ſtatuimus, vt non*

amplius vobis aliquid extra ordinem indicetur, quam rei annonariæ neceſſitas ac deuotio poſtularit.

Ex quo interim apparet, hac tempeſtate ſub Honorio Imp. *Militem* intra Africam conſtitiſſe, tuendo videlicet limiti aduerſus Barbaros potiſſimum, vel etiam ne ea Imperii pars rebellaret: Quod ſane paulo ante quoque factum ſub Gildone, qui & ipſe in ea aduerſus Honorium rebellauit, Anno Dom. 396. imo & Arcadii Imperio eam adiectam voluerat. Mauri denique Africam laceſſebant: teſte Claudiano *de bello Gildon. v. 283. ſeqq.* & *lib. 1. in Eutrop. v. 400.* Zoſimo *lib. 5. cap. 11.* Verum Africa Stiliconis conſiliis & prouiſione mox liberata: quod etiam *Vetus Inſcriptio* apud Gruterum CCCCXII. 3. Stiliconi poſita teſtatur. De quo ad *dict. legem 29.*

Altera *huius leg.* ſententia eſt: *Redundantem* etiam ex hac extraordinaria militaris annonæ collatione, quantitatem, id eſt, ſi quid poſt factam erogationem in milites, ſuperfuerit, futuræ indictioni ſeu illationi proficere & imputari debere. Quod ipſum rurſum *d. l. 29.* continetur: *Si quid vero*, inquit, *de eodem modo diuerſarum ſpecierum potuerit redundare, futuræ iuſſimus inlationi proficere, ſcilicet vt in locis propriis conlata frumenta poſſeſſor dependat.* Non abſimiliter pretia ſpecierum vrgente neceſſitate fiſco venditarum in collationem fiſco inferendam imputantur, *l. 2. C. Iuſt. vt nemini liceat in empt. ſpecierum.* Similiter & ſumptus facti in tranſitu militum: *Nouella 129.* Quæ tres imputationum ſpecies notandæ ſunt, vel eo magis, quod vix quidquam de præterito in futurum ſibi fiſcus imputari patitur.

Reliquis interea ſpeciebus, quæ extra ordinem hoc tempore per Africam indictæ, præbitæque, connumerantur *hac leg.* Vecturæ: Vbi per *Vecturas* intelligo, iuncturas (quomodo etiam hic legendum quis putet, *iuncturiſque* vel *veteriniſque*) ſeu equos vecturis aptos, & ſic equos Curatoricios: de quibus nominatim agitur, *dict. leg. 29. ſup. de annona & trib.* quæ *huic*, vt dixi, inter alias, conferenda eſt. Sic certe & *l. 6. de Scenicis*, eadem *iunctura* vox reſtituenda, vbi de ea voce plene. Quicquid ſit, voce hac *vecturis*, intelligendus eſt, non actus aliquis vehendi forte, verum ſpecies quædam, quæ extra ordinem velut neceſſaria poſtulata, erogata, collata, præbita: *Ita vt, ſi quid* EROGATIONISVE *redundarit, in* SPECIEBVS *diuerſis, vel præbitione,* VECTVRISQVE, *id futuræ indictioni* COLLATIONIQVE *proficiat.* Vbi *præbitionis* quoque vox propria collationi ſpecierum, tironum, equorumque: vid. *inf. tit. 18. qui a præbitione tironum vel equorum excuſ.* Hinc & præbitiones canonicæ, *l. 4. ſup. tributa in ipſis ſpecieb.*

Poſtremum ſub finem *huius l.* aliquid monendum, quod ad totum *titulum* pertinet; nempe *Indictionis* vocem pertinere & complecti omne Indictionis genus, ſiue canonis ordinarii, ſiue quid præter canonem indicatur. Eſt enim Viri alioquin doctiſſimi Valeſii error in *Marcellini lib. 17. cap. 3.* qui indictionem eſſe ait, *quidquid præter canonem indicitur*: Nam imo *huius Codicis legibus*, huiuſque æui vſu, *Indictio* proprie loquendo de *Canonicis* dicta, & a ſuperindictione diſtincta paſſim: vid. ſaltem *l. 3. ſup. de annonis & tributis.* Vnde & Indictio pro Anno *l. 18.* & *35. eod. tit.* & diſtincti hic tituli *de Indictionibus*, & *de ſuperindicto.* Vnde & cum ſuperindictum indicatur, non *Indictio* ſimpliciter dicitur, verum *nouæ Indictiones*, vt apud Plinium, *in Panegyr. c. 36.* & Saluianum *lib. 5. cap. 7. & 8.* indictionale augmentum Ammiano Marcellino *lib. 17. cap. 3.* Tandem id oſtendunt *huius tituli leges*: quæ pertinent omnes ad *formam* Indictionum ſiue eæ ordinariæ ſint, ſiue extraordinariæ.

P. 60 EXTRAORDINARIÆ *cuidam pecuniarum indictioni, ne quis ſe ab ea immunem putaret,* Ordinariæ, *ſeu* Canonicæ *nomen inditur ab Honorio, A. D.* 416.

11. (a) Impp. HONORIVS, & Theod. AA. Palladio (b) PF. P.

OMNES omnino, quocunque ex (c) titulo poſſidentes, quod delegatio (d) ſuperindicti (e) nomine videtur amplexa, velut (f) canonem cogantur inferre: Et, (g) ne qua ſit dubietas, hac aperta definitione decernimus, vt id potius *Canonis* vocabulo poſtuletur. Nulla igitur domus, vel ſacri (h) patrimonii, vel Emphyteutici iuris, vel hominum priuatorum, etiamſi priuilegium aliquod habere doceantur, (i) ab hac neceſſitate ſeiuncta ſint: (k) quæ iam non extraordinarium, vt hactenus, ſed ipſis (l) facientibus, *canonicum* nomen accepit. Dat. VII. Id. Ian. Rau. Theod. A. VII. & Palladio Coss. [416.]

NOTAE.

(a) *Lex 1. Cod. Iuſt. eod. tit.* Et concordat omnino huic l. *lex 5. ſup. de annona & trib.* GOTHOFR.

(b) *Palladius* ſub Honorio, PP. Italiæ. v. *Proſopogr.* ID.

(c) *Quocunque titulo*, Cod. Iuſt. RITTER.

(d) De hac *Delegationis* voce conſule *Paratitlon* & *Gloſſar.* GOTHOFR.

(e) Ita quoque reſtituerunt in *Cod. Iuſt.* etſi antea haberet, *ſuperindictione*: quæ ſane vox etiam proba eſt, vt docet *lex 5. inf. de extraordinar.* ID

(f) Canones

(f) *Canones*, in C. Iuſt. *ID.*

(g) *Et vt ne qua*, Cod. Iuſt. *RITTER.*

(h) Domos trium generum obſerua: *ſacri patrimonii, emphyteutici iuris, & hominum priuatorum.* GOTHOFR.

(i) *Doceatur*, Cod. Iuſt. *ID.*

(k) *Sit*, Cod. Iuſt. *ID.*

(l) Ipſis, nobis ſcil. *ID.*

COMMENTARIVS.

EXTRAORDINARIIS ab Indictionibus cum regulariter quædam perſonæ immunes ſint, ſaltem ab extraordinariis ſiue ſordidis muneribus, de quib. *ſuo titulo de extraordin. ſiue ſord. mun.* pleniſſime: quandoque tamen ea Reipub. tempora incidunt, vt tum pecuniarum, tum & aliarum ſpecierum ſuperindictum ſeu extraordinaria collatio & oblatio deſideretur. Quod quia euenire ſæpe ſolebat, ſimul & ab huiuſmodi ſuperindicto excuſatos ſeſe nonnulli vellent, tanquam ab extraordinario munere, & appellatione extraordinarii velut Gorgonis capite obiecto, vel panno rubro efferati, collationem illam defugerent, & priuilegia ſua obtenderent; e re viſum Principibus, rei atrocitatem & inuidiam verborum lenitate emollire, ac nominatim cauere, ne *extraordinaria* aut dicerentur aut crederentur, etſi *ſuperindicti* nomina exigerentur, quin potius ordinaria ſeu canonica cenſerentur, vt ita omnes huic neceſſitati parerent, amoto omni priuilegio. Id vero præſtat *hac lege* Honorius; id præſtitit antea Conſtantius gemina germana *lege 5. ſup. de annona & trib.* pari occaſione & neceſſitate: vbi plura hanc ad rem. Hanc ſane pertinere exiſtimo ad eam rerum neceſſitatem, quæ bellis vndique ingruentibus a Barbaris & Tyrannis paſſim imperium appetebatur, in quibus & Attalus Tyrannus: videnda hoc ipſo Anno *lex vlt. inf. de infirm. his quæ ſub Tyrann.* Vbi de Barbarica depopulatione & clade agitur.

III. (a) Impp. THEODOSIVS, & Valentinianus AA. Iſidoro PF. P. (b)

CVM omnis hoc Ægyptiaci tractus (c) poſſeſſoribus conducibile videatur, vt ante Kal. Mai prædelegatio (d) manifeſtetur in locis, (e) ne per ignorantiam conlatores, ad anni (f) prioris exemplum, ante delegationem miſſam ea cogantur exſoluere, quæ poſtmodum indebita, miſſa delegatione, forſitan prouocauit (g) euentus: Scriniariis (h) videlicet Sedis (i) Excelſæ modis omnibus ordinata ſalubriter impleturis: ita vt Auguſtaliani (k) Officii, & Cohortalis, & Defenſoris diſcrimine, in locis celeberrimis, per diſmenſtruum (l) tempus, ad omnium perueniat notionem. Dat. Prid. Non. Iun. Conſtantinop. Iſidoro & Senatore Coss. [436.]

NOTAE.

(a) Abeſt & hæc *lex* a *Cod. Iuſtin.* Iungenda autem *illi* eſt *lex* 189. 190. 191. imo & 192. *inf. de decurion.* Item *lex* 2. *inf. de frumento Alexandrino*: & *lex* 2. *inf. de Alexandrinæ plebis primatib.* Concordat huic quoque *lex prox. inf.* GOTHOFRED.

P. 61. (b) *Iſidorus* PP. Orientis ſub Theodoſio Iun. A. D. 435. 436. Ad hunc ipſum Iſidorum P. P. extat quoque Iſidori Peluſiotæ *Epiſtola* 299. *lib.* 1. quam ad *titulum de naufragiis*, exhibebo. Meminit eius & Theodoretus *ep.* 47. *ad Proclum Conſtantinopol.* quæ eſt de Cenſitore & Peræquatore, v. & *Proſopogr. ID.*

(c) *Tractus Ægyptiacus* pro diœceſi Ægyptiaca: de quo vide Orbis Romani deſcriptionem ex *hoc Codice. ID.*

(d) *Prædelegatio*, id eſt delegatio ante emittenda. Pari modo *præcommodari* dixit in *d. l. 2. inf. de Alexandr. plebis primat* quæ huic inter cæteras iungenda eſt: Ita & prædamnati, *l. 2. inf. de hæreticis*: & in Gloſſis Philoxeni, *Prædamnatos*, Προκατεγνωσμένους. Reliqua vide in *Gloſſario. ID.*

(e) Celeberrimis ſcil. vt *infra* & publicis. *ID.*

(f) Id eſt anni 435. ſub Gigantio, de quo mox. *ID.*

(g) γρ. *Prouocabit*; quod elegantes dictum, neque muto in *reuocabit. ID.*

(h) *Scriniarios* nota Præfecti prætorio Orientis. *ID.*

(i) Id eſt, Præfecti Prætorio. *ID.*

(k) Id eſt, Præfecti Auguſtalis, de quo agitur & *d. l.* 190. & 192. *inf. de decurion.* Interim hæc Tria obſerua; Officium Auguſtalianum, nempe totius diœceſeos, Cohortalem prouinciæ; Defenſorem ciuitatis. *ID.*

(l) *Diſmenſtruum* tempus, pro bimeſtri; niſi malis quis *biſmenſtruum. ID.*

COMMENTARIVS.

PVBLICANDÆ ſeu publicæ proponendæ Indictionis ratio ſeu modus, ac nominatim per omnem Ægypti tractum, *hac* Theodoſii Iun. *conſtitutione* præſtituitur An. D. 436. Quæ prolixæ Theodoſianæ conſtitutionis pars eſt, qua vt Alexandrinis, ita & Ægyptiis in commune, aduerſus iniuſtas quorundam molitiones, conſultum iuit. Modum igitur inter cætera publicandæ Indictio-

nis

nis eo fine præſcribit (*Cum*, inquit, *omnis Ægyptiaci tractus poſſeſſoribus hoc conducibile videatur*) hunc videlicet, *Primum*, vt in locis publicis & celeberrimis proponatur, ne per ignorantiam collatores exſolnere cogantur, atque ita ad omnium notitiam peruenire poſſit: quod in omnibus alioquin Edictis tralatitium eſt; de quo conſule *Patitlon de conſtitutionibus Principum*, & *Edictis*.

Secundo, *Ante Kalendas Maii* proponi & publicari id iubet; An quia id Indictionis per Ægyptum exordium erat: quod alioquin etiam cauetur *l. prox. inf.* Sane, cum alibi Indictionis exordium a Kalendis Septemb. initium ſumeret, vel etiam a Kalend. Ianuariis, Antiochena Indictio a Kalendis Maii ducebatur: quod teſtatur Auctor *Chronici Alexandrini in Iulio Cæſare pag. 439. edit Raderi.* ἔτος Γάϊος Ἰούλιος ὁ δικτάτωρ ὅ ἐστιν Μονάρχης, ἁπάντων ἐκράτησεν ἐν ὑπερηφανίᾳ καὶ τυραννίᾳ ἐπὶ ἔτη δ', καὶ μῆνας ζ', πρὸ δ'. εἰδῶν Μαΐων τῆς πρώτης ἐπινεμήσεως, καὶ προσετέθη ἐν Ἀντιοχείᾳ τῇ μεγάλῃ, ἐλευθερία αὐτῆς ὅτε καὶ Ῥωμαίοις ἐγένετο, τῇ κ' τοῦ Ἀρτεμησίου μηνὸς πεμφθεῖσα παρὰ τοῦ αὐτοῦ Ἰουλίου Καίσαρος, καὶ ἐκλήθη ὁ αὐτὸς Καῖσαρ Ἰούλιος δικτάτωρ ἐν Ἀντιοχείᾳ τῇ μεγάλῃ γ' καὶ κ' τοῦ Ἀρτεμησίου μηνός. Χρηματίζει δὲ τῆς μεγάλης Ἀντιοχείας εἰς τιμὴν αὐτῆς ἔτος α'. Καὶ πρῶτον ἔτος τῆς ε' καὶ δεκαετηρίδος τῶν Ἰνδίκτων, ἀπὸ πρώτου ἔτους Γαΐου Ἰουλίου Καίσαρος. *Idem Iulius Cæſar, Dictator, hoc eſt monarcha, ſuperbum & crudele in omnes imperium exercuit annos quatuor, menſes ſeptem, IIII. Idus Maias Indictione prima. Et donata eſt Antiochia magna libertate, quando ſe Romanis ſubiecit, a Iulio Cæſare XX. Maii illi denunciata. Et renunciatus eſt Iulius Cæſar Antiochia magna vrbe dictator, tertia & viceſima Maii. Incipit ergo Antiochiæ, ad eius ciuitatis illuſtrem memoriam, annus primus (Caii Iulii Cæſaris Dictatoris) & annus primus Indictionis, quæ annos continet quindecim a primo anno C. Iulii Cæſaris.* Nempe ait, Indictionem primam Antiochenam a menſe Maio ſuæ αὐτονομίας Initium ducere. In Ægypto ſane hæc ratio certiſſima eſt, neque alia quærenda: quia tum meſſis peragebatur. Plinius, *lib. 18. c. 18. Inarari certum eſt abiecta prius ſemina in lima digreſſi amnis, hoc eſt, Nouembri menſe incipiente: poſtea pauci runcant, quod botaniſmon vocant: reliqua pars nonniſi cum falce arua viſit, paulo ante Kal. Aprilis: peragitur autem meſſis, Maio.* Et *eodem lib. c. 7. In Ægypto hordeum ſexto a ſatu menſe* (qui *Abib* Exodi 13. *v. 4.*) *frumenta ſeptimo metuntur.* Leo Afer, teſtis αὐτόπτης *deſcript. Africa lib. 8. c. 4.* ſub *Aprilis initium ſegetes ſuccidunt* (Ægyptii) *ſuceiſas confeſtim triturant, neque ſpicam ad vigeſimam Maii ſecundam relinquunt.* Hnc etiam ſpectat, quod memoratur *Exodi 9. v. 32.* In Palæſtina vero vno menſe vel amplius ſerius meſſis peragebatur, a feſto Paſchatis ad feſtum Pentecoſtes vſque: quod iden feſtum meſſis vocatur, peractæ ſcil. *Exodi 23. v. 15.* & *16.* Ioſephus *lib. 3. Antiquit. Iudaic. c. 10.* Hieronymus *comment. in Amos, c. 4. u. 7. pag. 70. Tom. VI. Oper. edit. Francf. apud Chriſt. Genſch.* Tandem & per bimeſtre tempus hoc Edictum proponi publice iubet *h. l.* Theodoſius Iun. a Kalendis videl. Martii ad Kal. Maii vſque, ea ratinne, quam nominatim addit: cui plane gemina eſt, quæ redditur *l. 4 prox. inf.* A menſe igitur Martio Indictionis edictam in Ægypto proponi oportuit: ſimiliter prorſus Iuſtinianus *Nouella 128. cap. 1.* voluit *per Iulii & Auguſti bimeſtre tempus*, particulares diſpoſitiones collationum futuræ indictionis in foro vniuſcuiuſque diœceſis proponi: Quod caput cum *hac l.* componi velim. Peragendæ porro eius rei curam Scriniariis Præfecti Prætorio imponit: Ab his ſcil. Scriniariis hæ Indictionum delegationes per prouincias & ciuitates emittebantur, de quibus Scriniariis *ſuo titulo lib. 8. de Numerariis, Actuariis, Scriniariis*: vt cæteroquin ad Præfecti Prætorio, eiuſque officii curam res tributaria pertinebat, de quo ſæpe. Tandem & propoſitionis periculum ac ſolicitudinem per Ægyptum Officialibus Præfecti Auguſtalis, Cohortalibus etiam ſingularum prouinciarum, & Defenſoribus ſingularum ciuitatum imponit. Quare iam hinc colligimus, Scriniarios Præfecti Prætorio delegationes ſeu Indictionum edicta emiſiſſe: hos vero proponendorum ſimilitudinem geſſiſſe per vniuerſam diœceſim, eiuſque prouincias & ciuitates.

Cauſam porro huiuſce *legis* ferendæ hiſtoricam indicat *hac leg. ipſa* Theodoſius Imp. Nempe quod ſuperiore Anno 435. collatores per ignorantiam coacti fuiſſent exoluere, quæ poſtmodum indebita fuiſſe euentus pronocauit, comprobauit. Quod cum attendo, pertinere id omnino exiſtimo ad Gigantium Cappadocem Correctorem *Auguſtamnicæ* (quæ Ægypti prouincia erat,) qui hanc prouinciam plurimis calamitatibus affecit: inter cœtera miſeris poſſeſſoribus νέᾳ ἀπογραφῇ coactis exſoluere indebitum tributorum modum: multis etiam eam ob rem fugere coactis, qua cauſa etiam in vincula coniectus is, multatuſque ab Imp. Theodoſio: de quo Iſidorus Peluſiota (quæ vrbs Peluſium Auguſtamnicæ primæ metropolis erat) *lib. 1. ep. 281. 351. 352. 430. 483. 484. 485. 486. 487. 489. 490.* e quibus etiam *epiſtola 485.* data eſt ad eundem *Iſidorum PP.* cui hæc *lex* inſcribitur: *ep.* vero *486. ad Florentium* Iſidori ſucceſſorem. De hac vero νέᾳ ἀπογραφῇ Gigantii eſt *d. ep. 487.* & 490. ac potiſſima inter omnes 487.

P. 62.

IV. (a) Idem AA. Dario (b) PF. P.

PARTICVLARI (c) delegationum notitia, ante Indictionis exordium ſingulis tranſmiſſa prouinciis, conlationis modum, a poſſeſſoribus multo ante proſpectum, deuotionis (d) ſolitæ, non ſubitis calumniis, Tua Sublimitas faciat imputari, (e) vt & Prouincialibus ſubeundi diſpendia (f) neceſſitas auferatur, & Officiis ingerendi (g) damna licentia denegetur, Dat. v. Kal. Septemb. Apameæ, (h) Iſidoro & Senatore Coſs. [436.]

NOTAE.

NOTAE.

(a) *Lex* 2. ſeu *vlt. C. Iuſt. h. t.* Et iungenda ei *lex vlt ſup. de annona & trib.* GOTHOFR.

(b) *Darius* PP. ſub Theodoſio Iun. & quidem Orientis, vt expreſſe vocatur, *l. vlt. ſup de decur. & ſilent.* quæ ei pariter inſcribitur Anno prox. 437. *ID.*

(c) Ita *μερικῇ διατυπώσει τῶν συντελειῶν*, *particularis diſpoſitio collationum*, *Nov.* 128. *in pr. ID.*

(d) Reponit Cuiacius, *deuotioni*: Si quid immutandum eſt, malim legere, *deuotione ſolita*, de quo mox plura. *ID.*

(e) Malim, *importari*: mox vt oſtendam. *ID.*

(f) *Diſpendii*, C. Iuſt. *quod* non neceſſe: Nam & mox *ingerendi damna. ID.*

(g) *inferendi* Cod. Iuſt. male: pari mutatione, qua in *l.* 1. *Cod. Iuſt. de oblat. votor.* cum *ingerendi* vox exſtet in *l. vn. ſup. hoc Cod. eod. tit.* vnde ea deſumpta eſt: vid. Iuretum *in Symmachum lib.* 4. *ep.* 29. *ID.*

(h) *Bithyniæ.* vid. *Chronicon Theod. ID.*

COMMENTARIVS.

PVBLICARI delegationis ſeu Indictionis formam *hac leg.* pariter vt *ſuperiore* per prouincias, diſpoſitione Præfecti Prætorio, ante Indictionis exordium iubet hac conſtitutione Theodoſius Iun. quæ prolixioris conſtitutionis Theodoſianæ pars eſt, qua rei tributariæ ſimul & prouincialium ſecuritati conſultum voluit, vt oſtendit *lex vlt. ſup. de annona & tribut.* quæ *huic* iungenda eſt. Rationem, cui & ſimilis occurrit *leg. ſuperiori*, addit, vt ita *modum conlationis a poſſeſſoribus multo ante proſpectum*, *deuotione ſolita non ſubitis calumniis importari* contingat; nam ita *hic* legendum eſt, *deuotione ſolita importari*: manifeſtiſſimo hoc ſenſu, non ſubita & improuiſa exactione, quæ vtique calumniæ ſpecies eſt, tributa inferri oportere: verum *ſolita deuotione*, atque animi in vtilitatem publicam propenſione, & ſpontanea ac diligenti illatione. Nempe *deuotio* & *deuotio ſolita*, vt in commune de tributorum illatione dici ſolet, quod *Gloſſarium* prolixe oſtendit, ita nominatim de ſpontanea diligentia, nulla vi aut calumnia, aut exactione præcipiti extorta, vt contra *indeuota deſidia* dicitur de mora facta in illatione tributorum, *l. vn. ſup. de offic. Vicarii.* Quare hic omnino opponuntur, *deuotio ſolita* & *ſubita calumnia*: Calumniæ, inquam, quibus, vt fine *huius l.* indicatur, neque minus *leg.* 3. *ſup.* prouinciales non ante præmoniti indebita ſæpe exſoluere coguntur ab Officialibus: contra, ſi modum multo ante proſpexerint, & prouincialibus neceſſitas ſubeundi diſpendia auferetur, & Officiis ingerendi damna licentia denegatur.

P. 63.

DE SVPERINDICTO,

TITVLVS VI.

LIB. X. COD. IVST. TIT. XVIII.

DES CREVÊS.

Cum hoc *Titulo* committendus *Titulus inf. de extraordinariis muneribus*: cuius Tituli *leges* vt complures huc ſpectant, ita & nonnullæ melius ſub *hoc Titulo* collocatæ fuiſſent.

PARATITLON.

SVPERINDICTVM, *Rubr.* & *l. vn. h. t. l.* 4. *de decur. & ſilent.* & *l.* 14. *ſup. de prox. Comdiſpoſ.* & *l.* 2. *ſup. de indiction. l.* 18. 20. *inf. de extraordin. mun.* ſuperindictio, *l.* 5. *inf. de extraord. ſiue ſord. mun. l.* 33. *de operib. publicis.* ſuperindicti oneris pondus, *l.* 3. *inf. de conlat. donat.* ſuperindicti grauamen, *d. l.* 4. *ſup. de decurion. & ſilentiar.* ſuperindictitii tituli penſio, *l.* 36. *ſup. de annona*: *l.* 3. *ſup. de decur. & ſilentiar.* Anianus ad *l.* 11. *inf. de extraord. ſiue ſord. mun.* & *Nouella Maioriani de indulg. debitor.* 4. ſuperindicti tituli, Caſſiodoro I. *Var.* 26. [augmentum &] ſuperindictitium, *l.* 4. *ſeu vlt. inf. de conlat. fundor. patrim.* exquiſiti tituli, Ammiano Marcellino *lib.* 19. *cap.* 11. indicta extra ordinem, *l.* 29. *de annona.* ſuperindictitia onera, Caſſiodoro *V. Var.* 14. adiectio, *l.* 23. *ſup. de annona.* augmentum *l.* 4. *inf. de collat. fundor. patrimon.* Caſſiodoro *lib. IX. Var.* 10. extraordinarium nomen, *d. l.* 2. *ſupr. de indictionib.* extraordinaria indictio, *l.* 11. *inf. de extraordin.* vbi vide plura: indictionale augmentum Ammiano Marcellino *lib.* 17. *cap.* 3. incrementa, *ibid.* conquiſita, *ibid.* prouiſiones, *ibid.* prouiſi tituli, *lib.* 30. *cap.* 5. indictiones tributariæ Saluiano *lib.* 5. *cap.* 6. nouæ indictiones, *eidem lib. cit. cap.* 7. & 8.

tributi cumulus, *dict. cap* 8. Ab hoc immunes erant quidam, de quibus vide *l.* 36. *ſup. de annona*, & *l.* 14. *ſup. de prox. Comit. diſpoſ. l.* 2. 3. 4. *ſup. de decurion. & ſilentiar. l.* 1. 2. 4. 5. 6. 9. 13. 17. 20 21. 22. & *l. vlt. inf. de extraordin. munerib.* & *d. l. vlt. inf. de collat. fundor. patrimon.* Notandum quod Honorius profitetur, *l. 33. de operib. publ.* præcipuam ſibi curam eſſe, ne prouinciales noſtri ſuperindictionibus prægrauentur.

I. (a) Imppp. Gratianus, VALENTINIANVS & Theodoſius AAA. ad Proconſules, (b) Vicarios, (c) omneſque Rectores.

NIHIL ſuperindictorum nomine ad ſolas Præfecturæ (d) literas quiſquam Prouincialis exſoluat: Neque vllius omnino indictionis titulus, (e) etiam ſolemnis, (f) immineat, niſi eum (g) Noſtro confirmata iudicio, & Imperialibus nexa (h) præceptis, (i) Sedis (k) Ampliſſimæ depoſcat indictio, & cogat exactio. Dat. VII. (l) Kal. Iun. Med. Antonio & Syagrio Coss. [382.]

INTERPRETATIO. *Iſta lex præcipit, vt nullum per* (m) *Rectores prouinciæ ſuperindictum Prouincialibus imponatur, niſi forte ex hac re proceſſiſſe præceptio Dominica* (n) *comprobetur: tunc enim id quod ſuperindictum eſt aut peti aut exigi poterit, quando a rerum Domino cognoſcitur conſtitutum.*

NOTAE.

(a) *Lex vn. Cod. Iuſt. eod. tit.* GOTHOFR.

(b) Atqui non niſi vnicus Proconſul ſub imperio Valentiniani Iunioris fuit, puta Proconſul Africæ; Imo fuit & Proconſul Hiſpaniæ: de quo dixi ad *l.* 14. *ſup. de accuſation.* ID.

(c) V. *leg. vn ſup. de Officio Vicarii:* vbi dixi. ID.

(d) Id eſt Præfecti Prætorio: Nam hac parte Aniani interpretatio falſa eſt. ID.

(e) *Tituli*, & mox, *etiam ſolemnes immineant*, MSS. W. G. & Edit. Sichard. RITTER.

P. 64. (f) *Solemnis* titulus, id eſt, Canonicus & ordinarius: ſic ſolemnis penſitatio, *l.* 31. *ſup. de annona & trib* ſolemnis ratio *l.* 64. *ſup. de curſu publ.* ſolemnis expreſſio, *l.* 3. *ſup. trib in ipſ. ſpecieb* Solemnes ſpecies, *l.* 6. *de exactionib.* Solemnia abſolute *l.* 1. §. 1. *D. de munerib.* & apud Amm. Marcellinum, *lib.* 17. *cap.* 3. GOTHOFR.

(g) *Niſi eam noſtro confirmatam iudicio, & imperialibus nixam præceptis, ſedis ampliſſimæ depoſcat indictio*, ita Sichardus edidit. RITTER.

(h) *Nixa* Cod. Iuſt. & Sichard. ID.

(i) *Præcepta* hic ſunt Edicta ſuper Indictione; quo ipſo ſenſu *præceptum* accipitur *l. vlt. ſup. de conſtitutionibus Principum*. Eodem ſenſu præceptio, *l.* 27. *ſup. de annona & trib.* GOTHOFR.

(k) Id eſt, Præfecti Prætorio. ID.

(l) Alias *VIII.* vt præfert Edit. in 4. ID. Cod. Iuſt. *XVIII.* MS. W. & Sichard. *XVII.* MS. G. *XV.* RITTER.

(m) Male. GOTHOFR.

(n) *Dominica*, id eſt Regia. v. *Gloſſ.* ID.

COMMENTARIVS.

PRAEFECTI PRAETORIO ſoli literis ſuis neque ſuperindicere neque indicere quicquam poſſunt, ex hac Valentiniani Iun. conſtitutione: quod & ipſum iam antea cautum *l.* 7. 8. 10. 11. *inf. de extraordin.* Vt maxime ſcil. rei tributariæ ſolicitudo ad Præfectum Prætorio pertinuerit, quod ex infinitis *huius Cod.* legibus liquet, idque etiam Zoſimus *lib.* 2. *cap.* 23. diſerte tradit, muneris eorum fuiſſe, curare τὰς ἁπανταχῇ φόρους *vbique terrarum vectigalia:* ipſe tamen ſolus neque indicere, neque ſuperindicere quicquam potuit; Quanquam & aliter quadamtenus obſeruatum ſub Conſtantio, docet *lex* 7. & 8. *inf. de extraordin.* Solius itaque reuera Principis iſtud eſt: Quare & Sidonius *lib.* 2. *epiſt.* 1. de Seronato Aruerniæ euerriculo, *Indicit*, inquit, *vt* DOMINVS, *exigit vt Tyrannus:* & poſt; *Noua tributa perquirit:* vbi *Dominus* pro Rege & Principe accipiendus: Nam & ita Interpres *præceptionem dominicam* dixit: & mox; *Quando a rerum Domino cognoſcitur inſtitutum.* De qua *Domini* appellatione pro Imperante plura ad Sidonium Doctiſſ. Sauaro. Quid igitur? Vt ſolius Præfecti Prætorio literas ſolas ſequi hac parte vetantur Rectores Prouinciarum, puta Proconſules, Vicarii, Rectores (Nam hæc tria adminiſtrationum prouincialium genera, tres hi gradus, fuerunt; quæ ratio eſt inſcriptionis *huius l.*) Ita Indictionum & ſuperindictorum forma hæc præſcribitur, puta, vt non ante exactionis vllius curam in ſe recipiant Adminiſtratores ſeu Iudices Spectabiles, Clariſſimi, quam iudicium Principis præceſſerit ſeu Imperiale præceptum, & Præfecti literæ his nexæ fuerint. Atque hoc facit iam Ammiani Marcellini locus, *lib.* 17. *cap.* 3. ſub Conſtantio in geſtis anni 358. *Cum Florentius Præfectus Prætorio, quicquid in capitatione deeſſet ex Conquiſitis ſe ſupplere firmaret, talium gnarus, animam prius amittere, quam hoc ſinere fieri memorabat:* Mox, *Indictionale augmentum oblatum ſibi, nec recitare,*

nec

nec Svbnotare perpeſſus, humi proiecit. Qui locus committtendus cum l. 7. & 8. inf. de extraord. ſiue ſord. muner. ni fallor. Conqueritur & Saluianus ſuo æuo lib. 5. cap. 7. Veniunt plerumque noui nuntii, noui Epiſtularii a ſummis Sublimitatibus (id eſt a Præfectis Prætorio) miſſi, decernuntur nouæ Indictiones, &c.

Cœterum pertinet hæc quoque lex ad eum Valentiniani Iun. animum: quem Ambroſius in oratione ſuper eius obitu, pag. 108. Tom. V. Oper. edit. Paris. Cardinal. Felicis de Mont. Alto deprædicat; Quid de amore prouincialium loquar, vel quo eos ipſe complectebatur, vel qui ab iis conſultori ſuo rependebatur, quibus nihil vnquam Iudici paſſus eſt? Præterita, inquit, non queunt ſoluere, Nova poterunt ſuſtinere? Ex hoc laudant prouinciæ Iulianum. Et ille quidem in robuſta ætate; iſte in proceſſu adoleſcentiæ. Ille plurima repperit, & exhauſit omnia; Iſte nihil inuenit, & omnibus abundauit.

Sub finem huius legis de ſuperindicto, ex Scriptoribus nonnullis exteris nonnulla hic adnotanda ſunt: Ex Ammiano Marcellino primum, apud quem multa eius mentio: vocat is Exquiſitos titulos lib. 19. c. 11. indictionale augmentum, lib. 17. c. 3. incrementum, ibid. conquiſita, ibid. prouiſiones, ibid. prouiſos titulos, lib. 30. c. 5. Omitto Sidonium, Saluianum, Caſſiodorum. Hæc illa ſunt αὐξανεῖα, quæ reſtitui iam olim apud Syneſium ep. 79 vbi hactenus αὐλαναῖα editum, quo loco is de Andronico agit; δεινὸς γὰρ ἀνὴρ ὑποθέσεις ἐξευρίσκειν, τῇ τε ἑαυτοῦ καὶ τῇ Θόαντος φύσει περισσεύσας· ὃν ἐπὶ τῶν δεσμωτῶν ὄντα ταῖς ἀπαιτήσεσιν ἔταξε τοῦ στρατιωτικοῦ χρυσίου τοῦ καλουμένου τυρωνικοῦ, καὶ συνῆψε τὰ αὐξαναῖα καὶ ἀεί τι καινὸν ἐπὶ παλαιῷ κακόν, ἐφ᾽ ᾧ κλαίειν φῦλα καὶ δήμους ἀναγκάζεσθαι: eſt enim ad inueſtigandas rationes ſuo & Thoantis ingenio dignus ſolertiſſimus, quem carceri præpoſitum exactorem militaris pecuniæ fecit, quam tyronicam vocant, & Auxanæa adiunxit; ac ſemper nouum aliquod ex vetere malum: propter quod per gentes, ac conventus excrucientur. Nempe ait Syneſius, Andronicum ad inueſtigandos & commiſcendos titulos collatoribus vel debitoribus publicis graues, & ſuo & Thoantis cuiuſdam ingenio ſolertiſſimum fuiſſe: quem etiam ex Commentarienſi exactionibus militaris auri, quod Tironicum vocant, præfeciſſe, & incrementa noua ſeu ſuperindicta adieciſſe, ac ſemper nouum aliquod malum ad vetera, quo regiones populique crucientur. Quis vero niſi habes plane, aut maligno animo, videat quam εὐστόχως hic αὐξαναίων nomen conueniat; non enim tota ſeries orationis id oſtendit? non quæ ſtatim ſubiiciuntur, ἀεί τι ΚΑΙΝΟΝ ἐπὶ παλαιῷ κακὸν? non vox ipſa συνῆψε: Quibus nouæ indictiones, ſuperindicta, augmenta, incrementa indicantur. Et tamen multis modis vana eſt, ac temeraria iſta caſtigatio Dionyſio Petauio, ſolum quia ſcil. ei nil tale in mentem venit: cum interea quid αὐλαναῖα ſint, fateatur ſe non habere, quod certo dicat. Sed Grammaticæ leges Orbilius noſter vrget, ab eo, inquit, quod eſt αὐξάνω deriuari τὰ αὐξαναῖα nemo Græce vel mediocriter eruditus non dixerit. Ego vero non tam Græce peritus ſum, quam ipſe videri vult: & tamen dicat mihi quæſo Orbilius, an Grammaticæ leges ferant dici Ergaſiſtorios l. 1. inf. de Alexandr. pleb. primatib. Oſpraturam, l. ult. §. 19. D. de muneribus. id genus alia, quæ plebs Ægyptia & Alexandrina paſſim commenta eſt. Nam quod in MSS. αὐλαναῖα dici conſtanter contendit, id nihili eſt: Nam ſi manuſcriptorum fide ſtandum eſt, valeant omnes emendationes, omnes coniecturæ, quantalibet εὐστοχία.

P. 65.

DE EXACTIONIBVS.

TITVLVS VII.

LIB. X. COD. IVST. TIT. XIX.

De exactionibus Tributorum.

Concordat *huic* omnino *Titulus* 8. *libri* 8. *ſupr. de Exſecutoribus & Exactionibus*; quo etiam Titulo *duæ leges huius tit.* repetuntur, quod inter errores *huius Cod.* Conditorum quoque deputo. Cœterum duæ Conſtitutiones ad ECCLESIASTICAM Hiſtoriam ſpectantes *hoc titulo* continentur: puta Valentiniani Sen. *lex* 10. Valentiniani Iun. *lex* 13.

PARATITLON.

Exactio, *Rubr. l.* 1. 8. 9. 15. 17. 18. 19. *h. t. l. omnis* 5. *ſupr. de iis quæ adminiſtr.* fiſcalium debitorum, *l.* 4 17. *h. t.* debitorum publicorum, *l.* 13. *h. t.* quæ & ſimpliciter *Debita* vocantur, *l.* 1. 7. *h. t.* & *l.* 1. *infr. de diſtrah. pign.* indeque debitores, *d. l.* 1. *h. t.* præſtationum fiſcalium, *l.* 4. *h. t.* fiſcalium penſionum, *l.* 11. *h. t.* fiſcalium penſitationum, *l.* 12. *h. t.* ſpecierum ſolemnium, *l.* 6. *h. t.* auri, *l.* 14. *h. t.* largitionalium titulorum, *l.* 18. *h. t.* a prouincialibus, *l.* 7. 8. 9. *h. t.* poſſeſſoribus, *l.* 16. 20. *h. t.* decu-

rionibus, *l.* 2. *h. t.* actoribus cœteriſque rei priuatæ Principis, *l.* 6. *h. t.* omnibuſque obnoxiis, *l.* 16. *h. t.* debitoribus, *l.* 1. *h. t.* debitoribus fiſci, *l.* 5. *h. t.* conuictis debitoribus, *l.* 16. *h. t.* celebrabatur, *l.* 15. *h. t.* ab his qui *Exactores* hac de cauſa dicti *l.* 1. 10. 16. 20. 21. *h. t. l.* 1. *ſupr. de exſecut.* Qui quidem in Africa Karthagine in Secretario Proconſulis Africæ creabantur populo admiſſo, *l.* 20. *h. t.* in celeberrimo cœtu Curiæ, conſenſu & iudicio pariter omnium per Orientem *l.* 20. *infr. de Suſceptor.* pro varietate prouincialium conueniendorum ex officio Rectoris prouinciæ, qui ſolos potentiores: ex decurionibus, qui ſolos Curiales: At defenſores, qui ſolos minores exigerent, *l.* 12. 16. *h. t.* Hi vero plerumque ſumpti ex Curialibus ſeu Municipibus, *leg.* 12. 16. *hoc tit. l. vn. ſupr. de priu. dom. Aug. l.* 12. *ſupr. de appell. l.* 3. *de honor. Codicil. l.* 8. 14. 117. *infr. de decur. l. omnis* 5. *ſupr. de iis quæ admin. Nouella* Maioriani 4. *de indulgent. reliquor.*

Exactorum nomina varia memorantur. Ducenarii, *l.* 1. 9. *h. t. l.* 1. *ſupr. de concuſſ. Aduoc.* Centenarii *d. l.* 1. *h. t.* & *d. l.* 1. *ſupr. de conc. Aduoc.* & Sexagenarii, *d. l.* 1. *h. t.* Illis Exactoribus imminebant pro tributorum varietate Iudices ſeu Rectores prouinciarum eorumque Officia, *l.* 3. 8. 11. 16. 17. *h. t.* Per Rectorem prouinciæ igitur celebrabatur exactio, *l.* 5. *ſup. de exſecutor.* nempe in fiſcalibus tributis, imo, & in largitionibus, *l.* 18. *h. t.* non in priuatis, *l.* 11. *h. t.* quod poſtea abrogatum, *l.* 5. *ſupr. de exſec.* item præfecti annonæ per Africam & Rationales [ſummarum] *l.* 8. *h. t.* (non etiam Maiores Iudices, puta Vicarii *d. l.* 8.) & Rationales [rei priuatæ] & procuratores, *l.* 11. *h. t.* At mittebantur quandoque extra ordinem milites, Opinatores dicti, *l.* 16. *h. t.* item Agentes in rebus, & Palatini (id eſt, Officiales Comitis S. L. & Priu.) *l.* 17. *h. t. l.* 5. *ſupr. de exſecutor.* qui viciſſim Iudicibus & eorum Officiis imminerent, non etiam ipſos prouinciales exigerent, *d. l.* 16. 17. *h. t. d. l.* 5. & 6. *ſupr. de exſecutorib.* quod, reducto iure antiquo de Palatinis, antiquatum, *l.* 18. *h. t.* Item Compulſores miſſi, *l.* 15. *hoc tit.* de quibus *l.* 34. *ſupr. de annona & trib.*

Cæterum, antequam exigerent, breues prius debitorum a Tabulario accipere eos oportebat, *l.* 1. *h. t.*

Sed neque Solis die exigere poterant Chriſtianum quemquam, *leg.* 10. 13. *hoc tit. leg.* 1. 3. *ſupr. de exſecutoribus;* neque alium pro alio, *leg.* 2. *h. t.* & *l. vltim. ſupr. de executoribus.* Neque indebite quem exigere, vel aliquam inquietudinem inferre, *d. l.* 1. *h. t.* ſed ſine concuſſione omni exactionem facere, *d. l.* 1. *h. t.* alioquin pœnis ſeueriſſimis ſubiiciuntur, de quibus vide *l.* 1. & 20. *h. t.*

Perpetui exactores eſſe prohibebantur, *l.* 22. *infr. de ſuſceptor.* annui tantum eſſe po-
P. 66. terant, *l.* 9. *ſupr. de exſecutorib. d. l.* 22. *infr. de ſuſceptor. l.* 16. *h. tit.* Modum, quo obuiam itum eorum ſuperexactionibus, vide *l.* 3. *ſupr. de annona & trib.* At prouinciales ipſi, contumaces, *l.* 16. *h. t.* per contumaciam ſatisfacere differentes, *l.* 4. *h. t.* debiti vigoris auctoritate cogebantur ad ſolutionem, *l.* 6. 16. *in fin. h. t.* puta cuſtodia militari aperta, libera, *l.* 3. *h. t.* & pignorum capione, id eſt bonorum diſtractione, *l.* 3. 4. 7. 16. *h. t.* (v. *infr. tit.* 9.) non etiam carceris pœna, *l.* 3. 7. *h. t.* aut ſuppliciis, veluti plumbatarum aut plumbi verberibus, aut ponderibus, aliiſque *d. l.* 3. & 7. *h. t.*

Reliqua petenda ſunt ex *titulo de executoribus lib.* 8. De Exactionibus & Exactoribus, vid. & *l.* 8. 117. *infr. de Decurionib. l.* 1. *de off. iud. ciuil. l.* 1. *de pignorib. l.* 5. *de Nauicular. l. omnis* 5. *de iis quæ adminiſtr. l.* 3. *de honor. codicill. l.* 1. *de his qui cum diſpenſ. l.* 2. *de protoſtaſia, l.* 6. *de quæſtion. l.* 3. *de priuileg. eor. qui in S. P. l.* 12. *de appellat. l.* 3. *ne conlat. translat. l.* 14. *in fin. de ann. & tribut. l. vlt. de fiſci debitor. l.* 2. 3. 4. *de præd. Senator.*

I. (a) Imp. CONSTANTINVS A. ad Ælianum (b) Proconſ. Afric. Poſt alia.

DVCENARII, & Centenarii, ſiue Sexagenarii, non prius debent aliquem ex debitoribus (c) conuenire, quam a Tabulario (d) ciuitatis nominatim breues (e) accipiant debitorum. Quam quidem exactionem ſine omni fieri concuſſione oportet: ita (*) vt, ſi quis in Iudicio queſtus, quod indebite exactus eſt, vel aliquam inquietudinem ſuſtinuit, hoc ipſum probare potuerit, ſeuera in Exactores ſententia proferatur. Dat. Kalend. Nou. Treu. Conſtantino A. IIII. (f) & Licinio IV. Coss. [315.]

NOTÆ.

NOTAE.

(a) *L. 1. Cod. Iuſt. eod. tit.* Et iungenda *huic* eſt *lex 1. ſupr. de annona & trib.* Forte etiam *lex 1. ſupr. de concuſſ. aduoc.* & *lex 1. ſupr. de aduoc. fiſci. GOTHOFR.*

(b) *Æliano* huic Proconſuli Africæ hoc anno inſcribuntur etiam *d. lex 1. ſupr. de concuſſ. Aduocat. lex 1. ſupr. de Aduocatis fiſci.* Eius ipſemet Conſtantinus meminit in *Epiſtola ad Probianum,* eius in Proconſulatu Africæ ſucceſſorem, apud Auguſtinum *Epiſt.* 68 (ſiu. 88 Edit. Benedictin.) & *lib. 3. contra Creſconium cap. 70. pag.* 476. *Tom. IX. Oper. edit. Benedictin.* plura dixi ad *dict. leg. 1. ſupr. de Aduoc. fiſci.* vid. *Proſopograph. ID.*

(c) *Debitores* abſolute, pro tributorum debitoribus, v. *Gloſſ. ID.*

(d) De *Tabulariis* ſuo *tit. ſupr. lib.* 8. v. & quæ ſcribo ad *l.* 1. *infr. de Cenſu. ID.*

(e) De *Breuibus* vide quoque *Gloſſarium ID.*

(*) Sequentia omnia reſecauit Tribonianus. *ID.*

(f) *55.* Hic & mox *III.* vid. *Proſopogr. ID.*

COMMENTARIVS.

CONCVSSIONI Exactorum, quam φορολόγων ἀπανθρωπίαν vocat Gregor. Nazianz. *Orat. 26. pag. 242. edit. Lipſ. apud Weidm.* (de qua *tit. de ſuperexact.*) per Africam nominatim, occurrit *hac conſtitutione* Conſtantinus M. vt viceuerſa, ne illationi tributorum fraus fiat, *l. 2. ſupr. de annona & trib.* quæ *huic* iungenda eſt. Nempe eiuſdem Conſtantini prouidentiæ fuit, eadem conſtitutione prouidere.

Duo hæc igitur *hac leg.* conſtituit; Primum, vt non niſi Breuibus debitorum, id eſt, deſignatione inferendi tributi a Tabulario ciuitatis acceptis Exactores quenquam exigant. *Tabularii* ſcilic. ciuitatum erant qui Exactionis, Translationis tempeſtiuæ curam gerebant. Scilicet publicas chartas tractabant, & Breues ſeu deſignationes tributorum & λογαρικὰ conficiebant, vt vel hæc *lex* oſtendit, & *lex 13. ſupr. de annon. & trib.* & *lex 16. infr. hoc tit.* & *lex 3. infr. de indulgent. deb.* & *lex 1. & vlt. infr. de cenſu.* de quibus alioquin peculiaris titulus fuit, *ſupr. lib. 8.* Denique nomina dominorum (debitorum) prodebant *l. 16. infr. hoc tit.* Ab his igitur Exactores Breues debitorum accipiebant, vt ita iuxta eorum modum exigerent: de iiſdem Tabulariis vide *l. 27.* & *30. infr. de ſuſceptor.* e quibus *l. 27.* hæc verba continentur: *Item Tabulariis quadrimenſtruos Breues publicari iubemus, vt ſi hiſdem relatæ ſecuritates fideliter continent debitum, duplex non teneat exactio.* Igitur ab his Breues tributorum conficiebantur. Quare & translationis tempeſtiuæ cura ad eos pertinebat, vt docet *lex 9. 11. ſupr. de annona & trib.* Viceuerſa & cautiones ſiue Apochæ ſolutorum debitorum ad hos deferebantur, vt præter *l. 1. ſupr. de annona & trib.* (quæ *huic* coniungenda eſt) docet *d. lex 27. infr. de Suſceptoribus.* Alterum eſt de concuſſione exactorum & iis grauiſſima puniendis: de quo *ſuo tit. infr. de ſuperexactionib.* & *tit. de concuſſ. Aduoc.*

Et hæc quidem *huius leg.* ſententia eſt: ubi Nomina Exactorum varia expendenda veniunt, quæ *hac leg.* memorantur. Nominantur ſcilicet Ducenarii, Centenarii & Sexagenarii. Sane *Sexagenariorum* fit quoque mentio *d. l. 2. ſupr. de annona & trib.* Ducenariorum, & Centenariorum, *l. 1. ſupr. de concuſſionib. Aduocator. ſiue apparitor.* quæ forte & ipſa, vt dixi, *huic* coniungenda eſt vna cum *l. 1. ſupr. de Aduocato fiſci.* Nam & his duabus *legibus* ad eundem *Ælianum Proconſulem* Africæ hoc ipſo Anno horum *Exactorum* concuſſionibus, ſimul & *Aduocatorum fiſci* occurrit Conſtantinus M. Nequa dies etiam abludit.

De *Ducenariis* his (ac proinde de Centenariis P. 67.
& Sexagenariis) ardua inquiſitio eſt: quandoquidem Ducenarii multi memorantur, qui cum his num iidem ſint, dubitatur. Nos de eo primum æuo videamus quod Conſtantinum præceſſit. Primo, memorantur apud Suetonium in *Claudio, cap. 24. Ducenarii Procuratores,* quibus etiam Claudius ornatum conſular. indulſit: Hos ita dictos a numero ſtipendiorum ſeu pecuniarum, quas ſtipendii nomine accipiebant, tradit Dio, *lib. 53. pag. 580. Edit. Henr. Stephani,* ἀπὸ τοῦ ἀριθμοῦ τῶν διδομένων αὐτοῖς χρημάτων, *a numero pecuniæ, quam eius nomine acciperent.* De iiſdem & veteres Inſcriptiones accipiunt: vbi *Procuratores ad Seſtertium Sexagies,* item ad *ſeſtertium centies* memorantur: ita in inſcriptione Romæ ante hortos Carpenſes in via, apud Gruterum CCCCXL. 3.

ARGIPPI.
L. MVSSIO. AEMILIANO
LAVRENTI. LAVINATIVM
IIII. MILIT. V. E. PRAEF. VE... VI...
TRIVM. PROV. GALL. LVGDVNENS
NARBONENS. ET. AQVITANENS.
AD $\overline{\text{SS}}$. LX. PROC. ALEX. PELVSI.. PV...
AD $\overline{\text{SS}}$. C. PROC. PORTVS VTRIVSQ. A....
VIRO. INNOCENTISSIMO
CODICARII. NAVICVLARII. ET
QVINQ. CORP. NAVIGANTES. OB
INSIGNEM. EIVS. ERGA. SE
BENIVOLENTIAM. AC SINGV
LAREM. ABSTINENTIAM

item lapis, qui Antiquariæ in Hiſpania, apud Gruterum CCCCXXXIV. 3.

P. MAGNIO. Q. F. QVIR. RVFO. MAGONIANO
TRIB. MIL. $\overline{\text{III}}$. PROC. AVG. $\overline{\text{XX}}$. ET. TR. PER
HISP. BAET. ET. LVSITAN. ITEM. PROC. AVG
PER. BAETIC. AD. KAL. VEGET. ITEM. PROC
AVG. PROV. BAETI. AD. DVCEN. ACIE
PIEC. AMICO. OPTIMO. ET. BENE. DE
PROVINCIA. SEMPER. MERITO. D. D.

Apuleius *lib. 7. Metamorphoſ. pag. 123. init. edit. Lugd. B. 1623. apud Ioan. Maire. Nam Procura-*

torem Principis Ducenaria perfunctum, prætereuntem fueram aggreſſus. Secundo, apud Capitolinum *in Vita Pertinacis cap. 2.* Pertinax poſt Præfecturam cohortis, poſt Alæ item regimen, poſt procurationem alimentis diuidendis, poſt Claſſem Germaniæ rectam dicitur, *ad ducenum H-S. ſtipendium translatus in Daciam, poſteaque vexillis regionalis aſcitus*: inde *Prætorius* factus, primæ legioni regendæ impoſitus. Tertio, memorantur Ducenarii *Iudices*, quorum ſcil. quarta decuria erat ex inferiori cenſu, quique iudicabant de leuioribus cauſis, inſtituti ab Auguſto, teſte Suetonio *c. 32.* Quarto, Memorantur item Conſtantiniano ſeculo Ducenarii inter Agentes in rebus: quorum mentio fit *l. 8. 20. 21. ſupr. de Agentibus in rebus*, & *l. vlt. ſupr. de Senatoribus*: *l. 3. 4. Cod. Iuſt. de Agentibus l. 1. Cod. eod. de off. Magiſtri Officior.* qui 48. numero erant *d. l. 3.* ex his Principes officiorum ſumebantur, ſeu Ducenarii hi ad Principatum officiorum ſumebantur, *d. l. 8. 20. 21.* & paſſim quoque teſtatur Notitia Imperii, inter cætera ſub Proconſule Africæ, ad quem hæc lex ſcripta eſt: vnde Ducenæ Principatus *d. l. 20. 21.* & *l. vlt. ſupr. de Senatoribus.* Qui quidem Principes Officiorum ex Ducenariis facti, variis dignitatibus & priuilegiis decorabantur, de quibus *d. l. vlt. de Senatoribus*, & *d. l. 20. 21.* Vnde Ducenæ dignitas *d. l. 20. 21. l. 3. ſupr de cohortalibus*: *l. 1. ſupr. de Caſarianis*: *l. 1. ſupra de murilegulis. leg. 5. infr. de decurionibus.* Quinto, ſæculo etiam Conſtantini proximo *Procuratoris Ducenarii* quoque mentio fit, apud Cyprianum *ep. 68. n. 7. ſiu. ep. 67. pag. 174. Edit. Ioannis Epiſcop. Oxoniens. apud quem*, ait, Martialem quendam, *actis publice habitis obtemperaſſe ſe idololatriæ, & Chriſtum negaſſe conteſtatum.* Quomodo pariter, Ducenariorum mentio fit, qui executionibus ſeruiebant apud Photium *num 182. pag. 414. edit. Schotti.* ὅτι βασιλεύοντος Ῥωμαίων Δεκίου καὶ Οὐαλεριανοῦ Περέννιος Δουκηνάριος πρόσταγμα λαβὼν παρ' αὐτῶν, πάντας τοὺς ἀνὰ τὴν Ῥώμην καὶ τὰς περὶξ ἐπαρχίας χριστιανοὺς βαρυτάταις βασάνοις καὶ πικραῖς τιμωρίαις εἰδωλολατρεῖν ἐβιάζετο: *imperantibus Romæ Decio & Valeriano Perennium Ducenarium, accepto ab ipſis mandato, omnes romanæ vrbis, & circum circa ditionis Chriſtianos, exquiſitis cruciatibus pœniſque acerbis ad idolorum cultum per vim compuliſſe*: v. & epiſtolam Synodi Antiochenæ apud Euſebium *lib. 7. cap. 30.* & alteram Synodi Mareoticæ ſub Conſtantio A. D. 335. ad Ducenarium Palladium apud Athanaſium, Apol. 2. *pag. 794. edit. Lipſ. apud Weidm.* Παλλαδίῳ Δουκηναρίῳ. Sexto fit Ducenariorum mentio *in actis collat. Carthaginienſis* ſub Honorio Imp. ann. 411. *Tom. I. Concil. Harduin. pag. 1049. & ſeqq.* vbi Vrſus, Petronius & Liboſus Ducenarii, ſeu Ducennarii, Illuſtrium poteſtatum memorantur, dicunturque adſtitiſſe inter alios, poſt Protectores Domeſticos, ante Apparitores Illuſtrium poteſtatum in Secretario, Marcellino Cognitore: Iidemque Epiſcopis partium pro velo ſeu foribus conſtitutis rogabant Præſidem, num partes intromitti deberent: atque ita ad conflictum partium aditum faciebant. Septimo, in militia quoque armata fuere Ducenarii de quibus Vegetius *lib. 2. cap. 8.* qui ſcil. duas centurias ſeu ducentos homines ducebant in acie. Eſt & de iis Hieronymi locus *aduerſus Ioannem Hieroſolymitanum ad Pammachium pag. 115. Tom. II. Opp. edit. Francf. apud Chriſt. Genſch.* quem adduxi ad *l. 3. ſupr. de Agentibus in rebus.* Octauo, Ducenarii in ſcriniis largitionum Comitatenſium varii erant, qui memorantur *l. 7. 8. 9. ſupr. de palatinis S. L.* Nono, erant & Ducenarii inter Scholares ſub Magiſtro Officiorum Nouella Theodoſii *de ſcholaribus 29.*

De Ducenariis noſtris, qui *hac l.* memorantur & *l. 9. infr.* & *l. 1. ſupr. de concuſſ. aduocatorum* hæc comperio. Primo, Centenariis & Sexagenariis illi iunguntur *h. l.* & *d. l. 1. de concuſſ. aduoc.* Secundo, ex hoc titulo diſcimus, & expreſſis *huius l.* & *d. l. 9. verbis*, eos *Exactoribus* tributorum incubuiſſe ſeu Exactores fuiſſe, vt diſerte vocantur fine *huius l.* Tertio, de his diſcimus, eos commiſſionis infamia ſæpe laboraſſe *h. l.* & *d. l 9* & *d. l. 1. ſupr. de concuſſ. aduoc.* vnde & tandem ab exactione prouincialium arceri iuſſi *d. l. 9.* Et hæc quidem hactenus de his diſcimus: Ex quibus iam ſunt diuerſi a *Iudicib. & Procuratorib.* Ducenariis; fuiſſe diuerſos item ab iis de quibus Capitolinus. Maior adfinitas cum his, de quibus Cyprianus & Photius, item cum his, qui inter Agentes in rebus erant, quique Principes officiorum fiebant, pariterue cum his de quibus in collatione Carthaginienſi: hi omnes quippe *executionibus* imo & exactionibus quandoque incumbebant. Omnium maxime vero his reſpondere videntur ii Ducenarii, qui in ſcriniis Largitionum Comitatenſium erant, vel Magiſtri officiorum, & potiſſimum illi: Palatini quippe ſacrarum largitionum exactionibus incumbebant, de quo ſuo *titulo.* Illud etiam deprehendo, hos noſtros nonniſi ſub Conſtantino M. & Valentiniano Sen. memorari, qui eos ab exactionibus ſubmouit. Quod nominis rationem attinet, *Ducenariorum* horum cum Centenariis & Sexagenariis coniunctio, ſatis oſtendit a *numero* ita dictos. Sed an a numero ſtipendiorum, ſeu ſalarii quod colligerent, vt de ducenariis Procuratoribus ait Dio? An a numero hominum quib. ſtipati exibant, exigebant, vt de Ducenariis in militia Vegetius? An a numero modoque tributorum, quæ ad horum exactionem pertinebant? Erant enim inter exactores tributorum Minuſcularii quidam, vt vocantur *l. 3. infr. de indulg. debit.* quomodo & Auguſtinus *lib. 7. de Ciuitate Dei c. 4. Minuſcularios vectigalium conductores* memorat. Neque ab his recedunt Δεκάπρωτοι & εἰκοσάπρωτοι; quorum meminit Hermogenianus, & Arcadius Chariſius, qui ſub Conſtantino fuere, id eſt, *l. 1. §. 1. l. 3. §. 10. l. vlt. §. 26. D. de muncrib. & honorib.*

II. (a) Idem

II. (a) Idem A. ad Pacatianum (b) Vic. Britanniarum. (c)

VNVSQVISQVE Decurio pro ea portione (d) conueniatur, in qua vel ipſe, vel colonus, vel (e) tributarius eius conuenitur, & colligit, (f) neque omnino pro alio decurione, vel territorio (g) conueniatur: Id enim prohibitum eſſe manifeſtum eſt, &
P. 68 obſeruandum deinceps; quo, iuxta hanc noſtram prouiſionem, nullus pro alio patiatur iniuriam. Dat. XII. Kalend. Decemb. Conſtantino A. (h) & Licinio C. CONS. [319.]

NOTAE.

(a) Abeſt hæc *lex* a *Cod. Iuſt.* *GOTHOFRED.*

(b) *Pacatianus* Vicarius Britanniarum ſub Conſtantino M. Forte hic idem qui poſtea P. V. Conſul. & Pr. *ID.*

(c) De Vicariis Britanniarum (vide *Chronicon Britannicum ex hoc Codice.*) *ID.*

(d) Id eſt, territorio, vt mox. Neque audio Heraldum, qui *lib.* 1. *quæſt. quotid. c.* 9. *n.* 4. reponebat hic, *poſſeſſione. ID.*

(e) Παραλληλισμός. Idem enim Colonus & Tributarius: de quo plene *ſupr. de fugitiuis colonis. ID.*

(f) Fructus ſcil. v. *l.* 4. *ſupr. ſine cenſu. ID.*

(g) *Territorium* hic eſt poſſeſſio cuiuſque Decurionis: eodem ſenſu *l.* 34. *infr. de operib. publ.* & *l.* 186. *infr. de decurion.* cuius eadem eſt cum *hac l.* ſententia. Denique *Territorium* idem eſt, quod Gleba, & portio, vt vocatur *initio huius leg. ID.*

(h) *Auguſto V.* ſcil. *ID.*

COMMENTARIVS.

ALIVM pro alio Decurionem, (ac per Britannias nominatim) *hac l.* tributorum nomine conueniri ſeu pignorari quemquam vetat Conſtantinus M. Quæ eadem eſt ſententia *legis vlt. ſupr. de Exſecutor. & exact.* & legis *31. ſupr. de annona & trib.* & *legis 186. inf. de Decurion.* Et hæc poſtrema quidem in eadem ſpecie de Decurionib. Et tamen olim aliquando tributorum cauſa præcipuum hoc habuit, vt quemadmodum vnus ex *Vicariis* pro omnibus conueniri poterat, expediendi negotii cauſa, vt Papinianus ſcribit, in *l. 5. D. de cenſib.* ne ſcil. fiſcus in plures diſtringeretur, (arg. *l. 3. §. 6. D. de adminiſtr. tut.*) denique tributorum iure (vt idem Papinianus ait:)id eſt, priuilegio fiſci: Quod tamen ſublatum poſtea, de quo expreſſus *Titulus, Cod. Iuſt. vt nullus ex Vicanis pro aliis vicanorum debitis conueniatur.* Idemque in Decurionibus aliquando obtinuit, quod *hac l. & d. l. 186.* aboleri oportuit. Quid igitur? Pro ſe tantum, vel pro Colonis ſuis conueniri Decurio poteſt: de quibus Colonis vid. *Parat. de fugitiuis colonis.*

III. (a) Idem A. ad Populum.

NEMO carcerem, plumbatarumque (b) verbera, aut pondera, (c) aliaque ab inſolentia Iudicum repperta ſupplicia, in debitorum (d) ſolutionibus, vel a peruerſis, vel ab iratis Iudicibus expaueſcat: Carcer pœnalium, (e) carcer hominum noxiorum (f) eſt, Officialium, (g) & cum denotatione eorum Iudicum quorum de officio coherciti citatiores eſſe debebunt qui contra hanc Legem admiſerint: Securi iuxta eam (h) tranſeant ſolutores. (i) Vel certe, ſi quis tam alienus ab humano ſenſu eſt, vt hac indulgentia (k) ad contumaciam abutatur, contineatur aperta & libera & in vſus (l) hominum conſtituta (m) cuſtodia militaris: (n) Si in obdurata nequitia permanebit, ad res eius omnemque ſubſtantiam ciues (o) eius accedant, ſolutionis obſequio cum ſubſtantiæ proprietate ſuſcepto: Qua facultate (p) præbita, omnes fore credimus proniores (q) ad ſoluenda ea, quæ ad noſtri vſus Exercitus pro communi ſalute poſcuntur. Dat. Kalend. (r) Febr. Conſtantino A. VI. & Conſtantino Cæſare Coss. [320.]

NOTAE.

(a) *L. 2. Cod. Iuſt. eod. tit.* Et iungenda huic proculdubio *lex vn. ſupr. de Commiſſoriâ reſcind* & *lex vn. infr. de infirmandis pœnis cœlibatus*, quinimo & *lex 3. ſupr. ad SC. Claudianum. GOTHOFR.*

(b) De *Plumbatis* dictum plene ad *l. 2. ſupr. de quæſtion.* & ad *l. vn. ſupr. de his qui potentiorum nomina. ID.*

(c) De *Ponderibus* his eſt quoque Ammiani Marcellini locus *lib. 29. cap. 1. Intenduntur*, inquit, *eculei, expediuntur pondera plumbea, cum fidiculis & verberibus. ID.*

(d) Id eſt, *Tributorum*, de quo iam ſæpe. *ID.*

(e) *Pœnales* hic dicuntur pœna digni, Cyprianus de vanitate idolorum *pag.* 14. *Edit. Ioannis Epiſcop. Oxoniens.* de Diabolis; *cum ſint ipſi pœnales, quærere ſibi ad pœnam comites* &c. Saluianus quoque lib. 5. *cap.* 7. *pœnalius* dixit. *pœnales* gladios, & *pœnalia* clauſtra Ammianus; & Auguſtinus *pœnalia* loca dixit, vide in *Gloſſario* plura. *ID.*

(f) *Noxii*

(f) *Noxii* ſunt Rei criminum. *ID.*

(g) Locus hic valde deprauatus de quo mox. *ID.*

(h) *γρ. Eum*, ſcil. carcerem, & ſatis inepte in C. Iuſt. *Iuxta Præſidem. ID.*

(i) *Solutores*, id eſt, Collatores prouinciales, poſſeſſores. *ID.*

(k) Qua videlicet carceris, verberum aut ponderum moleſtia liberatur. *ID.*

(l) *Vſum* Cod Iuſt. *ID*

(m) *Inſtituta* Cod. Iuſt *ID.*

(n) *γρ. Militari*, vt etiam eſt in *Cod. Iuſt ID.*

(o) Conciues. In *Cod. Iuſtin* perperam *exactor accedat*, vt ſequentia oſtendunt: & ineptius adhuc *infr.* in nonnullis *qua facultate præbita Exactori. ID.*

(p) Et indulgentia. *ID.*

(q) Vt ſupr. *Citatiores ID.*

(r) Reſtitue ex ſuperioribus legibus *Prid. Kal. Febr. Sardica PP. Kal. April. Roma. ID.*

P. 69.

COMMENTARIVS,

CARCERIS aut TORMENTORVM iniuria & vex tione *debitores*, id eſt, tributarii & prouinciales pro tributorum ſolutione *pour le payement de leurs taxes*, affici a Iudicibus vel Officialibus a Conſtantino M. vetantur hac conſtitutione; quæ Conſtantinianei prolixioris *Edicti* pars eſt, quo in vniuerſum humanitatis & indulgentiarum pleniſſimo, quamplurima & iniquiſſima iuga a Ciuium & prouincialium ceruicibus depulſum iuit; vt docent præterea *lex vn. ſupr. de commiſſoria reſcind. lex vn ſupr. de infirm. pœnis cælib.* quæque adeo huic noſtræ coniungendæ ſunt, ſorte etiam *l. 3. ſupr. ad S. C. Claudianum.* Iuga, inquam, partim Legum; quo pertinet *d. lex vn. ſupr. de infirm. pœnis cæl. l. 3. ſupr. ad SC. Claudianum:* partim Creditorum, *l. vn. ſupr. de commiſſoria reſcind.* partim Exactorum fiſcique, *hac l.* Eaque rurſum, vel ratione ſtatus perſonæ, *d. l. 3. ſup. ad SC. Claud.* vel ratione corporis, *hac l.* vel ratione bonorum, *d. l. vn ſupr. de infirm. pœn. cælib. l. 3. ſupr. de commiſſoria reſcind.* Eſt itaque hoc quoque Conſtantini Edictum, cuius hæc *lex* pars eſt, de earum Legum numero, de quibus Publius Optatianus Porphyrius, inter cætera Conſtantini elogia, hoc ipſo tempore, *cap. 6. v. 21. Edit. Velſer.*

——permulcens aſpera Legum
Iuſtitia æterna.

Sane id ipſum quod *hac l.* continetur, cum poſtea in vſum rurſum veniſſet, viſum quoque filio eius Conſtanti prohibere *leg. 7. infr. hoc tit.* eadem ratione addita; *Cum*, inquit, *hos cruciatus non inſontibus ſed noxiis conſtitutos eſſe noſcatur.* Quæ quidem ſingularis eſt *indulgentia* Conſtantini M. & Conſtantis: (Nam & ita hic vocatur, cum alias ob priuata debita carcer propoſitus ſit; de quo *ſupr. tit. qui bon. ex leg. Iulia cedere poſſunt*) Id ipſum & in Gallia haud ita pridem conſtitutum: v. Loiſeum *deſguerp. l. 2. c. 1. n. 9.* Verum id ita a Conſtantino conſtitutum, vt ita Iudicibus immodice ſæuientibus freni attemperiem quandam adhiberet, vt in ſimili idem Conſtantinus loquitur *l. 2. ſupr. de cuſtod. reor.* quam cauſam & hic indicat; *aliaque*, inquit, *ab inſolentia Iudicum reperta ſupplicia vel a peruerſis vel ab iratis Iudicibus expaueſcat.* Quare & aduerſus *hanc l.* admittentibus Iudicibus & Officialibus pœnam comminatur, & Iudicibus quidem *denotationem*, id eſt, vt paulo poſt prolixius oſtendam, ſiue ſeueram ex animi ſui motu cenſuram & indignationem, ſiue exiſtimationis notam.

Illa quoque humaniſſima Clementiſſimi Principis cogitatio fuit, futuros nempe hac iam indulgentia proniores tributarios. Nempe ita euenire ſolet, vt exaſperet nimia coërcitio; contra, propoſita indulgentia, promptior quiſque exiſtat. Et ita quidem *legem* hanc intelligi oportet, cuius verba deprauatiſſima ſunt, quæ nihilo ſaniora exhibet *C. Iuſt.* ita; *& Officialium & cum denotatione eorum Iudicum, quorum de officio certiores eſſe debebunt, qui &c.* quem Cuiacius reſtituere ſe fruſtra ſæpius tentaſſe ſcribit Gutherius *de off. domus Auguſtæ lib. 3. c 17. p. 670. edit Lipſ.* qui ita hunc locum interpretatur, intactis omnibus: quod ſcil. Iudicibus exiſtimationis macula ſeu nota imponetur, de quorum officio refrænati Exactores citatiores eſſe debuerunt, hoc eſt velocius ad Tribunal citari, vt meritas luerent pœnas: reos enim voce præconis ad Tribunal Iudicum vocatos, vnde citatus reus, Papiniano *l. 10. D. de pub. iud.* Quo nihil abſonum magis fingi potuit. Ego ita reſtituam & interpungam; *& Officialium (cum denotatione eorum* Iudicum quorum *de officio coërcere citatores eſſe debebat) qui* (Officiales ſc.) *contra hanc legem admiſerint.* Nempe Tria *hoc loco* Conſtantinus indicit; Primum Officiales Iudicum eſſe de earum perſonarum numero, qui carceris pœna ſint coërcendi, ſi contra *hanc leg.* admiſerint, Secundo, Iudices eorum, id eſt, iſtorum Officialium, ſi ipſos prouinciales ob tributorum ſolutiones carcere vel verberibus contra *h. l.* affecerint, *denotari* oportere, id eſt, Principis notam & indignationem incurrere; id enim eſt *denotatio:* nempe *denotare* eſt arguere & criminari; paſſim apud Tertullianum *lib. ad Nationes 1. c. 4. Cur nos ſoli contra Inſtituta naturæ peſſimi de bono denotamur?* & c. 14. *Quid itaque noſtrum vnicum denotatis?* ita & initio libri de Pallio; *Gaudeo vos*, inquit, *tam proſperos temporum, cum ita vacat ac iuuat, habitus denotare pacis:* denotare, id eſt carpere, cenſoria nota notare; & ſexcentis aliis locis. Hinc idem dixit, *denotatior*, pro magis criminoſo & incuſabiliore *lib. 1. ad Nationes, c. 10.* Eodem ſenſu dixit *lib. de pallio cap. 4.* denotatum: *Enimuero*, inquit, *iam dudum cenſoriæ intentionis Epiſcynio diſperſo quantum denotatus, paſſiuitas offert libertinos.* denique *denotatio* hic pro exiſtimationis nota, macula ignom-

ignominia: quo ipſo ſenſu Firmicus horum temporum Scriptor lib. 3. *denotationis* verbum accepit; *Periuros*, inquit, *faciet*, *perfidos*, *&* *crebris ob hoc denotationibus miſeros gancones &c.* Tertio loco adiicitur ratio cur Iudices hoc caſu notari oporteat, hac conſtructione; & Officialium cum denotatione eorum iudicum (de quorum officio eſſe debebat coërcere citatiores) id eſt, quod eorum officii eſſe debebat coërcere citatiores, ſeu *incitatiores* Officiales ſuos, id eſt, cohibere, refrænare, imo & punire vim, impetum, & iniuriam hanc Officialium, qui ad id proni ſuopte ingenio nimis eſſent; *Incitatior*, vehemens, vehementior: Sic Thucydides *incitatior fertur*, vt eſt apud Ciceronem *in Oratore cap. 12.* & apud eundem, *mundi incitatiſſima conuerſio*, in *ſomn. Scip. cap. 5.* ita & *concitatior curſus* apud Liuium *lib. 35. cap. 29.* vel etiam ſimpliciter, *citatior*; citatum enim, velox, vehemens, apud *Apuleium:* & vt *citior* apud *Feſtum*, ita & *citatior*.

Hinc iam patet, quam minus recte Tribonianus hunc locum interpolarit, ſic vt ex eo nullum rectum ſenſum efficiat. Contra, quam *huius Cod.* ope facilius ad veram peruenire lectionem, & ſic ſenſum liceat. Quam temerarium proinde ſit *hic* Amayæ iudicium, *n.* 13. qui hunc locum in *hoc C.* magis corruptum eſſe arbitratur: addito, *ferre ſe non poſſe Criticos illos, qui pluris faciunt Theodoſiani Codicis lectionem quam Iuſtinianei: & apud quos plerumque alicuius libri puluere extracti authoritas plus valet, quam qui quotidie in manibus verſantur.* Quare & quod de certiorandis Officialibus a Iudicibus, ne carceribus vtantur, Idem ſcribit *hic*, & interpretatur, dilutum nimis eſt.

Et hæc quidem hactenus in debitorum fauorem; vbi nota, neminem ob tributa in carcerem mitti poſſe: cui ſimilis eſt eiuſdem Conſtantini *lex 2. ſupr. de Cohortalibus*, neque verberibus affici. Quod tamen ſubinde factum: teſtisquoque Palladius *in Vitis Patrum cap. 63.* Ammianus quoque Marcellinus *fine lib. 22.* de Ægyptiis agens: *Erubeſcit apud eos ſi quis non infitiando tributa, in corpore vibices oſtendat.* Exemplum apud Dionyſium Lycurgi Oratoris, qui publicanum ducentem in carcerem quendam tributi debitorem Athenienſem, grauiter multauit.

Atenim parte altera, quia & illud euenire ſo- P. 70.
let, vt nonnulli *tam alieni ab humano ſenſu ſint, vt indulgentia ad contumaciam abutantur*, (quod & hic eleganter a Conſtantino dictum) duo iam remedia proponit, quibus horum contumacia perfriogatur, ſimul & fiſco conſulatur: Nempe contumacem, aperta, libera, & in vſus hominum conſtituta cuſtodia militari eos contineri iubet, de qua ἀδέσμῳ φυλακῇ, ſeu militari præter Iuriſconſultos noſtros, præter Veteres, extat digreſſio Viri docti I. Lipſii *ad Taciti Annal. lib. 3. lit. B.* Tandem ſi in obdurata nequitia Tributarius permaneat, contumacem pignorum capione multari iubet, atque ita res eius cum cenſu diſtrahi. Quod & ipſum eidem rurſum placuit, *l. 4. prox.* & Conſtantio filio eius, *d. l. 7. inf. hoc tit.* ſic & *l. 16. inf.* ſeu *l. 7. Cod. Iuſt. eod* Iudicibus & eorum Officialibus id iniungitur vt ſi imprudenter ſolutio differatur, contumacium debitorum prædia perſequantur. Verum de hac pignorum capione & diſtractione tributorum cauſa, adhuc ad *d. leg 4. prox.* & *l. 16. inf. h. tit.* & peculiarem *titulum 9. inf. de diſtrahend. pignorib. qua tributor. cauſ. ten.*

VIR AMPLISS. CORNEL. van BYNKERSHOEK
Obſeruat. lib. I. *cap.* 2.

(*) Ad hanc L. videamus, nunquid notari poſſit, quod aliorum fugit induſtriam. Conſtat hanc declamationem Conſtantinum ad populum edixiſſe ad coërcendam ſæuitiam tributa exigentium, ſæpe enim in hanc partem peccatum eſt, hodieque inter leges prolixe peccatur. Illuſtre eius rei exemplum olim annotauit Philo Iudæus in Libr. *de Legibus ſpecialibus ad* 3 4. *&* 5. *Præc p. m.* 673. de eo quippe longum narrat, qui tributorum debitores, totasque eo nomine cognationes & vicos inſigni crudelitate afflixit. Neque adeo contumax malum hac Conſtitutione repreſſit Conſtantinus, quin continuo eius filii opus habuerint noua in hanc rem Conſtitutione, quæ exſtat in *l. 7. C. Th. de Exaction.* Et vel ſic vicit nequitia ſæculi & improbitas; nam ipſe Iuſtinianus Rhinotmetus pecuniæ publicæ præficiebat viros crudeliſſimos, qui fœde ſæuiebant in obuium quemque, etiam Imperatoris matrem, ut Suidas ſcribit in *Ἰουστινιανὸς ὁ Ῥινότμητος*. Sed revertamur *ad l. 2.* nam locos communes contra Publicanos ubique videas collectos & exſcriptos.

Ait, *plumbatarumque verbera.* *De plumbatis* nihil dicam, cum ſatis dixerint Cujacius & Amaya *hic*, Iac. Gothofredus ad *l. 2. C. Th. de Quæſt.* Ioſeph. Scaliger *Epiſt L. II. Epiſt*, 146. G. Pancirollus *Var. Lect. L. I, C.* 41, *p.* 68. Vidi & hodie huiuſmodi plumbatas, & tuſa illis corpora.

Ait, *Carcer pænalium, carcer hominum noxiorum eſt.* Recta eſt hæc ſcriptura, quamuis in aliis libris variet. *Pænalium*, id eſt, eorum, qui pœnam meruerunt. Ita fere & alii loquuti ſunt, *pænale eſt occulte auferre* dixit Auguſtinus in C. 13. *C XIV. Q. V. Pænalis ferri* meminit Ammianus Marcell. *L. XXXVIII p. m.* 644. *Noxium* quoque pro *nocente* dici in Codice obtinuit, idque ſimpliciter, ſed hic eſt *hominum noxiorum*, vt apud Senecam *de Breuit. Vitæ C. XIII.*

Ait, *&* *Officialium, & cum denotatione eorum Iudicum, quorum de officio certiores eſſe debebunt, qui contra hanc legem admiſerint.* Verba ſunt implicita & contorta, imo &, ſi Cuiacium audis, *deprauata:* dicit ſe ſæpius fruſtra tentaſſe, ſi qua ratione poſſet reſtituere. „*Alia eſt* lectio in *Codice Theod.* ita enim ibi ſcribitur hic verſiculus „in l. 3. de Exact. *quorum de officio coherciti citatiores eſſe debebunt, qui &c.* Contra Amayam, qui Codicem Iuſtinianeum in eo præfert, moroſe hanc ſcripturam defendit *Iac. Gothofredus in Comm. ad d. l. 3.* ſed pace eius dixiſſe

liceat, etiam minus eam intelligo in Theodoſiano, quam Iuſtinianeo. Nec multum profeceris, ſi pro *coherc?ti*, vt ipſe, legas *coercere*, mala emendatione & peiori interpretatione. Sed non placet his immorari, aliasue aliorum lectiones, vel de Vulgata ſententias refutare; ſatis ſincere mihi ſe habere videtur hic locus. Vult carcerem potius eſſe Officialium, & cum pœna ſeu infamia huiusmodi Iudicum, qui officio ſuo non functi contra hanc L. admiſerint: perinde hic eſt, *officio non fungi*, & *de officio debere certiorem eſſe*. Igitur nihil deeſt, quam loquendi accuratiu, & quis eam in Legibus Conſtantini quæſierit? *Theodoſii lectio multis nominibus peior eſt, quam tamen & Gutherius* de Offic. dom. Aug. L. III. C. 17. *eam probaſſet, Amaye, quas debuit, pœnas dedit.* Eſtque ipſius Amayæ hic elegans & iuſta indignatio: *nec ferre*, inquit, *poſſum iſtos Criticos, qui pluris faciunt Theodoſiani Codicis lectionem, quam Iuſtinianei, & plerumque alicuius libri, & in eis ex puluere extracti, auctoritas plus valet apud eos, quam qui quotidie in manibus verſatur.* Atque ita fere, vt alsiue videantur ſapere. ſed pergo. De Officialibus autem hic edicit Conſtantinus, quia, ſi in his, quæ ſpecialiter vetita ſunt, Præſidum imperio obſequantur, recte puniri conſtat §. 9 *Inſt. de Publ. iud. l.* 33. *C. de Decur. l. vn. C. de Crim. pecul. Auth. Sed hodie C. de Offic. diu. iud. Auth. Hodie C. de Cuſt. reor.* Quoniam vero ipſi Iudices grauius delinquunt, iubet eos eſſe carceris inquilinos *cum denotatione*; alii, vt notat Accurſius, *cum condemnatione*, quod tamen forte expoſitionis duntaxat loco adpoſitum eſt. *Denotare* ſequiori æuo uſitatum pro *damnare, punire, reprehendere, corripere*, & eo ſenſu quamplurimis apud Tertullianum locis, vt Beatus Rhenanus *ad Pallium in princ.* & plenius adnotauit Cl. Salmaſius *C. I p.* 93. & *C. II. p.* 173. Poſtremis quoque ſeculis in eandem ſententiam ea vox accepta fuit, ita enim vſus videtur Imp. Fredericus in *Auth. Statuimus*, poſt *l.* 19. *C. de Epiſc. aud.* quamquam *denotati* ibi ſimpliciter eſſe poſſint *notati cum infamia*: ita ſane eſt *denotare* apud Pomponium in *l.* 54. *ff. de Leg.* I. Quare probo, quod Iac. Gothofredus ait, *denotationem* hic eſſe pro *ignominia*, pro *nota exiſtimationis*; locus Firmici, quem ipſe attulit & etiam Salmaſius indicauit, apprime eſt in eam rem. Alioquin generaliter dicendum, *denotare* eſſe pro *valde notare*, cum *de* augeat ſignificationem, quemadmodum in verbo *deprecandi* aliisque obſeruaui *C. II. Libr. ſing ad l.* 9 *ff de L. Rhod. de iactu.*

Ait, *iuxta Præſidem.* In Codicibus Theodoſ. ante Gothofredum legitur, *iuxta eum*, puta *legem*, idque præfert Cuiacius. Gothofredus edidit, *iuxta eum*, puta *carcerem*, & ineptiæ arguit lectionem Cod. Iuſt. Mihi tamen placet illud, *iuxta Præſidem*, nec ineptiam video; Præſidum enim eſt tributorum exactioni incumbere, vt ipſe Cuiacius docuit ad *l.* 11. *C. de Ann. & trib.* antea hic dixit, *Iudices*, nam Præſides per eminentiam ſimpliciter appellantur *Iudices*: ad eum modum D. Hieronymum intelligo in *C.* 41. *C. VII. Q. I.* cum ait: *In apibus Princeps unus eſt, grues unam ſequuntur ordine literario, Imperator unus*, IVDEX VNVS PROVINCIAE. Et Theophilus *Inſt. L.* I. *T.* VIII. §. 2. nunc *ἐπαρχίας ἄρχοντα* dixit, nunc *ἡγεμόνα*. Præſides quoque intelligendum eſt in §. 9. *Inſt. de Pub. iud.* nomine *Iudicum*, quos Theophilus ibidem tranſtulit *ἄρχοντας*: etenim mirari ſatis nequeo, eſſe Interpretes magni nominis, quibus monſtri ſimile videtur, Iudices in *d.* §. 9. circa pecuniam publicam verſari, quum, vt dixi, Præſides frequentiſſime ita appellentur, & ad eos omnis in Prouincia pecuniæ publicæ poteſtas pertineat.

Ait, *hac indulgentia.* Eaque Cuiacio videtur *ſumma*, Iac. Gothofredo *ſingularis*, quia, inquiunt, ob debita priuata carcerem patimur; ſed magis eſt, ut nihil ſit præter magnifice inflatam verborum impoſturam, Conſtantino perquam oppido familiarem: nam carcerem non patimur, niſi bonis diſtractis *l.* 15. §. 1. *& ſeqq. ff. de Re iud.* & patet bonis cedendi facultas. Quin ſi ante diſtractionem bonorum tributarii coërceantur cuſtodia militari, & non ſoluentium bona, vt ait Cuiacius, ſecundum hanc Legem cum onere tributi aliis addicantur, non eſt ſane, cur de ea ſibi magnopere gratulentur. Quod ad mores equidem vtilis eſſe potuit hæc Lex, contra plumbatas nempe, & pondera, aliasque illius temporis ſæuitias, ſed quod ad iura attinet, nihil hic in debitoribus Fiſci video præcipuum, nihil benignum.

Ait, *aperta & libera & in vſum hominum inſtituta cuſtodia militari.* Sunt hic nonnullæ tricæ lectionum, at quæ notentur, indignæ. De cuſtodia militari, & qui a carcere differat, dixit Lipſius in *Excurſ. ad Tacit. L.* III. *Annal. l. B.* Exemplis militaris cuſtodiæ, quas ipſe ibidem recenſuit, velim addi ex eodem Tacito *L.* IV. *Hiſt.* C. II. & ex *actis Apoſt. C. XXVIII.* §. 16. & porro ex *h. l.* diſci contra Lipſium, cuſtodiam illam fuiſſe aliquando *& apertam & liberam*, nec, vt ille putabat, captiuos ſemper catenis ligatos.

Ait, *ad res eius omnemque ſubſtantiam exactor accedat.* In Theodoſiano eſt, *ciues ſias accedant*, quod Cuiacius & Gothofredus præferunt; ego tamen *exactoris* potius, quam *ciuium* eſſe exiſtimem pignora capere & mox diſtrahere, hoc enim agitur. Accurſius ita hæc verba accipit, ac ſi toto patrimonio excideret, qui tributum non ſoluit, quod valde crudele, nouum, ac iniuſtum eſſe, videtur: conuenit tamen ei, quod Cuiacius, hæc interpretaturus, ait: *& bona eius addicuntur cum onere illationum debitarum.* Sed *omnem* non intellgimus aliter ac *quamcunque*, & vniuerſam non aliter, quam ſi tributorum, quæ debentur, quantitas eo excurrat.

Ait, *ſolutionis obſequio cum ſubſtantiæ proprietate ſuſcepto.* Hoc fauet addictioni, qua de Cuiacius, ſed ea quem vſum habuiſſet, non animaduerto. Tributorum cauſa pignus capi, & inde Fiſco ſatisfieri, tralatitium eſt; qui ignorat, id docent *Tit.* & *l.* 1. & 2. *C. de Capiendis & diſtrahendis pignoribus tributorum cauſa.* Sed nihil ibi de Cuiacii addictione, eaque non niſi mera fabula eſt. Quis extraneus alterius patrimonium, vt tributis ſatisfiat, ſuſcipiet, quod neque dominus ea conditione velit retinere? nihil huc facit *l.* 8. *C. h. T.* nam etiamſi hoc diceret, diceret de tributo reali, quo non ſoluto poteſt res, qua de agitur, in commiſſum cadere videri. Sed neque id probatum eſt, nam *l.* 5. §. 1. *ff. de Cenſ.* non agit de prædio, quod in commiſſum cecidit, ſed de eo iure pignoris diſtrahendo *pro pecunia tributi, quod ſua die non eſt redditum*, neque etiam negat fundi diſtractionem impediri oblatione debiti tributi, ſed cautionis moratoriæ. Aliud dicemus, ſi denunciatum fuerit, fundum,

dum, ni ſoluatur, commiſſum iri, quod raro equidem, ſed tamen factum fuit, & fieri potuit. At nihil penitus hæc omnia de patrimonii addictione, nihil de ciuibus, quibus ea fieret. His igitur miſſis, non aliam hic intelligimus tributi exactionem, quam vulgarem illam, quæ fit per pignorum capionem diſtractionemque; & *proprietatem ſuſceptam* non aliter accipimus, quam ad vſque tributi debitum, ſiue ea proprietas fuerit ſuſcepta a Fiſco, ſiue, quod magis eſt, diſtracta eo vſque patrimonii pars, vel, ſi res ita tulerit, totum. Accurata verborum proprietas ſi nonnihil obſtet, memento Legem hanc Conſtantini eſſe. neque adeo quicquam muto. Cæteroquin mallem, ſcriptum eſſet, *ſolutionis obſequio cum ſubſtantia pro portione ſuſcepto*, hoc eſt, curandum, vt tributis ſatisfiat, capta eam in rem, pignoris iure, bonorum parte, vnde ſatisfieri poſſit.

Græci *Lib. LVI. T. VIII. C.* 6. Βασιλικ. particulam finalem *h l.* ſic habent: *Ἐὰν ἐπιμείνῃ ἀγνωμονῶν, τότε καὶ εἰς νομὴν τῆς ἰδίας αὐτοῦ περιουσίας τὸ δημόσιον. Si contumax eſſe perſeuerauerit, tunc in poſſeſſionem bonorum ipſius Fiſcus mittitur.* Quæ translatio ad lectionem Codicis Iuſtiniani & noſtram de ea ſententiam notanda eſt, nihil enim ibi de ciuibus, quibus bona eſſent addicenda; neque etiam de publicanda eorum proprietate, ſed de capienda a publico poſſeſſione bonorum, quæ pignori futura eſſent pro exſequendis tributis.

P. 70.

IV. (a) Idem A. ad Afros. (b)

QVONIAM ſubclamatione (c) veſtra merito poſtulaſtis, (d) *Ne qua his qui præſtationes fiſcales differunt, reliquorum* (e) *laxitas* (f) *proueniret*, (g) ſpecialiter (h) præcipimus obſeruari, vt res (*) eorum, qui fiſcalibus debitis per contumaciam ſatisfacere differunt, diſtrahantur; comparatoribus data firmitate perpetua poſſidendi, &c. Dat. xv. Kal. Iun. Serdicæ, Conſtantino (i) & Maximo Coss. [327.]

INTERPRETATIO. *Quicunque agrorum ſuorum tributa implere contemnent, agri eius qui tributa ſua contemnent exſoluere, ab exactore vendantur, & qui comparauerint, firmo iure hoc ordine empta poſſideant.*

NOTAE.

(a) *Lex* 1. *Cod. Iuſt. de capiendis & diſtrahendis pignoribus tributorum cauſa:* hinc deſumpta eſt: Prima eius ſententia reciſa, velut Hiſtorica. *GOTHOFR.*

(b) *Prouinciales*; hoc amplius additum in *C. Iuſt. ID.*

(c) *Subclamatio* hic pro ſupplicatione & deploratione & comploratione? vt *l. 6. inf. de nauicular.* & *l. 3. infr. de ſuperexact.* & *l. 2. de naufrag ID.*

(d) *Poſtulatis*, MS. W. & Ed. Sich. *RITTER.*

(e) *Reliqua ἐλλείμματα, λοιπάδες. v. Gloſſ. Theod. GOTHOFR.*

(f) Vt *laxamentum* in eadem re Ammiano Marcellino. *ID.*

(g) Id eſt, *concederetur. ID.*

(h) Id eſt, enixe. *ID.*

(*) Hinc deſumpta eſt *d. lex* 1. *ID.*

(i) *Conſtantino C.V. & Maximo*, Cod. Iuſt. accurate. Male *Conſtantio*, in Edit. prior. Cuiac. illa in 4. & Sichard. *RITTER.*

COMMENTARIVS.

DILATIONEM debitoribus fiſci cuiquam concedi vetat *hac l.* Conſtantinus M. & quidem ad Afros emiſſa, quam dilationem, *reliquorum laxitatem*, vocat; haud aliter atque Theodoſius M. poſtea *l. 6. ſup. de diuerſ. reſcript.* quam aliꝗquin *legem* neque Tribonianus neque Anianus intellexerunt.

Hanc ſane Conſtantinus emiſit ad Afrorum *ſubclamationem*, id eſt querelam & deplorationem, ad quorum in commune, damnum & præiudicium huiuſmodi, dilationes non magis quam indulgentiæ, procedebant: quia ſcil. paucis data hæc indulgentia plebis iniuria eſt, inque eam recidere ſolet, de quo ſuo *tit. inf. de immunitate conceſſa*: Eodem pertinet, quod Ammianus Marcellinus ſcribit de Iuliano, *lib. 16. cap. 5. Denique id eum ad vſque Imperii finem & vitæ ſcimus vtiliter obſeruaſſe, ne per Indulgentias, quas appellant, tributariæ rei concederet* RELIQVA. *Norat enim hoc facto ſe aliquid locupletibus additurum, cum conſtet vbique pauperes inter ipſa dictorum exordia ſoluere vniuerſa ſine laxamento compelli.* Neque hæc poſtrema Prouincialium querelarum cauſa fuit.

Quid igitur? Contumacium res diſtrahi ſpecialiter iubet, de quo iam ad *l. ſuperiorem.*; data emptoribus firmitate perpetua, ſi quid de his rebus boniſue comparauerint poſſidendi; de quo vide peculiarem *titulum inf. de diſtrab. pignor. quæ tribut. cauſ. tenentur.*

V. (a) Imp. CONSTANTIVS (b) A. Nemeſiano (c) V. P. (d) Com. larg. (e)

QVOTIENS quis & priuati debitor inuenitur & fiſci, arreptus (f) ab vno Officio teneatur: ad (g) vniuerſi debiti ſolutionem, qui eum abſtulit, coarcetur? (h) ac

totius ſummæ exactionem in ſe ſuſcipiat, qui eundem auellendum abſtrahendumque (i) crediderit. Dat. IV. Id. Mai, Nizibi, (k) Amantio & Albino Coſs. [345.]

NOTAE.

(a) *Lex 3. Cod. Iuſt. eod. tit. GOTHOFR.*

(b) Reponendi Imperatores, CONSTANTIVS & *Conſtans. ID.*

P.74. (c) *Nem. ſiana* huic Comiti inſcribitur quoque A. D. 340. *lex 30. inf. de Decurionib. ID.*

(d) Ita quoque *C. Iuſt.* id eſt, *Viro perfectiſſimo:* (vid. *tit. de Perfectiſſimatus dignit.*) Male apud Baronium, *Præfecto Vrbi:* Male etiam qui tentant, *V. I.* id eſt *Viro Inluſtri*, vt ſequens *Nota* docebit. *ID.*

(e) Ita quoque in *Cod. Iuſt.* At Cujacius male *Sacr. Lar.* Neque enim hic Illuſtris Comes Sacrarum Largitionum fuit, ſed Comes tantum Largitionalium, & Perfectiſſimus: de quo Comite dixi ad *leg. un. ſup. de Conſular. & Præſid. ID.*

(f) *Et abreptus &c. teneatur.* ita *Cod. Iuſtin.* nonnullæ Editiones. *ID.*

(g) *Et ad*, C. Iuſt. nonnullæ Edit. *ID.*

(h) *Coerceatur*, C. Iuſt. verum hic omnino legendum, *coartetur*: niſi malis, *cohortetur:* quod ipſe non admitto. Peſſime qui emendant, vt in *Cod. Iuſt. qui eum abſtulit, coërceatur:* quem maioris authoritatis eſſe contendunt. O vacuum cerebro caput! *ID.*

(i) *Subtrahendumque*, C. Iuſt. *ID.*

(k) *Nizibi* hoc tempore conſtitit Conſtantius Imp. bello videl. Perſico illigatus. Et vero hoc Anno prælium ab eo geſtum haud procul Nizibi apud Singaram, nocturnum, parumque proſperum: de quo in *Chronico noſtro. ID.*

COMMENTARIVS.

DIVERSI generis & ſtationis vel potius rationis debita quando ab eodem, qui regulariter non niſi vnis exigendis præſtitutus eſt, exigi poſſint, imo debeant, in ſingulari quadam ſpecie, *hac l.* definit Conſtantius.

Finge eundem eſſe debitorem & fiſci, & priuati: *Priuati* inquam, id eſt priuatæ rei Principis. *Priuatum* enim abſolute, vel etiam *Priuata*, pro re priuata Principis accipiendum. Hinc priuatarum Comes, ſeu Comitiua *l. vlt. ſupr. de locat. fundor. iur. emphyt. l. 49. inf. de appellat. & l. 9. de exſecutor. & l. 30. inf. de decurion.* Hinc Magiſtri priuatæ, *l. 14. inf. de decurion.* Hinc officium priuatarum, *l. 18 ſup. de Palatinis Sacrar. Largit. & l. 17 inf. h. t.* & in antiqua inſcriptione apud Gruterum CCCCLVIII. *4.* ΕΠΙΤΡΟΠΩ ΠΡΕΙΟΥΑΤΗΣ, & Capitolinus *in Macrino cap 2.* dixit; *Priuatas curare*, pro rebus priuatis. Quod cum Accurſius non intelligeret, de debitore priuati hominis hæc accepit.

Finge; inquam, eundem priuatæ rei Principis & fiſci debitorem? ſane regulariter *Largitionales*, id eſt Officiales Comitis Largitionum (cui *hæc lex* inſcribitur,) non niſi fiſci debitores exigere poſſunt; pariter vt *Priuatiani*, id eſt Officiales Comitis rerum priuatarum, nonniſi rei priuatæ debitores exigere poſſunt, neque alteri in alterorum, ſic vt dicam, ſtationem inuolare poſſunt. Quod etiam de ſuſceptoribus & de Tabulariis pariter cautum, *l. 12. ſup. de Numerar. l. 30. inf. de ſuſceptorib.* ne promiſcuis rerum actibus turbentur officia, *l. 23. Cod. Iuſt. de Teſtam.* Quo pertinet etiam *lex 1, Cod. eod. de Compenſat. & lex 3. Cod. eod. de canone largit. tit.*

Sed finge nunc Largitionales Fiſci debitorem in ſolutione ceſſantem corripuiſſe, auulſiſſe, abſtraxiſſe, id eſt comprehendiſſe, & cuſtodia officii continere cœpiſſe, & ſic libera & aperta cuſtodia; quod vtique permiſſum aduerſus tributorum moratores, *l. 3. ſup* Sane iidem Largitionales, ſi idem debitor ſit quoque rei priuatæ, tam diu eum *tenere*, id eſt cuſtodia ſua continere debent, vſque quo vtrumque debitum ſoluerit: & ſic vtriuſque debiti & ſummæ exactionem in ſe ſuſcipere debent. Præuentionis & capturæ hic ſingularis effectus eſt, vt quod ex ſe quis facere non poteſt, id iam facere poſſit, imo debeat; Et quidem in ſpecie *huius l.* ideo, ne vno tantum debito exacto, & exinde debitore cuſtodia dimiſſo, ſecundæ capturæ vel grauis, vel nullius amplius, ſubducente iam ſe debitore, locus eſſe poſſit.

Iam igitur faceſſant illæ Accurſianorum interpretationes, qui cum non intelligerent quid ſibi vellent illa, *abripi ab officio*, *auellere*, *abſtrahere*, portentoſam ſpeciem poſuerunt in priuato abſtrahente debitorem publicum cuſtodibus. Imo faceſſat ineptiſſima interpretatio eorum 1. qui quod de priuato *hac l.* dicitur, de priuata perſona & creditore accipiunt. 2. item *vnum* officium, pro vno ex Officialibus. 3. Interpretum qui *legem* hanc de *abripiente* pariter ſeu eximente aliquem cum in carcerem ducitur: hoc ſenſu, eum, qui cum alius ab Officiali, detineretur, cum in carcerem duceretur eum vi exemit, ad vniuerſi debiti ſolutionem compelli. *Φεῦ ἀμαθίας* Amayæ, cuius vt & ſimilium ſcripta ad *hanc leg.* ſpongiæ incumbant.

VI. (a) Idem A. (b) ad Euſtathium PF. P. Poſt alia. (c)

ACTORES, (d) ceterique rei priuatæ noſtræ, ad ſolutionem ſpecierum (e) ſolemnium, (f) debiti vigoris auctoritate (g) cogantur: ne Prouinciales rei priuatæ noſtræ fatiget immunitas. (h) Dat. VIII. Id. Mar. PP. Rom. Limenio & Catullino Coſs. [349.]

NOTÆ.

NOTAE.

(a) *Lex* 4. *Cod. Iuſt. eod. tit.* Et iungenda huic eſt *lex* 1. *ſup. de Iuriſdict.* GOTHOFR.

(b) Adſcribendi ſunt *Conſtantius & Conſtans*, quod teſtantur. Coſſ. ſubſcripti. Vid. *Chronolog.* & *d. leg.* 1. ibique Noſtrum. *RITTER.*

(c) Quæ continentur *d. l.* 1. *GOTHOFR.*

(d) Ita quoque *d. l.* 1. *Actores cæteroſque rei priuatæ noſtræ. ID.*

(e) *Specierum ſolemnium*, id eſt annonarum & tributorum. *ID.*

(f) *Solemnes* ſpecies, vt ſolitæ ſpecies, ſolemnis penſitatio, ſolemnis expenſio, ſolemnis ratio, ſolemnis titulus v. *Parat. de annona & trib. ID.*

(g) Ita quoque *d. l.* 1. *vim debitæ auctoritatis. ID.*

(h) *Immanitas* in *C. Iuſt.* immani errore, quanquam & Accurſius ipſe notauit, alias legi *immunitas. ID.*

COMMENTARIVS.

P. 72. ACTORES, quorum multa mentio *hoc Codice*, vt *hac l.* ita & *d. l.* 1. & 11. *ſup. de Iuriſd.* toto *tit. de actorib. procurator.* &c. quique cum rationalibus perperam miſcentur, *cæteroſque rei priuatæ* (retinenda enim hæc lectio, vt pariter oſtendit *lex* 1. *ſup. de iuriſdict.* quæ *huic* iungenda eſt,) id eſt, Procuratores, Conductores, Colonos &c. rem priuatam Principis exercentes, eadem vigoris auctoritate qua priuatos exigi iubet *hac l.* Conſtans Imp. pariter vt criminum reos eadem auctoritate a Iudicibus coërceri iubet *d. l.* 1. *ſup. de Iuriſdict.* quæ huic coniungenda eſt ceu vnius & eiuſdem conſtitutionis pars. Denique integra conſtitutione ſua Conſtans rei priuatæ ſuæ Actores cæteroſque cohercere in animum induxit, qui cæteroquin Principalis nominis obtentu, priuati iuris frenos ferme excutiebant, atque ad Prouincialium & priuatorum inſtar ſe redigi non patiebantur: Quo pertinent extrema illa *huius l. Ne prouinciales rei priuatæ noſtræ fatiget immunitas:* Item illa *d. legis* 1. *Eo enim modo licentia inueterata deſperationis inhibetur, ſi intelligant vno ſibi ac pari ſtudio viuendum eſſe cum ceteris:* De quo etiam aliquid dixi ad *l.* 16. *ſup. de bonis proſcript.* Adeo etiam, vt iam ipſi Iudices prouinciarum his contraire vererentur. Atque eo pertinent illa *huiuſce legis; debiti vigoris auctoritate cogantur:* Item illa *d. legis* 1. *Iudices prouinciarum volumus vim debitæ auctoritatis aſſumere.* Atque ita vtrumque hoc accipiendum eſt; neque aut ſollicitanda lectio, *auſteritatis* voce, loco *auctoritatis* vtrubique ſubiecta; neque ad manum militarem, quod Cuiacius fecit, iſtud referendum: Ita quoque Honorius *l.* 16. *inf. Iudicibus quoque eorumque officiis eatenus ſubuenimus, vt in contumaces debitores cuiuslibet dignitatis, auctoritatem ſuam exerant;* & Conſtantinus *l.* 1. *ſup. vnde vi: Iudices auctoritatis ſuæ formidabile miniſterium obiiciant.* Nempe Conſtantem Iudices offici ſui commonere, languentes eorum animos excitare, hac conſtitutione voluiſſe omnino apparet: Et quidem hac eius parte, ad exactionem ſpecierum fiſcalium ſeu annonarum & tributorum, aduerſus Actores rei priuatæ, qui hanc in partem contumaces ſeſe præbebant, quique pro ſui terrore perurgeri non poterant: pariter vt Potentum actores: Qua cauſa etiam vtrique Rectori prouinciæ per prouinciam diſcurrenti ſui copiam facere & exhibere præſentiam iuſſi, & tamdiu publicis inhærere conſpectibus, quamdiu in eodem oppido moraretur Rector. Maioriani *Nouella* 4. *cap. habenda.*

VII. (a) Impp. Conſtantius, & Conſtans AA. Bibulenio Reſtituto Præſidi Sardiniæ.

PROVINCIALES, pro debitis, (b) plumbi verbera, vel cuſtodiam carceris, minime ſuſtinere oportet: cum hos (c) cruciatus non inſontibus, ſed noxiis conſtitutos eſſe noſcatur: Satis (*) vero ſit, debitorem (d) ad ſoluendi neceſſitatem capione (e) pignorum conueniri. Dat. VIII. Idus Decemb. Theſſal. Conſtantio VI. (f) & Conſtante III. AA. Coss.

NOTAE.

(a) *Lex* 1. *C. Iuſt. de capiendis & diſtrahendis pignoribus tributorum cauſa*, hinc deſumpta eſt; reciſa priore eius ſententia, poſteriore tantum retenta. Concordat huic *lex* Conſtantini 3. *ſup. h. t. GOTHOFR.*

(b) *Debitis*, id eſt tributis & annonis: vt mox, *debitorem*, id eſt, *debitorem annonarum*, quod a Triboniano nominatim adiectum eſt *d. l.* 2. Vide *Gloſſarium. ID.*

(c) Ita quoque *d. l.* 3. *ſup. Carcer pœnalium, carcer hominum noxiorum eſt. ID.*

(*) Hinc iam deſumpta eſt *d. lex* 2. *ID.*

(d) *Debitorem annonarum*, ita *Cod. Iuſt.* de quo iam antea. *ID.*

(e) *Captione*, C. Iuſt. *ID.*

(f) Videtur hæc *lex* potius referenda ad Annum 346. *ID.*

COMMENTARIVS.

CARCERIS & TORMENTORVM iniuria & vexatione *prouinciales debitores* tributorum ſcil. ad eorum ſolutionem adigi a Conſtante Imp. hac conſtitutione vetantur, pariter vt a Conſtantino M. *l. 3. ſup.* eadem hic ratione propoſita, quod *hos cruciatus non inſontibus, ſed noxiis conſtitutos eſſe voſcatur.* Eodem etiam remedio propoſito: nempe quod pignorum capione Tributis conſuli poſſit. A Conſtante, inquam; nam hic omnino huius conſtitutionis Auctor videtur, cui in Imperii diuiſione, *Sardinia* & Macedonia, in qua *Theſſalonica*, ceſſerat; de quo vid. Victorem *cap. 41.* Zoſimum *lib. 2. cap. 39.* vid etiam Enapium *in vita Ædeſii, pag. 45. edit. Commelin.* Zonaram *in Annal. pag. 9. Tom. II. Opp. edit. Venet.* quæque notamus præterea *in Chronico.*

Nequa illud omittendum, mendum hærere videri in ſubſcriptis Conſulibus, atque adeo *huic* iungendam videri *legem 4. ſup. de annona & trib.* nam & ea pariter *Data eſt VIII. Id Decemb. Theſſal.* & in eodem rei tributariæ argumento verſatur: quin & de emphyteuticariis fundis *ea l.* agitur: cuiuſmodi ſane fundi in Sardinia memorantur, *l. vn. ſup. de communi diuidundo.*

Ex *hac* interim *leg.* & *d. l. 3. ſup.* colligimus in vſum ſæpe veniſſe & vſurpata hæc tormenta aduerſus tributorum inficiatores. Quæ & poſtea vſurpata. Teſtis Amm. Marcellious ſub Valentiniano Iun. & Theodoſio M. ſcribens, *lib. 22. in f.* vbi de Ægyptiis. *Erubeſcit apud eos, ſi quis non inficiando tributa plurimas in corpore vibices oſtendat.* Et quæ ſequuntur de Ægyptiorum duritie *aduerſus Tormentorum vim.*

P. 73.

VIII. (a) Idem AA. (b) ad Taurum PF. P. (c)

EXACTIONES prouinciarum, (d) quas Rectores, aut Præfecti annonæ, (e) aut Rationales, (f) per Africam ſuſtinent, a Maioribus Iudicibus vſurpari non debent, ſed ab his ſolis impleri, quibus cura exactionis imminet. Dat. IV. Non. Septemb, Dinummæ: (g) Acc. Prid. Id. Nou. Karthag. Arbitione & Lolliano Coss. [355.]

NOTAE.

(a) Abeſt hæc *lex a Cod. Iuſt. GOTHOFR.*

(b) Solius CONSTANTII nomen inſcribendum: Vide *Conſularia Theod. ID.*

(c) *Taurus* PP. Italiæ ſub Conſtantio & quidem Italiæ ſcil. quod præter alia oſtendit & *Africæ* mentio in *ipſa lege*, & ſubſcriptio *Acc. Karthag.* vid. *Proſopogr. ID.*

(d) Vel prouincialium. *ID.*

(e) Id eſt, Præfecti annonæ Africæ, de quo in *Notitia dignitatum e Cod. Theod. ID.*

(f) De *Rationalibus* Africæ vide *Notitiam Imperii*, & *Theodoſianam noſtram. ID.*

(g) De ſubſcriptione hac, mox in *Comment. ID.*

COMMENTARIVS.

QVIBVSNAM IVDICIBVS exactionis cura, ac nominatiui per Africam, imminere debeat, definit hac conſtitutione Conſtantius. Res eo redit; *Minoribus* tantum Iudicibus exactionis curam imminere, non etiam Maioribus Iudicibus: Minoribus, id eſt, tribus his qui memorantur, Rectoribus prouinciarum, Præfectis annonæ, & Rationalibus. & ſic clariſſimis & Perfectiſſimis: Maiores Iudices *hac l.* non alii ſunt, quam Spectabiles, id eſt, Proconſules, & Vicarii. Maiores Iudices, vt alibi alio atque alio ſenſu dicuntur; de quo dixi pleniſſime *in Apolytico:* ita hoc Codice Maiores Iudices ſunt omnino Spectabiles, qui alioquin & mediæ ætatis Iudices dicuntur *l. omnis. 5. ſup. de iis qua adminiſtr.* de quo omni plenius in *Notitia dignitatum Theodoſ.* Et tamen etſi ipſa exactionis cura Maioribus Iudicibus non imminuerit: attamen totius collationis & tranſmiſſionis cura eos conſtringebat; eoque fine ipſi Iudicibus imminebant, quod de Vicariis prolixe oſtenſum eſt *l. vn. ſup. de offic. Vicarii.* De Proconſule fidem faciunt tot leges, hiſce de re tributaria titulis, Proconſulibus inſcriptæ. Quare ipſa exactio a collationis & tranſmiſſionis cura diſtinguenda eſt. Obſeruanda interim tria Iudicum genera, quibus per Africam exactionis cura imminebat. Nempe *Rectores* canonem tributarium exigebant: *Præfecti annonæ Africæ* exigebant annonam Vrbicam; de quo Præfecto annonæ Africæ vide *l. 13. ſup. de annona. l. 4. inf. de appellat. l. 2. 3. 12. 36. 38. inf de naviculariis. l. 2. inf. de naufragiis.* Deniqua Rationales, Titulos Largitionales & rei priuatæ exigi curabant; de quibus Africæ Rationalibus vide *legem 33. & vlt. inf. de appellat. l. 2. ſup. de alimentis qua inopes parent. l. 2. ſup. de iure fiſci. l. 1. ſup. de metallis.* denique & Notitiam Imperii.

In Subſcriptione, notanda *Dinumma*, vbi hæc *lex* data dicitur. *Dinummæ* hujus nulla alibi mentio occurrit; Sed neceſſe eſt eam fuiſſe in Lepontiis, vel in Rhætia, campiſue Caninis, qui Liguriæ proximi: Auctor enim eſt Ammianus Marcellinus *lib. 15. cap. 4.* Conſtantium hoc tempore Mediolano egreſſum in Rhætias Campoſque Caninos ad procinctum contra Alemannos Lentienſes, vnde militem ad Brigantium lacum miſit. In iiſdem ſane campis Caninis Gregorius Turonenſis *lib. 10. cap. 3.* Bilitionem caſtrum collocat. In iiſdem & Meſſacenſes, vbi ante bimeſtre ferme data ab eodem Conſtantio *lex 25. inf. de appellat.* vbi

vbi dicam pleoius. Quare neceſſe eſt *Dinummam* hic eſſe vel *Dane*, vel *Dumils*, quæ recto itinere a Bilitione & Meſſacenſibus ad Brigantium lacum pergentibus interiacent, forte etiam *Damintz*.

IX. (a) Impp. VALENTINIANVS, & Valens AA. ad Dracontium (b) Vic. Afric.

DVCENARIOS (c) ab exactione Prouincialium, ſecundum Conſtitutionem (†) ſacræ memoriæ Conſtantii, probabilis Sinceritas Tua iubebit arceri. Dat. III. (d) Id. Mai, Hadrianop. Acc. VIII. Kalend. Octob. Karth. diuo Iouiano & Varroniano Coſs. [364.]

NOTAE.

(a) Abeſt & hæc *lex* a *Cod. Iuſt. GOTHOFR.*

(b) *Dracontius* Vicarius Africæ ſub Valentiniano Sen. Eidem inſcribuntur & aliæ complures *leges*, quas ex Indice Perſonarum collige: Imo iam fuit *lex* 10. 11. 13. 16. *ſup. de annona & trib. ID.*

(c) De *Ducenariis* dictum *l.* 1. *ſup. ID.*

(†) Hæc Conſtantii Conſtitutio non extat. *ID.*

(d) Eodem die, ſed ad diuerſos data *lex* 8. *ſup. de cohortal. lex* 18. *ſup. de curſu publ. lex* 58. *inf. de decurion.* & *lex* 10. *inf. de nauicul.* quæ ipſa ad Africam pertinet. *ID.*

P. 74.

COMMENTARIVS.

DVCENARII, de quibus ad *l.* 1. *ſup. h. t.* ab exactione prouincialium iam antea Conſtantii conſtitutione (quam alibi non reperio) ſubmoti, hac rurſum Valentiniani conſtitutione ſubmouentur; & quidem per diœceſim Africæ: & ſic Ducenarii omnium Rectorum per Africam, Byzacenæ, Numidiæ, Tripolitanæ, vtriuſque Mauritaniæ: nam hæ prouinciæ diœceſin Africæ & ſic Vicarium Africæ conſtituebant.

Submotorum autem ab exactione Ducenariorum hanc *rationem* puto, quod hi prouincialibus nimio plus metuendi erant, vtpote de Schola Agentium in rebus præcipui, & in officio Rectorum prouinciarum Principes; Vide quæ de his dixi, ad *leg.* 1. *ſup. h. t.* & *Notitiam Imperii.* Hæc vero *lex*, inter alios plures comprobat Amm. Marcellini *lib.* 30. *cap.* 9. teſtimonium, qui Valentinianum ait, *in prouinciales admodum parcum fuiſſe, & Tributorum vbique molliuiſſe ſarcinas.*

X. (a) Idem AA. ad Florianum Conſ. (b) Venetiæ.

DIE Solis, qui dudum (c) fauſtus (d) habetur, neminem Chriſtianum ab Exactoribus volumus conueniri: contra eos, qui id facere auſi ſunt, (e) hoc noſtri ſtatuti (f) periculum ſancientes. Dat. XI. Kal. Mai. Treu. Valentiniano & Valente AA. (g) Coſs.

NOTAE.

(a) Abeſt hæc *lex* a *C. Iuſt.* & extat altera *lex* in eandem ſententiam, puta *lex* 13. *inf.* Repetitur autem hæc *lex* totidem verbis *l.* 1. *ſup. de exſecutorib.* Meminit eius Baronius, *A.* 365. *n.* 44. *GOTHOFR.*

(b) Forte, *Comitem rei priuatæ* dixi ad *d. l.* 1. *ID.*

(c) Iam inde a Conſtantino M. vide *legem* 1. *ſup de feriis. ID.*

(d) *Feſtus. ID.*

(e) Sint, *d. l.* 1. & hoc ipſum pro, *fuerint. ID.*

(f) Hoc noſtri ſtatuti interdicto periculum ſancientes, ita *d. l.* 1. *ID.*

(g) *II.* Scil. id eſt *A. D.* 368. vt oſtendi ad *d. l.* 1. *ID.*

COMMENTARIVS.

DE DIE SOLIS immuni ab omnibus executionibus, eſt hæc Valentiniani Sen. conſtitutio ad Conſularem Venetiæ emiſſa: quæ iam *ſupra* habetur, *l.* 1. *ſup. de exſecutoribus:* vnde Interpretatio huc arceſſi poteſt: pariter vt Valentiniani Iun. *lex* 13. *inf. hoc tit.* quæ & ipſa eſt *lex* 3. *dict. tit. de executoribus.*

XI. (a) Idem AA. ad Florianum (b) Com. R. P.

OMNES prouinciis Præſidentes iuſſimus conueniri, vt a Rei Noſtræ conuentione (c) ceſſarent, ne Principales neceſſitates (d) in publicum proferentes, eadem, qua hactenus, in colonos iniquitate ſæuirent. Illud (e) etiam moderationi adiecimus, vt

triper-

tripertita eſſet inlatio fiſcalium penſionum. Sinceritas (f) Tua Rationales, Procuratoreſque commoneat, vt quidquid pro iugatione (g) vel capitatione (h) depoſcitur, certantibus ſtudiis deuotionis exſoluant. (i) Dat. VIII. Kal. Iun. Med. Valentiniano & Valente AA. Coss. [365.]

NOTAE.

(a) Abeſt hæc *lex* a *Cod. Iuſt. GOTHOFR.*

(b) *Florianus* Comes R. P. ſub Valentiniano. Eidem inſcribitur Anno ſuperiore *lex* 20. *ſup. de curſu publico*: & A. 367. *lex* 2. *Cod. Iuſt. de bonis libert.* v. *Proſopogr. ID.*

(c) Id eſt, exactione. *ID.*

(d) Ita publicæ neceſſitates, quæ rei priuatæ opponuntur, *l.* 5. *ſup. de exſecut ID.*

(e) Sequentes duæ ſententiæ ab hoc *Titulo* ſunt fugitiuæ. *ID.*

(f) *Sinceritatis* titulus tributus Comiti R. P. *ID.*

(g) De hac *Iugationis* voce dixi plene *ad l. vn. ſup. ne conlatio per Logograf. ID.*

(h) De hac *Capitationis* voce dixi ad *l.* 15. *ſup. de annona & trib. ID.*

(i) *Exſculpant*, vel exigant. *ID.*

COMMENTARIVS.

REI PRIVATÆ, id eſt tributorum ad rem priuatam Principis pertinentium, a Colonis rei priuatæ exactio, quorum cura & ſolicitudine fieri debeat, hac conſtitutione definit Valentinianus Sen. Nempe hanc Rectoribus prouinciarum adimit; hac ratione addita; *Ne Principales neceſſitates in publicum proferentes, eadem, qua hactenus in colonos iniquitate ſæuirent.* Cuius hæc ſententia eſt, Rectores prouinciarum obtentu tri-
P. 75. butariæ collationis ad Principem eiuſque neceſſitates ſpectantis in Colonos rei priuatæ ſumma iniquitate ſæuiſſe. Quare reponendum hic omnino videatur, *ne Principales neceſſitates in publicum præferentes* &c. quanquam & vox *proferentes* mihi iam magis arrideat: Igitur Rectoribus prouinciarum huius exactionis cura adimitur: proculdubio ad Colonorum rei priuatæ querelas, qui de iniquitate & ſæuitia eorum apud Valentinianum Sen. conqueſti fuerant. Cum viceuerſa ſub Conſtantio Colonis rei priuatæ, Principales nominis obtentu frœnos legum excutientibus, & tributa non ſoluentibus Iudices, id eſt Rectores Prouinciarum eos debiti vigoris auctoritate cogere, ſeu exigere iuſſi fuiſſent *l. 6. ſup. h. t.* Nempe prout horum aut illorum culpa eſſet, imo prout his vel illis Principes fauerent, ita varie hanc in partem conſtitutum.

Quid igitur? Rationalibus & Procuratoribus rei priuatæ hæc cura *h. l.* imponitur: qui ſcil. ſub diſpoſitione Comitis R. P. fuere, quiſque adeo Comes R. P. commonere *h. l.* iubetur. (De quibus Rationalibus & Procuratoribus rei priuatæ per Occidentem, nam eo pertinet *hæc lex*, vid. *Notitiam* Imperii.) *Commonere*, inquam, *vt tributa certantibus ſtudiis deuotionis exſoluant*, vbi malim reponere *exſculpant*, vel *exigant*: Senſus enim eſt, monendos Procuratores & Rationales a Comite R. P. vt tributa a Colonis priuatæ rei omni ſtudio exigant: *Exſculpendi* vox exactionibus propria: vt docet *lex 9. ſup. de cohort. l. 44. 65. inf. de appellationib.* ac nominatim exactionibus tributorum, *l. 3. ſup. de annona & tributis.* Interim hinc colligere mihi videor, cur huius exactionis ſollicitudo ad Rectores prouinciarum antea commeauerit: nempe, quod procuratores & Rationales remiſſi & indulgentes ferme forent in exigendis colonis rei priuatæ: Qua ra reddita nunc eis ea exactione commoneri ſaltem iubentur, vt certantibus ſtudiis deuotionis capitationem exſculpant. Verum poſtea Honorii conſtitutione, puta *l. 5. & 6. ſup. de exſecutor. & exaction.* remota exigentium permixtione, vt loquitur, Rectoribus prouinciarum & eorum officiis omnis exactio impoſita. Et hæc de primo *huius l.* capite.

Alterum quod ab hoc *titulo fugitiuum* eſt, & tamen in eorundem colonorum rei priuatæ gratiam a ſe Valentinianus Sen. ſtatui indicat his verbis, *Illud etiam moderationi adiecimus*, eſt de TEMPORE ſoluendarum fiſcalium penſionum: nempe vt ex tripertita inlatione per quaternos ſcilicet menſes inferantur; qua de re ſunt tres præterea eiuſdem Valentiniani Sen. conſtitutiones: puta *lex 3. inf. de conlat. fundor. patrim. l. 15. ſup. de annona & trib. l. 15. inf. de Suſceptoribus*, & Valentis *lex 16. d. t. de annona & tribut.* de quo dixi plene ad *d. l 15. ſup. de annona.* Stetitque id ſub Theodoſio M. vt oſtendit *lex* eius *vn. inf. de quadrimenſtruis breuib.* & Libanii locus *Orat. ad Theodoſium Imp. in Tiſamenum pag. 448. edit. Morell.* ſub Arcadio & Honorio *l. 17. inf. de decur. l. 27. inf. de Suſceptorib.* De Valentinianeis, quibus ſane id primo introductum, illud obſeruandum; omnium tempore primam, puta *legem 3. inf. de conlat. fundor. patrimon.* eſſe de emphyteuticariis poſſeſſoribus: *hanc*, de Colonis rei priuatæ: *legem 15. & 16. ſup. de annona. & l. 15. inf. de ſuſceptorib.* omnium poſtremas, de prouincialibus: vt forte non ſimul & ſemel id conſtitutum videri poſſit, ſed per eos gradus tantum. Verum in fundis priuatis & emphyteuticariis poſtea aliter conſtitutum, *l. 19. inf. h. tit.*

XII.

XII. (a) Imppp. Gratianus, Valentinianus & THEOD. AAA. Conſtantiano (b) Vic. Ponticæ. (c)

POTENTIORVM (d) poſſeſſorum domus, Officium prouinciæ Rectoris exigere debet: Decurio vero, perſonas Curialium conuenire: Minores autem poſſeſſores Defenſor ciuitatis ad ſolutionem fiſcalium penſitationum ſpectata (e) fidelitate compellere. Dat. v. Non. Mal. Merob. II. & Saturnino Coss. [383.]

NOTAE.

(a) Abeſt hæc *lex* a *Cod. Iuſt. GOTHOFR.*

(b) *Conſtantianus* Vicarius Ponticæ ſub Theodoſio M. Eidem inſcribitur hoc ipſo Anno, *lex* 94. *inf. de decurion. lex* 10. *inf. de hæret. lex* 7. *ſup. de deſertorib.* vid. *Proſopogr. ID.*

(c) *De Vicario Ponticæ*, vide *Notitiam Imperii.* Ponticæ autem prouinciæ ſunt hæ: *Bithynia, Galatia, Paphlagonia, Honorias, Galatia ſalutaris, Cappadocia prima & ſecunda, Hellenopontus, Pontus Polemoniacus, Armenia prima & ſecunda. ID.*

(d) Vide *Gloſſarium. ID.*

(e) *Spectata* fidelitas, eſt comperta, ſingularis: quæ vox *ſpectati* hoc paſſim ſenſu, apud Symmachum, v. *Gloſſ. ID.*

COMMENTARIVS.

VARIT pro varietate ſeu diuerſitate & conditione poſſeſſorum exactores hac Theodoſii M. conſtitutione præponuntur: idque nominatim per Ponticam diœceſin, æquiſſima & humaniſſima diſtinctione, in tria vt poſſeſſorum, ita & exactorum genera. Nempe, Potentiores poſſeſſores, ab Officialibus prouinciæ Rectoris exigi iubet; *Decuriones*, a decurionibus, *minores* tandem poſſeſſores, a Deſenſoribus ciuitatum. Vbi *minores*, non ſunt minores 25. annis, verum *tenuiores* oppoſite ad potentiores. Scilicet priores ideo ab Officialibus Rectoris prouinciæ, exigi iubentur, quod ſolita eorum contumacia maiore quoque auctoritate munitos Exactores deſideraret: Poſteriores duo ideo, vt ab Officialium rapinis & ſæuitia Decuriones & tenuiores illæſi ſeruarentur: Sane *Defenſorum* hæc propria fuit cura, vt plebem & tenuiores potiſſimum defenderent & tuerentur; de quo vide pleniſſimum *Paratitlon tituli, de Defenſoribus ciuitatum.* Quorum vt cœteroquin alii Principes officium ſubinde excitarunt, auxeruntque: ita & Theodoſius M. excitauit, P. 76. auxitque, variaque bis ſubinde impoſuit: *hac leg.* & *leg. vn. ſi quacunque præditus poteſtate: leg. 19. ſup. de annona & tributis: l. 23. inf. de Suſceptoribus: l. 12. ſup. de re militari: leg. vltim. ſup. de defenſoribus ciuitatum.* De Curialium alioquin exactione agitur & *l. 16. inf.* vbi adhuc aliquid dicetur.

XIII. (a) Idem (b) AAA. ad Principium PF. P. (c)

SOLIS die, quem *Dominicum* (d) rite dixere maiores, omnium omnino litium & negotiorum quieſcat intentio: Debitum publicum priuatumque nullus efflagitet: Ne apur ipſos quidem Arbitros, vel (e) e iudiciis flagitatos, vel ſponte delectos, vlla ſit agnitio iurgiorum: Et non modo notabilis, verum etiam ſacrilegus iudicetur, qui a ſanctæ religionis inſtinctu (f) rituue deflexerit. PP. (g) III. Non. Nou. Aquil. Honorio NB. P. & Euodio Coss. [386.]

NOTAE.

(a) Abeſt hæc *lex* a *Cod. Iuſt.* Et totidem verbis repetita extat *l.* 3. *ſup. de exſecutoribus.* Eamque Baronius in Annum ſuum non retulit. Concordat huic *lex* 10. *ſup. GOTHOFR.*

(b) Ita quoque *d. l.* 3. Atenim reſcribendi hi Imppp. VALENTINIANVS *Theodoſius & Arcadius. ID.*

(c) Italiæ ſcil. *ID.*

(d) Hanc ſententiam inſeruit Tribonianus *legi* 7. *C. Iuſt. de feriis. ID.*

(e) *Arbitrorum* duo genera: vel e Iudiciis, id eſt a Magiſtratibus flagitati, vel ſponte delecti, id eſt, Compromiſſarii. *ID.*

(f) *Inſtituto*, ita *d. l.* 3. *ſup. de exſecut. ID.*

(g) Pro, *Data.* Et ex *d. l.* 3. ſequentia ſupplenda ſunt. *Acc. VIII. Kal. Decemb. Rom. ID.*

COMMENTARIVS.

DE DIE SOLIS ab omnibus exactionibus, litibus, cognitionibus immuni, eſt hæc Valentiniani Iun. conſtitutio, quæ & ipſa, pariter vt *lex* 10. *ſup.* repetita extat *tit. ſup. de executerib.* vbi hæc ibi tertio loco poſita eſt. Vnde interpretatio hinc arceſſi poteſt.

XIV. (a) Imppp. THEOD. Arcad. & Honor. AAA. Ruſino PF. P. (b)

APPARITORES, quicumque in conlatione (c) Auri præcepti fuerint Officii ſui adhibere ſeruitium, titulorum debita, & conlationum ſummas, relationis ſuæ fide & adnotatione præſcribant (d) ſitque ex Officialis inſtructione Officium. conſcium, quid exactum, quidve perlatum (e) eſſe videatur: Ne (f) longinqui itineris diuerſitate Suſceptor abductus, & Curiæ ſuæ deſit, & rei familiaris detrimenta ſuſtineat. Dat. Pridie Idus April. Conſtantinopoli, Theod. A. III. & Abundantio Coss. [393.]

NOTAE.

(a) *Lex* 5. *Cod. Iuſt. eod. tit.* Iungenda ei *lex* 134. *inf. de Decurionibus. GOTHOFR.*

(b) *Rufinus* PP. Orientis ſub Theodoſio M. vid. *Proſopogr. ID.*

(c) Non mutanda hæc vox in *conlectione. ID.*

(d) Ferri poteſt hæc vox, etſi *Codex Iuſt.* habeat, *perſcribant*, pariter vt *l.* 23. *inf. de ſuſceptoribus. ID.*

(e) Cuiacius reſtituit *prolatum*; de quo mox. *ID.*

(f) *Nec. ID.*

COMMENTARIVS.

AVRI exactio quomodo ab Apparitoribus præceptu Præfecti PPo miſſis fieri debeat, ne alioquin Suſceptores a Curiis ſuis abducantur, definit *hac conſtitutione* Theodoſius M. quæ prulixioris conſtitutionis Theodoſianæ pars eſt, vt docet *lex 134. inf. de decurion.* (quæ *huic* iungenda eſt) qua in vniuerſum Curiis ciuitatum deſtitutis conſultum voluit, neque vna ratione: e quibus hæc inter cæteras eſt, quæ *hac l.* continetur, cuius utique cauſam aperte *fine legis* exprimit: *Ne longinqui itineris diuerſitate Suſceptor abductus, & curiæ ſuæ deſit, & rei familiaris detrimenta ſuſtineat.* Scilicet cum aurum per longinqui itineris diuerſitatem exigendum eſſet, noluit Theodoſius Suſceptores, qui Curiales erant (quod oſtendet plenius *titulus inf. de Suſceptor.*) a Curiis ſuis abduci, trahique ab Apparitoribus, & ſecum adſciri: auro ſuſcipiendo vel rationibus conficiendis. Quid igitur? Hanc operam omnem nauare iubet Apparitores illos, ſeu Officiales ſolos. Itaque iis id iniungit, vt exacti & perlati rationes conficiant: Exacti, inquam, & perlati, id eſt eius quod exactum & in ſacras largitiones vel ad Rem priuatam perlatum fuit. Neque enim probo, quod ex Græcis hic Cuiacius reſtituit *prolatum*, id eſt dilatum, quodque in reliquis hærens, Græcorum authoritate, qui ita reddunt τὰ μὲν ἀπῄτησα, τὰ δὲ ἔτι λοιπάζεται. Neque enim pruferendi debiti Apparituribus poteſtas fuit; etſi verum illud ſit quamcunque tandem efficaciam ſeu inſtantiam in exigendo adhibeant, in debitis vel reliquis aliquid P. 77. ſemper reſidere, quo pertinet omninu *lex 9. ſupr. de exſecutoribus.* Quud tamen *prolati* aut *proferendi* voce non recte deſignaretur.

Ratiunes itaque exacti, & perlati, Officiales conficere iubentur, vt ex eorum inſtructione totum officium conſcium ſit, id eſt, vt rationes ab his cunfectæ in Scrinia Officii Præfecti Prætorio referantur: nam & hic alius eſt Cuiacii lapſus, cum putauit, ad ſuſceptorem has ſiue rationes ſiue relationes perferendas: Aperta enim ſunt hæc verba; *ſitque ex Officialis inſtructione Officium conſcium.* Verum de hoc exactionis genere Præfectianis ſeu apparitoribus P.P. committi ſulito, plenius ad *l. 5. 6. 7. 9. ſupr. de exſecutorib.* & *tit. infr. Ne Præfectianus exactoris fung. off.* De exactione multæ a Præfecto Prætorio, & quidem ab eodem Rufinu PP. (cui hæc *lex* inſcribitur) impoſitæ per Præfectianos, eſt Syneſii locus, *ep. 127.*

XV. (a) Impp. Arcad. & HONOR. AA. Meſſalæ PF. P. (b) Poſt alia.

QVONIAM plerique callidis (c) precibus Reſcribta impetraſſe dicuntur, ne a ſolitis Conpulſoribus (d) exigantur, præſenti iuſſione monemus, ne, prætento (e) velut quodam beneficio Clementiæ noſtræ, quidquam in Exactione celebranda vetuſtati (f) & conſuetudini derogetur. Dat. IV. Kalend. Octobr. Altino, Theodoro v. c. CONS. [399.]

NOTAE.

(a) Abeſt hæc *lex* a *Cod. Iuſt.* Iungenda autem illi *lex vlt. infr. de canone frumentario Vrbis Romæ GOTHOFR.*

(b) *Meſſala* PP. Italiæ ſub Honorio Imp. v. *Proſopogr. ID.*

(c) Cur callidæ? dicam ad *l. 4. infr. ne conlat. translat. ID.*

(d) De his dixi plene ad *l. 34. ſupr. de annona & trib. ID.*

(e) Dicam ad *d. l. 4. ID.*

(f) *Vetuſtas & Conſuetudo* in tributis nominatim ſpectantur; v. *leg. 23. ſupr. de annona & trib.* & *l. 131. infr. de Decurion. l. 13. in fin. D. de pollicitat. l. 4. §. 2. leg. 9. §. 6. D. de publicanis.* v. quæ noto ad *l. vn. ſupr. de longa conſuetud. ID.*

COM-

COMMENTARIVS.

AVTOPRAGIAS ſeu Autopractorum beneficium ſeu Reſcriptum, id eſt, vt quis non a ſolitis Exactionibus & Compulſoribus (de quibus pleniſſime dixi ad *l. 34. ſupr. de annona*, & *ad l. 4. infr. ne conlationis transl. poſt.*) exigatur; verum vt ſpontanea tantum deuotione tributa inferat, *hac* Honorii *conſtitutione* infirmatur: pariter vt a Theodoſio Iun. *d. l. 4. infr. ne conlationis translat. poſtul.* vbi de hoc *Autopractorum* beneficio plenius.

Cæterum ex coniunctione *legis vlt. infr. de canone frument. V. R.* colligere licet Honorium Imper. *hac leg.* Canoni vrbicario, ſeu vrbis Romæ nominatim, ſublato Autopractorum beneficio, conſultum iuiſſe.

XVI. (a) Idem AA. Hadriano PF. P. (b)

MISSI Opinatores (c) cum delegatoriis, (d) Iudicibus eorumque Officiis inſiſtant, vt intra anni metas id quod debetur accipiant: Nihil his ſit cum poſſeſſore commune, cui non Militem, (e) ſed Exactorem, ſi ſit obnoxius, conuenit imminere. Iudices itaque, qui Prouinciales paſſi fuerint Opinatoribus delegari, (f) eiuſdem quantitatis duplex pœna retinebit: & Apparitores ex quolibet Officio ſententiam deportationis excipient, ſi, per ſemet exigendos, voluerint delegare Militibus: & Curiales temporale manebit exilium, ſi eos, quos ſollemniter exigere conſuerunt, Opinatoribus putauerint eſſe tradendos: cum Iudicem oportet (g) inquirere debitores Tabularios, fideliter prodere (h) nomina dominorum: (i) Apparitores ſiue Curiales, conſuetudine ſeruata regionum, conuictis debitoribus imminere: Vt perceptis congruis emolumentis, (k) Opinatores impleto anno ad proprios Numeros valeant remeare. Qui ſi vltra annum protracti Iudices fuerint, (l) & Officia, abſque vlla mora, de proprio cogentur (m) exſoluere militibus quod debetur, ipſis aduerſus obnoxios (n) repetitione ſeruata. Quod ſi ad nos aliqua de retentis Opinatoribus (o) querela peruenerit, in duplum ab his protinus exigetur, vt partem debitam miles, reliquum (p) fiſcus accipiat. Iudicibus quoque, eorumque Officiis, eatenus ſubuenimus, vt in contumaces debitores, cuiuslibet dignitatis, auctoritatem (q) ſuam exerant: ac ſi inpudenter ſolutio differatur, Actores, Procuratores, eorumque prædia perſequantur; de eorum quoque nominibus ad Noſtram Scientiam relaturi. Dat. III. Id Iul. Med. Vincentio & Frauitta Coss. [401.]

NOTAE.

P. 78. (a) *L. 7. Cod. Iuſt. eod. tit.* Videatur *huic l.* iungenda *lex vlt. C. eod. de Lucris aduocat. & concuſſionibus Officiorum ſeu apparitorum. GOTHOFR.*

(b) *Hadrianus* PP. Italiæ ſub Honorio. v. *Proſopogr. ID.*

(c) De *Opinatoribus* his dixi ad *l. 34. ſupr. de annona & trib.* & ad *l. 16. ſupr. de erogat. milit. annonæ. ID.* In C. Iuſt. additum, *Opinatores, id eſt exactores militaris annonæ. RITTER.*

(d) De his *delegatoriis* vide *Paratitlon tituli, de annona & tributis*, pariter *l. 1. ſupr. de excoct. annon. Opinatores, quibus ſpecies in diuerſis prouinciis delegantur:* & mox: *cum Opinatores prouinciis delegantur. GOTHOFR.*

(e) Ita quoque *d. l. 34. ſupr. de annona & trib.* ita & mox *infr. ſi voluerint delegare militibus:* & mox *Opinatores ad proprios numeros valeant remeare. ID.*

(f) Id eſt, *paſſi fuerint, prouinciales ab Opinatoribus exigi. ID.*

(g) *Oporteat*, C. Iuſt. *ID.*

(h) *Prouidere*, C. Iuſt. male. *ID.*

(i) *Debitorum*. C. Iuſt. *ID.*

(k) *Emolumenta congrua* vocat debitas præſtationes & annonas: ita rei annonariæ emolumenta, *l. 1. ſupr. ſine cenſu:* item præcipua emolumenta. *l. 1. ſupr. de annona & trib* fiſcalia emolumenta, *l. 13. infra de Suſceptor.* Ac nominatim de annona militari, vt *hac l.* ita *l. 28. infr. de ſuſceptoribus.* In vniuerſum *emolumentum* quicquid debetur, vt mox infr. militibus quod debetur. In *Gloſſis* Philoxeni & Cyrilli emolumentum *ὠφέλεια, χρηματισμός. ID.*

(l) Manifeſta hic tranſpoſitio eſt, quod etiam oſtendit *Cod. Iuſtin.* Quare legendum, *qui ſi vltra annum protracti fuerint, Iudices & Officia.* &c. *ID.*

(m) *Cogantur*, Cod. Iuſt. *RITTER.*

(n) *Obnoxii* ſunt debitores tributorum. *GOTHOFR.*

(o) *Ab Opinatoribus* in *C. Iuſt. ID.*

(p) *Reliquum*, Cod. Iuſt. *RITTER.*

(q) Ita quoque *l. 6. ſupr. hoc tit.* ſiu. *l. 4. C. I. eod. tit. l. 1. ſupr. de iuriſdictione:* quibus locis dixi. *GOTHOFR.*

COMMENTARIVS.

DE MILITARIS annonæ exactione eſt hæc Honorii conſtitutio: ad duplicem finem comparata partim ad ipſorum prouincialium illæſionem, id eſt, ne eius exactionis obtentu prouinciales indebite vexentur: tum etiam, vt militaris annona debita celeritate exigatur: quæ duo diuellenda non ſunt: Hactenus enim militari annonæ conſultum oportet, vt ne ideo prouinciales vexentur: viceuerſa prouincialibus hactenus conſulendum, ne militari annonæ, quam non patitur, mora fiat. Eo itaque ſpectant ſequentes ſententiæ.

Prima, *Opinatores*, id eſt, militaris annonæ Compulſores, (de quibus pleniſſime dixi ad *l. 34. ſupr. de annon. & trib.* & *ad l. 26. ſupr. de erogat. milit. annona:*) non poſſeſſores ſeu tributarios prouinciales exigere debere, hiſque imminere: verum iudicibus & eorum Officiis imminere debere, vt illi videlicet exactionem maturent. Nempe Opinatores, quia milites erant & ex numeris militaribus mittebantur, (quod non vno loco *huius l.* indicatur, & *d. l. 34. ſupr. de annona & trib.*) prouincialibus graues terrorique maxime erant atque his metuendi, prædaſque ab his agebant: vt ceteroquin *difficile his eſt morum cuſtodire menſuram:* vt eleganter Caſſiodorus, *lib. I. Var. 11.* Quare eos exigere ſubinde vetiti vt *hac l.* ita *l. 26. ſupr. de erogat. milit. annonæ:* etſi alioquin hac parte variatum, de quo vide & *l. 34. ſupr. de erogat. milit. ann.* & *d. l. 34. ſup. de annona & trib. l. 186. infr. de decurion.* & *d. l. 1. ſup. de exactione.* Quare *miles* & *exactor hac leg.* opponuntur, cuius nomen non adeo metuendum vt militis: idque ipſum indicatur *d. l. 34. ſup. de annona*; ibi, *vltra id tempus ſi tarditas adferatur, tunc militi debiti poſtulati delegandam eſſe rationem:* Et pœna multiplex hic additur Iudici, Officialibus, Curialibus, qui paſſi fuerint aut voluerint prouinciales ab Opinatoribus exigi. Nam hos exactionis cura manebat diſtinctis muniis & perſonis, de quo inſignis eſt *hac l.* locus, *Iudicem*, inquit, *oportet inquirere debitores*, id eſt, Iudicem tributariorum nomina ſedulo inquirere acceptis Breuibus a Tabulariis, mox Apparitores & Curiales conuictis debitoribus imminere & exigere *pro conſuetudine regionum.* Scilicet alibi Curiales, alibi Apparitores Exactores erant, imo quandoque alii alios exigebant, puta Officiales Potentiores: Curiales ſui Ordinis viros, *l. 12. ſup. h. tit.* Pœnæ autem hæ ſunt: nempe Iudici *dupli* pœna imponitur: Apparitoribus pœna *deportationis*: Curialibus, *temporale exilium.* Et ſic grauiores multo quam in ſpecie *l. prox. infr.* vbi dicam.

Secunda ſententia ad celeritatem annonæ militaris exigendæ pertinet; ſcilicet intra anni metas eam præſtari iubet (vide & *l. 9. ſup. de exſecutorib.*) vt ita Apparitores anno completo ad proprios numeros remeare poſſint, pœna Iudicibus & Officialibus impoſita, puta de proprio annonas ſoluere eos iubet, ſalua eis aduerſus poſſeſſores tributarios actione, quo non præſtito in duplum multari iubet: Duplum inquam: non mere pœnale, ſed mixtum: id eſt, ſic vt partem debitam, & ſic annonam quæ inferri debuit, miles conſequatur, & militari annonæ proficiat, reliquum fiſco cedat.

Viceuerſa vt negligentibus Iudicibus Officiiſque eorum pœna iniungitur: ita contra his ſubuenitur *hac eadem lege*, auctoritaſque eorum animatur armaturque: Auctoritatem ſcil. ſuam exerere in contumaces debitores cuiuslibet dignitatis iubetur: quo ſpectabat pariter *lex 6. ſupr. hoc tit.* quæque ei in ſimili iungenda eſt *lex 1. ſup. de iuriſdict.* Quinimo & ad ſe referri iubet Honorius de his qui impudenter ſolutionem differunt, vt ita digno ſupplicio ſubiugentur.

---

t.79. XVII. (a) Impp. Honorius & THEODOSIVS AA. Anthemio PF.P. (b)

NEQVE (c) Agentes (d) in rebus, neque ſacrarum Priuatarum, (e) vel largitionum Palatina (f) officia, ex quacumque cauſa, ex quocumque titulo fiſcalis debiti, cum ad prouinciam mittuntur, poſſeſſores per ſe (g) audeant conuenire: ſiue id ex præterito reliquum (h) trahatur, ſeu præſentis temporis tributo (i) ſolui conueniat: ſed Rectores prouinciarum frequenter adeundo commoneant, eorumque Officiis incumbant. Quod ſi Rector prouinciæ imminentem ſibi memoratorum declinare moleſtiam quæret, (k) vel qualibet alia ratione hiſdem (l) propria auctoritate publicæ exactionis permiſerit curam, tam ipſe, quam Officium eius vicena auri pondo fiſco dependent. (m) Dat. VII. Id. Decembr. Conſtantinop. Baſſo & Philippo Coss. [408.]

NOTAE.

(a) *Lex 1. C. Iuſt. de canone largitionalium Titulorum*, ſub quo titulo eam Tribonianus collocauit, ſublata Agentium in rebus mentione. *GOTHOFR.*

(b) *Anthemius* PP. Orientis ſub Theodoſio Iun. de quo ad *l. 167. infr. de Decurion.* v. etiam *Proſopogr. ID.*

(c) *Neque Agentes in rebus*, hæc recidit Tribon. *ID.*

(d) De *Agentibus in rebus* fuit peculiaris *titulus ſupr. lib. 6. tit. 26. ID.*

(e) *Sacrarum vel priuatarum largitionum: ita Cod. Iuſt.* male, *ſacræ priuatæ* non minus dicuntur quam *ſacræ largitiones.* Ita officium ſacrarum priuatarum, *l. 18. de Palatinis S. L. & R.P. Priuatarum* abſolute pro *Rerum priuatarum*, de quo dixi ad *l. 5. ſupr. ID.*

(f) De his *Palatinis* fuit ſupr. *titulus* peculiaris *lib. 6. tit. 30. ID.*

(g) Id

(g) Id eſt, *ipſi*: *ID.*

(h) Reliquum *[illegible]*. *ID.*

(i) Ferri hoc poteſt: nempe reſpondent hæc duo ex præterito & præſentis temporis tributo: quanquam *C. Iuſt.* habet *tributa*; quod melius. *ID.*

(k) *Quærem*, Cod. Iuſt. edit. Cuiac. at hoc quoque legitimum eſt. *ID.*

(l) *Palatinis iiſdem*, ita *C. Iuſt.* propter ſublatam videlicet Agentium in rebus antea mentionem. *ID.*

(m) *Dependant*, Cod. Iuſt. *RITTER.*

COMMENTARIVS.

AD VRGENDAM tributorum illationem miſſi ex Palatio, exactionem ipſi facere vetantur a Theodoſio M. cuiuſmodi tres hic memorantur: AGENTES ſcil. IN REBVS, etſi ſubinde eis exactiones tributorum & Titulorum fiſcalium committerentur, aliæque executiones, quod docet *lex 4. 7. ſup. de exſecutorib.* de quo plene *Paratitlo de Agentibus in reb.* ſed & Ambroſius *lib. 2. c. 29. ſeu vlt. in fin.* Item PALATINI, id eſt, Officiales Comitis ſacrarum Largitionum, & Comitis Rerum priuatarum, de quibus plene *ſuo* quoque *tit.* etſi fiſcalium Titulorum eis ſolicitudo immineret; atque eo fine quem dixi, & Agentes in rebus & Palatini in prouincias ſubinde mitterentur: Attamen ipſi Exactoris publici munere fungi a Theodoſio Iun. *hac l.* vetantur, pariter vt a Valentiniano Iun. *leg. 10. ſup. de Palatinis S. L. & R. P.* & ab Honorio, *l. 5. 6. ſupr. de Executorib.* & a Valentiniano III. *leg. 32. inf. de ſuſcept.* & a Maioriano *Nouella 4. de indulgent. reliquor. c. ad illam quoque:* vbi rationem eius rei, pluribus & eleganter reddit. Quod & ipſum de Opinatoribus cautum, *l. 16. prox. ſup.* ſeu *l. 7. Cod. Iuſt. eod. tit.* Et in eo quoque ſimiliter, quod Iudicibus ſeu Rectoribus prouinciarum, eorumque officialibus multa imponitur ſi paſſi fuerint, vel nominatim iniunxerint eis publicam exactionem, ſiue dum a moleſtia horum ſeſe liberare ſtudent, vel vt hic dicitur, *imminentem ſibi memoratorum declinare moleſtiam* quærunt, *taſchent ſe rachepter de leur importunite*; vel qua alia ratione, in prædam ſcil. hos forte corrupti mittendo: nam ita id accipio. Et quidem multa iam *hac leg.* grauior, quam *d. l. 10. ſup. de Palatinis*: At mitior pœna quam ſi Opinatoribus exactionem iniunxiſſent, *d. l. 16. ſup.* Qui & ipſi alioquin, velut militaris annonæ compulſores mittebantur, non vt poſſeſſores exigerent, verum vt Iudicibus & eorum Officiis imminerent, quo illi exactionem maturarent. Quærunt vero Interpretes, cur hoc caſu noſtro mitior pœna imponatur: illo vero, multo ſeuerior, ſæuiorque, *d. l. prox ſupr.* cum tamen idem debitum verſetur? Admitto hanc rationem, quod milites opinatores, cingulo armatæ militiæ terribiles & metuendi magis ſint, quam Palatini: de quo ad *illam leg.* Tandem ſimiliter, quia id tantum muneris eorum eſſe dicitur, vt Rectoribus immineant & eorum Officialibus, commonendo, vrgendo ad exactionem. Verum reddita mox Palatinis Largitionalium Titulorum exactio Anno proximo, conſtitutione ad eundem Anthemium data, puta *l. 18. prox. infr.* qua proinde *hæc* hac parte abrogatur. Item reddita a Valentiniano Tertio, vt docet *lex 32. infr. de ſuſceptoribus.* Illud ex *d. l. 18.* diſcimus, hanc *legem* latam fuiſſe ad legationem prouinciæ Achaiæ, cui procul dubio grauis viſa Palatinorum exactio ob notiſſimam eorum auaritiam & frequentes concuſſiones; de quibus vide Valentiniani Tertii duas Conſtitutiones inter *Nouellas Theodoſianas, tit. 42. de Palatinis*, quæ perperam a nonnullis Theodoſio adſcribuntur.

P. 80.

XVIII. (a) Idem AA. Anthemio PF. P. (b)

LARGITIONALIVM titulorum exactionem, Palatinorum obſequiis, vetuſtatis more conſecratum, (c) iuxta priſcam conſuetudinem, celebrari cenſemus; recens conditæ legis (†) in hac parte auctoritate ſequeſtrata, (d) quæ ritu vetuſtatis neglecto, Palatinæ munera dignitatis intempeſtiua Legatorum Achiuorum (e) admonitione abſtulerat. Ideoque huius ſtatuti præceptionem, per quam Palatinos veteri exigendi functioni conſtrinximus, commoniti Rectores obſeruent. Dat. v. Kalend. Octobr. Conſtantinop. Honor. VIII. & Theod. III. AA. Coss. [409.]

NOTAE.

(a) Abeſt hæc *lex* a *Cod. Iuſt.* prælata ſuperiore *lege*, & quia hæc temporaria eſt. Iungenda autem illi *lex 169. infr. de decurionibus.* neque adeo improbabiliter *lex vn. ſupr. de Nili aggeribus non corrumpendis*: & *lex 2. ſupr. quis in gradu præferatur. GOTHOFR.*

(b) *Anthemius* PP. Orientis ſub Theodoſio Iun. v. *Proſopogr. ID.*

(c) *γρ. Conſecratam*, vt habet Edit. in 4. *ID.*

(†) Intelligit *legem 17. prox. ſupr. ID.*

(d) *Sequeſtrata*, id eſt, abrogata, antiquata. *ID.*

(e) De *Achiuis* vide & *l. 33. ſupr. de annona & tributis.* Hinc interim diſcimus Achaiam hoc tempore ſub PP. Orientis fuiſſe: Poſtea enim ſub PP. Illyrici fuit. v. *Notitiam Imperii. ID.*

COMMENTARIVS.

PALATINIS redditur *hac leg.* a Theodoſio Iun. exactio Titulorum ſeu tributorum Largitionalium: abrogata hac parte *leg. ſuperiore*, & ſic veteri iure priſcaque conſuetudine reducta: *hac* tantum *parte*, vt nominatim *hac ipſa l.* dicitur: Quare ſtare voluit, quod de Agentibus in rebus *eadem ſuperiore l.* conſtituerat, ne hi videlicet prouinciales exigerent. Illud ex *hac leg.* diſcimus, ſuperiorem *legem* latam fuiſſe ad Legatorum Achiuorum admonitionem ſeu petitionem: quam nunc Theodoſius Iun. *intempeſtiuam* vocat.

XIX. (a) Idem AA. Euchario (b) Proconſ. Afric.

TERTIAM partem canonis fundorum Priuatorum; vel ſextam, Emphyteuticorum, ex Kal. Mar. ſicut conſuetudo depoſcit, reliquam vero canonis ſummam, ex Kal. Iul. par erit poſtulari: ne præpoſtera exactione poſſeſſor ad redimendam conuentionis cogatur iniuriam; *& cetera.* Dat. Prid. Kal. Mar. Rau. Honor. IX. & Theod. V. AA. Coſs. [412.]

NOTAE.

(a) Abeſt hæc *lex* à *Cod. Iuſt.* Iungendæ autem *huic* ſunt *duæ leges prox.* puta *lex* 20. & 21. *ſeu vlt. infr.* Item *lex* 23. *ſupr. de cohortalib. lex* 9. *ſupr. de curioſis*: *lex* 32. *ſupr. de annona & trib. lex* 31. *infr. de Suſceptoribus* GOTHOFR.

(b) *Eucharius* Proconſul Africæ ſub Honorio: v. *Proſopogr. ID.*

COMMENTARIVS.

DE TEMPORE exigendi & inferendi *canonis* id eſt, penſionis, fundorum rei priuatæ Principis & Emphyteuticorum, eſt hæc Honorii conſtitutio, vt ab hoc *titulo* fugitiua (pariter vt altera ſententia *legis* 11. *ſup.*) ita prolixioris Honorianæ conſtitutionis pars, vt oſtendunt *leges* illæ, quas *huic* coniungendas dixi, & in his quoque duæ proximæ vltimæque *huius tit.* qua conſtitutione potiſſimum iuſtæ Tributorum illationi & Exactioni Honorius enixe conſultum iuit: idque per prouinciam Proconſularem Africæ nominatim.

Igitur cum tripertita alioquin ſolutione, ideſt, per quaternos menſes ter in anno tributa inferri mos eſſet, vt docuit *lex* 11. *ſupr. hoc tit. lex* 15. & 16. *ſupr. de annona & trib.* vbi plene dixi: *lex* 15. *infr. de ſuſceptor. lex* 3. *infr. de conlatione fund. patrimon.* & quidem a rei priuatæ quoque & Emphyteuticariis poſſeſſoribus, *d. l.* 11. *ſupr.* & *d. l.* 3. *infr. de conlat. fund patrim.* hac conſtitutione alia ratio probatur ſecundum conſuetudinem, & quidem intra Africam, ſcilicet vt duabus ſolutionibus canon præſtetur, ita vt ex Kalendis Martiis tertia fundorum priuatorum, ſexta emphyteuticorum præſtetur: Reliquum, ideſt, duæ *Tertiæ*, & quinque *Sextæ* ex Kalendis Iuliis. De fundis equidem patrimonialibus & emphyteuticis & eorum conlatione in genere eſt peculiaris *titulus* 19. *infr.* eſt & *titulus* 3. *lib.* 10. *de locatione fundorum Iuris Emphyteutici & Reip. & templorum*: vt & *titulus* 4. *de Actorib. procuratorib. Conductorib. rei priu.* & *tit.* 5. *qui conductores rei priu.* Deque his plene in *paratitlo d. tit. de locatione fundorum iuris emphyteutici.*

Verum ſingularis hæc admodum differentia hic occurrit inter fundos priuatos, & Emphyteuticos: puta vt Tertia pars canonis fundorum priuatorum præſtetur ex Kal. Martiis: Sexta vero tantum, Emphyteuticorum: ſingularis hæc inquam differentia eſt, cuius rationem indagare difficile eſt: Niſi quod emphyteuticorum fundorum grauior canon ſeu penſio erat, vtpote qui perpetuario iure locarentur, atque ideo minor canonis portio ab emphyteuticariis prima ſolutione ſolueretur. P. 81.

Notanda etiam ſolutionis tempora: inchoandæ videl. ex Kal. Martiis: complendæ vero ex Kal. Iul. Nempe poſt quatuor menſes. Quorum omnium rationem reddere difficile eſt: niſi quod potiſſima pars Canonis a Kal. Iuliis ideo præbita, vt quia tum iam perceptæ collectæque fruges ex fundis. Certe ex Valentiniani Sen. conſtitutione, *l.* 3. *infr. de conlat. fundorum patrim.* Emphyteuticorum annonam per quaternos menſes, & ſic tribus vicibus in anno ſoluebant: aurum vero quocunque anni tempore ſoluere poterant: cum antea ex die x. Kal. Decembr. in prid. Kalendarum Ianuariarum aurum ſolueretur. De quo ad *eam leg.*

XX. (a) Idem AA. Euchario (b) Proconſ. Afric. Poſt alia.

CONSTITVTO tempore, publice, apud Karthaginem, in Secretario, admiſſo populo, Exactorum ordinabuntur (c) idoneæ ſtrenuæque perſonæ. De quibus ſi popularis accuſatio vlla proceſſerit, in eorum locum alios par erit (d) deſtinari: ita vt ſeuera indagatione, ſi in concuſſione poſſeſſorum deprehenſi fuerint, ilico & capitali periculo ſubiaceant, & direptorum quadrupli pœna ex eorum patrimonio eruetur. (e) Iudices autem triginta librarum auri multæ acerbitate ſciant ſe eſſe plectendos, niſi ea quæ ſalubriter ordinata ſunt, neceſſaria deuotione conpleuerint. Dat. pridie Kal. Mart. Rau. Honorio IX. & Theodoſio V. AA. Coſs. [412.]

In-

INTERPRETATIO. *Hæc lex præcipit, exactores ad exigendas tributarias functiones idoneos eſſe mittendos, ita vt ſi de hiis populi vlla accuſatio proceſſerit, id eſt, querela depoſita fuerit, in eorum loco alii dirigantur, (f) vt habita diligenti inquiſitione, ſi in diſpendia Prouincialium de ſuperexactionis crimine conuinci potuerint, & capitali periculo ſubiaceant, & eorum facultatibus in quadruplum quæ ſunt ſuperexacta reddantur. Iudices vero prouinciarum* XXX. *librarum auri ſe nouerint pœna feriendos, ſi ea quæ ſtatuta ſunt implere neglexerint.*

NOTAE.

(a) Abeſt & hæc *lex* a *Cod. Iuſt.* eique iungendæ ſunt omnes illæ *leges*, quas ad *ſuperiorem* cumulaui; & in his ea ipſa *lex* ſuperior, & *lex prox. vlt. infr. GOTHOFR.*

(b) *Eucherio*, MSS. W. G. & Sichard. *RITTER*

(c) *Ordinentur*, Sichard. in MSS. eſt *ordinabantur. ID.*

(d) *Alios oportet*, Sichard. *ID.*

(e) *Eruatur*, Sichard. *ID.*

(f) *Deligantur*, prior Cuiac. & Edit. in 4. *ID.*

COMMENTARIVS.

DE EXACTORVM ORDINATIONE, eorundemque *Concuſſionis* & *Superexactionis* reorum pœna, eſt *hæc* Honorii *lex*, quæ conſtitutionis prolixioris portio eſt, vt ad *l. ſuperiorem* dixi, qua in vniuerſum iuſtæ tributorum exactioni per Africam conſultum iuit. *Ordinationis* igitur Exactorum forma hæc præſtituitur: Primum, vt Karthagine, & ſic in vrbe metropoli totius prouinciæ Africæ ordinentur: pariter vt in eadem vrbe Karthaginenſi aurum & argentum inferri iubet, *l. 32. ſupr. de annona & tribut.* quæ *huic* inter cæteras coniungenda eſt. In magna igitur hominum loce Exactores ordinari voluit, vbi & ipſe Proconſul Africæ & hominum opportunitas erat. Imo (quod Secundum) ſecretario ipſius Proconſulis publice populo admiſſo Exactores ordinari iubet, ſedente videlicet ipſo Proconſule in Secretario, populo adſtante, vt ita idoneæ & ſtrenuæ perſonæ eligantur. A quo more non abludit, quod de ordinatione Epiſcoporum Chriſtianorum etiam Alexander Seuerus apud Lampridium *cap. 45.* memorat; quodque idem Alexander in Rectoribus prouinciarum, Præpoſitis, vel Procuratoribus ordinandis facere ſolebat. Tandem neque abſimilis mos in eadem Karthagine coram populo, & in foro, quem deſcribit Auctor *librorum, de promiſſionibus & prædictionibus Dei: In calculis*, inquit, *eburneis nomina Proconſulum conſcripta Karthagine in foro coram populo a præſenti Iudice ſub certis vocabulis citabantur, & erat ſolemnis dies.* ALBI CITATIO. *Hi qui auaritiam ſuperantes Rempubl. fideliter egerant, abſque flagitiis facinoribuſque etiam abſentes honorabantur: eos vero, quos rapacitas vicerat, populus conuitiis ſibilisque notabat.* Populari igitur accuſationi, vt *hac l.* nominatim dicitur, atque adeo & prædicationi, quo pertinet vterque locus & Lampridii, & Auctoris *libri de promiſſionibus*, locum fecit *hac l.* Honorius. Et hæc de ordinatione Exactorum.

Sequitur POENA eorundem, tum & Iudicum. Illis nempe in concuſſione poſſeſſorum deprehenſis, vel vt Interpres recte, de ſuperexactionis crimine conuictis, capitalem pœnam imponit cum pœna Quadrupli: His vero, ſi ſuperius ſtatuta neglexerint, XXX. librarum auri multam indicit. Quod capitalem pœnam attinet, eadem & antea Valentiniani forte *lege* & Arcadii, ſuperexactioni impoſita fuit, vt teſtatur *lex 1. infr. tit. prox. de ſuperexact.* vbi dicam. Quod Quadrupli pœnam ſpectat, ſancita ea quoque *l. 11. infr. de Extraord.* & a Leone quoque reducta *Nouella 61.* abrogata pœna Capitali.

P. 82.

XXI. (a) Idem AA. Euchario ſuo (b) Sal.

GRAVE, & contra rerum ordinem, iudicamus, vt idem Municeps (c) & ciuitatis neceſſitatem, & Exactoris (d) publici (e) ſubire cogatur officium. Quod ne contingat, generali lege ſancimus, Cognitoris cuius intereſt iuſſioni, (f) ad prædia Manſuetudinis Noſtræ, vel quæ ſub fiſci nomine cœperint retineri, moderanda, vel ex ſuo Corpore (g) idoneos quoſque dare (h) debere, vel ex his ſi qui perfuncti ſacramento militiæ abſolutione potiuntur. Ab his namque conuenit, a quibus ratio ob prædam (i) diſcuti (k) conſueuit, adminiſtrationem ſuſtinere (l) huiuſcemodi prædiorum. Iudicibus itaque atque Officiis pœnam quinquaginta librarum auri inponimus, niſi commode (m) obtemperauerint definitis. Dat. prid. Kal. Mart. Rau. Honorio IX. & Theod. V. AA. Coſs. [412.]

NOTAE.

(a) Abeſt & hæc *lex* a *Cod. Iuſt.* Quibus porro iungenda ſit, iam ad *duas ſuperiores leges* oſtenſum eſt, quæ ipſæ & de earum numero ſunt. *GOTHOFR.*

(b) Proconſuli Africæ, vt cæteris *legibus. ID.*

(c) *Ma-*

COMMENTARIVS.

CARCERIS & TORMENTORVM iniuria & vexatione *prouinciales debitores* tributorum ſcil. ad eorum ſolutionem adigi a Conſtante Imp. hac conſtitutione vetantur, pariter vt a Conſtantino M. *l. 3. ſup.* eadem hic ratione propoſita, quod *hos cruciatus non inſontibus, ſed noxiis conſtitutos eſſe noſcatur.* Eodem etiam remedio propoſito: nempe quod pignorum capione Tributis conſuli poſſit. A Conſtante, inquam; nam hic omnino huius conſtitutionis Auctor videtur, cui in Imperii diuiſione, *Sardinia* & Macedonia, in qua *Theſſalonica*, ceſſerat; de quo vid. Victorem *cap. 41.* Zoſimum *lib. 2. cap. 39.* vid etiam Eunapium *in vita Ædeſii, pag. 45. edit. Commelin.* Zonaram *in Annal. pag. 9. Tom. II. Opp. edit. Venet.* quæque notamus præterea *in Chronico.*

Neque illud omittendum, mendum hærere videri in ſubſcriptis Conſulibus, atque adeo *huic* iungendam videri *legem 4. ſup. de annona & trib.* nam & ea pariter *Data eſt VIII. Id Decemb. Theſſal.* & in eodem rei tributariæ argumento verſatur: quin & de emphyteuticariis fundis *ea l.* agitur: cuiuſmodi ſane fundi in Sardinia memorantur, *l. vn. ſup. de communi diuidundo.*

Ex *hac* interim *leg.* & *d. l. 3. ſup.* colligimus in vſum ſæpe veniſſe & vſurpata hæc tormenta aduerſus tributorum inficiatores. Quæ & poſtea vſurpata. Teſtis Amm. Marcellinus ſub Valentiniano Iun. & Theodoſio M. ſcribens, *lib. 22. in f.* vbi de Ægyptiis. *Erubeſcit apud eos, ſi quis non inficiando tributa plurimas in corpore vibices oſtendat.* Et quæ ſequuntur de Ægyptiorum duritie *aduerſus Tormentorum vim.*

P. 73. VIII. (a) Idem AA. (b) ad Taurum PF. P. (c)

EXACTIONES prouinciarum, (d) quas Rectores, aut Præfecti annonæ, (e) aut Rationales, (f) per Africam ſuſtinent, a Maioribus Iudicibus vſurpari non debent, ſed ab his ſolis impleri, quibus cura exactionis imminet. Dat. IV. Non. Septemb. Dinummæ: (g) Acc. Prid. Id. Nou. Karthag. Arbitione & Lolliano Coss. [355.]

NOTAE.

(a) Abeſt hæc *lex a Cod. Iuſt. GOTHOFR.*

(b) Solius CONSTANTII nomen inſcribendum: Vide *Conſularia Theod. ID.*

(c) *Taurus* PP. Italiæ ſub Conſtantio & quidem Italiæ ſcil. quod præter alia oſtendit & *Africæ* mentio in *ipſa lege*, & ſubſcriptio *Acc. Karthag.* vid. *Proſopogr. ID.*

(d) Vel prouincialium. *ID.*

(e) Id eſt, Præfecti annonæ Africæ, de quo in *Notitia dignitatum* e *Cod. Theod. ID.*

(f) De *Rationalibus* Africæ vide *Notitiam Imperii*, & *Theodoſianam noſtram. ID.*

(g) De ſubſcriptione hac, mox in *Comment. ID.*

COMMENTARIVS.

QVIBVSNAM IVDICIBVS exactionis cura, ac nominatim per Africam, imminere debeat, definit hac conſtitutione Conſtantius. Res eo redit; *Minoribus* tantum Iudicibus exactionis curam imminere, non etiam Maioribus Iudicibus: Minoribus, id eſt, tribus his qui memorantur, Rectoribus prouinciarum, Præfectis annonæ, & Rationalibus. & ſic clariſſimis & Perfectiſſimis: Maiores Iudices *hac l.* non alii ſunt, quam Spectabiles, id eſt, Proconſules, & Vicarii. Maiores Iudices, vt alibi alio atque alio ſenſu dicuntur; de quo dixi pleniſſime *in Apolytico:* ita hoc Codice Maiores Iudices ſunt omnino Spectabiles, qui alioquin & mediæ ætatis Iudices dicuntur *l. omnis. 5. ſup. de iis quæ adminiſtr.* de quo omni plenius in *Notitia dignitatum Theodoſ.* Et tamen etſi ipſa exactionis cura Maioribus Iudicibus non imminuerit: attamen totius collationis & tranſmiſſionis cura eos conſtringebat; eoque ſine ipſi Iudicibus imminebant, quod de Vicariis prolixe oſtenſum eſt *l. vn. ſup. de offic. Vicarii.* De Proconſule fidem faciunt tot leges, hiſce de re tributaria titulis, Proconſulibus inſcriptæ. Quare ipſa exactio a collationis & tranſmiſſionis cura diſtinguenda eſt.

Obſeruanda interim tria Iudicum genera, quibus per Africam exactionis cura imminebat. Nempe *Rectores* canonem tributarium exigebant: *Præfecti annonæ Africæ* exigebant annonam Vrbicam; de quo Præfecto annonæ Africæ vide *l. 13. ſup. de annona. l. 4. inf. de appellat. l. 2. 3. 12. 36. 38. inf. de naucular iis. l. 2. inf. de naufragiis.* Denique Rationales, Titulos Largitionales & rei priuatæ exigi curabant; de quibus Africæ Rationalibus vide *legem 33. & vlt. inf. de appellat. l. 2. ſup. de alimentis quæ inopes parent. l. 2. ſup. de iure fiſci. l. 1. ſup. de metallis.* denique & Notitiam Imperii.

In Subſcriptione, notanda *Dinumma*, vbi hæc *lex* data dicitur. *Dinummæ* huius nulla alibi mentio occurrit; Sed neceſſe eſt eam fuiſſe in Lepontiis, vel in Rhætia, campiſue Caninis, qui Liguriæ proximi: Auctor enim eſt Ammianus Marcellinus *lib. 15. cap. 4.* Conſtantium hoc tempore Mediolano egreſſum in Rhætias Campoſque Caninos ad procinctum contra Alemannos Lentienſes, vnde militem ad Brigantium lacum miſit. In iiſdem ſane campis Caninis Gregorius Turonenſis *lib. 10. cap. 3.* Bilitionem caſtrum collocat. In iiſdem & Meſſacenſes, vbi ante bimeſtre ferme data ab eodem Conſtantio *lex 25. inf. de appellat.*

vbi

vbi dicam plenius. Quare neceſſe eſt *Dinummam* hic eſſe vel *Dane*, vel *Dumilr*, quæ recta itinere a Bilitione & Meſſacenſibus ad Brigantinum lacum pergentibus interiacent, forte etiam *Damintz*.

IX. (a) Impp. VALENTINIANVS, & Valens AA. ad Dracontium (b) Vic. Afric.

DVCENARIOS (c) ab exactione Prouincialium, ſecundum Conſtitutionem (†) ſacræ memoriæ Conſtantii, probabilis Sinceritas Tua iubebit arceri. Dat. III. (d) Id. Mai, Hadrianop. Acc. VIII. Kalend. Octob. Karth. diuo Iouiano & Varroniano Coss. [364.]

NOTAE.

(a) Abeſt & hæc *lex* a *Cod. Iuſt.* *GOTHOFR.*

(b) *Dracontius* Vicarius Africæ ſub Valentiniano Sen. Eidem inſcribuntur & aliæ complures *leges*, quas ex Indice Perſonarum collige: Imo iam fuit *lex* 10. 11. 13. 16. *ſup. de annona & trib. ID.*

(c) De *Ducenariis* dictum *l.* 1. *ſup. ID.*

(†) Hæc Conſtantii Conſtitutio non extat. *ID.*

(d) Eodem die, ſed ad diuerſos data *lex* 8. *ſup. de cohortal. lex* 18. *ſup. de curſu publ. lex* 58. *inf. de decurion.* & *lex* 10. *inf. de nauicul.* quæ ipſa ad Africam pertinet. *ID.*

COMMENTARIVS.

P. 74. DVCENARII, de quibus ad *l.* 1. *ſup. h. t.* ab exactione prouincialium iam antea Conſtantii conſtitutione (quam alibi non reperio) ſubmoti, hac rurſum Valentiniani conſtitutione ſubmouentur; & quidem per diœceſim Africæ: & ſic Ducenarii omnium Rectorum per Africam, Byzacenæ, Numidiæ, Tripolitanæ, vtriuſque Mauritaniæ: nam hæ prouinciæ diœceſin Africæ & ſic Vicarium Africæ conſtituebant.

Submotorum autem ab exactione Ducenariorum hanc *rationem* puto, quod hi prouincialibus nimis plus metuendi erant, vtpote de Schola Agentium in rebus præcipui, & in officiis Rectorum prouinciarum Principes; Vide quæ de his dixi, ad *leg.* 1. *ſup. h. t.* & *Notitiam Imperii.* Hæc vero *lex*, inter alios plures comprobat Amm. Marcellini *lib.* 30. *cap.* 9. teſtimonium, qui Valentinianum ait, *In prouinciales admodum parcum fuiſſe, & Tributorum vbique molliuiſſe ſarcinas.*

X. (a) Idem AA. ad Florianum Conſ. (b) Venetiæ.

DIE Solis, qui dudum (c) fauſtus (d) habetur, neminem Chriſtianum ab Exactoribus volumus conueniri: contra eos, qui id facere auſi ſunt, (e) hoc noſtri ſtatuti (f) periculum ſancientes. Dat. XI. Kal. Mai. Treu. Valentiniano & Valente AA. (g) Coss.

NOTAE.

(a) Abeſt hæc *lex* a *C. Iuſt.* & extat altera *lex* in eandem ſententiam, puta *lex* 13. *inf.* Repetitur autem hæc *lex* totidem verbis *l.* 1. *ſup. de exſecutorib.* Meminit eius Baronius, *A.* 365. *n.* 44. *GOTHOFR.*

(b) Forte, *Comitem rei priuatæ* dixi ad *d. l.* 1. *ID.*

(c) Iam inde a Conſtantino M. vide *legem* 1. *ſup de feriis. ID.*

(d) *Feſtus* *ID.*

(e) Sint, *d. l.* 1. & hoc ipſum pro, *fuerint. ID.*

(f) Hoc noſtri ſtatuti interdicto periculum ſancientes, ita *d. l.* 1. *ID.*

(g) *II.* Scil. id eſt *A. D.* 368. vt oſtendi ad *d. l.* 1. *ID.*

COMMENTARIVS.

DE DIE SOLIS immuni ab omnibus executionibus, eſt hæc Valentiniani Sen. conſtitutio ad Conſularem Venetiæ emiſſa: quæ iam *ſupra* habetur, *l.* 1. *ſup. de exſecutoribus*: vnde Interpretatio huc arceſſi poteſt: pariter vt Valentiniani Iun. *lex* 13. *inf. hoc tit.* quæ & ipſa eſt *lex* 3. *dict. tit. de executoribus.*

XI. (a) Idem AA. ad Florianum (b) Com. R. P.

OMNES prouinciis Præſidentes iuſſimus conueniri, vt a Rei Noſtræ conuentione (c) ceſſarent, ne Principales neceſſitates (d) in publicum proferentes, eadem, qua hactenus, in colonos iniquitate ſæuirent. Illud (e) etiam moderationi adiecimus, vt

tripertita eſſet inlatio fiſcalium penſionum. Sinceritas (f) Tua Rationales, Procuratoreſque commoneat, vt quidquid pro iugatione (g) vel capitatione (h) depoſcitur, certantibus ſtudiis deuotionis exſoluant. (i) Dat. VIII. Kal. Iun. Med. Valentiniano & Valente AA. Coss. [365.]

NOTAE.

(a) Abeſt hæc *lex* a *Cod. Iuſt.* *GOTHOFR.*

(b) *Florianus* Comes R. P. ſub Valentiniano. Eidem inſcribitur Anno ſuperiore *lex* 20. *ſup. de curſu publico*: & A. 367. *lex* 2. *Cod. Iuſt. de bonis libert.* v. *Proſopogr.* *ID.*

(c) Id eſt, exactione. *ID.*

(d) Ita publicæ neceſſitates, quæ rei priuatæ opponuntur, *l.* 5. *ſup. de exſecut* *ID.*

(e) Sequentes duæ ſententiæ ab hoc *Titulo* ſunt fugitiuæ. *ID.*

(f) *Sinceritatis* titulus tributus Comiti R. P. *ID.*

(g) De hac *Iugationis* voce dixi plene *ad l. vn. ſup. ne conlatio per Logograf.* *ID.*

(h) De hac *Capitationis* voce dixi ad *l.* 15. *ſup. de annona & trib.* *ID.*

(i) *Exſculpant*, vel exigant. *ID.*

COMMENTARIVS.

REI PRIVATÆ, id eſt tributorum ad rem priuatam Principis pertinentium, a Colonis rei priuatæ exactio, quorum cura & ſolicitudine fieri debeat, hac conſtitutione definit Valentinianus Sen. Nempe hanc Rectoribus prouinciarum adimit; hac ratione addita; *Ne Principales neceſſitates in publicum proferentes, eadem, qua hactenus in colonos iniquitate ſæuirent.* Cuius hæc
P. 75. ſententia eſt, Rectores prouinciarum obtentu tributariæ collationis ad Principem eiuſque neceſſitates ſpectantis in Colonos rei priuatæ ſumma iniquitate ſæuiſſe. Quare reponendum hic omnino videtur, *ne Principales neceſſitates in publicum præferentes* &c. quanquam & vox *proferentes* mihi iam magis arrideat: Igitur Rectoribus prouinciarum hujus exactionis cura adimitur: proculdubio ad Colonorum rei priuatæ querelas, qui de iniquitate & ſæuitia eorum apud Valentinianum Sen. conqueſti fuerant. Cum viceuerſa ſub Conſtantio Colonis rei priuatæ. Principales nominis obtentu frœnos legum excutientibus, & tributa non ſoluentibus Iudices, id eſt Rectores Prouinciarum eos debiti vigoris auctoritate cogere, ſeu exigere iuſſi fuiſſent *l.* 6. *ſup. h. t.* Nempe prout horum aut illorum culpa eſſet, imo prout his vel illis Principes fauerent, ita varie hanc in partem conſtitutum.

Quid igitur? Rationalibus & Procuratoribus rei priuatæ hæc cura *h. l.* imponitur: qui ſcil. ſub diſpoſitione Comitis R. P. fuere, quoſque adeo Comes R. P. commonere *h. l.* iubetur. (De quibus Rationalibus & Procuratoribus rei priuatæ per Occidentem, nam eo pertinet *hæc lex*, vid. *Notitiam* Imperii.) *Commonere*, inquam, *vt tributa certantibus ſtudiis deuotionis exſoluant*, vbi malim reponere *exſculpant*, vel *exigant*: Senſus enim eſt, monendos Procuratores & Rationales a Comite R. P. vt tributa a Colonis priuatæ rei omni ſtudio exigant: *Exſculpendi* vox exactionibus propria: vt docet *lex* 9. *ſup. de cohort.* *l.* 44. 65. *inf. de appellationib.* ac nominatim exactionibus tributorum, *l.* 3. *ſup. de annona & tributis.* Interim hinc colligere mihi videor, cur huius exactionis ſollicitudo ad Rectores prouinciarum antea commeauerit: nempe, quod procuratores & Rationales remiſſi & indulgentes ferme forent in exigendis colonis rei priuatæ: Qua re reddita nunc eis ea exactione commoneri ſaltem iubentur, vt certantibus ſtudiis deuotionis capitationem exſculpant. Verum poſtea Honorii conſtitutione, puta *l.* 5. & 6. *ſup. de exſecutor. & exaction.* remota exigentium permixtione, vt loquitur, Rectoribus prouinciarum & eorum officiis omnis exactio impoſita. Et hæc de primo *huius l.* capite.

Alterum quod ab hoc *titulo fugitiuum* eſt, & tamen in eorundem colonorum rei priuatæ gratiam a ſe Valentinianus Sen. ſtatui indicat his verbis, *Illud etiam moderationi adiecimus*, eſt de TEMPORE ſoluendarum fiſcalium penſionum: nempe vt ex tripertita inlatione per quaternos ſcilicet menſes inferantur; qua de re ſunt tres præterea eiuſdem Valentiniani Sen. conſtitutiones: puta *lex* 3. *inf. de conlat. fundor. patrim.* *l.* 15. *ſup. de annona & trib.* *l.* 15. *inf. de Suſceptoribus*, & Valentis *lex* 16. *d. t. de annona & tribut.* de quo dixi plene ad *d. l.* 15. *ſup. de annona.* Stetitque id ſub Theodoſio M. vt oſtendit *lex* eius *vn. inf. de quadrimenſtruis breuib.* & Libanii locus *Orat. ad Theodoſium Imp. in Tiſamenum pag.* 448. *edit. Morell.* ſub Arcadio & Honorio *l.* 17. *inf. de decur.* *l.* 27. *inf. de Suſceptorib.* De Valentinianeis, quibus ſane id primo introductum, illud obſeruandum; omnium tempore primam, puta *legem* 3. *inf. de conlat. fundor. patrimon.* eſſe de emphyteuticariis poſſeſſoribus: *hanc*, de Colonis rei priuatæ: *legem* 15. & 16. *ſup. de annona.* & *l.* 15. *inf. de ſuſceptorib.* omnium poſtremas, de prouincialibus: vt forte non ſimul & ſemel id conſtitutum videri poſſit, ſed per eos gradus tantum. Verum in fundis priuatis & emphyteuticariis poſtea aliter conſtitutum, *l.* 19. *inf. h. tit.*

XII.

XII. (a) Imppp. Gratianus, Valentinianus & THEOD. AAA. Conſtantiano (b) Vic. Ponticæ. (c)

POTENTIORVM (d) poſſeſſorum domus, Officium prouinciæ Rectoris exigere debet: Decurio vero, perſonas Curialium conuenire: Minores autem poſſeſſores Defenſor ciuitatis ad ſolutionem fiſcalium penſitationum ſpectata (e) fidelitate compellere. Dat. v. Non. Mal. Merob. II. & Saturnino Coss. [383.]

NOTAE.

(a) Abeſt hæc *lex* a *Cod. Iuſt. GOTHOFR.*

(b) *Conſtantianus* Vicarius Ponticæ ſub Theodoſio M. Eidem inſcribitur hoc ipſo Anno, *lex* 94. *inf. de decurion. lex* 10. *inf. de heret. lex* 7. *ſup. de deſertorib.* vid. *Proſopogr. ID.*

(c) *De Vicario Ponticæ*, vide *Notitiam Imperii*. Ponticæ autem prouinciæ ſunt hæ: *Bithynia, Galatia, Paphlagonia, Honorias, Galatia ſalutaris, Cappadocia prima & ſecunda, Hellenopontus, Pontus Polemoniacus, Armenia prima & ſecunda. ID.*

(d) Vide *Gloſſarium. ID.*

(e) *Spectata* fidelitas, eſt comperta, ſingularis: quæ vox *ſpectati* hoc paſſim ſenſu, apud Symmachum, v. *Gloſſ. ID.*

COMMENTARIVS.

VARII pro varietate ſeu diuerſitate & conditione poſſeſſorum exactores hac Theodoſii M. conſtitutione præponuntur: idque nominatim per Ponticam diœceſin, æquiſſima & humaniſſima diſtinctione, in tria vt poſſeſſorum, ita & exactorum genera. Nempe, Potentiores poſſeſſores, ab Officialibus prouinciæ Rectoris exigi iubet; *Decuriones*, a decurionibus, *minores* tandem poſſeſſores, a Defenſoribus ciuitatum. Vbi *minores*, non ſunt minores 25. annis, verum *tenuiores* oppoſite ad potentiores. Scilicet priores ideo ab Officialibus Rectoris prouinciæ, exigi iubentur, quod ſolita eorum contumacia maiore quoque auctoritate munitos Exactores deſideraret: Poſteriores duo ideo, vt ab Officialium rapinis & ſæuitia Decuriones & tenuiores illæſi ſeruarentur: Sane *Defenſorum* hæc propria fuit cura, vt plebem & tenuiores potiſſimum defenderent & tuerentur; de quo vide pleniſſimum *Paratitlon tituli, de Defenſoribus ciuitatum*. Quorum vt cœteroquin alii Principes officium ſubinde excitarunt, auxeruntque: ita & Theodoſius M. ex- P. 76.
citauit, auxitque, varieque his ſubinde impoſuit: *hac leg. & leg. vn. ſi quacunque præditus poteſtate: leg. 19. ſup. de annona & tributis: l. 23. inf. de Suſceptoribus: l. 12. ſup. de re militari: leg. vltim. ſup. de defenſoribus ciuitatum.* De Curialium alioquin exactione agitur & *l. 16. inf.* vbi adhuc aliquid dicetur.

XIII. (a) Idem (b) AAA. ad Principium PF. P. (c)

SOLIS die, quem *Dominicum* (d) rite dixere maiores, omnium omnino litium & negotiorum quieſcat intentio: Debitum publicum priuatumque nullus efflagitet: Ne aput ipſos quidem Arbitros, vel (e) e iudiciis flagitatos, vel ſponte delectos, vlla ſit agnitio iurgiorum: Et non modo notabilis, verum etiam ſacrilegus iudicetur, qui a ſanctæ religionis inſtinctu (f) rituue deflexerit. PP. (g) III. Non. Nou. Aquil. Honorio NB. P. & Euodio Coss. [386.]

NOTAE.

(a) Abeſt hæc *lex* a *Cod. Iuſt.* Et totidem verbis repetita extat *l. 3. ſup. de exſecutoribus.* Eamque Baronius in Annum ſuum non retulit. Concordat huic *lex* 10. *ſup. GOTHOFR.*

(b) Ita quoque *d. l.* 3. At enim reſcribendi hi Imppp. VALENTINIANVS *Theodoſius & Arcadius. ID.*

(c) Italiæ ſcil. *ID.*

(d) Hanc ſententiam inſeruit Tribonianus *legi* 7. *C. Iuſt. de feriis. ID.*

(e) *Arbitrorum* duo genera: vel e Iudiciis, id eſt a Magiſtratibus flagitati, vel ſponte delecti, id eſt, Compromiſſarii. *ID.*

(f) *Inſtituta*, ita *d. l. 3. ſup. de exſecut. ID.*

(g) Pro, *Data.* Et ex *d. l.* 3. ſequentia ſupplenda ſunt. *Acc. VIII. Kal. Decemb. Rom. ID.*

COMMENTARIVS.

DE DIE SOLIS ab omnibus exactionibus, litibus, cognitionibus immuni, eſt hæc Valentiniani Iun. conſtitutio, quæ & ipſa, pariter vt *lex* 10. *ſup.* repetita extat *tit. ſup. de executorib.* vbi hæc ibi tertio loco poſita eſt. Vnde interpretatio huc arceſſi poteſt.

XIV. (a) Imppp. THEOD. Arcad. & Honor. AAA. Rufino PF. P. (b)

APPARITORES, quicumque in conlatione (c) Auri præcepti fuerint Officii ſui adhibere ſeruitium, titulorum debita, & conlationum ſummas, relationis ſuæ fide & adnotatione præſcribant (d) ſitque ex Officialis inſtructione Officium conſcium, quid exactum, quidve perlatum (e) eſſe videatur: Ne (f) longinqui itineris diuerſitate Suſceptor abductus, & Curiæ ſuæ deſit, & rei familiaris detrimenta ſuſtineat. Dat. Pridie Idus April. Conſtantinopoli, Theod. A. III. & Abundantio Coss. [393.]

NOTAE.

(a) *Lex* 5. *Cod. Inſt. eod. tit.* Iungenda ei *lex* 134. *inf. de Decurionibus.* GOTHOFR.

(b) *Rufinus* PP. Orientis ſub Theodoſio M. vid. *Proſopogr.* ID.

(c) Non mutanda hæc vox in *conlectione.* ID.

(d) Ferri poteſt hæc vox, etſi *Codex Inſt.* habeat, *perſcribant*, pariter vt *l.* 23. *inf. de ſuſceptoribus.* ID.

(e) Cuiacius reſtituit *prolatum*; de quo mox. ID.

(f) *Nec.* ID.

COMMENTARIVS.

AVRI exactio quomodo ab Apparitoribus præcepto Præfecti P° miſſis fieri debeat, ne alioquin Soſceptores a Curiis ſuis abducantur, definit *hac conſtitutione* Theodoſius M. quæ prolixioris cooſtitutioois Theodoſianæ pars eſt, vt docet *lex* 134. *inf. de decurion.* (quæ *huic* iungenda eſt) qoa in vniuerſum Curiis ciuitatum deſtitutis conſultum voluit, neque vna ratione: e quibus hæc inter cæteras eſt, quæ *hac l.* continetur, cuius utiqne canſam aperte *fine legis* exprimit: *Ne longinqui itineris diuerſitate Suſceptor abductus, & curiæ ſuæ deſit, & rei familiaris detrimenta ſuſtineat.* Scilicet cum aurum per longinqui itineris diuerſitatem exigendum eſſet, noluit Theodoſius Suſceptores, qui Curiales erant (qood oſtendet plenius *titulus inf. de Suſceptor.*) a Curiis ſuis abduci, trahiqoe ab Apparitoribus, & ſecum adſciri: auro ſuſcipiendo vel rationibus conficiendis, Quid igitur? Hanc operam omnem nauare iubet Apparitores illos, ſeu Officiales ſolos. Itaque iis id iniungit, vt exacti & perlati rationes conficiant: Exacti, inquam, & perlati, id eſt eius quod exactum & in ſacras largitiones vel ad Rem priuatam perlatum ſuit. Neque enim probo, quod ex Græcis hic Cuiacius reſtituit *prolatum*, id eſt dilatom, quodque in reliqnis hærens, Græcorum authoritate, qui ita reddunt τὰ μὲν ἀπῄτησε, τὰ δὲ ἔτι λοιπάζεται. Neque enim proferendi debiti Apparitoribus poteſtas ſuit; etſi verum illud ſit quamcunque tandem efficaciam ſeu inſtaotiam in P. 77.
exigendo adhibeant, in debitis vel reliquis aliquid ſemper reſidere, quo pertinet omnino *lex* 9. *ſupr. de exſecutoribus.* Quod tamen *prolati* aut *proferendi* voce non recte deſignaretur.

Rationes itaque exacti, & perlati, Officiales conficere iubentur, vt ex eorum inſtructione totum officium conſcium ſit, id eſt, vt rationes ab his coofectæ in Scrinia Officii Præfecti Prætorio referantur: nam & hic alius eſt Cuiacii lapſus, cum putauit, ad ſuſceptorem has ſine rationes ſiue relationes perferendas: Aperta enim ſunt hæc verba; *ſitque ex Officialis inſtructione Officium conſcium.* Verum de hoc exactioois genere Præfectianis ſeu apparitoribus P.P. committi ſolito, plenius ad *l.* 5. 6. 7. 9. *ſupr. de exſecutorib.* & *tit. infr. Ne Præfectianus exactoris fung. off.* De exactiooe multæ a Præfecto Prætorio, & quidem ab eodem Rufino PP. (cui hæc *lex* inſcribitur) impoſitæ per Præfectianos, eſt Syneſii locus, *ep.* 127.

XV. (a) Impp. Arcad. & HONOR. AA. Meſſalæ PF. P. (b) Poſt alia.

QVONIAM plerique callidis (c) precibus Reſcribta impetraſſe dicuntur, ne a ſolitis Conpulſoribus (d) exigantur, præſenti iuſſione monemus, ne, prætento (e) velut quodam beneficio Clementiæ noſtræ, quidquam in Exactione celebranda vetuſtati (f) & conſuetudini derogetur. Dat. IV. Kalend. Octobr. Altino, Theodoro v. c. Cons. [399.]

NOTAE.

(a) Abeſt hæc *lex* a *Cod. Inſt.* Iungenda autem illi *lex vlt. infr. de canone frumentario Vrbis Romæ* GOTHOFR.

(b) *Meſſala* PP. Italiæ ſub Honorio Imp. v. *Proſopogr.* ID.

(c) Cur callidæ? dicam ad *l.* 4. *infr. ne conlat. translat.* ID.

(d) De his dixi plene ad *l.* 34. *ſupr. de annona & trib.* ID.

(e) Dicam ad *d. l.* 4. ID.

(f) *Vetuſtas* & *Conſuetudo* in tributis nominatim ſpectantur; v. *leg.* 23. *ſupr. de annona & trib.* & *l.* 131. *infr. de Decurion. l.* 13. *in fin. D. de pollicitat. l.* 4. §. 2. *leg.* 9. §. 6. *D. de publicanis.* v. quæ noto ad *l.* VII. *ſupr. de longa conſuetud.* ID.

COM-

COMMENTARIVS.

AVTOPRAGIAS ſeu' Autopractorum beneficium ſeu Reſcriptum, id eſt, vt quis non a ſolitis Exactionibus & Compulſoribus (de quibus pleniſſime dixi ad *l. 34. ſupr. de annona*, & *ad l. 4. infr. ne conlationis transl. poſt.*) exigatur; verum vt ſpontanea tantum deuotione tributa inferat, *hac* Honorii *conſtitutione* infirmatur: pariter vt a Theodoſio Iun. *d. l. 4. infr. ne conlationis translat. poſtul.* vbi de hoc *Autopractorum* beneficio plenius.

Cæterum ex coniunctione *legis vlt. infr. de canone frument. V. R.* colligere licet Honorium Imper. *hac leg.* Canoni vrbicario, ſeu vrbis Romæ nominatim, ſublato Autopractorum beneficio, conſultum iuiſſe.

XVI. (a) Idem AA. Hadriano PF. P. (b)

MISSI Opinatores (c) cum delegatoriis, (d) Iudicibus eorumque Officiis inſiſtant, vt intra anni metas id quod debetur accipiant: Nihil his ſit cum poſſeſſore commune, cui non Militem, (e) ſed Exactorem, ſi ſit obnoxius, conuenit imminere. Iudices itaque, qui Prouinciales paſſi fuerint Opinatoribus delegari, (f) eiuſdem quantitatis duplex pœna retinebit: & Apparitores ex quolibet Officio ſententiam deportationis excipient, ſi, per ſemet exigendos, voluerint delegare Militibus: & Curiales temporale manebit exilium, ſi eos, quos ſollemniter exigere conſuerunt, Opinatoribus putauerint eſſe tradendos: cum Iudicem oportet (g) inquirere debitores Tabularios, fideliter prodere (h) nomina dominorum: (i) Apparitores ſiue Curiales, conſuetudine ſeruata regionum, conuictis debitoribus imminere: Vt perceptis congruis emolumentis, (k) Opinatores impleto anno ad proprios Numeros valeant remeare. Qui ſi vltra annum protracti Iudices fuerint, (l) & Officia, abſque vlla mora, de proprio cogentur (m) exſoluere militibus quod debetur, ipſis aduerſus obnoxios (n) repetitione ſeruata. Quod ſi ad nos aliqua de retentis Opinatoribus (o) querela peruenerit, in duplum ab his protinus exigetur, vt partem debitam miles, reliquum (p) fiſcus accipiat. Iudicibus quoque, eorumque Officiis, eatenus ſubuenimus, vt in contumaces debitores, cuiuslibet dignitatis, auctoritatem (q) ſuam exerant: ac ſi inpudenter ſolutio differatur, Actores, Procuratores, eorumque prædia perſequantur; de eorum quoque nominibus ad Noſtram Scientiam relaturi. Dat. III. Id Iul. Med. Vincentio & Frauitta Coss. [401.]

NOTAE.

P. 78. (a) *L. 7. Cod. Iuſt. eod. tit.* Videatur *huic l.* iungenda *lex vlt. C. eod. de Lucris aduocat. & concuſſionibus Officiorum ſeu apparitorum. GOTHOFR.*

(b) *Hadrianus* PP. Italiæ ſub Honorio. v. *Proſopogr. ID.*

(c) De *Opinatoribus* his dixi ad *l. 34. ſupr. de annona & trib.* & ad *l. 26. ſupr. de erogat. milit. annonæ. ID.* In C. Iuſt. additum, *Opinatores, id eſt exactores militaris annonæ. RITTER.*

(d) De his *delegatoriis* vide *Paratitlon tituli, de annona & tributis*, pariter *l. 1. ſupr. de exact. annon. Opinatores, quibus ſpecies in diuerſis prouinciis delegantur:* & mox: *cum Opinatores prouinciis delegantur. GOTHOFR.*

(e) Ita quoque *d. l. 34. ſupr. de annona & trib.* ita & mox *infr. ſi voluerint delegare militibus:* & mox *Opinatores ad proprios numeros valeant remeare. ID.*

(f) Id eſt, *paſſi fuerint, prouinciales ab Opinatoribus exigi. ID.*

(g) *Oporteat*, C. Iuſt. *ID*

(h) *Prouidere*, C. Iuſt. male. *ID.*

(i) *Debitorum.* C. Iuſt. *ID.*

(k) *Emolumenta congrua* vocat debitas præſtationes & annonas: ita rei annonariæ emolumenta, *l. 1. ſupr. ſine cenſu:* item præcipua emolumenta. *L. 1. ſupr. de annona & trib* fiſcalia emolumenta, *L. 13. infra de Suſceptor.* Ac nominatim de annona militari, vt *hac l.* ita *l. 28. infr. de ſuſceptoribus.* In vniuerſum *emolumentum* quicquid debetur, vt mox infr. militibus quod debetur. In *Gloſſis* Philoxeni & Cyrilli emolumentum *ὠφέλεια, χρηματισμός. ID.*

(l) Manifeſta hic tranſpoſitio eſt, quod etiam oſtendit *Cod. Iuſtin.* Quare legendum, *qui ſi vltra annum protracti fuerint, Iudices & Officia.* &c. *ID.*

(m) *Cogantur*, Cod. Iuſt. *RITTER.*

(n) *Obnoxii* ſunt debitores tributorum. *GOTHOFR.*

(o) *Ab Opinatoribus* in *C. Iuſt. ID.*

(p) *Reliquum*, Cod. Iuſt. *RITTER.*

(q) Ita quoque *L. 6. ſupr. hoc tit.* ſiue *l. 4. C. I. eod. tit. l. 1. ſupr. de iuriſdictione:* quibus locis dixi. *GOTHOFR.*

COMMENTARIVS.

DE MILITARIS annonæ exactione eſt hæc Honorii conſtitutio: ad duplicem finem comparata partim ad ipſorum prouincialium illæſionem, id eſt, ne eius exactionis obtentu prouinciales indebite vexentur: tum etiam, vt militaris annona debita celeritate exigatur: quæ duo diuellenda non ſunt: Hactenus enim militari annonæ conſultum oportet, vt ne ideo prouinciales vexentur: viceuerſa prouincialibus hactenus conſulendum, ne militari annonæ, quam non patitur, mora fiat. Eo itaque ſpectant ſequentes ſententiæ.

Prima, *Opinatores*, id eſt, militaris annonæ Compulſores, (de quibus pleniſſime dixi ad *l. 34. ſupr. de annon. & trib.* & *ad l. 26. ſupr. de erogat. milit. annonæ:*) non poſſeſſores ſeu tributarios prouinciales exigere debere, hiſque imminere: verum iudicibus & eorum Officiis imminere debere, vt illi videlicet exactionem maturent. Nempe Opinatores, quia milites erant & ex numeris militaribus mittebantur, (quod non vno loco *huius l.* indicatur, & *d. l. 34. ſupr. de annona & trib.*) prouincialibus graues terrorique maxime erant atque his metuendi, prædaſque ab his agebant: vt cæteroquin *difficile his eſt morum cuſtodire menſuram*: vt eleganter Caſſiodorus, *lib. I. Var. 11.* Quare eos exigere ſubinde vetiti vt *hac l.* ita *l. 26. ſupr. de erogat. milit. annonæ*: etſi alioquin hac parte variatum, de quo vide & *l. 34. ſupr. de erogat. milit. ann.* & *d l. 34. ſup. de annona & trib. l. 186. infr. de decurion.* & *d. l. 1. ſup. de exsecutione.* Quare *miles* & *exactor hac leg.* opponuntur, cuius nomen non adeo metuendum vt militis: idque ipſum indicatur *d. l. 34. ſup. de annona*; ibi, *vltra id tempus ſi tarditas adſeratur, tunc militi debiti poſtulati delegandam eſſe rationem*: Et pœna multiplex hic additur Iudici, Officialibus, Curialibus, qui paſſi fuerint aut voluerint prouinciales ab Opinatoribus exigi. Nam hos exactionis cura manebat diſtinctis muniis & perſonis, de quo inſignis eſt *hac l.* locus, *Iudicem*, inquit, *oportet inquirere debitores*, id eſt, Iudicem tributariorum nomina ſedulo inquirere acceptis Breuibus a Tabulariis, mox Apparitores & Curiales conuictis debitoribus imminere & exigere *pro conſuetudine regionum*. Scilicet alibi Curiales, alibi Apparitores Exactores erant, imo quandoque alii alios exigebant, puta Officiales Potentiores: Curiales ſui Ordinis viros, *l. 12. ſup. h. tit.* Pœnæ autem hæ ſunt: nempe Iudici *dupli* pœna imponitur: Apparitoribus pœna *deportationis*: Curialibus, *temporale exilium*. Et ſic grauiores multo quam in ſpecie *l. prox. infr.* vbi dicam.

Secunda ſententia ad celeritatem annonæ militaris exigendæ pertinet; ſcilicet intra anni metas eam præſtari iubet (vide & *l. 9. ſup. de exſecutorib.*) vt ita Apparitores anno completo ad proprios numeros remeare poſſint, pœna Iudicibus & Officialibus impoſita, puta de proprio annonas ſoluere eos iubet, ſalua eis aduerſus poſſeſſores tributarios actione, quo non præſtito in duplum multari iubet: Duplum inquam: non mere pœnale, ſed mixtum: id eſt, ſic vt partem debitam, & ſic annonam quæ inferri debuit, miles conſequatur, & militari annonæ proficiat, reliquum fiſco cedat.

Viceuerſa vt negligentibus Iudicibus Officiiſque eorum pœna iniungitur: ita contra his ſubuenitur *hac eadem lege*, auctoritaſque eorum animatur armaturque: Auctoritatem ſcil. ſuam exerere in contumaces debitores cuiuslibet dignitatis iubetur: quo ſpectabat pariter *lex 6. ſupr. hoc tit.* quæque ei in ſimili iungenda eſt *lex 1. ſup. de iuriſdict.* Quinimo & ad ſe referri iubet Honorius de his qui impudenter ſolutionem differunt, vt ita digno ſupplicio ſubiugentur.

---

p.79. XVII. (a) Impp. Honorius & THEODOSIVS AA. Anthemio PF.P. (b)

NEQVE (e) Agentes (d) In rebus, neque ſacrarum Priuatarum, (c) vel largitionum Palatina (f) officia, ex quacumque cauſa, ex quocumque titulo fiſcalis debiti, cum ad prouinciam mittuntur, poſſeſſores per ſe (g) audeant conuenire: ſiue id ex præterito reliquum (h) trahatur, ſeu præſentis temporis tributo (i) ſolui conueniat: ſed Rectores prouinciarum frequenter adeundo commoneant, eorumque Officiis incumbant. Quod ſi Rector prouinciæ imminentem ſibi memoratorum declinare moleſtiam quæret, (k) vel qualibet alia ratione hiſdem (l) propria auctoritate publicæ exactionis permiſerit curam, tam ipſe, quam Officium eius vicena auri pondo fiſco dependent. (m) Dat. VII. Id. Decembr. Conſtantinop. Baſſo & Philippo Coſs. [408.]

NOTAE.

(a) *Lex 1. C. Iuſt. de canone largitionalium Titulorum*, ſub quo titulo eam Tribonianus collocauit, ſublata Agentium in rebus mentione. *GOTHOFR.*

(b) *Anthemius* PP. Orientis ſub Theodoſio Iun. de quo ad *l. 167. infr. de Decurion.* v. etiam *Proſopogr. ID.*

(c) *Neque Agentes in rebus*, hæc recidit Tribon. *ID.*

(d) De *Agentibus in rebus* fuit peculiaris *titulus ſupr. lib. 6. tit. 26. ID.*

(e) *Sacrarum vel priuatarum largitionum: ita Cod. Iuſt.* male, *ſacra priuata* non minus dicuntur quam *ſacra largitiones.* Ita officium ſacrarum priuatarum, *l. 18. de Palatinis S. L. & R.P. Priuatarum* abſolute pro *Rerum priuatarum*, de quo dixi ad *l. 5. ſupr. ID.*

(f) De his *Palatinis* fuit ſupr. *titulus* peculiaris *lib. 6. tit. 30. ID.*

(g) Id

(g) Id eſt, *ipſi*: *ID.*
(h) Reliquum *Πλαμμα*. *ID.*
(i) Ferri hoc poteſt: nempe reſpondent hæc duo ex præterito & præſentis temporis tributo: quanquam C. *Iuſt.* habet *tributa*; quod melius. *ID.*
(k) *Quærens*, Cod. Iuſt. edit. Cuiac. at hoc quoque legitimum eſt. *ID.*
(l) *Palatinis iiſdem*, ita C. *Iuſt.* propter ſublatam videlicet Agentium in rebus antea mentionem. *ID.*
(m) *Dependant*, Cod. Iuſt. *RITTER.*

COMMENTARIVS.

AD VRGENDAM tributorum illationem miſſi ex Palatio, exactionem ipſi facere vetantur a Theodoſio M. cuiuſmodi tres hic memorantur: AGENTES ſcil. IN REBVS, etſi ſubinde eis exactiones tributorum & Titulorum fiſcalium committerentur, aliæque executiones, quod docet *lex 4. 7. ſup. de exſecutorib.* de quo plene *Paratitlo de Agentibus in reb.* ſed & Ambroſius *lib. 2. c. 29. ſeu vlt. in fin.* Item PALATINI, id eſt, Officiales Comitis ſacrarum Largitionum, & Comitis Rerum priuatarum, de quibus plene *ſuo* quoque *tit.* etſi fiſcalium Titulorum eis ſolicitudo immineret; atque ea fine quem dixi, & Agentes in rebus & Palatini in prouincias ſubinde mitterentur: Attamen ipſi Exactoris publici munere fungi a Theodoſio Iun. *hac l.* vetantur, pariter vt a Valentiniano Iun. *leg. 10. ſup. de Palatinis S. L. & R. P.* & ab Honorio, *l. 5. 6. ſupr. de Executorib.* & a Valentiniano III. *leg. 32. inf. de ſuſcept.* & a Maioriano *Nouella 4. de indulgent. reliquor. c. ad illam quoque*: vbi rationem eius rei, pluribus & eleganter reddit. Quod & ipſum de Opinatoribus cautum, *l. 16. prox. ſup.* ſeu *l. 7. Cod. Iuſt. eod. tit.* Et in eo quoque ſimiliter, quod Iudicibus ſeu Rectoribus prouinciarum, eorumque officialibus multa imponitur ſi paſſi fuerint, vel nominatim iniunxerint eis publicam exactionem; ſiue dum a moleſtia horum ſeſe liberare ſtudent, vel vt hic dicitur, *imminentem ſibi memoratorum declinare moleſtiam* quærunt, *taſchent ſe rachepter de leur importunite*; vel qua alia ratione, in prædam ſcil. hos forte corrupti mittendo: nam ita id accipio. Et quidem multa iam *hac leg.* grauior, quam *d. l. 10. ſup. de Palatinis*: At minor pœna quam ſi Opinatoribus exactionem iniunxiſſent, *d. l. 16. ſup.* Qui & ipſi alioquin, velut militaris annonæ compulſores mittebantur, non vt poſſeſſores exigerent, verum vt Iudicibus & eorum Officiis imminerent, quo illi exactionem maturarent. Quærunt vero Interpretes, cur hoc caſu noſtro minor pœna imponatur: illo vero, multo ſeuerior, ſæuiorque, *d. l. prox ſupr.* cum tamen idem debitum veniatur? Admitto hanc rationem, quod milites opinatores, cingulo armatæ militiæ terribiles & metuendi magis ſint, quam Palatini: de quo ad *illam leg.* Tandem ſimiliter, quia id tantum muneris eorum eſſe dicitur, vt Rectoribus immineant & eorum Officialibus, commonendo, vrgendo ad exactionem. Verum reddita mox Palatinis Largitionalium Titulorum exactio Anno proximo, conſtitutione ad eundem Anthemium data, puta *l. 18. prox. infr.* qua proinde *hæc* hac parte abrogatur. Item reddita a Valentiniano Tertio, vt docet *lex 32. infr. de ſuſceptoribus.* Illud ex *d. l. 18.* diſcimus, hanc *legem* latam fuiſſe ad legationem prouinciæ Achaiæ, cui procul dubio grauis viſa Palatinorum exactio ob notiſſimam eorum auaritiam & frequentes concuſſiones; de quibus vide Valentiniani Tertii duas Conſtitutiones inter *Nouellas Theodoſianas, tit. 42. de Palatinis*, quæ perperam a nonnullis Theodoſio adſcribuntur.

P. 10. XVIII. (a) Idem AA. Anthemio PF. P. (b)

LARGITIONALIVM titulorum exactionem, Palatinorum obſequiis, vetuſtatis more conſecratum, (c) iuxta priſcam conſuetudinem, celebrari cenſemus; recens conditæ legis (†) in hac parte auctoritate ſequeſtrata, (d) quæ ritu vetuſtatis neglecto, Palatinæ munera dignitatis intempeſtiua Legatorum Achiuorum (e) admonitione abſtulerat. Ideoque huius ſtatuti præceptionem, per quam Palatinos veteri exigendi functioni conſtrinximus, commoniti Rectores obſeruent. Dat. v. Kalend. Octobr. Conſtantinop. Honor. VIII. & Theod. III. AA. Coſs. [409.]

NOTAE.

(a) Abeſt hæc *lex* a *Cod. Iuſt.* prælata ſuperiore *lege*, & quia hæc temporaria eſt. Iungenda autem illi *lex 169. infr. de decurionibus.* neque adeo improbabiliter *lex vn. ſupr. de Nili aggeribus non rumpendis*: & *lex 2. ſupr. quis in gradu præferatur. GOTHOFR.*
(b) *Anthemius* PP. Orientis ſub Theodoſio Iun. v. *Proſopogr. ID.*
(c) *γρ. Conſecratam*, vt habet Edit. in 4. *ID.*
(†) Intelligit *legem 17. prox. ſupr. ID.*
(d) *Sequeſtrata*, id eſt, abrogata, antiquata. *ID.*
(e) De *Achiuis* vide & *l. 33. ſupr. de annona & tributis.* Hinc interim diſcimus Achaiam hoc tempore ſub PP. Orientis fuiſſe: Poſtea enim ſub PP. Illyrici fuit. v. *Notitiam Imperii. ID.*

Interpretatio. *Hæc lex præcipit, exactores ad exigendas tributarias functiones idoneos eſſe mittendos, ita vt ſi de hiis populi vlla accuſatio proceſſerit, id eſt, querela depoſita fuerit, in eorum loco alii dirigantur, (f) vt habita diligenti inquiſitione, ſi in diſpendia Prouincialium de ſuperexactionis crimine conuinci potuerint, & capitali periculo ſubiaceant, & eorum facultatibus in quadruplum quæ ſunt ſuperexacta reddantur. Iudices vero prouinciarum* xxx. *librarum auri ſe nouerint pœna feriendos, ſi ea quæ ſtatuta ſunt implere neglexerint.*

NOTAE.

(a) Abeſt & hæc *lex* a *Cod. Iuſt.* eique iungendæ ſunt omnes illæ *leges*, quas ad *ſuperiorem* cumulaui, & in his ea ipſa *lex* ſuperior, & *lex prox. vlt. infr. GOTHOFR.*

(b) *Eucherio*, MSS. W. G.| & Sichard. *RITTER*

(c) *Ordinentur*, Sichard. in MSS. eſt *ordinabantur. ID.*

(d) *Alios oportet*, Sichard. *ID.*

(e) *Eruatur*, Sichard. *ID.*

(f) *Deligantur*, prior Cuiac. & Edit. in 4. *ID.*

COMMENTARIVS.

De Exactorvm Ordinatione, eorundemque *Concuſſionis* & *Superexactionis* reorum pœna, eſt *hac* Honorii *lex*, quæ conſtitutionis prolixioris portio eſt, vt ad *l. ſuperiorem* dixi, qua in vniuerſum iuſtæ tributurum exactioni per Africam conſultum iuit. *Ordinationis* igitur Exactorum forma hæc præſtituitur: Primum, vt Karthagine, & ſic in vrbe metropoli totius prouinciæ Africæ ordinentur: pariter vt in eadem vrbe Karthaginenſi aurum & argentum inferri iubet, *l. 32. ſupr. de annona & tribut.* quæ *huic* inter cæteras coniungenda eſt. In magna igitur hominum luce Exactores ordinari voluit, vbi & ipſe Proconſul Africæ & hominum opportunitas erat. Imo (quod Secundum) ſecretario ipſius Proconſulis publice populo admiſſo Exactores ordinari iubet, ſedente videlicet ipſo Proconſule in Secretario, populo adſtante, vt ita idoneæ & ſtrenuæ perſonæ eligantur. A quo more non abludit, quod de ordinatione Epiſcoporum Chriſtianorum etiam Alexander Seuerus apud Lampridium *cap. 45.* memorat; quodque idem Alexander in Rectoribus prouinciarum, Præpoſitis, vel Procuratoribus ordinandis facere ſolebat. Tandem neque abſimilia mos in eadem Karthagine coram populo, & in foro, quem deſcribit Auctor *librorum, de promiſſionibus & prædictionibus Dei: In calculis*, inquit, *eburneis nomina Proconſulum conſcripta Karthagine in foro coram populo a præſenti Iudice ſub certis vocabulis citabantur, & erat ſolemnis dies,* Albi Citatio. *Hi qui auaritiam ſuperantes Rempubl. fideliter egerant, abſque flagitiis facinoribuſque etiam abſentes honorabantur: eos vero, quos rapacitas vicerat, populus conuitiis ſibiliſque notabat.* Populari igitur accuſationi, vt *hac l.* nominatim dicitur, atque adeo & prædicationi, quo pertinet vterque locus & Lampridii, & Auctoris *libri de promiſſionibus*, locum fecit *hac l.* Honorius. Et hæc de ordinatione Exactorum.

Sequitur Poena eorundem, tum & Iudicum. Illis nempe in concuſſione poſſeſſorum deprehenſis, vel, vt Interpres recte, de ſuperexactionis crimine conuictis, capitalem pœnam imponit cum pœna Quadrupli: His vero, ſi ſuperius ſtatuta neglexerint, xxx. librarum auri multam indicit. Quod capitalem pœnam attinet, eadem & antea Valentiniani forte *lege* & Arcadii, ſuperexactioni impoſita fuit, vt teſtatur *lex 1. infr. tit. prox. de ſuperexact.* vbi dicam. Quod Quadrupli pœnam ſpectat, ſancita ea quoque *l. 11. infr. de Extraord.* & a Leone quoque reducta *Nouella 61.* abrogata pœna Capitali.

P. 82. XXI. (a) Idem AA. Euchario ſuo (b) Sal.

Grave, & contra rerum ordinem, iudicamus, vt idem Municeps (c) & ciuitatis neceſſitatem, & Exactoris (d) publici (e) ſubire cogatur officium. Quod ne contingat, generali lege ſancimus, Cognitoris cuius intereſt iuſſioni, (f) ad prædia Manſuetudinis Noſtræ, vel quæ ſub fiſci nomine cœperint retineri, moderanda, vel ex ſuo Corpore (g) idoneos quoſque dare (h) debere, vel ex his ſi qui perfuncti ſacramento militiæ abſolutione potiuntur. Ab his namque conuenit, a quibus ratio ob prædam (i) diſcuti (k) conſueuit, adminiſtrationem ſuſtinere (l) huiuſcemodi prædiorum. Iudicibus itaque atque Officiis pœnam quinquaginta librarum auri inponimus, niſi commode (m) obtemperauerint definitis. Dat. prid. Kal. Mart. Rau. Honorio ix. & Theod. v. AA. Coss. [412.]

NOTAE.

(a) Abeſt & hæc *lex* a *Cod. Iuſt.* Quibus porro iungenda ſit, iam ad *duas ſuperiores leges* oſtenſum eſt, quæ ipſæ & de earum numero ſunt. *GOTHOFR.*

(b) Proconſuli Africæ, vt cæteris *legibus. ID.*

(c) *Mu-*

(c) *Municeps* hic pro Decurione parites vt *l.* 41. *infr. de operib. publ.* & varus *legibus*, *tit. infr. de decurion* & *l* 5. *C. Iuſt. de omni agro deſerto ID.*

(d) Hic graue vulnus reſidet, a quo ſibi *huius Cod.* Conditores non cauerunt: Reſcribendum enim, *& Actoris.* Quare fugitiua hæc *lex* eſt; de quo mox plura. *ID.*

(e) *γρ. Publice*: vel ſane *Actor Publicus* dicitur, qui res fiſcales adminiſtrat, vel Principis. *ID.*

(f) *γρ. Iuſſione. ID.*

(g) *Corpus* Iudicis hic pro Officio ſeu Officialibus Rectoris prouinciæ accipiendum eſt. *ID.*

(h) *γρ. Dari. ID.*

(i) Vid. *l.* 2. *infr. de diſcuſſor. ID.*

(k) Vid. *infr. titulum, de diſcuſſor. ID.*

(l) *γρ. Suſtineri. ID.*

(m) *Σύγχυσις* hæc: dictum enim potius oportuit *commode definitis obtemperauerint. ID.*

COMMENTARIVS.

FVGITIVA hæc Honorii conſtitutio eſt: & erratum non leni errore hac parte ab *huiuſce Codicis* Conditoribus, nimia feſtinatione tum & praua lectione in errorem inductis. Neque enim hic legendum, & *Exactoris*; verum & *Actoris.* Eſt ſcilicet hæc *lex* de *Actore*, id eſt, moderatore, adminiſtratore prædiorum Principis; quod vt tota *lex* oſtendit; ita hæc nominatim verba euincunt: *ad prædia Manſuetudinis Noſtræ, vel quæ ſub fiſci nomine cœperint retineri moderanda:* Et mox; *Ab his conuenit adminiſtrationem ſuſtineri huiuſcemodi prædiorum.* Induxiſſe in errorem potuit quoque Conditores *huius Codicis*, quod prolixa illa Honoriana conſtitutione, cuius *hæc noſtra* pars eſt, aliquammulta de Exactoribus & Suſceptoribus contineantur, vt docent *duæ ſuperiores leges*, & *lex* 31. *infra, de ſuſceptoribus. lex* 32. *ſupr. de annona & tribut. lex.* 23. *ſupra de cohortalibus*, quæ *huic* omnes iungendæ ſunt. Verum vt varia eius conſtitutionis capita fuerunt; ita ea Curialibus nominatim proſpectum Honorius voluit, ne humilibus Officiis & extraordinariis oneribus occuparentur, vt diſerte docet *dicta lex* 31. *infra, de ſuſceptoribus.* Contra iis humilia officia & extraordinaria imponi voluit, a quibus ratio eorum officiorum explorari & diſcuti de more ſolet; vt tum *hæc lex* tum *dicta lex* 31. oſtendunt: quæ hac parte geminæ germanæ ſunt. Illius *legis* verba hæc ſunt: HVMILIBVS *officiis, aut extraordinariis oneribus occupari Curiales non patimur, ne publica vacillet vtilitas. Suſceptionem itaque veſtium* ÆQVIVS *eſt, ab* OFFICIO *Proconſulari, vel ab his qui in eodem* MERVERVNT, *ſollemniter procurari. Horum namque intereſt huiuſmodi* EXPLORARE RATIONEM, *& quærere qualitatem eorum, quorum ad contuendum cura commodior eſt. Neque enim æquum eſt, vt ad officium lucella curialem ſuſceptionis tantum damna pertineant. Hanc igitur ab Ordinibus iniuriam ſubmouemus: exceptis his, ſi qui Curialium officio memorato, aut militaſſe, aut militare fuerit deprehenſus.*

Sententia igitur *huius l.* hæc eſt, Decurionem, qui vtique ciuitatis ſubit neceſſitatem, non debere cogi ad officium Actoris publici, id eſt, moderatoris, adminiſtratoris prædiorum, vel rei priuatæ, vel fiſci, verum ex corpore Officialium huiuſmodi Actores eligi oportere, vel ſane ex eorum numero, qui in eodem officio meruerunt, id eſt, qui perfuncti opus militiæ ſacramento abſolutione potiuntur. Quæ omnia de ſuſceptoris veſtium officio *d. l.* 31. *inf. de ſuſceptoribus*, cauentur: Et ratio quoque vtrobique eadem, quod ab iis hæc officia ſuſtineri conueniat, a quibus huius officii ratio explorari ſeu diſcuti conuenit, ac ſi diceret: Diſcuſſoribus alicuius Officii, ipſum officium conuenientius imponi: *Diſcuſſoribus* inquam: id eſt, qui rationes geſtionis alienæ explorant & diſcutiunt: de quibus dicetur *infr. tit.* 26.

P. 83.

DE SVPEREXACTIONIBVS.

TITVLVS VIII.

LIB. X. COD. IVST. TIT. XX.

Concordat *ſupr. tit.* x. *de concuſſ. Aduocator.* ſiue *apparitorum: lib.* VIII. & hoc ipſo libro, *Titul.* XI. *ne damna prouincialib. infligantur.*

PARATITLON.

SVPEREXACTIO *Rubr.* ſuperexactionis crimen *l.* 1. *hoc tit.* & Interpretatio ad *l.* 20. *ſupr. tit. prox.* Concuſſio, *d. l.* 20. *ſupr. de exactionibus*, in Exactoribus, ſi videl. vltra debitum eliciant, *l.* 2. *h. t.* vel etiam maioribus menſuris atque ponderibus ſubiectis poſſeſ-

poſſeſſores damno afficiant, *l.* 3. *h. t.* capitis periculo plectitur, *d. l.* 1. *hoc tit.* & *d. l.* 20. *ſupr. de exactionibus.* Et quod ſuperexactum fuerit reſtitui prouincialibus debet, *l.* 2. *hoc tit.* ex bonis ſuſceptoris & exactoris, & quidem in Quadruplum *dict. l.* 20. De hoc ſuperexactionis crimine ſunt horum Imperatorum conſtitutiones: Conſtantini M. *l.* 1. *de concuſſ. aduoc. l.* 3. *de annona & trib. lex* 1. *de exactionibus:* Valentis, *l.* 11. *infr. de extraord.* Arcadii *lex* 1. *h. t.* Honorii *lex* 20. *de exactionibus.*

I. (a) Impp. ARCADIVS & Honorius AA. Cæſario PF. P. (b)

SI quis Exactorum ſuperexactionis crimen (c) fuerit confutatus, eandem pœnam ſubeat, quæ Diui Valentiniani (†) ſanctione dudum fuerat definita: Capitis namque periculo poſthac cupiditas (d) amouenda eſt, quæ prohibita totiens, in hiſdem ſceleribus perſeuerat. Dat. prid. Non. Mart. Conſtantinop. Cæſario & Attico coss. [397.]

NOTAE.

(a) *Lex vn. Cod. Inſt. eod. tit.* ex *hac l* & ſequente conflata & interpolata eſt, & quidem *πρωθυστέρως*; ſic vt *huius l.* ſententia poſtremum ibi locum obtineat, & anteuertat ſententia *d. legis prox. GOTHOFR.*

(b) *Cæſarius* PP. Orientis ſub Arcadio: v. *Proſopogr. ID.*

(c) *Crimine* Cod. Iuſt. recte. *ID.*

(†) Hanc conſtitutionem non reperio, niſi intelligat legem 11. *inf. de extraord. mun.* de quo mox: vel *legem* 1. *ne damna prouincialib. inflig ID.*

(d) *Cupiditatis* vox, hac in re propria: Vide *Gloſſarium ID.*

COMMENTARIVS.

ARCADII Imp. hæc in Superexactores conſtitutio eſt: id eſt, in Exactores vltra quam oportet exigentes, & ſic collatores concutientes: In quos variæ extant diuerſorum aliorum Principum conſtitutiones, puta Conſtantini M. *lex 3. ſup. de annona & trib. l.* 1. *ſup. de Exactionibus: lex* 1. *de concuſſ. Aduocatorum* (cuius eiuſdem eſt & in publicanos concuſſores *lex* ... *de vectigalibus:*) Fuit & Valentiniani, quæ *h. l.* memoratur Imp. Valentis *lex* 11. *infr. de extraordinar.* Honorii *lex* 20. *ſupr. de exactionibus.* Hæ inquam in Exactores ſuperexigentes conſtitutiones occurrunt: Plures enim aliæ occurrunt in Diſcuſſorum, Peræquatorum, Compulſorum, Officialium concuſſiones, quæ ab hac ſpecie diuerſæ ſunt: imo & Iudicum. Quæ ſuperexactionum & concuſſionum ſpecies ab hac diligenter diſtinguendæ ſunt, ne
P. 84. incondito tractatu hæc commiſceantur cum Exactorum ſuperexactione, quam *Φορολόγων ἀπανθρωπίαν* vocat Gregorius Nazianzenus, *Orat.* 16. *p* 242. *edit. Lipſ. ſiu. Colon. apud Weidm.* Leo *Nouella ſua* 61. *διοικητὰς ὑπερεκτείνοντας τὰ τέλη*, vocat.

Nos de hac Arcadii *lege* nunc videamus: etſi illud manifeſtum, Valentiniani conſtitutionem *hac l.* firmari: Item, capitalem ſuperexactoribus pœnam imponi. Hæc inquam clara ſunt: atenim dubium illud quidnam Valentiniani *leg.* comprehenſum fuerit, & quatenus Valentiniani conſtitutio firmetur. Videri igitur poſſit *hac l.* Arcadius Valentiniani *legem* firmare in præteritum: in poſterum vero, ſeu POSTHAC capitalem pœnam & ſic ſeueriorem ſuperexactoribus imponere: vt ita Valentiniani *lex* ad capitalem pœnam non proceſſerit, verum Quadrupli tantum pœnam impoſuerit: Certe a Valente hæc Quadrupli pœna ſtatuta *l.* 11. *infr. de extraordinar.* cui Valentiniani quoque nomen inſcriptum eſt. Eandem pœnam Honorius impoſuit Peræquatoribus, ac Diſcuſſoribus, qui in damnum prouincialium aliquid accepiſſe fuerint conuicti: *l.* 7. *infr. de cenſitoribus.* Imo pœnam vtramque idem Honorius Exactoribus ſuperexactionis reis impoſuit *l.* 20. *ſup. de exactionibus.* Conſtantinus non expreſſa pœna, ſeueram ſententiam in Exactores proferri voluit, ſeu competenti in eos ſeueritate vindicari, *l.* 1. *ſup. de* [illegible] *concuſſ. Aduocatorum.* Videri igitur poſſit Valentinianus quoque Quadrupli pœnam ſuperexactioni impoſuiſſe: cui locum eſſe voluerit *hac. l.* Arcadius in præteritum: in poſterum vero capitalem pœnam ſanxerit; *Capitis namque periculo* POSTHAC *cupiditas amouenda eſt, quæ prohibita totiens, in hiſdem ſceleribus perſeuerat.* Quibus verbis omnino indicari videtur, pœnam nunc a ſe intendi, nil proficiente ſuperiorum Legum & in his Valentiniani diſciplina. Atenim videri quoque poſſit Valentiniani *lege* capitalem pœnam ſuperexactionibus propoſitam fuiſſe: Atque adeo nulla temporis diſtinctione, *hac l.* eam confirmari, executionique tradi iuberi, quod certe verba eius, & ſeries nihiloſecius ferunt. Certe Valentiniano capitalis pœna placuit, in ſpecie *leg.* 1. *infra, ne damna prouincialibus:* aduerſus concuſſiones Officialium. Quicquid huius ſit, Valentiniani certe moribus *lex* illa conuenit: quem Ammianus *lib.* 30. *cap.* 9. ſcribit, in *prouinciales admodum parcum fuiſſe, & Tributorum vbique molliuiſſe ſarcinas.* At enim ſublata hac pœna, reducta Dupli & Quadrupli pœna a Leone *Nouella* 61. *περὶ τοῦ πῶς δεῖ ζημιοῦσθαι τοὺς διοικητὰς ὑπερεκτείνοντας τὰ τέλη, tributorum exactores, ſi plus quam debeant exegerint, qua pœna afficiantur.* De Dupli pœna eſt quoque in hac ipſa re *lex* 2. *Cod. Iuſt. ex quibus cauſis infamia:* cuius ſententiam & lectionem vindicaui ad *l.* 6. *ſupr. de diuerſ. reſcriptis.*

II. (a) Idem AA. Apollodoro Proconſ. Afric.

QVIDQVID vltra debitum elicitum fuerat, (b) eruatur: quod Prouinciæ reſtitui protinus oportebit. Dat. prid. Id. Mart. Stilicone & Aureliano Coſs. [400.]

NOTAE.

(a) Interpolata; vt dixi, ad ſuperiorem, hæc lex, *l. vn. C. I. eod tit.* GOTHOFR.

(b) Vocem hanc mox expendo. *ID.*

COMMENTARIVS.

HONORII e tribus in ſuperexactores conſtitutionibus hæc vna eſt, & prima quidem omnium: poſteriores *hac* enim ſunt, *lex 3. prox. infr.* & *lex 20. ſupr. de exactionib. tit. prox.* Sane vt hæc, ita & *d. lex 20.* ad Africam Proconſularem pertinet. Atenim hæc non ſuperexactorum pœnam continet, ſed prouincialium tantum qui ſuperexacti fuerunt, indemnitati conſulit: Id enim hactenus cauetur; Vt quidquid ſuperexactum eſt, ex bonis ſuperexactoris eruatur & Prouinciæ ſuperexactæ protinus reſtituatur, quæ inanis non eſt conſtitutio; Ferme enim alioquin vt repetundarum, ita cupiditatis huius ſeu concuſſionis & ſuperexactionis iudicium ipſorum prouincialium concuſſorum reſpectu inane eſſe ſolet, & *victrix prouincia plorat*, quod Iuuenalis dixit *Satyr. I. v. 50.* Cæterum peculiaris quædam ſuperexactorum inquiſitio, & forte ſingularis cuiuſdam perſonæ *hac l.* ibi, FVERAT, ERVATVR, indicatur; Denique ad proſcripti alicuius hiſtoriam ea procul dubio pertinet, e cuius bonis quod vltra debitum elicitum fuerat, erui & prouincialibus reſtitui iubetur, vltra *debitum*, id eſt, vltra tributi modum: de quo *debiti* ſignificatu conſule *Gloſſar.*

III. (a) Impp. HONOR. & Theodoſ. AA. Cæciliano (b) PF. P. Poſt alia.

VELVT licito committi, frequenti læſorum deploratione (c) didicimus, vt maioribus ſubiectis menſuris atque ponderibus graui poſſeſſor damno quatiatur: Iubemus, (d) vt cura & ſolertia Defenſorum hoc fieri a Suſceptoribus non ſinant, deprehenſoſque ad Iudicium dirigant, cum ipſo commiſſæ fraudis indicio (e) idem (f) fieri notum eſt: vt Prouincialibus noſtris conteſtari iniurias ſuas cupientibus actorum confectio
P. 85 a Defenſoribus, Ordinibus, *Curatore* & Magiſtratibus (g) denegetur: Idque gratia (h) tribuatur eorum, quos rationabiliter intellexerint arguendos: Quod ne accidat, nouerint cuncti Prouinciales, quotiens petitam ſibi Actorum copiam a memoratis viderint denegari, querelæ propriæ libellum conſcriptum, eo tenore quo fuerat, conteſtandum, in frequentioribus ciuitatum locis adfigendum conueniendoſque Scribas, Tabularios, & cetera Officia publica commonenda, per quæ libellum colligi oportebit, atque inuitis ſupra memoratis perſonis ſub Actorum confectione ingeri; quorum quæſtione (i) fides poſſit inquiri, quæ (k) probata in eos quos geſtorum petitam confectionem negaſſe conſtiterit, vigor iudiciarius exeratur. Dat. XII. Kalen. Febr. Rau. Honorio VIII. & Theod. III. AA. Coſs. [409.]

NOTAE.

(a) *Lex 9. ſeu pen. C. Iuſt. de defenſoribus ciuitatum*, hinc interpolata eſt: omiſſa inter alia hic priore *huius l.* ſententia, velut hiſtorica: Iungenda autem illi eſt *lex vlt. infr. de fide teſtium* & *lex 5. & vltim. de exhibend. reis*, & *lex vn. ſupr. ne paſtoribus dentur filii nutriendi. l. vlt. vt intra annum* Quinimo & *lex vlt. ſupr. de abolition. lex vlt ſupr. de maleficis: lex vlt. ſupr. de cuſtodia reor.* Quin & *lex 8. Cod. Iuſt. de defenſoribus.* GOTHOFR.

(b) *Cæcilianus* PF. Italiæ ſub Honorio, v. *Proſopogr. ID.*

(c) Comploratione, *l. 6. infr. de nauiculariis:* ſubclamatione *l. 4. ſupr. de exactionib. ID.*

(d) *Quare* iubemus. *ID.*

(e) *Iudicio*, id eſt, notoria, elogio, digmate. *ID.*

(f) Locus hic ita conſtituendus eſt: *Indicio. Id etiam fieri notum eſt.* Eſt enim hæc noua & ſecunda *huius l.* ſententia, & quidem ab hoc *titulo* ferme aliena. Scriptum fuerat, *Id enim:* inde error, vel repone, *Item. ID.*

(g) Similis Magiſtratuum ſeries in *d. l. 5. ſupr. de exhibendis reis. ID.*

(h) Ferri quidem hoc poteſt; ſed malim tamen, *gratiæ:* Vide interim *legem 7. infr. de Conſiterib. ID.*

(i) Huic ſententiæ accedit *d. lex vlt. ſupr. de fide teſtium. ID.*

(k) *rg. Qua probata; qua* fide ſcilicet. *ID.*

COM-

COMMENTARIVS.

HONORII altera hæc eſt *hoc titulo* in ſuperexactores deque ſuperexactionis & concuſſionis prouincialium crimine conſtitutio A. D. 409. quæ quidem pars eſt prolixiſſimæ Honorianæ Conſtitutionis, *de Proceſſu Criminali*, portio: vt docent nouem *leges* illæ, quas *huic* coniungendas eſſe iam in *Notis* dixi: Et ſane, hac ipſa illius conſtitutionis parte, nihil aliud agit Honorius, quam vt oſtendat modum, quo Accuſatio ſuperexactionis conteſtatioque iniuriarum inſtitui, in conteſtationem deduci, ad Iudices deferri poſſit: Quandoquidem variis rationibus eueniebat, vt iniurias ſuas conteſtari, qui ſuperexacti læſique fuerant, vel non auderent, vel non poſſent. De eo autem nominatim ſuperexactionis genere *h. l.* agi obſeruandum eſt, quo ſuſceptores (de quibus erit peculiaris *titulus inf. lib. 12.*) *Menſuris* & *Ponderibus* maioribus ſubiectis graui damno collatores & prouinciales adficiebant. Cui ſane Suſceptorum fraudi occurrimr pariter tribus aliis *huius Cod.* conſtitutionibus, puta, *l. 19. 21. 32. d. tit. de ſuſceptoribus.* & a Valentiniano III. *Nouella inter Theodoſianas 25.* vt cæteroquin hæc res curam Principum ſæpe meruit, de quo ad eas *leges* pleniſſime.

Duo itaque Remedia duobus malis, quæ hoc tempore percrebuerant, opponit *hac leg.* Honorius Imp. Et illi quidem quod diximus de Maioribus menſuris & ponderibus ſubiectis, iſtud opponit: Iniungit ſcil. *Defenſoribus* ciuitatum hanc curam & ſolicitudinem, vt deprehenſos ſuperexactores, qui maioribus menſuris atque ponderibus poſſeſſores damno affecerint, ad Iudices dirigant cum indicio fraudis commiſſæ: quod relatum eſt in *leg. pen. Cod. Iuſt. de defenſ. ciuit.* Vt cæteroquin propria hæc *defenſorum* cura fuit, plebem ab improbitatibus inſolentium vindicare, ac nominatim a Suſceptorum improbitate: de quibus ideo Defenſoribus, conſtitutione ſua, vnde hæc *lex* deſumpta eſt, multa hanc in rem cauit: præter hanc legem, *l. 5. ſupr. de exhib. reis:* & *l. 8. Cod. Iuſt. de defenſor. ciuit.* Deque his vide pleniſſimum *Paratitlon tituli*, *de defenſor. ciuit.* Vindicare, inquam, non quidem vt ipſi punirent, verum vt puniendos Iudicibus ſiſterent, vt iuxta *hanc leg.* docet *d. lex 5. ſupr. de exhibend. reis;* quæ *huic* inter alias iungenda eſt; *lex 2. ſupr. de defenſ. ciuit. lex 12. infr. de paganis:* miſſo vna elogio ſeu notoria, id eſt, criminis qualitate & probatione, quod hic *Indicium commiſſæ fraudis* vocatur; de qua voce vide *Gloſſarium.*

Alterum remedium, non iam exactorum concuſſionibus, vel ſuperexactionibus tantum, verum quibuſcunque iniuriis oppoſitum, iſtud eſt; quod iniuriam ſeu concuſſionem paſſis inſtituendæ eo nomine accuſationis modum præſcribit Honorius; puta vt concuſſi, iniuriamve paſſi, conteſtentur ſuas iniurias apud Defenſores, Ordines, (id eſt, Curias Municipiorum) Curatores & Magiſtratus, id eſt, Duum-viros, quibus iiſdem & cæteroquin Rei paſſim offerebantur, & actis municipalibus tradebantur, *d. l. 5 ſupr. de exhib. reis*, (quæ *huic*, vt dixi, inter cæteras iungenda eſt: vid. & *leg. vn ſupr. ſi quacunque præd. pot.* & in vniuerſum teſtationes apud eorum acta fiebant, vt docet præter hanc, *lex 2. infr de Canone frum. V. R.* *lex 5. infr. de repar. appell.* de quo plene ad *leg. 20. infr. de Decurion.* Tralatitium igitur id iam fuit, id quod *hac ipſa leg.* indicatur. Et ſane id *hac leg.* non primum conſtituitur, ſed memoratur; imo & ideo memoratur, vt his deficientibus & recuſantibus conteſtantibus iniurias ſuas actorum copiam facere, alio Remedio læſis conſulium eſſe poſſit; eo quod gratiæ reorum ſæpe tribuentes iniurias ſuas conteſtantibus, vel conteſtari cupientibus actorum ſeu geſtorum petitam confectionem denegarent. Remedium igitur *hac leg.* Tertium tale eſt: ſcilicet definitur, actorum copia a prædictis denegata, libello publice affixo in frequentioribus ciuitatum locis, læſos iniuriam ſuam conteſtari poſſe, atque libellum collectum actis inſeri a Scribis, Tabulariis, & cæteris officiis publicis.

Et hæc quidem eſt *huius leg.* ſententia, quæ ſingularis admodum eſt, velut triplicem iniuriæ & concuſſionis vindicandæ vel ſaltem conteſtandæ p. 16. modum continens: & quidem poſtrema hæc, per libellum publice affixum: vbi & hoc Quartum ſingulare, quod colligi hunc libellum velit a Scribis, Tabulariis, & cæteris Officiis publicis: Dein ab iis inuitis, ſuperioribus actis inſeri, vt ita poſtea & Scribarum, Tabulariorum, & Officiorum illorum publicorum quæſtione fides veri inquiratur: & illi, qui actorum confectionem denegarunt, puniantur. Vnde inter alia diſcimus de Scribis & Tabulariis, eos inter Officia publica fuiſſe, eos circa Acta verſatos; denique eos Conditionales fuiſſe, & quæſtioni ſubiectos ad fidem Veri quærendam, de quo ſuo titulo *ſup. lib. 8. tit. 2.* Niſi *Quæſtionis* vocem *hic*, pro inquiſitione accipiamus.

DE DISTRAHENDIS PIGNORIBVS, QVÆ TRIBVTORVM CAVSA TENENTVR.

TITVLVS IX.

LIB. X. COD. IVST. TIT. XXI.

De Capiendis & diſtrahendis pignoribus tributorum cauſa.

Huic *Titulo* affinis eſt *Titulus XVIII. lib. X. ſup. de fide & iure haſtæ:* quem conſule. Addatur *lex* 3. 4. 7. 16. *ſup. de exactionibus: lex* 1. *ſup. de pignoribus.*

PARATITLON.

PIGNORA *Rubr. l. 7. ſup. de exactionib.* (id eſt res *l. 4. d. t.* quæcunque res, *l. 1. de off. Iud. omn.* res & ſubſtantia *l. 3. ſup. de exaction.* puta prædia *l. 16. in f. ſupr. de exaction.* ſeu fundi *l. 2. h. t.* domus *l. 1. de officio Iudic. omn.* mancipia *l. 1. 2. h. t.*) prouincialium *l. 1. h. t.* qui fiſcalibus debitis per contumaciam ſatisfacere differebant *d. l. 4. de exaction.* qui impudenter ſolutionem differebant *d. l. 16. de exaction.* ob ceſſationem tributorum *l. 2. h. t.* a Iudicibus *d. l. 3. 7. de exaction.* Iudicum iuſſu *l. 2. h. t.* capiebantur (vnde pignorum captio, *d. l. 7. de exaction.* & *l. 2. h. t.*) occupabantur *l. 2. h. t.* Mox conuento debitore & apud Iudicem interpellato *l. 2. h. t.* duorum menſium ſpatio tranſacto, quod dominis indulgebatur ad ſoluenda tributa *l. 1. h. t.* ſi ſolutio ceſſaſſet *l. 2. h. t.* diſtrahebantur, *Rubr.* & *d. l. 4. de exaction.* ſub haſta *d. l. 2. h. t.* (v. tit. *de fide & iure haſta ſup.*) quibuſcunque *l. 1. h. t.* ciuibus *l. 3. ſupr. de exactionib.* comparatoribus, data firmitate perpetua poſſidendi, *d. l. 4. de exaction.* & *l. 2. h. t.* Excipiuntur ſerui aratores aut boues aratorii, qui etiam in tributorum cauſis, pignoris cauſa de poſſeſſionibus abſtrahi non poterant, *l. 1. ſupr. de pignoribus.*

I. (a) Imp. CONSTANTINVS. A. * (b)

QVONIAM deceſſoris tui litteræ, miſſæ ad Proculianum Tribunum (c) & Magiſtrum Officiorum, continent, *Quorundam Prouincialium mancipia* (d) *abducta pro pignore ſub Officio* (e) *retineri, eo quod Veſtes* (f) *canonicas*, (g) *vel Equos* (h) *minime intulerunt, atque hac mancipia, neque dominos ſolutis debitis recepiſſe, neque alios comparaſſe, veritos ne hac reſcinderetur diſtractio*, iubemus, duorum menſium ſpatium ad ſoluenda debita (i) mancipiorum dominis indulgeri: quo tranſactionis (k) debita fuerint perſoluta, firmiter mancipia comparabunt quicunque ad emptionem acceſſerint. PP. Prid. Kal. Ian. Caſtulone, (l) Seuero & Rufino Coss. [323.]

P. 87.

NOTAE.

(a) Abeſt hæc *lex* a *Cod. Iuſt.* velut Hiſtorica ferme. *GOTHOFR.*

(b) Rectori Bæticæ *hanc l* inſcriptam fuiſſe oportet, pariter vt *lex* 2. *inf.* mox vt oſtendam: cuius etiam Deceſſorem in eo Præſidatu memorat *hac ipſa lege. ID.*

(c) *Tribunus & Magiſter officiorum*, *h l.* & ſimiliter *lege* 1. *inf. de paganis*: quæ eiuſdem Conſtantini M. eſt, de eo plura mox, & ad *d leg.* 1. *ID.*

(d) Non tamen inſtrumenta aratoria, *l.* 1. *ſup de pignor.* quæ & ipſa Conſtantini M. eſt. *ID.*

(e) Officiales Rectoris Bæticæ nota. *ID.*

(f) Vide & *l.* 2. *prox. inf. ID.*

(g) *Canonica*, id eſt quæ tributi nomine ſolemniter præſtantur: v. *Gloſſar. ID.*

(h) Vide & de equis Hiſpanicis, *legem* 1. *inf de equis curulibus.* De *Equorum* collatione, *ſuis titulis. ID.*

(i) *Debita* hic & infra rurſum, bis pro tributorum debitis; v. *Gloſſ. ID.*

(k) *vſ. Quo tranſacto, niſi debita, &c. ID.*

(l) De hac *Vrbe* mox dicam. *ID.*

COM-

COMMENTARIVS.

DISTRACTIONI pignorum (veluti mancipiorum ſeu ſeruorum) quæ ob tributa, puta veſtes, Iumenta ſeu Equos non ſoluta, capti fuerunt & abducta ab Officialibus (de qua pignorum capione fuerunt quoque *lex 3. 4. 7. 16 ſup. de exactionib. lex 1. ſup. de pignorib.* e quibus *d. lex 1.* & *dd. leges 3.* & *4.* eiuſdem Conſtantini M. ſunt) certam formam *hac l.* præſcribit Conſtantinus M. ad relationem Præſidis Bæticæ (de quo mox) Duplici fine: partim, ne tributarii ipſi temere, etſi ob tributa non ſoluta, rebus ſuis pignori captis priuarentur: tum etiam, vt ad huiuſmodi pignorum emptionem alii tuto & intrepide accederent; cui vtrique hactenus per Bæticam Hiſpaniæ prouinciam (nam eo *hanc l.* pertinere mox oſtendam) non recte proſpectum fuerat. Formam igitur hanc proponit; Ad primum ſcil. finem, LAXAMENTVM duorum menſium dominis tribuit poſt pignora capta, ad ea luenda, ſoluendaque quæ diximus tributa: Pignora igitur Conſtantinus ob tributa illa non ſoluta illico quidem capi; at non & ilico diſtrahi voluit; quin bimeſtre adhuc tempus ad ea luenda dominis tribuit. Non tam facile ſcilicet bonis, ac nominatim in ſpecie *huius* [illegible]. ſeruis ſuis, miſeros tributarios exui voluit Conſtantinus M. quos ſæpe non tam contumacia, quam rei familiaris tenuitate tributa illa morari contingeret. πρὸς περίθαλψιν igitur & ad conficiendam pecuniam, vel ſpecies corrogandas, bimeſtre ſpatium & tempus tribuendum, credidit. Eodemque pertinet *conuentio* illa *debitoris* & apud *Iudicem interpellatio*, quam *l. proxima inf.* Conſtantini M. filius per eandem Bæticam requirit. Huic vero laxamento bimeſtri non abſimile eſt illud, de quo agitur *l. vn. ſup. de vſuris rei iudic.* & *l. 31. in f. D. de re iudic.* & in ipſa *lege XII. Tabularum, tab. 3.*

Illud cum primis obſeruandum, Conſtantinum *h. l.* hoc bimeſtre laxamentum *ἰδίως veſtium & Equorum* debitoribus tribuere, at non etiam ſpecierum annonariarum & fiſcalium: de quibus eſt quoque Conſtantini M. filii *conſtitutio illa prox. 2. inf.* vbi dicam plenius. Ad poſteriorem finem aſſequendum, vt *hac l.* ita & *l. prox. inf.* & *l. 1. ſup. de fide & iure haſtæ*, id eſt, ad emptores prouocandos, id conſtituitur, emptionem perpetuam firmitatem habituram, ſic vt diſtractio ea reſcindi non poſſit. Perpetui ſcil. dominii ſpes, emptioni protelo eſt; de quo paulo plenius ad *leg. prox inf*

Nunc ad hiſtorica *huius l.* Primo notandum *hanc l.* pariter vt *lex prox. inf.* pertinere ad BÆTICAM Hiſpaniæ prouinciam, quod oſtendit iſtius ſubſcriptio, *PP. Caſtulone. Caſtulo* ſcil. in Oretanis, teſte Ptolomæo & Stephano, in prouincia Bætica fuit ad Bætin fluuium, magna iam olim ciuitas, de qua vide Liuium *lib. 24 c. 41.* & Silium *Punicor. lib. 3. v. 99.* & *v 391.* & Plinium *lib. 3. cap. 3.* Cuius Epiſcopus, paulo poſt *hanc l.* Annianus Concilio Sardicenſi interfuit; hodie *Calſona* vocatur, de qua vide ſis Nonii *Hiſpaniam cap. 64.* cuius obſeruationibus hæc noſtra deinceps ex *hac l.* accedat, eam videl. Bæticæ metropolim fuiſſe, atque inibi Rectorem ſedem ſuam habuiſſe. Neque temere eſt, quod Antoninus in Itinerario a Caſtulone & in eam itinera deſignet *pag. 402. 404. edit. Weſſeling.* His duabus obſeruationibus Hiſpaniam ſpectantibus accedat ex *hac l.* tertia, partim & ex *leg. prox. inf.* Veſtes & Equos Hiſpaniam, ac nominatim Bæticam, contuliſſe; quo vtroque ſcil. Hiſpania nobilis fuit. De equis Hiſpanis & eorum nobilitate plene dicam ad *l. 1. inf. de equis curulibus*, vbi pariter *equi Hiſpani ſanguinis* memorantur. Claudianus quoque *panegyr. in Manlii Theodori Coſ.* de ludis curulibus Conſularibus agens *v. 283. ſeqq.*

Illuſtret Circum ſonipes, quicunque ſuperbo
Perſtrepit hinnitu BÆTIM, *qui ſplendida potat*
Stagna Tagi, madidoque iubar aſpergitur auro.

De Veſtibus ſeu veſtium collatione fidem facit pariter *lex prox. inf.* De vtroque eſt & hic veteris Geographi (qui xx. circiter annis poſt *hanc leg.* ſcribebat ſub Conſtantio & Conſtante Imp. quem edidimus ipſi) locus, vt inepti Interpretis verba habent, *c. 50. Deinde ad Gallia Spania, terra lata & maxima, & diues viris doctis, in omnibus negotiis: quorum ex parte dicimus: Oleum enim, & liquamen, & VESTEM variam, & lardum, &* IVMENTA *mittens omni mundo ſufficiens, omnia bona poſſidens, & præcipua in omnibus bonis.* De lana & laceruis Bæticis res nota: de quibus Strabo, Plinius, Martialis, Tertullianus de *Pallio.* De Equorum alioquin in commune conlatione erit *hoc ipſo libro* peculiaris *titulus inf. XVII.* & *titulus XVIII. Qui a præbitione tironum & equorum excuſentur.* Fuit & *Titulus, de oblatione equorum, penult. lib. VII.* Vt & de veſtium collatione *tit. VI. de militari veſte, eod libro.*

Secundo *hac l.* obſeruandum, De *Tribuno & Magiſtro officiorum*: Conſtantini M. ſeculo ad eum de præcipuis quibuſque, quæ ad ſcientiam Principis perferenda eſſent, a magiſtratibus tum Vrbicis, tum prouincialibus, *literas* mitti ſolitas: ſub quo etiam ſcrinia Epiſtolarum erant. Quod altera quoque *lege* Conſtantini M. *hoc Codice* confirmatur, *l. 1. inf. de paganis*; quæ Maximo P. V. inſcribitur. Idemque deinceps factitatum oſtendunt duæ Symmachi epiſtolæ *lib. 10.* puta *ep. 37.* & *57.* Et ſic per officiorum Magiſtrum res Principi innoteſcebant, vt in ſp. *d. l. 1.* & *huiuſce leg.* . Quare P. 88.
& hæc *lex* a Conſtantino lata ad indicium Magiſtri Officiorum.

Notandum & illud Tertio loco, *hac leg.* ita pariter *d. l. 1. inf. de Paganis*: Tribunum & *Magiſtrum officiorum* dici. Nempe *Tribuni* nomen hoc ſuo Magiſtro officiorum conueniebat, quod ex his duabus eiuſdem Conſtantini *legibus* diſcimus. Quo tempore ſcil. Illuſtres nondum fuere, certe Magiſtri officiorum Illuſtribus nondum acceſebantur, quod diu poſt factum, de quo ad *l. 1. inf. de Quæſtorib. Magiſtris officiorum.* Antea quippe Spectabiles erant, & Proconſulibus minores, mox illis tantum maiores; *l. 22. de curſu publ.* & *d. l. 1. de Quæſtorib.* &c. vbi dixi. Quare craſſus error eſt Gutherii *lib. 3. de off. domus Auguſtæ*

c. 10. Qui Tribuni nomen Magiſtro officiorum nullo modo conuenire poſſa prodidit: atqua ideo in *hac l.* duas dignitates diuerſas indicari, Tribuni ſcil. quam Proculianus, geſſit, & Magiſtri officiorum, qui non nominetur: vt ita, *&*, dictio hic diſiunctiua ſit, non copulatiua. Qui & illud ignorauit, non tantum *hac l.* Sed & *d. l. 1.* Tribuni & Magiſtri officiorum mentionem fieri. Tribunitia dignitas hoc æuo erat, quæ & aliis quam militaribus tribuebatur: ſed tamen militaribus proximis: Certa & hoc æuo Tribuni & Notarii coniunctis titulis dicebantur: de quo ad *l. 2 ſup. de Primicerio & Notariis.*

II. (a) Imp. CONSTANTIVS (b) A. ad Egnatium Fauſtinum (c) Præſidem Beticæ.

SI quis fundum, vel mancipia, (d) ob ceſſationem tributorum, vel etiam ob Veſtium, (e) Auri, argentique debitum, quæ annua exactione ſoluuntur, occupata, conuento (f) debitore, & aput Iudicem interpellatione celebrata, cum ſolutio ceſſauerit, ſub haſta (g) diſtracta comparauerit, perpetuam emptionis accipiat firmitatem: Cum (h) ſi Minoris forte perſona fuerit inſerta, neceſſe ſit, quempiam (i) legitimæ defenſionis indiguiſſe perſona: Præſertim, (*) cum, ad iuris etiam præſentis & veteris æquitatem, illud quoque indulgendum eſſe ducamus, vt ſcilicet, par conditio, etiam in hac pignorum capione, ſeruetur, quæ ob fiſcale debitum fuerint occupata: Nihilque interſit, vtrumne Officium ſummæ rei, (k) vel Procuratoris, an certe Rector (l) Prouinciæ id quod debitum fuerit, deleget, (m) ſi etiam in hac (n) debitores forte ceſſauerint, conditione (o) iuris expreſſa. Dat. Prid. Id. Decemb. Feliciano & Titiano Coſs. [337.]

NOTAE.

(a) *Lex vlt C. Iuſt. ſi propter publicas penſitationes venditio fuerit celebrata*, hinc interpolata eſt. *GOTHOFR.*

(b) *rg.* CONSTANTINVS, quomodo etiam in *Cod. Iuſt.* habetur; non tamen Conſtantinus M. ſed *Conſtantinus Iun.* de quo mox. *ID.*

(c) *Egnatius Fauſtinus* Præſes Bæticæ ſub Conſtantino Iuniore. *ID.*

(d) Pariter vt in ſpecie *legis 1. ſup.* Additum autem in *C. Iuſt.* hic, *aliamve rem ID.*

(e) De hac *Veſtium* collatione & quidem in Hiſpania Bætica, iam dixi ad *l. ſuperiorem. ID.*

(f) De hoc iam dicere anteuerti ad *l. ſuperiorem. ID.*

(g) Vide *tit. de fide & iure haſtæ, ſup. ID.*

(h) *Sin autem minoris*, ita *Cod. Iuſt. ID.*

(i) *Legitima defenſionis venditioni perſonam adeſſe*, ita *Cod. Iuſt.* [illegible] vero ita reponam: *Quampiam legitima defenſionis interueniſſe perſonam*, vel *quempiam* &c. *interueniſſe perſona*: de quo mox plura. *ID.*

(*) Hæc ſententia vſque ad, *nihilque interſit*, a *Cod Iuſt.* abeſt. *ID.*

(k) *Summæ rei Procuratoris*, ita *C. Iuſt.* omiſſa voce, *vel*, de quo mox. *ID.*

(l) *Rectoris Prouinciæ id*, ita Cod. Iuſt. *ID.*

(m) *Propoſuerit*: ita *C. Iuſt.* cæteris reſecatis, *Deleget* autem, id eſt exigendum committat: nam hoc ſibi vult delegandi, delegationis & delegatoriæ vox: *v. Gloſſ.* & interim *legem 16. ſupra de exactionibus. ID.*

(n) *rg. In hoc*, ſcil. fiſcali debito. *ID.*

(o) Id eſt eadem conditione quam ſuperius expreſſimus, id eſt interpellationis ſolemnis apud Iudicem, & ſub haſta quoque diſtractionis: niſi malit quis hic *conuentione iuris expreſſa. ID.*

COMMENTARIVS.

DE FORMA diſtrahendorum pignorum, quæ tributorum & fiſcalium debitorum cauſa capiuntur, ne temere & abrupte vendantur, eſt hæc pariter Conſtantini Iunioris conſtitutio: *Conſtantini*, inquam, *Iunioris*, non Conſtantini M. qui tempore *huius legis* iam deceſſerat, ante ſeptem ferme menſes, de quo vide *Conſularia Theodoſiana*: Non etiam *Conſtantii*; Conſtantino quippe Iuniori Arelatenſi, non Conſtantio in diuiſione Imperii Hiſpaniæ ceſſerant, ad quarum prouinciam Bæticam hæc *lex* pertinet. Quod cum aliunde notum ſit, illud tantum hactenus nouum addere iuuat, quod docet Incerti *Monodia* in hunc Conſtantinum Iun. quam ex Bibliotheca Palatina cum eruiſſem, Federico Morello viro Clariſſimo & eruditiſſimo communicaui, communicatam ipſe edidit: Nempe Conſtantinum hunc Iun. Arelatenſem ex *Hiſpania* ſponſam ſibi deſpondiſſe eo ipſo tempore, quo aduerſus fratrem Conſtantem profectus, apud Aquileiam mox interemptus eſt, id eſt quadriennio poſt hanc *leg.* Vide *eam Monodiam pag. 13. & 14.*

Formam igitur diſtractioni iſti pignorum præſcribit eodem fine, quo Conſtantinus Pater *l 1 ſup.* hanc, vt videlicet pignora non ante diſtrahantur, licet iam capta, quam debitore conuento & apud Iudicem interpellatione celebrata, & tum eo in ſolutione ceſſante; quam *conditionem iuris* mox *fine legis* vocat; niſi *conuentionis* vox ibi ſubſtituenda: adeo quidem, vt hanc *iuris veteris* æquitatem

tatem vocet; & ſic, id etiam ante hanc *legem* obtinuiſſe indicet, quod ipſe in præſens confirmet. Et *aquitatis* & *indulgendi* verbo rationem indicat, quam *ſuperiori lege* iam ſatis expendimus. Et hæc quidem in genere.

Atenim Conſtantinus Iun. duo iam ſpecialia ad iuris illius præſentis & veteris æquitatem adiungit ſeu conſtituit. Primum eſt, hoc ius in omnis generis publicis debitis obtinere oportere; non tantum ſcil. in veſtium, auri, argenti debito, verum etiam in *fiſcalibus* debitis & tributis, id eſt in ſpeciebus annonariis, veluti oleo, liquamine, lardo, (quas ſpecies Hiſpaniam contuliſſe mox oſtendam.) Quæ magna eſt Conſtantini Iun. indulgentia, maior paterna, *l. 1. ſup.* quod etiam duabus poſtremis *huius leg.* ſententiis indicatur. Indulgentia quippe ſiue laxamentum a Conſtantino M. tributum, non niſi veſtium & equorum collationem reſpiciebat, quæ vtique modicam dilationem facile admitterent: At non etiam ſolemnem annonariarum ſpecierum collationem, quæ nullam dilationem aut moram pati videbantur: At enim hæc Conſtantini Iun. indulgentia eo quoque nunc porrigitur.

Alterum ſingulare eſt, vt ſi de Minorum pignoribus & rebus, ob ceſſationem tributorum diſtrahendis agatur, neceſſe ſit, *Quempiam legitimæ defenſionis interuenire perſonam:* quod vtique ſingulare eſt; Nam etſi vbi de priuato iure agitur, reque priuata, neceſſe ſit legitimam defenſoris perſonam interueniſſe, eique denunciationem & conuentionem factam, de quo vide *l. 1. ſup. de Carboniano Edict. l. vlt. ſup. vnde vi*: Atenim in publicis longe aliud obſeruandum videbatur. Sed enim hac parte idem ius tribuit minoribus Conſtantinus Iun. Sane Valentinianus Sen. poſtea conſtitutione ad Vincentium P. P. Galliarum (ſub cuius diſpoſitione Hiſpaniæ quoque fuerunt) puta *l. 1. ſup. de fide & iure haſta:* Minoribus quorum res ob ceſſationem tributorum venditæ ſunt, ſimpliciter repetitionis facultatem ademit. Et hæc de ipſa *legis* ſententia.

Nunc ſingularia ſectemur: Primum obſeruari cupio *tributorum* & *fiſcalis debiti* appellatione proprie venire annonarias ſpecies, & quæ prodiga in annonario titulo dicuntur, *d. l. 1. ſup. de fide & iure haſta.* Secundo de *Officio* ſummæ rei videndum eſt, quod etiam a Procuratore hac conſtitutione ſeparatur: Perperam enim in *Cod. Iuſt.* ea commiſcentur: quod etiam Cuiacio fraudi fuit VIII. *Obſeru. 32.* quaſi *officium ſummæ rei*, & *officium Procuratoris*, hic idem ſint: cum tamen omnino differant: vt differunt *Rationalis ſummarum*, & *Procurator vel Rationalis rei priuata.* Hos enim in *Notitia Imperii Occidentalis* ſub diſpoſitione *Comitis S. L. fol. 140.* diſtingui videmus, vt & ſub diſpoſitione *Comitis R. P. fol. 144.* vbi inter alia *Rationalis ſummarum* Hispaniæ, & *Rationalis rei priuata per* Hispanias memorantur. Et vero *lex* hæc pertinet ad hos Rationales & Procuratores Hiſpaniæ: quibus alioquin etiam *Rationalibus Hiſpaniarum* inſcribitur Conſtantini M. *lex vn. ſup. de his qui ſe deſerunt.* *Summa* autem *rei*, hic, vt & *l. 7. Cod. Iuſt. vbi cauſa fiſcales:* quæ & ipſa eſt Conſtantini M. pro *ſummarum*, poſitum: quomodo alioquin & in inſcriptione *legis 7. ſup. de iure fiſci*: & in *Notitia Imperii* dicitur: Quomodo & *Actor Summarum* dicitur apud Suetonium *Domitiano, c. 11.* & Dispensator Svmmarvm in veteri lapide apud Gruterum MXIV. 1. Neque ideo tamen hic illud *ſumma rei* mutandum. Exſtat & vetus Inſcriptio apud Gruterum CCLXXXII. 6. quam Cuiacius *loc. cit.* quoque eduxit, in qua VAL. HONORATVS. V. P. RAT. S. R. dicitur: vbi Scaliger has notas RAT. S. R. interpretatus in *Indice ſuo* (qui Corporis veterum inſcriptionum anima eſt) *Rationalis ſacrarum remunerationum:* cui fauere videtur *lex 20. ſup. de Palatinis S. L.* & *l. 41. inf. de apellat.* vbi Comes ſacrarum Remunerationum, & Palatini ſacrarum Remunerationum nominantur. Ipſe tamen malim *Rationalem ſummæ rei* interpretari; quandoquidem etiam ſacræ remunerationes deſignandæ fuiſſent geminis SS. & RR. ita RAT. SS. RR. Inſcriptionem hic apponere iuuat, ideoquoque, quod in hæc ipſa tempora incidit.

PIISSIMO AC FORTISSIMO
FVNDATORI PACIS
AC PVBLICAE
LIBERTATIS
AVCTORI
D. N. FLAVIO VAL.
CONSTANTINO
NOBILISSIMO CAES
VAL. HONORATVS V. P.
RAT. S.R.O.N.M.Q.EIVS

Hue quoque iam olim referebat Cuiacius quod de Aurelio Cyrenio in Gallieni non reſcripto, verum Edicto apud Euſebium *lib. 7. hiſtor. Eccleſ. c. 13.* dicitur, ὁ τῦ μεγίςυ πράγματος προςατεύων. Quod & ipſum doctiſſ. Valeſius nuper probauit *in excerptis p. 112.* Sed Euſebius infeliciter voces illas *ſumma rei* expreſſit per hæc τῦ μεγίςυ πράγματος; Summa enim rei, eſt ſumma pecuniæ καθόλυ λόγος, ratiocinium omnium pecuniarum: quomodo & Dioni *in Excerptis Valeſianis pag. 769.* Aurelius Eubulus dicitur τὺς καθόλυ λόγυς ἐπιτετραμμένος: & in commune Rationales Græcis καθολικοὶ dicti apud Auctorem vitæ Conſtantini *lib. 4. c. 36.* Athanaſium *ep. ad ſolitar. vitam agentes pag. 847.* & *pag. 849. edit. Colon. ſiu Lipſ. apud Weidm.* & *in Gloſſar. Philoxeni*: & Officiales eorum *Catholiciani*: Vid. *Gloſſas Baſil. voc.* Ῥαϊωναλίυς. (a) Denique *ſumma* hic non adiectiuo ſignificatu, quaſi μεγίςη, ſed ſubſtantiuo ſignificatu: eſt ſcil. ſumma ποσότης, κεφάλαιον, καθ' ὅλυ, *ſumma rei*, vt ſumma curæ, Reipublicæ, naturæ, voti, miraculi, imperii, victoriæ, rerum, & ſimilia: quomodo & Præfecto Prætorio *ſumma rerum* ple-

(a) Confer CL. DV FRESNE *in Gloſſar.* voc. καθολικὸς, & καθολικιανοί.

pleniore & plurali iam ſignificatu commiſſa hoc ipſo tempore dicitur. Cœterum quia duo ſubſtantiua duriuſcule coniunguntur, *Officium*, vel *Rationalis ſumma rei*, ideo alibi Rationalis *ſummarum* dicitur. Errant enim qui hæc duo diſtinguunt, quaſi *Rationalis ſummæ rei* fuerit generalis, *ſummarum* vero particularis: ille καθολικὸς, hic κεφαλικὸς: vbi & alter error eſt: idem quippe ſunt in *Baſilicis* κεφάλαιον & καθόλου, nempe *ratio ſumma*. Tandem hic *ſumma rei*, *Res* pro facultatibus ſeu opibus. Et hactenus quidem de Officio *ſummæ rei*, & de Procuratoribus, & quomodo ab inuicem differant. De vtriſque ex *fine leg.* diſcimus, vtroſque exactioni præfuiſſe rerum priuatæ rei debitarum, veluti veſtium, auri, argenti: Rectores vero prouinciarum, fiſcalium debitorum, annonarum.

Superſunt ſublegenda ex *hac l.* quæ HISPANIAM ſpectant. Primo Bæticam Præſidem ſuum hoc tempore habuiſſe notandum eſt: cum tamen poſtea Conſularem habere cœperit, & ſic dignatione aucta fuerit, quod docet *lex 3. ſup. de bonis proſcriptor.* iam ſub Conſtantio; ſub Valentiniano, vt teſtatur Rufus Feſtus *in breuiario cap. 5.* ſub Theodoſio Iun. vt teſtatur *Notitia Imperii fol. 156.* Quare vetus Inſcriptio, in qua *Conſularis Bæticæ* memoratur, ad Conſtantini M. tempora referri non poteſt, verum ad Conſtantinum Iun. qui procul dubio paulo poſt *hanc leg.* Conſularem ex Præſidali fecerit. Inſcriptio ita habet Cordubæ, apud Gruterum CCLXXXIII. 8.

FORTISS. ET. INDVLGENTISS
PRINCIPI. DOMINO. NOSTRO
CONSTANTINO. VICTORI
PERPETVO. SEMPER. AVGVSTO
DECIMIVS. GEMINIANVS
VIR. CLARISS. CONSVLARIS
PROVINCIAE. BAETICAE
N. M. Q. E.
DICATISSIMVS

Niſi *Conſtantii* nomen in hac Inſcriptione aut expreſſum aut exprimi oportuiſſe putemus. Secundo de fiſcalibus & annonariis ſpeciebus, præter Veſtes, (de quibus ad *l. ſuperiorem*) præter aurum & argentum, quæ Hiſpania conſerebat, Anonymi Geographi, qui ſub Conſtantio & Conſtante ſcripſit, octo ferme annis poſt *hanc l.* hic locus occurrit. *Deinde ad Gallia Spania terra lata & maxima, & diues viris doctis in omnibus negotiis: quorum ex parte dicimus.* OLEVM *enim*, *&* LIQVAMEN, *& veſtem variam, &* LARDVM, *& iumenta mittens omni mundo ſufficiens, omnia bona poſſidens, & præcipua in omnibus bonis. Inſuper autem &* SPARTI *virtutem omni terræ præſtans, videtur quidem neceſſaria apud multos, quoniam omne nauium genus ſaluat, & per ipſum quamplurima omnem negotium videtur: apud multos autem debilis eſſe videtur.* Poſtremo de Rationalibus Summæ rei & Procuratoribus per Hiſpanias, de quibus *fine huius legis* agitur, iam modo dixi.

NE OPERÆ (*) A CONLATORIBVS EXIGANTVR.

TITVLVS X.

LIB. X. COD. IVST. TIT. XXIV.

(*) CORVÉES, *Bohades, ou Vouades, & Vinades.*

PARATITLON.

OPERÆ, *Rubr. l. 1. 2. h. t. l. 4. 15. inf. de extraordinar.* obſequium, *l. 1. 2. h. t.* ad proſecutionem equorum vel diuerſorum (id eſt rerum aliarum & diuerſarum, *l. 2. h. t.*) cum animalia, quibus proſecutio debetur, aduenerint, *l. 1. h. t.* quoties Collegiati numero impares ſunt, *l. 1. 2. h. t.* Collegiati, id eſt, qui proſecutionis officio funguntur, *l. 2. h. t.* impares, inquam, puta maiore animalium numero repente veniente, *d. l. 2. h. t.* a conlatoribus, *Rubr. h. t.* prouincialibus, *l. 1. 2. h. t.* ruſticis *l. 1. in f. h. t.* agricolis, *l. 4. inf. de extraordin.* exigi, *Rubr. h. t.* expeti, *l. 1. h. t.* (vnde operarum præbitio, *l. 1. h. t.* non oportet. Ne videlicet ipſas vrbes perdat abductio ruſticorum [ab opere ruſtico] *l. 1. h. t.* Verum ab otioſis, *l. 1. h. t.* id eſt ab iis, qui caupona, propola, tabernaria lucrum familiare ſectantur *l. 1. h. t.* a tabernariis oppidorum, *l. 2. h. t.* In pontium inſtauratione, reformatione, aliud vid. *l. 2. in f. h. t.*

I. (a)

I. (a) Imppp. VALENTINIANVS, Valens & Gratianus AAA. ad Viuentium PF. P. (b)

OPERARVM præbitionem, quæ inlicite a Prouincialibus (c) hactenus expetita eſt, Sinceritas Tua ceſſare præcipiat. Nullum autem qui Caupona, vel Propola, vel Tabernaria lucrum familiare ſectetur, (d) cum animalia quibus proſecutio debeatur, (e) aduenerint, ſi Collegiati (f) numero inpares videbuntur, (g) ab (h) hoc obſequio eſſe patiatur: *Melius* enim *eſt*, *vt otioſorum ſit iſta ſedulitas*, *quam ipſas quoque perdat vrbes triſtis abductio Ruſticorum*. Dat. x. Kalend. Mart. Treu. Valentiniano NB. P. & Victore Coss. [369.]

P. 91.

NOTAE.

(a) *Lex vn. Cod. Iuſt. eod. tit.* Primam tantum *huius l.* ſententiam vſque ad *Nullum autem*, continet, reſecatis cæteris. *GOHTOFR.*

(b) *Viuentius* PP. Galliarum ſcil. ſub Valentiniano Sen. V. *Proſopogr.* & Ammianum Marcellinum. *ID.*

(c) Id eſt, ruſticis, vt *fine leg. ID.*

(d) *Sectatur. ID.*

(e) *Debetur. ID.*

(f) De *Collegiatis*, *inf. tit.* 7. *lib.* 14. *ID.*

(g) *Videbuntur*, pro erunt. v. *Gloſſ. Theod. ID.*

(h) Θμλεις; cui ſimilis in eodem ferme argumento *l.* 10. *inf. de Epiſcop. & Cler. Ab hominibus etiam eorum, qui mercimoniis ſtudent, cuncta diſpendia eſſe ſancimus*: vbi vide quæ notaui plura. *ID.*

COMMENTARIVS.

VALENTINIANI Sen. hæc conſtitutio eſt, data ad Viuentium PP. Galliarum, de operis, & nominatim quidem ad proſecutionem *animalium*, id eſt equorum, a prouincialibus non exigendis. Ad equorum, inquam, proſecutionem, qui proculdubio ad vſum militarem hoc tempore conferebantur, & transferebantur ex Hiſpania in Gallias, vbi hoc tempore Valentinianus conſiſtebat, bello aduerſus *Alemannos* illigatus: de quo vide Ammianum Marcellinum *lib. 28. cap. 2.* & *Conſularia Theodoſ. huius Anni*. Quare, cum ad iſtius belli apparatum maiore animalium ſeu equorum numero iam opus eſſet, quo vſus armorum inſtrueretur; & vero magno numero repente aduenirent, viſum Valentiniano prouincialium ſeu ruſticorum ſubleuandorum ſtudioſiſſimo, eos operarum iſtarum præbitione ſeu proſecutione liberare. Vbi *Operarum* præbitio, non eſt præbitio domus forte, vel iumenti vel nauigii, vel vehiculorum, curruumve, aut alimoniæ, vt male Amaya hic, qui omnia commiſcet, & in vnam lancem omnia promiſcue congerit; ſed nudarum operarum præbitio hic indicitur, & miniſterium, vt vocatur *leg. 1. Cod. Iuſt. ne ruſticani*: obſequium, ſedulitas, vt *hac l.* vocatur, per quæ ruſtici abducuntur ad proſecutionem Equorum, ad quas operas hactenus illicite per Gallias adigebantur, Collegiatis videlicet ad id non ſufficientibus, numeroque animalium ipſis numero imparibus. Erant ſcilicet in prouinciis certa Corpora & *Collegia* deſtinata proſecutionibus rerum fiſcalium, vel ad vſum Principis, vel in vſus armorum & militiæ: quorum fit rurſum mentio, *l. 2. prox. inf.* & *l. 2. ſup. de tractoriis & ſtatiuis*: & *l. 47. ſup. de curſu publ.* De auri nominatim publici proſecutoribus erit *titulus VIII. lib. XII.* Fit alioquin & apud Symmachum mentio *lib. 5. ep. 56.* Pruſecutorum, qui equos, ſed priuatos, proſequebantur.

Igitur Prouinciales ſeu ruſticos hac operarum & proſecutionis ſarcina atteri vetat Valentinianus *hac l.* *Ne*, inquit, *ipſas quoque perdat vrbes triſtis abductio ruſticorum*: quæ ratio iuſtiſſima eſt: ac maxime ſi in id tempus operarum præbitio, ſeu animalium proſecutio incidat, vt hæc *lex* incidit, quo iam ſationibus agricola inſiſtere debet; cui concordat *lex 4. inf. de extraordin muner.* vid. & ea, de quibus ad *leg. 1. ſup. de pignoribus*: & titulum *Cod Iuſt. vt ruſticani ad nullum obſequium deuocentur*.

Quid igitur? Caupones, Propolas, Tabernarios eo adigi iubet Valentinianus, otioſam videlicet hominum turbam: *Melius eſt*, inquit, *vt otioſorum ſit iſta ſedulitas*, &c.

Et hæc quidem ita nunc Valentinianus, & quidem per Gallias. Poſtea enim illicita hæc operarum iſtarum a ruſticis exactio, magnorum ſæpe per Gallias tumultuum fomes fuit, quod vt de Bagaudarum tumultu iam notum eſt: ita illud hactenus ignoratur, *legem 1. C. Iuſt. ne ruſticani ad vllum obſequium deuocentur*, ad illum ipſum Bagaudarum tumultum pertinere: Eſt enim ea *lex* Diocletiani & Maximiani ad *Carauſium*; ſic enim legendum, non *Cariſium*. Quem ſane Carauſium ciuem Menapiæ Bagaudico illo bello factis promptioribus enituiſſe ſcribit Aurel. Victor Schotti *cap. 39.* Lex illa ita habet: *Exemplum literarum Diocletiani* & MAXIMIANI AA. AD CARISIVM *Ne quis ex* RVSTICANA *plebe*, *quæ extra muros poſita capitationem ſuam detulerit*, *& annonam congruam præſtat*, *ad vllum aliud* OBSEQVIVM *deuocetur*, *neque a Rationali noſtro mularum fiſcalium vel* EQVORVM MINISTERIVM *ſubire cogatur*. Cum hac *leg.* nunc componatur Victoris locus *de Cæſar. c. 39.* *Diocletianus*, inquit, *vbi comperit Carini diſceſſu Helianum Amandumque per Galliam excita manu* AGRESTIVM *ac latronum*, *quos Bagaudas incolæ vocant*, *populatis late agris pleraſque vrbium tentare*; MAXIMIANVM *ſtatim Imperatorem iubet. Huic poſtea a cultu numinis Herculei cognomentum acceſſit. Sed Herculius in Galliam profectus*, *fuſis hoſtibus aut acceptis*, *quieta omnia breui patrauerat.*

rat. *Quo bello* CARAVSIVS *Menapia ciuis, factis promptioribus enituit; eoque eum, ſimul quia gubernandi (quo officia adoleſcentiam mercede exercuerat) gnarus habebatur, paranda claſſi ac propulſandis Germanis maria infeſtantibus præficere.*

Ex *hac* interim *lege* exemplum ad alios caſus deriuari poteſt, vbi Cauponibus, Propolis, Tabernariis, velut otioſæ turbæ, quædam iniungi poſſunt; quæ ab aliis, ac nominatim a ruſticis exigi non debent, &c.

1 *r.* 92. II. (a) Idem AAA. ad Catafronium (b) Vic. Italiæ (c) Poſt alia.

OPERAS, ad proſecutionem equorum, vel diuerſorum, (d) neminem Prouincialium præbere permittimus, quia non ignoramus, per vniuerſas Italiæ ciuitates eſſe quam plurimos, (e) & hunc eſſe morem, vt quotiens inpares videntur, qui proſecutionis officio, (f) maiore animalium numero repente veniente, Tabernariis oppidorum hoc iniungatur obſequium. (g) Cauſam (h) vero pontis Liquentiæ nolumus noſtris præiudicare decretis, videlicet (i) ob reparationem eiuſdem aliquis numerus excuſatus habeatur, ſed ita eum inſtaurari oportet, vt a poſſeſſoribus Ciuitatis (k) eius, territorio (l) ſuo, quotiens vſus popoſcerit, reformetur. Dat. XVIII. Kal. Septemb. (m) Valentiniano & Valente III. AA. Coss. [370.]

NOTAE.

(a) Abeſt & hæc *lex* a *Cod. Iuſtinian.* quia localis eſt & temporaria. Iungenda autem illi *lex* 31. *ſupr. de curſu publico.* GOTHOFR.

(b) *Catafronius*, Vicarius Italiæ ſub Valentiniano Sen. cui Catafronio præter hanc *leg.* & *d. l.* 31. inſcribitur Anno 377. *lex* 14 *infr. de Epiſcopis.* ID.

(c) *Italiæ* diœceſis hæc quibus finibus coërceretur, plene dictum ad *l. vlt. ſupr. quibus equorum vſus.* Illud ſaltem ex *hac l.* liquet, *Venetiam* prouinciam in ea fuiſſe, in qua Liquentia fluuius, de quo mox. ID.

(d) Mercerius in *Nonium pag.* 110. hic legere mallebat *diuerſorium*; Quod minus probo, de quo mox. ID.

(e) *Tabernarios* ſcilicet. ID.

(f) γρ. *Qui e proſecutionis officio*, ſcil. ſunt, id eſt, *Collegiati* vt vocantur *l.* 1. *ſupr.* Atque hac vnica reſtitutione ſententiam huius loci integram habemus. ID.

(g) Ita quoque *l.* 1. *ſupr.* ID.

(h) Malim? *Cauſæ vero pontis Liquentiæ nolumus noſtris* (id eſt, per noſtra) *præiudicari decretis*, apertiſſimo ſenſu. Quanquam rigidus aliquis & illud tueri poſſet. ID.

(i) γρ. *Videlicet vt.* ID.

(k) *Opitergium* intelligit, mox vt oſtendam. ID.

(l) De territoriis ciuitatum iam ſæpe alibi. ID.

(m) Supplendum ex *d. l.* 31. *ſupr. de curſu publ. Triueris.* ID.

COMMENTARIVS.

VALENTINIANI Sen. hæc altera conſtitutio eſt, *de Operis a collatoribus non exigendis.* Atque vt ſuperior ad *Galliam* ſpectat, ita hæc ad *Italiam*; inſcribitur enim ea Italiæ Vicario: ac nominatim ad Venetiam prouinciam; vt ex *ponte Liquentiæ*, quo de *hac l.* agitur, apparet. Et eſt hæc conſtitutio, maioris conſtitutionis Valentinianeæ pars, vt docet *lex 31. ſupr. de curſu publ.* (quæ huic coniungenda eſt:) *Qua* conſtitutione in vniuerſum indebitis exactionibus circa curſum publ. & circa operas per Italiam occurſum voluit Valentinianus Sen.

Huius *legis* hæc ſententia eſt: Operas Proſecutorias, extra ordinem, non ſufficientibus ordinariis animalium proſecutoribus, de quibus animalium proſecutoribus agitur & *l. 2. ſupr. de tractor. & ſtatiuis*: & *l. 2. infr. de venat. ferarum*: deque iiſdem accipio *legem 1. ſup.* & plene dixi *parat. de annona, & tribut.* & qui ex ordinario proſecutionis officio ſunt (qui *Collegiati* vocantur *l. ſuperiore*;) vtpote maiore animalium numero repente veniente, non a prouincialibus, verum a Tabernariis exigi oportere, iuxta morem qui iam obtinebat, quæ ipſa eſt ſententia *d. legis 1. ſupr.* Et rationem hanc *hac l.* addit, *quia plurimi ſint* huiuſcemodi, *per vniuerſas Italiæ ciuitates tabernarii*: vt proinde non tantum æquius ſit, has eis operas iniungi, vtpote otioſis: quæ ratio fuit *legis 1. ſup.* verum quia etiam facillime id exequi poſſint, vtpote cum plurimi eſſent. Et hæc de operis proſecutoriis.

Aliam vero rationem haberi vult Valentinianus Operarum ad reparationem pontium (de qua alioquin pontium reparatione, vid. & *l. 36. inf. de operib. publ.* & *l. vlt. de itinere muniend.*) ac nominatim in ſpecie *huius l.* Pontis *Liquentiæ*: Scilicet a pontium inſtructione, reparatione, nullum genus hominum, nullus numerus excuſatus habetur *h. l.* & *d. l. vlt. infr. de itinere muniendo*, vbi dico plenius. Et, vt *h. l.* dicitur, qui territorii alicuius eſt, & territorii ipſius pontes reformare tenetur: Qui locus in foro verſantibus vtilis eſſe poteſt: Nam & alioquin recte tradunt Doctores, *fines Iuriſdictionis & territorii per onerum præſtationem probari*: Quo etiam ſpectat locus inſignis Siculi Flacci *de conditionibus agrorum, pag. 29. edit. Rigalt.* & *pag. 25 edit. Goes.* Vide Alexandrum *Conſil. 166. n. 2.* & *conſil. 226. n. 2. vol. 2.* & Hieronymum de Monte *tractatu de finibus Regundis*, c. 52.

Nunc

Nunc quæ *huius tit.* propria ſunt illuſtremus. Primum, ait lex, *ad proſecutionem Equorum, vel diuerſorum:* Non audio Mercerium reponentem *diuerſorium* (quod etiam Merillio meo recte diſplicebat *lib. III. Obſ. cap. 39.*) quaſi ſcil. de operarum exactione & diuerſorii poſtulatione *hac l.* agatur, & vtrumque ab Imperatoribus *hac l.* prohibeatur. Nam imo tuenda eſt hæc lectio: Primum argumento *Rubricæ*, ſub qua hæc *lex* collocata eſt, quæ vtique eſt *de operis* tantum: rurſum arg. *totius huius legis*, quæ & ipſa tota de operis eſt, neque quicquam habet quo diuerſorium ſpectare poſſit: Tandem, quia *diuerſorum* appellatione hic intelligendæ ſunt cæteræ ſpecies fiſcales omnes, præter Equos ſeu animalia: *Operas*, inquit lex, *ad proſecutionem Equorum, vel diuerſorum;* ac ſi diceret, Equorum & quarumcunque tandem ſpecierum fiſcalium, quæ variæ ſunt & diuerſæ, quomodo mercium *diuerſarum* commeatus dicitur *leg. 1. de litor. & itin. cuſtod.* operarum atque artificum diuerſorum, *l. 15. de extraordin.* vid. plura ſimilia in *Gloſſario.* Quare neque accedere poſſum Merillio, qui hæc verba, *vel diuerſorum*, ita accipiebat, id eſt, quamuis di-
P. 93. uerſi (ſeu complurimi) equi aduenerint: accepto, *vel*, pro *quamuis:* & *diuerſorum*, pro *multorum.* Atque ita hic locus eſt accipiendus. Neque admitterem, ſi quis putaret, aurum & argentum ſignate hic accipi ea voce oportere, quo alioquin ſenſu apud Græcos *διαφόρων* appellatio accipi ſolet, vt Maccabæorum *2. c. 1. & 3.* vid. & Eccleſiaſtici *cap. 7. v. 20. & cap. 27.* τȣ̃ διαφόρȣ vox eo ſenſu ſæpe apud Ariſtotelem, Dionyſ. Halic. alios. Ita quoque Theophraſtus *Charact. 10. pag. 32. edit. Caſaubon.* ut in *Gloſſar.* notaui.

Secundo de *Liquentia*, & *Ciuitate* (cuius *fine l.* mentio fit) ponteque Liquentiæ videndum eſt. *Liquentia*, quæ hodie *Liuenza*, Fluuius in regione Italiæ, Venetia, fuit. Plinius *lib. 3. cap. 18. Sequitur decima Regio Italiæ, Adriatico mari appoſita, Venetia, cuius fluuius Silis ex montibus Tauriſanis. Oppidum Altinum, flumen* LIQVENTIA *ex montibus Opitergiuis, & Portus eodem nomine,* &c. *Liceuua* corrupte in *Itinerario Peutiugeriano.* Apud Virgilium *IX. Æneid. v. 679. ſeqq.*

Quales aëriæ LIQVENTIA *flumina circum*
Siue Padi ripis, Atheſin ſeu propter amænum
Conſurgunt geminæ quercus.

Vbi Seruius: *Liquentia Venetiæ Fluuius eſt, inter Altinum & Concordiam, quem nunc commemorat,* &c. Vbi etiam, quidquid Seruius dicat, vel aduerſus eum nonnulli; dixit, vel dixiſſe potuit Virgilius, non inuita ipſius Muſa, *Liquentia flumina,* pro *Liquentiæ:* quomodo idem dixit *Simethia flumina,* vide quæ doctiſſimus Cluuerius, *Italiæ antiquæ lib. 1. c. 78. p. 165. 166.* Et hæc quidem de ipſo Liquentiæ flumine. Pontis Liquentiæ meminit quoque Paulus Diacon *Longobardicor. lib. 5. c. 39.* vbi ait, eum a Foro Iulii paſſibus 48. millibus diſtaſſe; fuiſſeque in itinere Ticinum pergentibus; Cluuerius diligentiſſimus ſcriptor, oppidum quod hodie *la Motta*, fuiſſe putat: Cuius diligentiam in hoc argumento *hæc lex* fugit. Quod Ciuitatem, quæ hic memoratur attinet, eſt ea omnino *Opitergium, Oderzo, Vderzo, Ouederzo*, hodie. Nam etſi ipſa non ad Liquentiam proprie ſit, attamen territorium eius illi adſitum erat: vnde iſta hac l. *a poſſeſſoribus ciuitatis eius territorio ſuo reformetur:* Quinimo & Liquentia fluuius ex montibus Opiterginis oriri dictus Plinio, *d. lib. 3. c. 18.*

Vt ad *huius l.* hiſtoriam nunc deſcendam, notandum huius pontis Liquentiæ reparationi Valentinianum *hac l.* proſpectum iuiſſe hoc tempore, aduerſus Alemannorum, Quadorum & Marcomannorum metuendos in Italiam, & Venetiæ prouinciam hoc tempore incurſus: Eo ſaltem tempore. Sane enim Ammianus Marcellinus, in huius ipſius Anni 370. geſtis, *lib. 28. cap. 5.* memorat, Alemannos per *Rhetias* a Theodoſio Magiſtro Equitum cæſos, captos, & ad *Italiam* iuſſu Principis miſſos, *Padum* circumcoluiſſe. Itemque triennio poſt *hanc leg.* A. D. 372. *lib 9. cap. 6.* ſcribit, *a Quadis ac Marcommannis Aquileiam diu obſeſſam, &* OPITERGIVM exciſam.

Ex hac interim lege quoque diſcimus, Venetiam ad diœceſim Italiæ pertinuiſſe, quod alioquin etiam oſtendit *lex 27. de appellat.* & ſub Vicarii Italiæ diſpoſitione fuiſſe.

NE DAMNA PROVINCIALIBVS INFLIGANTVR.

TITVLVS XI.

Huic *titulo* reſpondet in *Cod. Iuſtin.* Titulus 54. *lib.* II. *Ne Ruſticani ad vllum obſequium deuocentur.* Hoc *titulo* conſulitur Ruſticanis aduerſus priuatorum in publico munere conſtitutorum iniurias: *ſuperiore*, aduerſus eas, quæ publico obtentu inferantur.

I. (a) Impp. VALENTINIANVS & Valens AA. ad Probum PF. P. Illyrici. (b)

SI qui eorum, qui prouinciarum Rectoribus obſequuntur, quique in diuerſis agunt Officiis Principatus, (c) & qui, ſub quocunque prætextu muneris publici, poſſunt eſſe terribiles, Ruſticano cuipiam, neceſſitatem obſequii, quaſi mancipio ſui iuris, inponat, (d) aut ſeruum eius, vel forſitan bouem in vſus proprios neceſſitateſque conuerterit, ſiue (*) xenia aut munuſcula quæ *Canonica* ex more fecerunt, extorſerit, vel ſponte hæc, quæ inprobata ſunt, oblata non refutauerit; ſublatis (e) omnibus facultatibus, vltimo (f) ſubiugetur exitio: & nihilominus Ruſticanum, qui *ſe in eiuſdem operas ſponte pro-*
P. 94 *pria detuliſſe* reſponderit, (g) par pœnæ ſeueritudo conſtringat. Eadem (*) vero circa eos cenſura ſeruetur, qui xenia aut munera deferri ſibi a poſſeſſoribus cogunt, aut oblata non reſpuunt.' Dat. prid. Kal. Octobr. Agrippinæ, Valentiniano & Valente AA. (h) Coss.

INTERPRETATIO. *Si quicunque ex hiis qui prouinciarum Rectoribus coniunguntur,* (i) *aut militant, vel qui agunt in diuerſis officiis Principatus, vel quicunque ſub occaſione publici actus videntur eſſe terribiles, ruſticano alicui neceſſitatem ſeruitii, velut ſui iuris mancipio, impoſuerint, aut ſeruum ipſius, aut bouem in ſui operis vtilitatem tranſtulerint, ſiue xenia, aut qualibet munera crediderint exigenda, vel ſi oblata non recuſauerint, vltimo exilio* (k) *deputantur, & rerum ſuarum amiſſione damnantur.*

NOTAE.

(a) *Lex 2. C. Iuſt. ne ruſticani*, hinc interpolata eſt. *GOTHOFR.*

(b) Nullibi præterea *hoc Codice* Probi Præfectura Prætoriana *Illyrici* ita nominatim deſignatur, de quo mox: & ad *leg. 7. ſupr. de metall. ID.*

(c) De *Principibus officiorum* dictum pleniſſime Lib. VIII. *tit. de cohortalibus, Principibus*, &c. *ID.*

(d) *Imponant*, C. Iuſt. & Sichard. vt mox, *conuerterint ID.*

(*) Abeſt hæc ſententia a *Cod. Iuſt.* vſque ad, *ſublatis*, pariter vt poſtrema ſententia, quæ de eadem re eſt. *ID.*

(e) *Ablatis*, C. Iuſt. Sichard. & MS. G. *ID.*

(f) *Perpetuo ſubiugentur exilio*, C. Iuſt. de quo mox. *ID.*

(g) *Deſponderit*, Cod. Iuſt. male: *reſponderit*, hic eſt, quod pro defenſione ſua vel alterius allegatur; dicitur, vid. *Gloſſ. ID.*

(*) Hæc poſtrema ſententia abeſt pariter vt *verſ. ſiue xenia*, qui de eadem re eſt, a *Cod. Iuſt.* Porro hæc non niſi repetitionem continet. *ID.*

(h) Ad quos Conſules Valentinianeos hæc *lex* referenda ſit, mox inquiram. *ID.*

(i) *Obſequuntur*, in ipſa *leg. ID.*

(k) *Exitio*, in ipſa *leg. ID. Exitio* legunt impreſſi libri omnes præter vltim. Paris. MS. G. *vltimo exitio deputati, rerum ſuarum amiſſione damnabuntur. RITTER.*

COMMENTARIVS.

CONCVSSIONIBVS Officialium Rectorum prouinciarum, & in his Principum Officii, & quorumcunque aliorum, qui muneris publici obtentu prouincialibus ſeu ruſticanis terrori eſſe poſſunt, occurrit ſeuera hac conſtitutione Valentin. Sen. idque per Præfecturam Prætorianam Illyrici, Vnde patet hanc *leg.* coniici quoque potuiſſe in *titulum, de concuſſionibus Aduocatorum ſiue Apparitorum, lib. 8.* Quanquam & affinitas *ſuperioris tit.* hunc ſecum traxiſſe videtur: hoc tamen diſcrimine, quod *ſuperiore titulo* operæ *publicæ* a prouincialibus ruſticanis exigi vetantur; hoc *titulo*, ſiue *hac l.* operæ & obſequia *priuata.* Quinimo ad tributorum Exactores *hac lex* ſpectare videatur, puta ad Compulſores, Opinatores, id genus alios, qui prætextu muneris publici & exactionis terribiles eſſe poſſunt. Tria igitur *hac l.* probibentur illis, quæ dixi, hominum generibus. Primo, ad obſequium ruſticos vocare, id eſt, horum opera, quaſi mancipiis ſui iuris vti: denique miniſteria priuate ab his exigere.

Secundo prohibentur & eorum ſeruis vel forte bubus in proprios vſus & neceſſitates vti. Tandem quod Tribunianus recidit *C. Iuſt.* in *d. l. 2.* Xenia aut munuſcula ab his accipere vetantur duobus locis: Xenia, inquam, aut munuſcula, cuiuſmodi iam illi *canonica ex more fecerant*: vt ait hæc *lex*; id eſt, ita a ruſticanis exigebant ac ſi publice debita & ſolemnia eſſent. Haud aliter atque quamplurima eius generis hoc ipſo ſeculo, tanquam canonica, milites a prouincialibus ſub variis & exquiſitis titulis exigebant, veluti cœnaticum, *l. 12. ſupr. de erogat. milit. ann.* Salgamum, *tit. de ſalgamo hoſpitibus non præbendo, ſup. lib. 7.* lauacra ſeu priuatum, *eod. lib. tit. ne Comitibus & Tribunis lauacra præſtentur*, & *l. 12. ſup. de metatis.* Item hoſpitalitatis præbitionem, *d. l. 12.* id eſt, annonæ & capiti exactionem. Quod & ipſum ab Officialibus de quibus *hac l.* agitur exigi conſuetum, & in ciuitatibus & in manſionibus, puta vt tam ſibi quam animalibus alimoniæ ſine pretio miniſtrentur, docet *l. 2. ſup. de Concuſſionibus Aduocatorum*

catorum ſiue Apparit. Addantur his & *Stillaturæ* quas Duces ſeu Tribuni a militibus exigebant, de quibus *l. 28. 29. ſup. de erog. milit. ann.* Cæteroquin de Xeniis & munuſculis, quæ Rectores prouinciarum ipſi, vel etiam Legati, a prouincialibus accipiebant, videndus Cato *in Oratione de innocentia ſua* quam citat Iſidorus *Origin. lib. 20. cap. 3. lex 6. §. 3. D. de offic. Proconſ.* Sidonius Apollinaris, *lib. 5. Ep. 7.* Tandem & publicæ lætitiæ nuncii aliquid exigere ſoliti, cui occurſum variis conſtitutionibus, quæ extant *ſup. tit. ne quid publicæ lætitiæ nuntiis.* Cum his vero xeniis & munuſculis nil commune habent, exquiſitorum deteſtanda nomina titulorum, de quibus Am. Marcellinus *lib. 19. cap. 11.* id enim pertinet ad nouas tributorum ſpecies, non ad concuſſiones Officialium.

Tria porro ſeueritatem & *cenſuram huius l.* arguunt, quamque res hæc Valentiniano prouincialium æquiſſimo Tutori curæ fuerit. Primo, quod hæc non tantum exigi, verum etiam vltro dantibus aut ingerentibus ruſticis, & ſic *vltro tributa* accipi vetet; Cuius prohibitionis ratio hæc eſt, ne alioquin crimini vel exactioni iniuſtæ obtentus quæratur. Et vt maxime ſponte tributum quid dicatur, reuera tamen ſponte id fieri non videtur; quia ipſa muneris publici occaſione vel *prætextu*, vt ait *lex* perſonæ illæ terribiles ſunt, de quo plenius ad *d. tit. ne quid publ. lætit.* Secunda ſeueritas eſt ipſius pœnæ: Nempe his & bonorum proſcriptionis & vltimum exitium minatur Valentinianus, pro quo poſtremo Tribonianus *perpetuum exilium* ſubiecit. Poſtrema, eaque grauiſſima ſeueritas eſt, quod pari pœna conſtringi iubeat ruſticum, qui ſe ſponte propria operas detuliſſe *reſponderit*: reſponderit, inquam, non vt Tribonianus ſuppoſuit, *deſponderit*, id eſt, excuſando Officiali id dixerit, quæ magna ſeueritas & cenſura eſt: ſed eo malum iſtud iam proceſſerat, vt impendentis iſtius pœnæ metu ipſorummet etiam ruſticanorum animi erigerentur.

Et hæc quidem de *legis* ſententia: Sed enim duo *hic* præterea notanda illuſtrandaque veniunt, quæ occurrunt in inſcriptione *huius l.* & in Subſcriptione, quæ *Notularum* modum excedunt, quæque ad aliarum *legum* illuſtrationem factura ſunt. Primo igitur notandum, in Inſcriptione, *Pro-*
P. 95. *bum* dici ῥητῶς *Præfectum prætorio Illyrici:* At nullibi præterea *hoc Codice* hæc Probi Præfectura Prætoriana ita nominatim deſignatur, etſi de Illyrico eius diſpoſitioni ſuppoſito, aliæ *leges* indicium faciant. *lex*, inquam, *28. ſup. de curſu publ. lex 7. & 8. ſup. de metallis:* vt & de Macedonia, *d. l. 7. & 8.* Idque etiam colligi poteſt ex quampluribus aliarum *Legum* ſubſcriptionibus: Denique etiam Amm. Marcellinus paſſim quoque exerte teſtatur: in genere *lib. 27. 28. 29. 30.* inter alia *lib. 30. cap. 3.* in geſtis Anni *373. 374. Offertur Præfecti relatio Probi, docentis Illyrici clades.* In ſpecie, de Pannonia, *lib. 30. cap. 5.* & *lib. 29. in geſtis Anni 373. cap. 6. Præfectus Prætorio agens apud Sirmium Probus* &c. de Epiro, *lib. 30. cap. 5.* De Carnuto Illyriorum oppido *lib. 30. cap. 5.* Et vero hæc ipſa Præfectura Prætoriana eſt, in qua Rufino is ſucceſſit A. D. 368. eodem Marcellino teſte *lib. 27. cap. 11.* qui & ipſe Mamertino ſucceſſerat. In veteri quoque Inſcriptione apud Gruterum CCCCL. 3. nominatim dicitur *Præfectus Prætorio quater; Italiæ, Illyrici, Africæ, Galliarum.*

SEXTO. PETRONIO. PROBO
ANICIANAE. DOMVS
CVLMINI. PROCONSVLI
AFRICAE. PRAEFECTO
PRAETORIO. QVATER
ITALIAE. ILLYRICI. AFRI
CAE. GALLIARVM. CON
SVLI. ORDINARIO. CON
SVLVM. PATRI. ANICIVS
HERMOGENIANVS
OLYBRIVS. V. C. CONSVL
ORDINARIVS. ET. ANI
CIA IVLIANA. C. F. EIVS
DEVOTISSIMI. FILII
DEDICARVNT.

Auſonius etiam *Ep. ad eum ipſum 16.* eum *Syrmii* egiſſe docet. Claudianus tandem in *Probini filii eius & Olybrii Conſulatum. v. 57. ſeqq.*

Acta Probi narrare queam, quot in ordine gentes
Rexerit, ad ſummi quoties faſtigia iuris
Venerit, Italiæ late cum frena teneret,
ILLYRICOSQVE *ſinus, & quos arat Africa campos.*

Atenim, nullibi præterea quam in *hac l. Præfectus Prætorio Illyrici* vocatur; cum tamen non vni Illyrico præfuerit: verum Italiæ, Africæ, Illyrico, quomodo & Mamertinus & Rufinus, cui is ſucceſſit eam Præfecturam geſſere, vt exerte teſtatur Amm. Marcellinus. Et certe quamplurimis *legibus* id firmatur, ex quibus apparet, eum his tribus diœceſibus ſimul præfuiſſe: quas in *Proſopogr.* & in *Chronologia* videre eſt. Quare mirum id, pariter vt in veteri Inſcriptione, *Illyrici* Præfecturam Prætorianam, vnam e quatuor, quibus ille functus dicitur, numerari, quod *huic legi* proximum: a quo neque Claudianus abit. Forte igitur vel aliquando Probus vni Illyrico præfuit: quod vix mihi perſuadeo, vel ideo Præfectus Prætorio Illyrici dicatur, quod ibi ferme hoc tempore ageret, Barbaris Illyricum perſultantibus, de quo Amm. Marcellinus. Illud certum, *Illyrici* appellatione vtrumque Illyricum, quod in Orientale & Occidentale poſtea diuiſum, hic comprehendi: etſi diœceſim Macedonicam ab Illyrico ſeu Illyrici tractu ſeparari videmus *l. 7. & 8. de metallis*, quarum prior ad eundem Probum PP. data eſt. Indiuiſum enim hac tempeſtate Illyricum erat, quod teſtatur hoc ipſo tempore Sextus Rufus Feſtus in *Breuiario* ad *Valentinianum*, rectius ad *Valentem cap. 7.* vt & diſerte Zoſimus ſcribit *lib. 4. cap. 3.* Valentinianum (qui *huius leg.* auctor eſt,) in Imperii diuiſione: totum ſibi Illyricum ſeruaſſe; Hæc vt ita ſe habent, ita idem ille Probus qui PP. Illyrici hic vocatur, alibi *PP. Italiæ* nominatim: vt docet collatio *legis 6.* cum *l. 7. ſup. de metallis*, quæ eidem Probo PP. inſcribitur. Verum de hoc plura ad *l. 7. ſup. de metallis.* Et hæc de Inſcriptione.

Non minor dubitatio circa Subſcriptionem: Ad quos inquam Conſules Valentinianeos hæc *lex* referenda ſit, quando numerus ei nullus appoſitus eſt. Crediderim igitur, refereodam eam ad *Valentinianum & Valentem II. Coſſ.* id eſt, A. D. 368. vel ad *Valentinianum & Valentem III.* id eſt, A. D. 370. argumento ſubſcripti loci, *Dat. Agrippinæ.* & ſi ad priores coss. ea referenda, id eſt, ad A. D. 368. tum eo pertinet, quod ſuperiore Anno 367. *Franci* & Saxones, Gallicaoos tractus qua quiſque erumpere potuit, terra vel mari prædis acerbis incendiiſque & captinorum funeribus violarunt, teſte Am. Marcellino *lib. 27. cap. 8.* Si ad poſteriores conſules, id eſt, ad Aoouin 370. tum eo id pertinet quod eo ferme tempore, teſte Amm. Marcellino, Valentioianus Rhenum omnem a Rhetiarum exordio aduſque Oceanum magnis molibus communiuit, caſtra altius & caſtella extollendo & turres aſſiduas. Hinc igitur eo ipſo tractu Rheni variæ per hos annos, ab A. D. 368. a Valentiniano conſtitutiones datæ: Vargionibus, *lex 3. infr. de prædiis nauicular.* Briſiaci, *lex 8. ſup. de priuil. eor. qui in S. Palat.* Altæ ripæ, *lex 4. infr. de reparat. appellat.* Mogontiaci *lex 2. de Scænicis*, aliiſque eo tractu, io quibus & Complatum & Coutionacum, vt exiſtimo. Tandem, hæc *lex* Agrippinæ data: quæ Francis oppoſita erat, cum quibus vt & Alemannis Valentiniano hoc tempore res fuit; de qoo conſule *Chronicon noſtrum.* Neque audiendus Valeſius, qui in Geſtis Veterum Francorum *lib. 1. p. 44.* hanc *leg.* ad A. D. 365. refert, & Valentinianum hoc tempore Agrippinæ fuiſſe ait, vt cum Francorum Regibus, antiqua ex more iniret fœdera.

DE IMMVNITATE CONCESSA. P. 96.

TITVLVS XII.

LIB. X. COD. IVST. TIT. XXV.

* *Titulus* ita conceptus, *De Immunitate nemini concedenda.*

Iungantur in eandem ſententiam, *lex vltim. ſupr. de Senatoribus lex* 1. 20 25. 26. 33. 36. *ſupr. de Annon. & Tribut. lex* 6. 7. *ſup. de diuerſ. Reſcript. Titulus* item *prox.* vt & *lex vltim. infr. de cenſu:* vid. & *tit. de luſtr. conlat. l.* 5. *de oper. publ. l.* 1. 2. 3. 4. 5. 6. *de itin. muniend.*

PARATITLON.

Immvnitas, *Rubr. l.* 1. 2. *h. t.* Gratia, *l.* 1. & 26. *ſupr. de annon. & tribut.* Venia debitæ quantitatis, *l. vlt. hoc t.* Capitationis indulgentia, *l.* 2. *h. t.* Abſolutio, *l. vlt. h. t.* vt quis præcipuis emolumentis familiaris iuuetur ſubſtantiæ, *l.* 1. *ſupr. de annona & trib.* id eſt, vt immunis ſit ab annonis & tributis, *l.* 2. *h. t.* regulariter conceſſa non valet. Priuilegia hæc *l.* 1. *h. t.* priuilegia a debitis, *l. vn. ſup. de priuil. dom. Auguſtæ*, omnibus derogantur, *l.* 1. *h. t.* elicitæ ſuffragio ſanctiones caſſæ ſunt, *l.* 3. *h. t.* Omnium enim rerum & perſonarum in publicis functionibus æqua debet eſſe inſpectio, *d. l.* 3. *h. t.* Functio vectigalium ab omnibus æqua ratione dependi debet, *d. l.* 3. *hoc tit.* quibus ſimiles regulas vid. *ſupr. tit. de annona & trib. infr. tit. de luſtrali conlatione: infr. tit. de cenſu*, & quæ notabo ad *l.* 9. *infr. de luſtrali conlatione.*

I. (a) Imp. CONSTANTINVS (b) A. ad Marcellinum. (c)

Pvblicvs, ac noſter Inimicus (d) diuerſis immunitatem dederat, iugorum capitationibus, (e) & profeſſionibus amputatis: (f) Iubemus ergo, vt omnibus omnino hæc priuilegia derogentur. (g) Dat. III. Kal. Maii, (h) Acyndino, & Proculo coss. [340.]

NOTAE.

(a) Abeſt hæc *lex* a *Cod. Iuſt* velut temporaria. *GOTHOFR.*

(b) *yp. Imp.* CONSTANS; de quo mox. *ID.*

(c) Comitem S L. de quo mox. *ID*

(d) *Conſtantinum* fratrem intelligere videtur: de quo mox. *ID.*

(e) De *Capitatione* ſemel dixi ad *l.* 15. *ſupr. de annona & trib. ID.*

(f) Am-

(f) ***Amputatis***, id eſt, remiſſis cenſu, & cenſuali profeſſione: de quo v. ***tit. de cenſu: infr. ID.***

(g) ***Derogari***, non auferri, detrahi. ***ID.***

(h) ***Aquileiæ*** procul dubio, quomodo hoc ipſo menſe ibi data eſt ***lex 3. ſupr. de dilationib.*** & ***lex 3. ſupr. de Aduocatis fiſci***: vel certe haud procul. ***ID.***

COMMENTARIVS.

CONSTANTIS hæc conſtitutio, meo quidem iudicio, eſt: emiſſa ad *Marcellinum Com. S L.* qua immunitates a *Conſtantina Arelatenſi fratre ſuo* datas reuocat.

Vbi Tria probanda mihi veniunt. *Primo*, hanc Conſtitutionem non *Conſtantini*, ſed *Conſtantis* eſſe: Conſtantinus ſcilicet Arelatenſis iam occiſus fuerat hoc Aprili menſe a Conſtantis fratris exercitu: Quem menſis characteriſmum etſi Veterum naino exerte prodat, qui hunc Conſulatum Acyndini & Proculi adſignare contenti fuerunt; atta-
P. 97-men vel hæc ipſa *lex* ei rei argumento eſſe poteſt: quæ ſane actus Inimici profligati reſcindit: cuiuſmodi non alius hoc tempore fuit, quam *Conſtantinus*, vt tertio loco oſtendetur.

Secundo, *Marcellinum*, cui *hac l.* inſcribitur, Comitem S. L. fuiſſe non ipſum tantum *huius legis* argumentum oſtendit, verum etiam Zoſimus id nominatim prodit; qui eundem poſtea Magnentiani motus & Tyrannidis aduerſus Conſtantem auctorem fuiſſe oſtendit, *lib. 2. cap 42* *πρὸς ἃ δυσχεραίνοντες οἱ περὶ τὴν αὐλὴν, ἐπειδὴ ταῖς περὶ θήραν τέρψεσιν αὐτὸν ἐγκείμενον ἑώρων, ἡγεμόσι πρὸς τοῦτο χρησάμενοι Μαρκελλίνῳ τῷ τοῦ ταμιείου προεστηκότι, καὶ Μαγνεντίῳ τῷ τὴν ἀρχὴν ἐπιτετραμμένῳ τῶν Ἰοβιανῶν καὶ Ἑρκουλιανῶν (τάγματα δὲ ταῦτα ἐπώνυμα) τρόπῳ τοιῷδε τὴν ἐπιβουλὴν τὴν κατ' αὐτοῦ σκευωροῦσι. γενέθλιον ἄξειν ἡμέραν οἰκείου παιδὸς ὁ Μαρκελλῖνος εἰπὼν, ἐκάλει πρὸς ἑστίασιν ἄλλους τε πολλοὺς ἐξέχοντας τοῦ στρατοπέδου, καὶ Μαγνέντιον σὺν αὐτοῖς· τοῦ δὲ συμποσίου μέχρι μέσων ἐκταθέντος νυκτῶν, ὁ Μαγνέντιος*: id eſt, *Quæ cum Palatini moleſte ferrent, viderentque, venaticis eum voluptatibus deditum, Ducibus ad id vſi Marcellino Comite Sacrarum Largitionum, & Magnentio, cui creditum in Iouianos & Herculianos, quæ legionum nomina ſunt, imperium erat, hunc in modum inſidias ei moliuntur: Marcellinus natalem filii ſui affulſiſſe dicens, ad conuiuium tum alios multos in exercitu eminentes, tum & Magnentium cum ipſis inuitauit: ea commeſſatione mediam ad noctem producta, Magnentius*, &c. Quare dubium mihi quoque nullum, emendandam Inſcriptionem *legis 3 ſupr. de honorariis codicillis*, quæ hoc ipſo Anno data eſt: vbi editum, ad *Marcellinum P. P*, tum ſuperioribus rationibus, tum & argumento *illius ipſius legis*, quia ibi, de *Exactionibus tributorum*, item de Diſcuſſoris, Peræquatoris munere agitur.

Tertium *hac l.* inquirendum ſupereſt: Quiſnam ille ſit, quam vt *publicum ita & ſuum Inimicum* Conſtans *hac l.* vocat. Et vero non alius fingi poteſt, quam Imperator & quidem Conſtantinus Conſtantis frater; Quam *Imperator*, inquam; ſolius enim Principis fuit immunitates concedere, vt proinde non alius quam Imperator fingi poſſit: *Publicum* autem *inimicum* ideo quoque vocauerit, quia nil adeo publicæ vtilitati aduerſum atque priuatæ quorundam immunitates, quæ vt alibi dicitur, plebis iniuria ſunt. De Conſtantino porro fratre nominatim Conſtantem ſentire, & ipſa temporum ratio, & res ipſa oſtendit. Hunc ſcil. inimicum habuit Conſtans; inconciliantibus, diſſidiaque fouentibus inter fratres quam plurimis, & in his Amphilochio quodam, Tribuno Paphlagone, vt videre eſt ex *Monodia*, quam ex Bibliotheca Palatina ipſe eduxi, & Doct. Morello communicaui, qui eam publici iuris fecit, & Ammiano Marcellino *lib. 21. cap. 6.* Sed & orto inter eos diſſidio ſuper Africa Proconſulari & Italia, vt docet Zoſimus *lib. 2. cap. 41.* Quare tandem apud *Aquileiam* ab exercitu Conſtantis interſectus Conſtantinus; de quo præter Zoſimum videndus vterque Victor, Hieronymus *in Chronico*, Philoſtorgius item *lib. 3. c. 1.* Socrates *lib. 2. cap. 5.* Sozomenus *lib. 3. c. 2* Conſularia *Idacia ſubdita*, & Zonaras *Annalium lib. 13. Tom. II. Oper. pag. 9. edit. Venet.* Quorum nonnulli diſerte rei geſtæ *Acyndinum & Proculum COSS.* (qui *huic legi* ſubſcripti ſunt) adſignant: aliis interea Conſtantem, aliis Conſtantinum, in crimen vocantibus. Sed notum iam illud, aliorum victorias alios Tyrannos facere. His accedat ſubſcriptio *legis 3. ſupr. de dilation.* & *lex 3 ſupr. de aduocatis fiſci*: quæ leges dicuntur, datæ vel ſubſcriptæ *Aquileiæ*, vbi certe Conſtantinus cæſus fuit. Si cui tamen veroſimile non videatur, Conſtantem, fratrem ſuum publica lege *Inimicum ſuum* vocaſſe, qui proculdubio interfacti eius inuidiam a ſe amoliri conatus eſt; tum dicendum ſaltem videatur, Præfectum Prætorio aliquem, qui Conſtantino fratri adhæſerat, indicari, penes quem rei tributariæ ſumma erat. Ego tamen a priore ſententia vix dimoueor. Certe cum hæc *lex* Conſtantini M. non ſit, hinc apparet, quam male de Licinio id nonnulli interpretati ſint.

Ex illis *duabus* interim *legibus*, & hac *tertia*, colligere licet, Conſtantino fratre cæſo, Conſtanti non aliam vel potiorem inſediſſe curam, quam vt rei tributariæ & fiſco, per eas prouincias, quæ fratri paruerant (& in his per *Africam*) conſuleret, per immunitates attritis: quas ideo reuocat omnes hac Derogatoria *lege* ſua.

IMMVNITATE *capitationis quid contineatur.*

II. (a) Imp. IVLIANVS A....

OMNES omnino, quicunque *Capitationis* (b) indulgentiam immunitatemque meruerunt, (c) non ſolum ex annonario (d) titulo, verum etiam ex ſpeciebus ceteris, (e) atque

atque largitionibus, (f) excepti ſunt, (g) immuneſque erunt: Neque enim præſtanda diuidimus: *Melius* quippe *eſt munificentiæ compendium integrum coNpetere, quam ſæpius poſtulari.* Dat. prid. Kal. Maii, Conſtantinop. Mamertino & Neuitta Coss. [362.]

NOTAE.

(a) Abeſt & hæc *lex a Cod. Iuſt.* Non adeo improbabiliter autem iungatur *huic lex* 1. *infr. de Auro Coronario.* GOTHOFR.

(b) De *Capitationis* voce, dixi ſemel ad *leg.* 15. *de annona. ID.*

(c) A nobis. *ID.*

(d) Qui in ſpeciebus annonariis præbetur. *ID.*

(e) An auro & argento? vid. eiuſdem Iuliani *leg.* 1. *infr. de indulg. debit. ID.*

(f) Largitionalibus. *ID.*

(g) Malim, *fint. ID.*

COMMENTARIVS.

P. 98. IMMVNITATE ſeu Indulgentia Capitationis ſingulari priuilegio tributa quid contineatur, hac Iuliani conſtitutione definitur: Nempe contineri definit, pleniſſimam immunitatem quorumcunque tandem titulorum & collationum; non modo, inquam, collationis annonariæ ſeu ſpecierum annonariarum; verum etiam cæterarum quarumcunque ſpecierum, quæ largitionibus Principis inferuntur, puta veſtium, auri, argenti, æris &c.

Et rationem addit Iulianus non iuris, vel ἐνλόγου, verum ἀτέχνου & oſtentandæ tantum humanitati & indulgentiæ ſuæ: *Neque enim*, inquit, *præſtanda diuidimus: Melius quippe eſt, munificentiæ compendium integrum competere; quam ſæpius poſtulari.* Vnde interim colligimus, Iulianum de immunitatibus *a ſe* conceſſis hic agere, quibus ideo latiſſimam interpretationem nunc adhibet: cuius alioquin Principis *Munificentiæ*, liberalitatis, indulgentiæ, immunitatis conceſſæ, innumera alia exempla exſtant. Prædicat ea Amm. Marcellinus *lib.* 25. *cap.* 4. Fidem faciunt indulgentiæ reliquorum ab eo datæ, vt & certæ partis Tributorum ſolemnium, de quibus ipſe *in Miſopogone*, & *ep.* 47. Fidem facit indulgentia illa, quam Antiochenſibus detulit, cuius ipſe quoque meminit *Miſopogone extrema pag.* 370 *edit. Lipſ. Spanhem.* γῆς κλήρους, ὅμαι, τρισχιλίους ἔφατε ἀπόρους εἶναι, καὶ ᾐτήσασθε λαβεῖν, λαβόντες δὲ ἐνείμασθε πάντες οἱ μὴ δεόμενοι. τοῦτο ἐξεταθὲν ἀνεφάνη σαφῶς. ἀφελόμενος δὲ αὐτοὺς ἐγὼ τῶν ἐχόντων οὐ δικαίως, καὶ πολυπραγμονήσας οὐδὲν ὑπὲρ τῶν ἔμπροσθεν, ὧν εἶχον ἀτελῶς, οὓς μάλιστα ἐχρῆν ὑποτελεῖς εἶναι, ταῖς βαρυτάταις ἔνειμα λειτουργίαις αὐτοὺς τῆς πόλεως. καὶ νῦν ἀτελῶς ἔχουσιν οἱ καθ' ἕκαστον ὑμῖν ἐνιαυτὸν ἱπποτροφοῦντες, γῆς κλήρους ἐγγὺς τρισχιλίους, ἐπινοίᾳ μὲν καὶ οἰκονομίᾳ τοῦ θείου τοὐμοῦ καὶ ὁμωνύμου, χάριτι δ' ἐμῇ. Id eſt, *Agri iugerum tria millia infructuoſa eſſe dixiſtis, vobiſque concedi poſtulaſtis, cum vero id obtinuiſtis, diuites, ſoli cæteris fraudatis, ea vſurpaſtis. Hoc a me inquiſitum, plane compertum eſt. Ego autem illos agros iniuſtis poſſeſſoribus ereptos, nihilque de ſuperiore* IMMVNITATE *inquirens eorum quos vectigales maxime eſſe oportebat, grauiſſimis ciuitatis rebus adminiſtrandis attribui. Et nunc qui apud vos quotannis equos alunt, habent* IMMVNIA *tria prope millia iugerum, partim Patrui & cognominis mei prudentia ac diligentia, partim meo beneficio.* Fidem faciunt Indulgentiæ aliæ debitorum & Immunitates aliæ datæ, de quibus dicam plenius ad *l.* 1. *infr. de indulg. deb.* ſane de earum quoque numero eſt Indulgentia auri coronarii, quæ continetur *l.* 1. *infr. de auro coronario*, quæ ex eadem conſtitutione deſumpta mihi, huicque adeo iungenda videtur. Nunc ad rem. Data igitur immunitate *Capitationis*, cum quæreretur iam, quidnam ea immunitate contineretur, id *hac leg.* explicandum duxit Iulianus. Etſi alioquin ipſa *Capitationis* voce, cuius indulgentia data, id ſatis indicetur: nempe *Capitationis* appellatione venit omnis generis collatio, iugerum ſeu capitum nomine, ſeu quæ pro poſſeſſionibus penditur in quacunque tandem ſpecie, de quo conſule quæ dixi ad *l.* 15. *ſupr. de annona & trib.*

III. (a) Impp. VALENTINIANVS & Valens AA. ad Florentium Com. S. L. (b)

OMNIVM rerum ac perſonarum, quæ priuatam (c) degunt vitam, in publicis functionibus æqua debet eſſe inſpectio. (d) Hoc ideo dicimus, quia nonnulli priuatorum elicitas ſuffragio (e) proferunt ſanctiones, quibus Vectigalia, (f) vel cetera eiuſmodi, quæ inferri fiſco moris eſt, ſibi adſerant eſſe conceſſa: (g). Hoc, (*) ſi quando Militibus noſtris, hiſve, qui in Palatio noſtro degunt præſtamus, adprobantibus ſe ſacramentis Militaribus adtineri, quod conceſſimus firmum ſit atque robuſtum. Cæterum, ſi quis priuatorum eiuſmodi Reſcribtione nitatur, caſſa eadem ſit: *Vectigalium* enim *non parua functio eſt, quæ debet ab omnibus*, qui negotiationi, (h) ſeu transferendarum mercium habent curam, *æqua ratione depends.* (i) Dat. x. Kal. Mart. Med. Valentiniano & Valente AA. Coss. [365.]

NOTAE.

N O T A E.

(a) *Lex* 6. *C. Iuſt. de vectigal. & commiſſis*, hinc deſumpta eſt. *GOTHOFR.*

(b) Eidem *Florentio* Com. S. L. inſcribitur Anno ſuperiori, *lex* 6. *infr. de luſtrali conlat.* quæ & argumento huic prorſus conuenit; & anno prox. *lex* 11. *infr. de ſuſceptor. ID.*

(c) *Priuata* vita, & infr. *priuati*, qui ſibi, non militiæ, aut Palatio vitam degunt. *ID.*

(d) *Inſpicere*, eſt agnoſcere & ſuſtinere ac ſubire. vid. *Gloſſar. ID.*

(e) Id eſt, reſcripto Principis: vt *infr.* mox, *reſcriptione ID.*

(f) *Vectigalium* vox de luſtrali quoque collatione vſurpatur *hac l.* & *l.* 20. *infr. de luſtr. conlat. ID.*

(g) *Conceſſa*, id eſt, relaxata, remiſſa. *ID.*

(*) Hæc ſententia abeſt a *Cod. Iuſt. ID.*

(h) *γρ. Negotiationis*, ut eſt in Cod. Iuſt. *ID.*

(i) *Exceptis Nauiculariis cum ſibi gerere rem probabuntur:* hoc additum a Triboniano, *Cod. Iuſt. ex leg.* 24. *infr. de Nauicular. ID.*

C O M M E N T A R I V S.

VALENTINIANI Sen. hæc conſtitutio eſt, aduerſus priuatas immunitates, pariter vt *lex* 6. *infr. de luſtrali conlatione:* quæ eidem Florentio Com. S. L. inſcribitur, & vtraque aduerſus immunitatem quorundam *Negotiatorum* a Vectigalium præſta-
P. 99. tione, ſeu luſtrali conlatione, ſcripta eſt: Ex quibus vt & aliis quampluriinis apparet, quantum odium huiuſcemodi priuatis immunitatibus Valentinianus indixerit: quo pertinent in ſummam duæ elegantes ſententiæ tum *huius l. initio*, tum & *fine.*

Et *Milites* tantum vel Palatinos excipit, quibus priuatas huiuſmodi immunitates conceſſas firmas eſſe iubet.

Eſt autem nominatim hæc *lex* de vectigali ſeu portorio præſtando pro *Iſagogico* & *Exagogico* ab his, qui negotiationis & transferendarum mercium curam habent: Item de luſtrali conlatione qua etiam *Militares* regulariter tenentur *l.* 13. *infr. de luſtrali conlat.* quo *titulo* hac de re plenius. *Luſtralis* interim collationis definitio hic obiter notetur, quæ ſcil. dependebatur ab iis, qui negotiationis ſeu transferendarum mercium curam habebant: De qua *ſuo titulo*. Conuenit vero hic omnino Libanii locus *in Florentium p.* 427 428. *edit. Morelli:* τῦτο δὲ ἦν ὁ ἀφόρητος φόρος, ἀργυρὸς ϗ χρυσὸς φρίττειν προσιόντας ποιῶν τὰς δεινὰς πεντετηρίδας: ὄνομα μὲν γὰρ εὐπρεπὲς ἀπὸ τῶν ἐμπόρων τῷ πόρῳ τύτῳ· τῇ θαλάττῃ δὲ ἐκείνων εἰς διάδοσιν χρωμένων, οἷς μόλις ἄρτυ. προσφέρυσιν αἱ χεῖρες, ὑπὸ λύντας διαφεύγει δὲ ὐδὲ νευρορράφος. *Hoc autem eſt tributum intolerabile, non ferendum, argentum & aurum, quod exhorreſcere efficit accedentia dira quinquennalia. ſed enim nomen ſpecioſum & decorum a mercatoribus huic quæſtui: æquore autem illis ad diſtributionem utentibus, quibus ægre panem manus porrigunt, nec vero effugit neruorum ſutor ſartorque.*

IV. (a) Imppp. Arcad. HONOR. & Theod. AAA. Baſilio (b) Com. S. L.

SALVBRIBVS (c) licet ante proſpectum meminerimus Oraculis, (d) vt eorum penitus vacuaretur (e) obreptio, (f) qui largitionalibus quippiam commodis derogantes, abſque Palatini officii notione, veniam (g) debitæ quantitatis Manſuetudinis noſtræ abſolutione meruerunt, iterandæ tamen copiam præceptionis amplectimur, vt, præiudicio ſegregato, non triplum modo, cui primitus videbatur (h) obnoxius, verum etiam quadruplum, diſpendio digniore, (i) exſoluat. Prælata (k) literis Viri inluſtris Com. ſacrarum largitionum III. Id. Iun. Honor. VII. & Theod. II. AA. Coſs. [407.]

N O T A E.

(a) Abeſt hæc *lex* a *Cod. Iuſt. GOTHOFR.*

(b) De hoc Baſilio Comite S. L. accipiendum videtur quod Zoſimus ſcribit geſtis Anni proximi 408. *lib.* 5. *cap.* 40. quem & Hiſpanum fuiſſe ait. *ID.*

(c) *Salubria* vocat, quæ vtilitati publicæ ſimul & priuatæ conſulunt. *ID.*

(d) *Oraculis*, id eſt, conſtitutionibus: vid. *leg vn. infr. tit. prox.* & *Gloſſ. Paratitlon de Conſtit. Princip. ID.*

(e) *Vacuari*, id eſt, nullum robur obtinere, in irritum deuocari; vt *l. vn. infr. tit. prox. ID.*

(f) Id eſt, publica habita ratione Reſcripti ſeu beneficii ſpecialis. *ID.*

(g) *Veniam*, id eſt immunitatem. *ID.*

(h) *Videbatur*, id eſt, erat. *ID.*

(i) *Dignius* vocat *diſpendium*, id eſt, conuenientius. *ID.*

(k) De hac ſubſcriptione, quæ ſingularis, vid. in *Prolegom.* & quæ dicam mox ad *tit prox. ID.*

COMMENTARIVS.

AD FORMAM Immunitatis a Principe impetrandæ pertinet hæc Honorii Conſtitutio: Nempe definit, nullam *Immunitatem* valere poſſe, abſque Palatini officii notione, id eſt, niſi Palatini Sacrarum Largitionum prius huiuſcemodi preces, quibus immunitas petitur, inſtruxerint. Cuius rei non alia ratio eſt, quam quia immunitatem a Principe petentes ei facile obrepebant, modo iugationis ementita, vel etiam quæſitis aliis fraudibus, quod aperte his verbis indicatur: *vt eorum penitus vacuaretur* OBREPTIO, *qui* &c. Quare inſtrui huiuſmodi preces a Palatinis Largitionalibus, penes quos huius rei notitia erat, Honorius omnino voluerit; Neque primus tamen ipſe; verum &, quod ipſemet profitetur, alii ante ipſum Principes. Repetitum itaque ab eo ius hoc tantum, aucta tamen iam pœna. Nam cum tripli hactenus pœna his impoſita fuiſſet, qui ſine Palatini officii notione huiuſmodi Immunitates impetraſſent, ipſe iam Quadrupli pœnam imponit, quæ Quadrupli pœna hic notanda eſt.

Notabilis tandem eſt *huius l* ſubſcriptio, *Prælata literis viri Inluſtris Comitis ſacrarum Largitionum*: de qua *in Prolegomenis*: imo & ad *l. vn. tit prox.*

SI PER OBREPTIONEM FVERINT IMPETRATA (*)

TITVLVS. XIII.

(*) Reſcripta ſeu beneficia perſonalia immunitatis: vel reſcribendum hic loco, *fuerint*, *fuerit impetrata*: Immunitas ſcil. de qua *ſuperiore titulo*, ex quo etiam *l. vlt.* vide.

I. (a) Imppp. Gratianus, VALENTINIANVS, & Theod. AAA. ad Probum PF. P. (b)

PRIVILEGIA omnia, paucis conceſſa perſonis, in (c) perniciem plurimorum, in irritum deuocentur, omneſque huiuſmodi INMUNITATES, quacumque ambitione meruerunt, (d) ad æquale prouincialium ceterorum conſortium reuocentur: proſitque (e) iugatio Reipublicæ, (f) hactenus ſuſpenſa: (g) Et *in quo* (h) *libentius adquieſcant, propter æquanimitatem* (i) *docemus exemplo, id contemptui haberi* (k) *quod immune hactenus habeatur* (l) *facile perſuademus* (m) *ab omnibus faciendum eſſe quod fecimus.* Igitur Sinceritas Tua idipſum per omnem Italiam, cum etiam per Vrbicarias, Africanaſque regiones, ac per omne Illyricum, prælata (n) Oraculi huius auctoritate, firmabit. Dat. IV. Kal. Feb. Med. Merob. II. & Saturnino Coss. [383.]

NOTAE.

(a) Abeſt & hæc *lex* a *Cod. Iuſt.* Concordat eiuſdem Valentiniani Iun. conſtitutio hoc ipſo Anno data paulo poſt, menſe Martio, *l. vlt. infr. de cenſu ſiue adſcript. GOTHOFR.*

(b) *Probus* PP ſub Valentiniano Iun. ſcilicet Italiæ, Africæ, Illyrici: vt apparet vel ex *fine leg.* de quo mox. *ID.*

(c) Similis ſententia *l. 9. infr. de luſtrali. ID.*

(d) Perſonæ illæ. *ID.*

(e) Cum antea plurimis, plebi, Reipublicæ, noceret paucorum immunitas: initio *huius l.* & *d. l. 9. ID.*

(f) Id eſt, ciuitati, in cuius territorio immunis hactenus iugatio ſeu poſſeſſio erat. *ID.*

(g) Immunis habita, facta. *ID.*

(h) *In quo*, pro ſimplici, *quo*, niſi putemus ſcriptum fuiſſe *ETIM quo*, id eſt, etenim quo: ſed prius illud placet. *ID.*

(i) *Æquanimitatem* opponit immunitati & ambitioni: & ſic æquanimitatem vocat, cum quis æquo animo, æqua ſorte cum aliis viuendum ſibi putat, indifferenter [illegible]. vid. *l. 7. ſupr. de diu. reſcript. l. 36. ſupr. de annona & trib. ID.*

(k) Locum hunc ita conſtituo. *Id enim contemptui habentes quod immune hactenus habebatur.* Quanquam ſcio, aliter quoque locum hunc reſtitui poſſe. *ID.*

(l) *γρ. Habebatur. ID.*

(m) *γρ. Perſuademur. ID.*

(n) De hac ſubſcriptione mox, & in *Prolegomenis. ID.*

COM:

COMMENTARIVS.

VALENTINIANI Iun. hæc ciuilitatis, Æquanimitatis, pleniſſima conſtitutio eſt, de immunitatibus omnibus iugationis alicuius, ſeu certorum iugorum reſcindendis & reuocandis: ſuo in id exemplo prælato, ad Probum Præfectum Prætorio Italiæ: cui cur peculiaris hic *Titulus* deſtinatus fuerit diuinare non poſſum, cum nil aliud contineat, quam quod *ſuperiore titulo* continetur. *Quare* in ea interpretanda ea tantum ſectabimur, quæ *ἐκ παρόδου* continet.

Primum eſt, quod hanc conſtitutionem Valentiniani Iun. eſſe dixi, cuius eſt in eandem ſententiam *lex 20. ſup. de annona & trib.* ſeu *lex 7. ſupr. de diuerſ. reſcript.* & *lex vlt. infr. de cenſu.*

Secundum eſt, enixum voluntatis ſuæ hac parte argumentum, exemplo videl. ſuo prælato, quod & ipſum præfert *d. l. vlt.* additaque elegantiſſima ſententia; cui ſimiles alibi paſſim occurrunt: quale vel illud Paterculi *lib. 2. cap. 126. recte facere Princeps ciues ſuos faciendo docet*: item illud Senecæ *Thyeſte Act. II. v. 213.*

Rex velit honeſta, nemo non eadem volet.

Omitto his ſimilia, quæ pleniore mann Lipſius *Politicorum lib. 2. c. 9.* obuia paſſim. Priora magis placent. De Theodoſio M. huius io Imperio Collega Pacatus in *Panegyrico ad Theodoſium ipſum, cap. 14.* vbi inter alia, decantatum illud, *Exaſperat homines imperata correctio; blandiſſime iubetur*
P.101. *exemplo*, & Theodoſius ipſe ad Honorium filium, apud *Claudianum* multa in hanc rem, vbi inter cœtera decantatum illud *in IV. Conſul. Honorii, v. 299.*

———componitur Orbis
Regis ad exemplum.

Ingerit hoc ipſum Arcadio Syneſius *in extremo de Regno.* Sed cumprimis vide quæ de hoc ipſo Valentiniano noſtro Iun. memorat Ambroſ. *in orat. de eius obitu.*

Tertium eſt de Præfectura Prætoriana *Probi*, ſub qua quatuor Diœceſes, puta Italiam, Vrbicarias Regiones, Africam, Illyricum fuiſſe, *ſine legis* diſerte docemur: de quo alioquin Probo, Valentiniani huius actus dirigente, vide Socratem *lib. 5. cap. 11.* Sozomenum *lib. 7. cap. 13.* De Præfecturis eius ſub Valentiniano patre ad *leg. vn. ſup. ne damna prou.* vbi Claudianum quoque laudaui, panegyrico *in Conſulat. Olybrii & Probini v. 57. ſeqq.*

Acta Probi narrare queam; quod in ordine gentes
Rexerit, ad ſummi quoties faſtigia iuris
Venerit, ITALIÆ *late cum frena teneret*
ILLYRICOSQVE *ſinus*, *& quos arat* AFRICA
campos.

Quarto, notandus cumprimis diſtinctus *Diœceſeon*, quæ hic nominantur recenſus: Quo nomine hæc Valentiniani Iun. conſtitutio inter nobiliſſimas iam eſſe cœpit, ex quo *coniectura de Suburbicariis regionibus & Eccleſiis* eam laudauit. Hæc enim *lex* de earum numero eſt, quæ hæc quatuor clare & diſtincte præſtat. Primo, Quatuor diœceſibus Præfecturam Prætorianam Probi, & ſic Italiæ conſtitiſſe: nempe *Italia* ſpecialiter dicta, *Vrbicariis* Regionibus, *Africa*, & omni *Illyrico*, de quo alibi fuſe, & quidem de Illyrico omni ad *l. 7. ſup. de metallis* & *l. 2. ſup. de conſtit. Princip.* Secundo notandum circa *Italia* diœceſim, eam ab Vrbicariis diſtingui, & ſic Italiam hanc extra Vrbicarias regiones quærendam: cum alias *Italiæ* appellatio totam, quanta ea eſt, Italiam, comprehenſis etiam Vrbicariis regionibus, complectatur: de quo dixi plene alibi. Tertio, Quod *Vrbicarias Regiones* attinet, hic videmus, eas vt ab Italia, ita & ab Illyrico & Africa ſeparari: ac proinde quærendas eas extra Italiæ diœceſim ſpecialiter acceptam, extra Illyricum & Africam. Vode iam id impetratum eſt, vtriuſque partis confeſſione, non debuiſſe diligentiſſimum alioquin Annalium Eccleſiaſticorum Scriptorem, *Vrbicarias* regiones in Africam & Illyricum, imo in totum orbem Romanum, porrigere. Hoc vero nunc ſatis: nam quod fines harum regionum *Vrbicariarum* attinet, eos alibi circumſcriptos reperies.

Quinto neque illud omittendum, *Illyrici omnis* appellatione hic, vt & aliis locis multis, vtrumque Illyricum, quod in Orientale & Occidentale poſtea receſſit, comprehendi: vtpote Illyrico nondum diuiſo; quod poſt Valentinianum Iun. demum cuius hæc *lex* eſt, factum eſt: de quo dixi ſemel ad *leg. 2. ſup. de conſtitutionib. Principum.*

Poſtremo loco notandum, quod iubet Valentinianus Iun. hanc legem, *Prælata huius Oraculi auctoritate firmari a Probo Præfecto Prætorio*: quomodo & (vt omittam alias *leges*, quas congero in Prolegomenis, & in *Paratitlo de conſtitution. Princip.*) *l. vlt. ſup. tit. prox. Prælata literis Viri Inluſtris Comitis S. L.* Mos hic ſcil. olim fuit, vt Magiſtratus iuberentur Conſtitutiones ſeu Edicta Principum publice ſub Edicto ſeu Programmate proponere & proferre, imo & anteferre, *præferre*: Præferre, inquam; Sic vt *lex* Principis præcederet, ſequeretur mox Edictum Magiſtratus; quod recte probauit Sirmondus, 2. *Propemptici, cap. 2.* quod etiam *huius leg.* verba clare præferunt. Quanquam, verum vt fatear, vim in hoc verbo non omnem facio: *Præferre* enim auctoritatem dicitur, qui alicuius rei auctoritatem obtendit, quocunque loco & ordine obtendat. Id ergo melius certius comprobatur ex *Nouellarum* ſubſcriptionibus; Nouellæ, inquam, Valentiniani *de Teſtamentis*: de *ſepulchris*: de *libertis*: vbi diſerte ea dicuntur, *Antelata Edicto Præfecti Prætorio*, vbi perperam Vir Clariſſimus emendabat, *Antelato Edicto*: Comprobatur id quoque Edicto Præfectorum, quo *lex* Theodoſii, promulgata de Neſtorii libris, inter Acta Synodi Epheſinæ *Part. IV. pag. 1718. Tom. I. Concil. Harduin.* vbi aiunt diſerte Præfecti, *τὸν τοῦ θείου φωτὸς γέμοντα νόμον προλάμπειν προσετάξαμεν*, *legem diuino lumine plenam prælucere iuſſimus.* Comprobatur & Edicto *Marcellini* Tribuni & Notarii ad Collationem Carthaginenſem miſſi ab Honorio, vbi propoſito

Edicto Honorii, ipſe mox iſta ſubiicit. *Quid Clementiſſimus Princeps Dominus noſter Honorius pro Catholicæ fidei confirmatione decreuerit, antelatorum apicum tenore monſtratur. Vid. Geſta prima collation num. 4. pag. 1052. Tom. I. Concil. Harduin.* Et recte Sirmondus, qui ex ipſa decori ſpecie id etiam adſtrueb t: Cui enim veriſimile fiat, Principum *legem* Iudicum Edictis ſubiectas fuiſſe? Idem vero recte contrariam ſeotentiam perperam fulciri demonſtrauit his verbis; *Lex propoſita ſub Edicto:* vt *Nouella* Valent. de *præſcrips. 30. ann.* Hæc enim verba non ordinem denotant, ſed modum proponendi: *Sub*, idem eſt, quod *per* Edictum. Idem denique oſtendit & *προγράμματα* & *προθέματα* non ideo dici quod præponerentur, ſed quod *palam* præponerentur.

P.101.

DE CONDITIS (*) IN PVBLICIS HORREIS. TITVLVS XIV.

LIB. X. COD. IVST. TIT. XXVI.

(*) Vrbicarii canonis, de quo *lex* 1. & 2. militaris annonæ; de qua *lex* 3.

PARATITLON.

CONDITA, *Rubr. l. 1. b. t. & l. 3. 15. ſup. de erogat. milit. ann. l. 2. inf. de bis quæ ex publ. conlat. l. 9. inf. de Suariis.* fiſcalia condita, *l. 16. d. tit. de erogat. milit. ann.* horreorum condita, *l. 10. ſup. de numerariis*, ſunt, quæ in horreis habentur, *l. 1. b. t.* in publicis horreis, *Rubr.* veluti frumentum, *l. 1. b. t.* repoſita ad vſum Vrbis Romæ, *l. 1. 2. b. t.* ad erogationem militaris annonæ, *l. 1. 3. 5. 11. 16. 17. 32. ſup. de erogat. mil. ann.*

HORREA, *l. 4. 17. 35. 37. inf. de operib. pub. l. 3. b. t.* enim quædam erant in quibus ea reconderentur, & ex quibus rurſum erogarentur, partim Romæ ſeu apud vrbem Romam, *l. 1. 2. b. t. l. 12. inf. de operib. publ.* horrea Romana Symmacho *lib.* 3. *ep.* 55. partim in portu Vrbis Romæ: vnde horrea Portuenſia: de quibus *ſuo tit. inf. de patronis horreorum portuenſium:* & condita portuenſia, *l. 9. inf. de ſuariis:* partim in prouinciis; quorum alia Romano populo deſtinata, vt in Africa: de quibus Ammianus Marcellinus *lib.* 28. *cap.* 6. de quibus dixi ad *l. 16. inf. de Suſceptorib.* alia erogationi militaris annonæ per limites & caſtra, *d. l. 1. 5. 11. 15. 16. 17. 32. ſup. de erogat. milit. ann.* Hæc horrea omnia dicta, & horrea publica, *Rubr. b. t. l. 32. ſup. de erog. milit. ann.* horrea fiſcalia, *l. 16. ſup. de erogat. milit. ann. l. 12. inf. de operib. pub. l. 16. inf. de ſuſceptor. l. 1. inf. de equis curulib.* Ab his horreis, horreoticæ ſpecies, *l. 3. ſeu vlt. b. t.* De his Conditis ſequentia conſtituuntur.

Primo iubentur Condita in Vrbis Romæ vſum ita expendi, vt videlicet vetus frumentum prius expendatur, *l. 1. b. t.* Secundo non ante aliquid ex his diuidatur Ciuibus pro annona ciuica, quam integer canon ex Africa inuectus fuerit, *l. 2. b. t.* Tertio, His cuſtodiendis, admetiendis, Cuſtodes & Menſores adpoſiti, *l. 1. in f. b. t.* vide & *l. 9. inf. de ſuariis: l. vn. inf. de patron. horr. portuenſ. l. 1. inf. de canone frum. V. R.* Quarto: Vſurpans aliquid ex his, deportationis pœnam & bonorum omnium proſcriptionem patitur, *l. vlt. b. t. l. vlt. inf. de canone frum. V. R. l. 12. inf. de operib. publ. l. 2. ſup. de bis qui cum diſpenſatore.* de quo *ſuo tit.* Vid. *inf. de bis quæ ex publica collatione illata ſunt non vſurpandis:* & nominatim *l. vlt. eod. tit.*

I. (a) Impp. VALENTINIANVS, & Valens AA. ad Voluſianum P. V. (b)

CAVENS, (c) ne Vrbaniciani (d) Officiales annonariis neceſſitatibus miſceantur, omnia participe Præfectura Annonaria diſponas, ac iubeas ad curam propria (e) reuocari.

uocari. Ante omnis (*) autem (f) quæ in horreis (g) habentur, expendi volumus, ita
vt non prius ad id frumentum tendatur (h) expenſio, quod ſub (i) Præfectura tua, Vr-
bis horreis infertur, quam vetera condita fuerint erogata. Si (k) forte vetuſtate ſpecies
(l) ita corrupta eſt, vt per ſemet erogari ſine querela non poſſit, eidem ex noua portio-
ne miſceatur, cuius adiectione corruptio velata damnum fiſco non faciat. Ad iſtud au-
tem negotium, arbitratu ac tuo iudicio, nobilis, (m) prudens, fidelis, optime ſibi con-
ſcius, pro integritatis meritis, (n) adponatur cuſtos ac Menſor, qui vel frumeta modio
P.103. metiatur, vel iuſtis æſtimationibus colligat, quanta habeantur in condito. Dat. VI. Id.
April. Diuo Iouiano & Varroniano Coss. [364.]

NOTAE.

(a) *Lex* 1. *Cod. Iuſt. eod. tit.* *lib.* 10. *t.* 26. hinc deſumpta eſt, reciſa prima *huius leg.* ſententia ceu temporali. Iungenda autem illi *lex* 1. *Cod. eod. de off. P. V.* quæ ſubſcriptione caret, vt & *lex* 1. *Cod. eod. de Apparitorib. Præf. annonæ*. GOTHOFR.

(b) *Voluſianus* P. V. (forte Apronianus) Romæ ſub Valentiniano Sen. vid. *Proſopogr. ID.*

(c) Prima hæc ſententia abeſt a *Cod. Iuſt. ID.*

(d) De *Vrbanicianis* his Officialibus dixi quoque iam ad *l.* 8. *ſup. de Agentibus.* Dicti autem *Vrbaniciani*, Officiales Præfecti Vrbis ſeu Apparitores, vt vocantur *d. l.* 1. *Cod. Iuſt. de off. Appar. Præf. ann.* quomodo Præfecti prætorio Apparitores, *Præfectiani*, Præfecti annonæ, *Annonarii. ID.*

(e) *γρ. Propriam. ID.*

(*) Hinc iam deſumpta eſt *lex* 1. *Cod. Iuſt. eod. tit. ID.*

(f) Abeſt *autem* a *Cod. Iuſt. ID.*

(g) Vrbis ſcil. *ID.*

(h) *Extendatur.* Cod. Iuſt. *ID.*

(i) Id eſt, tempore Præfecturæ tuæ. *ID.*

(k) *Et ſi*, Cod. Iuſt. *ID.*

(l) Annonaria ſcil. *ID.*

(m) *Nobis prudens*, Cod. Iuſt. quædam Editiones, male. *ID.*

(n) *Integritate mentis*, Cod. Iuſt. male. *ID.*

COMMENTARIVS.

VRBICÆ annonæ variis rationibus & quatuor quidem, quot etiam *huius l.* capita ſunt, hac conſtitutione conſulit Valentinianus Sen. quem Principem innumeris aliis *legibus* eidem annonæ enixo ſtudio conſuluiſſe liquet: Quod & ipſemet diſerte profitetur *l.* 1. *Cod. Iuſt. de off. P. V.* quæ *huic* iungenda eſt.

Primum igitur, (quod ab hoc titulo alienum eſt) Præfectum Vrbis, etſi Vrbicæ annonæ curam gereret, ſub eius diſpoſitione Præfectus annonæ fuerit, (quod etiam *Imperii Notitia* oſtendit *fol.* 118. & Sidonius Apollinaris *lib.* 1. *ep. ad Campanianum* 10.) attamen de annona eum quicquam diſponere vetat, niſi *participe Præfecto Annonæ*; Id quod expreſſius adhuc Valentinianus definiuit *d. l.* 1. *C. Iuſt. de Officio P. V.* quæ eiuſdem conſtitutionis pars eſt, & *huic* proxime cohæſit: Ea ſic habet; *Impp. Valentin. & Valens AA. ad Voluſianum Præfectum Vrbis. Studentibus nobis ſtatum Vrbis, & annonariam rationem aliquando firmare, in animum ſubiit, eiuſdem annonæ curam non (non omnem maioribus deferre poteſtatibus) omnibus deferri poteſtatibus. Et ne Præfectura Vrbis abrogatum ſibi aliquid putaret, ſi totum* (id) *ad officium annonarium redundaſſet, eidem Præfecturæ ſollicitudinis* (annonariæ) *neceſſitatem mandamus: ſed non ita, vt lateat officium annonaria Præfectura; ſed vt ambæ poteſtates, in quantum ſibi negotii eſt, tueantur ciuilem annonam; ſitque ſocietas muneris: ita vt inferior gradus meritum ſuperioris agnoſcat; atque ita ſuperior poteſtas ſe exerat, vt ſciat ex ipſo nomine, quid Præfecto debeatur annonæ.* Concurrere itaque has duas Poteſtates, Præfectum Vrbis, & Præfectum Annonæ, in ſollicitudine ipſius Annonæ Vrbicæ vult Valentinianus, ſeu ſocietatem muneris inter eos eſſe iubet. Quod etiam deinceps obtinuiſſe docet *lex vlt. inf. de nauicul.* & Symmachus *lib.* 10. *ep.* 48. & Sidonius *lib.* 1. *dict. ep.* 10. potioribus tamen partibus *Præfecto Annonæ* adſignatis, vtpote cuius hæc vnica cura erat, de quo etiam vide eiuſdem Valentiniani *l.* 2. *inf. de canone frum. V. R.* Quare ſiquid circa Annonam facto opus eſſet, Præfecti Vrbis Officiales ei rei ſe immiſcere vetat, verum Præfecti annonæ Officiales id exſequi iubet, vitandæ ſcil. confuſioni. Quod ipſum diſerte quoque cauetur *l.* 1. *C. Iuſt. de Apparitoribus Præfecti annonæ: Apparitores*, inquit, *Vrbanæ Præfecturæ annonario Officio ſeſe non inſerant, ſed Apparitorum æmulatione ſecreta, miniſterio ſuo annonæ Præfecturæ fungantur*, quæ *lex* forte & ipſa *huic* iungenda videri poſſit, emendata Inſcriptione. Obſeruandum interim nouum iſtud Valentiniani inſtitutum: quo Præfecti Vrbis cognitionem ſuccidit: vt & notandus concurſus & coniunctio duarum Poteſtatum circa eandem rem.

Secundum iam *huiuſce leg.* caput, quod retinuit Tribonianus, eſt de Erogatione Annonæ. Iubet ſcil. Valentinianus vetera, prius condita expendi, ſeu erogari: vetera, inquam, condita, id eſt, quæ ſub anteriore Præfectura horreis illata fuerunt & aſſeruantur, priuſquam ad erogationem nouorum deueniatur; *nouorum*, id eſt, quæ ſub præſenti Præfectura horreis fuerunt illata; Quod in

erogatione vini aliter obtinet, veteris quippe vini diſpeudioſa arogatio eſt, *l. 25. ſup. de erogat. milit. ann.* niſi ſi proceſſum temporis oon ferret, *l. 3. ſup. tributa iu ipſis ſpeeieb.* quæ & ipſa *lex* pertinet ad Vrbicariam annonam.

Tertio capite Id cauetur, vt ſi Vetera condita forte eorrupta ſint, quæ ſine querela ſola non poſſiot erogari, tum uouæ annonæ ſeu frumenti ooul *admiſſione* id vitium veletur.

Poſtremo tandem *capite* cauetur, de *Frumentario cuſtode & menſore* a Præfecto Vrbis arbitratu eius & iudicio aligendo: Eum ſcil. Nobilem, Prudentem, Fidelem, optime ſibi conſcium, pro meritis integritatis, eligi vult, qui ſcilicet aut modio frumentum metiatur, aut iuſta æſtimetione colligat, quantum habeatur in coodito. De quibus *Menſoribus* dicendi locus erit *l. 9. inf. de Suariis: l. vn inf. de patronis horr. portuenſ. l. 1. inf. de canone frum. V. R.*

Inter alias vero qualitates, quæ in Cuſtode hoc vel Menſore requiruntur nota *Nobilem* requiri, quod in *Cod. Iuſt.* male mutetum in *nobis*. Nempe *nobilis* pro integro, ſummæ integritatis, vt contra *ignobiles* de corruptione, *ignobilis diſſimulatio*, *l. 11. inf. de extraordinar.*

Interim ex ſuperioribus epparet, non recte *hanc leg.* reſtringi a nonnullis ad annonam ciuicam gratuitam ſeu panem gradilem; de quo erit *inf. titulus de annonis ciuilis & pane gradili*, verum ſpectare eem ad quamlibet ennonam Vrbicariam, etiam eam, quæ publice diſtrahebatur, qood & in vino factum oſtendi, ad *l. 2. 3. ſup. tributa in ipſis ſpecieb.*

Amayæ interim hæſitationem *hac l.* non potui oon riſu excipere, qui cum videret *Valentiniani & Valentis* nomina *huic l.* inſcripta, ſubſcriptos P. 104.
vero Conſules *Iouianum & Varronianum*, tanquam inter ſe pugnantia luie ita conciliauit, hanc legem tuliſſe quidem Iouianum, ſed præmatura eius morte non potuiſſe eam publicari, & ideo ſequentes Imperatores id effeciſſe, cum in Conſulatu ſuo obierit. Neſciuit enim Amaya, mortuo quamuie Iouiano & Varroniaoo, conſulatum tameo de eorum nominibus porro reſignatum, addito tantum eius rei indice vocabulo, Divo. Quare Valentiniani hæc *lex* omnino eſt, oullo modo Iouiani. Vt & illud omne ioculare, quod idem poſtea ibi Interpres, tam prolixe monet aduerſus id, quod *hac leg.* dicitur, ſpecies vetuſtate corruptas cum omnis ita miſcendas, vt eius adiectione eorruptio veletur. Quaſi id in falſi crimen incurrat, & contra bonæ fidei regulas ſit: hucque aptat, quæ aduerſus priuatos καπηλεύοντας dici vel ſtatui ſolent: ſorumqoe adeo conſcientiæ aduerſus id commouet, tanquam id naturali charitati & veritati aduerſum ſit: & exiode in eum tractatum ſeſe effudit, quando naturaliter alterum decipere fas ſit. Vbi tandem etiam ex parte poſt alios obſeruat, hanc legem eſſe de annone Ciuica & de pane gradili, qui gratuito populo Romeuo ex horreie expendebatur, erogabatur gratis, & ex Principie liberalitate, qui proinde hanc *legem* liberalitati ſuæ dicere potuit, & *fiſco ſuo* conſulere. Verum & hoc male: nam & hæc *lex*, vt dixi pertinet ad quamlibet Annonam Vrbicam, quem *etiam publice diſtrahebant*. Certe id ipſum quoque hodie alicubi in Rebuſpubl. bene inſtitutis vſurpari videmus, etiam cum conditæ in publicis horreis ſpecies non ita bonæ, aliarum mixtione & adiectione velantur, atque ita in piſtores erogantur.

II. (a) Impp. Arcadius & HONORIVS AA. Florentino P. V. (b)

NIHIL prius ex horreis conſequantur, (c) quam omnis Canon, (d) qui antiquitus eſt inſtitutus, fuerit conpletus; Cognoſcente Officio Vrbicariæ Præfecturæ, decem libris auri eſſe (e) multandum, ſi quæ decreuimus fuerint temerata. Dat. VI. Kal. Ian. Med. Arcad. III. (f) & Honor. III. AA. Coss. [396.]

NOTAE.

(a) Abeſt hæc *lex* a *Cod. Iuſt. GOTHOFR.*

(b) *Florentinus* P. V. Romæ ſub Honorio, vid. *leg.* 3. *inf. de priuilegiis Corporatorum V. R.* Huic Florentino P. V. complures aliæ *leges* inſcribuntur. Sed & plures Symmachi epiſtolæ *lib.* 4. ex quarum numero eſt *ep.* 52. & 54. e quibus de eius Præfectura indicium facile fieri poteſt. *ID.*

(c) Quinam? An piſtores; an ciues ſeu populares? Hoc verum: dicam mox. *ID.*

(d) De canone frumentorio Vrbis Romæ, erit *titulus inf. ID.*

(e) *γρ. eſſe ſe*, vel ſimpliciter *ſeſe multandum*. *ID.*

(f) *γρ. IV.* Idem error tollendus ex *l. 26. inf. de navicular. ID.*

COMMENTARIVS.

EROGARI, expeodi, ex Canone frumentario Vrbis Romæ ſeu profligari diurne præbitione quicquam vetat Honorius Anno Domini 396. prioſquam ioteger canon *completus*, fuerit, (id eſt illatus.)

Quæ conſtitutio obſcurum ſenſum habet, vtpote cum decurtatam adeo in hunc *titulum* retulerint *huius Codicis* Conditores, vt non habeat vox, *conſequantur*, qoo referatur. Qui Conditorum iſtorum error eſt. Sed & ratio præterea in obſcuro eſt: ipſa temporum ratio forte rem expediet. Pertinet hæc *lex* proculdubio ad metum ingruentis Romæ famis, cum videlicet *Gildo* hoc ipſo Anoo 396. ſoperiore menſe Nouembri, ſub finem Autumni, ingruente hyeme, teſte Claudiano *de bello Gildon. in princip.* arrepta per Africam tyran-

nid-

nide canonem Vrbicarium, qui ex Africa *anti-quitus* erat *inſtitutus*, (Id eſt Vrbi Romæ deſtinatus) retinuiſſet; de quo conſule *Conſularia noſtra Theodoſiana*, atque exinde fames ſæuiſſima Romæ oborta; de qua videndus Symmachus & Claudianus *de bello Gildonico*; Quo pertinet præterea hoc ipſo menſe Decembri altera Honorii conſtitutio, puta *lex 26. inf. de Nauicular.* & complures inſuper anno proximo ſequente 397. Quare cum canonem illum frumentarium hoc menſe Decembri nondum illatum viderit Honorius, neque dum ſatis ſciret vnde hæc mora prouenisſet, non vna ratione ingruenti fami occurſum voluit: Et quia, penes Nauicularios quoque eius rei culpam reſidere putaret, *legem illam 26. inf. de nauicular.* edidit: Sed & hac *leg.* emiſſa, Populo Romano, conſultum voluit, erogationi canonis modo præſtituto, ne alioquin iuſta eius erogandæ ratione non habita canon ſolito eiuus deficeret, & profligaretur diuina præbitione. Quare id nunc conſtituit, vt *nihil* populares ſeu ciues, prius ex horreis conſequantur, id eſt, vt ne quid erogetur, profligetur diurna præbitione in ciues, vel gratuitæ annonæ (quæ *annona ciuica* dicitur) vel diſtractione facta, quam totus canon illatus fuerit, vt ita futuri prouidentia modus erogationis ineatur. Tandem ad ipſammet Florentini huius P. V. cui *hac lex* inſcribitur, relationem, id ita ab Honorio conſtitutum cenſeo. Extat ſane Symmachi *Epiſtola 54. lib. 4. ad hunc eundem Florentinum*, ſuper hac ipſa re. *Sed quid mihi inſuſurras frugis Africana tenues commeatus? Abſit, vt præſens annus imitetur fortunam ſuperiorum. Intercludet, vt ſpero,* PROVIDENTIA *triſtes caſuum vias, ſacris auribus edocendis, & caſtigatione Iudicum, quos alimentaria ſpectat inuectio, Nec ſpem dies obſtruit. Nam mare adhuc iuſtis curſibus patet, & nondum* p.105. *in hyemem præcipitat Autumnus. Places tamen inter hæc quod inæſtuas, & pio* METV *anteuertis neceſſitatem. Remunerabitur curam melior euentus; & laudis tuæ fructus efficiet, vt poſthac tibi dulce ſit timuiſſe.* Quæ quidem Symmachi epiſtola, vt ex ſupraſcriptis apparet menſe Nouembri circiter data eſt.

Prouidentiæ interim Principalis exemplum hic habemus, imminenti fami prouida ratione occurrentis. Nempe vt cæteroquin venienti neceſſitati prouidus quiſque occurrit, ſi ad calculos ſedeat, ita venturæ fami occurrit, qui accepti prius quam expenſi vllius rationem habet.

III. (a) Idem AA. Anatolio (b) PF. P. Illyrici.

NVLLI (c) poſthac horreaticas (d) ſpecies contingendi copia præbeatur. Sin (e) vero quiſquam temerator horreorum extiterit, qui ſibi ex prædictis aliquid audeat vſurpare, hanc pœnam ſciat noſtro arbitrio definitam, vt deportationis pœnæ ſubiectus, totius ſubſtantiæ (f) cogatur ſubire iacturam. Dat. VII. Id Iul. Conſtantinop. Cæſario & Attico Coſs. [397.]

NOTAE.

(a) *Lex vlt. Cod. Iuſt. de conditis in publicis horreis.* GOTHOFR.

(b) *Anatolius* PP. Illyrici ſub Arcadio Imp. A. D. 397. 398. 399. v. *Proſopogr. ID.*

(c Iudici forte. *ID.*

(d) *Horreatica* ſpecies, quæ in horreis conditæ. *ID.*

(e) *Si vero* ita *Cod. Iuſt. ID.*

(f) Nempe deportationi iuncta ſemper eſt bonorum publicatio. *ID.*

COMMENTARIVS.

VSVRPARE ea, quæ publica collatione in horrea illata ſunt, vt nulli penitus Iudici licet (de quo peculiaris eſt titulus *inf. lib. XII. tit. IX. de his quæ ex publica conlatione inlata ſunt non vſurpandis:* in *quem* & hanc *legem* coniectam oportuit;) ita cum id a Iudicibus ſubinde fieret, tum alii Principes ei vſurpationi interceſſere, tum *hac leg.* Arcadius intercedit: ac nominatim per *Illyricum* (Orientale ſcilicet) rurſum nominatim, circa ſpecies *horreaticas*, id eſt, circa annonam militarem, quæ per Illyricum, in caſtris & horreis limitaneis, exercitui, qui Scythis, Gothis, Sarmatis oppoſitus erat, alendo, condita erat: de qua alioquin militari & limitanea annona fuit iam peculiaris *tit. lib. VII. tit. IV.* Male igitur ſpecies *huius leg.* ponitur in ſpeciebus repoſitis ad ſubleuandas neceſſitates populi, ne alioquin, vt loquuntur, fameſceret populus.

Quod pœnam huic vſurpationi impoſitam attinet, bonorum proſcriptionis & deportationis, eadem & ſtatuitur *leg. 12. inf. de operib. publ. & leg. 2. ſup. de his qui cum diſpenſ.*

Male item ad *hanc legem* quæritur, vtrum hæc *lex* quoque obtineat, ſi ſpecies non quidem in horrea adhuc conditæ, verum ad horrea tantum deſtinatæ ſint? Eſt enim *huius legis* ſpecies de horreaticis ſpeciebus, id eſt, quæ in horreis conditæ in vſus militares.

Exemplum interim hic habemus, Principis, Iudicum integritati, ſimul & collatorum indemnitati, tandem & rei annonæque militari conſulentis.

DE

DE PVBLICA COMPARATIONE.

TITVLVS XV.

LIB. X. COD. IVST. TIT. XXVII.

Vt nemini liceat in emptione ſpecierum ſe excuſare, & de munere Sitoniæ.

Addantur præterea *huius tituli legibus* de hac ipſa re, quinque aliæ præterea: puta *lex* 14. *ſup. de proximis Comitibus diſpoſitionum*, *lex vlt. inf. de equorum conlat. lex* 1. 3. *inf. de frumento Vrbis Conſtantinopolitanæ: lex* 49. *inf. de operib. publicis.*

PARATITLON.

PVBLICA COMPARATIO, quæ *Rubr. huius t.* dicitur, vocatur & Comparatio diuerſarum ſpecierum, *l.* 1. *h. t.* comparatio ſpecierum, *l. vlt. inf. de equor. conlat.* & *l.* 49. *inf. de operib. publ.* ac nominatim frumenti, vnde coëmptio frumentaria, *l.* 3. *inf. de frumento Vrb. Conſtant.* frumentaria Comparatio, *l.* 1. *inf. de frum. Vrb. Conſt.* Item Venalicium, *l.* 14. *ſup. de prox. Comit. diſpoſ.* Tandem & Synoneton appellatur, *l.* 1. *h. t.* quæ vox *coëmptioni* reſpondet, vt *coëmere*, pro ſimplici, *Emere*, in *l.* 1. *de frum. V. Conſt.*

Erat autem, cum ad prohibendam famem forte Vrbis Conſtantinopolitanæ, vt *d. l.* 1. *inf. de frum. Vrb. Conſt.* vel vrgente alia neceſſitate forte bellica, *l. vlt. inf. de equor. conlat.* ſpecies annonariæ a prouincialibus, pretio contra dato a fiſco expetebantur, *l.* 2. *h. t.* ſub tranſactione comparationis, *d. l.* 2. *h. t.* vt videlicet diſtraherent vſibus publicis profuturas fruges, *d. l.* 2. *in fin. h. t.* ſpecies annonarias, *d. l.* 2. *h. t.* pretiis, quæ in foro rerum venalium habentur, *d. l.* 2. *h. t.* Quæ quidem adſcriptio, ſeu Indictio, inferiores vel plebeios non tenebat, *d. l.* 2. *h. t.* Vt nec actores & Procuratores Senatorum *l.* 1. *h. t.* ſed potiorum, id eſt ditiorum poſſeſſorum domos, *d. l.* 2. *h. t.* Pro ratione temporum vel ingenio Principum; Modo neceſſaria, ſic vt nullus ab ea immunis eſſet, *d. l. vlt. inf. de Equor. conlat.* & *l.* 49. *inf. de operib. publ.* Exceptis ſcriniorum Proximis & Comitibus diſpoſitionum, *l.* 14. *de proximis:* modo voluntaria, *d. l.* 2. *h. t.* Ita quidem vt non pretiis acceptis ſpecies dare cogerentur, *d. l.* 2. *h. t.* vnde Tranſactio Comparationis, *d. l.* 2. vocatur.

SENATORVM *actores, Procuratores, a Synoneto immunes eſſe.*

I. (a) Imp. CONSTANTIVS A. ad Senatum.

AD comparationem diuerſarum ſpecierum (quod *Synoneton* appellatur) Actores, Procuratoreſque Senatorum per diuerſas prouincias nullam inquietudinem tolerent. Dat. v. Non. Maii, Tauro & Florentio Coss. [361.]

NOTAE.

(a) Abeſt hæc *lex* a *Cod. Iuſt.* prælata Anaſtaſii *l.* 1. *C. eod. tit.* qua nulli immunitas tribuitur ab hac comparatione. Iungenda ei autem *lex* 12. 13. *ſup de Prætorib. lex* 1. *ſup de metatis: lex* 7. *ſup de annona & trib. lex* 48. *inf de decurion. lex* 3. *inf. de luſtrali conlat. lex* 1. *inf. de protoſtaſia: lex* 7. *inf. de oper. publ. GOTHOFRED.*

COMMENTARIVS.

CONSTANTII Imperatoris hæc conſtitutio eſt, de Publica comparatione ſeu Synoneto, omnium, quod ſciam, in hoc argumento antiquiſſima: qua IMMVNES eſſe iubet a publica illa comparatione, ſeu Synoneto, Actores & Procuratores SENATORVM, qui ſcil. per prouincias poſſeſſiones eorum

eorum nomine exercebant, procurabant: Quæ quidem *lex* prolixæ Conſtantianæ *ad Senatum Orationis* pars eſt; quod oſtendunt *octo* illæ *leges*, P.107. quas *huic* coniungendas eſſe dixi; quibus & aliæ præterea Senatoriæ Immunitates continentur, puta a luſtrali collatione, *d. l. 3. inf. de luſtrali conlat.* a metato, *d. l. 1. ſup. de metatis*, a collatione ad opera publica, *d l. 7. inf. de operib. pub.* a tributis ſoluendis pro colonis profugis, *d. l. 7. ſup. de annona.* non tamen a munere protoſtaſiæ, *d. l. 1. inf. de protoſtaſia*, non vero a nexu Curiali, *d. l. 48. inf. de decurionibus*, quæ leges, vt dixi, omnes, huic atque inter ſe cum tribus aliis præterea coaſſaodæ ſunt, ceu eiuſdem orationis partes: quæ tamen non illa eſt, cuius meminit Themiſtius *Orat. 14.* (ſiu. 2. edit. Harduin.) vt oſtendi ad *d. leg. 12. ſup. de prætorib.* (quæ & ipſa *huic* iungenda eſt, etſi de Themiſtio agat.) Et hoc quidem ſingnlare Senatorum priuilegium eſt, cum alioquin nemo a Synoneto immunis ſit, *l. vlt. inf. de Equor conlat. l. 49. inf. de operib. publ.* & *tit. Cod. Iuſt. de quib. munerib. vel præſtationib. nemini liceat ſe excuſare*: qua cauſa hæc *lex* abeſt a *Cod. Iuſt.*

Quale autem hoc onus fuerit, ex *Paratitlo* liquet. Iſtius ſane quoque Synoneti ſeu Coëmptionis, Scriptores nonnulli τῶν ἔξω meminere; Libanius *epiſt. ad Modeſtum 266.* Auctor ſubditus *Notitiæ Imperii*, de Iudicibus & Exactoribus. *Illic*, inquit, *Tyronum comparatio, Equorum vel frumenti coëmptio, expenſa quoque mœnibus profutura, ſolemnia lucra ſunt, & votiua direptio.* Boëthius, 1. *de conſolat. ad metrum 4. Cum acerba famis tempore grauis atque inexplicabilis indicta* COEMPTIO *profligatura inopia Campaniam videretur, certamen aduerſum Præfectum Prætorii communis commodi ratione ſuſcepi, Rege cognoſcente contendi, & ne coëmptio exigeretur, euici.* Caſſiodorus etiam XII. *Variar. 14. Laridi atque Tritici ſpecies nullis temporibus coemptionis nomine inde decernimus poſtulari* Suidas *voc.* Συνωνή. Συνωνὴ, τὸ ἄχθος. ὅτι ἐπὶ Ἰουστινιανοῦ ἡ τοῦ σίτου φορὰ ἐσπάνιζε. Συνωνή. *Onus (quoddam ſic dictum) quia ſub Iuſtiniano annona arctior erat.* & mox, ὥστε ἀγαπᾷν, ἤν τις αὐτοὺς ἐάσῃ τόν τε σῖτον οἴκοθεν τῷ δημοσίῳ χαρίζεσθαι, καὶ τίμημα ἕτερον ὑπὲρ αὐτοῦ κατατίθεναι: τοῦτό ἐστι τὸ ἄχθος, ὅπερ συνωνὴν καλεῖν νενομίκασι. *vt potius haberent frumento publicis horreis condonato, pretium inſuper duplum perſoluere: hoc eſt onus illud, quod ſynonam vocare conſueuerunt.* De munere huius Sitoniæ, id eſt de cura σιτωνιῶν, ſeu frumenti coëmendi munere, Hermogenianus & Arcadius Chariſius *l. 1. §. 2.* & *l. 18. §. 5. D. de munerib. & honor.* & quiſquis Aothor eſt *legis 3.* § *12. eod.* vide & *dict. tit. Cod. Iuſt. vt nemini liceat in coëmpt* &c. & *Nouell. Iuſtiniani 30. cap. 8.* Gregorium *lib. 1. epiſt. 2.*

Hæc interea Conſtantii conſtitutio exemplum eſt, Principis *Senatui* ſeſe commendare ſatagentis: argumentoque eſt, quo Conſtantius ipſe erga Senatum & Senatores animo ſeu ſtudio fuerit.

POTIORES, *tantum, eoſque nonniſi volentes, nonniſi pretio prorogato, nonniſi forenſi, etiam annonarias ſpecies, fiſco diſtrahere cohortatur Theodoſius M. A. D. 384.*

II. (a) Imppp. Gratianus, (b) Valentinianus, & THEOD. AAA.

CVNCTOS (c) formari (d) plenius conueniet, vt in ſpeciebus, etiam annonariis, quæ a Prouincialibus, ſub tranſactione (e) comparationis, pretio expeti ſolent, ſciant, nullam ſibi neceſſitatem (f) indictionis inponi, ſed huius adſcriptionis (g) neceſſitatem ſublatam: mox, ab Ampliſſima Præfectura (h) pretiis conpetentibus deſtinandis, vt nihil trahatur (i) in debitis, quod aut ſperetur, aut promittatur quando (k) ſoluendum. Vnuſquiſque (l) Prouincialium noſtrorum, arbitratu proprio & mente deuota, ſpecies petitas hiſdem pretiis quæ in foro rerum venalium habebuntur, libens præſtet, ac diſtrahat: ita vt prius (m) vendendas det ſpecies, quam omne, quod in ratione diſtractionis venerit, (n) aurum fuerit conſecutus: Potiorum (o) tantum, id eſt, poſſeſſorum, domibus delegatis: Quibus tamen cohortatio inponitur, non neceſſitas imperatur, *Vt conſenſum facilem præbeant ſuper ſpeciebus annonariis diſtrahendis.* Hæc autem adſcribtio inferiores, vel plebeios non tenebit, vt vſibus publicis profuturas diſtrahant fruges. PP. Prid. Kalend. Febr. Byritho, (p) Richomere & Clearcho Coss. [384.]

N O T A E.

(a) Abeſt & hæc *lex* a *Cod. Iuſt.* prælata vt iam dixi ad *l. 1. ſup.* Anaſtaſii *lege*, qua conditiones nullæ proponuntur. Iungendæ autem illi *lex 19. ſup. de annona & trib.* & *lex 4. ſup. tributa in ipſis ſpecieb.* GOTHOFR.

(b) Perperam *hæc lex* pariter vt *lex 19.* & *d. lex 4.* Gratiano, Valentiniano & Theodoſio tribuuntur. Tribuendæ enim ſunt *Valentiniano*, THEODOSIO & *Arcadio.* vide *Conſularia Theodoſ. ID.*

(c) *Edicti* pars hæc videtur. *ID.*

(d) *Formari*, pro informari. *ID.*

(e) *Tranſactio comparationis* propria voce, quam ad *leg. 1. ſup.* iam expendi. De altero autem tranſactionis genere agitur: idque ſimul improbatur *d. l. 4. tributa in ipſis ſpeciebus. ID.*

(f) Ita mox pariter, *arbitratuproprio & mente deuota:* & Tertio. *Quibus tamen cohortatio imponitur, non neceſſitas imperatur*, &c. *ID.*

(g) Ita mox fine legis; *Hac autem adſcriptio.* &c. *Adſcriptio* neceſſitatem indicat. *ID.*

(h) Id eſt a Præfecto Prætorio, non Præfecto Vrbis, vt nonnulli exiſtimarunt, de quo mox plura. *ID.*

(i) *Trahi in debitis*, eſt differri ſolutionem. *ID.*

(k) γρ. *Quandoque*, id eſt, deinceps & in futurum; niſi pro eodem quis malit hic legere, *aliquando. ID.*

(l) *Vnuſquiſque igitur. ID.*

(m) γρ. *Non prius:* id enim omnino *huius l.* ſententia depoſcit. *ID.*

(n) *Ei conueneris. ID.*

(o) *Potiores*, pro poſſeſſoribus, *hac l.* & *l.* 5. *inf. de luſtrali conlat.* Vide *Gloſſarium.* Forte autem *hic* legendum: *Potiorum tamen tantum* &c. *ID.*

(p) Hanc ſubſcriptionem plenius expendi ad *d. l.* 19. *ſup. de annona & trib. ID.*

P. 108.

COMMENTARIVS.

THEODOSII M. conſtitutio hæc eſt de publica Comparatione: quæ inani battologia & hiulca oratione laborat, & æquiſſima tamen eſt. Initio, *hac lex* apertiſſime omnium oſtendit, publicam Comparationem, Coëmptionem, Synoneton, quod prouincialibus ſeu poſſeſſoribus indicebatur, fuiſſe, non emendi neceſſitatem, quæ prouincialibus imponeretur; verum vendendi fiſco qui ſpecies ita comparabat, coëmebat a priuatis vrgente neceſſitate; De quo tamen anxie quærunt Interpretes nonnulli: Aperte enim *hac leg.* dicitur *ſpecies annonarias a prouincialibus pretio expeti ſub tranſactione comparationis*: ſtatuiturque, *pretia competentia a Præfecto Prætorio* (e fiſco) *deſtinanda*: Additur, *nihil trahi in debitis oportere, quod ſperetur aut promittatur olim ſoluendum*: apertiſſimeque dicitur, *Prouinciales ſpecies* PATRITAS *pretiis diſtrahere*: mox, *vendendas dare ſpecies, auro contra*: Item *Potiores*, ſeu *poſſeſſores conſenſum præbere ſuper ſpeciebus* DISTRAHENDIS: Tandem *Inferiores* ſeu *Plebeios non teneri* VSIBVS PVBLICIS *profuturas fruges* DISTRAHERE.

Nunc de *Conditionibus* æquiſſimis, quæ publicæ huic Comparationi apponuntur *hac l.* CONDITIONES nempe publicæ Comparationis quatuor *hac* Theodoſii M. *conſtitutione*, ſublenandis prouincialibus, inque eorum fauorem, proponuntur, pariter vt duo alia circa eandem rem Tributariam, ad eorundem Prouincialium indemnitatem ab eodem conſtituuntur, *l.* 19. *ſup. de ann. & tribut.* & *l.* 4. *ſup. Tributa in ipſis ſpecieb.* quæ vt *huic* coniungendæ ſunt, ita einſdem Theodoſiani Edicti partes ſunt.

Prima conditio hæc eſt, quæ tribus locis inculcatur, *Voluntariam* hanc comparationem eſſe, non neceſſariam: quod aliter poſtea obtinuit, *l. vlt. de equor. conlat.* & *l.* 49. *inf. de operib. publ.*

Secunda conditio eſt, quæ etiam duobus locis repetitur; vt Græca fide, id eſt, *præſenti* tantum & prorogata *pecunia* ſpecies fiſco diſtrahantur, quam Præfectus Prætorio deſtinauerit: Præfectus inquam Prætorio non Præfectus Vrbi, quod quidam cenſebant; vt etiam *huius leg.* ſubſcriptio indicere poteſt, etſi in ſpecie *legis* 2. *C. Iuſt. de frum. Vrbis Conſtantinop.* a Præfecto Vrbis eam pecuniam deſtinatam fuiſſe apparet.

Tertia conditio eſt, vt pretium *forenſe*, quod in foro rerum venalium obtinet, inuicem detur: de quo pretio iuxta forum rerum venalium, vid. *leg. vlt. ſup. de annona:* & *l.* 2. *ſup. Tributa in ipſis ſpecieb.* Symmachum, & Caſſiodorum. Atque ita ſoluitur Quæſtio apud Interpretes agitata, quo pretio Priuati in Cariſtia ſpecies annonarias vendere teneantur, iuſto videl. an viliore? Ex Theodoſii ſane mente, *iuſto*, eoque *forenſi*; nam & forenſe iuſtum eſt, *c. 1. de empt. & vendit.* Verum huic rei modus certus in omnia tempora præſtitui non poteſt; alias enim aliud eſſe iuſtum poteſt, vt apud Caſſiodorum IX. *Var.* 5. Quemadmodum etiam cœteræ conditiones, prout neceſſitas eſt, non ſemper obſeruari poſſunt, puta vt uoluntaria hæc ſit coëmptio, vt pretio præſenti ſpecies vendantur, vt forenſi pretio, denique, vt aliqui excuſentur.

Poſtrema conditio eſt, quæ & duobus locis indicatur, reſpectu perſonarum: *Potioribus* tantum, id eſt Poſſeſſoribus, quo eodem ſenſu *Potiores* accipiendi *l.* 5. *inf. de luſtrali conlat.* non etiam inferioribus aut plebeiis hanc publicam comparationem ſeu Synoneton imminere: quæ magna eſt hac parte Theodoſii M. humanitas; cum alias omnibus ex æquo ea immineret, & a ſummis ſarcina hæc ad infimos vſque decurreret, *l. vlt. inf. de Equor. conlat.* & *l.* 49. *inf. de operib. publ.* Et vero Anaſtaſius neminem ab ea immunem eſſe voluit: quæ cauſa eſt cur Iuſtinianus *eam legem* prætulerit, duabus *huius tit.* legibus abdicatis. Sane Libanius quoque epiſtola ad Modeſtum Comitem Orientis tum, (vt exiſtimo) 266. queritur de Dulcitio quodam, quem exiguum agellum circa Berœam (inter Antiochiam & Hierapolim) colentem, multum tritici vendere coactum ſcribit ab iis, quibus hæc cura imminebat, hos concutientibus, illos leuantibus: cui rei opem Modeſti implorat. Ea Epiſtola hic inſeri meretur. Quæ omnia ſingularem arguunt Theodoſii M. humanitatem, præſertim vbi de annonariis ſpeciebus agitur: quod & his verbis ipſe indicare voluit, *In ſpeciebus*, inquit ETIAM ANNONARIIS, quarum alioquin ſumma neceſſitas.

Ex *hac* interim *lege* documentum habemus, latranti quamuis ſtomacho publice ſuccurrendum veniat, neque quidquam frumento & pane magis neceſſarium; non ideo tamen incondite ius ſuum cuiquam detrahendum: quin potius æquiſſimis conditionibus non tam cogendum quam inuitandum quemquam eſſe, vt ſubſidio publice eſſe velit. Quod vſui ſæpe eſſe poteſt.

Vt ad hiſtoricam nunc cauſam *huius leg.* deſcen-

ſcendamus; ſi coniicere licet, Coëmptioni huic qua de *hac l.* agitur, occaſionem præbuiſſe videtur, ratione temporum & loci *huic l.* ſubſcripti, ſuadente, fames frumentique inopia, ſeu annonæ difficultas, qua in Oriente, & quidem in Syria Antiochiæ, laboratum; de qua pluribus locis Libanius, de *vita ſua p. 64 & 69. edit. Morell. Orat.* περὶ τῶν ἀγγαρειῶν, *in f. pag. 394 Oper. minor. I. Gothofred Cl. Troz. Orat. aduerſus Icarium, p. 462 edit Morell.* quæ quidem durauit ſub tribus Comitibus Orientis per annum D. 382. 383 384. vt ex *prædictis* Libanii *locis* colligimus: ſub Philagrio, inquam, qui Comes Orientis fuit, A. 382. vt docet *lex 41. de curſu publ.* ſub Proculo, qui Comes Orientis fuit eodem Anno 382. & 383. vt docet *lex 90. 103 inf de decurionib. lex 14. ſup. de cohortalib.* imo & *lex 22. de operib. publ.* cuius eiuſdem meminit idem Libanius non vno loco, etiam *Oratione ad Icarium p. 455. 456. 458. edit. Morell.* & in ſupplemento MS eius Orationis, *quod penes me eſt.* Tandem & ſub Icario, qui poſt Proculum Comes Orientis fuit. Eo igitur procul dubio pertinet hæc coëmptio, de qua *hac leg.* cuius Coëmptionis meminit quoque Libanius, *de vita ſua p. 64. edit. Morelli* in illa ipſa annonæ difficultate. σῖτον δὲ οἱ ἄρχοντες πανταχόθεν ἐκάλων [ἐπόλων] αἱ τιμαὶ δὲ τοῖς ἄρτοις, ἐπὶ τὸ πλεῖον ἧκον. Φιλάγριος δὲ ἀνὴρ ἐνδοξότατος, ἐπὶ τὸν μείζω θρόνον ἥκων, κρείττω μὲν οὐκ ἔχων τὰ πράγματα ποιῆσαι, ἀγαπῶν δὲ εἰ μὴ φαυλότερα, παρεκάλει μὲν τὸ τῶν σιτοποιῶν ἔθνος εἶναι δικαιοτέρους, ἀνάγκας δὲ οὐκ ᾤετο δεῖν ἐπάγειν, δεδιὼς τὴν ἐπὶ πλεῖστον ἀποδρᾶσιν. id eſt, *Frumentum vero vndequaque Magiſtratus comparabant: paniſque pretium ad ſummum venerat. Philagrius vero Vir Clariſſimus, cum ad maiorem thronum conſcendiſſet,* (id eſt ad Comitiuam Orientis,) *neque res in melius prouehere poſſet, ſatis habens ne deteriores redderet, hortatus quidem eſt Piſtorum Corpus, vt æquiores eſſent, neceſſitatem vero his impingere non oportere ratus* P.109.
eſt, veritus ſcil. plerorumque fugam. Ergo inter alia quoque remedia ad auerruncandam famam, admotum comparationis ſeu ſynoneti remedium a Theodoſio M. ſic tamen, vt potentiores tantum eo prouocaret, nulla etiam impacta neceſſitate, & pretio eoque præſenti contra dato. Quinimo ſubſcriptio quoque loci, vbi hæc *lex* Propoſita, puta Berythi, hanc coniecturam firmat. De qua ſubſcriptione dixi plene ad *l. 19. ſupr. de annona & trib.* quæ huic vt dixi iungenda eſt. Tandem & ex *l. 4. ſupr. Tributa in ipſis ſpeciеb.* quæ & ipſa *huic legi* coniungenda eſt, argumentum aliquod deſumi poſſe videtur: Nam & in ea remedium continetur ad impediendum annonæ defectum; nempe iubet Theodoſius *illo capite* ſpecies annonarias ipſas a collatoribus ſolui, non pretia earum: quod tamen tum non fiebat: *Quod*, inquit, *maximum eſt, & vnde omnis ſolet querela procedere.*

DE EXTRAORDINARIIS SIVE SORDIDIS MVNERIBVS.

TITVLVS XVI.

Abeſt hic *Titulus* a *Cod. Iuſtin.* atque eius loco ponitur *titulus de Excuſationibus munerum.* Cæterum quatuor *hoc titulo* conſtitutiones occurrunt, ad ECCLESIASTICAM hiſtoriam pertinentes: puta *lex* 15. 18. 21. 22.

PARATITLON.

1 EXTRAORDINARIA, *l. 5. ſupr. de annona*, omnia, *l. 2. 9. h. t.* extraordinaria munera, *Rubr. l.* 4. 5. 12. 15. 18. 19. 21. 22 *h. t.* extraordinaria onera, *l. 1. 4. 6. h. t.* extraordinaria neceſſitas, *l. vlt. h. t.* extraordinaria indictio, *l. 11. h. t.* extraordinaria functionum ſarcina, *l. 17. h. t.* extraordinariæ exactiones, Ambroſio *ep.* 24. nouum quiddam; *l. 7. h. t.* nouum aliquid, *l. 2. infr. de Priuileg. Corporat. V. R.* Ambroſius *de obitu Valent. p. 7. & pag.* 108. *Tom. V. Oper. edit Paris.* 1614. *Cardinal. Felicis de Monte Alto.* rerum extraordinariarum munus, *l. 15. h. t.* recentes tituli, *l. 3. infr. de ponderatorib.* ſunt, quæ præter canonica & conſueta, *l. 2. h. t.* præter ordinem, *l. 20. h. t.* præter penſitationem, pro capitibus ſeu iugis, *l. 6. h. t.* præter ea quæ anniuerſaria conſuetudine antiquitus poſtulantur, *l. 7. h. t.* vltra iuſſa, *d. l. 7. h. t* præter canonem, *l. 8 h. t.* præter primum delegationis canonem *l. 1. 3. h. t.* pro rerum neceſſitate, *l. 2. ſupr. de decur. & ſilent.* iniunguntur *d. l. 2.* indicuntur, *l. 8. 10. h. t.* (vnde & *ſuperindictum* dicuntur, vide

titulum de ſuperindictis ſupr.) depoſcuntur. *l.* 7. 11. *h. t.* poſtulantur, *l.* 7. *h. t.* exiguntur, *l.* 7. 8. 11. *h. t.* dependuntur, *l.* 2. *h. t.* præſtantur, *l.* 4. *h t.* præbentur, *l.* 4. *h. t.* inferuntur, *l.* 8. *h. t.* implentur, *l.* 10. *h. t.* veluti angariæ, *l.* 4. *h. t.* operæ, *d. l.* 4. *h. t.* Tironum, equorum præſtatio, de quo *infr. tit.* 18. & *ſupr. lib.* 7. *de tironibus tit.* 13.

Indicebantur autem ea non a Iudicibus ſeu Rectoribus prouinciarum: alioquin duplo ipſi puniebantur, Officiales vero eorum quadruplo, *l.* 7. & 8. *h. t.* vt & Curiales aliquid extraordinarii exigentes, *l.* 11. *h. t.* Verum, ſolius Principis indictione, ex Iuliani & Valentis Conſtitutionibus, *l.* 10. & 11. *h. t.* Sub Conſtantio enim Imp. ita obſeruatum: nempe vt ſi inexcuſabilis neceſſitas quiddam nouum exigeret, nec dilationem publica vtilitas pateretur, *l.* 7. *h. t.* ſi quid vrgere forſitan inciperet, *l.* 8. *h. t.* Præfecti Prætorio arbitrio, *l.* 7. *h. t.* auctore Præfecto Prætorio, *l.* 8. *h. t.* extraordinaria indictio fieret, *d. l.* 7. & 8. *h. t.* At ſi eſſent, quæ proſpici ante plurimum temporis oporteret, & poſſent, ſolus Princeps indictionem facere poſſet, *d. l.* 8. *h. t.* Indictione facta, fiebat *Adſcriptio* vniuſcuiuſque ciuitatis, *l.* 3. 14. *h. t. l.* 1. *infr. de conlat. donat.* ſeu diſtributio, *l.* 4. *h. t.* vid. & *ſupr. titulum de annona & trib.* non libidine potiorum, *d. l.* 3. *h. t.* non a principalibus, *d. l.* 4. *h. t.* Verum a Rectoribus prouinciarum ipſis, *d. l.* 4. *h. t.* ſeu Rectorum conſiliis & diſpoſitione, *l.* 3. *h. t.* cuius diſtributionis formam præſcribit *d. l.* 4. *h. t.* Triplici autem modo indictio hæc fiebat, vel peculiaris in ſingulis, aut certa per paucos, aut vniformis in cunctos, *l. vlt. infr. de ponder.* Quo poſtremo caſu ad hæc extraordinaria munera tenebantur *Omnes*, cuncti poſſeſſores, *l.* 10. *h. t.* omnes omnino, *l.* 15. *h. t.* omnia indiſcretim merita, omnes perſonæ, *l.* 18 *h. t.* Imo & Eccleſiæ, *l.* 15. 18. *h. t.* ſic vt
P. 110. nullus extraordinariorum munerum beneficiis potiretur, *d. l.* 18. *h. t.* neque quibuſdam referri poſſent, *l.* 10. *h. t.*

Immunes tamen aliquandò erant *l.* 2. 5. 6. *h. t.* ab his excuſabantur, *l.* 9. *h. t.* liberabantur, *l.* 6. *h. t.* res & perſonæ corporaque quædam: Priuatæ ſcilic. res Principis, *l.* 5. 13. *h. t.* Patrimoniales fundi, *l.* 1. 2. 9. 17. *h. t.* vide & *infr. tit. de conlat. fundorum patrimonialium:* patrimonialis Iuris, *l.* 17. *h. t.* emphyteuticarii, *l.* 2. *h. t.* & *l.* 1. *de itin. mun.* emphyteutici, *l.* 9. 17. *h. t.* emphyteutici Iuris, *l.* 17. *h. t.* fundi ad Patrimonium Principis pertinentes, ſiue conductionis ſiue perpetuo iure tenerentur, *l.* 13. 20. *h. t.* Ac proinde & eorum conductorum coloni, Decuriones in ſpecie *l.* 30. *de Decurionib. l.* 5. *h. t.* Actores Conductores patrimonii Principis, *l.* 12. *h. t.* *Agricolæ* item ſationibus vel colligendis frugibus inſiſtentes, *l.* 4. *h. t.* Palatini, *l.* 6. *h. t.* Proximi ſcriniorum & Magiſtri diſpoſitionum, *l.* 14. *de proxim.* Ciues Conſtantinopolitani *d. l.* 6. *h. t.* Eccleſiæ, *l.* 21. 22. *h. t.* ac proinde & Epiſcopi, veluti Epiſcopus vrbis Romæ, *l.* 21. *h. t.* quique Eccleſiæ obtemperant, *l.* 22. *h. t.* Inluſtres perſonæ. *l. vlt. h. t.* Senatores, ex *l.* 4. *Cod. Iuſt. de dignitatib.* Suburbicariæ partes, *l.* 12. *h. t.* Poſſeſſores per quorum fines formarum meatus tranſibant, *l.* 1. *de Aquæductu:* Et hæc omnia, niſi extraordinaria hæc in *Canonica* (quod non ſemel factum) verſa fuerint: tum enim ab his nemo excuſabatur, *l.* 5. *ſupr. de annona*, *l.* 2. *ſupr. de indictionib.*

II. Sordida munera, *Rubr. l.* 5. 15. 16. 18. 19. 20. 23. *h. t.* & *l.* 3. 4. *ſupr. de Decur. & Silent. l.* 12. *infr. de medicis & Profeſſorib. l.* 1. 4. *de priuil. eor. qui in S. Pal.* Sordidæ functiones, *l.* 21. 22. *h. t.* vilia munera, *l.* 14. *h. t.* Non erant viarum, pontium, ſtratarum inſtructio, *l. vlt. de itin. mun.* Hæc vero erant. I. Calcis excoquendæ obſequium, *l.* 15. *h. t.* ſollicitudo, *l.* 18. *h. t.* calcis excoctio, *l.* 3. *ſupr. de Decur. & Silen.* II. Capitularia, ſeu temonaria functio, *l.* 14. *h. t.* quæ & capituli atque temonis neceſſitas dicitur *l.* 15. *h. t.* temonis ſiue capituli onus, *l.* 18. *h. t.* v. & *l.* 6. *h. t.* iniuria, *l.* 14. *de proximis*: (de quo dixi ad *l.* 7. *ſupr. de tironibus*) III. Carbonis præbitio, *l.* 15. *h. t.* inlatio *l.* 18. *h. t.* IV. Legatis atque Allectis ſumptuum collatio, *l.* 15. 18. *h. t.* V. Materia, lignum, tabulata, *l.* 15. 18. *h. t.* VI. Operarum & artificum diuerſorum, *d. l.* 15. 18. *h. t.* VII. Paraueredorum præbitio, Parangariarum præbitio, *dd. ll.* vide & *l.* 3. 4. *ſupr. de Decur. & ſilent.* qui ab his immunes erant: VII. Pollinis conficiendi cura, *dd. ll.* 15. 18. *h. t.* IX. Panis excoctio, *dictis legib.* X. Piſtrini obſequium, *dd. legib.* XI. Viarum & Pontium ſollicitudo, *dd. ll.* 15. 18. *hoc tit.*

Ab his ſordidis muneribus excuſabantur, *l.* 16. *h. t.* excipiebantur, *l.* 15. 18. *h. t.* exſortes erant, *l.* 14. *h. t.* vindicabantur, *l.* 15. *h. t.* Eccleſiæ, *l.* 15. 18. 21. 22. *h. t.* (quanquam non ab omnibus ſemper, veluti ab Itinerum & pontium inſtructione, quæ ſordidis muneribus exempta fuerunt, *l. vlt. infr. de itin. mun.*) Rhetores, Grammatici inſtitutionis ſeu eruditio-

eruditionis vtriuſque, *d. l.* 15. & 18. *h. t.* Inluſtres perſonæ, *l. vlt. h. t.* Maximarum culmina dignitatum, *l.* 15. *h. t.* ampliſſimarum, etiam militari faſtigio, nomina dignitatum, *l.* 18. *h. t.* Palatini, & eorum filii *l.* 1. 4. 6. 10. *de pr. eor. qui in S. Pal.* Conſiſtoriani Comites, *l.* 15. & 18. *h. t.* Senatores, ex *l.* 4. *Cod. Iuſt. de dignitatib.* Comitiuæ honore donati, Archiatri *d. l.* 12. *infr. de Medicis & Profeſſorib.* Notarii, *l.* 15. *h. t.* Cubicularii, *d. l.* 15. *h. t.* Decuriones & ſilentiarii, *l.* 3. 4. *ſupr. de decurion. & ſilent.* Comites (proximi ſcriniorum) & Magiſtri memoriæ, epiſtularum, libellorum, quique peragendis ſignandiſque reſponſis Principis obſecundant, *d. l.* 14. *h. t.* & *l.* 14. 15. *ſupr. de proximis Comitib. diſpoſit.* Idque quandiu viuerent, etiam poſt depoſitam militiam, *l.* 15. *in fin. l.* 18. *in fin.* & *l.* 19. *hoc tit.* At non & eorum heredes, *l.* 16. 18. *h. t.* vxores, *l.* 18. *h. t.* Item Porcinarii vrbis Romæ, *l.* 6. *infr. de ſuariis.*

I. (a) Imp. CONSTANTINVS A. ad Catullinum (b) Proc. Afric.

PATRIMONIALES fundos extraordinariis oneribus, vel mediæ, aut tertiæ portionis obſequiis, fatigari non conuenit: cum eoſdem & auri ſpeciem, & frumenti plurimum modum conſtet perſoluere: ita vt qui violare ſtatuta temptauerit, puniatur. PP. VI. Kal. Septembr. Karthagini (c) Conſtantino A. V. (d) & Licinio coss. [319.]

NOTAE.

(a) *Lex* 2. *Cod. Iuſt. de collatione fundorum patrimonialium.* GOTHOFR.

(b) Ad hunc *Catullinum* Proconſulem Africæ plures extant *hoc Codice* Conſtantini conſtitutiones: Vide *Indicem perſonarum. ID. Ad Ouinium* legunt vulgat. Editiones Cod. Iuſt. quod emendatum eſt a Cuiacio. *RITTER.*

(c) *Karthago* ſedes Proconſulis Africæ: Vide *Orbis Rom. deſcriptionem.* GOTHOFR.

(d) Forte reſcribendum *Conſtantino A. IV. & Licinio IV. Coſſ* i. e. an. 315. cum ex *leg.* 1. *infr. de itiner. muniend.* quæ menſe Maio data eſt *an.* 319. & *leg.* 2. *de priuileg. eor. qui in ſacr. palat.* quæ menſe Iulio data eſt anno eodem, manifeſtum ſit, non *Catullinum*, ſed *Proculum* anno 319. Proconſulem Africæ fuiſſe. *RITTER.*

P. III.

COMMENTARIVS.

PATRIMONIALES fundi ab extraordinariis Oneribus & ſuperindictis immunes ſunt hac Conſtantini M. Conſtitutione, & *prox.* eiuſdem *l.* 2. Item Conſtantis conſtitutione *l.* 5. *infr. hoc tit.* Conſtantii, *l.* 9. Valentiniani Sen. *l.* 1. *ſupr. de paſcuis:* cui addatur & *lex* 2 *eod. tit.* cuius mentio fit *l.* 3. *ſupr. de locat. fund. iur. emph.* & *l. vlt. infr. de conlat. fund. patrim.* Gratiani, *l.* 12. Valentiniani Iun. *l.* 13. & 17. Honorii *l.* 20. *h. t.* & *l.* 2. *ſupr. de indiction.* Quod & ipſum de Emphyteuticariis ſpeciatim ab eodem Conſtantino M. conſtitutum, *l.* 1. *infr. de itinere muniendo*, & *d. l.* 2. *prox.* a Conſtantio, *d. l.* 9. *infr.* Valentiniano Iun. *l.* 17. Honorio, *d. l.* 20. Immunes, inquam, ſunt ab extraordinariis oneribus, etiam mediæ aut tertiæ portionis obſequio, id eſt, in totum ab his excuſantur; cum aliquando non in totum excuſarentur, ſed mediam vel tertiam portionem extraordinarii muneris ſubire cogerentur; quod & poſtea aliquando relatum, docet *lex vlt. infr. de collatione fundor. patrim.* quæ Honorium anctorem habet: *Qui prædia patrimonialia, & emphyteutica, priuatæ quoque rei perpetuo iure retinent, & dominici actores augmenti & ſuperindictitii, & onerum Rheticorum dicuntur* MEDIAM *nolle ſoluere penſionem: igitur iubemus, vt moniti Rationales, ſciant ea, quæ a diuæ memoriæ Valentiniano conſtituta ſunt, quamprimitus eſſe ſeruanda.*

Duo tantum *h. l.* obſeruanda: Primum eſt *Ratio* huius immunitatis: quæ & ipſa redditur *l.* 13. 17. *infr. h. t.* Nempe quod iam ſatis prægrauati ſint huiuſmodi fundi: & quidem duplici collatione, auri & frumenti: *Cum* (inquit Conſtantinus *hac l.*) *eoſdem & auri ſpeciem & frumenti plurimum modum conſtet perſoluere. Quandoquidem*, inquit, *lex* 13. *neque aurario canoni ſub priuilegiis æſtimato aliquid ex ea iubentibus nobis præbitionum diuerſitate decutitur, & pari cum cæteris æſtimari ſorte non conuenit, quos præter annonarias functiones æſtimata perpetuo penſionum prærogatiua nexuerit. Cogendarum* (inquit, *lex* 17.) *intuitu penſionum a fundis patrimonialibus vel emphyteuticis extraordinaria functionum ſarcina remoueatur.* De duplici hac functione teſtis quoque *lex* 3. *infr. de collat. fund patrim.* & *l.* 2. *Cod. Iuſt. de fundis patrimonialib.* De canone alioquin in genere horum fundorum, vid. quoque *legem* 19. *ſupr. de exactionib.* erit & de eo ſpecialis *titulus* mox *infr. de collatione fundorum patrimon.* cuius *lex* 3. potiſſimum videnda eſt.

Secundo *Proceſſus* huius immunitatis obſeruetur. Initio quippe per Africam hæc immunitas *hac l.* tributa a Conſtantino, & *l.* 1. *infr. de itinere muniendo:* de quo eſt quoque *lex* 9. 13. *infr.* procul dubio fauore canonis Vrbicarii potiſſimum, quod & *hac l.* ſatis indicatur, quia ſcilicet exinde annona ad Vrbem Romam ſubuehebatur. Verum propagata poſtea hæc immunitas ab eodem Conſtantino, etiam ad Italiam, *l.* 2. *prox infr.* vbi dicam adhuc aliquid: ad Italiam, inquam, ſpecialiter dictam: qua Vrbicariæ Regiones non comprehendebantur,

debantur, neque Sicilia, quia & hæc annonam & cellaria in vſus Principis ſubminiſtrabat, vt docuit *lex 6 ſupr. de annona & tribut.* Propagata poſtea ad totam Italiam, non etiam vrbicarias regiones aut Siciliam, hæc immunitas, quod qua conſtitutione factum ſit, non repetio. At mox propagata a Conſtantio ad Vrbicarias quoque regiones & Siciliam, *l. 9. infr. h. t.* quo pertinet & *lex 12. infr. h. t.* Tandem propagata procul dubio ad omnes prouincias.

Interea ex *h. l.* exemplum habemus, etiam vbi neceſſitas extraordinarii aliquid iniungit, ab his abſtinendum, qui grauiore onere iam premuntur.

II. (a) Idem A. ad Vlpium Flauianum Conſ. Æmiliæ & Liguriæ (b)

AB extraordinariis omnibus (c) fundi Patrimoniales adque Emphyteuticarii per Italiam noſtram conſtituti habeantur immunes, vt canonica (d) tantum & conſueta dependant, ad ſimilitudinem per Africam poſſeſſorum. Dat. XII. Kal. Iun. Lecta (e) apud acta, Seuero & Rufino Coss. [323.]

NOTAE.

(a) Abeſt hæc *lex a Cod. Iuſt.* Eam indicat & prorogat *lex 9. infr. GOTHOFR.*

(b) De *Æmilia & Liguria* adminiſtratione iam dixi ſemel. *ID.*

(c) Non audio reponentem, *oneribus*, nam & ita quoque *l. 9. infr. ab extraordinariis omnibus. ID.*

(d) Id eſt, annonaria & cellarienſia: *ſolemnia* vocat Ammianus *lib. 17. cap. 3. ID.*

(e) De hac ſubſcriptione vide *in Prolegomenis. ID.*

COMMENTARIVS.

PATRIMONIALIVM & emphyteuticorum fundorum immunitas ab extraordinariis, & quidem omnibus, hac Conſtantini M. conſtitutione, exemplo Africæ, ad Italiam porrigitur: Ad Italiam, inquam, ſuam; *per Italiam* inquit, *noſtram:* pariter vt Conſtantius *l. 6. ſupr. de annona & trib.* dixit, *ab omnibus Italis noſtris*, id eſt, per Italiam ſpecialiter ſic dictam, Imperatoris vſibus deſtinatam, & annonam ac cellarienſes ſpecies ei ſufficientem & miniſtrantem, de quo dixi pleniſſime *ad eam l. 6.* in qua Italia ſpecialiter dicta *Æmilia & Liguria* fuit, quod *huius l.* inſcriptio oſtendit. Quare non nudo affectu *Italiam noſtram* dixerit Conſtantinus, ſed quia vſibus ſuis ſpecialiter deſtinata. Neque ratio etiam ſi recte eam colligo, propagatæ huius immunitatis, parum huc faciat: Nempe, vt Africa ea iam potiebatur *l. 1. ſupr.* eo quod vrbi & canoni Vrbicario miniſtraret: ita æquum viſum eidem Conſtantino eandem Italiæ ſibi miniſtranti immunitatem tribuere: verum propagata poſtea immunitas hæc a Conſtantio, ad Italiam omnem, *l. 9. inf. hoc tit.* & ſic ad Vrbicarias regiones, ſed & ad Siciliam: vid. quæ dicam ad eam *leg. 9.* plene.

III. (a) Idem A. ad Edictum (b) Chalcedonienſium, & Macedonienſium.

QVOTIESCVMQVE aliquam Adſcribtionem (c) fieri neceſſe eſt, Rectorum conſiliis & diſpoſitione, (d) vniuſcuiuſque Ciuitatis fiat adſcribtio, *ne libidini & commodo Potiorum* (e) *multitudo mediocrium* (f) *ſubiecta grauibus & iniquiſſimis adficiatur iniuriis.* Acc. VIII. Kal. Maii, Criſpo III. & Conſtantino III. AA. Coss. [324.]

NOTAE.

(a) Abeſt & hæc *lex a Cod. Iuſt.* Concordat vero ei *lex prox. 4. infr. GOTHOFR.*

(b) An reſcribendum *Edictum ad Chalcedonienſes & Macedonienſes?* Non. *Ad Edictum*, rectum eſt, vt aliis multis *huius Codicis* conſtitutionib. veluti *l. 7. infr. de Decurion. l. 1. de ſuſceptorib.* de quo mox. *ID.*

(c) Extraordinariam videlicet, vt vrgente belli neceſſitate. *ID.*

(d) *Diſpoſitionis* vox hic propria v. *Gloſſ. ID.*

(e) De hac *Potiorum* appellatione iam dixi ad *leg. 2. ſupra, de publica comparatione.* vide & *d. l. 4. prox. infr. ID.*

(f) *Mediocres* ſunt hic & *d. l. 4. prox.* pauperes, infimi: dixi *d. l. 1. infr. de cenſu. ID.*

COMMENTARIVS.

DISTRIBVTIO ſeu adſcribtio munerum extraordinariorum quomodo fieri debeat, præſcribit hac conſtitutione Conſtantinus Magnus An. Dom. 324. & rurſum *l. 4. prox.* eo fine videlicet, ne pauperes & infimi prægrauentur, libidine potiorum & ditiorum, quod ferme fieri adſolebat. Igitur diſtributionem fieri iubet vniuſcuiuſque ciuitatis, non a potioribus ciuitatis, ſed Rectoris totius Prouinciæ conſilio & diſpoſitione; Quod diligentius adhuc inculcat *d. l. 4. prox. infr.* Quo pertinet omnino Saluiani Presbyteri Maſſilienſis querela, *lib. 5 de gubernatione* DEI *cap. 7. Adiectiones*, inquit, *tributarias ipſi interdum diuites faciant, pro quibus pauperes ſoluunt* &c. *Veniunt plerumque noui nuntii, noui epiſtula-*

rii

rii a ſummis ſublimitatibus miſſi, qui commendantur Illuſtribus paucis ad exitia plurimorum: decernuntur his noua munera, decernuntur NOVÆ INDICTIONES: *decernunt* POTENTES *quod ſoluant pauperes: decernit gratia diuitum, quod pendat turba miſerorum,* &c.

Cæterum notanda ſummopere eſt *huiuſce leg.* inſcriptio; quæ eius *leg.* promulgandæ quoque cauſam indicat; puta Conſtantinum iam mederi voluiſſe malo, quod ſub *Licinio Tyranno* per Bithyniam & Macedoniam inualuerat: Fine quippe anni ſuperioris 323. deuicto Licinio Chalcedonenſes (mox & Nicomedienſes) ſeſe Conſtantino M. dedidere, cuius rei hiſtoriam exſequitur Zoſimus *lib. 2. c. 26.* vt oſtendi prolixius ad *l. 1. ſupr. de veteranis.* Cum idem Conſtantinus iam inde ab A. 315. poſt prælium Cibalenſe Macedonia potiretur, quod idem Zoſimus teſtatur *lib. 2. cap. 20.* & Sozomenus *lib. 1. cap. 6.* hoc etiam forte argumento reponat quis in inſcriptione *huius legis* loco *Macedonienſium,* vocem *Nicomedienſium*: Verum nil temere muto, quia commune malum eſſe potuit & Macedoniæ, & Bithyniæ.

Notanda etiam ea parte Inſcriptio, *ad Edictum*: cui ſimiles occurrunt in duabus aliis Conſtantini M. Conſtitutionibus: *l. 7. infr. de Decur. l. 1. infr. de ſuſceptoribus*: (at non etiam in Valentis, *l. 7. ſupr. de famoſis libellis*:) Denique nonniſi in Conſtantini conſtitutionibus: idque non vltra annum 324. hoc genus Inſcriptionis hoc Cod. occurrit: Quo quid indicetur, obſcurum eſt: Nam & Principes & Magiſtratus Edicta edidere ſeu propoſuere, non vero ad Edicta Principes ſcripſere. Igitur id accipiam ego de edictis ſeu decretis ciuitatum & prouinciarum, vel etiam Curiarum, quæ ipſæ ſuper rebus ſuis condidere, & ad Principem mittere ſolita, vt ea ipſe firmaret, vel ſi quid emendandum, corrigeret. Hinc igitur illa iam Inſcriptio *Ad Edictum*: *l. 7. infr. de Decurionibus*: *l. 1. infr. de ſuſceptoribus.* Item, *ad Edictum* horum vel illorum, veluti *hac l.* quæ omnium vltima eſt tempore, *ad Edictum Chalcedonenſium, & Macedonienſium.* Quomodo & ad Decreta quorundam Corporum conſtitutiones emiſſæ: veluti *ad decretum nauiculariorum,* Conſtantini *lex 1. infr. de prædiis nauicul.* Imo quomodo & Senatus decreta hac tempeſtate firmanda ab Imperatoribus mittebantur, vt docet *lex 4. ſupr. de Senatorib. & glebali collat.* & Symmachus *lib. 10. ep. 21.*

P. 113.

IV. (a) Idem A. ad Æmilianum PF. P. (b)

EXTRAORDINARIORVM munerum diſtributio non eſt Principalibus (c) committenda: Ideoque Rectores prouinciarum monendi ſunt, vt eam diſtributionem ipſi celebrent, manuque propria perſcribant, adque encauto (d) nomina adnectant; ea forma ſeruata, vt primo a potioribus, (e) dein a mediocribus adque infimis, quæ ſunt danda præſtentur. (f) Neque (*) vmquam rationibus, (g) vel colligendis frugibus inſiſtens agricola ad extraordinaria onera trahatur, *cum prouidentia ſit oportuno tempore his neceſſitatibus* (h) *ſatisfacere*: Quæ res neglecta Vicariorum tuorum vt (i) verecundiam tangit, ad Rectorum autem Officiorum capita venietur. Manu autem ſua Rectores ſcribere debebunt, *Quid opus ſit,* & *In qua neceſſitate per ſingula capita,* vel *Quanta angaria,* vel *Quanta opera,* vel *Qua,* aut *in quanto modo prabenda* ſint, vt RECOGNOVISSE *ſe* ſcribant: Exactionis prædicto ordine inter ditiores, mediocres, atque infimos obſeruando, Lecta VII. Id. Maii, Rom. Ienuarino & Iuſto Coss. [328.]

NOTAE.

(a) Potiſſima *huius l.* pars abeſt a *C. Iuſt.* Concordat huic legi *lex 3. prox. ſupr. GOTHOFR.*

(b) *Æmiliani huius Præfecti Prætorio* ſub Conſtantino M. nulla alibi mentio extat: Præfectum autem Prætorio Italiæ fuiſſe oſtendit ſubſcriptio legis, *Lecta Rom. ID.*

(c) De his *Principalibus* dicam pleniſſime *infr. ad titulum, de Decurionibus. ID.*

(d) *Encautum* hic quid ſit, mox dicam. *ID.*

(e) Vide quæ iam dixi ad *leg. ſuperiorem. ID.*

(f) An *præſignentur*: vel potius, *præſtituantur*? Imo, nil mutandum. *ID.*

(*) *Lex 1. Cod. Iuſt. de Agricolis, Cenſitis & Colonis,* hinc deſumpta eſt. *ID.*

(g) *γρ. Sationibus,* vti habet Cod. Iuſt. de quo mox. *ID.*

(h) Id eſt, ſationi & colligendis fructibus. *ID.*

(i) Senſus huius loci hic eſt, *Vicarios* Præfecti P. hanc formam negligentes Principis iram ſubituros: at Officiales Rectorum capite puniendos. Nota interim hic *Vicarios* Præfecti Prætorio & quidem Italiæ iam ſub Conſtantino Magno, An. D. 328. *ID.*

COMMENTARIVS.

DISTRIBVTIO ſeu adſcriptio munerum extraordinariorum, quomodo fieri debeat, hac altera conſtitutione Conſtantinus M. rurſum præſcribit; pariter vt *l. 3. prox. ſupr.* & ita quidem vt hæc & ſeuerior, iam & accuratior ſit: Seuerior, inquam: Nam & indignationem ſuam Vicariis Præfecti Prætorio minatur, quos tributorum cura ſiue ordinariorum ſiue extreordinariorum ſpectabat,

bat, de quo ſuo *tit. de Officio Vicar. lib. 1. tit. 6.* & Officialibus Rectoris prouinciæ capitalem pœnam minatur. Accuratior vero in eo quod formam deſcriptionis Rectoris manu conficiendæ ſpeciatim præſcribit.

Primum eſt, quod ſtatuit, *Principalibus* non eſſe committendam extraordinariorum muuerum diſtributionem; Id inquam ita Conſtantinus conſtituit de extraordinariis muneribus: cum alias certum ſit, ordinariorum munerum adſcriptionem ab his factam, *l. 5. ſupr. de his qua adminiſtrantib.* Symmachus *lib. 9. ep. 10.* Nempe enim compertum horum Principalium libidine mediocres & infimos grauibus iniuriis affici atterique: quod vt ex *hac lege* colligimus, ita teſtatur inſuper *lex 2. ſupr. de Actoribus, Procurator. & conductor. rei priu.* Et inſignis Saluiani Maſſilienſis locus *lib. 5. cap. 4.* *Quæ enim ſunt* inquit, *non modo vrbes, ſed etiam municipia atque vici, vbi non quot Curiales fuerint, tot tyranni ſint? Quanquam forte hoc nomine ſibi gratulentur, quia potens & honoratus eſſe videatur. Nam & latrones ferme omnes gaudent & gloriantur, ſi atrociores admodum quam ſunt, eſſe dicantur. Quis ergo, vt dixi, locus eſt, vbi non a* PRINCIPALIBVS *ciuitatum, viduarum & pupillorum viſcera deuorentur, & cum his ferme omnium ſanctorum? Nam & hos quaſi viduas & pupillos habent, quia tueri ſe aut pro ſtudio profeſſionis ſuæ nolunt, aut pro innocentia atque humilitate non poſſunt. Nemo itaque horum tutus eſt, neque vlli admodum præter ſummos a vaſtatione latrocinii populantis immunes.*

Secundum eſt, quod Rectores moneri vult, vt eam diſtributionem ipſi celebrent, manuque propria perſcribant: Λογαρικὸν igitur ab his confici, ſcribique manu propria voluit Conſtantinus.

Eius vero rei (quod Tertium) *Formam*, ſpecialius adhuc præſcribit. Primo iubet Rectorem manu ſua ſcribere, ſeu nomina adnectere Encauto. *Encautum* dicitur primo ſignatura ipſa, quæ fit inuſtione: in Gloſſis *Encautum* ἐγκεκαυμένον. Quod ſcripturæ genus quoque idem Conſtantinus veteranis indulſit ad conſcribenda priuilegia ſua, *l. 1. ſupr. de Veteranis.* Aliud enim eſt Encauſtum, & ſacrum Encauſtum. *l. 6. Cod. Iuſt. de diuerſ. reſcriptis*, quod eſt ſignatura ex murice cocto & triti conchylii ardore, quo Principes vſi in ſignandis reſcriptis: de quo plenius ad *dict. l. 1. ſupr. de Veteranis:* ἐρυθρόγραφον, ἐρυθρόδανον, rubris, ſeu pupurei coloris literis, denique Rubrica ſcripta. Ab hoc encauto, libri cenſuales, quibus adnotatum erat, quid a quoque ſoluendum eſſet, encautaria ciuitatis & prouinciæ dicta, *l. vlt. infr. de cenſu*: Imo & breues encauti: *l. vn. Cod. Iuſt. de collegiatis & chartopratis.* In *hac l.* vtrouis modo *Encautum*, pro ſignatura, vel pro libro cenſuali, accipi poteſt.

Quid autem in hoc λογαρικῷ ſeu Encautario
P. 114 faciendo Rectorem ſcribere velit, peculiarius adhuc definit Conſtantinus, & ſic Logarici iſtius conficiendi rationem edocet. Nempe Encauto nomina adnecti vult manu Rectoris. Item eum ordinem ſeruari, vt primo præſtituat, quæ ſint danda a Potioribus, deinde, quæ a mediocribus, atque infimis. Tandem manu ſua Rectores ſcribere vult in Encautario, *Quid opus ſit & in qua neceſſitate per ſingula capita*, id eſt, Quod genus extraordinarii muneris indicatum in ſingula iuga: *Quanta angaria* verbi gratia, *Quanta opera*, vel *Qua*, alia ſcil, *& in quanto modo præbenda* ſint. Ita etiam vt idem Rector ibidem ſubſcribat, *ſe Recognouiſſe.* Quæ ſane vt accuratam Encautariis ſeu *Cataſtri* (vt hodie alicubi vocant) faciendi rationem continent, ita duo inter alia edocent. Primo extraordinariorum munerum genera; & in his, Angarias, & operas, de quibus operis ſuo *tit. ne opera a collatoribus exigantur.* De Angariis vero ſeu Angariorum exhibitione ſeu præſtatione res nota eſt, ex *l. vltim. §. 21. D. de munerib. & honorib. l. 10. 11. D. de vacat. mun. l. 4. D. de Veteranis: l. 10. Cod. Iuſt. de aquaductu*, vbi operis pariter iunguntur: apud Vegetium *lib. 2. cap. 19.* & Suidam in ἀγγαρεία. A quibus aliæ ſunt Angariæ e curſu publico: de quo *ſuo tit. ſupr. de curſu publico, & angariis.* Secundo ingerit formulam ſubſcriptionis faciendæ a Rectore in λογαρικῷ ſeu Encautario nempe verbo, RECOGNOVI: Quid *recognoſcendi* verbo in inſtrumentis & rationibus ſignificetur exploratum ex *l. 56. D. de V. S. l. 15. §. 3. D. de leg. Corn. de falſis: l. 15. §. 1. D. de rebus auctor. iud. poſſid. l. 5. D. famil. erciſc.* Ergo & hac ſubſcriptione Rectorem teſtatum facere oportuit ſe recognouiſſe, & ſic diligenter Encautarii ſcripturam elegiſſe. Cuiuſmodi ſimiles alioquin ſubſcriptiptiones in aliis negotiis vſurpatæ: veluti in *Conſtitutionibus* Imperatorum, Quæſtionis *Relegi* & ſimiles

Poſtremum, quod & hic notandum, Conſtantini M. hæc conſtitutio diſtinctior, accuratior, pleniorque quam *lex 3. prox. ſupr.* in eo quod ad extraordinaria onera, operas, agricolam trahi vetat, inſiſtentem ſationibus vel colligendis fructibus: *Sationibus*, inquam, nam hic ita legendum eſt, quomodo recte hodie legitur in *C. Iuſt.* etſi Græci *lib. 55. Baſilicῶn tit. 1.* ibi legerint, *rationibus*, περὶ λογισμοὺς, inquiunt. Hanc enim emendationem alterum quoque illud quod cohæret, *vel colligendis frugibus inſiſtens*, omnino ſuadet: & ratio ſubdita extorquet; *cum* inquit, *prouidentia ſit, oportuno tempore* HIS NECESSITATIBVS *ſatisfacere*: His neceſſitatibus, non, vt Cuiacius quoque exiſtimauit, onerum extraordinariorum, verum neceſſitati ſationis & collectionis frugum, quæ vtique duæ ſunt neceſſitates ruſticæ, ad quas opportuno tempore opus, atque ab his abduci neminem oportet. Ecce idem Conſtantinus Magnus gemina germana lege, *l. 3. C. Iuſt. de feriis*: feriarum diem *Solis* Agricolis hoc fine relaxat: *Quoniam*, inquit, *frequenter euenit, ut non aptius alio* DIE *frumenta ſulcis aut vineæ ſcrobibus mandentur, ne occaſione momenti pereat commoditas cæleſti* PROVISIONE *conceſſa.* Et vero his duobus potiſſimum conſtat frugum cultura, ſatione videl. & collectione. Quid vero hic faciat Agricula *rationibus inſiſtens?* nam neque hic Agricola eſt, ſed *Actor*; neque tempus aliquod alio opportunius, ad rationes prædiorum conficiendas: Denique *opportunum tempus* hic eſt non diligens opera, ſed opportuni-

tas

us temporis, cœleſti prouiſione conceſſa, & ſic tempeſtas, qua ſeri fruges, qua colligi, optimum eſt. Neque pro Græcis & Cuiacio quicquam facit *lex 2. C. Iuſt. de Agricolis & mancipiis dominicis*, vbi memorantur *coloni rei priuatæ ad ratiocinia gerenda, vel ad colendos agros idonei*: Neque enim negatur, duplicem huoc colonorum actum fuiſſe, id eſt, duo fuiſſe colonorum genera: vnum eorum, qui ratiocinia prædiorum gerebant, quique proprie *Actores* dicebaotur: aliud eorum, qui agros colerent: Sed *Agricolæ*, de quibus *hac l.* noo niſi agris culendis inſtitere, non ratiocinia tractauere; *Colonus* eſt qui agrum non ex[colit], ſed incolit: *Agricola* vero nonuiſi qui colit. Similes vero a[liæ] plores conſtitutiones, tum *hoc Codice*, tom *Iuſtinianeo* occurrunt, quibus id agitur ne ruſtici ab opera ruſtico abſtrahantur, etiam ipſius Conſtantini: veluti *lex 1. ſupr. de curſu publ. lex 1. ſupr. de pignoribus: lex 3. C. Iuſt. de feriis*. De quo pleoius ad *d. l. 1. de pignoribus*.

Et hancqnidem ſententiam noſtram in Academia Argentoratenſi propugoatam atque adeo vberius expoſitam Lector mloiime perlegere granabitor.

DECANVS

P. 115. COLLEGII IVRIDICI

IN ALMA REIPVBL. ARGENTORATENSIS

STVDIORVM VNIVERSITATE

GREGORIVS BICCIVS

BVDISSINVS, V. I. DOCTOR

ET PANDECTARVM PROFESSOR

ORDINARIVS,

Omnibus Iuſtitiæ Iuriſque cultoribus diuina Præſidia P.

N*VNQVAM ſationibus vel colligendis frugibus inſiſtentes agricola ad extraordinaria onera trahantur: eum prouidentia ſit, opportuno tempore his neceſſitatibus ſatisfacere*, ſingulari conſtitutione ſanxit Imperator Conſtantinus Auguſtus ad Æmilianum Præfectum Prætorio *in L. 1. C. Iuſt. de Agric. & cenſit. & colonis, lib. 11. tit. 47* quemadmudum eiuſdem verba expreſſa leguntur in corpore iuris gloſſati, quod *Lugduni Anno Chriſti 1509.* in lucem prudiit, vt & in omnibus exemplaribus Guthofrediaois; quæ paulo aliter retulit Princeps ICtorum Iacobus Cuiacius *in commentar. ad tres libr. vlt. Cod. Iuſtinianei*, in hunc modum: *Imp Conſtantius A. ad Æmilianum P. P. Nunquam rationibus vel colligendis frugibus inſiſtens agricola ad extraordinaria munera trahatur: cum prouidentiæ ſit oportuno tempore his neceſſitatibus ſatisfacere. Lecta VII. Id. Mai Romæ, Ianuario & Iuſto.Coſſ.* (Conſtat autem ex faſtis Conſularibus *Fabium Ianuarium*, & *Fabium Iuſtum* magiſtratum iniiſſe *Anno ab V. Cond. 1080. a Chriſto nato*, ſecundum æram vulgarem 328. *imperii Conſtantini Magni 22.* vt proinde in editione Cuiaciana, quæ *Conſtantium*, non *Conſtantinum*, hnius legis aoctorem laudat, vel perperam ſcriptum, vel a typograpbo male exſcriptum eſſe oeceſſe ſit. Hanc imperatoriam conſtitutionem; in duas ſe ipſam diuidere partes haud facile quis diffitebitur, ex quibus prima ipſam legislationem, altera eiuſdem αἰτιολογίαν & rationem continet. Circa primam præcipua difficultas in vocabulo *ſationibus* occurrit, quod ipſum non omnibus placuiſſe, diuerſitas variarum lectionum abunde docet. Gloſſa ſiquidem ad hanc legem oonnullorum meminit, qui voculam illam repudiantes *ſanctionibus* ſubſtituunt, eo forte ſenſu, quod agricolæ ſanctionibus, id eſt illis legibus, ſenatuſconſultis, & conſtitutionibus Principum, quæ ordioaria ſaltem munera iis iniungunt, inſiſtentes, ad extraordinaria a magiſtratibus vocari non poſſint, aut ſi vocentur, appellatione interpoſita iuris rationibus protegantur, argum. *L. vnica C. Iuſt. de vacat. publ. mun. lib. 10 tit 45.* cum qua conſentit reſponſum Papiniani *in L. 8. §. 3. D. de vocat. & excuſat. muner.* ſcribentis, *quod qui muneris publici vacationem habet, per magiſtratus ex improuiſo collationes indictas recte recuſet, eas vero, quæ a lege fiunt, recuſare non debeat.* Bartolus *in lectura ad hanc L. 1. mib. pag. 34. fac. 2. in fin.* videtur calculum poſuiſſe pro vocabulo *ſectionibus*, adeoque priuilegium agricolis conceſſum æque ad tempus, quo fruges a ſolo ſeparantur, & quo colligendo percipiuntur extendiſſe, quomodo & alibi in iure noſtro tempora fructuum a terra ſeparatorum, & perceptorum a ICtis accuratis diſtingni videmus, arg *L. 12. § 5. D. de uſufr. & quemadm. quis vtat.* ibi: *niſi ab eo percipiantur, licet ab alio terra ſeparentur. L. 25. §. 1. D. de vſur. & fructib.* ibi: *Fructuarii non fiant, antequam ab eo percipiantur: ad b. f. autem poſſeſſorem pertineant, quoquo modo a ſolo ſeparati fuerint. L. 48. in princ. D. de acquir. rer. domin.* ibi: *priuſquam percipiat, ſtatim vbi a ſolo ſeparati ſunt.* Cuiacius ooſter loco ſupra laudato *rationibus* legendum cenſet, ſuæque fundamentum

tum ſententiæ partim auctoritate Græcorum, qui *lib 55 Βασιλικῶν tit. 1* ſcriptum reliquerunt: ὁ γεωργὸς ἀπολάμενος περὶ τὴν συλλογὴν (al *in Synops Baſil.* γενόμενος τὴν συλλογὴν) τῶν καρπῶν, ἢ περὶ λογισμοὺς, *occupatus agricola fructibus colligendis, vel rationibus*, partim Imperatoris Conſtantini, qui & noſtræ Legis auctor eſt, teſtimonio firmat, *in L. 2 C. Iuſt. de agricol. & mancip dominicis. lib. 11. tit. 67. Ianuario P. P.* ita reſcribentis: *Colonos noſtros, qui priuati ſunt, vel ad ratiocinia gerenda, vel ad colendos agros idonei, retrahi iubemus, ac tantum colendis noſtris rebus addici &c.* vbi colonis & gerendarum rationum munus, & agrorum cultura adſcribitur. Qua lectione admiſſa huius legis primæ hæc erit ſententia, quam ibidem proponit Cuiacius his verbis: *Colonos qui rationibus prædiorum vel agricultura addicti ſunt, nullo tempore ad angarias aliaque onera extraordinaria deuocari poſſe.* Quamuis autem hæc Cuiaciana lectio eruditum ſatis & facilem legis ſenſum contineat, immo & cum Codice Theodoſiano (quem in lucem primus
P. 116. protulit Iohan. Sichard. Anno Chriſti 1528. auxit Iohan. Tilius, An. C. 1549. elegantiorem autem & locupletiorem fecit ipſe Cuiacius A. C. 1566.) optime conueniat, qui *lib. 11. tit. 16. leg. 4.* vocabulo *rationibus* non minus vtitur: negandum tamen non eſt, vulgarem lectionem, voculam *ſationibus* habentem, quam proxime ad mentem Conſtantini accedere, diuerſos Agricolarum labores, qui primo quidem in ſerendo, poſtea in colligendo conſiſtunt, accurate exprimere, & proinde reliquis prioribus præferendam, tertiæ autem exæquandam eſſe; quam etiam vt genuinam expreſſerunt Iohannes de Platea, *in lect. ſuper tres libr. Cod. ad h. L. mib. pag. 88. fac. 2.* vbi ſummam huius legis ita reddidit: *Tempore ſationis vel meſſium agricola a muneribus extraordinariis excuſantur:* & paulo poſt: *Nota ergo hic priuilegium datum agricolis, vt tempore meſſium, ſeminum, & vindemiarum, non poſſint compelli ad aliqua munera extraordinaria, id eſt, quæ non imponuntur lege, vel ſenatuſconſulto.* Lucas de Penna, *in lectura ſua ad hanc L. 1. mib. pag. 188. fac. 1. in pr.* vbi ſummam his verbis incluſit: *Agricolæ vacantes & inſiſtentes frugibus colligendis & ſeminandis non ſunt vocandi ad extraordinaria munera*, & alii. Immo priuilegium immunitatis agricolis in *hac L.* conceſſum, non præciſe ad ſationis collectioniſque tempus reſtringendum: ſed etiam ad ea tempora, quibus arando, ſtercorando, ſodiendo, occando, aliiſque ruſticis laboribus præparatoria fructuum colligendorum peraguntur, argum. *L. 7. §. 16. D. ſoluto. matrim.* & *L. 8. in princ. D. de inſtruct. vel inſtrum. legat.* extendendum eſſe, illæ leges ſuadere videntur, quæ eadem priuilegia præparantibus ſe ad actum aliquem, ſicut illis, qui in ipſo actu occupati ſunt, indulgent. *arg. L. 35. §. 8. & ſeq. D. ex quib. cauſ. maior. in integ. reſtit.* Cuius ſententiæ approbatorem ſe præbet antea citatus Iohann. de Platea, *d. l. pag. 89. fac. 1.* his verbis: *Lex iſta quæ probibet, ne impediatur fructuum collectio, videtur conſimili ratione probibere, ne præparatoria ad collectionem impediantur*, allegando L. 16. *D. de ſponſalib.* Nec cuiquam mirum videri debet, agricolas hoc beneficio a legiſlatoribus dignos iudicatos fuiſſe, cum intuitu vtilitatis publicæ, quam laboribus ſuis ſtrenue promouent, alias plures reportarint immunitates. Hinc ſiquidem eſt, quod agricultores, circa rem ruſticam occupati, ſecuri eſſe debeant in quacunque parte terrarum, ita vt neque ſerui & boues aratorii: nec alia eorum inſtrumenta, ad agriculturam pertinentia, pignoris cauſa ab executoribus capi poſſint. *L. 7. & 8. & auth. ſeq. C. I. quæ res pignor. obl. poſſ.* Quod ille, qui fructus aridos vel pecuniam tradidit agricolæ, vſurarum nomine in vnoquoque anno non poſſit plus accipere, quam pro modio octauam partem, & pro ſolido ſiliquam vnam, (id eſt, vſuram trientem, ſiue tertiam centeſimæ, quæ 300. menſibus, aut 25. annis ſorti exæquatur, facitque annuatim quatuor in centum, vt explicat Gothofred.) *Auth. Ad hac C. I. de vſur.* deſumpta *ex N. 34. cap. 1.* Quod agricolæ ruſticani teſtari poſſint quinque tantum teſtibus præſentibus *in L. final. verſ. ſin. autem C Iuſt. de teſtament.* ſi plures eo in loco haberi non poſſunt. Quod coloni & agricolæ dominorum tributariorum ab exactore fiſcalium debitorum compelli non poſſint tributa ſoluere pro dominis ſuis, *L. 15. Cod. Iuſt. de agric. & cenſit.* Quod, ſi agricola vendat rem in perſonas prohibitas, parcatur ruſticitati eius, ne perdat pretium, ſed ſibi reſtituatur, *L. vn. C. Iuſt. Non licere habitator. metrocom. lib. 11. tit. 55.* Qua tamen pœna alios affici conſtat ex *L. 7. v. & emptor Cod Iuſt de agricol. & cenſit. vbi gloſſ. notat.* Quomodo & in aliis iuris articulis eorum ruſticitati parcitur, ut in corruptione albi Prætoris *L. 7. §. 4. D. de iuriſdict.* ſi in ius vocati non ierint *L. 2 §. 1. D. ſi quis in ius vocat. non ierit*, ſi intra præfixa tempora bonorum poſſeſſionem parentum vel proximorum petere omiſerit. *L. 8. C. Iuſt Qui admitti ad bon. poſſeſſ. poſſint, &c.* Poſterioris huius Legis partis, adeoque ſubiectæ αἰτιολογίας vis atque concludendi ratio, ab omnibus interpretibus non vno eodemque modo proditur. Qui enim cum communi Præceptore noſtro Cuiac. *in comment. ad h. L.* per *neceſſitates*, quibus opportuno tempore ſatisfaciendum, intelligunt ipſa onera extraordinaria, hunc daturi ſunt ſenſum: quod ideo agricolæ ſerendis vel metendis frugibus inſiſtentes, ad extraordinaria onera non ſint trahendi, quia pertineat ad prouidentiam & curam magiſtratuum, vt ipſi agricolæ his extraordinariorum onerum neceſſitatibus ſatisfaciant eo tempore, quo a cultura & cura agrorum vacant, quodque tempus ad expedienda talia onera ipſis opportunum, atque commodum eſt. Qui vero cum Iohanne de Platea, *dict. loc fol. 89.* & cum Luca de Penna, *dict. loc. p. 188. fac 1. col. 1. in fin.* per *neceſſitates* ipſam ſationem & collectionem fructuum, ad vitæ humanæ ſuſtentationem neceſſariorum, intelligunt, ſenſum legis ita exprimunt, quod agricolæ eo tempore, quo quærendis & cogendis fructibus inſiſtunt, ideo ab extraordinariis oneribus immunes eſſe debeant, quia ſolicitudini & prouidentiæ magiſtratuum congruat proſpicere, vt agricolæ ſationi & collectioni frugum, ſine quibus vitam ducere non poſſumus, eo quo opportunitatem terram colendi & fru-

ctus

ctus percipiendi habent, tempore incumbere poſſint. Quomodo & hac ratione ductus idem Imper. Conſtantin. in *L. 3. C. Iuſt. de feriis*, permittit, vt ruri poſiti, agrorum culturæ, etiam venerabili die ſolis, quo omnes iudices, vrbanæque plebes, & cunctarum artium officia quieſcere debent, libere licenterque inſeruire poſſint, quoniam frequenter eueniat, vt non aptius alio die frumenta ſulcis, aut vineæ ſcrobibus mandentur, ne occaſione momenti pereat commoditas cœleſti prouiſione conceſſa. Et pontifex Alexander III. *cap. Licet 3 X. de feriis*, quibuſdam parœcianis indulſit, vt diebus dominicis & aliis feſtis ob frugum inopiam piſces, non niſi illis diebus apparentes, capere poſſint.

P. 117. PRIVATÆ *res Principis, earumque conductores & Coloni immunes ſunt ab extraordinariis & ſordidis muneribus.*

V. (a) Impp. Conſtantius (b) A. ad Italicum. (c)

PRIVATAS res (d) noſtras ab vniuerſis muneribus ſordidis placet eſſe immunes: neque earum Conductores, nec (e) Colonos (f) ad (g) ſordida, vel extraordinaria munera, vel Superindictiones aliquas, conueniri; *&c.* Dat. VIII. (h) Kal. Feb. Bononiæ, (i) Placido & Romulo Coss. [343.]

NOTAE.

(a) *Lex 1. Cod. Iuſt. de priuilegiis domus Auguſtæ*, Iungenda *huic eſt lex 6. Cod. eod. vbi Cauſa fiſcales. GOTHOFREDVS.*

(b) *γρ.* CONSTANS. *ID.*

(c) Comitem R. P. vt videtur. *ID.*

(d) *Poſſeſſiones*, ita *Cod Iuſt ID.*

(e) *Neque*, Cod. Iuſt. *ID.*

(f) De *Colonis*, & quidem rei priuatæ, vid. *Paratitl. de colonis fugitiuis. ID.*

(g) *Sordida vel:* hæc abſunt a *Cod Iuſt ID.*

(h) Hinc reſtituenda diei ſubſcriptio, *d. l. 6* quæ habet *Kal. Febr. ID.*

(i) Hanc loci ſubſcriptionem mox expendam. *ID.*

COMMENTARIVS.

PRIVATÆ res Principis, ac proinde & earum conductores, Coloni, hac *Conſtantis* conſtitutione a ſordidis & extraordinariis muneribus & ſuperindictionibus immunes ſunt; pariter vt *l. 1. 2. ſup.* & *l. 9. 12. 13. 17. 20. inf. l. 2 ſup. de indictionibus*: Hac, inquam, *Conſtantis* conſtitutione, is enim eius auctor eſt, non *Conſtantius*, vt editum male; quod oſtendit ſubſcriptio huius legis, *Dat. VIII. Kal. Feb.* BONONIÆ, *Placido & Romulo* Coss. *Bononia* hæc ſcil., non Bononia Italiæ accipienda eſt, quod Sigonius credidit, verum Bononia Galliarum. Conſtans quippe Imp. poſt excidia *Templorum* A. 341, 342. (quam in rem vide eius per eos annos *l. 2. 3. inf. de paganis*,) poſt FRANCOS item deuictos Anno ſuperiore 342. (*Conſtantio III & Conſtante II. COSS* vt teſtatur Socrates *lib. 2. cap. 13.*) His Coss. *Placido & Romulo* ſæua hyeme, (in quam ſane incidit menſis Ianuarius, & quidem extremus, quo hæc *lex* data eſt) in Britanniam nauigaſſe memoratur, aduerſus Pictos & Scotos, vt docere videtur Ammianus Marcellinus *initio libri 20.* (quanquam Libanius *in Baſilico* rebellionem vocat) in quam Britanniam ſolennis traiectus fuit e Bononia Vrbe Galliarum. Iuuat conſignare loca in quibus de hac Conſtantis Britannica expeditione agitur: Quanquam neque Libanii locum nunc ſternam ob ſui prolixitatem. Procedat Iulius Firmicus ad hunc ipſum Conſtantem ſcribens libello *de errore profanarum Religionum pag. 463. edit. Iac. Gronou. ad calcem Minutii Felicis*: *Poſt excidia templorum*, inquit, *in maiue Dei eſtis virtute prouecti: viciſtis* HOSTES, (Francos intelligit) *propagaſtis imperium: & vt virtutibus veſtris gloria maior accederet, mutato ac contempto temporum ordine, hyeme (quod nec factum eſt aliquando, nec fiet) tumentes ac ſæuientes vndas calcaſtis Oceani ſub remis veſtris, incogniti iam nobis pene maris vnda contremuit, & inſperatam Imperatoris faciem* BRITANNVS *expauit.* Sequitur Ammiani Marcellini locus *initio lib. 20. In Britanniis cum Scotorum Pictorumque gentium ferarum excurſus, rupta quiete condicta, loca limitibus vicina vaſtarent, hyemem agens apud Pariſios Cæſar, diſtentuſque in ſollicitudines varias, verebatur ire ſubſidio tranſmarinis (vt retulimus ante feciſſe* CONSTANTEM,*) ne Rectore vacuas relinqueret Gallias. Ire igitur Lupicinum placuit. Adulta hyeme dux antedictus* BONONIAM *venit, quæſitiſque nauigiis & omni impoſito milite, obſeruato flatu ſecundo ventorum ad Rutupias ſitas ex aduerſo defertur, petitque* LVNDINIVM. Et rurſum *lib. 27. cap. 8. Et quoniam cum* CONSTANTIS *Principis actus componerem, motus adoleſcentis & ſeneſcentis Oceani, ſitumque* BRITANNIÆ *pro captu virium explanaui.* Quare & hæc *lex* ad apparatum belli iſtius Britannici pertinere videtur; ad quem extraordinaria ſordidaue munera, & ſuperindictiones prouincialibus indicta: forte indictio materiæ ad conficienda Nauigia: de qua alioqnin materiæ collatione vid. *l. 15. 18. inf. h. t.* & *l. 14. inf. de Nauicular.*

Et hanc quidem obſeruationem noſtram, quam dudum notauimus ad *expoſitionem totius mundi*, quæ ſcripta per hæc ipſa Conſtantis Imp. tempora, probari video V. doctiſſ. Valeſio annotationibus in Amm. Marcellinum, *d. lib. 20. init.*

De *Bononia* vt prodige hic agere nolo, ita duo loca omittere non poſſum: Vnum ex Itinerario Peutingeriano *pag. 727. inter opera M. Velſeri*, quod his temporibus ipſis conſcriptum eſt.

Alter locus eſt Olympiodori, apud Photium *Cod. LXXX. pag. 182. edit. Schotti, & Tom. I. Script. R. B. pag. 146 edit. Venet.* qui ſub Theodoſio Iun. ſcripſit, vbi de Conſtantino Tyranno agens; οὗτος, inquit, Ἰουστῖνον καὶ Νεοβιγάστην στρατηγοὺς προβαλλόμενος, καὶ τὰς Βρεττανίας ἐάσας, περαιοῦται ἅμα τοῖς αὐτοῦ ἐπὶ Βονωνίαν, πόλιν οὕτω καλουμένην, παραθαλασσίαν, καὶ πρώτην ἐν τοῖς τῶν Γαλατῶν ὅροις κειμένην. ἔνθα διατρίψας, καὶ ὅλον τὸν Γάλλον καὶ ἀκύταρον [γρ. ἀκύταιον] στρατιώτην ἰδιοποιησάμενος κρατεῖ πάντων τῶν μερῶν τῆς Γαλλίας μέχρι τῶν ἄλπεων τῶν μεταξὺ Ἰταλίας καὶ Γαλλίας, id eſt, *Is Iuſtinum, & Neouigaſtea, militarium copiarum duces creans, relicta Britannia, cum ſuis traiecit, venitque Bononiam, maritimam Vrbem ſic dictam, primam in Galliæ finibus poſitam. Ibi moratus, Gallum omnem, & Aquitanum militem ſibi adiungens, omniq. 118. eſt Gallia potitus ad Alpes vſque, quæ Italiam a Gallia ſeparant.* Videatur & de hoc ipſo Sozomenus, *lib. 9. c. 11.*

Ergo, vt ad *huius leg.* ſententiam redeamus, videtur omnino Conſtans Imp. ad hanc expeditionem Britannicam extra ordinem quid indixiſſe, ſuperindixiſſe: A quo rem priuatam Principis immunem eſſe voluerit, atque adeo Conductores & Colonos earum: Conductores, inquam, quibus iiſdem altero adhuc priuilegio conſultum iuit, *l. 6. Cod. Iuſt. vbi cauſa fiſcales:* quæ ad hunc eundem *Italicum*, data eſt, & huic ceu eiuſdem prolixioris Conſtantis Imp. conſtitutionis pars coaſſanda venit: puta, vt Conductores non apud Iudices, id eſt Rectores prouinciarum conueniantur, verum coram Viro Illuſtri Comite rerum priuatarum: cuiuſmodi *Italicum* fuiſſe, cui hæ *leges* inſcribuntur; Comitem, inquam, R. P. ſub Conſtante, autumo: cuiuſmodi fuit & ſub eodem Conſtante, biennio poſt A. D. 345. Euſtathius Comes R. P. cui inſcribitur eo Anno *lex 7. ſup. de petitionibus*: de quo & Philoſtorgius, *lib. 3. cap. 12.* vbi de eo iam dixi.

PALATINI, & CIVES *Conſtantinop. immunes ab extraordinariis muneribus.*

VI. (a) Impp. CONSTANTIVS & Conſtans AA. ad Beronicianum (b) Vic. Aſiæ.

PALATINI, & (c) Conſtantinopolitani ciues, pro capitibus ſeu iugis ſuis tantum penſitationem (d) atque obſequia recognoſcant, extraordinariis (e) & temonariis (f) oneribus liberati. Dat. Non. Maii. Conſtantinop. Conſtantio IV. & Conſtante III. AA. Coss. [346.]

NOTAE.

(a) *Lex 1. C. Iuſt. de Palatinis S. L. & R. P.* Intelligit hanc inter alias Conſtantii *leges* Theodoſius Iun. *l. vlt. ſup. de Senatorib.* GOTHOFR.

(b) Id eſt *Vernicianum*, cui eidem inſcribitur ſub Conſtantino M. *lex 4. ſup. de Numerariis*: & *lex 2. ſup. de iis qua adminiſtr.* quæ duæ *leges* ſunt inter ſe coniungendæ, & datæ A. D. 334. Quare videri poſſit & hæc *lex* referenda ad Conſtantinum Auctorem, & forte ad Annum D. 335. *ID.*

(c) *Et Conſtantinopolitani ciues*, hæc expuncta ſunt *C. Iuſt. ID.*

(d) Ordinariam ſcil. *ID.*

(e) *Et ſordidis muneribus & ſuſceptionibus & temonariis oneribus;* ita plenius, *Cod. Iuſt. ID.*

(f) De *Temonariis* dixi pleniſſime ad *leg. 7. ſup. de tironib.* deque eodem temonis onere agitur præterea tribus *huius tit.* legibus, puta *l. 14. 15. 18. inf. ID.*

COMMENTARIVS.

PALATINI, vt & ciues CONSTANTINOPOLITANI hac Conſtantii conſtitutione, ſi tamen Conſtantii ea eſt, immunes ſunt ab oneribus extraordinariis & temonariis: Temonariis inquam, quæ & ipſa extraordinaria ſunt, id eſt, auri & pretii quod loco tironum exigebatur, id eſt præſtatione: de quo & *l. 14. inf.* & dixi pleniſſime ad *l. 7. ſup. de tironib.* Id enim ſunt temonaria onera de extraordinariorum numero: ſic & pariter *l. 12. inf.* a Tironum exactione ſuburbicariæ partes immunes eſſe iubentur. De vtriſque Palatinis, & ciuibus Conſtantinopolitanis ſeparatim videndum eſt.

Palatini, ſi Triboniano credimus, hic ſunt Palatini S. L. & R. P. qui ideo *hanc legem* retulit in *titulum Codicis Iuſt. de Palatinis S. L. & R. P.* Verum huic ego fidem non accommodo; neque enim *Palatinorum* appellatione Largitionales aut Priuatiani in obſcuro intelligendi ſunt, niſi inſcriptio *legis* id aliudve quid forte ſuadeat; quod ſane non ſuadet *huiuſce legis* Inſcriptio, cum *Vicario Aſiæ* ea inſcribatur. Quare Palatinos hic accipi oportet omnes, qui in Palatio Principis militabant; de quibus ſane id quod *hac l.* continetur, diſerte conſtitutum poſt *hanc leg. l. 14. 15. 18. inf. hoc titulo:* ſicut & a Conſtantino M. *l. 3. ſup. de priuilegiis eorum qui in ſacro Palatio*, iam antea

antea immunes redditi a Temonariorum obſequio ſeu cura, id eſt temonarii anri exigendi ſollicitudine. Et hæc quidem de Palatinis, quod vnum habet *Codex Iuſtin.*

Ciuibus Conſtantinopolitanis eadem immunitas ab extraordinariis & temonariis oneribus *hac l.* tribuitur; procul dubio, vt hac immunitate inuitati plures Nouam Vrbem incolere affectarent, & ciuibus certatim vrbs illa repleretur: cuiuſmodi aliis priuilegiis ciues Conſtantinopolitani donati? Et alioquin quam multa Conſtantius frequentandæ ornandæque Conſtantinopoli inuexerit, prædicat Themeſtius, *oratione*, ad hunc ipſum Conſtantium, *13. pagg. 292 293. 303. 306. 307. edit. Petav. 1613. in 8.* Simile porro priuilegium datum vrbi Romæ, *l. 3. inf. de coll. donat.*

P. 119.

VII. (a) Idem AA. (b) & Iulianus Cæſ. ad Populum.

SOLA iubemus exigi quæ factis a nobis Indictionibus, aliiſve præceptis, (c) continentur, & quæ anniuerſaria conſuetudine antiquitus poſtulantur: Aut ſi inexcuſabilis neceſſitas quiddam nouum (d) exigat, nec dilationem publica vtilitas patiatur, referri a ceteris (e) Iudicibus ad Viros clariſſimos (f) Præfectos Prætorio, & eorum arbitrio flagitanda depoſci, ſtatimque id Noſtræ intimari Clementiæ. Itaque Iudicem, qui vltra iuſſa aliquid poſtulauerit, duplum iubemus inferre: Officium vero eius quadruplum, Viro Clariſſimo Largitionum Comite huic exactioni imminente, cum primum ad Nos, vel Præfectos prætorio fuerit querela delata, & facinus reuelatum; vt & læſi nobis auctoribus aut Præfectis, recipiant, quod per arbitrium Iudicis amiſerant. Dat. IV. Non. April. Med. Conſtantio A. VIII. (g) & Iuliano Cæſ. II. Coss. [357.]

N O T A E.

(a) Abeſt hæc *lex* a *Cod. Inſt.* Concordat huic legi *lex 8. prox. inf.* Imo plane huic iungenda eſt. *GOTHOFR.*

(b) *yp. Idem A. ID.*

(c) *Præceptum.* Eodem ſenſu *l. vn. ſup. de ſuperindicto: l. vlt. ſup. de conſtitut. Principum.* Vt & præceptio *l. 17. ſup. de annona & tributis* & Epiſtulæ dicuntur, *l. prox 8. ID.*

(d) *Nouum* aliquid, de ſuperindictione ſeu extraordinaria collatione, functione, *hac l.* & *l. 2. inf. de priuilegiis corpor. V. R.* Ambroſius *orat. funebri* de obitu Valentiniani Iun. *pag. 108. Tom. V. Oper. edit. Paris. 1614. Cardinal. Felicis de Monte Alto. Prouincialibus nihil vnquam indici paſſus eſt: præterita inquit, non queunt ſoluere, NOVA poterunt ſuſtinere?* V. & Saluianum *de Gubernat. Dei lib. 5. cap. 7. ID.*

(e) Spectabilibus, clariſſimis. *ID.*

(f) *Clariſſimi* titulus tributus, Præfecto Prætorio & Comiti Largitionum mox *infr. h. l.* Quomodo & Magiſtro officiorum, Conſtantii pariter *l. 8. de curſu publ.* Et quidem ſolus: cum alias *Clariſſimi* titulus Illuſtribus equidem tribuatur, ſed adiuncta *Illuſtriſſimi appellatione.* Ita vir Clariſſimus & Illuſtris Præfectus Prætorio Italiæ, *l. 12. inf.* Ita Comes S. L. Vir Clariſſimus & Illuſtriſſimus vocatur a Symmacho, *lib. 10. ep. 33.* vt & Magiſter officiorum *lib. 10. ep. 37.* & *47.* v. plura apud Iuretum in Symmachum, *lib. 10. ep. 37. ID.*

(g) IX. Vel reſcribendum fuerit *Iuliano Cæſ.* I. quod forte veroſimilius: Nam & ita habent Edd. omnes, vna Pariſienſi poſtrema excepta. Sed tamen illud præferro, arg. *l. prox. inf. ID.*

VIII. (a) Idem A. & Cæſ. ad Taurum PF. P. (b)

PLACET, nullum (c) omnino Iudicem decetero Prouincialibus inferendum aliquid indicere, vt ea tantum ſedulo cunctorum ſtudio penſitentur, quæ *canonis* inſtituti forma complectitur, vel noſtra clementia decernit (d) inferenda, vel delegatione (e) ſollemniter ſanciente, vel Epiſtulis (f) præcedentibus. Sed ſi quid vrguere forſitan cœperit, referri ad Celſitudinem Tuam ſtatuimus, & auctore te fieri, & eo perſolutore (g) ferri ad Scientiam (h) Noſtram, vt nobis iubentibus roboretur. De (*) ceteris, quæ proſpici oportet ante plurimum temporis, inſinuetur nobis tempore indictionis ex more procimendæ: Quippe ſuggerit ratio, eius omnia ſerie contineri: Ideoque tituli penſitandi ſemper ad Noſtram Scientiam perferantur, vt Indictione anniuerſariis vicibus emiſſa, iubeamus inferri merito penſitanda. Si quid (i) autem arbitrio ſuo deſcribſerit Prouinciales, vel exegerit, in duplum inferet, & Officium eius quadruplum cogetur expendere, ſuper exigenda condemnatione (k) Comite largitionum curante. Dat. Kal. April. Med. Conſtantio A. IX. & Iuliano Cæſ. II. Coss. [357.]

N O T A E.

(a) *Lex 8. Cod. Iuſt. de excuſationibus munerum;* & concordat hæc *lex ſuperiori*, imo ei iungenda eſt, *GOTHOFREDVS.*

(b) *Taurus* PP. Italiæ ſub Conſtantio. v. *Proſopog.* & *ibi* hiſtoricos. *ID.*

(c) Etiam ſpectabilem. *ID.*

(d) *Deerunt*, Cod. Iuſt. nonnullæ Edition. *ID.*

(e) *Delegatio* dicitur *hac l.* & *l.* 13. *inf.* vide & *leg.* 1. *ſup. de annona & trib. l. vn. ſup. ue conlatio per logogr. l.* 2. 3. 4. *ſup. de indiction.* quæ & Delegatoria vocatur, *l.* 16. *ſup. de exactionib.* Indictio, *ſup. l.* 7. *ID.*

(f) Aliuſve præceptis; ita *l.* 7. *prox ſup.* Hinc ſane *Epiſtularii* in loco Saluaini *de Gubernat. Dei lib.* 5. *cap.* 7. *Epiſtulæ Canonicæ* dicuntur apud Caſſiodorum *in formula curæ Epiſtularum Lib. XI.* 23. *ID.*

(g) *Perſoluto referri*, ita *Cod Iuſt* quod an ſtare poſſit, mox videbimus. *ID.*

(h) *Sententiam*, Cod. Iuſt. nonnullæ Editiones. *ID.*

(*) Cætera reſecata a *Cod Iuſt.* & eorum loco pars *legis* 11. *inf. d. legi* 8. ſubtexta. *ID.*

(i) *vg. Quis*, vel *qui. ID.*

(k) *Condemnatio* hic proprie pro multa, vt quamplurimis aliis locis. Vide *Gloſſarium. ID.*

P. 180.

COMMENTARIVS.

A QVIBVS & QVOMODO nouum aliquid ſuperindici prouincialibus poſſit vel debeat, his duabus Conſtantii conſtitutionibus definitur, quæ pro more recepto, eodem argumento, ad diuerſos emiſſæ (de quo in *Prolegomenis*) inter ſe conſiandæ ſunt. Prior, inquam, ad Populum ipſum & prouinciales, quorum vtique ſecuritati Conſtantius proſpectum voluit: Poſterior ad Præfectum Prætorio, quem vt tributariæ rei, ſimul & continendorum in officio Rectorum prouinciarum cura reſpiciebat, ita & ſuperindicti ſollicitudo eidem demandatur. Quare & hæ *leges* melius ſub *titulo de ſuperindicto* ſtarent; cuius *legi vn.* hæc *lex* omnino reſpondet: quod ſuperindictum ſane ab extraordinariis muneribus diſerte ſeparatur, *l.* 5. *ſup. h. tit.*

Sententia igitur Conſtantii hæc eſt, nulli Iudici ordinario, ſpectabili, Clariſſimo, quicquam prouincialibus ſuperindicere licere; propoſita ei Dupli, & Officiis eius Quadrupli pœna; quod tamen hactenus factum a nonnullis Iudicibus, vt ex vtriuſque *legis* argumento colligitur, & hæc nominatim verba *legis* 8. docent: *Placet*, NVLLVM OMNINO *Iudicem* DECERNI *prouincialibus inferendum aliquid indicere.* Sic vt Spectabiles nominatim, id eſt, Proconſules & Vicarii, & illi potiſſimum id ſibi vindicaſſe videantur: quorum notæ per hæc tempora, alia quoque in re, vſurpationes, veluti in negotio appellationis, de quo *inf. tit. de appellationibus.* Adempto ita ſuperindicti iure Iudicibus, de Præfectis Prætorio, vtrum hi ſaltem ſuperindicere poſſint, hanc diſtinctionem inducit: inter ſubitaneas ſeu vrgentes neceſſitates, & inter præuiſas ſeu longe ante proſpectas; hoc caſu, id eſt, in his quæ proſpici oportet ante plurimum temporis, vt ait *lex* 8. Præfectum Prætorio ſuperindicere nil poſſe, ſed tempore Indictionis ex more faciendæ ad Principem referre oportere, vt ita poſtea Princeps in indictione eius quoque rationem habeat: At priore caſu, *ſi quid vrguere forſitan cœperit*, vt ait *lex* 8 ſeu vt loquitur *lex* 7. *ſi inexcuſabilis neceſſitas quid nouum exigat, vt dilationem publica vtilitas non patiatur*, Præfectum Prætorio ſuperindicere poſſe, eoque perſoluto ad Principis ſcientiam referre, vt ipſo iubente id roboretur: *Eo perſoluto referri*, inquam, vt habet *Codex Iuſt.* id eſt, peracto, abſoluto, quæ Cuiacii fuit interpretatio, quæ verbi *perſoluto* etſi inſolens, longe tamen probabilior quam Accurſii, qui pro exacto accepit: Nam quo principalis iuſſionis robur, ſi iam ſuperindictum exactum eſt? Et vero in *l.* 7. ſenſus hic ita exprimitur, *referri ad Præfectos Prætorio, & eorum arbitrio flagitanda depoſci, ſtatimque ad Noſtræ intimari Clementiæ.* Quare nil probabilius mihi ſub manum, quam vt hic legamus *& perlatore*: Nam & ita mox ſtatim, *ad Noſtram Scientiam perferantur.* Denique Præfecto *perlatore referri* idem eſt, quod *l.* 7. *ſtatim intimari.*

Obſeruandus itaque iam caſus, quo Præfecto Prætorio indicendi ius Conſtantius conceſſit: cum alioquin aliis Principibus abſciſe id denegare viſum fuerit Iuliano, videl. *l.* 10. *inf.* Valenti, *l.* 11. *inf.* Valentiniano Iun. *l vn. ſup. de ſuperindicto.* Theodoſio M *l.* 23. *ſup de annona & trib.* Solius nempe Principis vt indictio, ita & ſuperindictum eſt, de quo ad *eam l. vn.* etiam ex Sidonio. *lib.* 2. *epiſt.* 1. Sed obſeruandum eſt, Conſtantinum *hac l.* id Præfectis Prætorio indulgere duplici conditione. Prior eſt vt dixi, inexcuſabilis neceſſitatis, quæ dilationem & conſilium non admittit: Altera eſt, vt etiam factum iam & ſuperindictum a Principe roborari oporteat. Scilicet, vt rerum dominos quoque neceſſitati cedere par eſt; ita & ea quamlibet vrgente maieſtatis ſuæ vim etiam poſt factum orbi oſtentare ſatagunt, & arbitrio conſilioque dempto confirmationem & robur ſibi retinere. Tandem Præfecto Prætorio ſuperindicti faciendi poteſtatis exemplum hoc ipſo tempore ſuppeditat Ammianus Marcellinus, *lib.* 17. *cap.* 3. in huius ipſius Anni 357. geſtis. *Cæſar quia*, inquit, *plurimæ gentes vi maiore collaturæ capita ſperabantur, magnis curarum molibus ſtringebatur. Dumque per inducias licet negotioſas & breues, ærumnoſis poſſeſſorum damnis mederi poſſe credebat, tributi ratiocinia diſpenſauit. Cumque* FLORENTIVS PRÆFECTVS PRÆTORIO (Galliarum) *cuncta permenſus, vt contendebat, quidquid in capitatione deeſſet, ex* CONQVISITIS *ſe ſupplere firmaret, talium gnarus* (Cæſar Iulianus,) *animam prius amittere, quam hoc ſinere fieri memorabat. Norat enim huiuſmodi Prouiſionum, imo euerſionum, vt verius dixerim, inſanabilia vulnera, ſæpe ad vltimam egeſtatem Prouincias contraxiſſe: quæ res, vt docebitur poſtea, penitus euertit Illyricum. Ob quæ Præfecto Prætorio ferri non poſſe clamante, ſe repente factum infidum, cui Auguſtus* (Conſtantius) *ſummam commiſerit rerum, Iulianus eum ſedatius leniens, ſcrupuloſe computando & vere, docuit non ſufficere ſolum, verum etiam exuberare capitationis calculum, ad commeatuum neceſſarios apparatus. Nihilominus tamen diu poſtea* INDICTIONALE AVGMENTVM

oblatum

ablatum ſibi, nec recitare nec ſubnotare perpeſſus, humi proiecit. Literiſque Auguſti (Conſtantii) *monitus* (Iulianus) *ex relatione Praſecti, non agere ita perplexe, vt videretur parum Florentio credi: reſcripſit, Gratandum eſſe, ſi prouincialis hinc inde vaſtatus, ſaltem ſolemnia præbeat, nedum* INCRSMENTA, *quæ nulla ſupplicia egenis poſſent hominibus extorquere.*

IX. (a) Idem A. & Cæſ. ad Taurum PF. P. (b)

EXEMPLO *Africæ* debent (c) fundi Patrimoniales & Emphyteutici per *Italiam* (d) conſtituti ab extraordinariis omnibus (e) excuſari: Non enim (f) per Italiam tantum, ſed etiam per Vrbicarias regiones, & Siciliam, (g) Patrimonialium, & Emphyteuticorum fundorum vires ſeruandas eſſe perſpeximus. PP. Rom. (h) VII. Kal. Mart. Euſebio & Hypatio CONS. [359.]

P. 121.

NOTAE.

(a) Abeſt hæc *lex* a *Cod Iuſt.* Concordat huic l. *lex* 1. 2. *ſup. h. t.* GOTHOFR.

(b) *Taurus* PP. ſub Conſtantio *Italiæ* videlicet: quod vt aliunde, ita ex ipſo *legis* argumento ſimul & ſubſcriptione liquet. Sane eius hoc ipſo Anno meminit Solpitius Seuerus *lib.* 3. *ſacr. hiſt. cap.* 41. & Hieronymus *aduerſus Luciferianos pag.* 98. *Tom. II. Oper. edit. Francf. apud Chriſt. Genſch. v. Proſopogr. ID.*

(c) *rf. Habentur* &c. *excuſati. ID.*

(d) Italiam proprie dictam: cui mox vrbicariæ Regiones opponuntur. *ID.*

(e) Vox hæc retinenda; Nam & ita habet *lex* 2. *ſup. h. t. ID.*

(f) Hieronymus Aleander hic reponebat, *autem*: quem non audio, mox vt oſtendam. Ego malim, *Nos enim non* &c. *enim*, pro *atenim ID.*

(g) Tentat & hic Aleander *Illyricum*; quod tamen neque ipſe admittit. *ID.*

(h) *Romæ* hæc *lex* propoſita; quia Vrbicariis regionibus ſpeciatim lata. *ID.*

COMMENTARIVS.

PATRIMONIALES & Emphyteuticos fundos ab extraordinariis omnibus per omnem Italiam quantacunque ea eſt, etiam per Vrbicarias Regiones, & Siciliam immunes eſſe iubet Conſtantius *hac leg.* A. D. 359. Nempe quemadmodum Africæ exemplo propagata iam antea a Conſtantino M. hæc immunitas ad Italiam fuerat, *l. 2. ſup h. t.* ad Italiam, inquam, ſpecialiter dictam, ita iam Italiæ huius exemplo hanc immunitatem Conſtantius producit ad eas, quas dixi regiones. Hæc inquam eſt *huius leg.* ſententia; cuius initio manifeſtiſſime Conſtantius memorat ius quod iam obtinebat, vt tota ſeries *legis* oſtendit: ac proinde in ea reponendum mihi omnino videtur, *habentur excuſati*, id eſt hactenus excuſari ſolent, iam excuſationem meruerunt; mox poſteriore ſententia nouum ius conſtituit, vt proinde initium eius ita conſtitui oporteat, *Nos enim non per Italiam tantum*, &c. ac ſi diceret; Nobis autem hanc immunitatem propagare iam libet. Nam alioquin, niſi hæc *lex* ita accipiatur & conſtituatur, ecquis ſe expediet ab illis: *Exemplo Africæ debent fundi Patrimoniales & Emphyteutici per* ITALIAM *conſtituti ab extraordinariis omnibus excuſari*: *Non enim per* ITALIAM *tantum, ſed etiam per* &c. Quomodo, inquam, hæc ſtare poterunt, propagari *hac l.* hanc immunitatem exemplo Africæ per Italiam; mox *eadem leg.* illa poſteriore ſententia, non per Italiam tantum, ſed vltra? cui omnino renititur vox ENIM: quæ ſuperioris diſpoſitionis rationem & elucidationem indicat, non extenſionem nouam. Veriſſima igitur ea eſt interpretatio, & emendatio, quam dixi: referri ſcil. initio ius, quod iam obtinebat ex *l. 1. ſup.* mox proferri, ſeu produci id iam alio: Id quod vt dixi tota *legis* ſeries oſtendit: vbi Conſtantius Imp. apertiſſime iuris & immunitatis huius progreſſum ingerit: Per Africam ſcil. primum eam tributam, mox ad Italiam propagatam: Nunc vero a ſe ad Vrbicarias Regiones & Siciliam porrigi. Quibus quidem prioribus diſerte indicat Conſtantini M. *legem 2. ſup. hoc tit.* quæ hic omnino ſternenda eſt.

Imp. Conſtantinus A. ad Vlpium Flauianum Conſ. Æmiliæ & Liguriæ.

Ab extraordinariis OMNIBVS (ita quoque hic habetur) *fundi patrimoniales adque Emphyteuticaris* (ita quoque hic) PER ITALIAM NOSTRAM *conſtituti* (hic, *per* ITALIAM *conſtituti*) HABEANTVR IMMVNES; (*habentur excuſati*; *hac l.*) *vt canonica tantum & conſueta dependant*, AD SIMILITVDINEM *per Africam poſſeſſorum* (*Exemplo Africæ*, ait hæc *lex.*)

Vides, quam omnia hic congruunt, præter ipſam (inquam) diſpoſitionem, quinque loca.

His ita poſitis, varia iam & ſingularia multa ex *hac l.* (quæ famoſa iam euaſit in argumento *regionum ſuburbicariarum*,) obſeruanda veniunt. Primo quidem notandum, ſub vna Præfectura Prætoriana, quæ *Tauro PP.* cui hæc *lex* inſcribitur, parebat, quatuor has diſtinctas & ſeparatas diœceſes ſeu adminiſtrationes fuiſſe, Africam, Italiam, Vrbicarias Regiones, & Siciliam &c.

His, inquam, quatuor diœceſibus & adminiſtrationibus conſtitit inde iam a Conſtantino M. & ex eius inſtituto, vna Præfectura Prætoriana Italiæ, ſi Zoſimo fides, *lib. 2. cap. 33.* vbi de quatuor Præfectis Prætorio agens: τῷ δὲ τρίτῳ, inquit, [παρέδωκε] τὴν ΙΤΑΛΙΑΝ ἅπασαν, ϗ ΣΙΚΕΛΙΑΝ, ϗ τὰς περὶ αὐτὴν νήσους, ϗ ἔτι γε Σαρδόνα, ϗ Κύρνον, ϗ τὴν ἀπὸ Σύρτεων Κυρήνην ἄχρι ΛΙΒΥΗΝ. id eſt;

eſt: *Tertia* (Præfecto Prætorio attribuit) *totam* ITALIAM *&* SICILIAM, *& circumiacentes inſulas, itemque Sardiniam, & Corſicam, &* AFRICAM *a Syrtibus Cyrenen vſque.* Et vero iis quoque finibus ſtetit trium ante Conſtantinum M. ordine ſibi ſuccedentium tetrarcharum imperium, vnde Præfecturæ exemplum mox propagatum; inde ab An. Dom. 293. puta Maximiani, Seueri, Maxentii, de quo dixi pleniſſime *in Apolyticopriore, cap. 2.*

Secundo obſeruandum, Vrbicarias Regiones, vt ab Africa, ita ab Italia ſeparari, pariter vt *d. l. vn. ſup. ſi per obreptionem:* imo & Sicilia quoque de quo poſtea. Nempe, vt Vrbicariæ Regiones intra centeſimum conſiſtere; ita Italia, nullo alio adiecto, in Imperatoriis conſtitutionibus totum illud Italiæ ſpatium occupabat, quod vltra centeſimum procurrebat, vt docet *lex 2. ſup. de integri reſtitut.* Verum de eo peculiares iam ſunt libelli. Viderint ii tantum, qui Vrbicarias etiam in *Siciliam* protrahebant, quidnam *huic legi* tam apertæ, reſponſuri ſint: Iam enim confecta res eſt, imo profligata, vtriusque partis conſenſu, eorum ſententia, qui in Africam & Illyricum quoque Vrbicarias producere annisi fuerant. Quid enim apertius *hac lege?* vbi Vrbicariæ regiones non aliter a Sicilia ſeparantur quam ab Italia, medioque adeo inter eas loco, ceu diuerſæ, ponuntur. Sicilia igitur extra cenſum Vrbicariarum, non modo quia diuerſum Rationalem haberet, quod ſuffugium nuper Vir doctus quærebat, *p. 987.* Qui certe etiam Siciliæ peculiaris non fuit, verum trium prouinciarum in commune Rationalis extitit, Siciliæ, Sardiniæ, Corſicæ. Hoc vero *huius leg.* teſtimonio qui premi ſe vident, ad emendationem confugiunt: Aleandri *diſſertatione 1. cap. 2.* emendatio eſt, quam tamen neque ipſe admittit, quod pro *Siciliam*, hic *Illyricum* reponi forte poſſe tentabat. Perperam omnia. Illyricum quippe Occidentale, vt Con-
P. 182. ſtantini æuo, ita & hoc, Orientali cohærebat; neque dum Præfecturæ Prætorianæ Italiæ acceſſerat, id quod poſterius factum eſt. Atque hæc iam ratio eſt, cur ſub Valentiniano mox, *lex vn ſup ſi per obrept.* Præfecturæ Prætorianæ Italiæ diœceſibus Illyricum connumeratur, non etiam *hac leg.* pariter vt apud Amm. Marcellinum *lib. 26 cap. 5.* Morinus *lib. 1 Exercitationum, cap. 30.* inter alias coniecturas, Siciliæ vocem expungebat, vt conſuetudini illius temporis, inquit, contrariam, & a mente Imperatoris abſonam.

Tertio obſeruandum cumprimis, Primam & antiquiſſimam hanc occurrere nobis *Vrbicariarum* Regionum ſub Conſtantio mentionem; quæ nulla occurrit ſub Conſtantino M. & quidem, quod notari rurſum cupio, eo ipſo anno 359. vno tantum menſe ante *legem 1. inf. de calcis coctorib. V. R.* quæ vt *Orfito PF. V.* inſcribitur; ita *Quatuor Regionum* meminit, quæ ſub diſpoſitione Præfecti Vrbis fuerunt, quæ proinde non aliæ, quam Vrbicariæ iſtæ ſunt, vt ad *eam leg.* plenius oſtendetur. Inueſtiganti porro mihi, cur non antiquior huiuſce VRBICARIARVM nominis mentio occurrat, hanc cauſam ſuppeditat *lex 27. inf. de appellationib.* quæ anno 357. & quod excurrit, ante *hanc l.* data eſt. Nempe nouam Italiæ Regionem deſignationem *ea leg.* Conſtantius facere inſtituit: earum ſcilicet, ex quibus ad Præfectum Prætorio deinceps appellari vellet, & earum ex quibus ad Præfectum Vrbis, cum hactenus ex omnibus Italiæ regionibus Præfectus Vrbi eas ſibi vindicaret. Quare cum intra ſuam & peculiarem Vrbis diœceſin eum coarctaret, enata iam inde *Vrbicariarum* Regionum appellatio, quaſi quæ Vrbis diœceſin conſtituentes, ſolæ etiam ad Præfecti Vrbis diſpoſitionem pertinerent: Ideo quoque lex hæc *Romæ propoſita* dicitur, ad cuius diœceſin nominatim ea pertinet. Atque hoc iam tempore peculiares *Rectores* vrbicariis regionibus & prouinciis dati videntur, cum antea non haberent, ac nominatim Tuſcia & Picenum, quæ peculiares deinceps Rectores habuit. Etſi poſtea quandoque coaluerint cum annonariis: de quo ad *l. 4 ſup de iuriſdict.*

Quarto, cum hæc *lex* agat de fundis patrimonialibus & emphyteuticis per Italiam, Vrbicarias Regiones, Siciliam & Africam, eo iam referendi ſunt *Rationales & Procuratores rei priuatæ*, qui per *Italiam*, per *Vrbicarias* ſeu *Suburbicarias Regiones*, per *Siciliam*, & per *Africam* memorantur in *Notitia Imperii.*

Illud quinto notandum *hac leg.* quod cum alias tres prouinciæ, puta Sicilia, Sardinia & Corſica, pari paſſu ambularent, & æquo iure agerent, ſub eodem Præfecto Prætorio, teſte vel Zoſimo *ſuperiore loco;* imo Rationalis vnus harum trium prouinciarum eſſet, hic tamen *Sicilia* vna nominetur, immunitateque ea, de qua *hac leg.* agitur, donatur, cuius cauſæ quærendæ ſunt. Item illud notandum, quod Sicilia & ab Vrbicariis regionibus & ab Italia ſeparetur, ſeu ſpeciatim poſt Vrbicarias regiones nominetur: proinde neutris accenſita, hoc æuo, neque *Italiæ* etiam, quod poſtea factum.

X. (a) Imp. IVLIANVS A. Secundo PF. P. (b)

NIHIL Prouincialibus indici ſine Noſtra Scientia fas eſt: Neque rurſus, ex his quæ ſunt indicta, referri. (c) Omnia igitur, quæ Conſuetudo, (d) vel diſpoſitio (e) noſtra amplectitur, hoc eſt curſum, (f) publicum, translationes, (g) itinerum (h) ſollicitudines, ceteraque ſimilia, cuncti poſſeſſores implere pariter conpellantur; *&c.* PP. (i) III. Id. Mart. Conſtantinop. Mamertino & Neuitta Coss. [362.]

NOTAE.

(a) Abeſt hæc *lex* a *Cod. Iuſt.* Iungenda autem *huic* eſt *lex 30. inf. de decurion. lex 4. inf. de luſtrali conlat lex 1. ſup. de locatione fundorum. lex 2. inf. de protoſtaſia:* Imo & *lex 1. inf. de auro Coronario.* GOTHOFR.

(b) *Secundus* PP. ſub Iuliano. v. *Proſopog. ID.*

(c) Re-

(c) *Referri*, id eſt, remitti, accepto ferri, differri. *ID.*

(d) *Conſuetudinis* vox & vis in re tributaria: v. paſſim apud Caſſiodorum, & in Capitularib. Caroli M. & *Gloſſ. Theod.* & ad *l. vn. ſup. de longa conſuetud.* quæ eſt Iuliani. *ID.*

(e) *Diſpoſitionis* vox propria. *ID.*

(f) Vide titulum *de curſu publico*, *ſup. ID.*

(g) *Buſtaga* alibi vocantur Angariæ, Parangariæ: Harum *translationum* fit pariter mentio *fine legis* 15. *l.* 40. *inf. de Epiſcop.* vbi plene dicam. Cœterum hic malim, *translationis. ID.*

(h) Id eſt, Operas ad viarum munitionem. *ID.*

(i) Ita quoque prædictis *legibus*: excepta *l.* 2. *de Protoſtaſia*, vbi *Dat.* editum. *ID.*

COMMENTARIVS.

IMMVNITATEM vt a Canonicis ſeu conſuetis muneribus, ita & ab extraordinariis, diſpoſitione Principis indictis, vel ſordidis nulli prouinciali ſeo poſſeſſori tribui iubet *hac l.* Iulianus: Quæ maioris conſtitutionis pars eſt: qua in vniuerſum Iulianus publicis Muniis conſultum voluit, vt oſtendunt *leges* illæ omnes, quæ *huic* coniungendæ ſunt: quaſque in *Notis* iam cumulaui. Neque dubito, quin & hæc pars profecta ſit ab indicto Chriſtiano nomini, vel (vt Antiocheni obiiciebant) indicto χι & *κάππα* odio. Quandoquidem aperte *lex* 50. *inf. de decurionib.* (vnde deſumpta eſt *lex* 4. *inf. de luſtrali collat.*) quæ huic inter alias coniungenda eſt ab eodem odio fit: *ea* quippe *lege* Iulianus Chriſtianis, id eſt, Clericis, tributam a Curialibus muneribus a Conſtantino M. & Conſtantio *l.* 1. 2. 7. 8. 9. 11. 16. *inf. de Epiſcopis Eccleſ. & Cler.* immunitatem reuocat: Rurſum *l.* 1. *ſup. de locat. fundorum* (quæ & ipſa *huic* coniungenda eſt,) Iulianus publicas poſſeſſiones (proculdubio agonotheticas iuriſque templorum, ludis in honorem Deorum, & ædificiis ſacris ſartis tectis deſtinatas,) Ciuitati-
P. 133. bus reſtitui iubet, quo ciuitatum reparatio procurari poſſet. Pariter itaque Iulianus *h. l.* mihi videtur, immunitatem tum Eccleſiis, tum Eccleſiaſticis ab extraordinariis & ſordidis muneribus a Conſtantino & Conſtantio tributam reuocare: *l.* 1. 2. 3. 8. 9. 10. 14. 16. *inf. de Epiſcopis, Eccl. & Cler.* Et vero *lex* 18. *inf. de Epiſcopis, Eccleſ. & Cler.* aperte docet Iulianum Apoſtatam contra ſanctiſſimam *legem*, id eſt, profeſſionem Clericatus excitatum id decreuiſſe, vt ne Clerici ab extraordinariis vel ciuilibus muneribus immunes eſſent. Sed & Sozumenus *lib.* 5. *c.* 5. ſcribit Iulianum Clericis priuilegia detraxiſſe: idipſum & Gregorius Nazianzenus *ep.* 166. teſtatur. Porro Iulianus hac generali *lege*, etiam comprehendit poſſeſſores fundorum patrimonialium quod diſerte expreſſum alia eius conſtitutione, puta *l.* 2. *inf. de coll. fundor patrimon.*

Cœterum tria exempla huiuſmodi munerum hic proponit Iulianus: 1. *Curſum publicum*, id eſt, vt exiſtimare quis poſſit curſus publici mancipatum: de quo *ſup. ſuo titulo de curſu publico*: vel potius Angariarum & Parangariarum munus: a quo ſane Clerici immunes fuere Conſtantii *lege* 10. 14. *inf. de Epiſcopis.* 2. Translationes, a quibus ſane Clerici immunes quoque fuere Conſtantii *l.* 15. *inf. de Epiſcopis*: Honorii *l.* 40. *d. tit. de Epiſcopis*; translationes, id eſt translationum ſolicitudo, *d. l.* 40. denique transferendarum ſpecierum fiſcalium munus; de quo dixi ad *d. leg.* 40. quam Græci παραπομπὴν εἰδῶν vertunt: Transuectio quoque vocatur ſpecierum, *l. vlt. inf. de equorum conlat.* & *l.* 49. *inf. de operib. publ.* 3. Itinerum ſolicitudinem, id eſt muniendi itineris neceſſitatem ſeu viarum conſtructionem. Nempe & ab hac neceſſitate velut extraordinaria & ſordida (vt docet *lex* 15. 18. *inf. h. tit.*) & *l. vlt. inf. de itin. mun.* immunes Eccleſiæ aliquando fuere, quod docebit etiam Honorii *lex* 40. *inf. de Epiſcopis*: verum vt contrarium, *h. l.* a Iuliano ſtatui cenſeo, ita ſane diſerte, venerandas Eccleſias tam laudabili titulo adſcripſit Theodoſius Iun. *d. l. vlt. inf. de itin. mun.* & Valentinianus Tertius Nouella inter *Theodoſianas* 21. & Iuſtinianus *Nouella* 131. *cap* 5. & Carolus M. *Capitularium lib.* 6. *c.* 7. De quo ad *d. l. vlt. ſup. de itinere muniendo.*

Tandem, neque primam *huiuſce leg.* ſententiam ſeu præfationem omittendam cenſeo, qua Iulianus ait, *Nihil Prouincialibus indici ſine ſua ſcientia fas eſſe.* Sane & Ammianus Marcellinus in exceſſo illo extremo de Iuliani moribus *lib.* 25 *cap.* 4. *Liberalitatis*, inquit, *eius teſtimonia plurima ſunt & veriſſima: Inter quæ, indicta ſunt tributorum admodum leuia; Coronarium indultum*, (vid. *l.* 1. *inf de auro coronar.*) *Remiſſa debita multa diuturnitate congeſta* (vid. *leg.* 1 *inf. de indulgent. debit.*) *vectigalia ciuitatibus reſtituta cum fundis* (vid. *leg.* 1. *ſup. de locat. fundorum*: quam *huic* coniungendam eſſe iam docui) *abſque his, quos velut iure vendidere præterita poteſtates.*

Sed & illud hic notandum, quod *Conſuetudini* hac parte ſtari iubet Iulianus: vt cœteroquin Conſuetudinis obſeruantiſſimus fuit Iulianus, eiuſque obſeruantiam præ ſe tulit, de quo ad *legem vn. ſup. de longa conſuetud.* quæ & ipſa Iuliani eſt: ex ipſiuſmet etiam ſcriptis & *epiſtolis.*

XI. (a) Impp. Valentinianus & VALENS AA. Secundo (b) PF. P.

NIHIL a Prouincialibus extraordinaria patimur indictione depoſci. Caueat igitur Magnifica Auctoritas Tua, ne, præter ea quæ a Manſuetudine Noſtra patuerit indicta, tenuiorum oneret functionem. (*) Vt ſi quis (c) vſurpatoria temeritate amplius aliquid fuerit conatus exigere, obnoxius quadrupli repetitione teneatur: Quæ ſeueritas

iuſſionis ad Ordinariorum Iudicum Officiorumque terrorem debebit excurrere, vt ſi eorum vel gratioſa conhibentia, (d) vel ignobili diſſimulatione temeritas admiſerit Curialis, eos quoque damni ſimilis (e) pœna caſtiget. Dat. XIV. Kal. April. Conſtantinop. Valentiniano, & Valente AA. Coss. [365.]

INTERPRETATIO. *Hæc lex hoc præcipit, nihil debere a prouincialibus de ſuperindictitiis* (f) *titulis peti, niſi ea tantum quæ a rerum Dominis indicta conſtiterit. Et hoc iubet, vt quicunque aliquid ſuperexigendum crediderit,* (g) *quadrupli redhibitione componat.* (h) *Sed & ad ordinarios Iudices hanc inquiſitionem iubet excurrere, vt etiam ſi quid in prouinciis eorum a quibuſcunque perſonis aut Curialibus factum eſt, etiam eos ſimilis damni pœna caſtiget.*

NOTAE.

(a) Abeſt hæc *lex* a *Cod. Iuſt.* niſi quod poſterior eius pars a Triboniano ſubdita *legi* 8. *C. Iuſt. de excuſation. munerum:* quæ & *ipſa* 8. *lex* eſt *huius tit.* *GOTHOFR.*

(b) *Secundus* PP. ſub Valente Imperatore: v. *Proſopog. ID.*

(*) *Legis* 8. *C. Iuſt. de excuſationib. munerum*, pars poſtrema hinc deſumpta eſt. *ID.*

(c) Curialis ſcil. *hac l. in f.* & *l.* 20. *inf. h. t. ID.*

(d) Pro, *conniuentia*, vt habet Cod. Iuſt. *ID.*

(e) *Simplicis*, C. Iuſt. male. *ID.*

(f) *Superindictionis*, Edit in 4. *indictis titulis* MS. G. *RITTER.*

(g) *Plus quam adheratum eſt*, hoc amplius eſt in Edit. in 4. *ID.*

(h) *Damnetur* in margin. Edit. in 4. *ID.*

p.124

COMMENTARIVS.

SVPERINDICI quicquam prouincialibus extraordinaria indictione, quomodo certe ſub Valente Baſilius *ep. 423 ſiu. 303. Edit. Benedictin.* a Comite *Priuatarum*, extraordinarium ex equabus vectigal impoſitum, improbat, ἔπεισαν τὴν τιμιότητά σου Φοράδων τέλεσμα τοῖσδε ἐπαγαγεῖν, *perſuaſerunt dignitati tuæ; vt iſtis equarum præſtationem indiceres*: idque aboleri rogat: vetat hac conſtitutione Valens Imp. a quocunque tandem Iudice etiam a Præfecto Prætorio, quod & ipſum ferme Conſtantio viſum fuit, *l.* 7. & *l. placet* 8. *ſup.* Iuliano, *l.* 10 *ſup.* Valentiniano Iuniori poſtea, *l. vn ſup. de ſuperindicto.* Et quidem adeo id vetat Valens, vt Quadrupli pœnam & Curiali ſuperexigenti, (quomodo & Curiali pœna imponitur in ſp. *l. 20. in f.*) & Iudici Officioque eius conniuenti imponat, quæ & ipſa Conſtantio etiam placuit, *l. 7. 8. ſup.* forte etiam Valentiniano ea ſanctione, quæ memoratur *l. 1. ſup. de ſuperexact.* Cæterum huc facit Ammiani Marcellini locus *lib. 31. cap. 14. in* ἐκβάσει *de Valentis moribus: Prouinciarum*, inquit, *æquiſſimus tutor; quarum ſingulas vt domum propriam cuſtodiebat indemnes; Tributorum onera ſtudio quodam molliens ſingulari, nulla* VECTIGALIVM *admittens* AVGMENTA, *in adærandis reliquorum debitis non moleſtus: furibus & in peculatu deprehenſis Iudicibus inimicus aſper & vehemens. Nec ſub alio Principe in huiuſmodi negotiis melius ſecum actum eſſe meminit Oriens.* Item quod Victor *in Epitome*, de Valente, *Fuit poſſeſſoribus conſultor bonus.*

XII. (a) Imppp. GRATIANVS, (b) Valentinian. & Theod. AAA. ad Theodorum Com. R. P. (c)

AD Virum Clariſſimum & Inluſtrem Præfectum prætorio Italiæ (d) ſcribta porreximus, vt ab Actoribus, & Conductoribus patrimonii noſtri, atque ab his qui iure perpetuo (e) poſſederunt, (f) extraordinarii muneris ceſſaret iniuria: Neque Suburbicariis partibus (g) Tironum immineret exactio. Sane Præſtantia Tua prouidere debebit, quatenus Frumenti & Equorum maturetur exactio. Dat. XV. Kal. April. Treu. Gratiano V. & Theod. I. AA. Coss. [380.]

NOTAE.

(a) Abeſt hæc *lex* a *Cod. Iuſt.* *GOTHOFR.*

(b) *Gratianus* huius *leg.* auctor eſt: De quo mox. *ID.*

(c) Malit quis *Com. S. L.* & ſuadeat Claudianus, hunc ipſum Theodorum alloquens, *Panegyrico in eius conſulatum, a verſ.* 38.

Hinc SACRÆ *mandantur* OPES, *Orbiſque tributa*
Poſſeſſi, quicquid fluuiis euoluitur auri,
Quicquid luce procul VENAS *rimata ſequaces*
Addita pallentis fodit ſolertia Beſſi.

Sub

Sub Comite quippe Sacrarum Largitionum, *ſacræ opes*, id eſt Largitiones & tributa fuere, & Theſauri ac metalla; de quo V. *Notitiam imperii: & legem* 4. 12. 14. 15. *ſup. de metallis.* Neque tamen quicquam temere ipſe mutem. Nam & ea omnia, quæ Claudianus memorat, Comiti R. P. tribui poſſunt. *Sacræ opes*, inquam, id eſt priuatæ Largitiones, res, greges, ſtabula, ſaltus, item *Orbis poſſeſſi tributa*, id eſt, penſiones ex fundis patrimonialibus. Tandem & metallorum cura Comitem R. P. aliquando reſpexiſſe potuit. Argumentum ſane *huius l* ad rem priuatam pertinens, id euincit. *ID.*

(d) Sub quo Italia, ſuburbicariæ partes, Illyricum & Africa fuere, vide *leg* *vn* *ſup. ſi per obreptionem. ID.*

(e) *Iure perpetuo poſſidentes* ſunt emphyteuticarii: v. *Paratitlon de locat. fund. iuris emphyt. lib.* 10. *ID.*

(f) *Poſſiderent. ID.*

(g) *Partes*, pro tractu & diœceſi: ita Ægypti partes ſeu Ægyptiacæ, *l.* 14. *inf. de nauicul l. vlt. inf. de Epiſcopali iudicio*; & Rufino *lib* 10. *c.* 4. Illyrici ſeu Illyricianæ partes, *l.* 25. *ſup. de petitionib l.* 49. *inf de operib. publ.* Italiæ partes, *l.* 15. *inf de Epiſcop* Tranſmarinæ partes Italiæ, *Cod. Canon Eccleſ Afric. pag.* 895. *Tom. I. Concil. Edit. Harduin.* Orientis partes, *l.* 3. *ſup. de militari veſte*: & *l.* 3. *de fid. Cathol.* Plura in *Notitia Imperii. ID.*

COMMENTARIVS.

EXTRAORDINARIA quædam munera, & extraordinarias quaſdam exactiones, cum hac tempeſtate Gratianus, hoſtili procul dubio neceſſitate adigente, quæcunque tandem illa ſit, Treueris in Gallia conſtitutus, indixiſſet, atque in his tyronum, frumenti, equorum; de quibus extraordinariis collationibus erit *inf. Titulus* peculiaris, *Qui a præbitione tyronum & equorum excuſentur,)* idque per Italiam & ſuburbicarias etiam partes: cum hæc, inquam, Gratianus indixiſſet, & quidem conſtitutione ad Præfectum Prætorio Italiæ, tria ſuper eo nominatim, vt illa, ita & hac conſtitutione ad Comitem R. P. conſtituit.

Primum eſt, quod PATRIMONIALES ACTORES & Conductores, & perpetuo iure patrimonium Principis poſſidentes ab extraordinariis muneribus immunes eſſe iubet: De prioribus iam *ſupra* ſæpe. Perpetuo iure poſſidentes, qui hic dicuntur, vel perpetuo iure tenere, ſimilibuſque formulis, *l.* 13. *prox.* & 20. *hoc tit.* cuiuſmodi omnes congeſſi in Paratitlon ſup. *lib.* 11. *de locat. fund. patrimon.* &c. & quidquid tandem de his perpetuariis conductoribus & fundis *hoc Codice* occurrit, ſunt omnino emphyteutici ſeu emphyteuticarii. Hinc adeo quomodo emphyteutici diſtinguuntur a patrimonialibus rebuſque priuatis, non *vna leg.* inter alias, *l* 9. *ſup.* ita *hac l.* in eadem re perpetuo iure poſſidentes a conductoribus patrimonii. Hinc *l.* 1 *Cod. Iuſt. de off. Com S. P.* expreſſe: *totius perpetuarii, hoc eſt* (alii *Codices* habent, *Vel,*) *emphyteuticaris iuris exactio.* Hinc & Græci ad *l.* 20. *inf. h. t.* quæ eſt *lex* 15. *Cod Iuſt. de excuſ. munerum*: perpetuo iure diſerte explicant, emphyteutico iure: Ita igitur quoque accipienda illa Valentiniani *Nouella* 8. *de præſcript.* 30. *annor. Iuuat itaque iuris perpetui, emphyteutici, patrimonialis, iuris Reipubl. vagas æternaſque calumnias* &c. De horum denique fundorum & poſſeſſorum Emphyteu-
P. 125. ticorum priuilegiis & immunitatibus dixi in *dicto paratitlo*, de hac nominatim immunitate ab extraordinariis ad *d. l.* 9. *ſupr.* Et hæc de primo *huius legis* capite.

Secundo capite Gratianus Imp. *ſuburbicarias* partes ſeu regiones, a tyronum præſtatione immunes eſſe iubet. Aliter Valentinianus Tertius poſtea in ſp. *Nouellæ*, quæ inter *Theodoſianas* eſt 41. *de tironib. leg.* 2. De his ſuburbicariis regionibus iam ſæpe *ſupra hoc libro*: Quas qui ab Vrbicariis diſtinguunt, largiter fallunt: vt alibi pluribus oſtenſum eſt. Quod vero *ſuburbicariæ partes* dicuntur, quæ alibi *regiones*, *prouinciæ*, id eodem modo dicitur, pro tractu videl. & diœceſi: quomodo Ægypti ſeu Ægyptiacæ partes *l.* 14. *infr. de nauicular. l. vlt. infr. de Epiſcopali iud.* Rufino *lib.* 10. *c.* 4 Illyrici ſeu Illyricianæ partes, *l.* 25. *ſup. de petitionib. l.* 49 *infr. de operib publ* Italiæ partes, *l.* 15. *infr. de Epiſcopis*: Italiæ tranſmarinæ partes, in *concil Carthag.* vid. *Cod. Can. Eccl. Afr. num* 56. *pag.* 895. *initio Tom. I Concil. Hard.* Orientis partes *l.* 3 *ſup. de milit. veſte. l* 3. *de fide Cathol.* verum de hoc plura in *Notitia Imperii noſtra.* Hoc interim priuilegium ſuburbicariarum regionum notandum, vt cum ab aliis prouinciis Tyrones exigerentur, ab his immunes eæ eſſent. Quod procul dubio datum Vrbi Romæ, cuius diœceſim hæ conſtituebant: Quomodo & peculiaris alias ſæpe earum ratio habita.

Poſtremo capite videtur Gratianus id iubere, frumenti & equorum exactionem omnibus ex æquo imminere debere, etiam Actoribus & Conductoribus rei priuatæ, & emphyteuticariis, vid. & *l. vlt. infr. de collat. fundorum*: etiam ſuburbicariis partibus: Quod non puto: verum id iubere videtur Gratianus, vt ſumma *celeritate* frumenti & Equorum imperata collatio exigeretur: quandoquidem præſens neceſſitas vrgeret.

Neque illud omittendum, ex ſubſcriptione Dat. TRAV. liquere *hanc l.* tribuendam Imp. Gratiano: vt maxime Præfecti Prætorio Italiæ & ſuburbicariarum patrium in ea fiat mentio: nam vt maxime, quod alibi prolixe oſtendo, Valentiniano Iuniori Italia & Vrbs Roma ceſſiſſet, attamen Gratianus vtrobique hoc tempore, Valentiniano admodum iuuene, imperabat.

XIII. (a) Idem AAA. ad Hypatium PF. P. (b)

PRIVATÆ rei noſtræ priuilegiis permanentibus, nihil extra ordinem prædia iure perpetuo (c) conſignata ſuſtineant, neque abiectis (d) ſæpius, ac præter primum delegationis (e) canonem (f) poſtulatis, adficiantur impendiis: Quandoquidem, neque aurario canoni, ſub (g) priuilegiis æſtimato, aliquid ex (h) ea iubentibus nobis præbitionum diuerſitate decutitur: (i) & pari cum ceteris æſtimari ſorte non conuenit, quos præter annonarias functiones æſtimata (k) perpetuo penſionum prærogatiua nexuerint. (l) PP. Karthag. Id. April. Poſt conſ. Syagrii & Eucherii [382.]

NOTAE.

(a) *L. 10. Cod. Iuſt. de excuſ. muner. GOTHOFR.*

(b) *Hypatii* huius Geminam Præfecturam memorat Ammianus Marcellinus *lib. 29. cap. 2.* '*Inter quos*, inquit, *omnes adoleſcentia & virtutum pulchritudine commendabilis noſter* HYPATIVS *præminebat*: *vir quieti placidique conſilii, honeſtatem lenium morum velut ad perpendiculum librans: qui & Maiorum claritudini gloriæ fuit: & ipſe poſteritatem mirandis actibus* PRÆFECTVRÆ *Gemina decorauit.* Ex quo etiam Ammiani loco liquere poteſt, quando Ammianus ipſe Hiſtoriam ſuam ſcripſerit, nempe per hæc ipſa tempora. Verum de eo plenius *in eius ipſius Vita.* Geminam autem Præfecturam cum ait Ammianus, intelligit Præfecturam vrbis, quam geſſit A. 379. vt docet *lex 26. infr. quorum appellat.* & Præfecturam Prætorianam, quam geſſit A. 382. 383. vid. *Indicem perſonarum*, & *Conſularia Theod.* Eidem ſane inſcribitur mox *lex 15. infr. h. t.* Cuius autem Præfecturæ Prætorianæ Præfectus fuerit Hypatius, docet ſubſcriptio *huius legis*, *PP. Karthag.* vid. & *d. l. 15. infr. ID.*

(c) *Perpetuo* iure conſignata prædia. Dixi ad *leg. 12. prox ſupr. ID.*

(d) *Adiectis*, in *C. Iuſt.* quod melius: quanquam poſſit quis *abiectis* hic interpretari pro ſordidis & extraordinariis muneribus, quod Cuiacius probabat. Illud tamen malim, propter cohærentem vocem *ſæpius*, & quæ mox ſequuntur. *ID*

(e) *Delegatio*, *h. l.* & *l. 8. ſupr.* dixi ad *titulum*, *de annona & trib. ID.*

(f) *Canon* eſt tributum ſeu indictio ordinaria. *ID.*

(g) Id eſt, intuitu eorum priuilegiorum & immunitatis ab extraordinariis muneribus. *ID.*

(h) Id eſt, ob eam & nouam extraordinariorum munerum indictionem. *ID.*

(i) *Decutitur* id eſt, remitti ſolet. *ID*

(k) *Aeſtimatas perpetua*, Cod. Iuſt. vulg. Edit. *RITTER.*

(l) Ita quoque C. Iuſt. *nexuerunt*: Verum reponendum, *nexuerit. GOTHOFR.*

COMMENTARIVS.

PRIVATÆ res Principis perpetuo iure conſignatæ, ſeu perpetuariæ, id eſt, emphyteuticæ (de quo plene dixi *ad legem ſuperiorem*) hac quoque Valentiniani Iun. conſtitutione ab extraordinariis muneribus immunes eſſe iubentur, vt quamplurimis iam *huius tit.* legibus.

Neque hæc *lex* quicquam præcipuum habet, niſi quod huius immunitatis rationem adſignat, ſimul & conditionem huiuſmodi fundorum perpetuorum declarat; Nempe ait, *pari cum cæteris ſorte æſtimari eos fundos non oportere*; quia iam grauiore penſione quam cæteri ſunt nexi. Quæ ipſa ratio inculcatur *l. 17. infr. h. t. cogendarum*, inquit, *intuitu penſionum.* Præter annonarias ſcil. functiones hi fundi præſtabant quoque canonem aurarium, Id eſt, certam & ſolennem auri penſionem, quod etiam docet *lex 2. Cod. Iuſt. de fundis patrimonialibus*: *lex 1. ſupr. hoc tit. lex 8. infr. de collat. fund. patrim.* quod alii non præſtabant: Nempe *propter prærogatiuam perpetuæ poſſeſſionis*, & quidem eo maiorem, quod ab extraordinariis nominatim muneribus immunes, futuri erant. Id enim eſt quod ſibi volunt hæc verba, *aurario canoni ſub priuilegiis æſtimato*; ac ſi dixiſſet, penſionem auri eo maiorem huiuſmodi fundis impoſi & imminere, p. 186 quod priuilegio immunitatis ab extraordinariis potituri ſint: quare iniquum futurum, ſi extraordinariis inſuper ſubiiciantur, quibus penſandis compenſationis iure quodam eo grauiori canoni ordinario ſubiiciuntur: ac maxime, cum ex ſolenni illa & canonica penſione nunquam quicquam *decuti*, id eſt, remitti aut detrahi a Principibus ſoleat; In quo verum ſibi dixit Valentinianus: nam ita adſolet, vt quæ canonica ſemel facta ſont, nunquam remittantur. Atque his obſeruationibus, quas dixi, hæc *lex* ſingularis eſt, quæ & ipſæ ferme contioentur, *l. 1. ſupr.* & *l. 17. infr hoc tit.*

Tandem & hic illud ſingulare, quod hæc *lex* proprie pertinet ad *Africam* & immunitatem fundorum illorum, quos dixi, per Africam, vt docet *huius leg.* ſubſcriptio *PP. Karthag.* a qua certe immunitas hæc initium duxit: *l. 1. & 9. ſupr.*

XIV. (a) Idem AAA. ad Syagrium PF. P. (b)

EOs qui cum honore *Comitum*, (c) nomine *Magiſtrorum*, (d) memoriæ præfuerint, (e) vel epiſtulis, vel libellis: item eos qui ibidem peragendis ſignandiſque Reſponſis

Noſtræ

Noſtræ Manſuetudini (f) obſecundant, (g) omnium vilium (h) munerum, ac (*) totius *Capitulariæ*, (i) ſiue (vt rem, quam volumus intelligi, communi denuntiationi (k) ſignemus) *Temonariæ* (l) functionis, fieri iubemus exſortes, ita (**) vt eorum vniuſcuiuſque adſcribtio excuſetur: non, vt vnus alterius excipiat, ſi etiam eius ſummæ ſit, vt recipere poſſit adiunctos, ſed, aut ſuum tantum munus agnoſcat, aut ſi conplacito (m) opus eſt, magis alteri ipſe ſocietur, quam eidem alter annectatur: Hii igitur (n) qui ex eo gradu e Palatio noſtro abſceſſerint, adeſſe (o) ſibi conpetentia priuilegia glorientur. Qui vero ſuperioribus (p) dignitatibus creuerint, nihilominus huius loci priuilegia præſto ſibi fuiſſe (q) lætentur. Lecta III. Kal. Septembr. Capuæ, (r) Antonio & Syagrio Coss. [382.]

N O T A E.

(a) *Lex 11. C. Inſt. de excuſationibus munerum* GOTHOFR.

(b) *Syagrius* PP. Italiæ videlicet, quod docet ſubſcriptio, *Lecta Capuæ:* & forte etiam eius tantum Italiæ partis, quæ ad dextram Vrbis Romæ iacet, puta Campaniæ (in qua Capua metropolis,) Apuliæ, Calabriæ, Lucaniæ, Bruttiorum. Turbata enim hac tempeſtate admodum & in varias diſcerpta partes fuit, quæ vnica antea Præfectura Prætoriana Italiæ erat. *ID.*

(c) De his *Comitibus* fuit ſupra titulus *lib. 6. tit. 26. De proximis Comitibus diſpoſitionum:* vbi vide quæ dixi ad *leg* 10. & 11. *ID.*

(d) De huius loci interpunctione Marcil. *in Veſpaſ. c.* 21. *ID.*

(e) *Præfuere*, Cod. Iuſt. *RITTER.*

(f) *Manſuetudinis*, Cod. Iuſt. *ID*

(g) Ita *obſecundatores* ſacrorum ſcriniorum *l. 3. ſupr de prox. Com. diſp* vbi vid. quæ dixi. *GOTHOFR.*

(h) *Ciuilium* C. Iuſt. non ita recte: *Vilia* ſunt ſordida. *ID.*

(*) Sequentia, de Capitularia & temonaria functione recidit Tribon. *ID.*

(i) De *Capitularia* functione, id eſt, capitum ſeu tyronum exigendorum onere, dixi ad *leg. 7. ſupr. de tyronib ID.*

(k) *γρ. Denuntiatione*; & hoc pro enunciatione. *ID.*

(l) De *Temonaria* functione, id eſt, auri tyronici, ſeu pretii loco tyronum collatione, exactione, dixi ad *eandem leg 7. ſupr. de tyronib.* Quanquam hic locus ita legendus videatur, *Turmariæ & Temonariæ functionis:* nam vtraque ſpecies fuit capitulariæ: Illa erat ipſorum tyronum exactio; hæc pretii. *ID.*

(**) Sequentia vſque ad, *ſi igitur*, recidit Tribon. *ID.*

(m) *Complacitum*, hic eſt ἐπιβολὴ, adiectio fundi ad alterum fundum & ſociatio. Quid ſi legamus, *compartito*? *ID.*

(n) *Igitur qui ex eo gradu Palatio noſtro adhæſerint:* ita *C. Iuſt. ID.*

(o) *Adeſſe* ſibi, id eſt, ſuffragari, competere. *ID.*

(p) Id eſt, ad ſuperiores dignitates peruenerint. *ID.*

(q) Forte, *eſſe. ID.*

(r) Hanc ſubſcriptionem iam expendi *ſupr. not. b. ID.*

C O M M E N T A R I V S.

COMITES, MAGISTRI memoriæ, Epiſtolarum, Libellorum; item Memoriales Epiſtulares, Libellenſes, qui ſcil. in illis ſcriniis & Cancellariis, vt hodie loqueremur peragunt & ſignant reſponſa Principis, (de quibus omnibus ſuo *titulo lib 6 de proximis Comitibus diſpoſitionum cæteriſque qui in ſacris ſcriniis militant*) ab omnibus vilibus, id eſt, ſordidis muneribus hac Valentiniani Iun. conſtitutione immunes eſſe iubentur: ac nominatim a tota functione *Capitularia*, id eſt, a turmarum ſeu tyronum ipſorum (vnde *turmaria* functio) vel eorum loco, pretii (vnde *temonaria* functio de quibus omnibus *l 7. ſupr. de tyronib.* exactione, de qua ipſa immunitate Comitum horum & Magiſtrorum cœterorumque ſcriniariorum ſunt *l 14 15. d. tit. de proximis Comit. diſpoſ.* & *l. vnic. qui a præb. tironum.*

In tantum hac immunitate donantur, vt etſi e Palatio poſtea, id eſt, ex hoc munere receſſerint, vel etiam ad maiores dignitates aſcenderint, eadem immunitate porro potiantur: De quo, & ſimilibus, dixi plene ad *d. l. 14.* Sed & *Equorum* pariter iiſdem immunitas tributa aliis Conſtitutionibus; puta *l 3.* (quæ hoc ipſo anno data eſt, eodemque pertinet quo *hæc* noſtra) & *d. l. 14 15. ſupr. de prox. Comit. diſpoſit.* & *l. vn. infr qui a præbitione tyronum & equorum excuſentur.*

Pertinet hæc *lex*, pariter vt *lex 15. prox infr.* & *d. lex 3. ſupr. de proxim. Comitib. diſpoſ* (quæ ambæ etiam hoc ipſo Anno datæ ſunt) ad ILLYRICIANÆ expeditionis neceſſitatem: De qua videndus eſt Zoſimus *lib. 4. cap. 31. 32. 33.* Huius expeditionis ſcil. gratia Theodoſius Imperator, *Gratiani & Valentiniani* ſubſidium & auxilium implorare coactus fuerat: Eadem igitur vrgente, Tyronum & Equorum collationem ad militare ſubſidium Valentinianus Iun. Honoratis indicere neceſſe habuit: a qua tamen nonnullos vt *hac leg.* ita *dictis duabus legibus* excipiendos credidit. P.12[illegible]

Vnum ſupereſt in *hac leg.* obſcurum quod omiſſum *Cod. Iuſt.* & continetur *verſ. ita vt*, vſque ad *Ii igitur:* Quod tamen lucem accipit ex *l. 7 ſup.*

P. 117 *de Tironibus.* Nempe pertinet iſtud, ad Adiunctionem ſeu coniunctionem plurium conſortium, qui ſinguli tironi ſoluendo non ſufficiunt, ad tironis vel eius loco pretii ſolutionem: quæ quidem adiunctio ſeu coniunctio *Complacitum* hic vocatur, ſi ea vox recte habet.

XV. (a) Idem AAA. ad Hypatium PF. P. (b)

MAXIMARVM (c) culmina (d) dignitatum, Conſiſtoriani quoque Comites, Notarii (e) etiam noſtri, & Cubicularii omnes, atque ex Cubiculariis, ab omnibus *Sordidis* muneribus vindicentur: Ceteros autem, Palatina, vel Militari (f) intra Palatium prærogatiua munitos, ita demum priuilegium ſimile contingat, (g) ſi prioribus ſtatutis (h) ſe ad eiuſmodi exactionem (i) docuerint pertinere: vt non ſingulis indulta perſonis, ſed in commune (k) dignitati vel corpori eiuſmodi beneficia doceantur fuiſſe conceſſa circa Eccleſias, (l) Rhetores, atque Grammaticos eruditionis (m) vtriuſque vetuſto more durante. Sane rerum *Extraordinariarum* (*) munus ab omnibus omnino Magnificentia tua ſciat eſſe poſcendum, nec poſthac aut petitionem, aut vſurpationem cuiquam meminerit profuturam, *Sordidorum* vero *munerum* talis exceptio (n) ſit, vt patrimoniis dignitatum ſuperius digeſtarum (o) nec conficiendi pollinis cura mandetur, aut panis excoctio, aut obſequium piſtrini: ne (p) parauredorum huiuſmodi viris (q) aut parangariorum præbitio mandetur, (exceptis his, quibus ex more Rheticus limes includitur, (r) vel expeditionis Illyricæ (s) pro neceſſitate vel tempore vtilitas adiuuatur) operarum, (t) atque (v) artificum diuerſorum, (x) excoquendæ etiam calcis (y) obſequia, nulla de talibus adiumenta poſcantur: materiam, (z) lignum, atque tabulata exceptorum (aa) virorum patrimonia non præbeant: Carbonis quoque (niſi eum quem moneta ſolemniter, vel fabricatio ſecundum veterem morem poſcit armorum) (bb) ab huiuſmodi viris præbitio deſiſtat: Publicis vel Sacris ædibus conſtruendis (cc) atque reparandis, hoſpitalium (dd) domorum minime cura, (ee) ſubiaceant: Viarum (ff) & pontium talis (gg) ſollicitudo non oneret: Capituli (hh) atque Temonis neceſſitas nulla mandetur. Legatis (ii) atque Allectis (kk) ſumptus, poſſeſſio, huiuſmodi priuilegiis munita, non ferat. (ll) Hoc tamen his patrimoniis proſit, quæ dignitatem proprio videntur (mm) nomine poſſidere, ita (*) vt perſonis ac dignitatibus indulta beneficia tandiu vnicuique quandiu ſuperfuerit ſuffragentur. Omnes autem quorum dignitates atque perſonas hac lege perſtringimus, (nn) non ſolum quandiu militauerint, verum etiam poſt miſſionem, atque etiam eos qui ſimili honore perfuncti (oo) ſunt, generali prærogatiua a præbitione ſordidorum munerum vindicamus. Dat. v. Id. Decembr. Antonio & Syagrio coss. [382.]

NOTAE.

(a) *Lex 12. Cod Iuſt de excuſationibus munerum.* Concordat autem *huic legi* omnino *lex* 18. *infr. hoc tit.* cum qua hæc conferenda eſt. *GOTHOFR.*

(b) De hoc *Hypatio* dixi ad *leg* 13. *ſupr. ID.*

(c) *Ampliſſimarum, etiam militari faſtigio, nomina dignitatum:* ita *d. l.* 18. *infr. ID.*

(d) Sic & *diuerſa culmina dignitatum l.* 1. *ſup. de Conſulibus. ID.*

(e) De *Notariis*, & *Cubiculariis* cæteriſque nihil in *d. l.* 18. *infr. ID.*

(f) Intelligit Comites & Tribunos Scholarum, Decuriones, ſilentiarios & ſimiles, de quibus *lib.* 6. *ID.*

(g) In C. Iuſt. *contingat*, male. *ID.*

(h) Id eſt, Superiorum Principum conſtitutionibus. *ID.*

(i) *γρ. Exceptionem*, quomodo etiam habet *Codex Iuſtin.* nam & ita mox: *Sordidorum munerum talis exceptio ſit:* item: *exceptorum virorum patrimonia non præbeant:* & *l.* 18. *infr. exceptas lege prohibeamus obire perſonas.* Vel, *excuſationem* vel *exemptionem. ID.*

(k) *Singularis iuris* definitionem obſerua; quod ſcil. in commune Dignitati aut Corpori alicui conceditur. *ID.*

(l) Hæc ſententia continetur pariter *d. l.* 18. *infr.* At enim *C. Iuſt* quod de *Eccleſiis* hic dicitur, recidit Tribonianus. Sane & Baronius in *Annales ſuos* non retulit, de quo mox. *ID.*

(m) *Inſtitutionis vtriuſque*, ita *d. l.* 18. *infr.* id eſt, vt dicitur *l.* 11. *infr. de Medicis & Profeſſor.* Atticæ Romanæque doctrinæ: vbi v. quæ dico etiam ex *Gregor. Nazianz. ID.*

(*) Hæc ſententia abeſt a *C. Iuſt.* ſed primum locum occupat in *d. l.* 18. *inf. ID.*

(n) Id eſt, enumeratio, vt habetur *dict. l.* 18. *infr.* & deſignatio. Eadem porro enumeratio habetur *dict. l.* 18. *infr.* quanquam non eodem ordine vbique. *ID.*

(o) *Digeſtarum*, id eſt, enumeratarum. *ID.*

(p) *Nec*, C. Iuſt. *ID.*

(q) *Iuris*

(q) *Iuris*, Cod. Iuſt. *ID.*

(r) Omnino hic reponendum eſt, *inſtruitur*: vt mox, adiuuatur. *Inſtruitur* autem, nempe paſtus militaris tranſlatione, vt *d l.* 18. *infr.* additur. Neque enim parangariis limes includitur, ſed earum præbitione limes annona militari & limitanea inſtruitur; ita *inſtrui manſiones* dicuntur *l.* 21. *ſupr. de annona & trib. Inſtructio prouinciæ*, *l.* 28. *infr. de ſuſceptorib. ID.*

(s) Olim in *C. Iuſt. illicitæ:* Verum ex MS. iam ibi reſtituit Alciatus *Illyricæ*, quod *hic* expreſſum. *ID.*

(t) De *Operarum* collatione fuit *ſupr. titulus*, *Ne operæ a conlatoribus exigantur ID.*

(v) Male C. Iuſt. *operarum quoque artificum.* Sane & ita *d. l.* 18. *infr. operas atque artifices. ID.*

(x) V. quæ ad *l.* 2. *ſupr. ne operæ. ID.*

(y) De *Calcis excoquendæ* munere hoc, v. & *l.* 3. 4. *ſupr. de decur & ſilent. ID.*

P 118. (z) Male C. Iuſt. *materiam lignorum atque tabulata.* Nam & ita quoque *d. l* 18. *infr. non conferendis, tabulatis obnoxia, non lignis, indultam quoque materiem ſub eadem exceptione numerabis:* & recte. De quo mox. *ID.*

(aa) Id eſt, eorum, quos ſuperius excepimus. *ID.*

(bb) Ita quoque *l.* 18. *infr carbonis ab eo inlatio non cogetur, niſi vel monetalis cuſio, vel antiqua more neceſſaria fabricatio poſcit armorum. ID.*

(cc) *Conſtituendis* C. Iuſt. Edit. nonnullæ, ita quoque *d. l.* 18. *nullam ſollicitudinem publicarum ædium vel ſacrarum conſtituendarum reparandarumve ſuſcipiet. ID.*

(dd) Hæc abſunt a *C. Iuſt.* & *d. l.* 18. *infr. ID.*

(ee) Pro *curæ*: & locus hic ita conſtituendus: *Publicis vel ſacris ædibus conſtruendis atque reparandis, Hoſpitalium domorum curæ, minime ſubiaceant. ID.*

(ff) Et hæc ſententia abeſt a *C. Iuſt.* propter *legem vlt. infr. de itinere muniendo;* quam Iuſtinianus prætulit. *ID.*

(gg) Pro, *tales. ID.*

(hh) De *Capituli* & *Temonis* neceſſitate dixi iam ad *legem* 14. *ſupr.* & pleniſſime ad *leg.* 7. *ſupr. de tyronib.* In Cod. Iuſt. vulgat. legitur, *capitalis atque temonis. ID.*

(ii) *Legatis* ad Principem miſſis viatica ex indictione & collatione præbita: de quo mox. *ID.*

(kk) De *Adlectis* his mox. *ID.*

(ll) *Conferat*, Cod. Iuſt. *ID.*

(mm) Id eſt, proprio nomine poſſideat. *ID.*

(*) Sequentia recidit Tribon. vſque ad, *etiam eos qui. ID.*

(nn) Enumeramus, excipimus. *ID.*

(oo) *Functi*, C. Iuſt. *ID.*

COMMENTARIVS.

IMMVNES a ſordidis vel extraordinariis muneribus, an & qui habendi ſint, quæoam item *ſordida* proprie munera ſint, hac prolixa conſtitutione definit Valentinianus Iunior: cui gemina, germana eſt Theodoſii M. *lex 18 infr. hoc tit* & proculdubio ex hac illa tranſſumpta; ſic tamen, vt duo ibi exempla ſordidorum munerum omittantur, quomodo & a *Cod. Iuſt.* abſunt. Quare & inter ſe collatæ, mutua luce colluſtrantur. Et alioquin hæc ſui amplitudine iuſtum & prolixum commentarium deſideraret, ſi ſola interpretanda nobis eſſet, & niſi ex aliis *titulis* & *legibus*, ad quæ digitum intendemus, lucem acciperet.

Res eo redit, ab extraordinariis oneribus neminem excuſari poſſe, & vt *l.* 18. dicitur, communis hæc omnibus populis functio eſſe debet, & ab omnibus indiſcretim meritis atque perſonis impleri oportet. Quæ quidem ita hoc tempore Valentiniano Iun. & Theodoſio M. viſa propter expeditiones & neceſſites Illyricanas, quas Zoſimus deſcribit *lib. 4. cap.* 30. 31. 32. 33. quarum etiam mentio fit *hac ipſa leg.* & *d. l. 18. infr.* de quibus etiam iam dicere anteuerti ad *leg.* 13. *ſupr.* & *ad l.* 3. *ſupr. de prox. Comit. diſpoſ.* quæ hoc ipſo anno eidem Hypatio inſcribuntur: & illa quidem poſtrema, paucis poſt hanc diebus lata, qua *huic l.* ex parte derogatur: Ab extraordinaria quippe equorum collatione ad militare ſubſidium Honoratis indictorum cæteriſque de collatiuo omnium extra ordinem poſtulatis, obſecundatores ſacrorum ſcriniorum immunes redduntur.

Illud etiam hac parte ſingulare eſt, quod *Eccleſiæ* quoque, vt *hac l.* ita & *d. l.* 18. extraordinariis collationibus ſubiiciuntur; quod tamen Honorio Imp. poſtea diſplicoit *l.* 21. & 22. *infr. h. t.* & *l.* 29. 30. 34. 38. 40. *infr. de Epiſcop. Eccleſ. & Clericis.* Tantum abeſt ſcil. a canonicis illationibus immunes fuerint, de quo dixi pleniſſime ad *d. l.* 40 etſi a ſordidis muneribus immunes fuerint, de quo mox. Et hæc de extraordinariis, id eſt, ſuperindicto & collatione extraordinaria.

Atenim a SORDIDIS muneribus immunitas *hac l.* nonnullis tribuitur, & *d. l.* 18. qui *hac l.* exprimuntur: mox munerum ſordidorum enumeratio fit. De perſonis prius. Nempe octo hominum generibus hæc immunitas tribuitur, puta I. Maximarum Dignitatum culminibus, ſeu Ampliſſimarum Dignitatum nominibus, etiam militari faſtigio (quod additum *l.* 18. *inf.*) id eſt, Præfectis Prætorio, Præfectis Vrbi, Magiſtris militum, Comitibus S. L. & R. P. Quæſtoribus, Magiſtris Officiorum, de quibus *tit.* 6. 7. 8. *ſupr. lib* 6. Verum & his poſtea Honorius immunitatem tribuit ab extraordinariis, *l. vlt. infr. h. t.* II. Conſiſtorianis Comitibus, de quibus plene & *tit.* 12 *lib.* 6. & *ad l.* 3. *ad leg. Cornel. de ſicar.* Et hactenus quidem de Perſonis & dignitatibus quibus hæc Immunitas tribuitur tam *h. l.* quam *d. l.* 18. ſequuntur aliæ *hac leg.* at non itidem in *d. l.* 18.

tres

tres ſequentes. III. igitur *hac l.* Immunitas hæc tribuitur & Notariis de quibus *tit. 10. lib. 6.* IV. Cubiculariis & Excubicularis, de quibus *tit. 8. lib. 6.* V. Palatinis & militaribus intra palatium: ſi modo oſtenderent, hanc immunitatem in commune Dignitati ſuæ aut Corpori iam olim tributam: Quibus verbis indicantur ea omnia Comitum genera de quibus *tit. 13. 14. 15. 16. 17. 18. 19. 20. lib. 6.* Item de quibus *tit. 23. 24 25. 26. 27. 28 29. 31. 32. 33. 34. 35.* Neque enim audiendus eſt Cuiacius, qui Palatinos hic Apparitores Comitum R. P. proprie accipiendos putabat: & per militares, Agentes in rebus ferme tantum accipiebat. Hactenus Dignitates & Officia Palatina: Nullis aliis enim hæc Immunitas tribuitur, niſi nominatim id dignitati ſuæ vel Corpori indultum oſtenderint, non ſingulis perſonis. Multum enim differunt hæ duæ priuilegiorum ſpecies. VI. *Eccleſiis* eadem Immunitas a ſordidis muneribus tribuitur, vel potius relinquitur, *vetuſto*, inquit, *more durante:* Nempe cum anterioribus Principum Conſtitutionibus tum a ſordidis, tum ab extraordinariis, Eccleſiæ immunes eſſent, quoad *Extraordinaria* a vetuſto more *hac leg.* & *d. l. 18.* receſſum: quoad *Sordida*, vetuſtus mos durare iuſſus VII. & VIII. Rhetoribus & Grammaticis tam Græcis quam Latinis eadem tribuitur immunitas & *hac l.* & *d. l. 18.* de quibus vid. *tit. 21. de profeſſor. qui in Vrb. Conſtantinop. lib. 6.* & *infr. t. 3. de Medic. & Profeſſ. lib. 13.* ac nominatim *legem 11. eius tit.* & *l. 3. infr. de ſtud. liber. V. R.*

His ita circa perſonas diſtinctis, ſequitur iam (quod ſecundum caput eſt) deſignatio ſordidorum munerum, de quibus nunc, quæ quidem Quatuordecim numero *hic* deſignantur, pauciora in *d. l. 18.* & alio etiam ordine.

Primum ſordidum munus eſt *h. l.* & *l. 18 Pollinis conficiendi cura:* & ſic pollintoris munus & obſequium.

Secundum, *Panis excoctio:* de quo *ſupr. tit. de excoctione vel transl. annon.*

Tertium, *Piſtrini* obſequium: de quo *infr. tit. de piſtoribus.*

Quartum, *Parauredorum* & *Parangariarum* præbitio: de quibus *tit. de curſu publ.*

P.129. Quintum, *Operarum* & *Artificum* diuerſorum præbitio: de quibus *ſupr. tit. ne operæ a conlatorib.*

Sextum, *Calcis* coquendæ obſequia: de quo *inf. tit. de calcis coctoribus.*

Septimum, *Adiumenta*, a talibus poſci vetantur: quorum nulla mentio fit in *l. 18. infr.* vt neque in *Cod. Iuſt. Adiumenta* interpretor carpenta, vehicula, iuncturas, vecturas, materiis &c. ſubuehendis: de quibus mox: pariter vt apud Marcellinum loco quem mox ſignabo, *ad ciuitates reparandas, materia & carpenta* iunguntur. *Proſecutoriarum adiumenta in his*, de quibus *l. 7. de priuil. eorum qui in S. Pal.* ſic & *adiumentis militum* dicuntur opera militario excitata, apud Am. Marcellinum.

Octauum munus ſordidum eſt *Materia, Lignorum & Tabulatorum* præbitio: Quomodo etiam *l. 18. infr. Non conferendis tabulatis obnoxia, non Lignis, indultam quoque materiem ſub eadem exceptione numerabit.* Tria nempe hæc in vſus militares diuerſa ſunt: quæ Tribonianus male duo tantum hic fecit: ita; *materiam lignorum atque tabulata.* Materie ſcil. de trabibus proprie quoque dicebatur, veluti ad compingenda nauigia, cuius indictio quandoque extra ordinem facta, vt docet *lex 4. inf. de nauiculariis: lex 55. D. de legatis 3.* Quomodo & materia ferri, de qua *l. 2. ſupr. de fabricenſibus.* Eoque ſenſu Am. Marcellinus *lib. 17. cap. 10. ciuitates quoque reparari, vi barbarorum exciſas, carpenta & materias ex opibus ſuis ſuorumque praberet.* Pro quo in eadem re Libanius *Orat. funeb. Iuliani pag. 279. edit. Morell.* ξύλα τε καὶ σίδηρον dixit εἰς ἀνάστασιν οἰκιῶν, *ligna & ferrum ad ædium inſtaurationem.* Hinc & quinquagenariæ longioreſque materiæ apud eundem Marcellinum *lib. 18. cap. 10.* Tabulata autem ſunt aſſeres: Ligna vero ad haſtilia & ſagittas: Vegetius *lib. 4. cap. 8. Seruantur in conditis:* Ligna *quoque haſtilibus, ſagittiſque neceſſaria reponuntur,* Trabes *quoque &* Tabvlata, *vel diuerſæ magnitudinis clauos ferreos eſſe oportet in promptu.* Quare Cuiacii error eſt, qui ligna comburendi cauſa hic accipit, & quidem lauacris publicis: materiam vero, operibus publicis. Omnia enim hæc in militarem ferme vſum collata.

Nonum munus ſordidum eſt, *Carbonis* præbitio. Cuius vſus multiplex & collatio diuerſa: Alia ſcilicet extraordinaria, alia vero ſolemnis & ſecundum veterem morem; puta in vſura monetæ & fabricationis armorum: Quæ omnia pariter exprimuntur *d. l. 18. Carbonis*, inquit, *ab eo inlatio non cogetur, niſi vel monetalis cuſio, vel antiquo more neceſſaria fabricatio poſcit armorum.* Ergo extra hos duos vſus ſolemnes, ad quos omnes tenebantur, Carbones extra ordinem collati in vſum militarem. De his Vegetius *lib. 4. c. 8. Ad arma facienda ferrum vtriuſque temperatura, & carbones ſeruantur in conditis.*

Decimum munus ſordidum eſt, *Publicarum vel ſacrarum ædium conſtruendarum cura*, ſeu ſollicitudo: quod & ipſum dicitur *d. l. 18.* De hoc munere ſeu cura extruendi vel reficiendi operis publici, *l. 4. 18. §. 10. D. de munerib. & honorib.*

Vndecimum munus inter ſordida *hac l.* collocatur, cuius nulla mentio fit in *leg. 18. hoc tit.* (quomodo & iſtud Tribonianus repudiauit) eſt *Hoſpitalium domorum cura.* Hi quibus hæc cura committitur, videntur Xenoparochi, quorum munus inter perſonalia recenſetur ab Arcadio Chariſio, *l. 18. § 10. D. de munerib. & honorib.*

Duodecimum munus inter ſordida, *hic*, & *d. l. 18.* numeratur *Viarum & pontium conſtructionis ſollicitudo.* De hoc munere viæ publicæ faciendæ, muniendæ, agitur *l. 1. §. 2. l. 18. §. 7. D. de munerib. & honoribus.* Hoc vero omiſſum Cod. Iuſt. propter *l. vlt. infr. de itinere mun.*

Decimumtertium eſt, *Capituli & Temonis* neceſſitas: de quo iam ad *l. 14 ſupr.* & pleniſſime ad *l. 7. ſupr. de Tironib.*

Poſtremum munus ſordidum *hic* & *l. 18. infr.* ponitur *ſumptuum* præbitio ſeu collatio *Legatis & Allectis.* De duobus his ſigillatim. *Legatis* ad Principem miſſis viatica (ex indictione & collatione) olim præbita: vid. *l. 18. §. 12. D. de munerib. & honoribus, l. 2. in fin. D. de Legationibus.* Sidonius Appollinaris *lib. 5. ep. 20.*

de

de quibuſdam Legationem ambientibus: *vtque videantur in negotii communis aſſertione legati, euectionem refundunt, ipſoſque* SVMPTVS *vltro recuſant: Sic quoque cum fatigatio* GRATVITA *poſſit libenter admitti, libentius tamen atque amabilius verecundi leguntur, idque cum* EXPENSA: *tantum impudentia ſeſe ingerentium ponderis habet etiam* FASCIVM TRIBVTARIO NOMINE IPSORVM NIL SVPERFVNDITVR. Idque munuſculi nomine, idem Sidonius *lib. 5. ep. 7. Hi ſunt qui inuident tunicatis otia, ſtipendia paludatis, viatica veredariis, mercatoribus nundinas, munuſcula Legatis, portoria Quadruplatoribus* &c. Perperam enim id nonnulli ad Xenia referunt, quæ Legatis, id eſt Rectoribus prouinciarum dari ſolita. Porro Legatiua hæc Græcis dicta πορεῖα: vide Etymologicum.

Quod *Allectos* attinet, Græci *hic* τὺς ὑπὸ βασιλέως καλυμένυς interpretantur, id eſt, qui a Principe publici negotii ergo euocantur. Allectorum certe non vnum genus occurrit. Sunt *Allecti* de ſusceptorum genere, quo ſenſu accipiuntur *l. 11. 12. 13. infr. de Suſceptoribus: & l. 2. ſupr. de Quaſtionibus.* De his & Sidonius *lib. 5. d. ep. 7.* qui & ideo menſuras his tribuit. *Hi ſunt*, inquit, *qui inuident Arcariis pondera, menſuras* ALLECTIS, *ſalaria Tabulariis, diſpoſitiones Numerariis.* Interpres quoque ad *l. 2. infr. de Epiſcopis:* de *Clericis*, inquit, *non Exactores non adlectos facere.* Hi vero colligendis & perferendis ad largitiones tributis operam nauabant, vt docet *d. lex 11. 12.* & *13.* Quare & his ſumptus (pariter, vt Legatis ad perferendas preces miſſis) ſeu viatica ex collatione prouincialium data videantur. *Adlecti* alii a quibus & *Adlectionis* honos, de quibus *l. 10. ſupr. de Prætoribus: l. 1. ſupr. de decur. & ſilent l. 7. 8 9. 10 ſupr. domeſticis & protect. l. 7. de priuil cor. qui in S. Pal.* pro immunibus & immunitate a functionibus Senatoriis, ab onere Præturæ, quaſi ii iam tenera functi eſſent. Nullibi autem Allecti, pro Euocatis a Principe: etſi illud verum, Euocatis a Principe curſus publici copiam patuiſſe.

Sequuntur *Exceptiones.* Prima eſt ratione *Rhetici limitis:* Nempe ſordidorum munerum immunitas quæ tribuitur parauæredorum & parangariarum, ceſſare iubetur, vbi ex more Rhæticus limes inſtruendus eſt, id eſt, vt exblicat *l. 18.* vbi limes Rhætiarum paſtus militaris, id eſt, annonæ limitaneæ translationem pro ſolennitate depoſcit. Scilicet notandum (quod bonum Accurſium hic fugit) Rhætiam ſeu Rhæticum limitem Alemannicis populis, & inundationibus expoſitam ſubinde fuiſſe; vnde & proprius iſti limiti Dux iam olim & deinceps oppoſitus, quam in rem videndus eſt Vopiſcus *in vita Aureliani, cap. 13.* & in *vita Bonoſi cap. 14.* (de duo Vopiſci loca ſola *hic* laudat Alciatus) Ammianus Marcellinus *lib. 15. cap. 4. & lib 16. cap. 11. 12 lib. 17. cap. 6. lib. 28. cap. 2.* & *Notitia Imperii*, vbi *Ducis Rhatia prima & ſecunda* inſignia & prædia memorantur *fol. 172.* Et nominatim a Iuthungis Alemannis hac tempeſtate infeſtatus hic limes Rheticus: v. Ambroſium *de legatione ſua ad Max.* P. 130.
Proſperum & Idacium *in Chron* Sidonium *Carm. 7. v. 374* Annonam proinde & ſpecies annonarias ad limitem iſtum Rheticum tranſuehi oportuit, iiſque limitaneum militem inſtrui, adeo quidem vt huic ſpecierum tranſuectioni integræ legiones deputatæ fuerint, vt diſerte teſtatur Notitia Imperii *fol. 172. Præfectus Legionis tertia Italica, tranſuectioni ſpecierum deputata Fœtibus: Præfectus Legionis tertiæ Italica, tranſuectioni ſpecierum deputata Teriolis.* Quinimo & extra ordinem tranſuectioni iſti prouinciales parauæredos & parangarias præſtare cogebantur, vt ex *hac l. & d. l. 18.* apparet. Atque hæc ipſa onera Rhetica ſunt, quæ memorantur *l. vit. infr. de conlat. fundor. patr.* vbi ait, *mediam penſionem horum onerum ſoluere* IVSSOS *detentatores patrimonialium & emphyteuticorum fundorum.* Sane de hac annona Rhetica accipiendus quoque Auguſtini locus, *lib. 18. de ciuitate* Dei, *cap. 18. Annonam*, inquit, *inter alia iumenta baiulaſſe militibus, qua dicitur Retica, quoniam ad Retia (γρ. Retias) deportatur.* Nam quæ ibi de *Reticulopanis* nonnulli obſeruant, ſomnia ſunt.

Sententia extrema *huius l.* continetur Limitatio, & retro Ampliatio huius immunitatis a ſordidis muneribus: Nempe definitur: immunitatem iſtam a ſordidis muneribus perſonalem eſſe, & ſic, quod expreſſe additum *l. 18.* ne quidem vxoribus eorum competere: item vita finiri, & ſic ad hæredes non tranſire, quod *l. 17. prox. infr.* & *d. l. 18.* nominatim cauetur; Retro, eam Immunitatem quoque durare, quod & ipſum nominatim exprimitur *l. 19 infr* quæ *lex* occaſione *legis 18* lata eſt, & ad eam explicandam pariter vt *lex 16. prox. infr.* eodem fine lata huic explicandæ.

Altera exceptio eſt circa Carbonis præbitionem: nempe eos, qui a ſordida carbonis præbitione immunes ſunt, hac immunitate non frui, ratione carbonis in vſum monetæ, & fabricationis armorum.

XVI. (a) Imppp. VALENTINIANVS, Theod. & Arcad. AAA. ad Neotherium PF. P. (b)

SORDIDORVM munerum excuſatione (c) delata perſonis, ad heredem ſucceſſoremue tranſire non poteſt: Neque enim poteſt eſſe perpetuum, quod non rebus, ſed perſonis, contemplatione dignitatis adque militiæ, indulſiſſe nos conſtat. Igitur, (*) ne ſuperindictorum nomine cuiuſuis domus minus præſtet, neve quis id audeat poſtulare, Oraculi Noſtri definitione ſancimus. Dat. XVIII. Kal. Maii, Med. Arcad. A. I. & Bautone Coss. [385.]

eſt: *Tertio* (Præſecto Prætorio attribuit) *totam* ITALIAM *&* SICILIAM, *& circumiacentes inſulas, itemque Sardiniam, & Corſicam, &* AFRICAM *a Syrtibus Cyrenen vſque.* Et vero iis quoque finibus ſtetit trium ante Conſtantinum M. ordine ſibi ſuccedentium tetrarcharum imperium, vnde Præfecturæ exemplum mox propagatum; inde ab An. Dom. 293. puta Maximiani, Seueri, Maxentii, de quo dixi pleniſſime *in Apolytico priore, cap. 2.*

Secundo obſeruandum, Vrbicarias Regiones, vt ab Africa, ita ab Italia ſeparari, pariter vt *d. l. vn. ſup. ſi per obreptionem:* imo & Sicilia quoque de quo poſtea. Nempe, vt Vrbicariæ Regiones intra centeſimum conſiſtere; ita Italia, nullo alio adiecto, in Imperatoriis conſtitutionibus totum illud Italiæ ſpatium occupabat, quod vltra centeſimum procurrebat, vt docet *lex 2. ſup. de integri reſtitut.* Verum de eo peculiares iam ſunt libelli. Viderint ii tantum, qui Vrbicarias etiam in *Siciliam* protrahebant, quidnam *huic legi* tam apertæ, reſponſuri ſint: Iam enim confecta res eſt, imo profligata, vtriuſque partis conſenſu, eorum ſententia, qui in Africam & Illyricum quoque Vrbicarias producere auiſi fuerant. Quid enim apertius *hac lege?* vbi Vrbicariæ regiones non aliter a Sicilia ſeparantur quam ab Italia, medioque adeo inter eas loco, ceu diuerſæ, ponuntur. Sicilia igitur extra cenſum Vrbicariarum, non modo quia diuerſum Rationalem haberet, quod ſuffugium nuper Vir doctus quærebat, *p. 987.* Qui certe etiam Siciliæ peculiaris non fuit, verum trium prouinciarum in commune Rationalis extitit, Siciliæ, Sardiniæ, Corſicæ. Hoc vero *huius leg.* teſtimonio qui premi ſe vident, ad emendationem confugiunt: Aleandri *diſſertatione 1. cap. 2.* emendatio eſt, quam tamen neque ipſe admittit, quod pro *Siciliam*, hic *Illyricum* reponi forte poſſe tentabat. Perperam omnia. Illyricum quippe Occidentale, vt Con-
p. 122. ſtantini æuo, ita & hoc, Orientali cohærebat; neque dum Præfecturæ Prætorianæ Italiæ acceſſerat, id quod poſterius factum eſt. Atque hæc iam ratio eſt, cur ſub Valentiniano mox, *lex vn ſup ſi per obrept.* Præfecturæ Prætorianæ Italiæ diœceſibus Illyricum connumeratur, non etiam *hac leg.* pariter vt apud Amm. Marcellinum *lib. 26 cap. 5.* Morinus *lib. 1 Exercitationum, cap. 30.* inter alias coniecturas, Siciliæ vocem expungebat, vt conſuetudini illius temporis, inquit, contrariam, & a mente Imperatoria abſonam.

Tertio obſeruandum cumprimis, Primam & antiquiſſimam hanc occurrere nobis *Vrbicariarum* Regionum ſub Conſtantio mentionem; quæ nulla occurrit ſub Conſtantino M. & quidem, quod notari rurſum cupio, eo ipſo anno 359. vno tantum menſe ante *legem 1. inf. de calcis coctorib. V. R.* quæ vt *Orſito PF. V.* inſcribitur; ita *Quatuor Regionum* meminit, quæ ſub diſpoſitione Præfecti Vrbis fuerunt, quæ proinde non aliæ, quam Vrbicariæ iſtæ ſunt, vt ad *eam leg.* plenius oſtendetur. Inueſtiganti porro mihi, cur non antiquior huiuſce VRBICARIARVM nominis mentio occurrat, hanc cauſam ſuppeditat *lex 27. inf. de appellationib.* quæ anno 357. & quod excurrit, ante *hanc l.* data eſt. Nempe nouam Italiæ Regionem deſignationem *ea leg.* Conſtantius facere inſtituit: earum ſcilicet, ex quibus ad Præfectum Prætorio deinceps appellari vellet, & earum ex quibus ad Præfectum Vrbis, cum hactenus ex omnibus Italiæ regionibus Præfectus Vrbi eas ſibi vindicaret. Quare cum intra ſuam & peculiarem Vrbis diœceſin eum coarctaret, enata iam inde *Vrbicariarum* Regionum appellatio, quaſi quæ Vrbis diœceſin conſtituentes, ſolæ etiam ad Præfecti Vrbis diſpoſitionem pertinerent: Ideo quoque lex hæc *Roma propoſita* dicitur, ad cuius diœceſin nominatim ea pertinet. Atque hoc iam tempore peculiares *Rectores* vrbicariis regionibus & prouinciis dati videntur, cum antea non haberent, ac nominatim Tuſcia & Picenum, quæ peculiares deinceps Rectores habuit. Etſi poſtea quandoque coaluerint cum annonariis: de quo ad *l. 4 ſup de iuriſdict.*

Quarto, cum hæc *lex* agat de fundis patrimonialibus & emphyteuticis per Italiam, Vrbicarias Regiones, Siciliam & Africam, eo iam referendi ſunt *Rationales & Procuratores rei priuatæ*, qui per *Italiam*, per *Vrbicarias* ſeu *Suburbicarias Regiones*, per *Siciliam*, & per *Africam* memorantur in *Notitia Imperii.*

Illud quinto notandum *hac leg.* quod cum alias tres prouinciæ, puta Sicilia, Sardinia & Corſica, pari paſſu ambularent, & æquo iure agerent, ſub eodem Præfecto Prætorio, teſte vel Zoſimo *ſuperiore loco;* imo Rationalis vnus harum trium prouinciarum eſſet, hic tamen *Sicilia* vna nominetur, immunitateque ea, de qua *hac leg.* agitur, donatur, cuius cauſæ quærendæ ſunt. Item illud notandum, quod Sicilia & ab Vrbicariis regionibus & ab Italia ſeparetur, ſeu ſpeciatim poſt Vrbicarias regiones nominetur: proinde neutris accenſita, hoc æuo, neque *Italia* etiam, quod poſtea factum.

X. (a) Imp. IVLIANVS A. Secundo PF. P. (b)

NIHIL Prouincialibus indici ſine Noſtra Scientia fas eſt: Neque rurſus, ex his quæ ſunt indicta, referri. (c) Omnia igitur, quæ Conſuetudo, (d) vel diſpoſitio (e) noſtra amplectitur; hoc eſt curſum, (f) publicum, translationes, (g) itinerum (h) ſollicitudines, ceteraque ſimilia, cuncti poſſeſſores implere pariter conpellantur; *&c.* PP. (i) III. Id. Mart. Conſtantinop. Mamertino & Neuitta Coss. [362.]

NOTAE.

(a) Abeſt hæc *lex* a *Cod. Iuſt.* Iungenda autem *huic* eſt *lex 50. inf. de decurion. lex 4. inf. de luſtrali conlat. lex 1. ſup. de locatione fundorum. lex 2. inf. de protoſtaſia:* Imo & *lex 1. inf. de auro Coronario.* GOTHOFR.

(b) *Secundus* PP. ſub Iuliano. v. *Proſopog. ID.*

(c) Re-

(c) *Referri*, id eſt, remitti, accepto ferri, differri. *ID.*

(d) *Conſuetudinis* vox & vis in re tributaria: v. paſſim apud Caſſiodorum, & in Capitularib. Caroli M. & *Gloſſ. Theod.* & ad *l. vn. ſup. de longa conſuetud.* quæ eſt Iuliani. *ID.*

(e) *Diſpoſitionis* vox propria. *ID.*

(f) Vide titulum *de curſu publico*, *ſup. ID.*

(g) *Baſtaga* alibi vocantur Angariæ, Parangariæ: Harum *translationum* ſit pariter mentio *fine legis* 13. *l.* 40. *inf. de Epiſcop.* vbi plene dicam. Cæterum hic malim, *translationis. ID.*

(h) Id eſt, Operas ad viarum munitionem. *ID.*

(i) Ita quoque prædictis *legibus*: excepta *l.* 2. *de Protoſtaſia*, vbi *Dat.* editum. *ID.*

COMMENTARIVS.

IMMVNITATEM vt e Canonicis ſeu conſuetis muneribus, ita & ab extraordinariis, diſpoſitione Principis indictis, vel ſordidis nulli prouinciali ſeu poſſeſſori tribui iubet *hac l.* Iulianus: Quæ maioris conſtitutionis pars eſt: qua in vniuerſum Iulianus publicis Muniis conſultum voluit, vt oſtendunt *leges* illæ omnes, quæ *huic* coniungendæ ſunt: quaſque in *Notis* iam cumulaui. Neque dubito, quin & hæc pars profecta ſit ab indicto Chriſtiano nomini, vel (vt Antiocheni obiiciebant) indicto χι & κάππα odio. Quandoquidem aperte *lex* 50. *inf. de decurionib.* (vnde deſumpta eſt *lex* 4. *inf. de luſtrali collat.*) quæ huic inter alias coniungenda eſt ab eodem odio fit: *ea* quippe *lege* Iulianus Chriſtianis, id eſt, Clericis, tributam a Curialibus muneribus a Conſtantino M. & Conſtantio *l.* 1. 2. 7. 8. 9. 11. 16. *inf. de Epiſcopis Eccleſ. & Cler.* immunitatem reuocat: Rurſum *l.* 1. *ſup. de locat. fundorum* (quæ & ipſa *huic* coniungenda eſt,) Iulianus publicas poſſeſſiones (proculdubio agonutheticas iuriſque templorum, ludis in honorem Deorum, & ædificiis ſacris ſartis tectis deſtinatas,) Ciuitati-
P. 183. bus reſtitui iubet, quo ciuitatum reparatio procurari poſſit. Pariter itaque Iulianus *h. l.* mihi videtur, immunitatem tum Eccleſiis, tum Eccleſiaſticis ab extraordinariis & ſordidis muneribus a Conſtantino & Conſtantio tributam reuocare: *l.* 1. 2. 3. 8. 9. 10. 14. 16. *inf. de Epiſcopis, Eccl. & Cler.* Et vero *lex* 18. *inf. de Epiſcopis, Eccleſ. & Cler.* aperte docet Iulianum Apoſtatam contra ſanctiſſimam *legem*, id eſt, profeſſionem Clericatus excitatum id decreuiſſe, vt ne Clerici ab extraordinariis vel ciuilibus muneribus immunes eſſent. Sed & Sozomenus *lib.* 5. *c.* 5. ſcribit Iulianum Clericis priuilegia detraxiſſe: idipſum & Gregorius Nazianzenus *ep.* 166. teſtatur. Porro Iulianus hac generali *lege*, etiam comprehendit poſſeſſores fundorum patrimonialium quod diſerte expreſſum alia eius conſtitutione, puta *l.* 2. *inf. de coll. fundor patrimon.*

Cæterum tria exempla huiuſmodi munerum hic proponit Iulianus: 1. *Curſum publicum*, id eſt, vt exiſtimare quis poſſit curſus publici mancipatum: de quo *ſup. ſuo titulo de curſu publico*: vel potius Angariarum & Parangariarum munus: a quo ſane Clerici immunes fuere Conſtantii *lege* 10. 14. *inf. de Epiſcopis.* 2 Translationes, a quibus ſane Clerici immunes quoque fuere Conſtantii *l.* 15. *inf. de Epiſcopis*: Honorii *l.* 40. *d. tit. de Epiſcopis*; translationes, id eſt translationum ſolicitudo, *d. l.* 40. denique transferendarum ſpecierum fiſcalium munus; de quo dixi ad *d. leg.* 40. quam Græci παραπομπὴν αἰδῶν vertunt: Transuectin quoque vocatur ſpecierum, *l. vlt. inf. de equorum conlat.* & *l.* 49. *inf. de operib. publ.* 3. Itinerum ſolicitudinem, id eſt muniendi itineria neceſſitatem ſeu viarum conſtructionem. Nempe & ab hac neceſſitate velut extraordinaria & ſordida (vt docet *lex* 15. 18. *inf. h. tit.*) & *l. vlt. inf. de itin. mun.* immunes Eccleſiæ aliquando fuere, quod docebit etiam Honorii *lex* 40. *inf. de Epiſcopis*: verum vt contrarium, *h. l.* a Iuliano ſtatui cenſeo, ita ſane diſerte, venerandas Eccleſias tam laudabili titulo adſcripſit Theodoſius Iun. *d. l. vlt. inf. de itin. mun.* & Velentinianus Tertius Nouella inter *Theodoſianas* 21. & Iuſtinianus *Nouella* 131. *cap* 5. & Carolus M. *Capitularium lib.* 6. *c.* 7. De quo ad *d. l. vlt. ſup. de itinere muniendo.*

Tandem, neque primam *huiuſce leg.* ſententiam ſeu præfationem omittendam cenſeo, qua Iulianus eit, *Nihil Prouincialibus indici ſine ſua ſcientia fas eſſe.* Sane & Ammianus Marcellinus in exceſſu illo extremo de Iuliani moribus *lib.* 25 *cap.* 4. *Liberalitatis*, inquit, *eius teſtimonia plurima ſunt & veriſſima: Inter quæ, indicta ſunt tributorum admodum leuia; Coronarium indultum*, (vid. *l.* 1. *inf de auro coronar.*) *Remiſſa debita multa diuturnitate congeſta* (vid. *leg.* 1 *inf. de indulgent. debit.*) *vectigalia ciuitatibus reſtituta cum fundis* (vid. *leg.* 1. *ſup. de locat. fundorum*: quam *huic* coniungendam eſſe iam docui) *abſque his, quos velut iure vendidere præterita poteſtates.*

Sed & illud hic notandum, quod *Conſuetudini* hac parte ſtari iubet Iulianus: vt cœteroquin Conſuetudinis obſeruantiſſimus fuit Iulianus, eiuſque obſeruantiam præ ſe tulit, de quo ad *legem vn. ſup. de longa conſuetud.* quæ & ipſa Iuliani eſt: ex ipſiuſmet etiam ſcriptis & *epiſtolis.*

XI. (a) Impp. Valentinianus & VALENS AA. Secundo (b) PF. P.

NIHIL a Prouincialibus extraordinaria patimur indictione depoſci. Caueat igitur Magnifica Auctoritas Tua, ne, præter ea quæ a Manſuetudine Noſtra patuerit indicta, tenuiorum oneret functionem. (*) Vt ſi quis (c) vſurpatoria temeritate amplius aliquid fuerit conatus exigere, obnoxius quadrupli repetitione teneatur: Quæ ſeueritas

iuſſi-

iuſſionis ad Ordinariorum Iudicum Officiorumque terrorem debebit excurrere, vt ſi eorum vel gratioſa conhibentia, (d) vel ignobili diſſimulatione temeritas admiſerit Curialis, eos quoque damni ſimilis (e) pœna caſtiget. Dat. XIV. Kal. April. Conſtantinop. Valentiniano, & Valente AA. Coss. [365.]

INTERPRETATIO. *Hæc lex hoc præcipit, nihil debere a prouincialibus de ſuperindictitiis* (f) *titulis peti, niſi ea tantum quæ a rerum Dominis indicta conſtiterit. Et hoc iubet, vt quicunque aliquid ſuperexigendum crediderit,* (g) *quadrupli redhibitione componat.* (h) *Sed & ad ordinarios Iudices hanc inquiſitionem iubet exsurrere, vt etiam ſi quid in prouinciis eorum a quibuſcunque perſonis aut Curialibus factum eſt, etiam eos ſimilis damni pœna caſtiget.*

NOTAE.

(a) Abeſt hæc *lex* a *Cod. Inſt.* niſi quod poſterior eius pars a Triboniano ſubdita *legi* 8. *C. Iuſt. de excuſation. munerum:* quæ & *ipſa* 8. *lex* eſt *huius tit.* GOTHOFR.

(b) *Secundus* PP. ſub Valente Imperatore: v. *Proſopog. ID.*

(*) *Legis* 8. *C. Iuſt. de excuſationib. munerum*, pars poſtrema hinc deſumpta eſt. *ID.*

(c) Curialis ſcil. *hac l. in f.* & *l.* 20. *inf. h. t. ID.*

(d) Pro, *conniuentia*, vt habet Cod. Iuſt. *ID.*

(e) *Simplicis*, C. Iuſt. male. *ID.*

(f) *Superindictionis*, Edit in 4. *indictis titulis* MS. G. RITTER.

(g) *Plus quam adheratum eſt*, hoc amplius eſt in Edit. in 4. *ID.*

(h) *Domnetur* in margin. Edit. in 4. *ID.*

P. 124

COMMENTARIVS.

SVPERINDICI quicquam prouincialibus extraordinaria indictione, quomodo certe ſub Valente Baſilius *ep. 423 ſiu. 303. Edit. Benedictin.* a Comite *Priuatarum*, extraordinarium ex equabus vectigal impoſitum, improbat, ἔπεισαν τὴν τιμιότητά σου φοράδων τέλεσμα τοῖσδε ἐπαγαγεῖν, *perſuaſerunt dignitati tuæ; vt iſtis equarum præſtationem indiceres:* idque aboleri rogat: vetat hac conſtitutione Valens Imp. a quocunque tandem Iudice etiam a Præfecto Prætorio, quod & ipſum ferme Conſtantio viſum fuit, *l. 7.* & *l. placet 8. ſup.* Iuliano, *l. 10. ſup.* Valentiniano Iuniori poſtea, *l. vn ſup. de ſuperindicto.* Et quidem adeo id vetat Valens, vt Quadrupli pœnam & Curiali ſuperexigenti, (quomodo & Curiali pœna imponitur in ſp. *l. 20. in f.*) & Iudici Officioque eius conniuenti imponat, quæ & ipſa Conſtantio etiam placuit, *l. 7. 8. ſup.* forte etiam Valentiniano ea ſanctione, quæ memoratur *l. 1. ſup. de ſuperexact.* Cæterum huc facit Ammiani Marcellini locus *lib. 31. cap. 14. in* ἠθοποιΐᾳ *de Valentis moribus: Prouinciarum,* inquit, *æquiſſimus tutor; quarum ſingulas vt domum propriam cuſtodiebat indemnes; Tributorum onera ſtudio quodam molliens ſingulari, nulla* VECTIGALIVM *admittens* AVGMENTA, *in adærandis reliquorum debitis non moleſtus: furibus & in peculatu deprehenſis Iudicibus inimicus aſper & vehemens. Nec ſub alio Principe in huiuſmodi negotiis melius ſecum actum eſſe meminit Oriens.* Item quod Victor *in Epitome*, de Valente, *Fuit poſſeſſoribus conſultor bonus.*

XII. (a) Imppp. GRATIANVS, (b) Valentinian. & Theod. AAA. ad Theodorum Com. R. P. (c)

AD Virum Clariſſimum & Inluſtrem Præfectum prætorio Italiæ (d) ſcribta porreximus, vt ab Actoribus, & Conductoribus patrimonii noſtri, atque ab his qui iure perpetuo (e) poſſederunt, (f) extraordinarii muneris ceſſaret iniuria: Neque Suburbicariis partibus (g) Tironum immineret exactio. Sane Præſtantia Tua prouidere debebit, quatenus Frumenti & Equorum maturetur exactio. Dat. XV. Kal. April. Treu. Gratiano V. & Theod. I. AA. Coss. [380.]

NOTAE.

(a) Abeſt hæc *lex* a *Cod. Iuſt.* GOTHOFR.

(b) *Gratianus* huius *leg.* auctor eſt: De quo mox. *ID.*

(c) Malit quis *Com. S. L.* & ſuadeat Claudianus, hunc ipſum Theodorum alloquens, *Panegyrico in eius conſulatum, a verſ.* 38.

Hinc SACRÆ *mandantur* OPES, *Orbiſque tributa*
Poſſeſſi, quicquid fluuiis euoluitur auri,
Quicquid luce procul VENAS *rimata ſequaces*
Addita pallentis fodit ſolertia Beſſi.

Sub

Sub Comite quippe Sacrarum Largitionum, *ſacra opes*, id eſt Largitiones & tributa fuere, & Theſauri ac metalla; de quo V. *Notitiam imperii: & legem 4. 12. 14. 15. ſup. de metallis.* Neque tamen quicquam temere ipſe mutem. Nam & ea omnia, quæ Claudianus memorat, Comiti R. P. tribui poſſunt. *Sacræ opes*, inquam, id eſt priuatæ Largitiones, res, greges, ſtabula, ſaltus, item *Orbis poſſeſſi tributa*, id eſt, penſiones ex fundis patrimonialibus. Tandem & metallorum cura Comitem R. P. aliquando reſpexiſſe potuit. Argumentum ſane *huius l* ad rem priuatam pertinens, id euincit. *ID.*

(d) Sub quo Italia, ſuburbicariæ partes, Illyricum & Africa fuere, vide *leg vn ſup. ſi per obreptionem. ID.*

(e) *Iure perpetuo poſſidentes* ſunt emphyteuticarii: v. *Paratitlon de locat. fund. iuris emphyt. lib. 10. ID.*

(f) *Poſſiderent. ID.*

(g) *Partes*, pro tractu & diœceſi: ita Ægypti partes ſeu Ægyptiacæ, *l. 14. inf. de nauicul l. vlt. inf. de Epiſcopali iudicio*; & Rufino *lib. 10. c. 4.* Illyrici ſeu Illyricianæ partes, *l. 25. ſup. de petitionib l. 49. inf de operib. publ.* Italiæ partes, *l. 15. inf de Epiſcop* Tranſmarinæ partes Italiæ, *Cod. Canon Eccleſ Afric. pag. 895. Tom I. Concil. Edit. Harduin.* Orientis partes, *l. 3. ſup. de militari veſte:* & *l. 3. de fid. Cathol.* Plura in *Notitia Imperii. ID.*

COMMENTARIVS.

EXTRAORDINARIA quædam munera, & extraordinarias quaſdam exactiones, cum hac tempeſtate Gratianus, hoſtili procul dubio neceſſitate adigente, quæcunque tandem illa ſit, Treueris in Gallia conſtitutus, indixiſſet, atque in his tyronum, frumenti, equorum: de quibus extraordinariis collationibus erit *inf. Titulus* peculiaris, *Qui a præbitione tyronum & equorum excuſentur,)* idque per Italiam & ſuburbicarias etiam partes: cum hæc, inquam, Gratianus indixiſſet, & quidem conſtitutione ad Præfectum Prætorio Italiæ, tria ſuper eo nominatim, vt illa, ita & hac conſtitutione ad Comitem R. P. conſtituit.

Primum eſt, quod PATRIMONIALES ACTORES & Conductores, & perpetuo iure patrimonium Principis poſſidentes ab extraordinariis muneribus immunes eſſe iubet: De prioribus iam *ſupra* ſæpe. Perpetuo iure poſſidentes, qui hic dicuntur, vel perpetuo iure tenere, ſimilibuſque formulis, *l. 13. prox.* & *20. hoc tit.* cuiuſmodi omnes congeſſi in Paratitlon ſup. *lib. 11. de locat. fund. patrimon.* &c. & quidquid tandem de his perpetuariis conductoribus & fundis *hoc Codice* occurrit, ſunt omnino emphyteutici ſeu emphyteuticarii. Hinc adeo quomodo emphyteutici diſtinguuntur a patrimonialibus rebuſque priuatis, non *vna leg.* inter alias, *l 9. ſup.* ita *hac l.* in eadem re perpetuo iure poſſidentes a conductoribus patrimonii. Hinc *l. 1 Cod. Iuſt. de off. Com S. P.* expreſſe: *totius perpetuarii, hoc eſt* (alii *Codices* habent, *Vel*,) *emphyteuticarii iuris exactio.* Hinc & Græci ad *l. 20. inf. h. t.* quæ eſt *lex 15. Cod Iuſt. de excuſ. munerum*: perpetuo iure diſerte explicant, emphyteutico iure: Ita igitur quoque accipienda illa Valentiniani *Nouella 8. de præſcript. 30. annor. Iuuat itaque iuris perpetui, emphyteutici, patrimonialis, iuris Reipubl. vagas æternaſque calumnias* &c. De horum denique fundorum & poſſeſſorum Emphyteu-
P.125. ticorum priuilegiis & immunitatibus dixi in *dicto paratitlo*, de hac nominatim immunitate ab extraordinariis ad *d. l. 9. ſupr.* Et hæc de primo *huius legis* capite.

Secundo capite Gratianus Imp. *ſuburbicarias* partes ſeu regiones, a tyronum præſtatione immunes eſſe iubet. Aliter Valentinianus Tertius poſtea in ſp. *Nouellæ*, quæ inter *Theodoſianas* eſt *41. de tironib. leg. 2.* De his ſuburbicariis regionibus iam ſæpe *ſupra hoc libro*: Quas qui ab Vrbicariis diſtinguunt, longiter fallunt: vt alibi pluribus oſtenſum eſt. Quod vero *ſuburbicariæ partes* dicuntur, quæ alibi *regiones, prouinciæ*, id eodem modo dicitur, pro tractu videl. & diœceſi: quomodo Ægypti ſeu Ægyptiacæ partes *l. 14. infr. de nauicular. l. vlt. infr. de Epiſcopali iud.* Rufino *lib. 10. c. 4.* Illyrici ſeu Illyricianæ partes, *l. 25. ſup. de petitionib. l. 49 infr. de operib. publ* Italiæ partes, *l. 15. infr. de Epiſcopis*: Italiæ tranſmarinæ partes, in *concil Carthag.* vid. *Cod. Can. Eccl. Afr. num. 56. pag. 895. initio Tom. I Concil Hard.* Orientis partes *l. 3 ſup. de milit. veſte. l 3. de fide Cathol.* verum de hoc plura in *Notitia Imperii noſtra.* Hoc interim priuilegium ſuburbicariarum regionum notandum, vt cum ab aliis prouinciis Tyrones exigerentur, ab his immunes eæ eſſent. Quod proculdubio datum Vrbi Romæ, cuius diœceſim hæ conſtituebant: Quomodo & peculiaris alias ſæpe earum ratio habita.

Poſtremo capite videtur Gratianus id iubere, frumenti & equorum exactionem omnibus ex æquo imminere debere, etiam Actoribus & Conductoribus rei priuatæ, & emphyteuticariis, vid. & *l. vlt. infr. de collat. fundorum:* etiam ſuburbicariis partibus: Quod non puto: verum id iubere videtur Gratianus, vt ſumma *celeritate* frumenti & Equorum imperata collatio exigeretur: quandoquidem præſens neceſſitas vrgeret.

Neque illud omittendum, ex ſubſcriptione Dat. TREV. liquere *hanc l.* tribuendam Imp. Gratiano: vt maxime Præfecti Prætorio Italiæ & ſuburbicariarum partium in ea fiat mentio: nam vt maxime, quod alibi prolixe oſtendo, Valentiniano Iuniori Italia & Vrbs Roma ceſſiſſet, attamen Gratianus vtrobique hoc tempore, Valentiniano admodum iuuene, imperabat.

XIII. (a) Idem AAA. ad Hypatium PF. P. (b)

PRivatæ rei noſtræ priuilegiis permanentibus, nihil extra ordinem prædia iure perpetuo (c) conſignata ſuſtineant, neque abiectis (d) ſæpius, ac præter primum delegationis (e) canonem (f) poſtulatis, adficiantur impendiis: Quandoquidem, neque aurario canoni, ſub (g) priuilegiis æſtimato, aliquid ex (h) ea iubentibus nobis præbitionum diuerſitate decutitur: (i) & pari cum ceteris æſtimari ſorte non conuenit, quos præter annonarias functiones æſtimata (k) perpetuo penſionum prærogatiua nexuerint. (l) PP. Karthag. Id. April. Poſt conſ. Syagrii & Eucherii [382.]

NOTAE.

(a) *L. 10. Cod. Iuſt de excuſ. muner.* GOTHOFR.

(b) *Hypatii* huius Geminam Præfecturam memorat Ammianus Marcellinus *lib. 29. cap. 2.* '*Inter quos*, inquit, *omnes adoleſcentia & virtutum pulchritudine commendabilis noſter* HYPATIVS *præminebat*: *vir quieti placidique conſilii, honeſtatem lenium morum velut ad perpendiculum librans: qui & Maiorum claritudini gloriæ fuit: & ipſe poſteritatem mirandis actibus* PRÆFECTVRÆ *Geminæ decorauit.* Ex quo etiam Ammiani loco liquere poteſt, quando Ammianus ipſe Hiſtoriam ſuam ſcripſerit, nempe per hæc ipſa tempora. Verum de eo plenius *in eius ipſius Vita.* Geminam autem Præfecturam cum ait Ammianus, intelligit Præfecturam vrbis, quam geſſit A. 379. vt docet *lex 16. infr. quorum appellat.* & Præfecturam Prætorianam, quam geſſit A. 382. 383. vid. *Indicem perſonarum*, & *Conſularia Theod.* Eidem ſane inſcribitur mox *lex 15. infr. h. t.* Cuius autem Præfecturæ Prætorianæ Præfectus fuerit Hypatius, docet ſubſcriptio *huius legis*, *PP. Karthag.* vid. & *d. l. 15. infr.* ID.

(c) *Perpetuo* iure conſignata prædia. Dixi ad *leg. 12. prox. ſupr.* ID.

(d) *Adiectis*, in *C. Iuſt.* quod melius: quanquam poſſit quis *abiectis* hic interpretari pro ſordidis & extraordinariis muneribus, quod Cuiacius probabat. Illud tamen malim, propter cohærentem vocem *ſæpius*, & quæ mox ſequuntur. ID.

(e) *Delegatio*, *h. l.* & *l. 8. ſupr.* dixi ad *titulum*, *de annona & trib.* ID.

(f) *Canon* eſt tributum ſeu indictio ordinaria. ID.

(g) Id eſt, intuitu eorum priuilegiorum & immunitatis ab extraordinariis muneribus. ID.

(h) Id eſt, ob eam & nouam extraordinariorum munerum indictionem. ID.

(i) *Decutitur* id eſt, remitti ſolet. ID

(k) *Aeſtimatas perpetua*, Cod. Iuſt. vulg. Edit. RITTER.

(l) Ita quoque C. Iuſt. *nexuerunt*: Verum reponendum, *nexuerit*. GOTHOFR.

COMMENTARIVS.

PRIVATÆ res Principis perpetuo iure conſignatæ, ſeu perpetuariæ, id eſt, emphyteuticæ (de quo plene dixi *ad legem ſuperiorem*) hae quoque Valentiniani Iun. conſtitutione ab extraordinariis muneribus immunes eſſe iubentur, vt quamplurimis iam *huius tit.* legibus.

Neque hæc *lex* quicquam præcipuum habet, niſi quod huius immunitatis rationem adſignat, ſimul & conditionem huiuſmodi fundorum perpetuorum declarat; Nempe ait, *pari cum ceteris ſorte æſtimari eos fundos non oportere*; quia iam grauiore penſione quam cæteri ſunt nexi. Quæ ipſa ratio inculcatur *l. 17. infr. h. t. cogendarum*, inquit, *intuitu penſionum.* Præter annonarias ſcil. functiones hi fundi præſtabant quoque canonem aurarium, id eſt, certam & ſolennem auri penſionem, quod etiam docet *lex 2. Cod. Iuſt. de fundis patrimonialibus: lex 1. ſupr. hoc tit. lex 8. infr. de collat. fund. patrim.* quod alii non præſtabant: Nempe *propter prærogatiuam perpetuæ poſſeſſionis*, & quidem eo maiorem, quod ab extraordinariis nominatim numeribus immunes, futuri erant. Id enim eſt quod ſibi volunt hæc verba, *aurario canoni ſub priuilegiis æſtimato*; ac ſi dixiſſet, penſionem auri eo maiorem huiuſmodi fundis imponi & imminere, p 186.
quod priuilegio immunitatis ab extraordinariis potituri ſint: quare iniquum futurum, ſi extraordinariis inſuper ſubiiciantur, quibus penſandis compenſationis iure quodam eo grauiori canoni ordinario ſubiiciuntur: ac maxime, cum ex ſolenni illa & canonica penſione nunquam quicquam *decuti*, id eſt, remitti aut detrahi a Principibus ſoleat; In quo verum ſibi dixit Valentinianus: nam ita adſolet, vt quæ canonica ſemel facta ſunt, nunquam remittantur. Atque his obſeruationibus, quas dixi, hæc *lex* ſingularis eſt, quæ & ipſæ ferme continentur, *l. 1. ſupr.* & *l. 17. infr hoc tit.*

Tandem & hic illud ſingulare, quod hæc *lex* proprie pertinet ad *Africam* & immunitatem fundorum illorum, quos dixi, per Africam, vt docet *huius leg.* ſubſcriptio *PP. Karthag* a qua certe immunitas hæc initium duxit: *l. 1. & 9. ſupr.*

XIV. (a) Idem AAA. ad Syagrium PF. P. (b)

EOs qui eum honore *Comitum*, (c) nomine *Magiſtrorum*, (d) memoriæ præfuerint, (e) vel epiſtulis, vel libellis: item eos qui ibidem peragendis ſignandiſque Reſponſis

Noſtræ

Noſtræ Manſuetudini (f) obſecundant, (g) omnium vilium (h) munerum, ac (*) totius *Capitulariæ*, (i) ſiue (vt rem, quam volumus intelligi, communi denuntiationi (k) ſignemus) *Temonariæ* (l) functionis, fieri iubemus exſortes, ita (**) vt eorum vniuſcuiuſque adſcribtio exeuſetur: non, vt vnus alterius excipiat, ſi etiam eius ſummæ ſit, vt recipere poſſit adiunctos, ſed, aut ſuum tantum munus agnoſcat, aut ſi conplacito (m) opus eſt, magis alteri ipſe ſocietur, quam eidem alter annectatur: Hii igitur (n) qui ex eo gradu e Palatio noſtro abſceſſerint, adeſſe (o) ſibi conpetentia priuilegia glorientur. Qui vero ſuperioribus (p) dignitatibus creuerint, nihilominus huius loci priuilegia præſto ſibi fuiſſe (q) lætentur. Lecta III. Kal. Septembr. Capuæ, (r) Antonio & Syagrio Coss. [382.]

NOTAE.

(a) *Lex* 11. *C. Iuſt. de excuſationibus munerum* GOTHOFR.

(b) *Syagrius* PP. Italiæ videlicet, quod docet ſubſcriptio, *Lecta Capuæ:* & forte etiam eius tantum Italiæ partis, quæ ad dextram Vrbis Romæ iacet, puta Campaniæ (in qua Capua metropolis,) Apuliæ, Calabriæ, Lucaniæ, Brutiorum. Turbata enim hac tempeſtate admodum & in varias diſcerpta partes fuit, quæ vnica antea Præfectura Prætoriana Italiæ erat. *ID.*

(c) De his *Comitibus* fuit ſupra titulus *lib* 6. *tit.* 26. *De proximis Comitibus diſpoſitionum:* vbi vide quæ dixi ad *leg* 10. & 11. *ID.*

(d) De huius loci interpunctione Marcil. *in Veſpaſ. c.* 21. *ID.*

(e) *Præfuere*, Cod. Iuſt. RITTER.

(f) *Manſuetudinis*, Cod. Iuſt. *ID*

(g) Ita *obſecundatores* ſacrorum ſcriniorum *l.* 3. *ſupr. de prox. Com. diſp.* vbi vid. quæ dixi. GOTHOFR.

(h) *Ciuilium* C. Iuſt. non ita recte: *Vilia* ſunt ſordida. *ID.*

(*) Sequentia, de Capitularia & temonaria functione recidit Tribon. *ID.*

(i) De *Capitularia* functione, id eſt, capitum ſeu tyronum exigendorum onere, dixi ad *leg.* 7. *ſupr. de tyronib* *ID.*

(k) *γρ. Denuntiatione*; & hoc pro enunciatione. *ID.*

(l) De *Temonaria* functione, id eſt, auri tyronici, ſeu pretii loco tyronum collatione, exactione, dixi ad *eandem leg* 7. *ſupr. de tyronib.* Quanquam hic locus ita legendus videatur, *Turmariæ & Temonariæ functionis:* nam vtraque ſpecies fuit capitulariæ: Illa erat ipſorum tyronum ex[illegible]o; hæc pretii. *ID.*

(**) Sequentia vſque ad, *ſi igitur*, recidit Tribon. *ID.*

(m) *Complacitum*, hic eſt ἐπιβολή, adiectio fundi ad alterum fundum & ſociatio. Quid ſi legamus, *compartito*? *ID.*

(n) *Igitur qui ex eo gradu Palatio noſtro adhæſerint:* ita *C. Iuſt.* *ID.*

(o) *Adeſſe* ſibi, id eſt, ſuffragari, competere. *ID.*

(p) Id eſt, ad ſuperiores dignitates peruenerint. *ID.*

(q) Forte, *eſſe*. *ID.*

(r) Hanc ſubſcriptionem iam expendi *ſupr. not. b.* *ID.*

COMMENTARIVS.

COMITES, MAGISTRI memoriæ, Epiſtolarum, Libellorum; item Memoriales Epiſtulares, Libellenſes, qui ſcil. in illis ſcriniis & Cancellariis, vt hodie loqueremur peragunt & ſignant reſponſa Principis, (de quibus omnibus ſuo *titulo lib* 6 *de proximis Comitibus diſpoſitionum cæteriſque qui in ſacris ſcriniis militant*) ab omnibus vilibus, id eſt, ſordidis muneribus hac Valentiniani Iun. conſtitutione immunes eſſe iubentur: ac nominatim a tota functione *Capitularia*, id eſt, a turmarum ſeu tyronum ipſorum (vnde *turmaria* functio) vel eorum loco, pretii (vnde *temonaria* functio de quibus omnibus *l.* 7. *ſupr. de tyronib.* exactione, de qua ipſa immunitate Comitum horum & Magiſtrorum cæterorumque ſcriniariorum ſunt *l* 14 15. *d. tit. de proximis Comit. diſpoſ.* & *l. vnic. qui a præb. tironum.*

In tantum hac immunitate donantur, vt etſi e Palatio poſtea, id eſt, ex hoc munere receſſerint, vel etiam ad maiores dignitates aſcenderint, eadem immunitate porro potiantur: De quo, & ſimilibus, dixi plene ad *d. l.* 14. Sed & *Equorum* pariter iiſdem immunitas tributa aliis Conſtitutionibus; puta *l* 3. (quæ hoc ipſo anno data eſt, eodemque pertinet quo *hæc* noſtra) & *d. l.* 14 15. *ſupr. de prox. Comit. diſpoſit.* & *l. vn. infr qui a præbitione tyronum & equorum excuſentur.*

Pertinet hæc *lex*, pariter vt *lex* 15. *prox infr.* & *d. lex* 3. *ſupr. de proxim. Comitib. diſpoſ* (quæ ambæ etiam hoc ipſo Anno datæ ſunt) ad ILLYRICIANÆ expeditionis neceſſitatem: De qua videndus eſt Zoſimus *lib.* 4. *cap.* 31. 32. 33. Huius expeditionis ſcil. gratia Theodoſius Imperator, *Gratiani & Valentiniani* ſubſidium & auxilium implorare coactus fuerat: Eadem igitur vrgente, Tyronum & Equorum collationem ad militare ſubſidium Valentinianus Iun. Honoratis indicere neceſſe P. 112
habuit: a qua tamen nonnullos vt *hac leg.* ita *dictis duabus legibus* excipiendos credidit.

Vnum ſupereſt in *hac leg.* obſcurum quod omiſſum *Cod. Iuſt.* & continetur *verſ. ita vt*, vſque ad *ſi igitur:* Quod tamen lucem accipit ex *l.* 7 *ſup.*

P 117. *de Tironibus.* Nempe pertinet iſtud, ad Adiunctionem ſeu coniunctionem plurium conſortium, qui ſinguli tironi ſoluendo non ſufficiunt, ad tironis vel eius loco pretii ſolutionem: quæ quidem adiunctio ſeu coniunctio *Complacitum* hic vocatur, ſi ea vox recte habet.

XV. (a) Idem AAA. ad Hypatium PF. P. (b)

MAXIMARVM (c) culmina (d) dignitatum, Conſiſtoriani quoque Comites, Notarii (e) etiam noſtri, & Cubicularii omnes, atque ex Cubiculariis, ab omnibus *Sordidis* muneribus vindicentur: Ceteros autem, Palatina, vel Militari (f) intra Palatium prærogatiua munitos, ita demum priuilegium ſimile contingat, (g) ſi prioribus ſtatutis (h) ſe ad eiuſmodi exactionem (i) docuerint pertinere: vt non ſingulis indulta perſonis, ſed in commune (k) dignitati vel corpori eiuſmodi beneficia doceantur fuiſſe conceſſa circa Eccleſias, (l) Rhetores, atque Grammaticos eruditionis (m) vtriuſque vetuſto more durante. Sane rerum *Extraordinariarum* (*) munus ab omnibus omnino Magnificentia tua ſciat eſſe poſcendum, nec poſthac aut petitionem, aut vſurpationem cuiquam meminerit profuturam, *Sordidorum* vero *munerum* talis exceptio (n) ſit, vt patrimoniis dignitatum ſuperius digeſtarum (o) nec conficiendi pollinis cura mandetur, aut panis excoctio, aut obſequium piſtrini: ne (p) paraueredorum huiuſmodi viris (q) aut parangariarum præbitio mandetur, (exceptis his, quibus ex more Rheticus limes includitur, (r) vel expeditionis Illyricæ (s) pro neceſſitate vel tempore vtilitas adiuuatur) operarum, (t) atque (v) artificum diuerſorum, (x) excoquendæ etiam calcis (y) obſequia, nulla de talibus adiumenta poſcantur: materiam, (z) lignum, atque tabulata exceptorum (aa) virorum patrimonia non præbeant: Carbonis quoque (niſi eum quem moneta ſolemniter, vel fabricatio ſecundum veterem morem poſcit armorum) (bb) ab huiuſmodi viris præbitio deſiſtat: Publicis vel Sacris ædibus conſtruendis (cc) atque reparandis, hoſpitalium (dd) domorum minime cura, (ee) ſubiaceant: Viarum (ff) & pontium talis (gg) ſollicitudo non oneret: Capituli (hh) atque Temonis neceſſitas nulla mandetur. Legatis (ii) atque Allectis (kk) ſumptus, poſſeſſio, huiuſmodi priuilegiis munita, non ferat. (ll) Hoc tamen his patrimoniis proſit, quæ dignitatem proprio videntur (mm) nomine poſſidere, ita (*) vt perſonis, ac dignitatibus indulta beneficia tandiu vnicuique quandiu ſuperfuerit ſuffragentur. Omnes autem quorum dignitates atque perſonas hac lege perſtringimus, (nn) non ſolum quandiu militauerint, verum etiam poſt miſſionem, atque etiam eos qui ſimili honore perfuncti (oo) ſunt, generali prærogatiua a præbitione ſordidorum munerum vindicamus. Dat. v. Id. Decembr. Antonio & Syagrio coss. [382.]

NOTAE.

(a) *Lex 12. Cod Iuſt de excuſationibus munerum.* Concordat autem *huic legi* omnino *lex 18. infr. hoc tit.* cum qua hæc conferenda eſt. *GOTHOFR.*

(b) De hoc *Hypatio* dixi ad *leg 13. ſupr. ID.*

(c) *Ampliſſimarum, etiam militari faſtigio, nomina dignitatum:* ita *d. l. 18. infr. ID.*

(d) Sic & *diuerſa culmina dignitatum l. 1. ſup. de Conſulibus. ID.*

(e) De *Notariis*, & *Cubiculariis* ceteriſque nihil in *d. l. 18. infr. ID.*

(f) Intelligit Comites & Tribunos Scholarum, Decuriones, ſilentiarios & ſimiles, de quibus *lib. 6. ID.*

(g) In C. Iuſt. *contineat*, male. *ID.*

(h) Id eſt, Superiorum Principum conſtitutionibus. *ID.*

(i) *γρ. Exceptionem*, quomodo etiam habet *Codex Iuſtin.* nam & ita mox: *Sordidorum munerum talis exceptio ſit:* item: *exceptorum virorum patrimonia non præbeant:* & *l. 18. infr. exceptas lege prohibeamus obire perſonas.* Vel, *excuſationem* vel *exemptionem. ID.*

(k) *Singularis iuris* definitionem obſerua; quod ſcil. in commune Dignitati aut Corpori alicui conceditur. *ID.*

(l) Hæc ſententia continetur pariter *d. l. 18. infr.* At enim *C. Iuſt* quod de *Eccleſiis* hic dicitur, recidit Tribonianus. Sane & Baronius in *Annales ſuos* non retulit, de quo mox. *ID.*

(m) *Inſtitutionis vtriuſque*, ita *d. l. 18. infr.* id eſt, vt dicitur *l. 11. infr. de Medicis & Profeſſor.* Atticæ Romanæque doctrinæ: vbi v. quæ dico etiam ex *Gregor. Nazianz. ID.*

(*) Hæc ſententia abeſt a *C. Iuſt.* ſed primum locum occupat in *d. l. 18. inf. ID.*

(n) Id eſt, enumeratio, vt habetur *dict. l. 18. infr.* & deſignatio. Eadem porro enumeratio habetur *dict. l. 18. infr.* quanquam non eodem ordine vbique. *ID.*

(o) *Digeſtarum*, id eſt, enumeratarum. *ID.*

(p) *Nec*, C. Iuſt. *ID.*

(q) *Iuris*

(q) *Iuris*, Cod. Iuſt. *ID.*

(r) Omnino hic reponendum eſt, *inſtruitur*: vt mox, adiuuatur. *Inſtruitur* autem, nempe paſtus militaris tranſlatione, vt *d l.* 18. *infr.* additur. Neque enim parangariis limes includitur, ſed earum præbitione limes annona militari & limitanea inſtruitur; ita *inſtrui manſiones* dicuntur *l.* 21. *ſupr. de annona & trib. Inſtructio prouinciæ*, *l.* 18. *infr. de ſuſceptorib. ID.*

(s) Olim in *C. Iuſt. illicitæ*: Verum ex MS. iam ibi reſtituit Alciatus *Illyricæ*, quod *bis* expreſſum. *ID.*

(t) De *Operarum* collatione fuit *ſupr. titulus*, *Ne operæ a conlatoribus exigantur. ID.*

(v) Male C. Iuſt. *operarum quoque artificum*. Sane & ita *d. l.* 18. *infr. operas atque artifices. ID.*

(x) V. quæ ad *l.* 2. *ſupr. ut opera. ID.*

(y) De *Calcis excoquendæ* munere hoc, v. & *l.* 3. 4. *ſupr. de decur. & ſilent. ID.*

(z) Male C. Iuſt. *materiam lignorum atque tabulata.* Nam & ita quoque *d. l* 18. *infr. non conferendis, tabula-*
P 118. *tis obnoxia, non lignis, indultam quoque materiem ſub eadem exceptione numerabit*: & recte. De quo mox. *ID.*

(aa) Id eſt, eorum, quos ſuperius excepimus. *ID.*

(bb) Ita quoque *l.* 18. *infr carbonis ab eo inlatio non cogetur, niſi vel monetalis cuſio, vel antiquo more neceſſaria fabricatio poſcit armorum. ID.*

(cc) *Conſtituendis* C. Iuſt. Edit. nonnullæ. ita quoque *d. l.* 18. *nullam ſollicitudinem publicarum ædium vel ſacrarum conſtituendarum reparandarumve ſuſcipiet. ID.*

(dd) Hæc abſunt a *C. Iuſt.* & *d. l.* 18. *infr. ID.*

(ee) Pro *cura*: & locus hic ita conſtituendus: *Publicis vel ſacris ædibus conſtruendis atque reparandis, Hoſpitalium domorum cura, minime ſubiaceant. ID.*

(ff) Et hæc ſententia abeſt a *C. Iuſt.* propter *legem vlt. infr. de itinere muniendo*: quam Iuſtinianus prætulit. *ID.*

(gg) Pro, *tales. ID.*

(hh) De *Capituli* & *Temonis* neceſſitate dixi iam ad *legem* 14. *ſupr.* & pleniſſime ad *leg.* 7. *ſupr. de tyronib.* In Cod. Iuſt. vulgat. legitur, *capitalis atque temonis. ID.*

(ii) *Legatis* ad Principem miſſis viatica ex indictione & collatione præbita: de quo mox. *ID.*

(kk) De *Adlectis* his mox. *ID.*

(ll) *Conferat*, Cod. Iuſt. *ID.*

(mm) Id eſt, proprio nomine poſſideat. *ID.*

(*) Sequentia recidit Trib. vſque ad, *etiam eos qui. ID.*

(nn) Enumeramus, excipimus. *ID.*

(oo) *Functi*, C. Iuſt. *ID.*

COMMENTARIVS.

IMMVNES a ſordidis vel extraordinariis muneribus, an & qui habendi ſint, quænam item *ſordida* proprie munera ſint, hac prolixa conſtitutione definit Valentinianus Iunior: cui gemina, germana eſt Theodoſii M. *lex 18 infr. hoc tit* & procuidubio ex hac illa tranſſumpta; ſic tamen, vt duo ibi exempla ſordidorum munerum omittantur, quomodo & a *Cod. Iuſt.* abſunt. Quare & inter ſe collatæ, mutua luce colluſtrantur. Et alioquin hæc ſui amplitudine iuſtum & prolixum commentarium deſideraret, ſi ſola interpretanda nobis eſſet, & niſi ex aliis *titulis & legibus*, ad quæ digitum intendemus, lucem acciperet.

Res eo redit, ab extraordinariis oneribus neminem excuſari poſſe, & vt *l.* 18. dicitur, communia hæc omnibus populis functio eſſe debet, & ab omnibus indiſcretim meritis atque perſonis impleri oportet. Quæ quidem ita hoc tempore Valentiniano Iun. & Theodoſio M. viſa propter expeditiones & neceſſites Illyricanas, quas Zoſimus deſcribit *lib.* 4. *cap.* 30. 31. 32. 33. quarum etiam mentio fit *hac ipſa leg.* & *d. l.* 18. *infr.* de quibus etiam iam dicere anteuerti ad *leg.* 13. *ſupr.* & *ad l.* 3. *ſupr. de prox. Comit. diſpoſ.* quæ hoc ipſo anno eidem Hypatio inſcribuntur: & illa quidem poſtrema, paucis poſt hanc diebus lata, qua *huic l.* ex parte derogatur: Ab extraordinaria quippe equorum collatione ad militare ſubſidium Honoratis indictorum cæteriſque de collatiuo omnium extra ordinem poſtulatis, obſecundatores ſacrorum ſcriniorum immunes redduntur.

Illud etiam hac parte ſingulare eſt, quod *Eccleſiæ* quoque, vt *hac l.* ita & *d. l.* 18. extraordinariis collationibus ſubiiciuntur; quod tamen Honorio Imp. poſtea diſplicuit *l.* 21. & 22. *infr. h. t.* & *l.* 29. 30. 34. 38. 40. *infr. de Epiſcop. Eccleſ. & Clericis.* Tantum abeſt ſcil. a canonicis illationibus immunes fuerint, de quo dixi pleniſſime ad *d. l.* 40 etſi a ſordidis muneribus immunes fuerint, de quo mox. Et hæc de extraordinariis, id eſt, ſuperindicto & collatione extraordinaria.

Atenim a SORDIDIS muneribus immunitas *hac l.* nonnullis tribuitur, & *d. l.* 18. qui *hac l.* exprimuntur: mox munerum ſordidorum enumeratio fit. De perſonis prius. Nempe octo hominum generibus hæc immunitas tribuitur, puta I. Maximarum Dignitatum culminibus, ſeu Ampliſſimarum Dignitatum nominibus, etiam militari faſtigio (quod additum *l.* 18. *inf.*) id eſt, Præfectis Prætorio, Præfectis Vrbi, Magiſtris militum, Comitibus S. L. & R. P. Quæſtoribus, Magiſtris Officiorum, de quibus *tit.* 6. 7. 8. *ſupr. lib* 6. Verum & his poſtea Honorius immunitatem tribuit ab extraordinariis, *l. vlt. infr. h. t.* II. Conſiſtorianis Comitibus, de quibus plene & *tit.* 12 *lib.* 6. & *ad l.* 3. *ad leg. Cornel. de ſicar.* Et hactenus quidem de Perſonis & dignitatibus quibus hæc Immunitas tribuitur tam *h. l.* quam *d. l.* 18. ſequuntur aliæ *hac leg.* at non itidem in *d. l.* 18.

trei

de quibuſdam Legationem ambientibus: *vtque videantur in negotiis communis aſſertione legati, euectionem refundunt, ipſoſque* Svmptvs *vltro recuſant: Sic quoque cum fatigatio* Gratvita *poſſit libenter admitti, libentius tamen atque amabilius verecundi leguntur, idque cum* Expensa: *tantum impudentia ſeſe ingerentium ponderis habet etiam* Fascivm Tribvtario nomine ipsorvm nil Svperfvnditvr. Idque munuſculi nomine, idem Sidonius *lib. 5. ep. 7. Hi ſunt qui inuident tunicatis otia, ſtipendia paludatis, viatica veredariis, mercatoribus nundinas, munuſcula Legatis, portoria Quadruplatoribus* &c. Perperam enim id nonnulli ad Xenia referunt, quæ Legatis, id eſt Rectoribus prouinciarum dari ſolita. Porro Legatiua hæc Græcis dicta πορεῖα: vide Etymologicum.

Quod *Allectos* attinet, Græci *hic* τὰς ὑπὸ βασιλέως καλουμένους interpretantur, id eſt, qui a Principe publici negotii ergo euocantur. Allectorum certe non vnum genus occurrit. Sunt *Allecti* de ſuſceptorum genere, quo ſenſu accipiuntur *l. 11. 12. 13. infr. de Suſceptoribus:* & *l. 2. ſupr. de Quaſtionibus.* De his & Sidonius *lib. 5. d. ep. 7.* qui & ideo menſuras his tribuit. *Hi ſunt*, inquit, *qui inuident Arcariis pondera, menſuras* Allectis, *ſalaria Tabulariis, diſpoſitiones Numerariis.* Interpres quoque ad *l. 2. infr. de Epiſcopis:* de *Clericis*, inquit, *non Exactores non adlectos facere.* Hi vero colligendis & perferendis ad largitiones tributis operam nauabant, vt docet *d. lex 11. 12.* & *13.* Quare & his ſumptus (pariter, vt Legatis ad perferendas preces miſſis) ſeu viatica ex collatione prouincialium data videantur. *Adlecti* alii a quibus & *Adlectionis* honos, de quibus *l. 10. ſupr. de Prætoribus: l. 1. ſupr. de decur & ſilent l. 7. 8 9. 10 ſupr. domeſticis & protect. l. 7 de priuil cor. quæ in S. Pal.* pro immunibus & immunitate a functionibus Senatoriis, ab onere Præturæ, quaſi ii iam reuera functi eſſent. Nullibi autem Allecti, pro Euocatis a Principe: etſi illud verum, Euocatis a Principe curſus publici copiam patuiſſe.

Sequuntur *Exceptiones.* Prima eſt ratione *Rhetici limitis:* Nempe ſordidorum munerum immunitas quæ tribuitur parauer edorum & parangariarum, ceſſare iubetur, vbi ex more Rhæticus limes inſtruendus eſt, id eſt, vt explicat *l. 18.* vbi limes Rhætiarum paſſus militaris, id eſt, annonæ limitaneæ translationem pro ſolennitate depoſcit. Scilicet notandum (quod bonum Accurſium hic fugit) Rhætiam ſeu Rhæticum limitem Alemannicis populis; & inundationibus expoſitam ſubinde fuiſſe; vnde & proprius iſti limiti Dux iam olim & deinceps oppoſitus, quam in rem videndus eſt Vopiſcus *in vita Aureliani, cap. 13.* & in *vita Bonoſi cap. 14.* (de duo Vopiſci loca ſola *hic* laudat Alciatus) Ammianus Marcellinus *lib. 15. cap. 4.* & *lib 16. cap. 11. 12. lib. 17. cap. 6. lib. 28. cap. 2.* & *Notitia Imperii*, vbi *Ducis Rhætiæ primæ & ſecundæ* inſignia & prædia memorantur *fol. 172.* Et nominatim a Iuthungis Alemannis hac tempeſtate infeſtatus hic limes Rheticus: v. Ambroſium *de legatione ſua ad Max.* p. 130. Proſperum & Idacium *in Chron* Sidonium *Carm. 7. v. 374* Annonam proinde & ſpecies annonarias ad limitem iſtum Rheticum tranſuehi oportuit, iiſque limitaneum militem inſtrui, adeo quidem vt huic ſpecierum tranſuectioni integræ legiones deputatæ fuerint, vt diſerte teſtatur Notitia Imperii *fol. 172. Præfectus Legionis tertiæ Italicæ, tranſuectioni ſpecierum deputatæ Fœtibus: Præfectus Legionis tertiæ Italicæ, tranſuectioni ſpecierum deputatæ Teriolis.* Quinimo & extra ordinem tranſuectioni iſti prouinciales parauer edos & parangarias præſtare cogebantur, vt ex *hac l.* & *d. l. 18* apparet. Atque hæc ipſa onera Rhetica ſunt, quæ memorantur *l. vit. infr. de conlat. fundor. patr.* vbi ait, *mediam penſionem horum onerum ſoluere* Ivssos *detentatores patrimonialium & emphyteuticorum fundorum.* Sane de hac annona Rhetica accipiendus quoque Auguſtini locus, *lib. 18. de ciuitate* Dei, *cap. 18. Annonam*, inquit, *inter alia iumenta baiulaſſe militibus, quæ dicitur Retica, quoniam ad Retia* (γρ. *Retias) deportatur.* Nam quæ ibi de *Reticulo panis* nonnulli obſeruant, ſomnia ſunt.

Sententia extrema *huius l.* continetur Limitatio, & retro Ampliatio huius immunitatis a ſordidis muneribus: Nempe definitur: immunitatem iſtam a ſordidis muneribus perſonalem eſſe, & ſic, quod expreſſe additum *l. 18.* ne quidem vxoribus eorum competere: item vita finiri, & ſic ad heredes non tranſire, quod *l. 17. prox. infr.* & *d. l. 18.* nominatim cauetur; Retro, eam Immunitatem quoque durare, quod & ipſum nominatim exprimitur *l. 19 infr* quæ *lex* occaſione *legis 18* lata eſt, & ad eam explicandam pariter vt *lex 16. prox. infr.* eodem fine lata huic explicandæ.

Altera exceptio eſt circa Carbonis præbitionem: nempe eos, qui a ſordida carbonis præbitione immunes ſunt, hac immunitate non frui, ratione carbonis in vſum monetæ, & fabricationis armorum.

XVI. (a) Imppp. VALENTINIANVS, Theod. & Arcad. AAA. ad Neotherium PF. P. (b)

Sordidorvm munerum excuſatione (c) delata perſonis, ad heredem ſucceſſoremue tranſire non poteſt: Neque enim poteſt eſſe perpetuum, quod non rebus, ſed perſonis, contemplatione dignitatis adque militiæ, indulſiſſe nos conſtat. Igitur, (*) ne ſuperindictorum nomine cuiuſuis domus minus præſtet, neve quis id audeat poſtulare, Oraculi Noſtri definitione ſancimus. Dat. xviii, Kal. Maii, Med. Arcad. a. i. & Bautone Coss. [385.]

NOTAE.

(a) *Lex* 13. *C. Iuſt. de excuſationibus munerum. GOTHOFR.*

(b) *Neotherius PP.* ſub Valentiniano Iun. Italiæ ſcil. *ID.*

(c) *γρ. Excuſatio quæ.* Sane & *Cod. Iuſt.* habetur, *excuſatio. ID.*

(*) Cœtera reſecata ſunt a Triboniano, de quorum ſententia mox videbimus. *ID.*

COMMENTARIVS.

IMMVNITATEM ſordidorum munerum, quorum recenſum inſtituit *lex prox.* 15. *ſupr.* & *lex* 18. *infr.* ad hæredem eius cui ea competit oon traoſire definit *hac leg.* Valentinianus Iunior, pariter vt Idem iam definiuit *d. l.* 15. & Theodoſius M. definiet *d. l.* 18. *in fin.* Ita vt inquit *dicta lex* 15. perſonis ac dignitatibus indulta beneficia tamdiu vnicuique quamdiu ſuperſuerit ſuffragentur. Quibus ſimilia *hac l.* & *dict. leg.* 18. continentur: Ratione vtrobique addita. Neque enim, poteſt eſſe perpetuum ait *hac lex*, quod non rebus, ſed perſonis contemplatione dignitatis atque militiæ, indulſiſſe, nos conſtat. Neque enim, ait *lex* 18. *ea quæ laborum contemplatione ſingulis ſunt delata perſonis, hæres poterit vindicare ſecurus.* Quæ omnia, vt eleganter dicnotur, ita cum vulgata Iuris Regula conſpirant, quæ continetur *l.* 68. & *leg.* 296. *D. de Regulis iuris:* ad quas *leges* dixi plenius.

Duo vero adhuc ſingularia *hac l.* occurrunt; Prius nequidem Reſcripto Principis hanc immunitatem ad hæredes ſeu domum priuilegiati exteudi poſſe: ſiue in totum, ſiue in tantum: veluti vt domus priuilegiati ſeu hæredes eius ſuperindictorum nomine, id eſt, de extraordinariis ſordidis muneribus, minus præſtet. Qui caſus addendus eſt aliis, quibus Reſcripta Principis ooo valent, quæ congeſſimus *tit. de diuerſis reſcriptis.* Alterum eſt, quod *ſuperindictorum* appellatione extraordinaria ſordida munera hic deſignantur: ſunt enim ea, *ſuperindicti* ſpecies: de quo conſule *paratitlon de Superindicto, ſupr.*

P. 131.

XVII. (a) Idem AAA. ad Principium PF. P.

COGENDARVM inuitu penſionum, a ſundis Patrimonialibus, vel Emphyteuticis, extraordinaria functionum ſarcina remoueatur; capitis (b) atque fortunis eorum Iudicum atque Officiorum, qui priuilegia tanta temerauerint, diſcrimine minime defuturo, ſi ſimilem rurſus (c) inquietudinem mouere temptauerint: ſundos enim tam Patrimonialis iuris, quam Emphyteutici, abſque (d) his quæ Diuali lege præcepta ſunt, ad alia iubemus onera non vocari. Dat. III. Id. Decembr. Aquil. Arcad. A. I. & Bautone Coss. [385.]

NOTAE.

(a) Abeſt hæc *lex* a *C. Iuſt.* Forte *illi* iungenda eſt *lex* 17. *ſupr. de diuerſis Officiis. GOTHOFR.*

(b) *γρ. Capiti. ID.*

(c) Ergo id hactenus factum fuerat. *ID.*

(d) *Abſque*, hic accipitur, pro *præter*, ſeu exceptis his: quo ſenſu ſæpiſſime apud Victorem Schotti. Eandem vocem reſtitui *l.* 18. *ſupr. de Prætoribus. ID.*

COMMENTARIVS.

PATRIMONIALIVM, & EMPHYTEVTICORVM fundorum immunitas ab extraordinariis muneribus cum labefactata fuiſſet, hac rurſum Valentiniani Iun. conſtitutione ſancitur; pariter vt *l.* 13. *ſupr.* & quamplurimis aliis aliorum Principum conſtitutionibus, puta *l.* 1. 2. 5. 9. 12. *ſupr. l.* 20. *infr. l.* 1. *infr de itinere mun. l.* 2. *ſupr. de indictionibus.*

Rationem quæ *initio legis* continetur, iam expendi ad *d. legem* 13. *ſupr. h. t.* Cuius hic ſenſus eſt ab Extraordinariis eos ſundos immunes eſſe oportere, intuitu & contemplatione penſionum & canonis, qui ab his de more & ſolenniter iam grauis ſatis exigitur. Extremorum *legis* verborum hæc ſententia eſt, fundos illos ſolis canonis penſionibus exceptis, aliis oneribus non ſubiacere.

XVIII. (a) Imppp. VALENTINIANVS, THEOD. & Arcad. AAA. Tatiano PF. P. (b)

EXTRAORDINARIORVM munerum beneficiis (c) nullum omnino potiri iubemus, ſed quidquid talis obſequii communis omnibus populis functio poſtularit, id ab omnibus indiſcretum (d) meritis (e) atque perſonis iubemus impleri. Neque ſane deeſt, vbi vel meritorum priuilegia, vel dignitatum, a communione (f) vindicemus, ſiquidem ea munera quæ *Sordida* nuncupantur excepta (g) lege prohibeamus obire perſonas, ſcilicet ne ad eorum obſequia, ampliſſimarum etiam militari faſtigio, nomina dignitatum, vel Conſiſtoriani Comites deuocentur (h) quæ ſimili priuilegio Eccleſiis, Rhetoribus, adque

adque Grammaticis inſtitutionis (i) vtriuſque largimur. Ac ne in occulto lateat, quæ ſit munerum enumeratio *Sordidorum*, vocabulis ipſis ſignata reſpondet. (k) Eius igitur patrimonium, quem ab his obſequiis lex noſtra defendit, cura conficiendi pollinis non habebit: (l) nullam excoctionem panis agnoſcet: nulla piſtrinis obſequia dependet: operas atque artifices non præbebit: excoquendæ ab eo calcis ſollicitudo ceſſabit: non conferendis tabulatis obnoxia, non lignis, indultam quoque materiem ſub eadem exceptione numerabit: nulla paraueredorum & parangariarum præbitione pulſabitur (exceptis his, quas *Rhetiarum limes, expeditiones Illyricæ*, quas paſtus (m) tranſlatio militaris, vel pro neceſſitate, vel pro ſollemnitate depoſcunt:) carbonis ab eo inlatio non cogetur (niſi vel monetalis cuſio, vel antiquo more neceſſaria fabricatio poſcit armorum) nullam ſollicitudinem Publicarum ædium vel Sacrarum conſtituendarum reparandarumue ſuſcipiet; nulla pontium, vel viarum conſtructione retinebitur: temonis ſiue capituli onera non ſentiet: Adlectis atque Legatis nihil in ſumptuum conlatione numerabit. Quæ vniuerſa ita enumerari viri ad ſuum nouerint priuilegium pertinere, vt ea nec vxorum facultatibus indulta cognoſcant, & ſuis patrimoniis cum viuendi circunſcribia temporibus: *Neque* enim *ea*, *quæ laborum contemplatione ſingulis ſunt delata perſonis*, *heres poterit vindicare ſecurus.* Dat. III. Non. Iul. Med. Valentiniano A. IV. & Neotherio coss. [390.]

P. 134.

NOTAE.

(a) Abeſt hæc *lex* a *Cod. Iuſt* huius legis ſuæ meminit Theodoſius, *l.* 19. *prox. infr.* & omnino concordat Valentiniani Iun. *lex* 15. *ſupr. hoc tit.* *GOTHOFR.*

(b) Tatianus PP. ſub Theodoſio M. Orientis ſcil. vt *d. l.* 19. *prox infr.* nominatim additum v. *Proſopogr. ID.*

(c) *Beneficia*, ſunt immunitates, priuilegia, dixi plene ad *l.* 4. *ſupr. de conſtit. Princip. ID.*

(d) *γρ. Indiſcretim*; quanquam & iſtud defendi poſſe ſcio. *ID.*

(e) *Merita*, ſunt hic faſtigia dignitatum, & reuerentia profeſſionis. *ID.*

(f) *Communio* eſt ius commune & promiſcuum. *ID.*

(g) *γρ. Exceptas*; Vide & quæ dixi in *Notal.* ad *d. l.* 15. *ID.*

(h) Hic omittuntur *Notarii & Cubicularii*, & Cæteri his coniuncti, *d. l.* 15. *ſupr. ID.*

(i) Eruditionis vtriuſque *l.* 15. *hoc tit.* vbi dixi. *ID.*

(k) Gothicus ſtylus: Senſus eſt, inquirenti, hanc enumerationem reſponſuram. *ID.*

(l) Gothicus & hic ſtylus, *aliquem cura habere*, id eſt, curam ſuſtinere. *ID.*

(m) *Paſtus militaris tranſlatio*, id eſt, annonæ militaris: ita paſtus primipili, *leg.* 8. 10. 11. 16. *ſupr. de cohortalibus. ID.*

COMMENTARIVS.

De Immvnibvs ab extraordinariis & ſordidis muneribus eadem prope eſt *hac leg.* Theodoſi. Magni ſententia, quæ Valentiniani Iun. *l.* 15. *ſupr. h. t.* ad cuius inſtar etiam hæc expreſſa videtur. Quare ſingula pene ad eam dicta, *hic* iterari ſuperflua fuerit. Sane hæc in multis auctior, in aliis arctior deprehenditur: denique in aliis explicatior. Auctior in ſequentibus; Primo in opponendis muneribus ſordidis & extraordinariis, & *initio* ſtatim *legis*, & *verſ.* neque *ſane deeſt*: nempe ait ſatis habere in quo ſibi gratulentur exceptæ *hac leg.* perſonæ, quod ſordidis muneribus immunes ſint, & hac parte a communione aliarum perſonarum vindicentur, quam vt ab extraordinariis excuſentur. Secundo auctior in eo, quod Ampliſſimas Dignitates non tantum ciuiles hic accipiendas dicat, verum etiam Militari faſtigio, id eſt, Magiſtros militum, Equitum, Peditum, dubitationi videl. tollendæ: etſi *l.* 15. *ſupr* ſatis generali appellatione Culminum Maximarum dignitatum comprehendantur. Contra arctior *huius leg.* expreſſio in tribus: Neque enim inter exceptas perſonas enumerat Notarios, Cubicularios, & Ex-Cubicularios. Neque in recenſu Munerum ſordidorum memorat Adiumentorum, aut hoſpitalium domorum curam. Neque etiam hanc immunitatem conſtare dicit expreſſe *poſt militiam* quamdiu vixerint: quæ omnia exprimuntur *d. l.* 15. Quod poſtremum etiam puſtea occaſionem dedit *legi prox.* 19. Manifeſtior eſt & explicatior in eo; Primum quod Parauaredorum & Parangariarum, quas depoſcit Rhetiarum limes & expeditiones Illyricæ, vſum indicat: nempe ad paſtus ſeu annonæ militaris tranſlationem: Item, quod harum immunitatem ad vxorum facultates non porrigi definit. Quod ſingulare eſt: nempe vt mariti immunitate vxor non fruatur: Tandem, quod rationem addit, cur hæredibus hæc immunitas non tribuatur, de qua iam ad *l.* 15. & 16. *ſupr.*

XIX. (a) Idem AAA. Tatiano PF. P. Orient.

Eam legem, (b) quam *de extraordinariis ſordidiſque muneribus*, *expreſſis vocabulis functionum*, *& inſignibus dignitatum*, ſine vlla ambage præſcribſimus, ita circa eos, in quos noſtra munera redundarunt, ſeruandam eſſe præcipimus, vt hiſdem beneficiis non

quandiu militauerint, ſed quandiu vixerint, perfruantur. Dat. XI. Kal. April. Med. Tatiano & Symmacho Coſs. [391.]

NOTAE.

(a) *Lex* 14. *C. Iuſt. de excuſationibus munerum. GOTHOFR.*

(b) Intelligit *legem* 18. *prox. ſupr. ID.*

COMMENTARIVS.

CONFIRMAT *hac l.* Theodoſius M. *legem ſuam* 18. *prox. ſupr.* eo nominatim expreſſo, vt immunitas *ea l.* conceſſa non cum dignitate ſeu militia expiret, verum cum vita perennet, etiam poſt miſſionem ſeu depoſita dignitate, quod vt *lege* 15. *ſupr.* clare expreſſum fuerat, non ita clare *l.* 18. *prox. ſupr.* Quod vtique ſingulare eſt, vt videlicet priuilegium Dignitati tributum ſeu laborum contemplatione, etiam honore perfunctis ſeruetur. Quare non alia *huius l.* ſanciendæ Theodoſio occaſio fuit, quam vt id exprimeret, quod non adeo aperte expreſſerat *fine d. legis* 18. *prox. ſupr.* Illud enim hactenus cauerat, hanc immunitatem *cum viuendi temporibus circumſcriptam:* Non vero id expreſſerat, vt etiam poſt militiam competeret. De quo tamen dubitatum in aliquo caſu videtur, quaſi toto quidem vitæ tempore ea competeret, dummodo in eadem militia perſtaret.

P. 133.

XX. (a) Impp. Arcad. & HONOR. AA. Meſſiano Com. R.P. (b)

EVIDENTER aque abſolute iubemus, ne fundi ad patrimonium noſtrum pertinentes, ſeu conductionis titulo, ſeu perpetuo (c) iure teneantur, aliquid (d) præter ordinem, ſuperindicti, vel pretii (e) petiti (f) nomine, vel de ſordidis quibuſcunque muneribus agnoſcant: Nam hoc & a Diuis Principibus imperatum (g) eſt, & a Noſtra Serenitate reparatum. Quiſquis igitur Iudicum contra fecerit, quinque pondo auri de facultatibus, alia de Officiis ſuis, totidem & de Curialibus, (h) qui exſequi male iuſſa feſtinant, nouerit eruenda. Dat. XVII. Kalend. Iul. Med. Olybrio & Probino Coſs. [395.]

NOTAE.

(a) *Lex penult.* tit. 15. Cod. Iuſt. *de excuſationibus munerum. GOTHOFR.*

(b) *Meſſianus* Comes R. P. ſub Honorio. Eidem inſcribitur A. D. 389. *lex* 3. *ſup. vnde vi*, quæ Valentinianum Iun. Auctorem habet. v. *Proſopogr. ID.*

(c) De *Perpetuariis* his fundis ſemel dixi plene *ad leg.* 12. *ſup. h. t. ID.*

(d) Quantumcunque, ne quidem mediam penſionem. *ID.*

(e) Pro tironibus & equis *l.* 1. *inf. qui a præb. tironum. l.* 1. 2. 3. *inf. tit. prox. de Equorum conlat. ID.*

(f) Abeſt hæc vox a *Cod. Iuſt. ID.*

(g) Suſtineri poteſt; quanquam & eodem ſenſu tenet quis, *imperatum*, vti & habent Editiones vulgat. Cod. Iuſt. *ID.*

(h) Dixi de hoc ad *legem* 11. *ſup. h. t. ID.*

COMMENTARIVS.

PATRIMONIALIVM & PERPETVARIORVM (id eſt Emphyteuticorum) fundorum & conductorum immunitatem ab extraordinariis & ſordidis muneribus a tot Principibus ſancitam, cum labefactari cœpiſſet, hac conſtitutione *Honorius* reparat: de qua tot iam extiterunt *hoc tit.* conſtitutiones: propoſita multa Iudicibus & eorum Officiis & Curialibus. Et quidem, vt ipſemet præfatur, *euidenter & abſolute*, id eſt, vt quocunque tandem obtentu, quæcunque tandem portio, quam modica eſſe poſſit, ab his nullatenus exigi poſſit. Et tamen idem Honorius poſtea mediam penſionem eos aliquando ſoluere voluerat: quam tamen idem remittit iuxta Valentiniani conſtitutionem in *leg. vlt. inf. de collat. fund. patrimon.*

XXI. (a) Idem AA. Theodoro PF. P. (b)

PRIVILEGIA Venerabilis Eccleſiæ, quæ Diui Principes contulerunt, imminui non oportet: Proinde etiam, quæ circa Vrbis Romæ Epiſcopum, (c) obſeruatio intemerata cuſtodiet: ita vt nihil extraordinarii muneris Eccleſia, vel ſordidæ functionis agnoſcat: *&c.* Dat. Prid. Kal. Feb. Med. Cæſario & Attico Coſs. [397.]

NOTAE.

(a) Abeſt hæc *lex* a *Cod. Iuſt.* Iungenda ei *lex* 30. *inf. de Epiſcop. Eccleſ. & Cler.* Concordat huic legi, *lex* 22. *prox. inf.* Tres has omnes ex æquo omiſit Baronius in *Annales ſuos* referre. *ID.*

(b) *Theodorus* PP. ſub Honorio Imp. & quidem Italiæ, vt vel argumentum *huius l.* oſtendit. vid. de eo *Proſopogr. ID.*

(c) Scilicet Diui Principes contulerunt *ἀπὸ τοῦ κοινοῦ*: niſi pro, *quæ*, ſupra legamus, *aque. ID.*

XXII.

XXII. (a) Idem AA. Theodoro PF. P. (b)

PRIVILEGIA Venerabilis Eccleſiæ imminui non patimur, ita vt nihil extraordinarii muneris Eccleſiæ, vel ſordidæ functionis, agnoſcant. Quidquid igitur præceptis veteribus reuerentia religionis obtinuit, mutilari, etiam pœnæ interminatione, prohibemus: Ita, vt hi quoque qui Eccleſiæ obtemperant, his quibus cautum eſt, beneficiis perfruantur. Dat. Prid. Id. Iun. Med. Cæſario & Attico Coss. [397.]

NOTAE.

(a) Abeſt & hæc *lex* a *Cod. Iuſt.* & *Annalibus Eccleſiaſticis* Baronii. Hæc porro *lex* ferme tranſcripta eſt ex *ſuperiore lege*, ſimul &, quæ *illi* iungenda eſt, *l.* 30. *inf. de Epiſcopis Eccleſ. & Cler. ID.*

(b) De *Theodoro* hoc PP. Italiæ iam ad *leg. ſuper. ID.*

P.134. ### COMMENTARIVS.

ECCLESIARVM, ac proinde & EPISCOPORVM, ac nominatim Epiſcopi Romani (qui hoc adhuc Anno SYRICIVS erat, Damaſi ſucceſſor,) & CLERICORVM immunitatem ab omnibus extraordinariis & ſordidis muneribus, ab anterioribus iam Principibus conceſſam, Honorius Imp. his duabus conſtitutionibus, ad eundem Theodorum PP. Italiæ emiſſis, & tertia inſuper, quæ priori iungenda eſt, puta *l. 30. inf. de Epiſcop Eccleſ. & Cler.* propoſita etiam pœna, confirmat A. D. 397. iterata conſtitutione, intra quartum ferme menſem; ſed & anterioribus & poſterioribus aliis quamplurimis, puta *l. 29. 34. 36. 38. 40. eod. tit de Epiſcop Eccleſ & Cler.* Addatur & Sozomeni locus *lib. 5. cap. 1.* Quæ toties repetitæ conſtitutiones argumento ſunt, quam difficulter hæc immunitas inualuerit.

Tria interim ex his *legibus* obſeruanda ſunt: Primo, ex hoc ſingulari priuilegio ſeu immunitate Eccleſiis & Eccleſiaſticis ab extraordinariis & ſordidis muneribus tributa, colligi poſſe, Eccleſias & Eccleſiaſticos hac tempeſtate ordinariis & canonicis tributis obnoxios fuiſſe; de quo dixi plene ad *leg. 40 inf. de Epiſcop. Eccleſ. & Clericis*, & ad *leg 33. ſup de annonis & trib.* & *l. 15. inf. de Epiſcop. Eccleſ & Cler.* Secundo ex his *legibus* liquet, priuilegia Eccleſiis tributa, non illico ſtatim ad Eccleſiaſticos pertinuiſſe, verum ſpeciali Principum beneficio & declaratione opus fuiſſe: id quod ſane *hac vtraque lege* fit, & *tertia illa 30. inf. de Epiſcopis Eccleſ. & Cler.* Poſtremo obſeruandum ex *priore l. 21.* ſcilicet, Romanis quoque Epiſcopis ab Imperatoribus hæc priuilegia & *beneficia* nominatim, & ſi quæ alia forte ſimilia *προνόμια, προτόμια, πρεσβεῖα* conceſſa fuiſſe, & in his, vt dixi extraordinariorum & ſordidorum munerum immunitatem, ſic etiam vt peculiari *lege* tum opus fuerit. Sane & Conſtantius *l. 13. inf. de Epiſcop. Eccleſ. & Cler.* Vrbis Romæ & Eccleſiæ Clericis conceſſa priuilegia confirmat: itemque *l. 14. eod. tit.* quarum illa Præfecto V. inſcribitur, hæc Felici Epiſcopo, Vrbis Romæ, quæ priuilegia qualia ſint, ex *eadem leg. 14.* videre eſt.

XXIII. (a) Idem (b) AA. & Theod. A. Melitio PF. P. (c) Poſt alia.

AB Inluſtribus perſonis ſordida munera & extraordinariæ neceſſitatis damna remouemus, *&c.* Dat. XV. Kalend. Mar. Rau. DD. NN. Honor. IX. & Theod. V. AA. (d) Coss. [412.]

NOTAE.

(a) *Lex vlt. C. Iuſt. de excuſationibus munerum.* Et iungenda *huic* eſt *lex vn. inf. qui a præbitione tyronum & equorum excuſentur. GOTHOFR.*

(b) Inſcribendi hi Impp. *Honorius & Theodoſius*: vt etiam inſcripti *d. l. vn.*

(c) *Melitius* PP. ſub Honorio, cui inſcriptæ quinque præterea *leges*, vid. *Proſopogr. ID.*

(d) Reponendi hi Coss. quoque in *d. l. vn. ID.*

COMMENTARIVS.

ILLVSTRES perſonæ ab omnibus non tantum ſordidis, verum & extraordinariis muneribus immunes ab Honorio eſſe iubentur *hac leg.* cum antea Valentiniani Iunioris & Theodoſii conſtitutionibus *lex 15.* & *18. ſup.* a ſordidis tantum immunes eſſent; rurſum cum ipſe Honorius *leg. vn. inf. qui a præbitione tyron.* (quæ huic *legi* iungenda eſt) inferiores dignitates non ab omnibus, verum a certis & pauciſſimis, puta Tyronum, Equorum & auri præſtatione immunes faciat. Quinam autem Illuſtres ſint, iam ad *d. legem 15.* oſtendi, & docet *Notitia Imperii*, & Noſtra *Notitia Theodoſiana.*

DE EQVORVM CONLATIONE. (*)

TITVLVS XVII.

Abeſt hic *Titulus* a *Cod. Iuſt.*

(*) Extraordinaria ſcil. quæ ratio, cur hic *Titulus* ſuperiori ſubiiciatur: Nam *Titulus XXIII. lib. VIII. de oblatione Equorum*, eſt de ordinaria iam Equorum oblatione facta.

PARATITLON.

EQVORVM *Rubr.* & *aliis ll. multis*, (qui Curatoricii dicuntur *l.* 29. *ſup. de annona & tribut.* Curatoricio nomine flagitabantur, *leg.* 2. *boc tit.* item Canonici militares, *leg.* 3. *boc tit.*) conlatio, *Rubr.* & Symmachus *lib.* 10. *ep.* 27. inlatio, *l.* 1. *ſup. de diſtrabend. pignor.* oblatio, *ſup. tit. de oblatione equorum*, præſtatio, *leg.* 2. *ſup. de decurion. & ſilent. leg.* 14. *ſup. de prox. Comit. diſpoſit. leg.* 2. *inf. de Medicis*, repræſentatio, *leg.* 2. *ſup. de priuileg. eorum qui in S. P.* præbitio, *leg.* 1. 15. *inf. de nauicular.* pro rerum neceſſitate, *dict. leg.* 2. *ſupr. de decurion. & ſilent.* vt inſtrueretur vſus armorum, *leg. vn. ſupr. de oblat. Equorum.* caſtrenſi vſu efflagitante, Symmachus *fine dict. ep.* 27. Deſtinatis ad agendas curas Reipubl. vel alterius officii, *leg.* 2. *ſup. de priuileg. eorum qui in S. P.* Colonis & obnoxiis *leg.* 1. *boc tit.* Honoratis, *dict. leg.* 2. *ſup. de decurion. & ſilent. leg.* 3. *ſupr. de prox. Com. diſp.* & *dict. leg. vn. de oblat. equorum: leg.* 2. *ſup. de priuileg. eorum, qui in S. P. leg.* 138. *inf. de decurion. leg.* 15. *inf. de nauicul.* Honorariis, *dict. leg. vn.* qui vſque ad honorariam dignitatem peruenerunt, *leg.* 138. *inf. de decurion.* (etiam Nauiculariis *leg.* 14. & 15. *inf. de nauicular.*) collegiatis Negotiatoribus V. R. Symmachus *dict. ep.* 27. indicebatur, imminebat. Hi autem vel ipſi præſtabantur, miſſis ad eos probandos Stratoribus: vid. *leg. vn. de oblat. equor.* & *l. vn. de ſtratorib.* vel adærabantur, *leg.* 3. *b. tit.* id eſt ſolidi pro his exigebantur, *leg.* 1. *b. t.* in pretio exactio fiebat, *leg.* 1. *boc tit.* & *l.* 20. *ſup. de extraordin. lex vn. inf. tit. prox.* Per ſingulos enim equos, *leg.* 2. *boc tit.* pro ſingulis equis, *leg.* 2. *b. t.* & *l.* 29. *ſupr. de annona.* præſtabantur, Viceni terni ſolidi, *leg.* 1. *boc tit.* Per Africam in Proconſulari prouincia Africa, *leg.* 2. *boc tit.* viceni ſolidi primum, *leg.* 2. *boc tit.* vt ex Numidia, *dict. leg.* 29. Verum poſtea octoni & deni ſolidi tantum *dict. leg.* 29. ex Byzacena, Tripolitana quini & deni *dict. leg.* 29. Ex his ſepteni ſolidi contubernalibus miniſtrabantur, *leg.* 2. *b. t.* militi deuotiſſimo, *leg.* 3. *b. t.* Comitibus ſtabuli pro ſportulis bini ſolidi pro ſingulis equis tribuebantur, *l.* 3. *boc tit.* quod abrogatum *l.* 29. *ſup. de annona & trib.*

Immunes tamen erant ab hac præſtatione Archiatri, & Ex-archiatris, *leg.* 2. *inf. de Medicis.* Decuriones, Silentiarii, *dict. leg.* 2. *ſup. de decurion. & ſilent.* Proximi Comites diſpoſitionum, *leg.* 14. *ſup. de prox. Comitib. diſpoſ.* in ſacris ſcriniis militantes, *leg.* 15. *ſup. de prox. Comitib. diſp.* Memoriales & Palatini, qui ad agendas curas Reipublicæ vel alterius officii fuerint deſtinati, *leg.* 2. *ſup. de priuil. eorum qui in S. P.* Curiales, qui gradu meritorum ad honorariam dignitatem peruenerunt, *leg.* 138. *inf. de decurion* Corporati negotiatores Vrbis Romæ ex mente Symmachi *lib.* 10. *ep.* 27. aliique, de quibus *proprio* mox *titulo*; *prox. inf. qui a præbitione Tyronum & Equorum excuſentur.*

P. 136. I. (a) Impp. Valentinianus, & VALENS AA. Alexandrino (b) Com. R.P.

VICENI & terni ſolidi, per ſingulos equos, qui a Colonis, atque ab obnoxiis, (c) exiguntur, ipſi magis iugiter, quam fraude Procuratorum (d) noſtrorum equi offerantur. Dat. III. Kalend. Iun. Marcianop. (e) Lupicino & Iouino Coss. [367.]

NO-

N O T A E.

(a) Abeſt hæc *lex* a *Cod. Iuſt.* *GOTHOFR.*

(b) Al. *Alexandriano.* Eidem inſcribitur hoc ipſo anno *l. 14. inf. de ſuſceptorib. lex 11. ſup. de iure fiſci:* & anno 369. *lex 11. ſup. de petitionibus. ID.*

(c) *Obnoxii*, a quibus tributa exiguntur: quomodo & Auſonius in Gratiarum actione *c. 23. ID.*

(d) *Procuratores rei priuatæ* intelligit, qui ſub diſpoſitione Comitis R. P. fuerunt. vid. *Notitiam imperii:* vbi tamen in Orientis Imperio (quo hæc *lex* pertinet) nonniſi *Procuratores ſaltuum* memorantur. *ID.*

(e) *Marcianopoli* Valens, vid. Ammianum Marcellinum *lib. 27. cap.* 5. Zoſimum, *lib.* 4. *c.* 10.11. Suidam in v. Οὐάλης: Quanquam Ammiani locus ad A. 369. magis pertineat, & ſubſcriptionem *legis 7. ſup. de falſa mon. l. 15. ſup. de erogat. mil. ann.* Thraciæ autem vrbis Marcianopolis, vt Zoſimus ait *dict. c.* 10. id eſt diœceſeos Thraciæ: nam alioquin Myſiæ vrbs eſt, quod Ammianus docet *d. lib.* 17. *cap.* 4. & quidem Myſiæ inferioris. Quæ Thracia & Myſia Valenti in diuiſione Imperii ceſſit, vt idem Zoſimus ſcribit. *lib.* 4. *cap.* 3. *ID.*

C O M M E N T A R I V S.

PRETIVM pro equis (in vſum militarem videlicet neceſſariis) at non etiam equos ipſos, præberi iubet hac conſtitutione *Valens* Imp. pariter vt Honorius *l. 2.3 inf. h. tit.* & *l. 29. ſup. de annona & tribut.* cuius pretii quoque mentio fit, *l. 20. ſup. tit. prox. de extraordin.*

Quatuor autem de hac Equorum collatione vel ex *hac leg.* obſeruentur, quæ & ad ſequentes *leges* ferme transferri poſſunt. Primum eſt, *Adærationis* equorum *modus*, id eſt, quo pretio ſinguli equi æſtimati fuerint: Nempe viginti tribus ſolidis ſingulos equos *hac leg.* æſtimat Valens; quæ æſtimatio ſeu adæratio vt poſtea immutata fuerit, & quidem per Africam, videndæ ſunt *duæ leges prox. inf.* & *dict. lex 29. ſup. de annona.* Sane enormi pretio equorum ſubinde attriti prouinciales; atque ea indulgentiæ Principalis ſæpe materia, relaxando enormi pretio. Quo facit Mamertini locus in *Gratiarum actione pro Conſulatu*, vbi inter Iuliani laudes memorat. *Ipſo tempore leuati* EQVORVM PRETIIS *enormibus Dalmatæ: Epirotæ, ad incitas, intolerandi tributi mole depreſſi, prouidentia Imperator tua non modo miſerias exuerunt, ſed amplam etiam atque opulentam reuexerunt fortunam.*

Secundo, Quibus hæc equorum præſtatio indicta, videndum; Nempe varie; modo his, modo illis. *Hac* ſane *leg.* a Colonis & ab obnoxiis exiguntur: id eſt a Colonis qui obnoxii & adſcripti terræ: ita enim hoc accipio; quomodo etiam obnoxii dicuntur *Nouella Valentiniani 9.* de quo vid. *Paratitl. ſup. de fugitiuis colon.* Non vero vt *Obnoxii*, ſint hic Actores & Procuratores rei priuatæ, qui rationibus obnoxii erant, de quibus *l. 2. Cod. Iuſt. de Agricolis & mancip. domin.* de quibus Græci quoque acceperunt *leg. 1. Cod. Iuſt. de Agricol. cenſitis & Colonis:* (quæ deſumpta ex *leg. 4. ſup. de extraordin.*) cum *ibi* legerunt, *rationibus*, περὶ λογισμοὺς. Sed neque *Obnoxiorum* appellatione hic intelligendi omnes ii qui huic collationi ſubiacebant: quo ſenſu & *Obnoxiorum* vocem vſurpat Auſonius, *Gratiar. act. cap. 23.* De aliis, quibus hæc collatio indicta iam dixi plene *in Paratitlo.* Addatur & Symmachus *lib. 10. ep. 27.* vbi Equorum collationem a Valentiniano Iun. A. D. 384. caſtrenſi vſu efflagitante, Corporatis Negotiaturibus vrbis Romæ, imperatam memorat: quod tamen ipſe non probaret.

P. 137

Tertio videndum, *Cur* pretium magis, quam equos conferri voluerint Principes, & *hac* quidem *leg.* Valens: quod ipſe obſcure indicat *fine legis*, *Ipſi* (ſolidi) *magis iugiter, quam fraude Procuratorum noſtrorum Equi offerantur.* Nempe gemina hæc, excogitari poteſt ratio. Prima, ſi equi oblati fuiſſent, fraus collationi facile facta fuiſſet, debiles & ineptos equos collatoribus conferentibus. Quanquam huic fraudi alias obuiam itum Stratoribus per prouincias miſſis ad Equos probandos, *l. vn. ſup. de Stratoribus;* & *l. vn. ſup. de oblatione Equorum*: quibus *locis* vide quæ notaui plenius. Atenim ſecunda mihi magis hæc placet; ne alioquin abductis ſæpe hoc obtentu a miſeris Agricolis & colonis equis, agriculturæ fraus fieret. Sane & Themiſtius biennio poſt, *Oratione 10. ad Valentem p. 224. & 243. edit. Petau. 1613. in 8.* eo nomine Valentem commendat, & in primis quidem, quod Agricolas ſeu Colonos tributorum faſce leuare ſtuduerit: quod ſtudium ſuum ipſemet ad Alexandrinum Com. R. P. hoc ipſo anno effert *l. 11. ſup. de iure fiſci.*

Poſtremo *hanc leg.* ad belli Gothici apparatum pertinere omnino ſuadet & temporis ratio & ſubſcriptus locus *Marcianopoli*: ibi quippe ferme Valens hac tempeſtate hæſit, bello Gothico triennium illigatus: vt docet Ammianus Marcellinus *lib. 27. cap. 5.* Zoſimus, *lib. 4. cap. 10. 11.* Suidas *in v.* Οὐάλης. De hoc triennali bello Gothico, vid. & Themiſtium *dicta orat. 10.*

II. (a) Impp. Arcad. & Honor. AA. Pompeiano Proc. Afric. (b)

SICVT dudum præceptum eſt, quam primum equorum, qui Curatoricio nomine flagitantur, in pretio maturetur exactio: ita vt viceni quidem ſolidi pro ſingulis equis a Prouincialibus exigantur, ſepteni vero contubernalibus (c) miniſtrentur. Dat. Id. Feb. Med. Vincentio & Frauitta Coſs. [401.]

N O T A E.

(a) Abeſt & hæc *lex* a *Cod. Iuſt.* *GOTHOFR.* (b) *Pomp.*

(b) *Pompeianus* Proconſul Africæ ſub Honorio Imp. Eidem inſcribuntur quamplurimæ aliæ, vt Anno ſuperiore 400. ita hoc 401. Conſtitutiones: vid. *Indicem Perſonarum. ID.*

(c) *Contubernales*, id eſt milites *h. l.* & *l.* 33 *ſup. de erog. mil. ann.* Deuotiſſimus miles *l.* 3 *prox. ID.*

COMMENTARIVS.

PRETIVM pro equis curatoriciis inferri a Prouincialibus iubet, hac conſtitutione Honorius Imp. A. D. 401. pariter vt *lex 3. prox.* & *l. 29. ſup. de annona & tributis*, hoc ipſo Anno, per eandem Africam: Idque exemplo anteriorum Conſtitutionum, *ſicut dudum*, inquit, *praceptum eſt*: ita quidem, vt hanc exactionem *quam primum maturari* iubeat.

Modum porro pretio hunc ſtatuit: vt 20. ſolidi pro ſingulis equis exigantur, quem poſtea magis adhuc temperauit *d. l. 29. ſup. de annona & tributis*, detractis duobus adhuc ſolidis, & nominatim quidem per eandem Africam proconſularem (quo hæc *lex* pertinet) & Numidiam, vt ita nonniſi octodecim præſtari velit: & deductiorem adhuc numerum, quindecim ſolidorum per Byzacenam & Tripolitanam. Sane idem & *l. prox. 3.* profitetur, ſe per diœceſin Africanam equos Canonicos militares ſecundum diuerſitatem ſingularum prouinciarum adæraſſe.

Addit, ex his viginti ſolidis, ſeptem militibus, ad comparandos equos videl. miniſtrari oportere: Quod & ipſum *d. l. 3. prox.* ſtatuit hoc ipſo Anno.

Vnicum *h. l.* ſupereſt videamus, quinam ſint Equi illi, qui *Curatoricio nomine flagitari* dicuntur: vel vt vocantur *dict. leg. 29. ſupr. de Annona & tributis* (quæ ſex ferme ſeptimanis poſt *hanc* data eſt) *Curatoricii equi* *Vt vicenis*, inquit, *ſolidis, qui in præteritum pro Equis Curatoriciis petebantur*, &c. Quæ inquiſitio ardua eſt; neque enim vltra docemur *hac leg.* & *d. l. 29.* quam hos equos per Africæ diœceſim nominatim, in vſum militarem a prouincialibus exactos. Primum igitur inquirendum nobis an ſolemnis hæc collatio fuerit, an vero extraordinaria? Sane ſi *huius tituli* ſeriem & coniunctionem cum *ſuperiore* attendamus, item ſi totam *d. l. 29. ſup. de annona & trib.* ſpectes, extraordinaria magis videri poſſit: ac proinde Curatoricii equi, alii, a Canonicis: de quibus *l. 3. prox. inf.* verum neque id tuto hoc argumento aſſeri poteſt, cum & ſub *titulo de annona & tributis*, dicta *lex 29.* poſita ſit, qui vtique *titulus* proprie eſt de canonicis illationibus: & ſub *hoc titulo* de canonicis quoque equis agi doceat *d. l. 3. prox. inf.* Et tamen hoc argumento miſſo, mens mihi res, Curatoricios a Canonicis alios videri: Nam quo alioquin Honorius per eandem Africam; tam breui temporis ſpatio, tribus *legibus*, intra ſextum menſem latis, modo Curatoricios, modo Canonicos dixiſſet, niſi circa diuerſos, prouidentiam ſuam oſtendere voluiſſet. Adde, quod cum *l. 3. prox. inf.* Comitibus ſtabuli pro ſportulis binos ſolidos iuxta conſuetudinem pro ſingulis equis Canonicis militaribus diœceſeos Africanæ tribui permittat, *XII. Kal. April.* idem *Prid. Kalend. April.* ſportularum nomine, quæ Comiti S. ſtabuli præſtabantur, per eandem diœceſio Africæ, pro Equis curatoriciis quicquam omnino inferri vetet, *dict. leg. 29. ſup. de annona & tribut.* Neque enim veroſimile mihi, intra decimum diem, *legem illam 3.* abrogatam *d. l. 29.* De Nomine, atque adeo per id re ipſa, non minor obſcuritas. Reperio equidem Conſtantini M. conſtitutionem ad Proculum Proconſulem Africæ, puta *l. 2. ſup. de priuileg. eorum qui in ſacro Pal.* in hæc verba: *ſi ex Memorialibus, vel ex Palatinis noſtris aliquis ad agendas* CVRAS *Reipublicæ, vel alterius officii fuerit deſtinatus, minime ab eo repræſentatio poſtuletur* EQVORVM: *qui autem in Palatio obſequia non præbuerunt, ſed ex alio hominum genere ſunt*, EQVOS *ſolemnes* PRO *huiuſmodi* ACTV *repræſentent.* Inde quis ita exiſtimare poſſit, Collationis huius extraordinariæ exemplo a *Curatoribus* illis, de quibus *ea leg.* ad alios poſtea Honoratos deriuato, priſtinum tamen nomen manſiſſe Curatoriciorum equorum, atque inde nomen iſtud enatum: verum cum ex *hac* potiſſimum *leg.* videam, hanc Curatoriciorum equorum collationem a PROVINCIALIBVS exactam, non a Curatoribus aut Honoratis, neque ea ſententia mihi placere poteſt. Imo neque iam placere poteſt, quod aliquando ſuccurrebat *Curſatoricios*, reponendos, quaſi curſui publico deſtinatos, & Curſuales: cum videam ex *hac l.* eos contubernalibus ſeu militibus miniſtratos, & ſic in vſum caſtrorum & militiæ. Illud ergo conicio, dum certius quid adſertur, Curatoricios eos fuiſſe, qui darentur militibus limitaneis & Gentilibus, ad curam limitis Africani: vnde *Curatoricio nomine* flagitari *hac leg.* dicantur, quaſi pro *cura limitis*: nam & alias hoc ferme ſenſu *Cura*, & *Curas agere*, ſeu gerere dicitur *leg. 2. 4. 5. vlt. ſup. de Curioſis: leg. vn. ne Præfectianus exactoris vel curioſi.* Sed hoc omnino ſenſu. CVRA, *munitio, tuitio foſſati limitis*, per hanc ipſam Africam, ſub hoc ipſo Honorio An. 409 *l. 1. ſup. de terris limitaneis.* Denique huc traho duo loca *Notitiæ Imperii fol. 179.* vbi, *in prouincia Flaminia, Præfectus claſſis Rauennatium cum* CVRIS *eius de ciuitate Rauennæ*: P. 138.
Item *in prouincia Liguria, Præfectus Claſſis Comenſis cum* CVRIS *eiuſdem Ciuitatis Comi* memorantur: Ergo Curatoricii, qui pro Curis agendis accipiendi videntur. De iiſdem Equis accipio, quod Syneſius Epiſcopus Cyrenes *ep. 131.* ſcribit, de Equis ἐπὶ τῷ φόρῳ τρεφομένοις; aduerſus Barbarorum incurſus, quibus curæ agebantur, προδρομὴ, κατάσκεψις καὶ ἀπαγγελία. Καὶ τὸ ζεῦγος τῶν ἵππων τῶν ἀδδηφάγων τῶν ἐπὶ τῷ φόρῳ τρεφομένων, ἄγεσθαι κέλευε παρὰ σὲ, παντὸς μᾶλλον ἐν τοῖς τοιούτοις καιροῖς, ἵππος οὐκ ἀχρεῖον τὸ κτῆμα. καὶ γὰρ προδραμεῖν τε, καὶ κατασκέψασθαι, καὶ ἀπαγγεῖλαι δι' ἐλαχίστου, πάντα ταῦτα ἵππος δύναται ῥαδίως ποιεῖν. *Et par illud voracium equorum, qui ad tributum aluntur, adduci ad te impera. Nulla iis temporibus poſſeſſio equo utilior, atque opportunior eſſe poteſt. Nam & procurrere & ſpeculari, & breuiſſimo tempore renunciare, omnia hæc facile equus præſtabit.*

III. (a)

III. (a) Idem AA. P. P. (b) & Com. S. L. (c)

EQVOS canonicos militaris (d) Diœceſeos (e) Africanæ, ſecundum ſubiectam (f) Notitiam ſingularum prouinciarum, ex præſenti duodecima (g) Indictione, (h) iuſſimus adærari: (i) In tribuendis Viris Clariſſimis Comitibus Stabuli (k) ſportulis in binis ſolidis pro ſingulis equis ſeruari conſuetudinem decernentes. Quam formam quotannis obſeruari præcipimus, vt ſecundum poſtulationem Gaudentii (l) Viri Clariſſimi Comitis Africæ deuotiſſimo militi ſepteni ſolidi pro equis ſingulis tribuantur. Dat. XII. Kalend. April. Med. Vincentio & Frauitta Coss. [401.]

NOTAE.

(a) Et hæc *lex* abeſt a *Cod. Iuſt. GOTHOFR.*

(b) Procul dubio, *Hadriano PP* (Italiæ) hæc *lex* inſcripta fuit: v. *Conſularia Theod. ID.*

(c) *Troimum* Comitem S. L. accipio, cui etiam inſcribitur *lex* 11. *ſup. de Senator. ID.*

(d) Pro *militares. ID.*

(e) De *Diœceſi Africana* vide *Notitiam Imperii*, & *Romani Orbis deſcriptionem* ex *Cod. Theodoſ.* cuius quatuor prouinciæ recenſeri videntur, *l.* 29. *ſup. de annona & trib.* vel ſaltem tres. *ID.*

(f) Noticia hæc intercidit. *ID.*

(g) Quæ Orientalis fuit. Quartadecima: v. Marcellini *Chronicon*, & *Alexandrinum*: v. quæ dico ad *l.* 6. *inf. de Indulgent. debit. ID.*

(h) De *Indictionibus* peculiari capite ſemel dixi in *Conſularibus Theod.* ac nominatim, quomodo *Africanæ* indictiones ab Italicis & Orientalibus differant, nempe Italicas initium ducere, ab anno 312. Orientales, ab Anno 313. Africanas, ab Anno 314. *ID.*

(i) *Adævari*, id eſt æſtimari in pretio: de quo vide *Gloſſarium Theodoſ. ID.*

(k) De *Comitibus Stabuli* vide pariter *d. l.* 29. *ſup de annona & trib. ID.*

(l) De hoc *Gaudentio* Aëtii Patre: iam dixi plene *ad leg.* 1. *ſup. de terris limitaneis*, quæ eidem Gaudentio Vicario Africæ inſcribitur. *ID.*

COMMENTARIVS.

PRETIVM, & *hac l.* Honorius per *diœceſim Africanam* (id eſt Byzacium, Numidiam, Tripolitanam, Mauritaniam Sitifenſem, Mauritaniam Cæſarienſem) pro equis Canonicis militaribus inferri iubet An. D. 401. & quidem tribus hac parte conſtitutis.

Primum enim *pretium* pro diuerſitate prouinciarum verium ſtatuit, ſubiecta in id particulari Notitia, ſeu deſignatione, verum quæ *hic* intercidit. Quod idem & circa Curatoricios Equos mox, poſt decem dies *l.* 29. *ſup. de annona & tributis*, præſtitit. Nempe vt procliue eſt conicere, prout prouincia locuples eſſet, vel ſane prout præſtantes erant Equi; Sane maius ideo pretium in Numidie conſtituit *ea leg.* 29. minus in Byzacena & Tripolitana. Quod & idem *hac leg.* factum oportet.

Secundo, Comitibus ſtabuli ſportularum loco duos ſolidos pro ſingulis equis iuxta veterem conſuetudinem, tribui ſtatuit *hac leg.* cum idem pro Equis Curatoriciis Comitib. ſtabuli quicquam tribui vetet *dict. leg.* 29. *ſup. de annona & tribut.* Vnde iam efficiebam ad *leg.* 2. *ſup.* Canonicos equos militares a Curatoricis diuerſos eſſe.

Poſtremo, ſeptem ſolidos pro ſingulis equis militibus tribui iubet *hac leg.* (quod & idem ſtatuit circa curatoricios equos, *d. leg.* 29.) Et hoc quidem, vt ipſemet ait, *ſecundum poſtulationem Gaudentii Comitis Africæ.* Hic vero Gaudentius non alius eſt, quam Aëtii pater: cui vt inſcribitur *lex* 1. *ſup de terris limitaneis*, An. 409. ita de eo ad *eam leg.* plenius dixi: de eo vid. Zoſimum *lib.* 5. *cap.* 36. Renatum Profuturum Frigeridum apud Gregorium Turonenſem *lib.* 2. *cap.* 8. & Proſperum *Chronico.*

Non omittendum eſt, duodecimam indictionem Anno 401. per diœceſim Africæ tribui, cum in Oriente Indictio decima quarta computetur, vt ex Marcellini *Chronico* & *Alexandrino* liquet, de quo dicam plenius ad *leg.* 6. *inf. de indulgent. debitor.* vbi oſtendam per Africam Proconſularem fuiſſe decimam tertiam.

P. 139.

IV. (a) Impp. Honor. (b) & THEOD. AA. Herculio PF. P. (c)

CONSTRVCTIONI (d) murorum, & conparationi, (e) tranſuectionique ſpecierum, (f) vniuerſi ſine vllo priuilegio coartentur ad neceſſitates Illyricianas: Nam in his dumtaxat titulis nullum ſub quodam ceſſare priuilegio velamento cenſemus: ſed ſub hac condicione, cum tempus exegerit, huiuſmodi conlationi ſubcumbant, vt non tantum requiratur idoneus, verum vniuerſi proportioni (g) ſuæ poſſeſſionis iugationiſque (h) ad hæc munia (i) coartentur, & a ſummis ſarcina ad infimos (k) vſque decurrat. Dat. III. (l) Id. April. Conſtp. Baſſo & Philippo Coss. [408.]

NOTAE.

(a) *L. 1. Cod. Iuſt. de quib.* [*muneribus*] *vel preſtationib. nemini liceat ſe excuſ.* Repetita hæc *lex*, ſed aliter, *l. 49. inf. de operib. publ.* nonnullis auctior, aliis vero imminutior. Fugitiua autem hæc *lex* eſt ab *hoc tit.* GOTHOFREDVS.

(b) Si recte *huius leg.* ſubſcriptio habet; tum *Arcadii* nomen hic addendum fuerit: Kalendis enim Maii primum mortuus Arcadius, imo ſi aliis credimus, *XI. Kal. Sept.* Quod non puto. Quare ſatius, *hanc leg.* referre ad Ann. 411. vt præfert *lex 49. inf. de operib. publ. ID.*

(c) *Illyrici*, vt *d. l. 49.* & *l. 172. inf. de Decurionib. l. 5. inf. ne conlat. translat.* quæ duæ datæ ſunt Anno 410. & vero additum *d. l. 1. Cod. Iuſt.* Ad eundem extat Ioannis Chryſoſtomi epiſtola: vid. *Proſopogr. ID.*

(d) Hæc, *conſtructioni murorum*, abſunt a *Cod. Iuſt. ID.*

(e) De hac *Comparatione* fuit iam *ſupra*, *Titulus* peculiaris, *de publica comparatione* 15. quæ Græcis *συνωνῆτον* vel *συνωνὴ εἰδῶν*, vt hic quoque Græci verterunt. *ID.*

(f) *Tranſvectio* ſpecierum *hic*, quæ alibi translatio, *l. 15. 40. inf. de Epiſcopis* (vbi dixi plene) & *l. 10. ſup. de extraord. mun.* Græci recte *παραπομπὴν εἰδῶν*. *ID.*

(g) *γρ. Pro portione*, vt *Cod. Iuſt.* & *d. l. 49. portione*, omiſſa voce, *pro. ID.*

(h) *Iugatio*, dixi ad *l. 15. ſup. de annona. ID.*

(i) *Mœnia: d. l. 49. ID.*

(k) *Infirmos*, *d. l. 49.* in *Editione vltim. Pariſin.* male. *ID.*

(l) *V. Id. April. Honorio IX. & Theodoſio V. AA. COSS.* id eſt A. D. 412. ita *d. l. 49. inf. de operibus publicis. ID.*

COMMENTARIVS.

ILLYRICIANAS ob neceſſitates, a tribus extraordinariis muneribus *hac l.* deſignatis, quenquam immunem eſſe, quolibet priuilegio nitatur, quamlibet infimæ ſortis ſit, vetat Theodoſius Iun. A. 408. hac conſtitutione: quæ & ipſa ferme repetita extat, *l. 49. inf. de operib. publ.* ab eodem Theodoſio Iun. quadriennio poſt, ſi modo Conſules ibi poſiti recte habent: nam alioquin videri poſſit eadem eſſe cum *hac l.* cum eidem Herculio inſcripta ſit, neque menſis obludat, & verba eadem ſint.

Duo tantum *hac l.* attendenda. Primum eſt, quænam illæ ſint *Illyricanæ neceſſitates*, quas hic memorat, quarumque cauſa hanc conſtitutionem edidit Theodoſius Iun. Non aliæ ſcil. illæ ſunt, quam quas *Stilico* hac tempeſtate, *huius l.* tempore etiamnum ſuperſtes, concitauerat, atque intentabat hoc agens modis omnibus, vt vindicato ſibi filioque ſuo Eucherio Occidentis Imperio, Alarici ope auxilioque, Illyricum Orientale, Occidentis Imperio adiiceret: quod fuſe deſcribit Zoſimus *lib. 5. cap. 26. & ſequent.* etſi criminе eum quantum poteſt, liberet. v. & Socratem *lib. 7. c. 10.* Sozomenum *lib. 9. c. 4.* Perniciosa in id inter alia litorum & itinerum cuſtodia in Occidentalis Imperii limite conſtituta, ne cuiquam ex Oriente ad Occidentem pateret acceſſus, & commercium inter vtrumque imperium abrumperetur, quod poſtremum docet diſerte *lex 1. ſup. de litorum & itin. cuſtod.* Igitur Theodoſius Iun. (vel ſaltem eius octennis nomine Anthemius PF. Orientis, qui ſummam rerum pro eo adminiſtrabat, teſte Socrate, *lib. 7. cap. 2.* de quo ad *leg. 167. inf. de decur.*) impendentium metu hanc conſtitutionem edidit: Quanquam, ſi verum eſt, quod Socrates duobus locis diſerte ſcribit (puta *d. l. 7. c. 1.* & *lib. 6. c. vlt.*) Arcadium non niſi Kal. Maji mortuum, ac multo magis, ſi verum eſt quod Theophanes ſcribit, eum obiiſſe XI. Kal. Septemb. tum hæc *lex* Arcadio potius tribuenda fuerit: vt quæ menſe Aprili data dicitur, *III. Id. April.* pariter, vt *lex vlt. ſup. de Quæſtionib.* Quicquid huius ſit, cauſam *huius leg.* tenemus.

Nunc remedia tria excutiamus: Amoliendæ ſcil. huic neceſſitati, triplici ratione occurrere Imp. inſtituit. I. *Murorum conſtructione*, hoſtibus repellendis, de quo dico ad *d. l. 49. infr. de operib. publ.* atque ideo omnium operis ex æquo requiſitis. Secundo *Coëmptione* ſeu comparatione ſpecierum indicta (de qua fuit *ſupra*, *titulus* peculiaris 15.) & vt Græci vocabant *Synoneto*, id eſt ſpecies neceſſarias priuatis fiſco in vſum publicum ſeu militarem vendere coactis, quod vrgente neceſſitate in Imperio Romano ſæpe factum; quod prolixius docui ad *leg. 1. eius tit. de publica comparat.* Adeoquidem, vt cum alias potioribus tantum Theodoſius M. hanc indictionem imminere voluerit, *l. 2. ſup. d. tit. de publ. comparatione*, Imperator *hac l.* omnibus ex æquo, etiam infimis, pro portione poſſeſſionis ſuæ ſeu iugationis eam indicat; *a ſummis ad infimos ſarcina decurrente*, & in commune omnibus profuturum communi labore curantibus (quod additum *dict. leg. 49. inf. de operib. publ.*) Poſtremo, *Tranſuectione ſpecierum* certatim parangariis præbitis, limitem Illyricianum inſtrui iubet ocyus. Quod Parangariarum & translationis ſeu tranſuectionis ſpecierum, & vt Græci loquuntur *παραπομπῆς εἰδῶν*, ad limitem inſtruendum onus ſæpe ſimili neceſſitate imperatum: vid. *leg. 15. 40. inf. de Epiſcopis*: *l. 10. 15. 18. ſup. de extraordin.*

QVI

QVI A PRÆBITIONE TIRONVM ET EQVORVM EXCVSENTVR.

TITVLVS XVIII.

Adde *l.* 14. 15. *ſup. de proxim. Comitib. diſpoſit. l.* 13. *ſup. de Princip. agentium: l.* 21. *ſup. de palat. S. L. l.* 2. 15. 18. 20. *vlt. ſup. de tiron. l.* 2. 3. 10. *inf. de Medicis & Profeſſoribus: l.* 2. & *vlt. ſup. de decur. & ſilent. l.* 2. *ſup. de priuileg. eor. qui in S. Pal. l.* 138. *infr. de decur. l.* 15. *inf. de nauicul. l.* 14. 15. *ſup. de extraordin.*

I. (a) Impp. HONOR. & Theod. AA. Melitio PF. P. (b)

TIRONES, (c) quorum pretia exhauſti ærarii (d) neceſſitas flagitauit, præbere noluimus Inluſtris (e) viros Præfectos, cum gerunt infulas dignitatis, vel cum ſublimem egerint Præfecturam: (f) non Magiſtros militum, vel Comites (g) Domeſticorum, ſimile munus adſtringat, neque enim Tirones de facultatibus eorum poſcendi ſunt, quorum virtus Triumphis noſtris ſubiugat de hoſte captiuos: non Præpoſitum, (h) vel Primicerium (i) ſacri cubiculi: non Caſtrenſem: (k) non Comitem (l) ſacræ veſtis: non ceteros Cubicularios: (m) non (n) Magiſtrum Officiorum, Quæſtorem, vel Comites ſacri ac priuati ærarii Inluſtres: non virum Spectabilem Primicerium (o) Notariorum: non Conſiſtorianos (p) Comites, ac ſcriniorum Magiſtros, (q) vel Tribunos (r) & Notarios eadem damni mulſta percellet: non Viros Spectabiles Comites Archiatrorum, (s) non Comites (t) ſtabuli, Cura (v) Palatii, Scholares, (x) proximos (y) ſcriniorum, eademque Scrinia; Comites (z) diſpoſitionum, Decuriones, (aa) Magiſtrum (bb) admiſſonum, & ceteras ſimiles Comitum (cc) laboribus noſtris ſocias dignitates, eiuſdem præſtationis ſors teneat: non Tribunos, (dd) vel Præpoſitos militares, poſt teſtimonium inueteratæ militiæ. Habeant in commune omnes, ſiue dum adminiſtrant, ſeu poſtquam adminiſtrauerint, debitum Regiæ liberalitatis officium: (ee) Nemo Tirones, equos, (ff) vel præſtationem aurariam (gg) vereatur, quem (hh) ſub legis noſtræ ſanctione proſequimur. Illos tantum Tironum atque (ii) Auri munus adſtringat, quos *Honorarios* (kk) vocauit antiquitas, vel qui faſces ciuilium (ll) partium conſecuti, nulla prius laboribus rudimenta poſuerunt. De ipſis etiam Militaris nominis viris eos Præpoſitos, vel Tribunos a priuilegiis eſſe conuenit alienos, qui caſtrorum expertes habentur, nec in hoſtem Martio (mm) ære caluerunt. Dat. xv. Kalend. Mart. Rau. Honor. VIII. & Theod. III. AA. Coſs. [412.]

NOTAE.

(a) Abeſt hæc *lex* a *Cod. Iuſt.* Iungenda ei *lex vlt. ſup. de extraordin. ſiue ſord.* GOTHOFR.

(b) *Melitius* PP. Italiæ ſub Honorio. Eidem ante biennium de eadem re inſcribitur *lex* 15. *ſup. de prox. Comit. diſpoſ.* De eo v. *Proſopogr. ID.*

(c) De *Tironibus* fuit *ſup.* peculiaris *titulus* 13. *lib. VII.* vbi v. *Paratitlon. ID.*

(d) Vide *l.* 18. *ſup. de Tironibus*, & eius tituli *Paratitlon. ID.*

(e) Pro *Inluſtres*, vt etiam habet *Tiliana* & *in* 4. *editio.* Ceterum de his pariter & eorum immunitate eſt *d. lex vlt. ſup. de extraordin* quæ *huic* coniungenda eſt. *ID.*

(f) De *Præfectis* Prætorio, Vrbis, Magiſtris militum eſt, *ſup. titulus VII. lib. VI. ID.*

(g) De hoc *Comite Domeſticorum* dicam mox pleniſſime, de quo alioquin non eſt *libro VI.* peculiaris *titulus* aliquis; etſi ſit *Titulus de domeſticis & Protectorib. ID*

(h) De *Præpoſitis Sacri Cubiculi*, fuit peculiaris *titulus VIII. lib. VI. ſup.* v. & *Notitiam Imperii. ID.*

(i) *Primicerius S. Cubicul.* de quo mox. *ID.*

(k) Neque de hoc *Caſtrenſi* peculiaris eſt Titulus *lib.* 6. etſi *Titulus* ſit *de Caſtrenſianis* 32. qui ſub eius diſpoſitione fuerunt, de quo vide *Notitiam Imperii*, & *Theodoſianam* noſtram. *ID.*

(l) De *Comite Sacræ veſtis* vnica hæc mentio *hoc Codice* occurrit, de quo mox. *ID.*

P. 141. (m) De *Cubicularis* Principis vid. & *legem* 8. *ſupr. de agentib. in reb. leg.* 3. *ſupr. de priuileg. eorum qui in ſacro Pal. leg.* 15. & 18. *ſupr. de extraordin. ſiue ſord. ID.*

(n) De ſequentibus quatuor Inluſtribus eſt *tit.* 9. *lib.* 6. *ſupr. ID.*

(o) De *Primicerio* Notariorum eſt *titulus* 10. *lib.* 6. *ſupr. ID.*

(p De *Conſiſtorianis* his Comitibus eſt *titulus* 11. *lib.* 6. *ID.*

(q) De *Magiſtris* ſcriniorum eſt *titulus* 12. *lib.* 6. *ID.*

(r) De *Tribunis* his dixi pleniſſime ad *leg. vn. ſupr. de mandatis Principum.* Eodem pertinet *Titulus* 10. *de Primicerio & Notariis, lib.* 6. *ID.*

(s) De *Comitibus* Archiatrorum eſt *tit.* 16. *lib.* 6. Porro concordat diſerte huic hac parte *lex* 2. *infr. de Medicis & Profeſſorib. ID.*

(t) De *Comitibus* Stabuli non eſt peculiaris *titulus hoc Codice:* Eorum ſit quoque mentio *l.* 29. *ſupr. de annona & tributis:* & *leg.* 3. *ſupr. de Equorum collat. ID.*

(v) De *Cura Palatii* dixi ad *leg. vn. ſupr. de Comitib. & Tribunis Scholar. ID.*

(x) De *Scholaribus:* Vid. *titulum* 13. *lib.* 6. *de Comit. & Trib ſchol. ID.*

(y) De *Proximis* ſcriniorum eſt *titulus* 26. *lib.* 6. *ID.*

(z) De *Comitibus* diſpoſitionum agitur *d. tit.* 26. *lib.* 6. & hac parte concordat *lex* 14. *eius tit. ID.*

(aa) De *Decurionibus* his eſt *tit.* 23. *lib.* 6. *ID.*

(bb) De *Magiſtro Admiſſionum* hoc, vide *leg.* 12. *ſupr. de Senatoribus:* vbi dixi. *ID.*

(cc) De his *Comitibus* vide *titulum* 14. 15. 17. 18. 19. 20. 21. *ſupr. lib.* 6. *ID.*

(dd) Huic concordat hac parte *lex* 18. *ſupr. de tironibus. ID.*

(ee) *Officium*, id eſt, beneficium & priuilegium. *ID.*

(ff) De *Equorum* conlatione fuit *Superior titulus prox.* & *lib.* 7. *titulus* 23. *de oblatione equorum ID.*

(gg) De *Aurarii* præſtatione vide complures *leges, ſupr. tit. de annona & tribut.* & *leg.* 40. *infr. de Epiſcop. quæ eidem* Melitio hoc ipſo Anno inſcribitur. *ID.*

(hh) Locus hic ſanus eſt & nec quicquam ſollicitandus, *Nemo quem*, &c *proſequimur:* Proſequimur autem, id eſt, hac immunitate donamus, honoramus; vide *Gloſſarium. ID.*

(ii) Hic Tertium omiſſum eſt, puta *Equorum, ID.*

(kk) De *Honorariis* his v. *titulum*, *de Honorariis Codicillis* 22. *lib.* 6. *Honorariorum* interim definitionem nota. v. Paratitlon *eius tit.* & quæ dixi *ad l. vlt. ſup. de primicerio & Notar.* & *leg. vn. ſupr. de Comitib. vacantib. ID.*

(ll) *Ciuilium partium faſces*, id eſt, ciuiles, non militares dignitates: Nempe *ciuiles partes* militari nomini opponuntur: Ita Vegetius *lib.* 1. *cap.* 5. *Tunc*, inquit, *plures militiam ſequebantur armatam, necdum enim ciuilis pars florentiorem obduxerat iuuentutem.* Vide *Gloſſarium Theod.* Symmach. *lib.* 9. *Ep.* 101. *Summatem*, inquit, *ciuilium partium virum.* Sidonium, *Panegyrico* 5. *v.* 571. 572. *Qui cum ciuilis diſpenſet partis habenas, Suſtinet armati curas ID.*

(mm) Imitatio poëtica, quale illud inter cætera *Georg.* 4. *a v.* 70.

——————Namque morantes
Martius ille æris rauci canor increpat: & vox
Auditur, fractos ſonitus imitata tubarum. ID.

COMMENTARIVS.

IMMVNITATEM a tironum collatione, de qua *ſupr. tit. de tironib. lib.* 7. equorum item aurique deſignatis *hac l.* dignitatibus, Illuſtribus, Spectabilibus, Clariſſimis, tribuit hac conſtitutione Honorius; imo omnium ſordidorum & extraordinariorum munerum vacationem Illuſtribus, *l. vlt. ſupr. de extraordinar. munerib.* quæ *huic* conjungenda eſt: a quo iure vt ſæpe receſſum; ita ſumma neceſſitate vrgente receſſum a Valentiniano III. *l.* 3. *tit. de tironibus*, 41. *inter Nouellas Theodoſianas*, pariter vt tironum immunitas Suburbicariis partibus tributa *l.* 12. *ſupr. de extraordin.* ab eodem reuocator, *l.* 2. *eiuſdem tit.* 41. *de tironib.*

Adeo autem deſignatis *hac l.* Dignitatibus hanc immunitatem tribnit Honorius, vt etiam ea depoſita eandem competere velit, quod in ſimili conſtitutum vidimus, *l.* 14. 15. 18. 19. *ſupr. de extraordin. ſiue ſord. muner.* Vice verſa iis tantum eam immunitatem competere iubet, qui actu eas dignitates aut gerant, aut geſſerint, quos Græci ἐμπράκτας dixerunt; at non etiam Honorariis, qui aut caſtrorum expertes, aut nullis prius labori rudimentis poſitis, ciuiles vel militares dignitates conſecuti ſunt, de quibus videndus peculiaris *Titulus*, *de honorariis Codicillis.* Notitia tantum *Dignitatum* hic notanda venit, earumque ordo: quem committi velim cum *Notitia Imperii*, & cum *Titulis libri ſexti huius Codicis*, qui in id totus eſt.

Illuſtres Viri,

1. Præfecti (Prætorio ſcil.)
2. Magiſtri militum.
3. Comites Domeſticorum.
4. Præpoſitus S. Cubiculi: *ſub eo Primicerius S. Cubiculi.*

Caſtren.

Caſtrenſis.
Comes S. Veſtir.
Cubicularii cœteri.
5. Magiſter Officiorum.
6. Quæſtor.
7. Comes S. L.
8. Comes R. P.

Spectabiles.
1. Primicerius Notariorum.
2. Conſiſtoriani Comites.
3. Magiſtri ſcriniorum.
4. Tribuni & Notarii.
5. Comites Archiatrorum.
6. Comites ſtabuli.
7. Cura Palatii.
8. Scholares.
9. Proximi ſcriniorum & ſcrinia.
10. Comites diſpoſitionum.
11. Decuriones.
12. Magiſter admiſſionum.
13 Cœteri ſimiles Comitum laboribus Principis ſociæ dignitates.
14. Tribuni & Præpoſiti militares.

Hactenus Notitia Dignitatum, quæ *hac l.* continetur, quæ Honorium Imp. auctorem habet Ann. D. 412. Atenim *Notitia Dignitatum* vltra Honorii tempora conſcripta, alium in nonnullis ordinem præfert. Imo & *hoc Codice*, qui ſcriptus pariter ſub Theodoſio Iun. Au. D. 438. alius circa nonnullas dignitates ordo obſeruatur, vt ex ſerie *Titulorum Libri ſexti* apparet. Nos hic in hac Dignitatum Notitia illuſtranda non alio fine nunc immorabimur, quam vt ſingularia quæ in ea occurrunt notemus; cœtera enim ex ſuis *Titulis* quos iam in *Notis* deſignauimus, peti poſſunt, &
P. 142. ex *Notitia noſtra Theodoſiana Dignitatum.*

Primo igitur notandum, *Comites Domeſticorum* hic iungi poſt Præfectos Prætorio Magiſtris militum, præmittique Magiſtro officiorum, Quæſtori, Comiti S. L. & R. P. cum contra, in *Notitia Imperii* poſtponatur: Quomodo & Magiſtro officiorum nominatim poſtponitur ante quadriennium in eiuſdem Honorii *l. 42. de hæreticis in inſcription.* Malchus *de reb. Byzantinis, in excerptis Legationum, p. 63.* ſiu. *pag. 54. Tom. I. Script. R. B. Edit. Venet.* hanc ἀρχὴν, vocat μεγάλην ἔσαν τῶν περὶ βασιλέα, *poteſtatem, quæ magnam habeat in regia auctoritatem.*

Sed Rationem huius rei hic addit, (quod Secundo notandum) *Quorum,* inquit, *virtus Triumphis noſtris ſubiugat de hoſte captiuos.* Comites ſcil. Domeſticorum hac tempeſtate vice Magiſtrorum militum, id eſt, eodem loco & dignitate exercitibus præerant: ſic ſane diſerte biennio poſt *hanc leg.* A. D. 414. Maurianus *Comes Domeſticorum & vices agens Magiſtri militum* dicitur *l. vn. infr. de venatione ferarum*, quæ ad eum data eſt: ſic etiam hoc ipſo tempore Caſtinus Domeſticorum Comes expeditione in Francos ſuſcepta ad Gallias miſſus dicitur a Renato Profuturu Frigerido, apud Gregorium Turonenſem, *lib. 2. hiſtor. Franc. cap 9.* In Francos, inquam, qui iam inde ab A. D. 409. in Galliis conſiſtentes, Imperii ſui limites feliciter in dies augeſcebant. Quam quidem etiam Caſtini in eos expeditionem in hunc ipſum annum Domini 412. quo hæc *lex* data eſt, triennio videl. vel quadriennio poſt primum eorum in Gallias progreſſum docent *Francica* noſtra. Hic idem vero Caſtinus Magiſter militum poſtea A. D. 422. cum magna manu & auxiliis Gothorum in Bætica cum Wandalis infeliciter bellum geſſit, teſte Idacio, in *Chronico.* Exempla quoque eius rei, Comitum inquam Domeſticorum exercitui præpoſitorum, (vice ſcil. Magiſtrorum militum) plura occurrunt apud Am. Marcellinum, in *Seuero, lib. 27. cap. 8.* in *Richomere, lib. 31. cap. 7. & 12.* in *Mallobaude, lib. 31. cap. 10.* Hac vero dignitate ornati ſummi Viri fortiſſimique, & in his Barbari ferme, vt *Mallobaudes* Rex Francorum, *Dagalaiphus, Richomer,* &c. de quibus vide *Proſopogr.* Cœterum *Comites* domeſticorum hic dicuntur, quia fuere duo, vnus Equitum, alter peditum: v. *Notitiam Imperii. fol. 58.*

Tertio notandum hic *Primicerium S. Cubiculi* hic diſtingui a Præpoſito S. Cubiculi: recte nam hic *Illuſtris* erat: ille vero ſub huius diſpoſitione, *Spectabilis:* Sic pariter diſtinguitur in *Notitia Imperii* quatuor locis: Primum in generali dignitatum *Indice* tum Imperii Orientalis, tum Occidentalis *fol. 3.* & 114. ita, *Præpoſitus S. Cubiculi, Magiſter officiorum* &c. *Primicerius ſacri cubiculi, Primicerius Notariorum* &c. Mox in ipſa *Notitia*, nulla Præpoſiti S. Cubiculi mentione amplius facta, niſi quod hæc ibi habentur *fol. 40. ſub diſpoſitione viri Illuſtris Præpoſiti S. Cubiculi domus diuina per Cappadociam:* de Primicerio ſacri cubiculi ſolo hæc habentur *fol. 58. ſub diſpoſitione Primicerii viri Spectabilis ſacri cubiculi.* Quare mutilam ea parte Notitiam *Imperii* eſſe oportet.

Quarto notandum, hic ordine memorari quatuor, qui ſub diſpoſitione *Illuſtris Præpoſiti S. Cubiculi* erant: Præter Primicerium, inquam, S. Cubiculi, de quo modo, hi tres erant: *Caſtrenſis, Comes S. veſtis, & Cubicularii* cœteri: De Caſtrenſi Sacri Palatii dixi *ſuo titulo, ſupr. de Caſtrenſianis.* Comitis ſacræ veſtis vnica hæc *hoc Codice* mentio occurrit. In *Notitia Imperii,* qui *Comes Veſtiarii* vocatur, alius ab hoc eſt: qui ſcil. ſub Comite S. L. erat in Occidente, pro quo in Oriente *Magiſtri lineæ veſtis,* & *Magiſtri Priuatæ* ponuntur: Vnde & *Scrinium* peculiare *veſtiarii ſacri:* cuius mentio in *Notitia Orientis & Occidentis fol. 49. & 141.* De veſtiario v. & Zonaram *tomo 3. p. 219. ſiv. Tom. II. pag. 217. Edit. Venet. inter Script. R. B.* Moſchopulum *in* βέστια, & Heſychium *in* βεστιάριον. Conſtantinum Porphyrogenetam *them. Orient. 1. pag. 7. edit. Meurſii 1617. in 8.* (a) Hic certe præerat veſti Principis ipſius: At illi, de quibus in *Notitia,* ſuſceptioni

(a) Conſule *MEVRSIVM in Gloſſar voc.* βεστιάριον. & *DV FRESNE voce.* βεστιάριον, βεστιαρίτης &c.

earum veſtium præerant, quæ largitionibus Principis inferebantur.

Quinto obſeruandum, *Magiſtrum officiorum* hic præponi Quæſtori, pariter vt in *Notitia Imperii:* cum contra illi ſubiiciatur & *Rubrica* & *vtraque lege ſupr. de Quæſtoribus, Magiſtris officiorum:* & *l. 17 ſupr. de Proximis:* & apud Caſſiodorum VI. *Var. 5.* & *6.* de quo ad *d. tit. de Quæſtorib.* Quanquam pari hi inter ſe gradu fuere, ſic vt nil prope intereſſet, quo ordine recenſerentur, cum inter ſe temporis prærogatiua certarent. Qood & in aliis Illuſtrium gradibus obtinuit.

Sexto obſeruandum, *Conſiſtorianos Comites* hic præponi Magiſtris ſcriniorom, cum tamen poſtponantur ſerie *Titulorum libro ſexto.*

Septimo fit mentio hic *Comitis ſtabuli:* cuius meotio fit præterea duobus locis: *l. 29. ſupr. de annona & tributis: l. 3. ſupr. de Equorum collatione:* Tribunus ſtabuli vocatur *l. vn. ſup. de Comitib. & Tribun ſcholar.* Ammianus Marcellinus *lib. 26. cap.* 4. memorat, Valentem a Valentioiano fratre *ſtabulo ſuo cum Tribunatus dignitate præfectum.* Idem *lib. 31. cap. 12.* memorat *Valentianum atque Equitium, quorum alter Stabulum, alter curabat Palatium.* Plura & plene dixi ad *d. l. vn.*

Qood Octauo loco *Curam Palatii* attinet, de eo dixi ad *d. l. vn. ſup. de Comitibus & Tribunis ſcholarum:* vt & Nouo loco de *Scholaribus*, ibidem.

Decimo obſeruo hic *Decuriones* (de quibus ſuo *titulo 23. lib. 6.*) poſtponi Proximis ſcriniorum & Comitibus diſpoſitionum; cum tamen *Titulus* de his anteuertat *lib. 6.*

Vndecimo ootandi ſunt illi qui hic deſignantor, his verbis: *Cæteras ſimiles Comitum laboribus noſtris ſocias dignitates.* Poſtremo loco ponontur *hac l. Tribuni & Præpoſiti militares* ioter Immunes a Tyronum collatione: pariter vt *l. 18. ſup. de Tyronib. l. vlt. ſupr. de Veteran. lib. 7.* vbi plene dixi.

P. 143.

DE CONLATIONE
FVNDORVM PATRIMONIALIVM.
VEL
EMPHYTEVTICORVM
ET REI PRIVATÆ.
TITVLVS XIX.
LIB. XI. COD. IVST. TIT. LXIV.

De collatione Fundorum Patrimonialium & Emphyteuticorum. Omiſſum itaque, *& rei priuatæ.* Cæterum cum *hoc Titulo* committendus eſt *titulus 3. lib. 10. ſup. de locatione fundorum iuris Emphyteutici & Reipublicæ & Templorum.* Cuius tituli PARATITLON conſulendum.

CONSORTIS *mora ſeu commiſſi vitium conſorti non nocere.*

I. (a) Imp. CONSTANTINVS A. ad Domctium Dracontium. (b)

QVOTIENS plures fundum *Patrimonialem* poſſident, pro portionibus fieri a ſingulis non vetetur inlatio: Quorundam enim probata induſtria ceterorum culpa poterit coherceri. Dat. xv. Kal. Maii. Sirmio. Accep. xv. Kal. Iun. Karthag. (c) Criſpo II. & Conſtantino II. Coss. [321.]

NOTAE.

(a) Abeſt hæc *lex* a *Cod. Iuſt.* Iungenda ei proculdubio *lex 2. Cod. Iuſt. de fundis patrimonialibus. GOTHOFR.*

(b) *Magiſtrum rei priuatæ Africæ*, vt ex *huius l.* argumento, ſimul & ſubſcriptione colligi poteſt: ſed expreſſe teſtatur Inſcriptio *legis 4. ſupr. de iure fiſci:* quæ ſuperiore A. D. 320. data eſt. De Magiſtris rei priuatæ vid. & *l. 2. d. tit. de iure fiſci:* & *l. 14. 26. infr. de decurionib.* Quæ omnes *leges* Conſtantini vel eius filii *Conſtantis* ſunt. Iunguntur Rationalibus *d. l. 2. de iure fiſci* & *d. l. 14. 26.* ſed tanquam diuerſi (Proculdubio non alii quam qui poſtea Procuratores rei priuatæ dicti: nam & hi pariter ſeparantur in Notitia Imperii a *Rationalibus rei priuatæ*) *ID.*

(c) *Karthagine* Magiſter rei priuatæ Africæ. *ID.*

C O M-

COMMENTARIVS.

DIVIDVAM inter plures poſſeſſores, ſeu conſortes fundi patrimonialis Canonis præſtationem eſſe definit *hac l.* Conſtantinus M. qui proculdubio iungenda eſt *lex 2. C. Iuſt. de fundis patrimonialib. & ſaltuenſ. & emphyteuticis.* Atque adeo diuiduum quoque commiſſi vitium eſſe.

Finge; Plures fundum patrimonialem poſſident: Pro ſua ſinguli portione canonem ſeu penſionem inferre poſſunt: & ſolius moratoris portio fiſco committetur: Id ſcil. eſt quod ſibi vult Imperator, cum ait: *Quorundam enim probata induſtria ceterorum culpa poterit coherceri*: Nempe *culpæ coërcitio* hac *leg.* non alia eſt quam pœna Commiſſi: vt docet *d. lex 2. Cod. Iuſt. de fundis patrimon.* (quam *huic* coniungendam eſſe dixi) pariter vt *lex 3. ſupr. de adminiſtr. & periculo tutorum:* cuius vtriuſque eadem ſententia eſt; Nempe, Canone poſſeſſionum iuris patrimonialis & Emphyteutici ad minores pertinentium, non ſoluto, Commiſſi damnum ad Tutorem & Curatorem pertinere. Hoc tantum inter vtramque *legem* diſcrimine; quod Conſtantinus *d l. 2. Cod. Iuſt.* ob negligentiam tutorum & curatorum, minorum dominio nocere, ſeu ex eorum fortunis auelli fundos noluit: Dicta *lex 3.* voluit, ſeruata actione minoribus aduerſus Tutorem & Curatorem: quæ *lex* tempore poſterior eſt, at non ideo æquior. Iam itaque ex his duabus *legibus* definiamus; Neque conſortis culpam conſorti: neque Tutoris vel Curatoris negligentiam, & officium deſertum, in canone ſoluendo, minoris dominio ſeu ſubſtantiæ paruulorum nocere ſeu præiudicare, & ad fraudem P.144.
iuris eorum accedere, ſed ſuæ quemque culpæ, negligentiæ, deſertique officii pœnam ſufferre, *damnaque deplorare compelli*, vt loquitur *dicta lex 2.* ſeu, vt *eadem lex* loquitur, *negligentiæ ſua & officii deſerti pœnas exigi.*

Ex *eadem* interim *l. 2.* diſcere licet, patrimonialis fundi nomine aurariam penſitationem & frumentariam ſimul illatam: Quod etiam docet *lex 3. infr. hoc tit. lex 1. 13. 17. ſupr. de extraordinariis.*

Quando vero in Conſtantini M. *lege* verſamur de fundis patrimonialibus, deque functionibus, ad quas tenebantur; age memoremus & alteram ſuper his Conſtantini Magni conſtitutionem, quæ memoratur a Theodoſio Iun. *Nouella 12 l. 1. de patrimonialibus fundis*: Ea ſcil. conſtitutum fuerat, vt qui huiuſmodi fundos per Aſianam & Ponticam diœceſim poſſiderent donationis forte titulo, ad incolendam vel ædificiis augendam Conſtantinopolim tenerentur. Quod a Theodoſio *ea Nouella* ſublatum, cum iam ſatis vrbs ea excreuiſſet.

Tandem obſeruandum *hic* Conſortium priuilegium, ſeu fauor: cuiuſmodi plura in Conſortium fauorem ab eodem Imp. Conſtantino ſancita, quæ congero ad *l. 6. ſupr. de contrah. empt.*

II. (a) Imp. IVLIANVS A.

OMNES qui *Patrimoniales* fundos retinent, (b) pro his conueniendi ſunt ad vniuerſorum munerum (c) functiones, ſicut vnumquemque priuatorum neceſſitas publicæ penſitationis adſtringit: *&c.* Dat. v. Kalend. April. Mamertino & Neuitta Coſs. [362.]

NOTAE.

(a) *L. 3. Cod. Iuſt. eod. tit. de collat. fund. patrim* GOTHOFR.

(b) *Siue communiter, ſiue ex aſſe retinent* ita C. Iuſt. *ID.*

(c) *Ad eoſdem fundos pertinentium pro rata portione, vel in ſolidum, functiones:* ita C. Iuſt. *ID.*

COMMENTARIVS.

VNIVERSORVM munerum functiones, ſeu omnem neceſſitatem publicæ penſitationis agnoſcere iubet patrimonialium fundorum poſſeſſores hac conſtitutione Iulianus, haud aliter atque priuatos.

Qua ſententia non dubito, quin Iulianus etiam Extraordinariis muneribus, poſſeſſores patrimonialium fundorum obnoxios facere voluerit, a quo tamen immunes fuere poſtea, *l. 12. ſup. de extraord. mun.* Illud equidem Iulianus Actoribus rei priuatæ tribuit, vt vetaret iis neceſſitatibus eos adteri, ſeu iniuriis adflictari, quas ſæpenumero *Rectores prouinciarum*, vel *inlicita Principalium adrogatione, vel propriis decretis ordines* (ita enim reſcribo) fieri cenſebant, vt docet Valentinianus *l. 2. ſup. de actoribus, procur. & conductor. rei priu.* Verum vt hoc poſtremum a Iuliano competentiſſime decretum, Valentinianus quoque *ea l. 2.* confirmauit; Ita illud quod *h. l.* continetur ab eodem & ſecutis Principibus abrogatum: ab eodem, inquam, Valentiniano, ea proculdubio famoſa deinceps conſtitutione, cuius alia nonnulla capita continentur *l. 1. 2 ſupr. de paſcuis: l. vlt. infr. h t. l. 3. ſup. de locat. fund. iur. emphyt. l. vn. ſupr. qui conductor. rei priuatæ.*

III. (a) Impp. VALENTINIANVS & Valens AA. Prouincialibus Byzacenis.

AB *Emphyteuticariis* poſſeſſoribus, Annonariam quidem ſolutionem per quatuor menſes ita ſtatuimus procurari, vt circa vltimos anni terminos paria concludantur: Aurum vero, non ex die x. Kal. Decembr. in prid. Kalendarum Ianuariarum, ſed per an-

num

num ſolidum, prout quiſque pendere potuerit, inferetur. Dat. Id. (b) Septembr. Aquil. diuo Iouiano & Varroniano Coſs. [364.]

NOTAE.

(a) Abeſt hæc *lex* a *Cod. Iuſt.* Iungendæ autem ei ſunt *lex* 9. *ſupr. de petitionibus: lex* 60. *infr. de Decurionib.* Forte etiam *lex* 59. *infr. de Decur.* & *lex* 17. *infr. de Epiſcopis:* quod poſtremum non temere adſero. *GOTHOFRED.*

(b) Prid. Id. *d. l.* 9. & *d. l.* 60. XV. Id. Sept. *d. l.* 59. & *d l.* 17. *ID.*

P.145.

COMMENTARIVS.

TEMPVS canonis, ſeu collationis ab Emphyteuticariis poſſeſſoribus inferendæ, ſoluendæ, hac conſtitutione definit Valentinianus Sen. & quidem varie, pro varietate collationis. Nempe duplex collatio his incumbebat, ſeu duplicem canonem ſoluebant; annonariam ſcil. id eſt, frumenti, & auri: quod præter *hanc l.* docent quatuor præterea *leges:* puta *lex* 1. ˆ 13. *ſupr. de extraordinariis:* idque ipſum indic . etiam *lex* 17. *eiuſdem tituli in pr.* & *lex* 2. *Cod. Iuſt. de fundis patrimonialibus.*

Igitur *Annonam*, ſeu frumentum inferri Valentinianus iubet, trina per annum ſolutione, id eſt, per quaternos menſes: de qua tripertita ſeu quadrimenſtrua collatione tributorum, ſunt tres præterea Valentiniani *hoc Codice* conſtitutiones, puta *lex* 11. *ſupr de exactionib. lex* 15. *ſupr. de annona*, vbi plene ſemel de hac dixi, *l.* 15. *infr. de ſuſceptoribus*, & quarta adhuc puta *lex* 4. *Cod. Iuſt. eod. tit. de coll. fund. patrim.* eſt & Valentis *lex* 16. *d. tit. de annona & trib.* & Nouella *Maioriani* 4. v. & *titulum* 25. *infr. hoc libr. de quadrimenſtruis breuibus.* De Valentinianeis id obſeruandum (quib. ſane hæc collationis forma primum introducta eſt) hanc omnium primam eſſe: atque hunc in his proceſſum obſeruare licere: Nempe, de Emphyteuticariis primum id conſtituiſſe videri Valentinianum *h. l.* De Colonis deinde rei priuatæ, *l.* 11. *ſupr. de exactionib.* Poſtremum de omnib. prouincialib. *d. l.* 15. *ſupr. de Annona:* & *l* 15. *infr. de ſuſceptorib.*

Modum etiam huic quadrimenſtruæ collationi hunc addit Valentinianus, *Vt circa vltimos anni terminos paria concludantur:* id eſt, vt ante annum elapſum totus canon anniuerſarius ſoluatur, neque quidquam in reliquis hæreat. Et hæc quidem de annonario ſeu frumentario Canone.

Atenim *Auro* ſoluendo nullum certum tempus Valentinianus *hac l.* præſtituit: quinimo per totum annum, prout quiſque poſſit, ita & aurum inferre permittit, ſtudio ſpontaneæ deuotionis. Quod & ipſum de auri ſolutione Conſtantinus M. conſtituerat *l.* 2. *infr de ſuſceptor.* Valentinianus Tertius *l.* 34. *ſupr. de annona & tribut.* Et ſic Autopragiam auri largitur: de quo dixi plene *l* 34. & *d. l.* 35. *ſupr. de annona & tribut.* Cum antea (vt *hac l.* nominatim docemur) circa vltimos anni terminos, *ex die* x. *Kal. Decembr, in prid. Kal. Ianuar.* atque ita intra quadrageſimum diem, ſeu quadragina dies poſtremos anni currentis hæc illatio fieret. Adeo quidem, vt cum integer canon auri intra eos dies, atque vna iam ſolutione inferri deberet, hac l. *prout quiſque pendere potuerit*, inferri permittatur, quo tempore voluerit, *d. l.* 2. *infr. de ſuſceptor.* id eſt, vt accipio, diuiſis ſolutionibus: Cui non adeo abſimilis humanitas eiuſdem Valentiniani Sen. altera conſtitutione inducta: puta *l.* 4. *Cod. Iuſt. eod. tit. Placuit*, inquit, *vt Emphyteuticorum fundorum patrimonialiumque poſſeſſores, quo voluerint tempore, & quantum habuerint penſionis paratum (dummodo non amplius quam in tribus per ſingulos annos vicibus,) officiis Rationalis adſignent.* Quanquam id magis concordat *legi* 15. 35. *ſup. de annona & trib.* Et hæc quidem omnia, ſingularem Valentiniani humanitatem & moderationem arguunt, quam & idem hac eadem parte oſtentat *d. l.* 11. *ſup. de exactionib.* Eſt vero illud nominatim ſingulare, priuati enim creditores μερικὴν ſolutionem admittere non coguntur.

Cur autem peculiaris, neque tam adſtricta certis & definitis temporibus auri ſolutio fuerit, vel etiam olim extremis anni diebus eam fieri mos eſſet, aliter atque in annonæ ſolutione, cauſam hanc puto; quia ſcil. annonam in parato ſemper haberent poſſeſſores: at non & aurum, quod ex frugibus demum venditis colligere eis neceſſe erat: quod vtique nonniſi extremo ferme anni tempore facere poterant, poſt excuſſas fruges & vindemias conditas.

IV. (a) Impp. Arcad. & Honor. AA. Firmino Com. (b) S. L. Poſt alia.

QVI prædia Patrimonialia, & Emphyteutica, priuatæ quoque rei, perpetuo (c) iure retinent, & Dominici Actores, (d) augmenti, (e) & (f) Superindicticii, (g) & onerum Rheticorum (h) dicuntur mediam nolle ſoluere penſionem: Igitur iubemus, vt moniti Rationales, ſciant, ea quæ a Diuæ memoriæ Valentiniano (†) conſtituta ſunt, quamprimitus eſſe ſeruanda. Dat. IX. Kal. Iun. Med. Honor. A. IV. & Eutychiano Coſs. [398.]

N O-

NOTAE.

(a) Abeſt hæc *lex* a *Cod. Iuſt.* Iungendæ ei ſunt *lex 11. ſup. de iuriſdict.* & *lex 6. Cod. Iuſt. de exactor. trib.* quæ tamen *Theodoro PP.* inſcribuntur. *GOTHOFR.*

(b) *Firminus* Comes S. L. ſub Honorio Imp. quomodo etiam præfert inſcriptio *legis 2. ſupr. de domib. ad rem priuat. pertinentib.* & *Cod. Iuſt. l. 1. de collat. fund. fiſcal.* Atenim hoc ipſo Anno & ſequ. in *l. 22. ſupr. de petitionib.* & *l. 25. infr. de ſuſceptoribus*; habetur *Com. R. P. ID.*

(c) Dixi de his *Perpetuariis* fundis ad *l. 12. ſup. de extraordin. ID.*

(d) *Dominici Actoris* fit quoque mentio *d. l. 11. ſupr. de iuriſdict*; quæ *huic* iungenda eſt. *ID.*

(e) *Augmentum* quid ſit hic, mox dicam. *ID.*

(f) Pro *ſeu. ID*

(g) De *ſuperindicto* fuit *ſupr. tit. 6. hoc libr. ID.*

(h) De *Rheticis* his oneribus agitur & *l. 15. 18. ſupr. de extraordin.* vbi dixi. *ID.*

(†) *Valentiniani* conſtitutio. *ID.*

P.146.

COMMENTARIVS.

SICVT IMMVNITATE ab extraordinariis oneribus omnibus, & quidem pleniſſima regulariter potiebantur patrimonialium & Emphyteuticorum, perpetuariorum fundorum poſſeſſores, Actoreſque rei priuatæ: *l. 1. 2. 5. 9. 12. 13. 17. 20. ſupr. de extraordin. mun. l. 2. ſupr. de Indictionib.* Ita quandoque nonnullis extraordinariis pro certa tamen tantum parte obnoxii facti fuerunt, puta pro *media penſione* ſeu portione, id eſt, vt ipſi dimidium eius quod alii extra ordinem agnoſcerent, præſtarent. Quod præter *hanc l.* oſtendit quoque Conſtantini M. *lex 1. ſupr. de extraordin. muner. Patrimoniales,* inquit, *fundos extraordinariis oneribus, vel* MEDIÆ *aut tertiæ portionis obſequiis fatigari non conuenit.* Mediæ igitur portionis penſitationem, quam Conſtantius M. iam dudum ſuſtulerat, Honorii nunc æuo reductam ex *hac l.* liquet.

De cuius ſententia priuſquam ago, notanda ſunt onera extraordinaria, quæ *h. l.* diſtincte memorantur. Primum eſt *Augmenti:* Qua quidem appellatione accipiendum videatur *Augmentum penſionis*, quod ex noua licitatione noui conductoris ac edentis priori penſitationi accedit: Huiuſmodi ſcil. Augmentum priuatæ rei &c. poſſeſſores, conducto ſubire non tenebantur, id eſt, ſemel conductæ poſſeſſiones prætextu augmenti alicuius ab alio oblati, poſſeſſoribus eripi non debebant, neque id augmentum agnoſcere ii tenebantur, ex conſtitutione Valentiniani Sen. *l. 1. 2. ſupr. de paſcuis.* Cuius mentio quoque fit *l. 3. ſupr. de locat. fund. iuris emphyt.*

Verum id huc non pertinet: *Augmentum* enim hic παραλλήλως pro *ſuperindicto* poſitum, quod etiam ſubiecta onerum Rheticorum mentio oſtendit. Eadem voce vtitur in hac re Caſſiodorus IX. *Variar. 10.* Augmentum indictionale Ammianus Marcellinus, *lib. 17. cap. 3.* qui idem & incrementa *ibidem* vocat Quibus ſimiles appellationes plures habes in *Paratitlo, ſup. de ſuperind.* Ergo Honorius mediam augmenti iſtius portionem ſeu penſionem patrimonialia & emphyteutica priuatæque rei prædia perpetuo iure retinentes, poſſidentes ſoluere aliquando voluit: Augmenti inquam ſeu ſuperindictitii: *ſuperindictitium* proprie eſt extraordinaria ſpecierum, equorum collatio; cui, priuatæ rei poſſeſſores, toto in ſolidum, *l. 12. ſupr. de extraordin. mun.* modo, pro dimidia ſubiecti fuere. Poſtrema onera ſunt, *onera Rhetica:* de quibus agitur *l. 15. 18. ſupr. de extraordin. mun.* ad quam *l. 15.* plenius dixi. Onera vero hæc, non alia fuerunt, quam paraueredorum & paraogariarum ad inſtruendum limitem Rheticum annona militari.

Nunc de *huius l.* Sententia: quæ an ad ſubleuandos poſſeſſores & actores rei priuatæ: an vero ad eoſdem prægrauandos pertineat, quæri poteſt. Ad poſtremum igitur hoc ſpectare videri poſſit, cum dicat *lex*, eos *nolle* ſoluere mediam penſionem, quibus verbis contumacia eorum perſtringi videatur, & perfringi iubeatur; alioquin enim dicendum fuiſſet, *eos non poſſe.* Contra: Prior ſententia & interpretatio magis placere videatur, puta *hanc leg.* ſpectare ad ſubleuandos rei priuatæ poſſeſſores, & Actores: Nempe cum his mediæ ſaltem penſionis præſtatio prædictorum onerum & augmentorum, indicta fuiſſet, neque mediam hanc ſoluere voluere, velut, iam ſatis grauati (de qua ratione v. *l. 1. 13. 17. ſupr. de extraordinar.*) Quare & hanc eis remitti nunc a Rationalibus Honorius iubet: ſeruata ſuper hoc Valentiniani conſtitutione. Et vero hæc ipſa Valentiniani conſtitutio argumento eſt, *hanc l.* ita vt feci interpretandam. Hæc enim proculdubio illa Valentiniani Senioris (non Iunioris, atque adeo non *lex 18. ſupr. de extraordin.* vt nonnulli cenſebant) conſtitutio eſt, & quidem famoſa, cuius vt duo capita *hoc Codice* extant, puta *lex 1. 2. ſupr. de paſcuis:* ita & alibi quoque eius mentio fit, puta *l. 3. ſupr. de locat. fund. iur. emphyt. l. vn. ſupr. qui conductor. rei priuatæ.* Ex quibus omnibus apparet, Valentinianum Sen. ea conſtitutione conductores & poſſeſſores actoreſque rei priuatæ modis omnibus ſubleuatum iuiſſe: & nominatim Augmentis penſionum. Eadem igitur nunc *h. l.* Honorio mens fuerit, prælato Valentinianeæ conſtitutionis exemplo: ac proinde Rationalibus fibulam imponit: pariter vt & in aliis duabus ſpeciebus, quæ continentur *l. 11. ſupr. de iuriſdict.* & *l. 6. C. Iuſt. de exactor. tributor.* quæ *huic legi* coniungendæ ſunt, vt oſtendit earum ſubſcriptio, etſi alii, puta *Theodoro PP.* inſcribatur: pro more ſcil. de quo in *Prolegomenis* prolixius.

F 147. # DE CONLATIONE
DONATARVM (*)
VEL
RELEVATARVM (**)
POSSESSIONVM. (***)
TITVLVS XX.

LIB. X. COD. IVST. TIT. XXVIII.

Plenius & ſpecialius, *De collatione donatorum, vel releuatorum, aut translatorum, ſeu adæratorum.*

(*) De his eſt *lex* 1. 2. 4. 5. *hoc tit.* & *l.* 15 *infr. de indulg. debitorum.*

(**) De his eſt *lex* 5. 6. *hoc tit.* & *l.* 2. 13. & *d. l.* 15. *infr. d.tit. de ind. deb.* & *Nouella Theodoſii de releuatis* 33. & *Nouella Martiani* 2.

(***) Adde & de Translatis poſſeſſionibus *legem* 6. *hoc tit.* & *dictas Nouellas.* Vt & de Adæratis; *d. Nouellam Martiani* 2. & *d. l.* 6. *hoc tit.*

Quanquam & hæc duo *releuatorum* appellatione hic comprehenduntur: nam & releuationis ſpecies eſt translatio, & adæratio.

PARATITLON.

DONATÆ quoque poſſeſſiones, *Rubr.* donati fundi *l.* 1. 2. *h. t.* ſacra liberalitate, *l.* 1. 2. *h. t.* principali munificentia, *d. l.* 1. & 5. *hoc tit.* largitate Principali, *l.* 4. *h. t.* dono data, *d. l.* 4. *h. t.* donata, abſolute; *l.* 15. *infr. de indulg. debitor.* & *Nouella de indulgentiis reliquorum*, *Martiani* 2. in bene meritos de Republica, collata, *d. l.* 4. *h. tit.* (at non etiam recuperatæ, in ſpecie *legis* 1. & 2. *h. t.*) 2. Item RELEVATÆ poſſeſſiones, *Rubr. hoc t.* releuata iuga ſeu capita, *l.* 6. *h. t.* releuata abſolute *d. l.* 15. & *d. Nouella* 2. & *Nouella* Theodoſii *de Releuatis* 33. ſeu ſubleuata prædia, *d. Nouella Theodoſii* 33. in quibus canon demptus ex parte, vel integer: *d. l.* 5. *hoc tit.* quæ aliquatenus tributorum munere ſubleuata, *d. Nouella* 33. v. & *Nouellam Martiani* 2.

3. Item TRANSLATA: *dicta Nouella* 2. & 33. id eſt, quæ in aliam præſtationem translata, *l.* 6. *hoc tit.*

4 Denique ADÆRATA, *dicta Nouella* 2. & 33. Adærata leuius, *d. l.* 6. *hoc tit.* Hæc, inquam, poſſeſſionum genera, extra ordinem ſi adſiſteret tanta neceſſitas, vt aliquid in adiumentum ærarii publica requireret expenſa, *d. l.* 4. *hoc tit.* cum id neceſſitas flagitabat, *d. Nouella* 33. conlationi, *Rubr.* auri atque argenti collationi obnoxiæ reddebantur, *l.* 1. *h. t.* conlatio his adſcribebatur, *d. l.* 1. *h. t.* conlatio auri atque argenti adſcribebatur, *l.* 2. *h. t.* deſcriptio eis imponebatur, *d. l.* 15. *infr. de indulg. debit.* certa quantitas eis indicebatur, *dicta Nou.* 33. reditus conferebant, *l.* 5. *h. t.* certorum annorum, pro ratione diutinæ poſſeſſionis, *l.* 4. 5. 6. *h. t.* De qua Auri argenti collatione num accipienda ſit *lex* 2. *infr. de Medic. & Profeſſ.* ad *eam* dicetur.

I. (a) Imp. IVLIANVS (b) A. Aginatio (c) Conſ. Byzacenæ.

ADMODVM nobis videtur abſurdum, & a Noſtrorum temporum, (d) tranquillitate ſubmotum, (e) vt hi i qui proſcribtionis ſortem pertulerunt, (f) ad exemplum eorum qui fundos donatos ſacra liberalitate tenuerunt, auri atque argenti conlationibus (g) redde-

ten-

rentur obnoxii, quæ ſub Diuæ memoriæ Conſtantio (†) adſcribta eſt: cum multum interſit, inter eum qui Principali munificentia perfruitur, & eos qui propria recuperare meruerunt. Dat. prid. Id. Nouembr. Mampſyſtæ, (h) Iuliano A. IV. & Salluſtio Coss. [363.]

N O T A E.

(a) Abſunt huius tituli *leges* omnes a *Cod. Iuſt.* Earum loco vnica *lex* poſita *eo Codice ex Nouella Theodoſii* 33. de qua *ad l. vlt. hoc tit.* *GOTHOFR.*

(b) IOVIANO tribuenda hæc *lex*, mox vt oſtendam. *ID.*

(c) *Aginatius* Procuidubio hic idem eſt qui poſtea ſub Valentiniano Vicarius Vrbis Romæ fuit: de quo Ammianus Marcellinus *lib.* 28. non vno loco. Vid. *Proſopogr.* *ID.*

(d) Temporum ſuorum tranquillitati conſulere affectabant Principes. *ID.*

(e) *Semotum.* *ID.*

(f) Et propria recuperare meruerunt: vt dicitur *fine l.* & *l. ſequ.* *ID.*

(g) *vg. Conlationi*: vt oſtendunt ſequentia. *ID.*

(h) *Mompſyſtæ* vel *Mompſueſtiæ*: de quo mox. *ID.*

II. (a) Impp. VALENTINIANVS & Valens AA. ad Mamertinum PF. P. (b)

EOs qui rem paternam, vel ſuam, a fiſco recuperare meruerunt, a conlatione auri atque argenti, quæ adſcribta eſt, & (c) his qui aliquid a Sacra liberalitate meruerunt, tutos (d) defenſoſque ſeruari præcipimus. Dat. VI. Kal. Maii, diuo Iouiano, & Varroniano coss. [364.]

N O T A E.

(a) Iungenda forte *lex* 2. *ſupr. de Cæſarianis.* *GOTHOFR.*

(b) *Mamertinus* PP. Italiæ, Illyrici, Africæ, ſub Valentiniano Sen. Vid. Ammianum Marcellinum *lib.* 26. *cap.* 5. & *Proſopogr.* *ID.*

(c) Inducenda hæc vox, quæ occaſione ſuperioris vocis, *eſt*, irrepſit: & continuo filo ita hic legendum, *quæ adſcripta eſt his* &c. *ID.*

(d) *Tutos defenſoſque*, id eſt, immunes. *ID.*

C O M M E N T A R I V S.

REDDITÆ ab Imperatore poſſeſſiones proſcriptis, eorumve liberis, a Dunatis, his duabus *Iouiani* & *Valentiniani Sen.* conſtitutionibus quoad onus extraordinarium collationis ſeparantur.

Quæ *lex* & Differentia vt intelligatur, duo præſupponenda ſunt. Primum, Bona proſcriptorum ſæpe Principum indulgentia, proſcriptis ipſis eorumve liberis reddi integrari ſolita: *vt ingenitum* ſcil. *eſt* (quomodo elegantiſſime ferme loquitur Arcadius *l.* 17. *ſupr. de bonis proſcript.*) bonis Principibus, *duriores caſus & triſtiorem fortunam Imperatoria humanitate mollire.* Quomodo ſane Libanius teſtis eſt *Orat. in Iuliani necem, pag.* 298. *edit. Morell.* a tribus initio Imperii Iulianei ſupplicio affectis, Iulianum, Tertii ex iis filiæ non exiguam patrimonii portionem conceſſiſſe.

Secundo obſeruandum: quod *huius tituli* argumentum eſt) *Beneficiis* Principum, id eſt, Donatis quondam poſſeſſionibus e fiſco a Principe extra ordinem quandoque vrgente neceſſitate & ærarii inopia, collationem aliquam auri atque argenti indictam. Quod vtique non adeo iniuſtum aut inhumanum extraordinariæ indictionis & collationis genus fuit. Quæ enim iniuria eſt, eum qui de publico quid beneficio Principis meruit, extra ordinem deuotionem ſuam erga publicum efferre, potius quam miſeros & inopes prouinciales extraordinariis oneribus ſubiacere. Cum & alias magnum diſcrimen eſſe ſoleat inter ea quæ lucratiuo titulo & oneroſo quæſita ſunt: Cui rei exemplum præbere poteſt, & in hoc ipſo vectigalium ſeu tributurum argumento *Viceſima hereditarium vectigal.*

His ita præſuppoſitis, eum donatis poſſeſſionibus a Principibus ſubinde extra ordinem collatio auri atque argenti indiceretur, quæri iam cœpit, an *donatarum* appellatione venirent quoque *reddita*, & ſic an ii, quibus redditæ fuerant ſuæ vel parentum poſſeſſiones, olim proſcriptæ fiſcoque quæſitæ ad hanc collationem tenerentur? Id quod his duabus conſtitutionibus negatur: atque adeo differentia inter donatas & redditas ſtatuitur.

Ratio indicatur *leg.* 1. *Admodum abſurdum videri & a Temporum tranquillitate ſubmotum*, ſi ii quibus redditæ ſunt poſſeſſiones *ad exemplum eorum* quibus donatæ reuocarentur: *cum multum interſit inter eum qui Principali munificentia perfruitur, & eos qui propria recuperare meruerint.* P. 149.
Nempe quibus reſtituta ſunt bona, nec adempta quidem videntur: nam etſi caſus ea ademerit, ſuæ tamen naturæ redduntur: atquin *propria* fuerunt, non beneficio Principis quæſita. Bonorum reſtitutio nouam poſſidendi cauſam non introducit, ſed veterem reſtituit: vid. *leg. vn. ſup. de ſent. paſſis & reſtitutis.* Quæ harum *legum* deciſio cumprimis notabilis eſt, & in vſum ſeu praxin optime traduci poteſt. Nam & ita Feudorum interpretes definiunt, ſi patronus vaſallo ſeu clienti noxam commiſſi remittat, antiqui feudi ſeu beneficii conceſſionem hanc non noui donationem videri:

deri: ſimiliter a Pragmaticis ſtatuitur, fundum commiſſum, & reſtitutum, dominicum ſeu domanialem retro nunquam fuiſſe videri: de cuius rei vſu vide Choppinum pluribus *lib. 1. de Domanio, c. 9. 9.* Ac maxime, ſi breui intra biennium a confiſcatione bona reſtituta fuerint, quia intra id tempus nondum recte fiſcales fuiſſe videntur: alioquin poſt biennium iam fiſcales omnino fiunt, in ſp. *d. l. 17. ſup. de bonis proſcriptorum.* Ambroſius quoque hanc ad rem aduerſus Symmachum *initio lib. 1.* de ſumptibus cærimoniarum agens a Gratiano detractis, quos Gentiles a Valentiniano Iun. repetebant: *Quod enim*, inquit, IAMDVDVM *vel fiſco, vel area eſt vendicatum, de* TVO *magis conferre videbere, quam de ſuo reddere.* Quanquam *lege 2. h. t.* nullum diſcrimen temporis ponitur. *Eos*, inquit, *qui rem* PATERNAM *vel ſuam a fiſco recuperare meruerunt.* Et vero ſimile mihi, id quod a Ioviano πατρῷς conſtitutum fuerat *leg. 1.* de propriis bonis a Valentiniano produci ad paterna quoque bona, poſt multum temporis licet, reddita: Nam & hæc non minus propria ſunt, vt quæ iure ſanguinis deferuntur, *leg. 11. D. de liberis & poſtumis.* Eodemque exemplo, & viceſimarium vectigal ex huiusmodi hæreditatibus ſeu bonis olim non exactum: vid. Plin. Panegyricum cap. 47.

Tria interim adhuc ad *leg. 1.* obſeruanda. Primum, Collationis huius extraordinariæ donatis poſſeſſionibus indictæ, Conſtantium primum auctorem indicari; *Auri*, inquit, *atque argenti conlationi redderentur obnoxii, quæ ſub Diuæ memoriæ Conſtantio adſcribta eſt.* Etſi in Marnardi Codice ad me transmiſſo a P. Puteano, ſuſpicetur qui ad eum *Notas* quasdam adſcripſit, hic legendum *Conſtantino.* Quod non probo: mihi quippe mens ea, *Conſtantium* omnino huius collationis auctorem videri. Nempe Conſtantinus res reditusque & poſſeſſiones Templorum priuatis quamplurimas p. ſſim donauerat, fruſtra ringentibus Gentilibus. Ipſeque etiam Conſtantius; quo nomine Libanius eum p. ſſim ſect. tur, *Orat. pro templis, p. 23. edit Gothofred. fin. num 9. pag. 456. Oper. minor Gothofr. ex Edit. Trotzii*, & in *Iuliani necem, p. 253. 266. Edit. Morelli* vid. & Socratem *lib. 3. c. 2.* & Sozomenum *lib. 5. c. 5.* Igitur Conſtantius videns opes quamplurimas in priuatos ita tum patris ſui, tum ſuo beneficio congeſtas, rerum neceſſitate depoſcente, & vt puto ſuggeſtione Iudicum & Palatinorum Gentilium, donatis ita poſſeſſionibus hanc collationem indicendam credidit, neque abſurde neque inhumane: Sane & *l. vlt. inf. hoc tit.* nominatim agitur de donatione poſſeſſionum iuris *Templorum.*

Secundo obſeruandum, *d. legem 1.* non Iuliano, verum IOVIANO adſcribendam: non uno argumento. Primo quidem, quia *Conſtantius diuæ memoriæ* hic vocatur: quod quidem Iuliano non conuenit, vtpote qui paſſim Conſtantio & Conſtantio, pariter vt Chriſtο χ. & καππα bellum indixerat, eosque adeo citra honoris alicuius præfationem memorare & nominare ſolet: Sic Conſtantinum patruum ſuum vocat ſimpliciter, *l. 1. ſup. de dominio rei quæ poſcitur:* et *l. 3. ſup. de contrah. emt.* Imo Conſtantioi M. Conſtantinique conſtitutiones abrogans, ne nominare quidem eos ſuſtinet. Alterum argumentum deſumo ex loci & temporis ſubſcriptione: Iuliano quippe iam *VI. Kal. Iulii* mortuo, Iouianus ſuffectus Antiochia *Ciliciam* profectus eſt (in qua MOPSVESTIA) teſtis Ammianus Marcellinus *lib. 25. cap. vltimo: Moratum*, inquit, *pauliſper Antiochiæ Principem* (Iouianum) *exeundi mira cupiditas agitabat: proinde flagranti hyeme inde profectus, Tarſum vrbem Cilicum nobilem introiit.* Profectus itaque Antiochia Iouianus Tarſum Ciliciæ, tranſitu prius per Mopſueſtiam facto, quæ interiacebat. Itinerarium Peutingerianum *pag. 762. 763. Edit. Oper. M. Velſeri:* ANTIOCHIA, & poſt, *Anazarbo, Mompſiſtea, Adana* TARSO *Ciliciæ.*

Cæterum (quod Tertium) locus hic non uno modo deſignatur: communiter, non a Græcis tantum, ſed & a Latinis *Mopſueſtia*, a Mopſo Vate: v. Strabonem *lib 9 in fin* et *lib. 14 pag. 993. Edit. Almeloveen.* Ammianus Marcellinus *lib. 14. cap. 8. Ciliciam*, inquit, *Tarſus nobilitat, & Anazarbus, & Mopſueſtia, Vatis illius domicilium Mopſi.* Procopios περὶ κτισμάτων *lib 5. cap. 5.* πόλις δὲ πῶ ἐστι ἐν Κίλιξιν ἡ Μοψυεστία, τῷ μάντεως, ὥς φασι, ἐκείνε τὰ παλαιὰ ἔργον: *urbs eſt Ciliciæ Mopſueſtia, vatis, vt ferunt, illius antiqui opus.* Stephanus *de Urbib* Μόψυ ἑστία, Κιλικίας, ἐπὶ τῷ πυράμῳ ποταμῷ, ἀπὸ Μόψυ τῷ μάντεως. *Mopſheſtia, oppidum Ciliciæ, juxta Pyramum fluvium, a Mopſo vate.* Aliquando tamen vna litera *m* auctius *Mompſueſtia*, vel *Mompſiſtea:* vt in *Itinerario Peutingeriano*, & apud Conſtantinum περὶ θεμάτων *lib 1. them. 2 pag 14. edit. Meurſii 1617 in 8.* Ταρσός καὶ ἡ Μόμψυ ἑστία, *Tarſus & Mopſi domus.* Et vero & in *hac leg.* id ita expreſſum fuit at *Mompſeſtiæ*: non vt editum *Mampſyſtæ.* Vnde Ortelius *Mampſyſtum* in Theſauro locum peculiarem ſibi incognitum ex hoc *Codicis Theodoſiani* loco efficiebat. *Mopſos* vocat Plinius *lib. 5. c. 27.*

Illud tandem notandum, ea, quæ de Conſtantio *hac leg.* dicuntur, de ipſis donationibus a Conſtantio factis a nonnullis accipio.

III. (a) Impp. Arcad. & HONOR. AA. Hadriano PF. P. (b)

EXIGVA quodammodo (c) Ædificiorum penſitatio, nullum erga poſſeſſiones ſuas ſuperindicti (d) oneris pondus agnoſcat. Per omnes autem ciuitates (e), municipia, vicos, caſtellos (f), ex Horreis, Balneis, Ergaſteriis (g), Tabernis, Domibus, Cœnaculis, Salinis etiam omnibus (præter Mancipium (h), quæ (i) Populi Romani lauacris (k) inſeruiunt, vel his, quæ in memoratis locis ſub penſionis locatione retinentur) nullius excepta perſona, vnius anni, hoc eſt tertiæ Indictionis, deuotione (l) congrua, a locorum dominis penſio conferatur (excepta ſcilicet Æternabili (m) Vrbe, quam ab huiusmodi munere

P.152 nere reuerentia propriæ Maieſtatis excuſat.) Ea videlicet ratione ſeruata, vt ſi qui dominorum defuerit, vel a Procuratoribus, vel ab his qui hæc loca ſub conductione detentant, id quod præceptum eſt inſeratur, dominorum rationibus inputandum: ea condicione ſeruata, vt ſciant tantum quantum ipſi percipere conſuerunt, omni maturitate oportere conferre. Dat. III, Non. Octob. Rau. Stilicone & Aureliano Coſs. [400.]

NOTAE.

(a) Fugitiua hæc *lex* eſt: mox vt oſtendam. Forte iungenda ei *lex 3. C. Iuſt. de locat. prædior. ciuilium. GOTHOFR.*

(b) *Hadrianus* P.P. Italiæ ſub Honorio: v. *Proſopog. ID.*

(c) *Quadammodo*, id eſt ferme: vel, vt Saluianus loqueretur, *admodum*. Niſi forte quis hic legat, *Exigua quidem admodum. ID.*

(d) De *ſuperindicto* fuit ſupra *titulus* peculiaris. *ID.*

(e) Ita *l. 56. inf. de Epiſcopis: In qualibet Ciuitate, in qualibet oppido, vico, caſtello, mancipio* &c. Ita *l. 13. ſup. de deſertorib.* ad eundem Hadrianum P. P. *Primatium vrbium, vicorum, caſtellorum.* Auguſtinus *ep. 50. (ſiv. Ep. 185. ad Bonifacium de correctione Donatiſtarum, cap. 8. num. 33. pag. 657. Tom. II. Oper. Edit. Benedictia. Paris)* conuerſo ordine, *Quot liberantur per iſtas legee ab illa peſtifera æternaque pernicie fundi, pagi, vici, Caſtella, municipia, ciuitates.* Vide alia in *Orbis Romani deſcript. ex Cod. Theod.* de vicis inſuper v. *l. 33. inf. de Epiſcopis. ID.*

(f) *γρ. Caſtella*, error ortus ex ſuperioris vocis ὁμοιοτελεύτῳ. *ID.*

(g) *Ergaſteria:* de his v. & *l. 9. 42. inf. de operib. publ l. 5. ſup de metatis: l. 14. inf de Epiſcopis ID.*

(h) *γρ Mancipum:* niſi *Mancipium* hic pro *mancipum:* qualia multa *hoc Codice.* Porro, de mancipibus his thermarum eſt infra peculiaris *titulus lib. 14. tit. 5. ID.*

(i) Non audio virum doctum reponentem *qui: Quæ* ſalinæ ſcil. mancipum: vt mox *vel hic quæ.* Nempe, vt mancipes Salinarum populi Romani lauacris inſeruiebant, ita non minus *Mancipum ſalinæ inſeruire* dici poterant: verum de eo mox plura. *ID.*

(k) Vid. quæ dixi ad *l. pen. inf de oper. publicis. ID.*

(l) De hac *Deuotionis* voce, vid *Gloſſarium. ID.*

(m) *Æternabilis* vrbs Roma: vt *Æternabilis domus*, Principis ſcil. *l. 5. ſup. de locat. fund. iur. emphyt.* Alioquin Æterna Roma: vid. *Orbis Rom. deſcript. ID.*

COMMENTARIVS.

VRBANA PRÆDIA, vt regulariter ad collationem aliquam non vocabantur, ita hactempeſtate extra ordinem vocari cœpere. Et vero ab *Honorio* hac conſtitutione vocantur, A. D. 400. diſtinctione tamen facta, inter vrbana prædia, exiguæ penſitationis, & magnæ: vt horum nomine videl. vnius anni e tribus penſio conferatur, id eſt reditus integer iſtorum prædiorum vrbanorum: illorum nomine, nihil. Quod vtique ſuperindicti, ſeu extraordinariæ collationis genus haud adeo iniquum, vrgente Reipubl. neceſſitate: cum hæc prædia, non minore reditu ſeu quæſtu, minore etiam ſumptu & opera, quam ruſtica cenſeantur.

Quo in cenſu *hac l.* memorantur I. *Horrea:* in quibus ſcil. & pretioſiſſimam fortunarum ſuarum partem, merces, frumenta, vina, penum, Romani condebant cuſtodiæ cauſa; de quo fidem faciunt innumeri Iuris textus, quos collegit Briſſonius 4. *Select. 18. & lib. 8. de verbor. ſignific.* quibus locatis non minimam mercedem & penſionem corrogabant: ſic vt in quæſtu & reditu omnino eſſent: *l. 20. §. 1. D. de annuis legatis: l. vlt. §. 1. D. qui potiores: l 3. D. in quibus cauſis pign. l. 55. 56 60. §. 6. & 9 ſiv. vltim. D. locati: l. 1. 4. Cod. Juſt. de locato.* Secundo, *Balnea:* Priuatæ balneæ ſcilicet fuerunt, ex quibus locatis quæſtus quoque fiebat. De his illud Iuuenalis *Satyr. VII. v. 3. 4.*

—— cum iam celebres, notique Poëtæ,
Balneolum Gabiis, Romæ conducere furnos,
Tentarent;

Item *Satyra VII. v. 233.*

Dum petit aut thermas, aut Phœbi Balnea:

Vbi vetus Scholiaſtes, *Priuata*, inquit, *balnea, quæ Dafnes appellantur.* De his fuit *titulus* ſup. peculiaris *lib. 7. Ne Comitibus & Tribunis lauacra præſtentur.* Signanter *Priuatum* dictæ videntur *l. 12. ſup. de metatis*, vbi dixi. Tertio, *Ergaſteria, Tabernæ:* de quibus Ergaſteriis priuatis, id eſt, tabernis quæ mercimoniis deputatæ, agitur quoque *l. 5. ſup. de metatis: l. 14. inf. de Epiſcopis:* pariter vt de Ergaſteriis publicis *l. 9. 42. inf. de operibus public.* vbi dixi. Quarto *Domus:* Domus ſcil. ab ædificiis vt hic diſtinguuntur, ita ædificia ſunt exiguæ habitationes, quæ domini tantum vſibus & habitationi deſeruiunt, manſiones ſpatio anguſtiore *l 3. inf. de aquæductu.* *Domus* vero latiores & lautiores; ſummæque, & maioris meriti, *d. l. 3. inf. de Aquæductu:* quæ proinde locatæ in quæſtu erant. Quinto, *Cœnacula.* Cœnacula hic non videntur διαίτας domus partes, & membra habitationi deſtinata, quo ſenſu alioquin cœnacula dicta, verum ſeparata ædificia & ſecreta: de quibus ita *Gloſſarium Nomicum:* ὑπερῷόν ἐστι, τὸ ἄνωθεν κατασκευασθὲν τοῦ μισθωθέντος ἐδάφους οἴκημα. Scæuola *l. 28. §. 1. D. de annuis legatis: vti det ex reditu Cœnaculi mei & Horrei.* Neque aliud puto, quam quod *in Gloſſis* Philoxeni, δειπνητήριον ὑπερῷον: nempe conuiuiis & epulis peragendis. *Salles a feſtin & a faire nopces.* Sexto, *Salinæ* quoque priuatæ hoc numero memorantur: quarum mentio alioquin etiam fit

l. 4. § 7. D. de cenſib. l. 5. §. 1. D. de reb. cor. qui ſub tutela: l. 32. § 2. 3. D de vſufr. legato. Nempe & hæ in quæſtu: quare & his nunc ab Honorio extraordinaria collatio imponitur: vnde apparet, immunes eas fuiſſe ab extraordinaria collatione haud aliter, atque vrbana ædificia alia.

Et Duo tamen adhuc Salinarum & hominum genera ab hac extraordinaria collatione *excipit* Honorius. Primum ſcil. Mancipes thermarum Vrbis Romæ: de quibus erit peculiaris *titulus 5. infra lib. 14 de mancipib. thermarum vrbis & ſubuectione lignorum:* Nempe mancipibus thermarum, id eſt qui lauacrorum Romæ publicorum calefaciendorum curam præſtabant, lignaque præbebant, cuiusdam permutationis loco ſalinæ publicæ datæ exercendæ: itaque promiſcue *mancipes thermarum*, & *mancipes ſalinarum* dicti. Symmachi loci tres de his, *lib 9. ep. 96. Iuuandi ſunt mancipes ſalinarum, qui ſplendori atque vſui Patriæ Communis inſeruiunt.* Lib. 10. ep. 58. *Mancipes ſalinarum lignorum obnoxios functioni.* Et Auctarii Ep. 19. *Adiuuandi ſunt, communis Patriæ corporati: præcipue mancipes ſalinarum, qui exercent lauacra lignorum*
P. 151. *præbitione.* Itaque & *hac leg. Salinæ hæ* dicuntur *Populi Romani lauacris inſeruire:* vt ipſi Mancipes *l. vn. d. t. de mancip therm.* & ſuperioribus *Symmachi* locis: vt proinde non debuerit vir doctus hic vocem *qua* in *qui*, mutare. Hos igitur mancipes ſalinarum ab extraordinaria collatione immunes haberi vult Honorius *h. l.* nempe, quia lignorum præbitione & penſitatione harum ſalinarum nomine iam obnoxii erant. Non par ſcil. habenda eſt ratio eorum, qui ſalinas habent proprias & ſic quæſtuarias, & eorum, qui ſalinas habent titulo oneroſo. Quare ſecundo & conductores ſalinarum immunes eſſe vult Honorius, vt qui iam ſalinarum nomine canonem & penſionem de more præſtant: vt hæ duæ exceptiones proprie reſpiciunt, ita Tertiam addit, ſed alia ratione innixam, non propter contemplationem inquam ordinariæ penſitationis, ſed propter ſingularem quandam prærogatiuam, & generalem. Quæ illa? Nempe ab hac collatione extraordinaria omnia horrea, balnea, ergaſteria, tabernas, domos, cœnacula, in vrbe Roma conſtituta, immunia eſſe iubet: *excepta ſcilicet Æternabili vrbe quam ab huiusmodi munere reuerentia propriæ Maieſtatis excuſat.* Προνόμιον hoc inter alia Vrbis Romæ obſeruandum eſt, *ob reuerentiam propriæ Maieſtatis.* Maieſtatis vrbis Romæ eſt, ne æquo eum cæteris ciuitatibus, municipiis, vicis, caſtellis, iure hac parte cenſeatur: quinimo e Maieſtate eius eſt, eam horreis, balneis, ergaſteriis, tabernis, domibus, cœnaculis frequentari: quod vtique minus procederet, ſi his aliqua collatio immineret. *Huius leg.* argumento hac parte vtitur recte Brettius *Orat. 20. pag. 116.* Simile vero priuilegium datum vrbi Conſtantinopolitanæ *l. 6. ſup. de extraord. mun.*

Modus autem iſtius collationis extraordinariæ hic imponitur; vt *vnius anni ſit, hoc eſt Tertiæ indictionis:* id eſt, vt e triennali penſione & quæſtu, vnius anni penſio, quanta percipi conſueuit, conferatur. Cui non adeo abſimilis eſt modus *leg. 5. inf. definitus.*

Ex hoc interim loco colligi poſſe videtur, Triennales fuiſſe conductiones & penſiones: quid enim alioquin ſibi vellent illa, *vnius anni*, Hoc EST, *tertiæ Indictionis.* Sane & publicorum locationes triennales hac tempeſtate fuere, id definiente Conſtantino M *l vn ſup. de vectigalib* ſeu *l. 4. C. Iuſt. eod. tit* de Indictionibus dictum proprio loco: hic interim obſeruandum *Indictionem* & *annum* pro eodem ſumi.

Ex his omnibus iam apparet, *hanc leg.* ab *hoc titulo* fugitiuam eſſe.

IV. (a) Impp. HONOR. & Theod. AA. Trygetio (b) Com. R. P.

LARGITATES, tam Noſtræ Clementiæ, quam retro Principum, ex eo tempore quo in bene meritos de Republica conferuntur, tenere perpetem firmitatem præcipimus: vt quod vnusquisque meruit, & recte transmiſit, nec (c) ad heredem, nec ad originem filiorum, nepotumue ſollicitudinem reuocetur. Nec quicquam (d) pro his poſſeſſionibus, quæ largitate Principali iamdudum in ſingulos quosque conlatæ ſunt, damnoſæ conuentionis (e) moleſtiam pertimeſcat. Sane (quod non optamus) ſi vnquam obſtiterit (f) tanta neceſſitas, vt aliquid in adiumentum (g) ærarii noſtri publica requirat expenſa, adiuuari nos biennali penſione præcipimus, quæ non grauat poſſeſſorem, vt & temporum rationem & poſſeſſionis (de cuius non poteſt ſoliditate (h) dubitari) ante oculos conlocemus. Ideoque, ſi quando in dono datis *intra quinquennium* poſſidentem neceſſitas dandi forte reppererit, hunc a conlatione eſſe iubemus alienum: Si vero *poſt quinquennium*, intra decem annorum ſpatia, fuerit poſſeſſor inuentus, mediam biennalis penſionis inferat portionem: Hi vero qui *ſupra decennium* dono data inuenti fuerint prædia poſſidere, ſi emerſerit vlla neceſſitas, integra biennali nos adiuuent penſione. Quod ſi, contra hanc formam, ſcientia Iudicis, vel Exſecutoris conuentio, pulſandum (i) intra hæc tempora iudicauerit poſſeſſorem, ad multam ſexaginta librarum auri perſoluendam ſe nouerint adſtringendos. Nec Officium Palatinum hac excuſatione vtatur, vt *paucos eſſe* adſerat, ad quorum partes & Scrinium (k) hæc cura pertineat: Sed omnes omnium Scriniorum totius militiæ, (quod (l) ſub priuato (m) meret ærario, ad præſcriptam pœnam ſe nouerint adtinendos; ita vt Primates (n), præ-

ter

ter damnum (o), etiam cinguli amiſſione multentur, ſi cuiquam, prouidentiam (p) ſimulanti, conſenſum in hac ſuggeſtione, aut inſtructionem præbuerint: Ipſum enim (q) codicem, cauſa (r) concuſſionis & fraudis, & vniuerſa ſcribturarum genera tali connexa negotio, ne veſtigia timoris poſthac vlla remaneant, in conuentu Prouincialium flammis iubentus exuri; Eademque pœna, ſi poſthac vlla (s) extiterit, quod (t) in ipſa (v) aliave prouincia huiusmodi adſerat ſe proferre documentum, pro publica quiete, deperire. (x) PP. (y) in Foro Traiani, xiv. Kal. Iun. Aſclepiodoto & Mariniano Coss. [423.]

NOTAE.

(a) Papianus *lib. Reſponſorum t. 1. de patris vel matris donatione, & munificentia dominorum. §. vlt.* huius *leg.* meminit: relata priore eius ſententia. *De donationibus*, inquit, *Dominorum* (id eſt Principum) *proprietas accipientium etiam circa heredes & prohæredes lege firmatur: id eſt ex corpore Theodoſiani lib. XI. tit. XX. Strategio Com. R.P.* GOTHOFR.

(b) Papianus habet *Strategio Com. R. P.* Male. Sane Symmachus *lib. 1. ep. 38.* Trigetii cuiusdam meminit: & Auguſtinus ſæpe *Trigetii* meminit, quem ciuem ſuum & diſcipulum vocat, *lib. de vita beata:* & Paulus Diaconus *in vita Theodoſii Iunioris lib 14. hiſt miſcell. pag 94. Tom. I. Script Rer. Ital.* meminit Trigetii, qui Vandalis Africæ portionem dedit ad habitandum, pace magis neceſſaria quam vtili. Omitto poſteriora. Meminit & Proſper *Chronico. ID.*

P.152. (c) Sententia hæc vel corrupta eſt, vel barbari omnino Styli. *ID.*

(d) *γρ. quisquam. ID.*

(e) Id eſt, Extraordinariæ collationis ſeu ſuperindicti. *ID.*

(f) Ita habet Pariſienſis Editio poſtrema: nam aliæ omnes habent, *extiterit:* forte & hic legendum *adſliterit.* Quanquam & iſtud ſeruari poteſt. *ID.*

(g) *Les* AYDES. *ID.*

(h) *Soliditas* poſſeſſionis. *ID.*

(i) *Pulſare*, eſt conuenire, vexare, v. *Gloſſ. ID.*

(k) Scrinium *beneficiorum* intelligit, de quo mox. *ID.*

(l) *γρ. Quæ &c. merent. ID.*

(m) Ideo etiam hæc *lex* inſcripta Comiti R. P. *ID.*

(n) *Primates* ſcriniorum. *ID.*

(o) *Damnum* hic pro multa, pœna: vt *l. vn. ſup. de infirm. pœn. cælib. ID.*

(p) Id eſt publicam neceſſitatem & vtilitatem obtendenti. *ID.*

(q) Malim, *etiam. ID.*

(r) *γρ. Cauſam. ID.*

(s) *γρ. Vllus. ID.*

(t) *γρ Qui. ID.*

(v) Forte, *iſta. ID.*

(x) *Deperire*, pro perire. *ID.*

(y) *Propoſita* hæc *lex* in *foro Traiani:* pariter vt decem aliæ *hoc Codice* conſtitutiones: puta *lex 4. ſup. ad SC. Claudianum: l. 6. ſup ad L. Iul. de adulter. l. 3. ſup. de ſepulchro viol. l 2. ſup. de iure fiſci: l. 2. & 31. ſup de petitionib. l 1. inf. de priuil. Corpor. V. R. l. 2. ad leg. Cornel. de falſ l. 2. inf de habitu, quo vti op. intra vrbem: l. vn. inf. de Campo Martio.* At in foro Apromani propoſita, *lex 29. inf. de nauiculariis.* vide *Prolegomena. ID.*

COMMENTARIVS.

DE DONATIS a Priocipe poſſeſſionibus duo capita hac Honorij conſtitutione ad Comitem R. P. emiſſa continentur: quorum prius ab *hoc titulo* fugitiuum eſt. Nempe io vniuerſum Honorius Dunatariorum huiusmodi ſecuritati gemina ratione cnoſultum it. Primum, *Irreuocabilem* huiusmodi donationem eſſe iubet: ſicvt a donatorii hærede, qoocunqne gradu, nunqoam reuocari poſſit: (hæc enim ſententia eſt verborum illorum, *nec ad hæredem* &c.) Cuius tamen reuocationis faciendæ Auctores nonnulli hac tempeſtate Honorio fuiſſe videntur: tum ipſa rerum & temporum oeceſſitate ſuadente: tum & quia cæteroquin anteriorum Principum largitates oon ante firmæ cenſebantur, quam eas Princeps nuus ratas eſſe iuſſiſſet; de qno more tralatitio iam *ſupra*, *titulo de petitionib.* Verum bac conſtitntinne Hnnorius donationes Principum ex EO TEMPORE quo factæ fuerant perpetem firmitatem tenere iubet. Qnomodo ferme Conſtantinus *l. 2. ſup. de iure fiſci: & l. vn. ſup. de quinquen. præſcript. l. 1. ſup. de longi temp. præſcript.* Hoc primum,

Alte-

Alterum caput *huius tituli* proprium, eſt de modo tantum *collationis* extraordinariæ, rerum neceſſitate vrgente ab huiusmodi donatariis faciendæ: Nempe, quinquennalem poſſeſſorem ab ea immunem eſſe prorſus iubet: vltra quinquennium, intra decennium poſſidentem, anni vnius penſionem conferre vult: Decennalem & vltra poſſeſſorem, biennii. Hæc Honorii *hac conſtitut.* moderatio eſt, cum hactenus maior modus libris beneficiorum adſcriptus exigeretur, vt *fine leg.* docet: neque tanta poſtea Theodoſii Iunioris *lex prox.* 5.

Ad eandem vero Honorii hac parte humanitatem pertinet, bene longa Sanctio *extremo legis:* cuius hic ſenſus eſt, Primo, *Iudicem*, & Executorem vltra exigentem, 60. librarum auri multa feriendum. Secundo, *Palatinos* omnes, qui ſub diſpoſitione Comitis R. P. ſunt, hac pœna teneri: cuiuscunque tandem ſcrinii ſint, non modo ſcrinii *Beneficiorum*, ad cujus alioquin partes hæc cura proprie pertinebat: Nempe quatuor ſcrinia ſub priuato ærario merebant, ſeu ſub Comite R. P. erant, quod teſtatur *lex vlt. ſup. de Palatinis S.L.* Id ipſum & *Notitia Imperii* docet: vide ſub Comite R. P. *quatuor ſcrinia fuiſſe Beneficiorum, Rationum, Securitatum, Largitionum priuatarum.* Igitur ad ſcrinium Beneficiorum, rerum a Principibus donatarum ratio & cura pertinuit; non vno fine, inter alia, vt modus beneficii perſpectus eſſet: Sane iam inde a Priſco, Principes libros beneficiorum habuere. Lampridius *Alexandro Seuero cap. 46. Cogitabat ſecum &* DESCRIPTVM *habebat, cui quid præſtitiſſet: Dabat autem hæc in* BENEFICIIS, *quæ famam eius non læderent.* Hyginus *de limitibus conſtit. pag. 193. edit. Goes. Si qua beneficio conceſſa, aut aſſignata coloniæ fuerint, in* LIBRO BENEFICIORVM *adſcribemus.* Dolabella *pag. 309. edit. Rigalt. & pag. 301. edit. Goes. int. Script. Rei agrar. Quæris, ſi in* LIBRO BENEFICIORVM *regionis illius beneficium alicui Auguſtus dederit.* Vetus Inſcriptio & hæc laudatur apud Gruterum DLXXVIII. 1.

M. VLPIO. AVG. LIB.
PHAEDIMO. DIVI. TRAIANI. AVG
A. POTIONE. ITEM. A LAGVNA. ET
TRICLINIARCH. LICTORI. PROXIMO. ET:
A COMMENT. BENEFICIORVM. VIXIT
ANN. XXVII. ABSCESSIT. SELINVNTE. PRI.
IDVS. AVGVS. NIGRO. ET. APRONIANO. COS
RELIQVIAE. TRAIECTAE. EIVS. III. NONAS. FEBR.
EX. PERMISSV. COLLEGII. PONTIFIC.
PIACVLO. FACTO. CATVLLINO. ET. APRO. COS
DVLCISSIMAE. MEMORIAE. EIVS VALENS
AVG. LIB. PHAEDIMIANVS. A. VESTE. BEN. MER.
FECIT

Sane & Codices ſcripturæque, quorum mox *hac leg.* mentio fit, in hoc cenſu fuere. De Beneficiis Aquæductuum, vid. *l. 6. inf. de Aquæductu.* Denique *Beneficii* vox hac in re propria: quæ hoc ſenſu quater vſurpatur *l prox.* quinquies *l. vlt.* Ad rem. Non ſcriniarios tantum Beneficiorum, ſed & cœteros multari vult Honorius ſuperexigentes in ſp. *huius leg.* Quod vtique ſingulare eſt, ob vnius videl. ſcrinii noxam, & cœteros puniri, quemlibet diuiſis & diſtinctis muniis.

Tertio, *Primates* cuiusque ſcrinii etiam cingulo ſeu militia ſua multari iubet Honorius *hac l.* Nempe Primates ſcriniorum, ſeu Primiſcriniarii, rerum agendarum inſtructiones præbebant, conſenſum accommodabant: de quo *alibi.* Hic interim nota Primates ſcriniorum ſub Comite R. P. qui Primicerii *l. vlt. ſup. de Palatinis:* quales & ſub Comite S. L. fuerunt *l. 3. 14. 15. 19. 21. d. tit. de Palatinis.* Quarto, Tandem & *Libros* ſeu codices ſcripturasque quibus maior collationis modus adſcriptus fuerat, comburi iubet, ad Prouincialium ſecuritatem: de quo comburendorum codicum, ac nominatim *fiſcalium*, more dixi ad *l 3 ſup. de iure fiſci.* Ratio vero hic eleganter additur, *ne* veſtigia timoris vlla poſthac remaneant: Argumenta flagitandi dixit Plinius *Panegyrico*, ni fallor. Imo & deinceps huiusmodi libros, vel documenta proferentes eadem pœna perire, id eſt flammis exuri iubet.

P. 153.

V. (a) Imp. THEOD. A. Aſclepiodoto PF. P. (b)

AB vniuerſis, qui, poſt obitum Diui Aui (c) Clementiæ meæ, ex (d) munificentia tam Diuæ recordationis Patris (e), ac Patrui (f) mei, quam etiam Serenitatis (g) Meæ, fundos cuiuslibet iuris petiuerunt *, ſub hac diſpoſitione (h) reditus conferantur, vt quicumque a præſenti die triennio poſſident, vnius anni habentes immunitatem, pro reliquo biennio medii anni conferant reditus. Ex triennio vero vsque quinquennium, vnius anni; a quinquennio vsque ad decennium, biennii: a decennio & vltra, triennii. In ** qua diſpoſitione etiam hij habebuntur, qui *dempto canone* poſſeſſiones cuiuslibet iuris donationis obtinent titulo: aut cum eſſent domini poſſeſſionum, canonem (ex parte vel integrum) adimi exorauerunt. Ita tamen, vt qui fundum dempto canone accepit, reditus vniuerſos quos ipſe percepit, iuxta datam diſpoſitionem temporis ſoluat. Qui vero dominus conſtitutus poſſeſſionis tantum canonis promeruit releuationem, canonem tantum prodat (i) a (k) forma, hoc eſt, aut dimidii anni, aut vnius, aut biennii, aut triennii ſoluat: Eadem *** ratione etiam illis tenendis, qui reuelationem iugationis ex ſimplici *Beneficio* (l) meruerunt. Sane qui Inſpectorem (m) ſpecialem, ac (n) ſi de ieiunis (o), ac deſertis poſſeſſionibus, accepiſſe dicuntur, electionem a ſede Culminis Tui (p), propoſitam amplectantur, & aut ſoluant, vt dictum eſt, quod nunc conſequuntur lucri, pro rata temporum ratione, aut, ſi hoc moleſte tulerint, patiantur denuo alios Inſpectores (q) dirigi.

dirigi. Quod † ſi qui ex poſſeſſionibus Principali ſibi quondam liberalitate donatis, poſtmodum quaſdam aliis, aut venundedit, aut ipſe donauit, pro his quidem quæ venditæ probabuntur, ille ſe ſtatutis præſentibus obnoxium eſſe cognoſcat, qui videtur (r) pretium conſecutus. Cui vero non vendita, ſed legitime donata, vel iure ſucceſſionis adquiſita poſſeſſio eſt, is profecto debebit iuſtius attineri (s), ad illa præſtanda iuxta tempora præfinita, qui adipiſci in præſenti ex donata ſibimet poſſeſſione monſtratur. Qui vero alterius nomine ex munificentia Principali donatos obtinet fundos, quique releuationis; vel peræquationis *Beneficium* ſimili modo conſecutus oſtenditur, ipſe ad huiusmodi ſolutionem debebit adſtringi, qui non vt petitor, ſed vt dominus, & poſſeſſor rei poterit adprobari. Vel certe, ſi hoc, caſu quodam, patere forſitan non valebit, ab ipſa poſſeſſione, quæ vel donata, vel peræquata, aut releuata eſt, ſupradictis (t) fructus *Beneficii* conferantur. Sciturís †† cunctis, quod quisquis prædictam præſtationem intra quatuor menſes, ex quo fuerit admonitus, inferre diſtulerit, ipſas poſſeſſiones, quæ donatæ (v) eidem videntur, amittet: Hii vero qui certum quid (x) conlationis ſeu functionis indictæ, pro temporali poſſeſſione, præſtiterint, pleno in poſterum *Beneficio* Principali, quod aliquando meruerunt, munere perfruentur. Dat. III. Id. Maji, Conſtantinop. Victore v. c. Cons. [424.]

NOTAE.

(a) Abeſt & hæc *lex* a *Cod. Iuſt.* GOTHOFR.
(b) *Aſclepiodotus* PP. Orientis ſub Theodoſio Iun. vid. *Proſopogr.* ID.
(c) Theodoſii M. *ID.*
(d) A. *ID.*
(e) Arcadii. *ID.*
(f) Honorii. *ID.*
(g) Theodoſii Iun. *ID.*
* *Prima* ſententia de PETITIS poſſeſſionibus. *ID.*
(h) Ita poſtea *iuxta datam diſpoſitionem*: item, *in qua diſpoſitione.* De hac *Diſpoſitionis* voce v. *Gloſſ. Theodoſ.* ID.
** *Secunda* Sententia de RELEVATIS canone poſſeſſionibus. *ID.*
(i) *Prodat*, id eſt producat, exſoluat. *ID.*
(k) An *pro* DATA *forma*, id eſt, prodat data forma, id eſt, ſecundum formam ſuperius expreſſam ſoluat: quanquam & ita poſſis, *prodat ea forma*: vel denique, quod mihi maxime probatur, *pro data forma* &c. *ſoluat*: vt ſup. *iuxta datam diſpoſitionem.* ID.
*** *Tertia* ſententia, de PERAEQVATIS Iugationibus, miſſis Inſpectoribus. *ID.*
(l) *Beneficii* vox hæc quater *hac l.* repetita, & quinquies *l. prox.* hac in re propria. Hinc ſcrinium beneficiorum ſub Com. R. P. de quo dixi ad *l. 4. ſup.* ID.
(m) De *Inſpectoribus* his iam dictum *ad l. 31. 33. ſup. de annona & trib.* & plenius *inf. ſuo tit. de Cenſitoribus* &c. *ID.*
(n) Veluti. *ID.*
(o) *Ieiunæ poſſeſſiones*: Ita *l. 3. inf. de Cenſitorib ſqualidiora adque ieiuna, culta adque opima compenſent.* ID.
(p) Præfecti Prætorio. *ID.*
(q) Quod ipſis longe durius futurum. *ID.*
† SECVNDVM caput, de TRANSLATIS poſtea in alium, quam cui donatæ, poſſeſſionibus; id eſt de Nouis dominis vel Poſſeſſoribus. Ac primum de tranſlatis venditione *hic.* 2. donatione, ſucceſſione, *verſ. cui vero.* 3. poſſeſſione *verſ. qui vero.* 4. tandem de INCERTIS poſſeſſoribus: *verſ. vel certe.* ID.
(r) Id eſt, qui pretium conſecutus eſt. *ID.*
(s) Teneri. vid. *Gloſſar.* ID.
(t) *yp. Super dicti.* ID.
†† POSTREMVM caput: quo continetur SANCTIO legis. *ID.*
(v) Vel releuatæ, aut peræquatæ. *ID.*
(x) Quod ſupra conſtitutum. *ID.*

COMMENTARIVS.

P. 154. THEODOSII Iun. duæ Conſtitutiones ſequuntur, quibus extraordinaria quædam, vrgente horum temporum neceſſitate, donatis, releuatis, peræquatis Principum beneficio poſſeſſionibus, collatio & contributio indicitur: Principum inquam; ac nominatim Theodoſii M. aui ſui, Arcadii Patris, Honorii Patrui, ſuo denique intra hoc triginta ferme annorum ſpatium. Addatur & tertia eiusdem conſtitutio A. 434. puta *l. 15. de indulg. debit.* vbi indulgentiam Reliquorum ex hac collatione extraordinaria tribuit. Addatur & quarta eiusdem conſtitutio, puta *Nouella 33. de releuatis adæratis vel donatis poſſeſſ.* vnde deſumpta eſt *lex vn. Cod. Iuſt. de collat. donator.*

Vt hæc *lex* intelligatur, obſeruanda ſunt tria inter alia *Beneficiorum* Imperialium genera, circa poſ-

ſeſſiones ad Priuatos pertinentes. Primum genus eſt earum poſſeſſionum, quæ a Principibus *Petitæ* donatæque fuerunt: id eſt quæ de caducis & vacantibus fiſco delatis quæſitis per priuatos a Principibus extortæ fuerunt: (de quo petitionum genere fuit *ſup. tit.* peculiaris *lib. X tit. X. de petitionibus & vltro datis & delatoribus.*) quæ ſane poſſeſſiones ex diuerſo iure manabant; quo numero non poſtremo loco fuerunt fundi ciuiles ſeu Rerumpublicarum: item *fundi iuris Templorum*, vt docebit quoque *lex proxima*, de quibus ſemel docebit Paratitlon *de paganis ſacrificiis & templis*: quæ hac tempeſtate ſacris Gentilium detracta paſſim, vel rei priuatæ Principis incorporabantur, vel expenſis militaribus adſignabantur, vel in priuatos, aut Eccleſias transferebantur. De his ſcil. id genus aliis, fundis ſenſit Theodoſius *hac l.* his verbis, cuiuslibet iuris.

Secunda ſpecies eſt poſſeſſionum *Canone* releuatarum: eaque duum generum: Aliæ ſcilicet donatæ a Principibus, canone etiam dempto; Aliæ a priuatis quidem iam poſſeſſæ, at vel in totum, vel ex parte canone a Principe liberatæ fuerunt.

Tertium genus poſſeſſionum eſt, earum, quæ ceu *Ieiunæ ac deſertæ* Inſpectoribus miſſis, & peræquatione facta, canone liberatæ fuerunt: de quo erit *inf. tit. de Cenſitoribus, Peræquatoribus, & Inſpect.* vide et *l. 5. 13. 15. inf. de indulg. deb.*

His tribus poſſeſſionum & circa eas Principalium beneficiorum generibus ita diſtinctis, notandum eſt, his omnibus fundis neceſſitate vrgente quædam indicta. Formam vero collationis extraordinariæ his poſſeſſionibus hanc præſtituit Theodoſius Iun. An. D. 424. Sub hac diſtinctione: vel ipſimet ſcil. beneficiarii eas poſſeſſiones poſſident: vel alii: Alii rurſum, vel vt domini, vel vt poſſeſſores: vel tandem res in incerto eſt. Si ipſimet beneficiarii eas poſſident, ex Primo poſſeſſionum genere, id eſt ex Petitis reditum conferre eos iubet dimidii anni, ſi triennium poſſeſſor quis fuerit: vnius anni, ſi triennio amplius vsque ad quinquennium: biennalem reditum inde vsque ad decennium, triennii, exinde. In ſecundi generis poſſeſſionibus, id eſt in *Canone* releuatis hæc diſtinctio adhibetur; ſi poſſeſſiones ſimul & donatæ & canone ſimul releuatæ fuerint, idem obſeruetur quod ſuperiore caſu: Si vero canone tantum fuerint releuatæ, cum iam ipſi domini poſſeſſionum eſſent, non iam reditum, ſed veterem canonem, id eſt penſitationis modum ſub eadem temporis dimenſione præſtare iubet. Multum ſcil: intereſt, ipſam ſimul poſſeſſionem cum canonis indulgentia a Principe quis donatione acceperit, an vero poſſeſſionem ipſe iam habens, canonis tantum immunitatem conſecutus ſit: Priore caſu pars reditus, quod magis eſt; poſteriore canon, quod minus eſt, extra ordinem nunc indicitur. Idemque de ieiunis ac deſertis poſſeſſionibus peræquatis *releuatis* ſtatuitur, vt & harum nomine canon pro rata temporum præſtetur. Nempe quia quamplurimi Inſpectoribus miſſis & corruptis, tanquam ieiunas ac deſertas poſſeſſiones poſſiderent, canonis immunitatem facile impetrauerant, qui tamen aut fœcundos habebant, aut ἐπιβολῇ fertilium & infertilium facta canoni pares erant: Ideo propoſita electio ab Aſclepiodoto Præfecto Prætorio, cui *hac lex* inſcribitur, vt vel extraordinariam collationem vltro agnoſcerent, vel ſcirent, nouos Inſpectores dirigendos, qui in rei veritatem ſerio inquirerent: Quod factum Aſclepiodoti probat *hac l.* Theodoſius Iun. Et ſimilis conſtitutio *legis proximæ, verſ. niſi ſi quis.*

Hactenus primum Caput *huius l.* quod ſpectat Beneficiarios ipſos, id eſt, eos qui beneficia, quæ dixi, Principum conſecuti fuerant, ſimul & ipſi poſſidebant.

Secundo igitur Capite agitur de his, qui iam non ipſi poſſidebant ita donatas ſibi vel releuatas poſſeſſiones; verum de aliis, in quorum poſtea Dominium & Ius illæ translatæ ſunt. Qua parte diſtinguit Theodoſius Iun. inter titulum oneroſum & lucratiuum; nempe ſi titulo oneroſo, puta emptionis, ad nouum poſſeſſorem poſſeſſio antea a Principe donata vel releuata translata ſit, non nouum poſſeſſorem ad hanc collationem extraordinariam teneri vult, verum veterem Principis beneficiarium, quique vendita poſſeſſione pretium conſecutus eſt. Quo exemplo illuſtrari quoque iam poteſt decantatum illud, *Pretium loco rei ſuccedere*, quia qui pretio fruitur, non minus habere intelligitur, quam qui principali re vtitur, fruitur; *l. 35. § 1. l. 38 39. D. de vſufructu & quemadm. l. 22. in f. D. de heredit. petit. l. 33 D. de peculio.* Si vero titulo lucratiuo nouus poſſeſſor donatam olim vel releuatam poſſeſſionem nactus fuerit, puta donatione, ſucceſſione, eum ipſum iam hac extraordinaria collatione teneri *iuſtius* eſſe definit, vtpote qui in præſenti monſtratur adipiſci illa, quorum præſtatio exigitur, id eſt fructus; hoc ſenſu, eum qui poſſeſſionis *donatæ vel releuatæ, alterius licet* reſpectu, compendio hodie fruitur, iuſtius æquius eſſe extraordinario oneri illigari, quam priſtinum beneficiarium, cui nihil ex beneficio illo ſupereſt. Denique non origo beneficii, ſed fructus beneficii hic ſpectandus venit.

Et hæc rurſum de translatis in dominium alterius, alterius cauſa donatis antea, vel releuatis poſſeſſionibus. Sed idem quoque ſtatuit Theodoſius Iun. & de his, qui non vt Domini, ſed vt *Poſſeſſores* eas obtinent: nempe poſſeſſoris detentatoris par hac parte ratio eſt, quæ noui domini; nam & ad eum fructus rei pertinet. Et ſimilis hac parte, vt & ſuperiore, conſtitutio *legis proximæ, verſ. exactionem.* Tandem ſi in incerto ſit, quis dominus aut poſſeſſor fundi ſit, ex ipſa poſſeſſione ſupra dictum fructuum modum colligi oportere ſtatuit.

Poſtremo *huius leg.* Capite continetur *Sanctio;* Nempe poſſeſſionis ipſius confiſcationem minatur, niſi intra quatuor menſes ab admonitione Dominus P. 155.
vel Poſſeſſor hanc collationem extraordinariam intulerit: Viceuerſa inferentibus, perpetuam impoſterum ſecuritatem & immunitatem pollicetur. Quod præmium vt alioquin efficax ad prouocandam poſſeſſorum deuotionem; ita Theodoſium fidem ſuam hac parte non liberaſſe oſtendet *lex proxima;* vbi tamen poſt fidem fractam rurſum idem præmium proponit, ad extorquendam ſimilem collationem; oſtendet & vndecim annis poſt tertia eius conſtitutio: puta *Nouella 33. de releuatis, adæratis, vel donatis poſſ.* denique ſpecioſa hæc præmia tantum verbis, re autem inania; Quanquam neceſſitate Theodoſius forte excuſabitur apud eum, qui laban-

tem

tem Imperii molem hac tempeſtate reſpexerit, & vero ſe excuſat & *l. prox.* & *d. Nouella 33.* Quid qood id genus poſſesſionibus & poſſeſſoribus longe iuſtius, extraordioariuoı quid imponi, quaın oouis deſcriptionibus miſeros collatores ſubiici omnimodis, fatendum eſt: Et hæc quidem vt prolixæ, ita & elegaotiſſımæ, non verbis quidem, verum rerum momentis, conſtitutiooıs huius ſententia eſt, vnde multa ad rem cenſualem, iuriſque diſciplinam, deriuari poſſunt, quæ nos breuiter tantum ſignauimus.

VI. (a) Impp. THEOD. & Valentinianus AA. Antiocho (b) PF. P.

1. EORVM iugorum, ſiue capitum (c), ſiue quo alio (d) nomine nuncupantur, priuati iuris, vel patrimonialis, ſiue Ciuilis, (e) ſiue Templorum (f), quæ a principio Imperii (g) diuæ recordationis Arcadii Genitoris mei, ex petitionibus (h) diuerſorum, vel vltrodatis (i) adnotationibusque, in præſentem (k) diem qualitercumque releuati (l) ſunt, vel adærata (m) leuius, vel de patrimoniali iure ad priuatam (n), vel in aurariam, ærariam, atque ferrariam præſtationem translata (o), quinta pars commodi, quod ex eo *beneficio* (p) ad dominos fundorum peruenit, ex eodem tempore exacta, pro æſtimatis (q) per ſingulos annos habitis, Arcæ (r) & Sacrarum largitionum viribus ex æquo ſocietur. 2. Exceptis * his, quæ in *Capitatione humana* (s) *atque animalium* (t) diuerſis qualicunque (v) conceſſa ſunt; ita vt omnium, quæ prædicto tempore, atque etiam ſub inclytæ recordationis Auo (x) Noſtro, in terrena (y) ſiue animarum (z) deſcriptione releuata ſunt; vsque ad quadringentorum iugorum, ſiue capitum quantitatem, pars dimidia publicis cenſibus adiungatur: vt ſi quidem vsque ad quadringenta iuga vel capita releuatio facta eſt, dimidia tantum pars fiſco reddatur. Si vero amplius aliquid releuatum eſt, vſque (aa) ad ducentorum iugorum vel capitum, apud *Beneficium* conſecutos, ſeu (bb) releuatio firma, permaneat, reliqua omnia publicis cenſibus refundantur. Aut enim intra ducentorum numerum pro rata partis dimidiæ portione vnumquenque releuari conueniet, aut vltra eundem minime ad diſpendium publicum præſtita releuatione abuti: Siue in vna, ſiue in diuerſis prouinciis, vel ſuo, vel interpoſito nomine, huiusmodi *Beneficium* impetrabit (cc) 3. (Niſi ** ſi quis ſe pro fundis *Sterilibus*, ac deſertis, maioris etiam adſcriptionis releuationem iuſte meruiſſe firmauerit, & Inſpectore (dd), ſeu Peræquatore miſſo probauerit: non iam ſecundum noſtrum *Beneficium*, quod vsque ad ducenta iuga vel capita pro dimidia parte indulſimus, ſed pro Inſpectionis futuræ veritate ac fide, tributa publica ſoluturus.) 4 *Adæratis* *** etiam, & qualitercunque *Translatis*, ex Quarta decima feliciter futura Indictione (ee), translatione vel adæratione ſeruata, modum conlationis imponi (ff), qui conſequutis partem quandam *Beneficiis* (gg) reſeruabit: pro regionum diuerſitate, factæ adærationis modum, atque omnium, quæ in huiusmodi rebus conſideranda ſunt, qualitate (hh), Præfectura Ampliſſima (ii) diſponente. 5. Illis **** ſolis ab hac deſcriptione, a Sublimitate Tua (ſicut viſum fuerit, diſponente) penitus eximendis, & in præſenti conlationis modo manſuris, quæ Ciuitatibus, vel Curiis, vel Officiis *in commune* remiſſa ſunt, vel aliquando Perſonarum magis (kk) indulta: ſed ex diſpoſitione Ampliſſimæ Sedis Tuæ, ſi qua ſit de releuatione ſuſpicio, Inſpectioni veriſſimæ ſubiiciendis. 6 Exactionem ***** vero quintæ partis conlationum ab exordio imperii Diuæ memoriæ Patris mei, vt dictum eſt, iam (ll) nunc fieri ab his qui emerunt, vel eorum heredibus, ſi ſoluendo ſint, vel detentatoribus, pro quo quisque poſſedit tempore quo obiit, poſterioribus vel nouis dominis ad quos releuata prædia deuenerunt, contra ſuos auctores (mm) actionibus legitimis reſeruandis, neque penitus vllo ſub quocunque priuilegio diſpoſitione hac eximendo. 7. Firmiter ****** in futurum, & ſine vlla deſcribtionis moleſtia, apud eos qui meruerunt, diuina indulgentia permanſura, ita vt ne retractari quidem, nec proferri in medium has rurſus liceat rationes, completis his quæ in præſenti de cauſis ſingulis, aut perſonis, pro rerum neceſſitate ſtatuta ſunt. Dat. Prid. Kalendas Ian. Conſtantinop. DD. NN. Theod. XIII. & Valentiniano III. AA. Coss. [430.]

P. 256.

NOTAE.

(a) Abeſt hæc *lex a Cod Iuſt* Meminit eius, vt & Antiochi, ad quem ea ſcripta eſt, quindecim ferme poſt annis ipſe Theodoſius Iunior *Nou* 33. *de releuatis adæratis vel donatis poſſeſſionibus*, cuius pars relata in *l. vn. C. Iuſt. de Collatione donatorum vel releuatorum.* GOTHOFR.

(b) *Antiochus* PP. Orientis, ſub Theodoſio Iun. V. *Proſopogr. ID.*

(c) *Capita*, ſeu iuga. v. *Paratitlon de cenſu. ID.*

(d) V. quæ in Commentario. *ID.*

(e) *Ciuilis*, id eſt ad ius publicum ſeu Reip. pertinens, de quo vide *Gloſſarium*, v. & *tit. ſup. de locatione fundorum iuris Emphyteutici. ID.*

(f) De Fundis Iuris *Templorum* priuatis hac tempeſtate paſſim donatis v. quæ dixi ad *l. prox. ſup.* & pleniſſime *Paratitlo inf. de Paganis, Sacrificiis, & Templis*, & ad *l. 8. ſup. de iure fiſci. ID.*

(g) Id eſt ab A. D. 395. *ID.*

(h) De *Petitionibus* fuit *ſupra lib.* 10. Tit. peculiaris. *ID.*

(i) De *Vltrodatis* bis, vide prædictum *titulum de petitionibus, & vltrodatis. ID.*

(k) Intra hos 36. annos. *ID.*

(l) Canone. *ID.*

(m) *Adærata*, id eſt, æſtimata, v. *Gloſſar. Theodoſ. ID.*

(n) Hinc apparet, priuatæ rei fundorum meliorem fuiſſe conditionem quam patrimonialium: de quo vide *tit. prox.* 19 *ſup. de collatione fundorum patrimonialium vel emphyteuticorum & rei priuatæ. ID.*

(o) *Translata* dicuntur hic, & *d. Nou. Theodoſii* 33. (vnde & translatio *hac ipſa l.* & *d. Nou.*) quæ in aliam functionem mutata. *ID.*

(p) *Beneficii* vox hac in re propria, vt iam oſtenſum ad *duas leges ſuperiores. ID.*

(q) Si hæc vox bene habet, & ſequens, *habitis*; tunc vox *æſtimatum*, pro *æſtimatione* accipienda. Et ſane in veteribus Gloſſis: *opinio σύνοψις æſtimatum*, τὴν σύνοψιν; ἤτοι ἐξηγγυρισμὸν, ἤτοι Διατίμησιν. Alibi *taxatio, σύνοψις*. Quare non mutandum hoc in *æſtimatione habita. ID.*

(r) De *Arca*, & iis quæ in eam inferebantur, iam *alibi* dixi. *ID.*

* *Secunda* ſententia de HVMANA & ANIMALIVM CAPITATIONE releuatis. *ID.*

(s) De *Capitationis* voce v. quæ late ſemel dixi ad *l. 2. inf. de cenſu. ID.*

(t) Heraldus hic reponit *animali*, de quo mox. *ID.*

(v) γρ. *Qualitercunque*, vt non vno loco *huius leg.* Heraldus mallet hic *qualiacunque. ID.*

(x) Theodoſio M. v. & *l. 5. prox. ſup. ID.*

(y) In hoc mox inquiram. *ID.*

(z) Supra *humana atque animalium*: vtrumque enim hic *animarum* appellatione comprehenditur. *ID.*

(aa) γρ. *vſque. ID.*

(bb) Poteſt hæc vox ſuſtineri, quæ abeſt a prima Cuiac. & illa in 4. niſi malis, *ea releuatio. ID.*

(cc) γρ. *impetrauit. ID.*

** *Tertia* ſententia, de *ſterilibus* & deſertis. *ID.*

(dd) De his iam ad *leg. ſuperiorem. ID.*

*** *Quarta* ſententia, de *Adæratis* & Translatis. *ID.*

(ee) *Indictio* hæc decima quarta recte reſpondet Anno proximo *Antiocho & Baſſo COSS.* A. D. 431. Quomodo etiam recte notatum in Marcellini Comitis *Chronico*, & Chronico *Alexandrino* ſeu *Faſtis Siculis*. Nobilis autem hic annus eſt Epheſino Concilio. De *Indictionib.* dicam peculiari capite in *Chronico* Indictionum, & *ad tit. inf. de indulg. debitor. ID.*

(ff) Repetendum ἀπὸ τοῦ κοινοῦ *conueniat*: etſi longius petitum. *ID.*

(gg) γρ. *Beneficii*, partem ſcil. Beneficii. *ID.*

(hh) *Qualitate*, id eſt Circumſtantiis. *ID.*

(ii) id eſt, Te Præfecto Prætorio diſponente, vt mox; *a Sublimitate Tua*: item *ex diſpoſitione ampliſſimæ Sedis Tuæ*, nempe Antiochi, de quo mox plenius. *ID.*

**** *Quinta* ſententia, de conceſſis *in Commune* alicui corpori. *ID.*

(kk) Tentabat Cuiacius vel Pithœus, *meritis*. Poſſit videri agi hic de eo beneficiorum genere, quod certo perſonarum generi indultum, verum de huius loci reſtitutione mox. *ID.*

***** *Sexta* ſententia, de *Nouis* dominis & poſſeſſoribus. *ID.*

(ll) De hac voce conſule *Gloſſarium. ID.*

(mm) *Auctores*, a quibus bona vel iura aliqua promanant, v. *Gloſſarium. ID.*

****** *Poſtrema* ſententia, qua *ſanctio legis* continetur. *ID.*

COMMENTARIVS.

ALTERA hæc Theodoſii Iun. *hac tit.* Conſtitutio eſt; & ſi omnes eius Conſtitutiones, de collatione donatarum vel releuatarum poſſeſſionum numeres, e quatuor, vna. Duabus enim *huiuſce tit.* legibus addenda eſt *lex 15. de indulg. debitorum*, & *Nou. eius 33. de releuatis adæratis vel donatis poſſeſſionibus.* Quarum priore, indulgentia tribuitur quadriennio ferme poſt *hanc l.* ceterorum, ex ea collatione pro dubio, quæ *hac l.* indicta fuerat: Poſteriore, puta *Nou. 33.* mentio fit *Antiochi Præfecti Prætorio*, cui hæc *lex* inſcribitur, & diſpoſitionis ſeu modi ab eodem conſtituti collationis ſeu indictionis nomine releuatarum adæratarum, donatarum, vel translatarum poſſeſſionum; quæ ipſa illa diſpoſitio videri poſſit, quam Antiochi arbitrio Theodoſius *hac l.* committit.

De *Beneficiorum* Principalium circa poſſeſſiones priuatorum diſtinctionibus ſeu generibus iam ad *ſuperiorem legem* actum fuit. Quare per ſingulas *huius l.* ſententias decurriſſe ſat erit, ſingularibus tantum ſubnotatis.

Ante

Ante omnia notanda illa, *Eorum iugorum ſiue capitum, ſiue quo alio nomine nuncupantur.* Nempe variis nominibus modi poſſeſſionum, quibus collatio imminebat, nuncupabantur. De Iugis ſeu capitibus plene dixi *in Paratitlo*, & *ad l 2. de cenſu.* Sed & alia nomina hac in re alicubi vſurpata: ſic quoque Iuſtinianus *Nouella 17. c. 8.* τυτέςι τό τε ποσὸν τῶν ζυγοκεφάλων, ἢ ἰύγων, ἢ ἰυγαλίων, ἢ ὅπως δήποτε ἂν αὐτὰ κατὰ χώραν καλοῖεν. id eſt, *quantitatem Zygocephalorum, aut iugorum, aut Iugalium, aut quolibet modo per regiones nuncupantur.* Idem *Nouella 128. cap. 1.* ὑπὲρ ἑκάςυ ἰύγυ, ἢ ἰλλίων, ἢ κεντυρίων, *pro vnoquoque iugo, aut villis, aut centuriis.* Ergo præter Iugorum & Capitum appellationes, variæ aliæ vſurpatæ. In his & *Arurarum* vox in Ægypto, *l. vlt. de patrociniis vicorum*, vbi de iis plene dixi. Nunc de ipſamet *legis* ſantentia.

Prima ſententia eſt, de PRINCIPIS PVBLICISQVE fundis, qui Principum beneficio, ac nominatim Arcadii patris ſui, in priuatorum dominium tranſlati fuerunt: ſiue *canone* penitus *dempto*, ſiue *leuius adærato*, æſtimato, taxato: ſiue denique *tranſlato*, id eſt, commutato cum alio præſtationis genere. Hoc igitur caſu Theodoſius Iun. P. 557. *hac leg.* Quintam partem commodi, quod ex tempore huiuſcemodi Beneficii ad Beneficiarios peruenit, inferri iubet, extraordinaria collatione. In qua ſententia hæc obſeruanda ſunt.

Primo notanda, quatuor publicarum *poſſeſſionum Genera*, quæ in priuatos transferri beneficio Principis contigerat; puta *Priuati Iuris*, id eſt, ad rem priuatam Principis olim pertinentes; item *Patrimoniales*; (quæ quomodo ab illis differant oſtendit Paratitlon *ſupr. tit prox. de conlat. fundor. patrimon. vel emphyteut. & rei priuatæ.*) Item *Ciuiles*, id eſt, ad Ciuitates & Reſpubl. olim pertinentes, de quibus ad *l. 1. ſupr. de locat. fundor.* tandem fundi *Templorum*, id eſt, fundi, poſſeſſiones ſacris Gentilium & reditibus Templorum olim deſtinatæ, mox a Chriſtianis Principibus Fiſco, vel rei priuatæ vindicatæ, de quibus actum ad *l. 8. ſupr. de iure fiſci*, & *Paratitlo de paganis ſacrif. & templis, infra.*

Secundo *Tempus* obſeruandum, a quo Donatis huiuſmodi fundis collationem extraordinariam Theodoſius Iun. impoſitam vult: nempe vt *hac l.* ita & *ſuperiore*, e principio Imperii Arcadii, id eſt, ab Ann. D. 395. 36. annorum ſpatio aliter quam ſequente mox ſententia cauetur de releuatis capitatione: vbi a tempore Theodoſii M. Initium ducitur. Abunde ſcilicet id hac parte viſum, vetuſtioribus beneficiariis intactis: forte etiam, quia eſſuſiore liberalitate & improbiore multo petitione quam antea in publica damna itum. Quinimo poſt retracta loca ciuilia & templorum a Iuliano: vt docet quoque *lex 8. ſupr. de iure fiſci:* & *lex 1. ſup. de locat. fundor.* primus Arcadius per Orientem annonas & poſſeſſiones Templorum ſacris Gentilium ſub Valente & Theodoſio M. detractas, reique priuatæ Principis ſociatas in priuatorum dominium quamplurimas tranſtuliſſe videtur: Antea quippe ſub Theodoſio M. fundi ex templorum iure deſcendentes, conductionis ferme titulo in priuatos tranſlati, vt docet Theod. M. conſtitutio A. 383. puta *lex 4. ſupr. de locat. fundor.* Quanquam & ipſe Arcadius aliquando, puta A. 405. poſſeſſiones Templorum a ſe peti amplius vetuit, *l. 24. ſupr. de petitionibus.* Quid per Occidentem ab Honorio circa templorum loca conſtitutum, docebit *lex 5. ſupr. de locat. fundor. l 41 infr. de operib. publ. l 19 20. infr. de paganis.*

Tertio obſeruandi *Modi* quibus huiuſmodi poſſeſſiones in priuatorum iura transferebantur, nempe duplici: vel petitionibus, id eſt, ad poſtulationem priuatorum; vel vltro datis, id eſt, vltronea & ſpontanea Principis donatione, de quo vtroque actum *ſuo tit. de petitionib. & vltro datis*; quæ vltro data & *adnotationes* hic dicuntur: nempe quoties Principes ſpeciali ſcriptura poſſeſſionem bene merito largirentur.

Quarto *Tranſlationis*, id eſt, commutatæ functionis & præſtationis duæ ſpecies obſeruandæ. Prima tranſlationis ſpecies eſt de iure Patrimoniali in priuatum: vnde apparet, priuatæ rei functionem leuiorem fuiſſe functione Patrimoniali, de quo dictum *ſupr. tit. prox.* Secunda ſpecies tranſlationis eſt *in aliam præſtationem*, quæ poſſidenti facilior futura; veluti ſi pro æris aut ferri præſtatione, quæ ſibi grauior: in auro præſtationem deinceps Principis beneficio emereatur: & viceuerſa. De cætero, de æris collatione erit *tit prox. 21.* & fuit *lex 23. ſupr. de annona:* de auraria præſtatione actum fuit *aliquot legibus tit. 1. de annona & trib. ſupr.* de Ferri collatione v quoque *l. 2 ſupr. de fabricenſib.* & Baſilii *ep. 277. ſiu. 110. Edit. Benedictin Pariſ.* ad Modeſtum PP. & Claudianum, *de bello Getico v. 538.* vbi Alaricum inducit loquentem:

- - - tot tela, tot enſes
Tot galeas multo Thracum ſudore paraui
Inque meos vſus vectigal vertere ferri,
Oppida legitimo iuſſu Romana coegi.

Tandem de tranſlatione ſeu commutatione functionis fuit quoque *tit. ſupr. tributa in ipſi ſpeciebus inferri.*

Poſtremo notandum, tributa vel *Arcæ*, vel ſacris largitionibus illata: Arcæ, inquam, Præfecturæ Prætorianæ, de quo dictum iam alibi, & dicetur *infr. tit. de indulg. debit.*

Secunda Sententia continetur Exceptio ſuperioris, *de Releuatis a Capitatione humana & animalium, animarum* denique; nempe ita releuatas poſſeſſiones, ſi intra CCCC. iuga ſiue Capita ſint, dimidiam eius releuationis partem valere oportere, alteram ſolitis rurſum functionibus adſtringendam, ſi vltra CCCC. iuga, quicquid vltra CC. eſt, functionem ſolidam præſtare oportere. Ante omnia inquirendum, quid per *Capitationem humanam & animalium* intelligendum ſit, quid per Animarum deſcriptionem, terrenæ oppoſitam. Nempe videatur intelligendum quidquid annonæ in ſpeciebus, in hominum (veluti militum) & animalium vſum præbebatur. Sane vt *Capitum animalis* dicebatur pabulum, puta fœnum & palea, *l. 7. 13. 17. ſupr. de erogat. milit. ann. l. 1. ſupr. de domeſticis & protect. l. 10. ſupr. de numerar.* (de quo dixi plene ad *d. legem 7.*) ita & Capitatio eodem ſenſu & *l. 8. 11. d. tit. de erogat. milit ann.* & *tit. Cod. Iuſt. de annonis & capitatione.* Verum hæc interpretatio non placet. Igitur, de quo etiam ad *l. 2. infr. de cenſu*, humana, & animalium, animarum denique capitatio eſt, quæ pro

ſeruis, colonis, adſcriptis, cenſitis, itemque pro animalibus, quæ omnia alioquin cum poſſeſſione ſeu prædio ambulare ſolent, præſtabatur; vt contra terrarum, pro poſſeſſionibus: ſic & Iuſtinianus in eadem re, *leg. 23. Cod. Iuſt. de agricol. & Cenſitis: Publicas functiones*, inquit, *ſiue terrenas, ſiue animales.* Eodemque ſenſu in Græca conſtitutione Anaſtaſii ψυχικὴ συντέλεια *l. vlt. C. Iuſt. de annona & trib.* & ipſa eſt de releuatis poſſeſſionibus, ἐὰν μὲν αἰτήσῃ ἐπαρχία ἢ πόλις κουφισμὸν λαβεῖν ψυχικῆς (a) συντελείας, ἢ ἐπόπτην, ἢ ἐξισωτὴν πεμφθῆναι: *Si prouincia, vel ciuitas releuationem petat animalis functionis, vel inſpectorem, aut peræquatorem.* Eodem ſenſu, *humana capitationis cenſus* in Theodoſii M. conſtitutione. *l. vn. Cod. Iuſt. de colonis Thracenſibus*, quæ hanc in rem expreſſiſſima eſt, & oſtendit pariter iugationem terrenam ab ea diuerſam fuiſſe: qua per vniuerſam diœceſim Thraciarum ſublato in perpetuum humanæ capitationis cenſu, iugatio tantum terrena ſoluatur: quod ita mox explicat, *colonos tributariæ ſortis nexibus abſolutos.* Idemque indicatur & ſtatuitur *l. vn. Cod. Iuſt. de colonis Illyric. Inſeruiant*, inquit, (coloni inquilinique per Illyricum vicinaſque regiones,) *terris non tributario nexu, ſed nomine & titulo colonorum:* Et certe de illa Theodoſii M. aui ſui *lege* ſenſiſſe hic videtur Theodoſius Iun. Ab hac vero capitationis ſpecie apage *l. 9 Cod. Iuſt. de act. empti: & l vlt ſup. ſine cenſu.* Alio vero ſenſu ψυχικὰ δημόσια Græci dixerunt, quæ pecuniæ pro capitibus vocantur: *l vlt. §. 8. D. de munerib. & honorib.* Ergo *humana, & animalium capitatio* eſt pars ea tributariæ functionis, quæ & pro ſeruis, colonis & pro animalibus *(pour le beſtail)* quæ in prædio erant, præſtabatur: diuerſa enim hic ſunt *humana* & *animalium* capitatio, e contra quam ſenſit Heraldus, qui & ideo hunc locum emendabat. Vtrumque vero per *animarum deſcriptionem* mox indicatur, terrenæ oppoſitum, quæ pro ipſo prædio ψυχικὴ συντέλεια & homines & animalia cepit. De quo iam etiam vide, quæ dixi
P. 158. ad *leg. 2. infra, de cenſu.* Et hæc de ſecunda *huius legis* ſententia.

Tertia Sententia eſt, de *ſterilibus ac deſertis fundis releuatis:* Nempe iubet Theodoſius Inſpectores ſeu Peræquatores mitti, de quo iam quoque *lege ſuperiore*, vt ita pro inſpectionis veritate & fide vel tributa ſoluant, vel non ſoluant. Et aſtutus eſt Theodoſius hac parte, quaſi ſterilibus fundis plenam immunitatem tributurus eſſet; at reuera reuocandis huiuſcemodi immunitatibus, quod ſciret per ſuperiorum Inſpectorum gratiam quamplurimos releuatos.

Quarta ſententia eſt, de *Priuatorum poſſeſſionibus*, quæ non emanarunt ex re priuata Principis, vel Patrimonio, aut Ciuitatum iure vel Templorum, *adæratis vel translatis* & ſic *releuatis.* Nempe Antiochi Præfecti Prætor. diſpoſitioni committit Theodoſius, vt a proxima Indictione, ſeu anno, quem iudicauerit collationis modum, iis imponat; ſub tribus conditionibus; Prima, vt partem quandam beneficii conſecutis reſeruet; dein vt regionum diuerſitatis rationem habeat: Nempe quia limitaneæ regiones ſpecierum adærationem minus ferunt, vbi ſpecies ipſas limiti tuendo ad milites limitaneos conuehi publice intereſt; in mediterraneis non æqua neceſſitas; Tandem reliquarum circumſtantiarum rationem haberi iubet, Id inquam, vt & quod proxima ſententia continetur, Antiochi PP. diſpoſitioni committit Theodoſius Iun. *hac leg.* Qui ſane Antiochus iuſſionem Theodoſii ſecutus, diſpoſitionem ſuam edidit, quam poſtea Theodoſius Iun. firmauit *leg. vnic. Cod. Iuſt. eod. tit.*

Quinta ſententia eſt, de *Releuatis in commune*, non iam ſingulis perſonis; verum ciuitatibus integris, vel Curiis ciuitatum vel Officiis, imo & quandoque *prouinciis integris* (ita enim hic legendum exiſtimo, *vel aliquando prouinciarum malis indulta;* de quo mox) Nempe illis vel plus æquo oneratis, vel hoſtili excurſui patentibus, & publica clade vexatis ægriſque, huiuſmodi indulgentias generales ſæpe Principes dedere: quam in rem eſt Valentiniani III. elegans *Nouella, de tributis fiſcalibus inter Theodoſianas* 23. Similis eſt illa quoque indulgentia Conſtantini Magni data Flauienſibus, qua *ſeptem millia capitum* eis remiſit, quæ quartam amplius partem cenſus conficiebat, quo nomine ei gratias agit Eumenius Flauienſium nomine, ea oratione, quæ inter Panegyricos veteres hodie extat. De cuiuſmodi & ſimilibus aliis erit *infr.* peculiaris *titulus de Indulg. debit.* Et tamen diſpoſitioni Antiochi Præfect. Prætor. negotium iſtud ipſum committit, vt exploret per Inſpectores, num iuſta de cauſa releuari meruerint. Eſt ergo *hoc Caput* de Releuatis quoque integris prouinciis: nam locum emendo aliter atque Cuiacius & Pithœus ita: *prouinciarum malis indulta:* Quod vt horum temporum infelicitati congruit, ita ſuadent ſuperiora, *manſuris*, inquit, *quæ Ciuitatibus, vel Officiis in commune remiſſa ſunt:* quibus ſane recte omnino hæc ſubiiciantur, *vel aliquando*, id eſt, imo nonnunquam *prouinciarum* integrarum ſcilicet *malis.* Sane & *Nouella* 33. Theodoſii, quæ ad *hanc legem* quoque reſpexit, par eſt exceptio ſeu coniunctio, *niſi*, inquit, *ex communi Ciuitatis aut prouinciæ deſiderio poſtuletur.* Tandem proprio ſignificatu *Mala* dicuntur de ciuitatum & prouinciarum damnis: de quo aliquin videndus *tit. infr. de Legatis & decretis Legationum.* Eodem ſenſu dixit Symmachus *lib. 2 ep. 7.* de fame Vrbis Romæ, *Communia mala.* Idem *lib. 10. epiſtola 53. damna ſua deplorans:* vbi de Capuana Legatione agit.

Sexta ſententia eſt, de *Nouis Poſſeſſoribus* poſſeſſionum, de quibus prima ſententia, releuatarum: Nempe ipſos poſſeſſores ad quintam illam partem ſoluendam adigi iubet, ſaluis actionibus aduerſus Auctores ſuos, pro rata temporis, quo priores illi Beneficiarii poſſederunt. Quod poſterius, vt æquitatis plenum, ita illud iuri conſentaneum; nempe quia in tributis prædia ipſa conueniuntur, de quo plene agit *tit. 3. ſupr. ſine cenſu vel reliquis fundum comparari non poſſe.*

Poſtre-

(a) Τυχικῆς συντελείας in editis legitur; quam lectionem in ψυχικῆς mutauit CVIACIVS in animaduerſ. ad *hanc leg.*

Poſtrema ſententia continetur *Sanctio legis*, qua indulgentiam deinceps pollicetur, ſi *huic leg.* paritum fuerit, quam rerum neceſsitas extorſerit: Quod & ipſum *ſuperiore leg.* idem polli:eitus fuerat, vbi iam oſtendi, quam parum promiſſorum memor Theodoſius Iun. hac parte fuerit.

p. 159. DE CONLATIONE ÆRIS.

TITVLVS XXI.

LIB. X. COD. IVST. TIT. XXIX.

De Collatione Æris.

PARATITLON.

Aes quoque, ſeu æris ſpecies, per Orientem, *l. 1. 3. hoc t.* & *l. 9. infr. de indulg. deb.* & Occidentem *l. 2. h. t.* a prouincialibus *l. 2. hoc tit.* poſſeſſoribus, *d. l. 2.* & *3. h. t.* debebatur *d. l. 9. de indulg. deb.* Largitionibus inferebatur, *l. 1. h. t.* exoluebatur, *l. 3. ſeu vlt. h. t.* Atque adeo inter tributa erat. *d. l. vlt. h. t.* Vnde titulus hic, *De Conlatione æris:* indeque æraria præſtatio, *l. 23. ſupr. de annona & tribut.* & *l vlt. ſupr. tit. prox. de Collat. donatarum:* prohibito tamen ære, quod dichoneutum, *l. 1. hoc tit.* Quandoque tamen pro beneficio ſingulari petentibus hæc præſtatio in aliam functionem transferebatur, *d. l. vlt. ſupr. de conlat. donat. l. 3. hoc tit.* vbi id prohibetur. Quandoque etiam publica neceſſitate id poſtulante, fiebat, vt pro ære, pretium æris in ſolidis poſtularetur, ſeu exigeretur: *l. 2.* & *3. hoc tit.* Æſtimatio porro eius certa erat, *d. l. 3. h. t.* hæc ſcil. vt pro 25. libris æris, vnus ſolidus redderetur (id eſt, inuicem præſtaretur) *d. l. 2. h. t.* & ſic pro centenario æris *d. l. 3. ſeu vlt.* proculdubio, quatuor ſolidi:

De DICHONEVTO *ære prohibito, deque* ÆREÆ *pecuniæ conflatoribus,* & MONETÆ *adulteratoribus.*

I. (a) Impp. Valentinianus & VALENS AA. Modeſto PF. P. (b)

Aes, quod *Dichoneutum* (c) vocatur, non modo (d) deinceps Largitionibus (c) inferatur, verum de vſu penitus, & conuerſatione (f) tollatur, ac nemini publice hoc habere liceat. Et * conflatores figurati æris, adulteratores etiam monetæ, capitalis animaduerſio perſequatur. Dat. VII. Id. April. Conſtantinop. Gratiano A. II. & Probo Coss. [371.]

NOTAE.

(a) Abeſt hæc *lex* a *Cod. Iuſt. GOTHOFR.*

(b) *Modeſtus* PP. Orientis ſub Valente: *v. Proſopogr. ID.*

(c) Διχώνευτον, de quo mox. *ID.*

(d) *γρ. Non modo non. ID.*

(e) Principis. *ID.*

(f) *Conuerſatione*, id eſt, vſu publico & negotiatione, v. *Gloſſ. Theod. in v. Conuerſatio. ID.*

* Fugitiua hæc *huius leg.* portio eſt, & melius in *titulum de Falſa moneta* coniecta fuiſſet: vel in *titulum, ſi quis pecunias conflauerit. ID.*

COMMENTARIVS.

Aeris cuiusdam, quod in Oriente *Dichoneutum* vocabatur, διχώνευτον collationem, imo & vſum, penitus omnem in commercio tollit hac conſtitutione Valens Imp. An. D. 371. Sed & (quod ab hoc *titulo* alienum eſt) *Conflatoribus* figurati æris, & adulteratoribus Monetæ capitalem pœnam imponit.

Dichoneutum at non hic intelligendum eſt æreorum nummorum genus aliquod, quod Maynardus *in Excerptis Notarum* ad me transmiſsis a Puteano conüciebat, voce deducta a χεῦθειν quod Suidas *dict. voc.* interpretatur εἶδος μέτρου, *menſuræ genus*, quaſi eius dimidiati ponderis modo ænei nummi cuderentur, vnde Dichoneuti: quæ coniectura

ctura inanis eſt: Nam, vt omittam alia, eam refellit vel *titulus*, ſub quo hæc *lex* poſita eſt; Nempe enim ao agitur, non de æreæ pecuniæ, verum de æris metallici & ſpeciei ipſius collatione, quæ largitionibus
P.15c. Principis ioferebatur, ad vſus forte armorum & fabricarum, de qua ipſa æraria præſtatione, præter omnes *huius tit.* leges, agitur pariter *l. 23. ſup. de annona & trib.* & *l. vlt ſupr. tit. prox. de collatione donatarum*: In quem pariter vſum & ferrum præſtabatur, de quo v. *l. 2. ſupr. de fabricenſib:* & *l. vlt. ſupr. tit prox. de conlat. donatar.* conficieodis videlicet armis ex ferro vel ære, veluti caſſidibus & bucculis, vt docet *lex 1. ſupr. de fabricenſibus.* Neceſſe igitur eſt, æs *dichoneutum* fuerit quædam æris ſpecies, diſſereotia & mixtura adulterina, non venæ nobilis, quæque facile deduceretur ignibus, ſeu liqueſceret, vt loquitur *d. lex 2 ſupr. de fabricenſibus*: ſed quæ inutilis ad fabricam armorum eſſet, quæ paſſim tamen in vſu eſſet. Sane, quodnam illud fuerit, vel ex ipſo nomine cooiicere ſatis licet. Nempe διχώνευτον idem eſt, quod bis recoctum & conflatum. Notum quid Græcis χωνεύειν, χωνεῖον, χωνευτική: vt contra, *Baluca* ἀχώνευτος γῆ, ἡ χρυσώδης, in *Gloſſis* Cyrilli, id eſt, *maſſa terræ latentis auri, nondum flammis decocta*, de quo vid. *l. 3. 4. de metallis.* Quare hinc iam apparet, *æs dichoneutum* eſſe bis recoctum, adulteratum, & aduentitia etiam forte aliqua materia commiſtum: De cuiusmodi æris miſturis agit Plinius, *lib. 34. cap 13.* vbi et *diphryges* memorat, neque minus Dioſcorides *lib. 5. cap. 120.* æris ſpeciem quandam memorat, quam Græci vocabant *diphrygen*, ab eo quod bis torreatur, quæque veluti fex ſubſidens erat: cuius etiam triplicem ſpeciem tradunt. Et ſic æs dichooeutum, impurum, cui purum oppoſitum; quod purum vocamus nos, *Cuivre rouge, cuivre de roſette, cuivre fin, cuivre depoüillé de ſa matte.* Et proculdubio æs iſtud dichoneutum non *regulare*, ſed *caldarium*, vt vocat Plinius, *lib. 34 c. 8. in fin.* & Iſidorus ex eo *Origin. lib. 16. cap 19.* quod ſcilicet fundi quidem & liqueſcere poterat, non vero malleo diduci. *Caldarium*, inquit, *funditur tantum, malleis fragile.*

Neque putaodum æs dichoneutum idem eſſe cum eo ære, quod mox *figuratum æs* hac *leg.* dicitur: nam imo contraria hæc ſunt, æs rude ſcilicet & graue, cuius ſpecies dichoneutum, & æs figuratum. *Figuratum* enim eſt, quod in monetam cuſum eſt, Principum vultibus & figura ioſignitum; nam & ita figuratus ſolidus dicitur, *l. vn ſupr. ſi quis ſolidi circul.* item Principum vultibus figurati ſolidi, *l. 1. infr. de ponderatorib.* figuratus nummus, *l. 4. ſupr. de falſa moneta.* Auctor quoque ſubditus Notitiæ Imperii eadem voce vtitur: figuratio monetæ, *l. 8. d tit. de falſa mon. l. 2. ſupr. ſi quis pecunias conflau. leg. 7. ſupr. de indulgent. crim.* Denique figurari aurum dicitur, *l. 7. d. tit. de falſa mon.* Lampridius in Alexandro Seuero *cap. 25. Nummos*, inquit, *electreos & aureos vultu Alexandri M. figurauit*: Denique *figura* eſt, quæ alias forma nummi ſeu character, vultus, facies, εἰκόνιον, ænigma.

Nunc de altera *huius l.* ſenteotia, quæ alioquin ab *hoc tit.* fugitiua eſt. Capitalem ſcilicet pœnam imponit Valens vt adulteratoribus monetæ, ita & conflatoribus æris figurati: & ſi hæc duo crimina pœna exeqoantur, ac proinde ſimilitudine rei coniunguntur *Adulteratio monetæ* eſt, vbi videl. circa Principis monetam cuſam aliquid falſi quis molitur: de quo falſi genere videndi tituli *lib. 9 tit. 21. de falſa moneta* & *tit. 22. ſi quis ſolidi circulum exteriorem inciderit.* At conflatores figurati æris ſunt priuati, qoi iam ex ſuo ære pecuniam cudebant. Hac ſcilicet tempeſtate æreæ ſaltem monetæ cudendæ priuatis nonnullis, etiam Reſcriptis & adnotationibus Principum, ius fuit, quod vt ex *l. 5. 7. 8. ſupr. de falſa mon.* (quæ duæ poſtremæ *leges* eiusdem Valentis ſunt, cuius & hæc noſtra) colligere licet; ita diſertis verbis id docet *lex vlt. eod. tit.* vbi Theodoſius M. pariter pœna propoſita conflatores huiusmodi æris perſequitur, & Reſcripta illa, quæ dixi, reuocat, *Si quis*, inquit, *ſuper cudendo ære vel Reſcripto aliquo, vel etiam Adnotatione Noſtra ſibi arripuerit facultatem, non ſolum fructum propriæ petitionis amittat, verum etiam pœnam, quam meretur, excipiat.* Vt hæc interpretatio mihi placeat, facit, quod *de ære* nominatim hic agitur: alioquin ſi de diſſolutione pecuniæ Priocipis ageretur, non *æris conflatores* dixiſſet, ſed *pecuniæ conflatores*: qoo ſenſu nempe *conflari pecunia* dicuntur, *Rubr.* & *l. 1. ſupr. ſi quis pecunias conflauerit:* & apud Paulum V. *ſent. tit. 25. §. 1.* & apud Lampridium *in Alexandro Seuero cap. 39.* quibus ſaoc locis omoibus *conflare pecuniam* eſt in materiam & maſſam redigere.

Illud tandem obſeruandum, vt ad priorem *huius legis* ſeoteotiam redeamus, *Modeſto Præf.* P. Orientis *hanc leg.* inſcribi. Nempe ſolennis in eo tractu, qui eius Præfecturam conſtituebat, æris collatio fuit. Nam & ſub eius adminiſtratione fuit Cyprus, quæ πολύχαλκος ære abundabat, *æroſa* ideo ab antiquis, Feſto referente, dicta. Vetus quoque Orbis deſcriptio ſub Conſtantio & Conſtante, quam nos edidimus *c. 58. §. 1.* de Cypro, *Neceſſaria ipſa inſula habet omnia inferius declarata, ligna,* ÆRAMENTVM, *ferrum, picem* &c. Cyprii quoque æris meminere paſſim Veteres: in his Plinius, *lib. 34. non vno capite*, & Seruios *in III Æneid v. 111.* Hoc vero Cypri exemplo quoque vtuntur. Græci Interpretes ad *legem vnic. Cod. Iuſt eodem tit.* quæ eadem eſt cum *l. 2. prox. inf.* ſed perperam ad *eam legem*, quia *lex* illa ad Occideotis imperium ſpectat. Alioquin ad hunc eundem *Modeſtum* Præf. Præt. extat Baſilii *Epiſtola 277.* ſiu. *110. Edit. Benedict.* de *ferri* collatione a Taurum incolentibus: cuius verba protuli ad *l. 2. ſupr. de Fabricenſibus.*

De

De PRETIO *&* *Proportione æris, ad aurum. Honorii conſtitutio.*

II. (a) Impp. Arcad. & HONOR. AA. Hilario (b).

AERIS pretia quæ a Prouincialibus poſtulantur, ita exigi volumus, vt pro viginti quinque (c) libris æris ſolidus (d) a poſſeſſore reddatur (e). Dat. v. (f) Kalend. Ianuar. Med. Arcad. IV. & Honor. III. A. & Coss. [396.]

P. 161.

NOTAE.

(a) *L. 1. Cod. Iuſt. de collat. æris.* Iungendam puto huic l. *legem* 22. *ſupr. de erogat. militaris annonæ*, quæ alioquin in eodem argumento verſatur: Et forte etiam *lex* 23. *eodem titulo.* Argumento huic concordat quoque *lex proxima.* GOTHOFR.

(b) *Hilarius PP.* vt habetur *Cod. Iuſt.* & *d. l.* 22. & *l.* 23. *eod. tit.* Hic idem *Hilarius* videtur cuius meminit Symmachus, *lib.* 2. *ep.* 80. ad Flauianum. *ID.*

(c) In Cod. Iuſt. *viginti:* ex ſententia Iuſtiniani. *ID.*

(d) *Vnus auri ſolidus*, in Cod. Iuſt. *ID.*

(e) *Reddatur*, id eſt, inuicem præſtetur: vt *l.* 24. *ſupr. de annona & trib.* &c. vid. *Gloſſarium. ID.*

(f) In *d. l.* 22, ita habetur *III. Kal. Iun.* In *Cod. Iuſtin.* hic *V. Kal. Iun.* Quare alterutrubi error. Ego hanc veram puto. *ID.*

COMMENTARIVS.

PRETIVM materiæ æris, quod a poſſeſſoribus ſeu Prouiocialibus confereodum regulariter erat, in vſus videlicet armorum ſeu fabriearum (vt *ad l ſuperiorem* oſtenſum eſt, & ſignate quoque teſtatur *lex 2. ſupra, de fabricenſibus:)* hac Hooorii conſtitutiune quæ data eſt Anno Domini 396. (vt & a Theodoſio Iuo. *leg. proxim. 3:)* in peeuoia ſoluendum taxatur ſeu adæratur, id eſt, æſtimatur: Nempe, cum regulariter & io commuoe tributa in ipſis ſpeciebus inferri oporteret (de quo fuit *titulus* iu id peculiaris *ſupr. tributa in ipſis ſpeciebus.)* Et nominatim vero ſpecies æris, ſerrique ad fabricam vt dixi armorum, *dicta leg. 2.* & *hac l.* & *leg. proxim.* attameo vel ſpeciali quandoque priuilegio ſeu adnotatione Principis, vt docuit *lex vltima ſupra*, *de conlatione donatar.* idemqoe docebit & *lex proxima 3.* vel oeceſſitate publica poſtulante, vt aliæ ſpecies, ita & hæ quoque adærabantor, vt præter *hanc legem* oſteodet rurſum *dict. lex prox.* publica, inquam, neceſſitate vel perpetua vel temporaria: & quidem per Occidentem in ſpecie *huius l.* Neque mious ex etiam ſpecies, quæ ad militarem armorum vſum conferri ſolebaot, de quo eſt hæc *lex:* quam militares ſpecies aononariæ, de quo eſt *lex 22. ſupra, de erogat. mil. ann.* de qua mox.

Pretium igitur æri, ſeu proportionem æris ad aurum, denique æſtimationem æris hane ponit Honorius *hac leg.* puta pro XXV. libris materiæ æris, ſolidus vnus præſtetur, ac proinde pro centenario æris quatuor ſolidi: de quo poſtremo erit *lex proxim.* Theodoſii Iunioris *infr.* Et in *Codice* tamen *Iuſtinianeo*, puta *leg. vnic. de collat. æris*, quæ hinc alioquin deſumpta eſt, pro 20. tantum æris libris ſolidus præſtari iobetur ex ſententia Iuſtiniani. Nam qoæ hac diuerſitatis huius occaſiooe ſcripſit Sauotus, *diatriba de re nummaria: parte 3. c. 13. ſub finem*, haud ſatis firma ſuot. Neque hæc *lex* emendanda ſic vt *XXIV*, loco *XXV*, in ea reponatur, quod idem tentabat: vt nec ſollicitanda lectio *Codicis Iuſtinianei.* Nam, vt idem recte tandem agnoſcit, proportiones huiusmodi non ſemper ſtatæ ſunt, verum pro temporum & locorum diuerſitate varie fiunt. Huius vero proportionis ipſius ratio uon aliunde petenda eſt, quam a forenſi ferme æris pretio, quod tum erat, quodque æſtimationem certam conſtruebat, vt loquitur quadamtenus *lex 3. infr.*

Tandem obſeruandum, *huic l.* coniungendam *dict. leg. 22. ſupr. de erogat. milit. ann.* quæ & ipſa eſt de pretiis ſpecierum militaris annonæ; vnde liquet, ſpecierum quarumcunque pretiis & adærationi modum imponere voluiſſe Honorium hoc Anno Domini 396. conſtitutione ſua ad Hilarium PP. & quidem exemplo Conſtitutionis Valentiniani Senioris, vt *dict. leg. 22.* oominatim profitetur, imo & *leg. 23. eodem titulo*, quæ & ipſa eodem Anno data eſt ad eundem Hilarium Præfect. Prætor. vt omnioo exiſtimem, & illam *huic* coniungendam.

Summa ex *tribus illis legibus* hæc conficiatur: Primo, *Capitum* ſeu fœnum in ipſa ſpecie militibus præberi Honorium voluiſſe, quæ ſententia eſt *dictæ legis 23.* Secundo, *annonam* vero militarem in pretio ſoloi, & vtrumque ioxta Valentiniani vt dixi conſtitutionem, quæ ſeotentia eſt *dictæ legis 22.* Tertio, *Æris* tandem pretio modus is impoſitus, qui *hac leg.* continetur.

Ex his iam apparet, *hanc legem* accipi a pleriſque, etiam ab Amaya, de pecunia ærea; vnde in eum ſeſe tractatum hic diffuſe effundunt; Quando vna ſeu diuerſa pecunia vſualis pro alia ſolui poſſit, etiam Gabellariis? Quod ab *hac lege*, alienum prorſus eſt: Ac nominatim quod addunt, in *huius legis* ſpecie id ita definiri, quia Priocipem non deceat recuſare pecuniam quam ipſe cuderit. Deinde id ita in fiſco procedere, non in priuato, quod

cum in tributis plerumque grauentur ſubiecti, æquum ſit aliquatenus releuari in ſolutione commodius ſaeienda vnius pecuniæ pro alia. Quæ omnia caſſa nuce inania magis ſunt, omnemque proinde illum tractatum ab *hac leg.* abeſſe oportet: quem niſi propoſuiſſent Interpretes illi ſibi, nihil iam haberent quod ad *hanc legem* notare poſſent.

---

p.162. ## III. (a) Impp. THEOD. (b) A. Maximino (c) Com. S. L.

PERPETVO ſancimus, generalique decreto, Ne cui (d) deinceps ex præcepto Comitiuæ (e) ſedis, vel per Oraculum ſacrum, vel per diuinas Adnotationes (f) Numinis Noſtri, in nummo, vel (g) in ſpecie, niſi ita publica neceſſitas poſtularit, propria liceat tributa perſoluere: ſed, vt magis, aut ipſam ſpeciem, ſi hoc vſus exegerit, aut Aurum, quod æſtimatio certa conſtituit pro centenario (h) æris huiuſmodi poſſeſſor exſoluat. Dat. v. Id. Decembr. Conſtantinop. Victore v. c. Coss. [424.]

NOTAE.

(a) Abeſt hæc *lex* a *Cod. Iuſt.* *GOTHOFR.*

(b) Reſtituenda hic nomina THEODOSII *Auguſti & Valentiniani Caſ.* vid. *Conſulare Chronicon Theodoſ.* *ID.*

(c) *Maximinus* Comes S. L. ſub Theodoſio Iun. cui inſcribuntur & aliæ plures Anno 424. & 425. v. *Proſopr.* *ID.*

(d) Priuato, ſpecialiter. *ID.*

(e) *Comitiuæ*, id eſt, Comitis S. L. cui etiam hæc *lex* inſcribitur. *ID.*

(f) De *Adnotationibus* his ſemel in *Paratitlo de diuerſ. reſcriptis.* *ID.*

(g) Electione tributa. *ID.*

(h) *Centenarium* æris ſunt centum libræ æris: de quo mox. *ID.*

COMMENTARIVS.

ELECTIONIS ius ſeu facultatem, pro arbitrio ipſarum ſpecierum veluti æris, vel nummorum perſoluendi, ſingulari priuilegio cuiquam concedi vetat *hac conſtitut.* Theodoſius Iun. A. D. 424. Singulari inquam, priuilegio, non modo Comitis S.L. verum etiam Reſcripto vel Adnotatione Principis ipſius ſingulari. Nempe circa omnes par atque æqualis inlationis forma tenere debet: vt in ſimili loquitur *lex 7. ſupr. de diuerſ. reſcriptis*: neque a cuiusquam arbitrio pendere debet, quidnam præſtare ipſe velit. Quid igitur? Formam publicam & generalem ſinguli ſeruare debent. Quare ſi vſus publicus hoc exigat, omnes ex æquo ſpecies ipſas inferre oportet, de quo *ſupr. titulus, tributa in ipſis ſpec.* contra, vſu ceſſante, omnes aurum præſtare oportet. Priuilegia hac parte irrogari non oportet.

Pertinet autem hæc *lex* proprie ad Collationem æris: de qua duo indicantur, Primo, quædam Æris in auro ſeu ad aurum æſtimatio hoc tempore facta indicari videtur: quomodo & in Occidente Honorii *leg. ſuperiore* factum vidimus: viginti quinque ſcil. libris æris ſolido ſeu aureo æſtimatis. Sed dubium, num ea æſtimatio perpetua, vel etiam in Oriente obtinuerit: Certe Iuſtiniano alia æſtimatio placuit, viginti ſcilicet libris æris ſolido æſtimatis, *l. vn. Cod. Iuſt. eod. tit.* quæ alioquin ex *leg. ſuperiore* deſumpta eſt. Quinimo non adeo improbabiliter quis tentet hic reſcribendum, *conſtituet*, quaſi Theodoſius Iun. Comiti S. L. eius æſtimationem faciendam relinquat. Emendationem ſane Fornerii P. probare non poſſum, qui *hac l.* pro *aurum* reponebat *aureum*: quaſi vnus aureus ſeu ſolidus *hic* pro centum libris æris dari iuberetur. Quod certe a proportione & æſtimatione *ſuperioris legis* nimium recedit. Secundo fit *hac l.* mentio *Centenarii æris*: Centenarius eſt ποσότης ſeu quantitas & pondus centum librarum æris: Male enim Maynardus aliique qui centenarium æris *hic* pro nummo, vel quantitate nummorum exaudiunt, centum videlicet aſſium. Suidæ etiam loco male adducto: κεντηνάριον νομισμάτων ποσότης, *Centenarium nummorum quantitas*: de quo pecuniæ Centenario dixi ad *l. 2. ſupr. ſi quis pecun. conſl.* Eos quippe vel hic titulus, ſub quo hæc *lex* poſita eſt, refutat: vbi non agitur de collatione æreæ pecuniæ, verum de ſpecie ſeu materia *æris*: vt ad *l. ſuper.* quoque oſtendi.

NE

NE CONLATIONIS TRANSLATIO POSTVLETVR. (*) p.163.

TITVLVS XXII.

Abeſt hic *Titulus* a COD. IVST. Imo abſunt omnes *huius tit.* leges; (*) Item, ne Autopractorum ius poſtuletur, de quo eſt *lex* 4.

PARATITLON.

TRANSLATIO Conlationis, *Rubr.* ſeu Iugationis, *l.* 2. & 3. *h. t.* eſt, cum cenſus fundorum ſeu iugorum, *l.* 1. *h. t.* profeſſionis publicæ functionis, *l.* 3. *h. t.* præſtationis poſſeſſionum, *l. vlt h. t.* ex alio loco, *l.* 3. *h. t.* ex alio territorio, *l. vlt. h. t.* quam vbi iugatio eſt antiquitus adſcripta, *l.* 2. *h. t.* ad aliam ciuitatem ſeu vrbem, *l.* 1. & 3. *h. t.* ad aliud territorium, *l. vlt. h. t.* ibi deinceps agnoſcenda & præſtanda, impetrabatur: Quod *hoc titulo* regulariter prohibetur, a Conſtantio, *l.* 1. *h. t.* a Valentiniano Iun. *l.* 2. & 3. *h. t.* Theodoſio Iun. *l. vlt. h. t.*

I. (*a*) Impp. CONSTANTIVS & Conſtans AA. Philippo PF. P. (*b*)

PLERIQVE cenſum fundorum ſuorum, iugorum (*c*), ad alias ciuitates transferre curarunt. Vniuscuiusque itaque Ciuitatis cenſum in omnibus prouinciis ad proprias ciuitates redire (*d*) cenſuimus. Dat. v. Kal. Aug. Conſtantino (*e*) IV. & Conſtante III. AA. Coss. (346.)

NOTAE.

(a) Iungenda *huic* videtur *lex* 4. *Cod. Iuſt. de dignitatib. GOTHOFR.*

(b) Orientis: De hoc *Philippo* PP. dixi *in Proſopog.* Eidem inter alias inſcribitur quoque *lex* 4. *Cod. Iuſt. de dignitatibus:* dignitate eius & Conſulibus omiſſis, quæ *huic* forte iungenda eſt. *ID.*

(c) *Aroudirut*, pro, *ſeu iugorum. ID.*

(d) Eadem voce vtitur *lex prox infr. ID.*

(e) *rg. Conſtantio*, vt docent *Conſularia Theodoſ. RITTER.*

COMMENTARIVS.

CONSTANTII Imperat. hæc *lex* eſt, cuius SENTENTIA, vt & *l.* 2. & *vlt. hoc tit.* apertiſſima eſt, vel ex ipſamet Rubrica, quæ pleno ſenſu concepta eſt, dummodo ſemel conſtet, quid ſit *conlationis translatio;* quod iam alioquin Paratitlon oſtendit. Nempe ſingulari priuilegio nonnulli id impetrabant, vt etſi in alio territorio alterius ciuitatis poſſiderent, atque ibi modum poſſeſſionis eorum ab antiquo cenſitus eſſet, & in cenſuales eius ciuitatis libros relatus; attamen non ibi, ſeu in propriis ciuitatibus, verum in alio loco ſeu in alia Vrbe Tributa inferrent. Atque hæc eſt *Conlationis Translatio:* vox alioqoin *Translationis*, alio ſignificatu pro tranſuectionis ſolicitudine ſeu Angariis & Parangariis effertur *leg.* 18. *infr. de Nauicular. leg.* 15. & 40. *infra de Epiſcop.* Alio ſed proximo tamen ſignificatu *Translatio* pro functionis ſeu canonis in aliud genus mutatione, quo ſenſu accipitur *leg. vltim. ſupra de collatione donatarum*, & *Nouell. Theodoſii* 33.

Videndum nunc de duobus. Primum, quis hoius translationis vſus, quæ vtilitas fuerit, ſeu quo fine id nonnulli tantopere expetierint? An quia leuiores alibi functiones publicæ erant, ſic vt releuationis cuiusdam ſpecies hæc forte eſſet? Minime: Verum propter illationis ſeu tranſuectionis maiorem facilitatem: ſiue quia in diuerſis vrbibus aliquis poſſidens vni Exactori reſpondere mallet, & ſic vnica ſolutione defungi, quam per multos exactores diſtrahi: quam rationem ingerit *lex* 3. *hoc titulo:* ſiue etiam propter itinera confragoſa, ob quæ difficilior erat fere euectio ſeu translatio tributorum, quam modus ipſe tributi; quam in rem eſt elegans quoque Eumenii locus in *gratiarum actione* Flauienſium nomine ad Conſtantinum Magnum, *cap.* 7. Atque his de cauſis etiam Valentinianus p.164.

Iunior poſtea Anno 387. conlationis translationem indulſit iu annonariis ſaltem commeatibus, *d. l. 3. infr.* videnda & *lex 19. ſupr. de erog. mil. ann.*

Alterum eſt, qua de cauſa id poſtea Principibus prohibere viſum, ne, inquam, huiusmodi conlationis translatio poſtularetur, & ſi quæ poſtulata fuiſſet reuocaretur: Principibus, inquam; puta Conſtantio *hac l.* Valentiniano Iuniori, *l. prox. 2. & 3.* Theodoſio Iuniori, *l. vlt.* Generaliter ſane in *fraudem munerum* id ſactum indicat *lex 2.* atque ideo etiam grauiſſima pœna propoſita & impetrantibus, & officialibus Præfecti Prætor. id tandem prohibuit Theodoſius Iunior, *dicta leg. vltim.* Geminam fraudem hanc conicio; primam ex parte impetrantium, quia hoc obtentu facile elabebantur, & immunitatem ſibi quærebant: Ignaris plerumque vnius loci Exactoribus quid & quantum in alio territorio quis poſſideret. Altera fraus contra ciuitatem ipſam, vnde translatio facta fuerat: quia ſcilicet non ideo minorem tributi modum ciuitates illæ agnoſcere tenebantur; vnde vnius translatio plebis ſeu cœterorum ſarcina fiebat: quam rationem ingerere videtur *lex 2. prox.* Denique fiſcales ſtationes & rationes hae arte conſundebantur: qua de re dicam ad *l. 30. infr. de ſuſceptoribus.*

Tandem monendum huic legi coniungendam videri *legem 4. Cod. Iuſt. de dignitatibus*, quæ data eſt ad eundem *Philippum P. P.* & in eodem argumento collationis verſatur. Ea ſcilicet Senatores, eorumque homines in Diversis Locis & prouinciis poſſidentes a ſordidis & extraordinariis muneribus immunes eſſe iubentur. Vbi & illa ſpectari cupio, *In diverſis locis poſſidentes*, quomodo & in ſpecie *huius legis* in diuerſis locis & ciuitatibus collator poſſeſſiones habebat. Quod ſi ita eſt, tum dicendum fuerit, Conſtantium ea conſtitutione, vnde hæc *lex* & *dicta lex 4.* deſumptæ ſunt, de priuilegiis circa collationem egiſſe: diffiniuiſſeque, quænam ex his ſtare deberent; illa videlicet quæ certo Ordini & Dignitati tributa ſunt: non vero quæ viritim ſingulis in fraudem rei tributariæ; veluti conlationis translationis *hac leg.*

II. (a) Imppp. Gratianus (b), VALENTINIANVS, & Theod. AAA. ad Neotherium PF. P. (c)

HABEAT vnaquæque Ciuitas conſortem munerum, quem habuit in profeſſione collegam. Iugatio (d) omnis, vbi eſt antiquitus adſcribta, permaneat: redeat (e) ad ſe (f), alio, in fraudem munerum, translata iugatio. Diſcant Ordines (g), diſcant reliqui (h) Poſſeſſores, mutato eo quod non recte eſt imperratum, quem participem poſſidendi cognouerint, eſſe etiam in omnibus ſocium functionibus. PP. IV. Non. Maii, Arcad. A. I. & Bautone Coss. [385.]

NOTAE.

(a) Non adeo improbabiliter *huic l.* iungatur *lex 6. ſupr. de Iuriſdict.* *GOTHOFR.*

(b) Expungendum hic *Gratiani* nomen eſt: ante biennium quippe iam fuerat interfectus Gratianus, vid. *Conſularia Theodoſ.* Idem error reſidet in *l. 6. ſupr. de iuriſdict.* Reponendi itaque hi Imppp. VALENTINIANVS, *Theodoſius & Arcadius. ID.*

(c) *Neotherius* PP. Italiæ ſub Valentiniano Iun de quo v. *Indicem perſonarum. ID.*

(d) De *Iugationis hic* & *l. 3. prox.* voce vid *Gloſſarium Theodoſ.* ſic & *l. 1. ſup. Iugorum*, &c. *ID.*

(e) Eadem *Redeundi* voce, vtebatur *lex 1. ſupr. hoc tit. ID.*

(f) *Ad ſe*, id eſt, ad proprias ciuitates. *ID.*

(g) *Ordines*, id eſt, Curiæ, & ſic Decuriones ſeu Curiales. *ID.*

(h) Nempe Ciuitates in hæc duo hominum genera diſtinctæ fuerunt, in Ordines ſeu Decuriones, & reliquos poſſeſſores: Vid. Orbis Rom. deſcriptionem ex *Cod. Theod. ID.*

COMMENTARIVS.

VALENTINIANI Iun. eſt hæc *lex*, vt & *proxima 3.* Huius vero, quæ ſtyli elegantia quoque commendatur, non alia eſt ſententia quam *ſuperioris*, & *legis vlt. infr.* a qua tamen quadamtenus poſtea receſſit *d. l. 3.* Illud tantum obſeruo, Valentinianum Iuniorem hoc anno vna ratione turbatis ciuitatum Iuriſdictionis & territoriorum terminis enixe occurriſſe: datis ad hunc ipſum Neotherium PP. pluribus conſtitutionibus: vt oſtendit *lex 6. ſupr. de Iuriſdict. lex 110. infr. de decur. l. 2.* ſeu *vlt. ſupr. quid probare debeant ad milit. venient.* addatur & *lex, quinque pedum, 4. ſupr. finium regundor.* Quin & fraudibus aduerſus rem tributariam obuiam iiſſe, quod oſtendunt hoc ipſo Anno *lex 16. ſupr. de extraord.* ad hunc ipſum Neotherium data, vt & complures aliæ *leges*, mox ad Principium, Neotherii in Præfectura ſucceſſorem: videatur ſaltem *lex 20. ſupr. de annona & trib.* ſeu *lex 7. ſupr. de diuerſ. reſcript.* quorum pleraque veroſimile mihi ſub Gratiano factitata. Hæc *lex* id peculiare habet, (quod iam *ſupr.* notauimus) quod rationem ingerere videtur, cur conlationis translatio ex vno territorio in aliud prohibita ſit.

III. (a)

III. (a) Imppp. VALENTINIANVS, Theod. & Arcad. AAA. ad Euſignium PF. P. (b) P. 165.

TRANSFERAT qui orando (c) meruerit, ex iudicio Tuæ Magnitudinis, in annonariis dumtaxat commeatibus (d), ex alio loco, ad vrbem aliam, profeſſionem (e) publicæ functionis: Qui (f) diuerſis in vrbibus non ſufficiet reſpondere Exactorum numero crebriori, ad vnum, vbi magis (g) poſſidet iugationis (h), reliquum modum, ſine publico detrimento, Exactorum (i) transmittat. Dat. XVIII. Kal. Maji, Valentiniano A. tertium, & Eutropio Coss. [387.]

NOTAE.

(a) Abeſt hæc *lex* a *Cod Iuſt.* *GOTHOFR.*

(b) *Euſignius* PP. Italiæ, ſub Valentiniano Iun. vid. *Indicem Perſonarum*, & *Notitiam dignitatum*. *ID.*

(c) Id eſt, precibus impetrauerit. *ID.*

(d) De hac *Commeatuum* voce v. *Gloſſarium Theodoſ.* & mox in *Comment.* *ID.*

(e) Id eſt, *Profeſſionem* cenſualem ſeu tributorum. *ID.*

(f) *Et ſic qui*, vel: *proinde qui*. *ID.*

(g) *Magis iugationis*. *ID*

(h) De hac *Iugationis* voce *hic*, & *l. 2. ſup.* conſule *Paratitlon*, & dicta ad *leg. 2. inf. de cenſu:* & *Gloſſ. Theod.* *ID.*

(i) Suſtineri debet hæc vox: *vnum*, &c. *Exactorum*, id eſt vnum ex Exactoribus. *ID.*

COMMENTARIVS.

VALENTINIANI Iun. altera hæc conſtitutio eſt *hoc titulo* de Translatinne collationis: quam omnem *ſuperiore lege* ante biennium vetuerat: at nunc quadamtenus permittit: *In annonariis* ſcil. *commeatibus*, id eſt in iis quæ in ſpeciebus annonariis, veluti pabulo, fœno, annonis, id eſt capito annoniſque cellarienſibus. Id enim ſunt *annonarii commeatus:* vt *hac l.* ita & *l. 18. ſup. de annona & tributis:* & *l. 32. inf. de Nauicular.* & alibi. Sed & apud alios huius æui Scriptores, Ambroſium, Marcellinum, Symmachum: de quo vid. *Gloſſ. Theodoſ.* Aliud proinde obſeruari voluerit Valentinianus Iun. in auri, argenti, ſimiliumque collatione. Differentiæ ratio ex *huius leg.* ratione ſatis patet. Nempe id ita indulgere ſeſe indicat circa annonarios commeatus Valentinianus Iun. *hac leg.* ob minutarum ſolutionum, pluribuſque Exactoribus reſpondendi difficultatem: quia ſcil. cum in diuerſis vrbibus ſeu locis, diuerſarumque vrbium territorio quis poſſideret, ſane perquam incommodum videbatur, carptim ſeu particulatim ob leuicula forte, neſcio quæ, tot Exactoribus reſpondere, totidemque transmiſſiones ſeu transuectiones vehiculares, & quidem eodem tempore facere, cum non in omnibus locis vehiculorum copiam haberet: haberet vero in eo tantum loco, vbi maiorem poſſeſſionis modum habebat: Quo fiebat, vt cum non ſufficeret omnibus, ſola translatio ſeu euectio plus diſpendii haberet, quam ipſum collationis ſeu tributi onus, vt iam quoque alia in re oſtenſum eſt ad *l. 1. ſupr.* & oſtendit *lex 9.* & *22. ſup. de annonis & tributis:* & *l 19 ſup. de erogatione milit. annon.* Quare ſatius viſum, in aggere coaceruatam inferri collationem, quam per tot loca diſtrahi: Quomodo & in aliis iuris ſpeciebus id agitur, vt ne quis in plurea diſtrahatur.

Et id tamen ipſum ſub tribus adhuc conditionibus ſeu limitationibus indulgetur. Primo quidem, vt *ex iudicio Præfecti Prætorio* id fiat, penes quem ſcil. tributariæ rei cura vbique erat, quod pluribus iam locis oſtenſum eſt: quare & ab eo quoque translationis iſtius beneficium procedebat, vt hæc *lex* docet, ſimul & *lex vlt. inf.* Secunda limitatio hic additur: ſolutionem ibi faciendam, vbi collator maiorem poſſeſſionis quantitatem ſeu modum poſſidet. Tertia eſt, id fieri oportere ſine publico detrimento, omni ſcil. fraude ſubmota.

IV. (a) Impp. Honor. & THEOD. AA. ad Anthemium PF. P. (b)

NONNVLLOS poſſeſſores, exactionis conſuetæ more diſſimulato (c), eo temeritatis procedere cognouimus, vt quidam auctoritate Reſcribtionis elicita inſtantiam (d) Conpulſorum (e) eludant, ſub eo obtentu quod ſponte pronius inferant expetenda. Quæ vſurpatione patefacta, promulgamus, vt huiuſmodi impetrationis nouitate ſuppoſa (f) (quæ vulgo *Auctopractorum* (g) vocatur) vniuerſa penſitationis profligandæ, quæ fuit, reuiuiſcat ſollemnitas: & Curiales, vel Apparitio prouincialis, huius muneris vota (h) procurent (i); Exceptis his quos Eminentiſſimæ Tuæ Sedis ſpecialiter conſideratio digeſſit. Dat. XIV. Kal. Iun. Honor. VIII. & Theod. III. AA. Conss. [409.]

NOTAE. P. 66.

(a) Fugitiua hæc *lex* eſt. Iungenda ei videri poſſit *lex 168. inf. de decurion.* *GOTHOFREDVS.*

(b) *Anthemius* PP. ſub Theodoſio Iun, Orientis ſcil, v. *Proſopogr.* *ID.*

(c) Id eſt neglecto, inſuperhabito. *ID.*

(d) *Inſtantia* vox hic propria: Ita *l.* 33. *D. de vſuris.* *Dummodo*, inquit, *non acerbum ſe exactorem, nec contumelioſum præbeat, ſed moderatum, & cum efficacia benignum, & cum* INSTANTIA *humanum* &c. *ID.*

(e) De his *Compulſoribus* dixi iam ad *l.* 34. *ſup. de annona & trib.* quæ & ipſa eſt de autopragia ſeu ſpontanea deuotione. *ID.*

(f) Pro, *exploſa.* *ID.*

(g) *γρ. Autopractorum:* de quo mox dicam. *ID.*

(h) *Vota*, pro Officiis deuotionis alicuius publicæ; v. *Gloſſarium Theodoſ.* *ID.*

(i) Quid ſi, *præcurrens?* Non. *ID.*

COMMENTARIVS.

AVTOPRACTORVM ſeu *αὐτοπραγίας* beneficia ſeu Reſcripta ſingularia reuocat & explodit hac conſtitutione Theodoſius Iun. pariter vt Honorius *l.* 15. *ſup. de exaction.* ſub quo *tit.* hæc *lex* referri debuit, ab *hoc tit.* plane fugitiua, niſi *tranſlationis* vocem in *Rubrica* generalius accipiamus, etiam de Tranſlatione a perſona in perſonam.

Autopractorum beneficium vel reſcriptum eſt, qno nonnullis conceditur, vt ipſi ſponte ſua ſeu ſpontaneæ deuotionis ſludio (vt loquitur Valentinianus III. Theodoſii Collega *l.* 34. *ſup. de annona & trib*) tributa inferant, neque a ſolitis Compulſoribus exigantur admoneantur, vt docet quoque *d. lex* 15. Quod pro magno beneficio nonnulli expetebant, *ſub eo obtentu*, inquit *lex* quod *ſponte pronius illaturi eſſent expetenda*, id eſt quæ alioquin tributi nomine a Compulſoribus exiguntur. Proculdubio enim dignitate præcellentes Viri, vel vitæ honeſtate eminentes poſſeſſores ægre ferebant, hoc genus hominum ſibi imminere: rapax alioquin, vt docet *d. lex* 34 *ſup. de annona & trib.* & moleſtum; Qua cauſa etiam frequeotes de eorum deprædationibus querelæ obortæ, adeo vt tandem penitus etiam ſublati fuerint, de qno plene dixi ad *d l.* 34. Vt non adeo mirum ſit, Antopractorum beneficia inualuiſſe. Verum cum rebus ipſis compertum fuiſſet, inanem hunc ſæpe obtentum quæri differendæ vel euitandæ ſolutioni, & vt loquitur *lex* 35 *ſup. de annon & trib.* nimia ſecuritas a deuotione reuocaret, & neceſſitate ſobmota voluntas ſoluendi ceſſaret: vnde *callida preces* vocantur, *d. l.* 15. *ſup. de exaction.* item *prætentum beneficium* ibidem vocatur, & *hac leg. obtentus*, item, *vſurpatio.* Autopractorum beneficia Principibus abolere viſum & Honorio *d. l.* 15. & Theodoſio Iun. *hac leg.* vt ita profligandæ ſeu exigendæ penſitationis ſolemnitas reuiuiſceret, id eſt ſolemnis mos exigendorum per Compulſores tributorum inſtauretur: *Compulſores*, inquam, de quibus pleniſſime ſemel dixi ad *leg.* 34. *de annona & trib.* vt & de Curialibos vel Apparitoribus, quibus Exactorum & Compulſorum officium *hac* quoqoe *lege* iniungitur, de qno alioqnin etiam, *Paratitlo*, *ſup. de Exactionibus.*

Colligi interim poſſit ex his *huius leg.* verbis, *huiusmodi impetrationis* NOVITATE *ſupploſa*, noo adeo dudum Autopractorum ins hoc inualuiſſe. Nempe tributario faſce laborantibus indies magis ac magis, accedente inſuper Exactorum acerbitate, quæ canſa etiam poſtea nou vltima inclinantis & præcipitis Imperii: & hac cautela, ſi qua poſſent, miſeri poſſeſſores ſibi conſultum voluere.

Et *Exceptio* tamen fine *huius leg.* additur: nempe, Autopractorum iure ſeu beneficio eos frui oportere, quos Aothemius PP. ſpecialiter conſideratione ſua digeſſerat, id eſt quos relatione ſua ad Imperat. cenſuerat iuſta ratione excipieodos. *Conſideratio* eſt æqua æſtimatio & ratio: vid. & Symmachum, *lib.* 3. *ep.* 72. *lib.* 10. *ep.* 10. *in fin.* *Digerere* vero eſt exprimere, ingerere, referre, enumerare, *h. l.* & *l.* 2. *ſup. de Senatoribus, & Glebali collat.* Symmachus *lib.* 10. *ep.* 50. *Expenſionum quoque titulos competentes Officii cura digeſſit.* Vnde & digeſta ratio, & ſimilia: de quibus in *Gloſſ.* Quinam vero illi ſint, qnos Anthemius PP. ſpecialiter excipiendos credidit, diuinare nolumus.

V. (a) Idem A. (b) Herculio PF. P. (c) Illyrici.

QVOD olim meminimus conſtitutum †, hac generali denuo legis præceptione ſancimus, Ne cuiquam liceat præſtationes poſſeſſionum ad aliud territorium ex alio transferre, ſed omnibus modis in eo loci tributaria agnoſcatur inlatio, quem fides (d) cenſuum retinet, & neceſſitas publicæ adſcriptionis adſtringit. Quod ſi vlterius ab Officio Præfecturæ præſentia, vel priora ſtatuta fuerint temerata, centum librarum auri multa ferietur. Sed & ſinguli qui nequaquam prohibitis temperabunt, viginti librarum auri diſpendia ſuſtinebunt. Dat. VIII. (e) Kal. Iul. Conſtantinop. Varane v. c. Coss. [410.]

NOTAE.

(a) Forte iungenda huic fuerit *lex* 172. *inf. de decurionibus.* *GOTHOFR.*

(b) *γρ. Iidem AA.* *ID.*

(c) *Herculius* PP. Illyrici, ſub Theodoſio Iun. Eidem inſcribitur præter *hanc*, & *d. l.* 172. *lex* 49. *inf. de operib. publ. lex vlt. ſup. de equorum collat.* Ad eundem extat Ioan. Chryſoſtomi epiſtola. *ID.*

† A Conſtantio *l.* 1. *ſup.* Valentiniano Iun. *l.* 2. & 3. *ſup.* *ID.*

(d) Fi-

(d) *Fides* cenſuum *h. l.* & *l. 1. inf. de Cenſitorib. ID.*
(e) IX. Kal. Iun. *d. l. 172. ID.*

P. 167.

COMMENTARIVS.

THEODOSIVS Iun. *hac l.* per Illyricum Orientale A. D. 410. collationis translationem prohibet: Vetuſtiorum conſtitutionum exemplo, vt ipſemet profitetur. Et quidem generali *lege*, de cuiuscunque collationis translatione; aliter quam Valentinianus Iun. *l. 3. ſup. eod.* Item omnium perſonarum reſpectu. Et hæc omnia rurſum propoſita grauisſima multa C. librarum auri Officialibus Præfecti Præt. qui hoc permiſiſſent, quos alioquin tributariæ rei cura manebat, vt oſtendit quoque *lex 3. ſup.* Imo & XX. librarum auri multa impoſita his qui translationem impetraſſent.

DE PROTOSTASIA (*).

TITVLVS XXIII.

Abeſt hic *Titulus* a COD. IVST.
(*) Adde & de PROTOTYPIA: de quo eſt *lex* 2.

PARATITLON.

PROTOSTASIA, *Rubr.* de qua ſunt præter tres *huius tituli* leges, *lex 3. ſup. de deſertoribus: lex 8. C. Iuſt. de munerib. patrim.* & *l. 3. C eod. de filiisfam.* & ſic ſex in vniuerſum *leges.* protoſtaſiæ functio, *l. 3. h. t.* protoſtaſiæ munus, *l. 1. hoc tit.* & *d. l. 8. Cod. Iuſt. de munerib. patrim.* & *d. l. 3. C. eod de filiisfam. & quemadm. pro iis patres ten.* protoſtaſiæ neceſſitas, *l. vlt. h. t.* protoſtaſiæ onus, *l. 3. ſup. de deſertorib.* Erat officium publicum *l. 3. h. tit.* non munus corporale, ſed patrimonii tantum, etſi de eo dubitaretur, *l. 1. h. tit. d. l. 8. Cod. Iuſt. d. munerib. patrimon.* Vnde ſequitur munus hoc impenſas quaſdam exegiſſe, vel ſaltem periculo gerentis id fuiſſe. Iungitur Sacerdotii & Decaprotiæ muneribus, *d. l. 8.* Obnoxii vero erant huic functioni omnes, *l. 3. h. t.* etiam Senatores, *d. l. 1. h. t.* etiam qui ex Primipilaribus ſunt, *l. vlt. h. tit.* Quare & pro magno nonnullæ dignitates ſeu perſonarum nonnullarum merita, a Protoſtaſia immunia erant, *d. l. 3. hoc titulo.* Quinimo & Temonarius (id eſt exactor auri tyronici) ſi deſertorem prodidiſſet, Protoſtaſiæ onere biennio releuabatur, *d. l. 3. ſup. de deſertoribus:* Maturitate ad id opus fuiſſe docet *lex 3. h. t.*

Cœterum obſeruare licet in Orientali Imperio, ac nominatim in Orientis & Aſiana diœceſi, hoc nomen fuiſſe: vt docet *lex 3. 4. h. t. lex 3. de deſertoribus.* Et hæc de Protoſtaſia.

PROTOTYPIÆ quoque *hoc titulo* fit mentio: puta *l. 2. h. t.* ac præterea *l. 7. ſup. de tironibus: l. 3. ſup. de priuil. eorum qui in ſacro palatio:* obſequium Prototypiæ, *d. l. 3.* Exactionibus iunguntur Prototypiæ, *d. l. 2. h. t.* Exactoribus, turmariis ſeu capitulariis & temonariis, *d. l. 3.* Immunes nonnulli erant a Prototypia: de quibus, *d. l. 3.* Atque hactenus quidem de Protoſtaſia & Prototypia quantum *leges* ſuppeditant. Nos enim in *Commentario* mox vlterius aſſurgere conabimur quidnam ea fuerint.

I. (a) Imp. CONSTANTIVS A. ad Senatum (b).

PROTOSTASIÆ munus hactenus Senatores inpoſita neceſſitate ſuſtentent (c), vt (d) hisdem Senatorum cenſus (e), implendæ neceſſitatis contemplatione, ſocientur (f): Nec cuiusquam alterius iuga (g) aut capita, Senatorum cenſibus adgregentur: cum Protoſtaſiæ munus ita debeant ſuſtinere, vt ad eum numerum, quem ipſi cenſuali ſorte ſuſtentant, Senatorum tantum cenſibus nexis, eandem neceſſitatem debeant explicare (h). Dat. v. Non. Maii, Tauro & Florentio Coss. [361.]

NOTAE.

P.168.

NOTAE.

(a) Iungenda *huic eſt lex 12. 13. ſup. de Prætoribus: lex 1. ſup. de Metatis: lex 7. ſup. de anaona & trib. lex 1. ſup. de publ compar. lex 48. inf. de decurionib. lex 3. inf. de luſtrali coll. lex 7. inf. de operib. publ.* GOTHOFR.

(b) Vrbis Conſtantinopol. *ID.*

(c) Tantum ſcil. vt mox *fine legis. ID.*

(d) *Vt*, id eſt, *prout. ID.*

(e) Ita mox, *ad eum numerum, quem ipſi cenſuali ſorte ſuſtentant. ID.*

(f) *Sociantur. ID.*

(g) De *Iugis* his & *Capitibus*, vid. *Gloſſ.* dixi ſemel ad *leg. 2. de cenſu. ID.*

(h) *Exequi. ID.*

COMMENTARIVS.

DE PROTOSTASIA & PROTOTYPIA eſt hic *Titulus*. Sed ſi quid *hoc Codice Theodoſiano* obſcurum eſt, id vero iſtud eſt, & unum hæc duo inter ſe differant, & quidnam ſint: quandoquidem nil opis ab vllo τῶν ἔξω ſcriptorum occurrit, vtpote quorum nullus, horum quod ſciam meminerit. De vtroque ſeparatim videndum eſt: de Protoſtaſia ad *hanc leg.* de Prototypia ad *prox.*

PROTOSTASIÆ *ſex* in vniuerſum *legibus* fit mentio: duabus Diocletianis, puta *l. 8. Cod. Iuſt. de munerib. patrimon. l. 3. Cod. eod. de filiisfam. & quemad. pater pro his teneatur:* Tertia Conſtantii, puta *l. 1. h. t.* Quarta Theodoſii M. *l. 3. ſup. de deſertorib.* Quinta & Sexta Arcadii, puta *l. 3.* & 4. *h. tit.* Græcum per ſe nomen oſtendit, munus hoc in Orientali Imperio ita vocatum; & quidem per Orientis & Aſiæ diœceſes nominatim id nominis & muneris vſurpatum oſtendit Theodoſiana illa conſtitutio, oſtendunt Arcadianæ: ac ſpeciatim in Syria, vt docet ſubſcriptio *d. conſtitutionis* Theodoſ. *P. P. Antiochia:* & vnius ex *duabus Arcadiadianis* Inſcriptio, *Præſidi primæ Palæſtinæ*, vel *Hygia.* Hoc primum.

Secundo ex omnibus ſex illis *legibus* clarum eſt, fuiſſe Protoſtaſian *Munus*, functionem, neceſſitatem, & Officium publicum: publicum, id eſt municipale.

Tertio, clarum, ex *l. 1. h. tit.* & ex *l. 8. C. Iuſt. de munerib. patrimon.* & ex *l. 3. C. eod. de filiisfam.* fuiſſe Protoſtaſiam munus *Patrimoniale:* Verba *legis 8* ita habent; *Nec Protoſtaſiæ, vel Sacerdotii, vel Decaprotiæ, munera corporalia ſunt, ſed patrimonii eſſe, non ambigitur. Nec Protoſtaſia*, id eſt ne quidem Protoſtaſiæ, vt maxime corporale miniſterium aliquod contineret.

Et vero quod Quartum ideo, Sacerdotii muneri & Decaprotiæ *d. l. 8.* Protoſtaſia iungitur; nam & hæc munera etſi perſonæ miniſterium requirerent, Patrimonii tamen onera erant. Sacerdotii, inquam, munus, quod idoneis & in facultatibus poſitis deferebatur, *l. 148. & 166. inf. de decurion.* ex Curialium vel Aduocatorum corpore; magnis quippe expenſis fatigabantur, vt docet *lex vlt. ſup. de tironib.* ac inter cætera ludis ſuo ſumptu edendis, quod oſtendet pleniſſime *Paratitlon inf. tit. de Paganis Sacrific. & Templis.* Decaproti quoque tributa exigentes, etſi corporale miniſterium gererent; attamen pro oneribus defectorum fiſcalia detrimenta reſarciebant, *l. 1 §. 1. l. 3. § 10. l. vlt. §. 26. D. de munerib. & honor.* denique periculo ipſorum exactiones ſolemnium celebrabantur. Vnde clarum iam, protoſtaſiæ munus, prout modus eſſet patrimonii impoſitum quoque fuiſſe: Hæc enim eſt munerum patrimonialium definitio: Quod *huius leg.* ſententia adhuc magis comprobabit. Et vero hac quoque de cauſa filiusfamilias ad protoſtaſiæ munus vocari non poterat, cum ex eadem familia ac domo duos ad iſta obſequia deſtinari periniquum videatur, inquit Diocletianus, *d. l. 3. C. Iuſt. de filiisfam. & quemadm. pro his pater teneatur lib. 10.* cum alias ad munera perſonalia filiifam. quoque vocari poſſent.

Quinto clarum eſt vel ex *huius tit.* ſitu, Protoſtaſiæ munus *rem tributariam* reſpexiſſe, quandoquidem titulus hic poſitus eſt in cenſu titulorum, qui eo pertinent.

Et, quod Sextum, immediate poſt *Titulum, Ne conlationis translatio poſtuletur:* & ante *Titulum, de Patrociniis vicorum:* ſeu medio loco inter duos illos quos dixi *Titulos*, hic de *Protoſtaſia* poſitus eſt, vt proinde affine vel vicinum quid cum *conlationis translatione*, & *Patrocinio vicorum* Protoſtaſiam habuiſſe videatur, & ſic ad Exactionem Tributorum liquido munus id pertinet, ſicut & Prototypia, de qua *l. 2. hoc tit.* & patrocinia vicorum, de quib. *tit. prox.* eodem pertinent, quæ προστασία Græcis vt hæc πρωτοστασία.

Septimo, neceſſarium hoc munus & onus fuiſſe clarum ex eo, quod & *neceſſitas* vocatur *h. l.* pauciſſimæque admodum dignitates ab eo immunes eſſent, vt docebit *lex 3. inf. h. t.* & *lex 4.* imo & hæc ipſa *lex 1.*

Senatoribus certe quod Octauum id impactum, ſeu, vt *hac l.* dicitur, Senatores *impoſita neceſſitate ſuſtentabant*, id eſt ſuſtinebant, *hanc neceſſitatem explicabant.*

Vt &, quod Nonum, iis qui ex Primipilaribus erant.

Contra, quod Decimo notandum, ſingulari priuilegio ad eruendos deſertores, id temonario defertur, vt ſi deſertorem prodiderit, protoſtaſiæ munere releuetur, & quidem biennio tantum, *l. 3. ſup. de deſertoribus.*

Vndecimo ſumma maturitate & celeritate munus hoc exerceri oportuiſſe, oſtendit *lex 3. hoc tit.*

Duodecimo, pro modo patrimonii hoc munus ſuſtinere quemque oportuiſſe docet *hæc lex 1. Vt ad eum*, inquit, *numerum quem ipſi cenſuali ſorte ſuſtentant, Senatorum tantum cenſibus nexis, eandem neceſſitatem debeant explicare.*

Tan-

Tandem igitur ita cenſeo, Protoſtaſiæ munus occupatum fuiſſe circa collationem & exactionem tributorum, ſic vt Protoſtaſia fuerit principalis & ſumma tributorum cura in ſingulis municipiis & territoriis per Orientem periculo *Protoſtatæ*. Nam & alioquin in genere πρωτοστασία nihil aliud eſt quam *Principatus*; vt etiam Gloſſæ Cyrilli explicant. Quomodo & in re militari (vnde id nomen proculdubio translatum) πρωτοστάτης ὁ πρῶτος παρὰ τὸ κέρας τῆς παρατάξεως τεταγμένος, vt Heſychius: vt Pollux *Onomaſt. Lib. I. cap. 10. Sect. 127. pag. 85. Edit. Hemſterhuis.* ὁ ἐκ δεξιᾶς τοῦ πρώτου ζυγοῦ, πρωτοστάτης, καὶ πᾶν τὸ μέτωπον πρωτοστάτης, ὁ δὲ ὑπ' αὐτὸν ἐξόπισθεν, ἐπιστάτης: *dextrum primæ aciei cornu tenens, propugnator vocatur vel princeps, & ſimul nomine eodem tota frons appellatur, qui a tergo adſtat, Epiſtates dicitur.* Denique πρωτοστάτης anteſignanus primusque in P 169. quacumque re. Neque tamen placent aliorum nonnullorum Interpretationes. Primo, perperam cum his *Protoſtatis* commiſcet Cuiacius *Principales*, a quibus ordinariorum munerum adſcriptio fiebat, vt docet *lex 5. ſup. de his quæ adminiſtrantib. lex 117. inf. de decurion. lex 4. ſup. de extraordin. muner.* & Symmachi locus *lib. 9. epiſt. 10.* In duobus enim differunt; Principales quippe erant *Decurionum* primi: Deinde, non exactionis cura his imminebat, vel ſumma rei tributariæ, ſed tantum adſcriptionis & diſtributionum forma, nempe quid, quantum, quisque ſoluere deberet. Quare ſecundo loco neque huc faciunt Pentaproti vel Decaproti vel Icoſaproti; quandoquidem etiam *l. 8 Cod. Iuſt. de munerib. patrimon.* diſertis verbis munera *Protoſtaſiæ* & *Decaprotiæ* diſtinguuntur, ſic vt *Protoſtaſia* maioris meriti locique fuerit, quam Decaprotia: quæ nudæ exactionis erat. Tertio Amaya nuper inepte *Protoſtaſiam* interpretabatur obligationem, vt ſi qua detrimenta contingerent in exigendis tributis, id reſarcirent; idque Decurionibus impoſitum fuiſſe, idemque vocant decaprotiam. Quarta Heraldi ſententia *2. Quotid. c. 9.* æque erronea eſt, qui protoſtaſiam interpretatur, munus, ob mancipiorum capita κεφάλαια ex pluribus mancipiis confecta: quod Senatorib. imponi vetatur, niſi de Senatorum capitibus ſeu mancipiis adgregatis agatur: plures ſcil. addit is, Senatores poterant vnam velut συμμορίαν conſtituere, in quo ὁ προστάτης totam capitationem ſiue iugationem colligebat & inferebat, velut in fundo aliquo communi aut in fundis iunctis & cohærentibus; & illi προστάτης erat velut συμμορίας ἡγεμών.

Nunc de ſententia huius Conſtantianeæ conſtitutionis videamus: vbi obſeruandum ante omnia, eam prolixæ Conſtantii Orationis ad Senatum vrbis Conſtantinopolitanæ partem eſſe, vna cum octo aliis legibus, quæ proinde huic coniungendæ ſunt omnes. Fuit vero ea Conſtantii Oratio, de Prætorum deſignatione & de editionibus, quo pertinet *lex 12. 13. ſup. de Prætorib.* item, de Senatorum priuilegiis & immunitatibus a quibusnam muneribus Senatores immunes eſſent vel non, quo pertinent reliquæ leges ſeptem; nempe ea definit, Senatores immunes eſſe ab his quinque I. a metati onere, *l. 1. ſup. de metatis*; II. ab annonis & tributis, pro colonis profugis *l. 7. ſup. de annona & tribut.* III. a publica comparatione ſeu Synoneto, *l. 1. ſup. de publica comparatione.* IV. ab operibus publicis a Iudicibus extructis, *l. 7. inf. de operib publ.* V. Denique a luſtrali collatione, *l. 3. inf. de luſtrali conlat.* Contra eadem Oratione Conſtantius Senatores immunes eſſe noluit ab his, I. nexu Curiali, *l. 48 inf. de decurionib.* II. Sed nec a Protoſtaſia *hac leg.* Qua parte tamen modum aliquem huic rei adhibet, puta vt in tantum hanc neceſſitatem impleant ſeu explicent, in quantum ipſi reuera Senatorii cenſus habent: non vero ex ἐπιβολῆς ſpecie quadam; de qua, varioque adeo ἐπιβολῆς genere iam pluribus actum eſt *tit. de annona & tribut.* Nempe vetat *hac l.* Conſtantius, ALTERIVS iuga ſeu capita Senatoris cenſibus & poſſeſſionibus *adgregari*, ſociari; vt ita Senator Protoſtaſiæ munus ſuſtinere cogatur aggregatis iugis ſeu capitibus, Senatorio cenſui. Quid igitur? Senatorem *Ad eum tantum numerum*, id eſt pro modo poſſeſſionum, quas ipſe reuera poſſidet cenſibus nexas, protoſtaſiæ onus agnoſcere vult, non etiam pro modo ἐπιβολῆς illius: Quæ tamen vt in aliis quibusdam ſpeciebus de quo vid. *l 4. 10. 17. 31. ſup. de annona & tribut.* ita & hac quoque parte aliquando haud adeo iniqua viſa; quandoquidem Senatores agrarii ferme mergi eſſent, & captatis aliorum momentaneis poſſeſſionibus optimos & opimos ALIORVM fundos iuga capitaue ad ſe traherent, ſterilibus, fœneis & defectis ſolis penes veteres poſſeſſores relictis. Unde aggregatis cæteris, quos penes ALIOS priuatos ſcil. dominos fœneos ferme ſeu ſteriles reliquiſſent, *ad eum numerum*, modumque Protoſtaſiæ munus Senatores implere debere videbantur. Verum id non admittit, imo vetat Imp. Conſtantius, cui vt iam dixi propoſitum fuit ea *Oratione*, cuius hæc *lex* partem facit, gratiam Senatus & Senatorum aucupari. Et hactenus quidem *huius leg.* obſcuriſſimæ ſententiam puto. Cætera dies aperiet.

II. (a) Imp. IVLIANVS A. Salluſtio (b) PF. P.

PROTOTYPIAS, & exactiones, in (c) capitatione plebeia, Curialium munera, & quidem inferiora eſſe, minime dubitatur: Atque ideo a Senatoriis easdem domibus ſubmoueri oportet: &c. Dat. III. Id. Mart. Conſtantinop. Mamertino & Neuitta Coss. [362.]

NOTAE.

(a) Iungenda *huic eſt lex 10. ſup. de extraord. muner. lex 4. inf. de luſtrali collat. lex 50. inf. de decurion. lex 1. ſup. de locatione fundor.* & proculdubio etiam *lex 1. inf. de auro coronario. GOTHOFR.*

(b) Ita *h. l.* & *l.* 1. *de auro coronario.* In cæteris *legibus* illis, *Secundo.* Qui tamen idem eſt. Ammianus *initio lib.* 21. *cap.* 3. *Breui deinde Secundo Salluſtio promoto Præfecto Prætorio.* v. plura in *Proſopogr. ID.*

(c) Capitationis Plebeiæ. *ID.*

COMMENTARIVS.

PROTOTYPIÆ, & plebeiæ capitationis exactionis immunitate donat SENATORES Iulianus hac conſtitutione. Quæ pars eſt prolixioris conſtitutionis, de muneribus publicis & municipalibus, vt videre eſt ex iis *legibus* quas *huic* coniungendas dixi. Porro inter cætera munera & munia municipalia fuit *Prototypia*, & Exactio capitationis plebeiæ, & quidem ex inferioribus: Vnde Iulianus Curialium hoc munus eſſe minime dubitari ait, et
P.170. quæ ideo a domibus Senatoriis ſubmoueri oportere. Quod cum attendo, videri cui poſſit, Prototypiam & Protoſtaſiam eadem fuiſſe; Primum argumento *tituli*, ſub quo hæc *lex* poſita eſt: Secundo collatione *legis ſuperioris* cum hac *leg.* nempe *illa leg.* nominatim Protoſtaſiæ munus Senatoribus iniungitur, *hac* Prototypia a Senatoribus ſubmouetur, vt proinde Conſtantii æmulus Iulianus & hac parte fuiſſe videri poſſit. Et ſane, id colligi poſſe videtur ex plerisque illarum *legum*, quas *huic* coniungendas dixi; nam & idem Iulianus *leg.* 4. *inf. de luſtrali conlat. leg.* 50. *inf. de decurion. l.* 1. *ſup. de locatione fundorum patrimon.* aperte Conſtantii quædam abrogat, veluti immunitatem munerum Curialium datam vel factam Decurionibus Chriſtianis: Item ciuilium poſſeſſionum, id eſt ad ciuitates olim pertinentium & feſtiuitatibus publicis dicatarum, donationes ſeu occupationes. Et nihilominus tamen tum ex *hac ipſa lege*; tum ex *duabus* præterea *huiusce Cod. legibus*, puta *leg.* 3. *ſup. de priuileg. eorum qui in S. Pal.* & *l.* 7. *ſup. de tironib.* in aliam ſententiam concedo, nempe Prototypiam a Protoſtaſia differre. Primum argumentum eſt, quod Prototypia hic dicatur *inferius munus* eſſe, cum tamen ſuperius liquido oſtenſum fuerit, protoſtaſiam munus fuiſſe honorificum, imo quod Sacerdotii honori præponitur, *l.* 8. *Cod. Iuſt. de munerib. patrimon.* Alterum argumentum eſt, quod non Exactoribus quibuscunque tantum, verum etiam turmariis, id eſt exactoribus tironum; item temonariis, id eſt exactoribus auri tironici Prototypia iungatur, *dict. leg.* 3. *ſup. de priuileg. eorum qui in S. Pal.* *Quibus omnibus*, inquit, *condonamus, ne Exactorum, vel Turmariorum (quos Capitularios vocant) curam ſubeant, vel obſequium Temonariorum, vel Prototypia.* Quare neceſſe eſt, Prototypiæ onus proximum fuerit Turmariis & Temonariis, & circa idem occupatum. Tertio, Prototypiæ onus, *dict. leg.* 3. nominatim perſonalibus & corporalibus muneribus connumeratur: Atqui ſupra oſtenſum fuit luci claro ex *leg.* 1. *ſup.* & *d. l.* 8. *Cod. Iuſt. de munerib. patrimon.* Protoſtaſiam fuiſſe patrimoniale munus. Quarto, aperta eſt *lex* 7. *ſup. de tironib.* vt ea a nobis *ibidem* reſtituta eſt; nempe Prototypiæ munus fuiſſe occupatum circa tironum præſtationem: ita quidem, vt qui Prototypiæ munere fungeretur, æſtimaret ſeu pretium formale ſtatueret, quod loco tironum inferendum erat, atque ita formam daret: quæ etiam proculdubio nominis ratio eſt, πρωτοτύπου & πρωτοτυπίας. *Verba legis* 7. ita habent; *Tironum* PRÆBITIO *in patrimoniorum viribus potius, quam in perſonarum muneribus conlocetur, vt Prototypiæ munus, quod prouinciarum interna depaſcitur, ab imis (vt dicitur) radicibus eruatur: Nam inter reliqua vitia hæc duo vel maxime intolerabilia iudicamus, quod aurum ſæpe pro corporibus inmane depoſcitur, atque aduenarum coëmtio Iuniorum inſolentius quam conuenit, æſtimatur.* Ex hac *leg.* liquido apparet, Prototypiæ munus occupatum fuiſſe in æſtimatione tironum, ſeu in adærandis tironibus ſeu æſtimandis, atque adeo in *forma* pretii ſtatuenda, quam poſtea æſtimationem Temonarii exactores exigebant, vt ex *eadem leg.* 7. liquet; vnde *Prototypia & exactiones* hic iunguntur, pariter vt *leg.* 3. *de priuileg. eorum qui in S. Pal.* Prototypiæ obſequium iungitur exactorum Turmariorum & Temonariorum curæ ſeu obſequio. Hinc adeo cum Prototypi iſti prouinciarum interna depaſcerent, duobus his inter reliqua vitiis, puta vel immane pretium pro tironibus depoſcendo, vel inſolentius quam conuenit æſtimando extraneorum tironum coëmptionem, Valenti per Orientem viſum fuit *Prototypiæ munus* ab imis radicibus eruere, definito per ſe formali pretio ſeu ſolidorum numero, qui Temonario eſſet inferendus. Nullum igitur iam dubium, Prototypiæ munus eſſe munus formalis pretii ſtatuendi pro tironibus; vt *Prototypon* eſt forma, ſpecimen & exemplar cuiusque rei. Ita eodem ſenſu *formale pretium* dicitur *in leg.* 62. *in f. D. ad Leg. Falcid.* Formale, inquam, pretium, id eſt vniforme. In re monetaria alioquin quid τύπος, quid ἀρχέτυπον, quid *forma*, notum ſatis, adeo quidem vt & *forma* pro nummis ipſis accipiatur.

III. (a) Impp. ARCAD. & Honor. AA. ...... Præſidi Frygiæ (b) Palæſtinæ.

CESSANTIBVS his, quæ quibusdam cuniculis (c) & ſubreptionibus impetrata noſcuntur, & ſaluis priuilegiis Dignitatum, Grauitas Tua vniuerſos faciat Protoſtaſiæ (d) ſubcumbere functioni, vt & officia publica maturius peragantur, & priuatorum merita ex hac diſtributione prouidentiſſime conſeruentur. Dat. Prid. Kal. Iul. Conſtantinop. Arcad. A. IV. & Honor. A. III. Coss. [396.]

NOTAE.

NOTAE.

(a) Abeſt & hæc *lex* a *Cod. Iuſt. GOTHOFR.*

(b) An *Syria*, vel potius *Prima?* Non; reſcribendum omnino *Hygie*, id eſt ſalutaris. *ID.*

(c) Vid. *Gloſſarium Theod. ID.*

(d) Hanc vocem iam expendi ad *l. 1. ſup. hoc tit. ID.*

COMMENTARIVS.

P. 171. IMMVNITATEM a Protoſtaſia dignitatibus in commune conceſſam vt confirmat *hac l.* Arcadius; ita ſingulis perſonis per cuniculos & obreptionem conceſſam reuocat; proinde vniuerſos huic obnoxios functioni facit, & rationem addit; nempe vt officia publica maturius peragantur, quod iam expendi ad *l. 1. ſup.*

In ſubſcriptione *legis* mendum reſidet: Ecquis enim vnquam fando audiuit *Frygiam Palæſtinam?* Num igitur reponendum *Syria Palæſtinæ?* Palæſtinam enim iam olim προσθήκην τῆς Συρίας fuiſſe teſtatur Ioſephus *lib. 18 cap. 6.* Sed & Ammianus decennio ferme ante hanc leg. *lib. 14. cap. 8. Vltima*, inquit, *Syriarum eſt Palæſtina*, ſic quidem vt olim cum reliqua Syria eidem Præſidi pareret: de quo dixi ad *l. 30. ſup. de erogat. mil. ann.* Atenim diuulſa poſtea a Syria tota Palæſtina ſuum Rectorem habuit, modo Conſularem, & quidem ſub Iuliano Imp. vt docet eius *lex 55. inf. de decurionib.* modo Proconſulem, vt Theodoſii M. conſtitutiones teſtantur aliquot: puta *lex 28. inf. quorum appell. lex vlt. ſup. de fiſci debitorib. lex 42. inf. de appellation.* item Hieronymus *in epiſt. ad Euſtochium, 27. pag. 111. Tom. I. Oper. Edit. Francf.* & *Iuſtinianus Nou. 103.* Quare & Zoſimus *lib. 4. cap. 41.* ſcribit, Hilarium a Theodoſio M. Palæſtinæ totius Rectorem creatum: ἱλάριος, inquit, ἄρχειν παρὰ βασιλέως ἐτάττετο παλαιστίνης ἁπάσης, *Hilarius ab Imperatore toti Palæſtinæ cum imperio præfectus fuit.* Poſtea diuiſa Palæſtina in tres, vt clare oſtendit *lex* Theodoſii Iun. 30 *ſup. de erogat. milit. ann.* & *Notitia Imperii* ſub eodem Theodoſio Iun. confecta, ſed & *d. Nouella Iuſtin. 103.* Quanquam duarum tantum mentio fiat, *l. vlt. inf. de Iudæis.* Diuiſa autem proculdubio vel ſub extremis Theodoſii M. vel ab Arcadio inter Imperii ſtatim primordia. Quod cum attendo, omnino mihi in inſcriptione *huius l.* reſcribendum videtur, *Præſidi Hygiæ Palæſtinæ:* vt ita vna ex tribus Palæſtinis intelligatur, non tota Palæſtina: quod *Præſidis* etiam nomen ſatis euincit: tota enim Palæſtina a Chriſtianis Impp. ſubuecta, Proconſulem vt dixi habuerat, non Præſidem. (quod longe inferius) *Hygia* porro *Palæſtina*, id eſt, Salutaris. Sic enim diuiſa Palæſtina fuit, in Palæſtinam ita ſpecialiter dictam, ſeu primam, in Palæſtinam ſecundam, in Palæſtinam *Salutarem;* vt docet *Notitia Imperii* ſub Theodoſio Iun. Arcadii huius filio, confecta, xxx. ferme poſt *hanc l.* annis, non vno loco, & *in notitia Præfecti Præt. Orientis fol. 3.* & *in notitia Comitis Orientis fol. 71.* Et *Salutaris* quidem dicta, haud aliter, atque vna ex Syriæ Prouinciis pariter *Syria ſalutaris* dicta: Et vtraque ita dicta, ab aquis Salutaribus; de quibus Palæſtinæ aquis Salutaribus v. Ioſephum *lib. 17. antiquit. cap. 8.* & *lib. 4. belli Iudaici, cap. 1.* Sozomenum *lib. 5. cap. 21.* Hieronymum *de locis Hebraicis;* Ammianum Marcellinum *lib. 14. cap. 8.* Epiphanium *contra Ebionitas, hæreſi 30. num. 7. pag. 131. Tom. I. Oper. edit. Colon.* Et hæc de ipſo nomine: Atenim vlterius *eadem Notitia Imperii* oſtendit, Palæſtinam (Primam ſcil.) a Conſulari rectam fuiſſe, cuius etiam peculiarem Notitiam proponit; Cæteræ vero Palæſtinæ a Præſidibus rectæ fuerunt, puta Palæſtina Secunda, & Palæſtina Salutaris ſeu *Hygia.* Hinc igitur hæc *lex* inſcribitur *Præſidi Hygiæ Palæſtinæ.* Et ita quidem ſentio. Quanquam erit forte, cui hic videatur potius reſcribendum *Frygiæ Pacatianæ:* de qua v. *Notitiam Imperii fol. 77. 78.* & vulgatam ſubſcriptionem prioris Epiſtolæ D. Pauli *ad Timotheum.* Nulla certe eius mentio fit ſub Theodoſio M. in *Indice Schonhouiano.*

IV. (a) Impp. (b) Arcad. & Honor. AA. Euthymio (c) Vic. Aſiæ (d).

QVI ex Primipilaribus ſunt, Protoſtaſiæ neceſſitatibus obedire cogantur: nec aliqua ſe obreptione ſubtrahere. Dat. XII. Kalend. Ian. Arcad. IV. & Honor. III. AA. Coss. [396.]

NOTAE.

(a) Et hæc *lex* abeſt a *Cod. Iuſt. GOTHOFR.*

(b) Scribendum hic fuerat, *Idem AA. ID.*

(c) *Euthymius* Vicarius Aſiæ ſub Arcadio A. 396. Eidem inſcribitur hoc ipſo Anno *lex 19. ſup. de cohortalibus. ID.*

(d) De *Vicario Aſiæ*, vid. *Notitiam Theodoſ. ID.*

COMMENTARIVS.

EX-PRIMIPILARIBVS, id eſt, Primipilatu functi, poſt emeritam militiam a Protoſtaſia immunes non ſunt ex hac Arcadii conſtitutione; cum alioquin Primipilares hi poſt emeritam militiam *dignitate* aliqua eueherentur, veluti Perfectiſſimatus vel Ducenæ vel Centenæ vel Egregiatis, vt do-

cet *lex 3. ſup. de cohortalib. & Primipil.* vbi plene dictum. Itemque a baſtaga, nauiculariaque functione & Curia immunes eſſent, *l. u. d. t. de cohortalib.* Et vero ea dubitandi ratio in *hac leg.* fuit: Quandoquidem etiam *ſuperiore prox.* eiusdem Arcadii *conſtitutione*, priuatorum quorundam merita & priuilegia dignitatum a Protoſtaſiæ onere excuſarent: Verum non tanti viſa Primipilarium dignitas, vt ab hoc munere tam neceſſario exciperentur.

P. 172. # DE PATROCINIIS VICORVM.

TITVLVS XXIV.

LIB. XI. COD. IVST. TIT. LIII.

Vbi integra ſententia & enunciatione *Titulus* ita conceptus eſt in Edit. Cuiac. *Vt nemo ad ſuum patrocinium ſuſcipiat vicos, vel ruſticanos eorum.* Περὶ προστασιῶν, aduerſus quas eſt peculiaris Libanii oratio quam nos edidimus; & ſic a προστασία ad προστασίαν hic tranſitus fit. Cæterum *Legis vltimæ* Theodoſii Iunioris A. 415. pars ad Hiſtoriam ECCLESIASTICAM pertinet.

PARATITLON.

VICORVM, integrorum ſcil. *Rubr.* & *l. 3. h. t.* vel vicanorum *l. 1. 5. h. t.* colonorum *l. 1. h. t.* agricolarum, *l. 2. 5. h. t.* ruſticorum, *l. 4. h. t.* poſſeſſorum, *l. 3. 6. h. t.* patrocinia, *Rubr. l. 1. 2. 3. 4. 5. 6. h. t.* clientelæ ſuſceptio, *l. 4. h. t.* defenſio, *l. 1. hoc titulo* prohibentur a Conſtantio, *l. 1. h. t.* Valente, *l. 2. h. t.* Arcadio. *l. 3. 4 5. h. t.* Theodoſio Iun. *l. vlt. h. t.* ſpatio 56 annorum: ac nominatim per Ægyptum, vt diſerte teſtantur, *l. 1. 3. 4. 6. h. tit.* Eodemque forte etiam pertinet *l. 2. & 5. h. t.* & ſic omnes *huius tituli leges*: Quæ tamen vulgo vſurpabantur; fraudandorum ſcil. tributorum cauſa, *l. 4. h. t.* ne muneribus publicis ſatisfacerent, *leg. 3. h. t.* ad aditum implendæ deuotionis obcludendum, *l. 1. h. t.* ad obuiandum muneribus publicis, *d. l. 3. h. t.* (quæ cauſa eſt, cur hoc loco poſitus ſit *hic Titulus* in cenſu *eorum*, qui ad rem Tributariam pertinent) & quidem ad exactionem commentis audacibus, *d. l. 1. h. t.* fraude, *leg. 4. h. t.* vici, agricolæ, vicani ſeu ruſtici ſoliti confugere, *l. 4 5. h. t.* ad patrocinia ſe conferre, *d. l. 1. h. t.* eorum qui variis honoribus fulciuntur, *d. l. 1. h. t.* veluti Magiſtrorum vtriusque Militiæ, Comitum, Proconſulum, Vicariorum, Præfectorum Auguſtalium, *l. 4. h. t.* Ducum, *d. l. 1. h. t.* Tribunorum, *d. l. 4. h. t.* imo & ad Curialium quandoque, *d. l. 4. h. t.* Denique Officialium Comitis rei militaris, *leg. 3. h. t.* Et hi inuicem ſoliti propria patrocinia his largiri, *l. 2. h. t.* latebram præbere & defenſionem promittere, *l. 1. h. t.* patrocinia præbere, *l. 4. h. t.* patrocinium miniſtrare, *l. 5. h. t.* ſuſcipere in ſuum patrocinium, *l. 3. h. t.* clientelam eorum ſuſcipere *l. 4. h. t.* [Vnde & ipſi SVSCEPTI dicuntur apud Saluianum *lib. 5. de gubernat. Dei cap. 8.*] Aduerſus quos omnes pœnæ his *legibus* proponuntur.

CONSTANTII *conſtitutio aduerſus patrocinia Colonorum; idque per Ægyptum.*

I. (a) Imp. CONSTANTIVS A. & Iulianus Cæſ. Helpidio (b).

COLONORVM (c) multitudinem indicaſti, per Ægyptum (d) conſtitutorum, ad eorum ſeſe, qui variis honoribus (e) fulciuntur, Ducum (f) etiam, patrocinia contuliſſe. Vniuerſos itaque, quos tantum ſibi claruerit temeritatis adſumere, vt præbeant latebram, & defenſione repromiſſa aditum implendæ deuotionis (g) obclaudant (h), iubemus vrgueri,

gueri, vt debita (i), quæcumque Vicani (k), quorum (l) conſortio receſſerunt (m), e propriis facultatibus fiſci docebuntur commodis intuliſſe, idem (n) cogantur expendere. Eos quoque, quos in defenſionem ſuam videntur ſuſcepiſſe (o), ab eorum patrocinio facias ſeparari. Dat. Prid. Non. Febr. Conſtantinop. Conſtantio A. X. & Iuliano Cæſ. III. Coss. [360.]

p. 173.

NOTAE.

(a) Abeſt hæc *lex*, vt cœteræ omnes *huius tituli*, a *Cod. Iuſt.* prælata Zenonis, Leonis & Anthemii conſtitutione. *GOTHOFR.*

(b) *Helpidius* PP. Orientis ſub Conſtantio: vt non tantum docet *lex 5. ſupr. de erog. mil. ann.* quæ data A. 359. verum hoc ipſo Anno *lex 6. de erog. mil. ann. l. 11. ſupr. de curſu.* Et in geſtis Anni ſequentis Ammianus Marcellinus *lib. 21. cap. 6.* vid. plura *in Proſopogr. ID.*

(c) *Coloni* hic ſunt ruſticani, qui proprias terras habebant, qui propria poſſidebant, vt *l. 5. h. t.* vbi dico, pariter vt *leg. 11. de iure fiſci*, non quo alioquin ſenſu coloni, qui alienis terris adſtricti erant. Quare *Vicani* mox vocantur. *ID.*

(d) Vt *l. 3. 4. 6. infr. ID.*

(e) De quibus vid. *l. 4. infr. ID.*

(f) *Duces* Ægypti: de quibus vid. *Notitiam Imperii fol. 86. ID.*

(g) *Deuotionis*, id eſt, tributi. vid. *Gloſſ. ID.*

(h) Pro *obcludant. ID.*

(i) *Debita*, tributa: vid. *Gloſſ. ID.*

(k) Cœteri. *ID.*

(l) *E quorum. ID.*

(m) Hi de quibus agitur. *ID.*

(n) *Iidem*, qui patrocinium præbent. *ID.*

(o) *Suſcipiendi* vox hac in re propria, *h. l. & l. 3. 4. infr.* Hinc & *Suſcepti* proprie; qua voce hac in re vtitur Saluianus, loco quem mox laudabo. *ID.*

COMMENTARIVS.

CONSTANTIVS Imp. hac conſtitutione ad Helpidium PP. data A. D. 360. & ad eiusdem relationem, patrocinia colonorum ſeu vicanorum per Ægyptum nominatim in fraudem rei tributariæ prohibet.

Antequam ſpecialia *huius leg.* ſectemur; Primo clarum iam eſt ex *Paratitlo*, quodnam fuerit hoc *Patrocinii* genus, quo item fine coloni in potentiorum patrocinium & clientelam confugerint, fraudandorum ſcil. tributorum gratia. Quod etiam oſtendit Libanius expreſſa oratione *περὶ τῶν προςασιῶν:* quam nos edidimus. Etſi fatendum, nimia tributorum acerbitate ad id miſeriarum ferme redactos hac tempeſtate ruſticos, vicanos, vt in Potentiorum patrocinium confugerent, quæ tamen ipſa patrocinia in eorum necem vertebant: Hoc enim obtentu miſeri ruſticani a Potentioribus ſpoliabantur: quod poſtremum etiam *l. prox. 2.* oſtenditur & *l. 1. Cod. Iuſt. eod. tit.* Singularis hanc in rem eſt Saluiani Presbyteri Maſſilienſis de eo locus, *lib. 5. de gubernatione* DEI *cap. 8.* octoginta ferme poſt *hanc l.* annis ſcribentis, & quidem de hoc patrocinii, imo latrocinii, more per Gallias; *Vt vim*, inquit, *exactionis euadant faciunt quod vnum valent. Tradunt ſe ad tuendum protegendumque maioribus, dedititios ſe diuitum faciunt, & quaſi in ius eorum ditionemque tranſcendunt. Nec tamen graue hoc aut indignum arbitrarer, imo potius gratularer hanc Potentum magnitudinem, quibus ſe pauperes dedunt, ſi* PATROCINIA *iſta non venderent, ſi, quod ſe dicunt humiles defenſare, humanitati tribuerent, non cupiditati. Illud graue ac peracerbum eſt, quod hac lege tueri pauperes videntur, vt ſpolient, hac lege defendunt miſeros, vt miſeriores faciant defendendo. Omnes enim hi, qui defendi videntur, defenſoribus ſuis omnem fere ſubſtantiam ſuam prius quam defendantur addicunt; ac ſic, vt patres habeant defenſionem, perdunt filii hereditatem. Tuitio parentum, mendicitate pignorum comparatur. Ecce qua ſunt auxilia ac* PATROCINIA *maiorum. Nihil* SVSCEPTIS *tribuunt, ſed ſibi.* Itaque idem Saluianus *lib. eod. cap. 7. in fin. Infelicisſimi pauperes, quaſi inter concertantes procellas in medio mari poſiti, nunc iſtorum, nunc illorum fluctibus obruuntur.*

Igitur damnata hæc ruſticorum (quibus alioquin alia legitima præſidia competebant: cuiusmodi quatuor memorat Libanius *d. orat. περὶ τῶν προςασιῶν, num. 6 pag. 14.* ſiu. *pag. 369 370. Edit. Trotz. Oper. minor. Gothofr.*) patrocinia, variis Imperatorum conſtitutionibus: nouem inquam Imperatorum, quorum conſtitutiones reperire licet. Conſtantii, *hac leg.* Valentis *leg. prox. 2.* Theodoſii M. *ea leg.* quam memorat Liban. *ſub fin. orat. περὶ τῶν προςασιῶν pag. 24. 25.* ſiu. *pag. 375. 376. Edit. Trotz.* Arcadii *l. 3. 4. 5.* Theodoſii Iun. *l. vlt. hoc tit.* Martiani, quam memorat *lex 1. Cod. Iuſt. eod. tit.* Leonis, *dict. l. 1.* Iuſtiniani, *l. 2. Cod. Iuſt. eod. tit.* & *Nou.* Tiberii *de diuinis domibus.* Eadem damnat *dicta orat. in id expreſſa* Libanius *περὶ τῶν προςασιῶν*, quam extulit ſub Theodoſio Magno, quæ omnino conſulenda eſt.

Secundo obſeruandum, per Ægyptum nominatim ſicubi alibi hoc malum increbuiſſe, vt hæc *lex* diſerte oſtendit, & *lex 3. 4. vlt. hoc tit.* item *d. lex 1. Cod. Iuſt. eod. tit.* de Syria quoque teſtis Libanius *d. orat.* Neque ambigo, id factum, propter annonam vrbis Conſtantinopolitanæ, ſeu canonem ſtoli Alexandrini, qui ex Ægypto Conſtantinopolim ſubuehebatur vrbi indies magis magis excreſcenti, ex

Conſtantini M. inſtituto de quo dicam plenius ad *titulum infr. de nauiculariis*, Itaque cum tributi modus a colonis Ægyptiacis inuehendi quotidie augeretur tantæ Vrbi paſcendæ, inde orta crebra illa colonorum perſugia io potentiorum patrocinium. Sane & Themiſtius *orat. 13.* ad Conſtautium *huius leg.* auctorem, quæ habita ſexennio ante, huius aoooнæ ex Ægypto Conſtantinopolim deſtioatæ, meminit, *pag. 291. 292. Edit. Petau. 1613. in 8.* Vode & Athanaſio crimen conflatum, quaſi Ægyptiacum omne ſrumentum ſupprimere ſtatuiſſet. Eunapius quoque *in vita Ædeſii pag. 39. Edit. Commelin.* eiuſce meminit: de quo plenius dicam ad *l. 7. infr. de nauicul.* Neque Claudiani locus omittendus *de bello Gildonico verſ. 60 61.*

——— Ægyptia rura
In partem ceſſere nouam.

id eſt, nouæ Romæ, ſeo Conſtantinopoli.

Tertio obſeruaodum, In quorum patrocinium coloni hi confugerent, nempe honoribus præditorum, quod ſpecialius exſequitur *lex 3. 4. infr.* Eo numero fuerunt & *Duces*, quod hæc *lex* demonſtrat: itemque Libanius *d. orat.* περὶ τῶν προστασιῶν. Duces, inquam, *in ſpecie huius legis*, Lybiæ, Thebaidos, rei videl. militaris per Ægyptum, penes quos pars militaris erat, de quo in *Notitia*. Quare & officiales Comitum militarium eodem numero cenſentur *l 3. infr.*

Quarto ex *huius leg. fine* notandum, Conuicanos cœteros nihilominus pro huiusmodi Conuicano, qui receſſerat tributum inferre coactos; Quod & ipſum durum ſatis; qun etiam reſpexiſſe potuit Zeno *l. vn. C. Iuſt. vt nullus ex vicanis pro aliorum* p. 174.
vicanorum debitis teneatur. Neque enim adſentiendum Cuiacio, qui *debitorum* vocem ibi pro debito ex contractu vel delicto accepit, quem & *tituli* illius ſitus refutat, ſed & ipſa *debitorum* vox, quæ vt *hac l. noſtra* ita & *aliis locis infinitis* ſignate pro debito ex cauſa tributaria exaudienda eſt; vt ex innumeris *huius Codicis* legibus apparet, quas ſub vnum conſpectum proponit *Gloſſarium Theodoſ.* Proinde inanis eſt obſeruatio ad *eam legem vnicam* de Repreſſaliis ſeu de iure *Marquæ*; etſi ad eam ſpeciem recte pertineat *Nouella Iuſt. 52. cap. 1. in princ.*

Atenim *huius l.* hac parte ſenſus hie eſt; Nempe adſcriptum ſemel tributi modum integrum a Conuicanis ſolui oportere.

Poſtea tamen hoc ipſum ab eo, qui patrocinium præbuiſſet, (quod *Quinto* loco hic obſeruandum) reſtitui oportebat: Et vero *hac l.* id reſtitui iubetur, ſimul & patrocinium huiuscemodi diuelli, ſuſceptique ipſi ab iſtis patronis auelli iubentur.

Et hacteous quidem Conſtantius, neque enim vltra is, aſſurrexit aduerſus huiusmodi patronos, fiſci & Conuicanorum indemnitati cauere contentus. Ateoim inſecuti poſtea Principes vlterius cenſuram exeruere: tum in ipſos Suſceptos, tum & in Patronos, de quo ad *leges ſeqq.*

VALENTIS *conſtitutio aduerſus patrocinia agricolarum.*

II. (a) Imppp. Valentinianus, VALENS & Gratianus AAA. ad Auxonium PF. P. (b)

ABSTINEANT patrociniis (c) Agricolæ, ſubiugandi ſupplicio (d), ſi talia ſibimet adiumenta commentis audacibus conquiſierint. Hii vero qui propria patrocinia largiuntur, per ſingulos fundos, quotiens reperti fuerint, viginti & quinque auri libras dare debeant: Et non quantum Patroni ſuſcipere conſuerant, ſed dimidium eius fiſcus adſumat. Dat. prid. Id. Nouembr. Marcianop. Valentiniano & Valente III. (e) AA. Coss.

NOTAE.

(a) Abeſt & hæc *lex* a *Cod. Iuſt.* GOTHOFR.

(b) *Auxonius* PP. Orientis ſub Valente: v. *Proſopogr.* ID.

(c) Quærendis, ſubeundis ſcil. ID.

(d) *Supplicio*, id eſt ſupplicio capitali. ID.

(e) Malim reponere *II.* & ſic *hanc l.* referre ad A. D. 368. duplici ratione: I. Quia iam menſe Nouembri *Valentiniano & Valente III. COSS.* A. 370. Modeſtus Auxonio in Præfectura ſucceſſerat, vt docet *lex 6. ſupr. de tironib.* & *lex 19. infr. de Epiſcop.* II. Deinde quia Valens A. D. 370. Hierapoli, non Marcianopoli, verſatus eſt, vt eius anni *leges* aliquot oſtendunt, præter Zoſimum; de quo vid. *Conſularia Theodoſ.* Marcianopoli vero A. D. 368. vt docet expreſſe *lex 2. ſupr. de fide & iure haſtæ: l. 2. ſup. de milit. veſte: l. 4. ſup. de murilegulis.* ID.

COMMENTARIVS.

VALENS Imp. hac conſtitutione in Agricolarum patrocinia grauiſſimam cenſuram & triplicem quidem exerit, audacia iam increſcente. Nempe ſupplicium, ſeu capitalem pœnam minatur ipſimet agricolæ ſuſcepto, qui ad alterius patrocinium confugerit: Patrono vero ſeu ſuſceptori multam XXV. auri librarum, per ſingulos fundos in patrocinium ſuum ſuſceptos; Tandem & dimidiam fun-

fundi partem ſuſcepti confiſcari iubet; *& non quantum*, inquit, *Patroni ſuſcipere conſuerant, ſed dimidium eius fiſcus adſumat.* Quibus verbis indicat illud ipſum Valens Imp. quod Saluianus iis verbis, quæ ad *legem 1.* protulimus: vbi inter cætera, ad locum, *Omnes enim hi qui defendi videntur, defenſoribus ſuis* OMNEM FERE *ſubſtantiam ſuam priusquam defendantur, addicunt.* Scilicet & id quoque Valens *hac l.* indicat, ſuſceptos, integros fundos ſuos Patronis addixiſſe, cuius dimidia iam pro pœna ipſe contentus ſit: videatur & Leonis *lex 1. Cod. Iuſt. eod. tit.*

Et hæc quidem ita Valens aduerſus Agricolarum ſeu Colonorum fraudes & patrocinia: qui idem alias Colonorum & Ruſticorum vtilitatibus perſpicue conſuluit, vt ipſemet profitetur *l. 11. ſup. de iure fiſci:* quod etiam oſtendit eiusdem *lex 1. ſupr. de equorum conlat.* quæ *leges* datæ ſunt A. D. 367. Teſtatur idem & duobus locis Themiſtius, *orat. 10. ad* ipſum Valentem, quam habuit A. D. 369. *p. 224. & 243. edit. Petav. 1613. in 8.* Sed & *lex 3 Cod. Iuſt. de defenſoribus ciuitatum.* Memorat & Libanius oratione peculiari aduerſus hæc patrocinia vicorum, περὶ τῶν προστασιῶν, *Legem* Imperatoris aduerſus ea: quæ forte hæc ipſa *lex* Valentis videri poſſit: quando duo potiſſimum de eo Imperatore prædicat. Primo, præcipuam ei ſubditorum curam fuiſſe, eorumque commodis gauiſum, noluiſſeque quenquam ab vllo iniuria affici. Secundo ait, ab hoc Imp. Tyrannidem extinctam & Scythicam flammam ſopitam. Atquin hæc conueniunt Valenti Imp. Valens enim prouinciarum æquiſſimus tutor fuit, quarum ſingulas vt propriam domum cuſtodiuit immones, vt ſcribit Am. Marcellinus *lib. 31. cap. 14.* Fidemque huic rei faciunt tres illæ quas modo dixi Valentis *leges*, puta *lex 11. ſupr. de iure fiſci: l. 1. ſupr. de Equor. conlat. lex 3. Cod. Iuſt. de defenſor. ciuit.* & Themiſtius *locis* modo *indicatis.* Rurſum Valens hic eſt, qui Procopii Tyrannidem extinxit An. D. 366. item, qui Scythicum ſeu Gothicum bellum triennale, pace cum Athanarico facta confecit A. D. 369. quo quidem anno is ſexennium iam imperabat. Et tamen nonnulla ſunt apud Libanium imo illa ipſa quæ modo diximus, quæ Theodoſio M. non minus conueniant: quale illud quod & ipſe r. 172
Scythicum bellum confecit, Gruthungis victis A. D. 386. & Maximum Tyrannum deuicit. De quo ad eam orationem iam diximus: & *repetita Editione* paulo prolixius.

Illud adhuc *hac leg.* notandum, tacite Agricolas ad alia adiumenta συνθήκας, ἐπικουρίας, προσθήκης, quam potentiorum patrocinia remitti: *ſi* TALIA inquit, *ſibi* ADIVMENTA (patrocinii videl.) *commentis audacibus conquiſierint.* Ergo alia adiumenta ſibi conquirere his licitum. Quæ & ipſa Libanius *ea oratione*, ruſticanis indicat & enumerat.

ARCADII *prima conſtitutio aduerſus patrocinia Vicorum per Ægyptum.*

III. (a) Impp. ARCADIVS & Honorius AA. Heracliano (b) Com. Ægypti (c).

QVICVNQVE ex Officio Tuo (d), vel ex quocumque hominum Ordine, vicos in ſuum detecti fuerint patrocinium ſuſcepiſſe, conſtitutas † luent pœnas: Poſſeſſores autem competenter coherciti etiam inuiti ſtatutis Imperialibus obedire, & muneribus publicis ſatisfacere, cogantur. Quoscunque autem Vicos aut defenſionis potentia, aut multitudine ſua fretos, publicis muneribus conſtiterit obuiari (e), vltioni, quam ratio ipſa dictabit, conueniet ſubiugari. Dat. prid. Kalend. Octob. Olybrio & Probino Coss. [395.]

NOTAE.

(a) Abeſt & hæc *lex* a *Cod. Iuſt.* GOTHOFR.

(b) *Heraclianus* Comes Ægypti ſub Arcadio: de quo dixi plene in *Proſopogr.* ex Syneſii *epiſtolis.* ID.

(c) De *Comite Ægypti*, v. *Notitiam Imperii fol. 86.* & *Noſtram* ex *hoc Cod.* ID.

(d) *Officium* ſeu officiales Comitis Ægypti obſerua: v. *Notitiam.* ID.

† Antea, & in his a Valente: *l. 2. ſupr.* ID.

(e) *yy. Obuiare.* ID.

COMMENTARIVS.

ARCADII Imp. tres ordine conſtitutiones ſequuntur, aduerſus patrocinia vicorum & vicanorum: quibus veteres partim pœnas in eos ſancitas repetitum it: partim vero exaſperat; Vbi quatuor ſingularia occurrunt. Primo notandum hanc *legem* eſſe de patrociniis *Vici alicuius integri:* Nempe, non ſingulos tantum exiguorum vicorum poſſeſſores potentiores nonnulli in patrocinium ſuum ad munera publica euitanda ſuſcipiebant; verum etiam vicos maiores, integros. Quod præter *hanc l.* docet egregie Libanius peculiari *Oratione* aduerſus hæc vicorum patrocinia, περὶ τῶν προστασιῶν, quam nos edidimus, & quidem *num. 2. initio pag. 5.* ſiu. *363. Edit. Trotz. Oper. minor. Gothofr.* εἰσί, inquit, κῶμαι μεγάλαι, πολλῶν ἑκάστη δεσποτῶν, αὗται καταφεύγουσιν ἐπὶ τοὺς ἱδρυμένους στρατιώτας, id eſt, *Sunt magni vici, ſinguli multorum dominorum, hi confugiunt ad milites ibi conſtitutos.* Poſtea *num. 4. ab*

ini-

ènitio, ſiu. *pag. 365. 366. Edit. Trotz.* τὸ δὲ ζητεῖν προςάτην, ὐ μόνον ἐκείνων ἐςὶ τῶν ἀγρῶν, οἱ πολλῶν εἰσι τῶν ἐχόντων ἕκαςυ μέρυς τῦ πολὺ κεκτημένυ, ἀλλὰ καὶ οἷς εἷς ὁ δεσπότης, καὶ ὗτοι τυτὸν μισθωτὸν προςίθενται, τῇ τῦ δεσπότυ ζημίᾳ τὸν μισθὸν πορίζοντες καὶ διδόντες, ἐξ ὧν ἀποςερῦσι καίτοι καὶ τῶν ἐπιφανῶν εἰσιν αἱ κῶμαι, καὶ τῶν οἴωντε ὄντων χεῖρα ὀρέξαι λυπυμένυς. Id eſt: *Patronum porro quærere, non eorum tantum agrorum eſt, qui multorum dominorum ſunt, ſuas ſingulis partes in communiter poſſeſſo habentibus, ſed & eorum quibus vnus eſt dominus, hique Colonos habentes: qui in necem Domini mercedem ſuppeditant, dantque ex iis quibus eos priuant: nam & illuſtrium Virorum ſunt vici quidam, eorumque qui ipſi manum afflictis porrigere poſſent:* &c. Secundo notandum *hac l.* nominatim perſtringi *Officialium* Comitis Ægypti patrocinia. Nempe vt cæteroquin potentiorum hæc patrocinia erant, eorum videl. qui honoribus vel officiis fulciebantur: de quo *l. 1.* & 4. ita & militares magiſtratus, eorumque Officiales: quod expreſſe quoque Libanius teſtatur paſſim in ea *Oratione* περὶ τῶν προςασιῶν; *p. 8. 12. 14. 15. 16. 17. 18. 19. 20. 21.* &c. ſiu. *pag. 365. 366. ſeqq. Edit. Trotz.* (ita quidem vt ciuilium partium viri & inermes hac parte iam contemnentur *num. 7. p. 17.* ſiu. *p. 371. 372. edit. Troz.*) Id vero ipſum quoque teſtatur eiusdem Arcadii *lex 4. prox.* Certe & alias obſeruare licet, ſub Arcadio, militares Viros officiaque eorum militari potentia fretos complurima ſibi, & quidem per eandem Ægyptum vindicaſſe: veluti cauſarum ciuilium cognitionem, vt docet *lex 9. ſupr. de Iurisdictione.* Inde igitur etiam hæc *lex* data ad Comitem Ægypti Heraclianum, de quo *in Proſopogr.* & in *Notitia*, quique mihi idem videtur cum Herculiano, ad quem extant decem Syneſii *epiſtolæ*, ex quibus *144 Subadiuuas*, δορυφόρυς eius memorat, & *ep. 143.* ἀπὸ διαγγμάτων, *ab actis.*

Tertio notandum *hanc l.* pertinere ad *Ægyptum:* nempe patrocinia hæc in Ægypto frequentia fuere: quo pertinent *tres* præterea *huius tituli leges:* puta *lex 1. ſupr.* & *lex 4. 6. infr.* Ibi ſcil. contumaces ſeſe Vici, Vicani, Coloni, Ruſtici, præbuiſſe maxime, atque ad patrocinia confugiſſe videntur, canonis frumentarii occaſione.

Poſtremo notandum ex *hac l.* quousque hæc patrocinia iam procederent hoc æuo, & qua, quamque enixa ratione ea compeſcere ſtuduerit Arcadius: Nempe ad tumultum ferme hanc rem proceſſiſſe ex vltimis *huius leg.* verbis colligimus, vicanis *defenſionis potentia & multitudine ſua fretis.*

Cohibendis igitur his vicorum patrociniis hæc ſtatuit Arcadius. Primo officia Comitis, aliosque quolibet ordine, Vicos & Vicanos in patrocinium ſuum ſuſcipientes, iubet conſtitutas pœnas luere. Quod de 25. libris auri, ſtatutis *l. 2. ſupr. prox.* commode accipi poſſe videtur: neque enim *ſup-* p. 176.
plicium aliquod impoſitum putem (quomodo certe ipſis agricolis imponitur, *d. l. 2.*) Certe & *leg. 4. proxim.* quæ eiusdem Arcadii eſt, quadraginta librarum auri multa imponitur: tandem & tertia eiusdem Arcadii *l. 5. infr.* bonorum proſcriptionis. Et hæc de ſuſceptoribus ſeu patronis. Secundo Arcadius *hac leg.* ipſos *poſſeſſores* ſuſceptos publica tributa inferre cogi iubet, competenter ad id coërcitos: nempe, Comitis ipſius Ægypti vigore: nam & hæc *lex* ad Ægyptum vt dixi pertinet. Tandem, ſi vici tributa inferre nolint, partim defenſionis potentia freti, vel etiam multitudine ſua nixi, ſic vt tumultui iam propius res accedat, vltioni ſeu ſupplicio ſubiugari Vicanos a Comite, prout ratio diſtrahit, iubet.

ARCADII *ſecunda conſtitutio aduerſus patrocinia Ruſticorum, per Ægyptum quoque.*

IV. (a) Idem AA. Eutychiano PF. P. (b)

CENSEMVS (c), vt qui Ruſtieis patrocinia præbere temptauerit cuiuslibet ille fuerit dignitatis, ſiue Magiſtri (d) vtriusque militiæ, ſiue Comitis (e), ſiue ex Proconſulibus (f), vel Vicariis (g), vel Auguſtalibus (h), vel Tribunis (i), ſiue ex ordine Curiali, vel cuiuslibet alterius dignitatis, quadraginta librarum auri ſe ſciat diſpendium, pro ſingulorum fundorum præbito patroeinio, ſubiturum, niſi ab hac poſtea temeritate diſceſſerit. Omnes ergo ſciant, non modo eos memorata multa feriendos, qui clientelam ſuſeeperint Ruſticorum, ſed eos quoque qui fraudandorum tributorum cauſa ad patrocinia ſolita fraude confugerint, duplum definitæ multæ diſpendium ſubituros. Dat. VI. (k) Id. Mart. Conſtantinop. Theodoro v.c. Coss. [399.]

NOTAE.

(a) Iungenda *huic l.* eſt *lex 1. infr. de nauib. non excuſ.* emendata in alterutra, diei ſubſcriptione. *GOTHOFR.*

(b) *Eutychianus* ſub Arcadio PP. Orientis ſcil. vt vel ex Auguſtalium mentione liquet *h. l.* & Ægypti *d. l. 1.* Eidem inſcribitur de eadem re hoc ipſo anno *lex 5. prox.* De eo plura in *Proſopogr. ID.*

(c) *Cenſemus*, id eſt, iubemus. *ID.*

(d) Veluti Magiſtri militum Præſentalis, & Magiſtri militum per Orientem: de quibus vide *Notitiam Imperii, fol. 29.* & *32. ID.*

(e) Veluti Comitis Ægypti (cui inſcribebatur *lex prox. ſupr.*) Comitis Iſauriæ. *ID.*

(f) *Proconſules* intelligit Aſiæ: nam Achaia ad PP. Illyrici pertinebat. *ID.*

(g) *Vicarios* intelligit diœceſeos Aſianæ, Ponticæ, Thraciarum. *ID.*

(h) Præfectos Ægypti intelligit: v. *Notitiam Imperii fol.* 75. *ID.*
(i) *Tribunos* rei militaris intelligit. *ID.*
(k) *Prid. Id. Mart. d. l.* 1. *de nauib. non excuſ.* quæ *huic* coniungenda eſt. *ID.*

COMMENTARIVS.

ARCADII aduerſus patrocinia ruſticorum ſecunda hæc *hoc titulo lex* eſt, data An. D. 399. Quæ quidem pars eſt prolixioris conſtitutionis, de Patrociniis quibuscunque prohibendis in fraudem tributariæ illationis: non modo vicanorum ſeu ruſticanorum, ſed etiam aliorum ad euitandas publicas neceſſitates, & functiones, puta in fraudem transuectionis ſeu nauiculariæ functionis, vt docet *lex* 1. *infr. de nauibus non excuſ.* quæ ex eadem conſtitutione deſumta *huic legi* coaſſanda venit. Ea ſcil. *lege* alterum patrocinii genus inhibetur, & quidem per eandem Ægyptum in fraudem transuectionis, ſeu ſtoli annonæ Alexandrinæ Conſtantinopolim faciendæ: vbi ea ſcilicet annona transuehenda erat, priuatorum naues eam in rem extra ordinem operam præſtare oportebat: Verum cum Potiores ſeu Potentiores ſubinde patrocinia ſua nonnullis præberent, vt ita a transuectionis onere excuſarentur; & hæc quoque nauium iſtarum patrocinia ab Arcadio ea conſtitutionis parte prohibita, in gratiam canonis ſeu annonæ Conſtantinopolitanæ, pariter vt ab Honorio *leg.* 2. *eodem titulo de nauibus non excuſ.* in gratiam canonis Africani ſeu annonæ Vrbis Romæ. Nos de *hac leg. noſtra* videamus, aduerſus ruſticorum patrocinia. Igitur Arcadius ea grauiorem iam pœnam imponit huiusmodi patrociniis: Præbenti ſcilicet patrocinium 40. librarum auri multam per ſingulos fundos imponit: cum antea 25 librarum auri multa conſtituta eſſet: *leg.* 2. *ſupr.* de qua etiam idem Arcadius ſenſiſſe videtur *l.* 3. *ſupr.* Ipſis vero ſuſceptis, qui patrocinium ſibi quæſiuerunt, duplam multam imponit, 80. videlicet librarum auri. Quæ ſane multa cum exiguorum fundorum æſtimationem excedat, qui pro parte ante confiſcabantur, exinde quoque colligi poſſe videtur, de ampliſſimarum poſſeſſionum patrociniis ferme hic agi. Non tantam vero pœnam nauium patrociniis imponit Arcadius, *dict. l.* 1. *de nauibus non excuſandis.* Grauius ſcilicet eſt, tributorum illationem fruſtrari, quam translationem morari, de quo *ad eam leg.*

Eo interim notabilis eſt hæc *lex*, quod Dignitatum notitiam continet per præfecturam Prætorianam Orientis, de qua in *Notitia dignitatum:* ad quarum patrocinia ruſtici fraudandorum tributorum gratia confugiebant; puta Primo, Magiſtri militum ſiue Equitum ſiue peditum: Secundo, Comites, cuiusmodi erant ibi tres, Comes Orientis, Comes Ægypti (de quo *leg.* 3. *ſupr.*) Comes Iſauriæ, de quibus Notitia Imperii: Tertio, Proconſules (Aſiæ ſcil.) Quarto, Vicarios (Aſiæ ſcil Ponticæ, Thraciarum.) p. 177.
Quinto, Auguſtalis, ſeu Præfectus Ægypti. Quibus omnibus adduntur & Sexto Tribuni, militares ſcilicet. Septimo tandem & Curiales: Illi ſcilicet ipſo armorum vſu terribiles: hi vero, velut præcipui per Vrbes: de quibus *ſuo titulo.*

ARCADII *tertia conſtitutio aduerſus patrocinia Agricolarum ſeu vicanorum.*

V. (a) Idem AA. Eutychiano PF. P. (b)

EXCELLENTIA Tua his legibus, quæ *De prohibendis patrociniis* aliorum Principum † nomine promulgatæ ſunt, ſeueriorem pœnam nos addidiſſe cognoſcat: ſcilicet, vt ſi quis Agricolis vel (c) Vicanis propria poſſidentibus patrocinium reppertus fuerit miniſtrare, propriis facultatibus exuatur. His quoque Agricolis terrarum ſuarum diſpendio feriendis, qui ad patrocinia quæſiti (d) confugerint. Dat. VIII. Kal. Iun. Conſtantinop. Theodoro v. c. Coss. [399.]

NOTAE.

(a) Abeſt & hæc *lex* a *Cod. Inſt.* vt cæteræ *huius tituli.* GOTHOFREDVS.
(b) *Eutychiano* huic ipſi PP. ante trimeſtre ferme inſcripta eodem fine *lex* 4. *prox. ſupr.* de eo v. *Proſopogr.* ID.
† Veluti Conſtantii *l.* . *ſupr.* Valentis, *l.* 2. *eod.* ID.
(c) *Agricolæ* & *Vicani* iidem. ID.
(d) *rg. Quæſitu: Quæſita* patrocinia, id eſt, conquiſita: quærere eſt ſibi conquirere, *ἑαυτῷ πορίζειν, ὠνεῖσθαι,* vt Libanius in hac re, Orat *περὶ τῶν προστασιῶν, num.* 4. *&* 6 *ab init.* ID.

COMMENTARIVS.

ARCADII hæc e tribus poſtrema conſtitutio eſt, & quidem altera intra trimeſtre tempus ad eundem Eutychianum PP. emiſſa. Adeo ſcilicet malum iſtud percrebuerat; Quare & ſeueriores iam pœnas imponit, quam ſuperiorum Principum conſtitutionibus (imo & ſuis) poſitas. Nempe *hac leg.* Patronis omnium bonorum proſcriptionem minatur; & Agricolis ſolidam poſſeſſionum ſuarum proſcriptionem.

Porro non temere eſt, quod de Agricolis vel *Vicanis propria poſſidentibus*, qui & ipſi coloni dicuntur, *l.* 1. *hoc tit.* eorumque patrociniis, nominatim *hac leg.* agitur. Fuit enim & alterum patrocinii genus, colonorum videl. qui non propria poſſi-

debant, verum qui priuatorum dominorum erant, vt docet quoque exerte Libanius *Orat. de patrociniis, p. 10. 11. 12. 13. 15 16 17.* ſiu. *num. 2. 3. 4. p 364. 365. ſeqq. Edit. Trotz.* In quos non tam ſeuera pœna conſtituta: v. *ſupr tit. de fugitiuis colonis: l. vn. de inquil. & colonis: l. 2. de his qui cond propr. Nou. Valent. 9. leg. vn. Cod. Iuſt. de col. Thrac. l. vn. Cod. eod. de col. Illyr.*

FVNCTIONIBVS *Vicanis, octo modis debilitatis, hac conſtitutione conſulit Theodoſius Iun. idque per Ægyptum.*

VI. (a) Impp. Honor. & THEOD. AA. Aureliano PF. P. (b)

VALERII, Theodori, & Tharſacii (c) examinatio (d) conticeſcat. Illis (e) duntaxat ſub Auguſtaliano (f) iudicio pulſandis (g), qui ex Cæſarii & Attici Conſulatu (h) poſſeſſiones ſub patrocinio poſſidere cœperunt: Quos tamen omnes functionibus (i) publicis obſecundare cenſemus, vt *Patronorum* nomen extinctum penitus iudicetur. Poſſeſſiones autem athuc in ſuo ſtatu conſtitutæ, penes priores poſſeſſores reſidebunt, ſi pro antiquitate cenſus functiones publicas, & *Liturgos* (k), quos *homologi* (l) *coloni* præſtare noſcuntur, pro rata ſunt absque dubio cognituri (m). *Metrocomiæ* (n) vero in publico iure & integro perdurabunt, ne (o) quisquam (p) eas, vel aliquid in his poſſidere temptauerit, niſi qui ante Conſulatum præfinitum cœperit proculdubio poſſidere: Exceptis conuicanis, a quibus penſitanda pro fortunæ condicione negare (q) non poſſunt. Et quicumque in ipſis Vicis terrulas (r) contra morem (s) fertiles (t) poſſederunt, pro rata poſſeſſionis ſuæ glebam inutilem & conlationem eius & munera recuſent (v). Hii ſane, qui, Vicis quibus adſcripti ſunt derelictis, & qui *homologi* more Gentilitio (x) nuncupantur, ad alios ſeu Vicos, ſeu dominos tranſierunt, ad ſedem deſolati (y) ruris conſtrictis detentatoribus redire cogantur: Qui ſi exſequenda protraxerint, ad functiones eorum teneantur obnoxii, & dominis reſtituant, quæ pro his exſoluta conſtiterit. Et in earum *Metrocomiarum*
P. 171. locum, quas temporis labſus, vel deſtituit (z), vel viribus vacuauit, ex florentibus (aa), aliæ ſubrogentur, a rure * quoque & poſſeſſiones, quas Curiales (bb) quolibet pacto, publicatis apud acta prouincialia deſideriis ſuis, vel reliquerunt, vel poſſidere alios permiſerunt, penes eos, qui eas excoluerunt, & functiones publicas recognoſcunt, firmiter perdurabunt, nullam habentibus Curialibus copiam repetendi. Quidquid autem in tempus vsque diſpoſitionis habitæ auro (cc) Inluſtri deceſſore (dd) Sublimitatis Tuæ *Eccleſiæ venerabiles*, (id eſt, Conſtantinopolitana atque Alexandrina) poſſediſſe deteguntur, id, pro intuitu Religionis, ab his præcipimus firmiter retineri: ſub ea videlicet ſorte, vt in futurum functiones omnes, quas *Metrocomiæ* debent, & publici (ee) vici pro antiquæ capitationis profeſſione debent, ſciant proculdubio ſubeundas. Nequaquam Cephalæotis (ff), Hirenarchis, Logographis Chomatum, & ceteris *Liturgis*, ſub quolibet patrocinii nomine, publicis functionibus denegatis: niſi (gg) quid ex his quæ exigenda ſunt, vel neglegentia, vel contemptus (hh) diſtulerit. *Metrocomias* (ii) poſſidere noſtro beneficio meruerunt, & publicos vicos committere (kk) compellantur. Dat. III. Non. Decembr. Honor. X. & Theod. VI. AA. Coss. [415.]

NOTAE.

(a) Abeſt & hæc *lex* ferme integra a *Cod. Iuſt.* vna cum ceteris *huius tituli* velut temporaria. Omiſit quoque eam Baronius: cuius pars tamen ad *Hiſtoriam Eccleſiaſticam* liquido pertinet. *GOTHOFR.*

(b) *Aurelianus* PP. ſub Theodoſio Iun. Orientis, & quidem II. v. *Notitiam noſtram* & *Indicem Perſonarum*, ſucceſſor in Anthemii in Præfectura Prætoriana, qui etiam *hac l. verſ. quicquid* indicatur. *ID.*

(c) An potius & *Arſacii.* Ceterum pars Prima *huius legis* hæc eſt *huic tit.* peculiaris, cum ceteræ ſint ab *hoc tit.* fugitiuæ, quæ tamen ipſa in quatuor ſententias diuiditur. Procul dubio Inſpectores hi fuerunt, de quibus vid. *infr. titulum* peculiarem *lib.* 13. *tit.* 11. *ID.*

(d) *Examinationis* vox hac in re propria: vt & *tractandi: l. 1. ſupr. ſine cenſu. ID.*

(e) Patronis videl. *ID.*

(f) Id eſt, Præfecti Auguſtalis; vide & *l. 4. ſupr.* & *l. 3. ſupr. de indiction. ID.*

(g) *Pulſandis,* id eſt, conueniendis, reliquorum nomine. *ID.*

(h) Id eſt, ab A. D. 397. & ſic a XIX. annis. *ID.*

(i) Alienis vicanorum. *ID.*

(k) *Liturgos, ita fine legis* rurſum, ceteris *liturgis:* de quo mox. *ID.*

(l) *Homologi* coloni ita rurſum vocantur *verſ. Hii ſane. ID.*

(m) *Cognituri,* id eſt, agnituri, ſoluturi. *ID.*

(n) *Me-*

(n) *Metrocomiæ* quater *hac l.* memorantur: de quibus mox. *ID.*

(o) *γϱ. Nec. ID.*

(p) Extraneus ſcil. *ID.*

(q) *γϱ. Negari. ID.*

(r) *Terrulæ* quoque ita vocantur, *l.* 51. *infr. de operibus publicis. ID.*

(s) Quia ſcil. olim fertiles inutilibus commiſſi & commixti erant. *ID.*

(t) Fertiles tantum ſcil. *ID.*

(v) Negatiua hic excidit: Quare reponendum, *ne recuſent. ID.*

(x) Mox id explicabo. *ID.*

(y) Vid. *Gloſſarium Theodoſ.* de hac voce: v. interim *l.* 10. *ſupr. de indulgent. crim. ID.*

(z) De hac *deſtituendi* voce vid. *Gloſſarium Theodoſ.* vid. interim, *l.* 31. *ſupr. de annona,* & *legem* 14. *infr. de Cenſitorib. ID.*

(aa) Vid. *l.* 33. *infr. de Epiſcopis Eccleſ. & Cler. ID.*

* Lex 14. *Cod. Iuſt. de omni agro deſerto* hinc deſumpta eſt. Cæterum hic *γϱ. Arura;* quam vocem in *rura* mutauit Tribonianus in *d. l.* 14. de quo mox. *ID.*

(bb) Vicorum: de quibus mox. *ID.*

(cc) *γϱ. A Viro,* vt recte Cuiacius vel Pithœus reſtituerunt. *ID.*

(dd) *Anthemium* intelligit, vt iam dixi. *ID.*

(ee) Ita quoque rurſum vocantur *fine legis. ID.*

(ff) De his *Cephalaotis* & ſequentibus omnibus mox dicam. *ID.*

(gg) *γϱ. Nec ſi. ID.*

(hh) Legum. *ID.*

(ii) *γϱ. Qui Metrocomias. ID.*

(kk) *Committendi* vox hac in re propria, de *ἐκβολῇ*. *ID.*

COMMENTARIVS.

THEODOSII Ion. hæc conſtitutio eſt, data A.D. 415. non modn aduerſus *Patrocinia vicorum,* quod alioquin *huius tituli* Rubrica pollicetur, quo reuera pertinet initium *huius leg.* verum generalior molto. Ea quippe Imperator, *Vicanis* in vniuerſum *functionibus* proſpicit non tantum per patrocinia debilitatis, verum multiplici præterea ratione attritis. Quæ quidem conſtitutio, proprie ad *Ægyptum* pertinet; pariter vt *lex* 1. 3. 4. *ſupr.* vt liquido apparet ex tribus: puta ex mentione iudicii *Auguſtaliani* (id eſt, Præfecti Auguſtalis ſeu Ægypti) *Alexandrinæ Eccleſiæ*, & *Chomatum* (Nili ſcil.) Quin & in eo ſingularis eſt admodum, quod multa continet de *Vicorum* per Ægyptum ratione, multa *de publicarum functionum,* & munerum generibus, nominibusque quæ Græcis appellatiooibus (vt cæteroquin per Ægyptum, & Alexandriam) omnia deſignantur. De quibus ideo ſigillatim ante omnia videndum eſt.

Et initio quidem de VICIS & VICANIS ipſis: vbi *primo* obſeruandum, Inter vicos fuiſſe alios florentiores *verſ. Et in earum;* quod oſtendit etiam *l.* 33. *in fin. de Epiſcopis Eccl. & Cler.* Quod etiam diſerte teſtatur Libanius in hoc eodem argumento, *orat. de patrociniis, num.* 2. *initio, pag.* 4. fin. *p.* 363 *Edit. Trotz.* vbi alioqnin iam dixi: *εἰσὶ κῶμαι μεγάλαι, πολλῶν ἑκάστη δεσποτῶν, ſunt magni vici, ſinguli multorum dominorum:* videndus idem, *Orat. κατὰ τῶν εἰσιόντων num.* 6. *in fin. pag.* 85. ſiu. *pag.* 423. 425. *Edit. Trotz.* Principe vero loco fuerunt *Metrocomiæ*, quarum quater *hac leg.* mentio fit: & *l.* 8. *C. Iuſt. de exactor. trib leg. vnic. C. eod. non licere habitatoribus:* quæ duæ *leges*, velut vnius
P. 179. conſtitutionis partes, inter ſe iungendæ ſunt. *Metrocomia* ſcilicet erat *mater pagorum*, ſeu caput inter omnes vicos, qui vni ciuitati ſubiecti erant: haud aliter quam Metropolis, mater ciuitatum eiusdem Prouinciæ.

Secundo obſeruandum ex *verſ. Arura*, Vicis quoque aut ſaltem Metrocomiis ſuam fuiſſe *Curiam*, ſuos *Curiales;* quod etiam oſtendit diſerte Saluianus *libr.* 5. *de gubernat.* DEI *cap.* 4. *Quæ enim ſunt,* inquit, *non modo vrbes, ſed etiam municipia atque vici, vbi non quot Curiales fuerint, tot Tyranni ſint?* Neque abſorde cenſet Berterius *Pithan. diatrib.* 1. *cap.* 10. *in fin. pag.* 854. *Tom. IV. Theſaur. Iur. Primates vicorum*, quorum fit mentio *l.* 13. *ſupr. de deſertoribus*, eosdem cum his Curialibus videri; Neque etiam abludunt *Præpoſiti pagorum;* iidem enim ferme Pagi cum Vicis, vt recte idem cenſet. Sane & Paulus *lib. IV. Sent. titul.* 6. §. 2. Vicos priuatum forum habuiſſe docet. In his certe Magiſtri quoque literarum fuere *l.* 2. §. 8. *D. de vacatione muner.* In his Eccleſiæ & Clerici, *l.* 16 & 33. *infr. de Epiſcopis, Eccleſ.* Quare & in his *Chorepiſcopi*, de quibus dicendi locus alius (*a*). Igitur lapſus eſt Interpretum, qui de Curialibus *Ciuitatum* hanc *leg.* accipiunt.

Tertio obſeruandum, *Publicos vicos* bis *hac l.* vocari; eos ſcil. qui publicas functiones præſtabant, & vt tertio loco dicitur *verſ. Metrocomia*, in publico iure erant, ad diſcrimen videl. vicorum ad priuatos pertinentium, qui vnum dominum agnoſcebant. De quibus etiam Libanius diſerte *Orat. περὶ τῶν προστασιῶν num.* 4. *init. pag.* 10. fin. *pag.* 365. 366. *Edit. Trotz.* quos ita deſcribit, *εἷς ἐστὶ ὁ δεσπότης, quibus vnus eſt dominus.*

Quarto notandum, Metrocomias non minus quam alios vicos in publico iure fuiſſe, id eſt, publicas functiones præſtitiſſe.

Quinto animaduertendum, *Homologos* quosdam colonos fuiſſe in vicis, quorum *hac leg.* duobus locis

(*a*) Vid. laudatum BERTERIVM *Pithan. Diatrib.* I. *cap.* 6. *pag.* 818. *Tom. IV. Theſ. Iur.*

ſit mentio. Quinam vero bi fuerint, diſpiciendum eſt. De his tria *hac l.* indicantur: Primo, fuiſſe eos *Colonorum* genus: Secundo, ita uuncupatos, *more Gentilitio:* Tertio, fuiſſe *adſcriptos* Vicis ſeu dominis. Ex quibus omnibus patet, fuiſſe Colonos adſcriptitios vicis & ſundis adſtrictos: Denique Colonos conditionales de qnibus ago prolixe ad *leg. 2 infr. de cenſu:* & paratitlo *de fugitiuis colonis:* ὁμολογία ſcil. Græcis eſt quoque *Conditio*, *Pactio*, *ὁμολογοὶ Conditionales dedititii*, qui videl. ſeſe dedentes ex pactione quadam, hanc in cooditionem venerant & recepti fuerant. Nam & ὁμολογεῖν & ὁμολογία, vel Thucydide teſte, pro ξυμβαίνειν & ξυμβάσεις ſeu pro deditione certis conditiooibus & pactionibus, ſeſeque dedere, inque fidem dare: Et quidem *Gentilitio*, vt *hac leg.* dicitur, *more:* vbi Morem Gentilitium vocat *lex*, quo Gentilibus (de quibus pleniſſime dictum ad *leg. vn. ſupr. de nupt. Gentil.*) Barbaris in Romanum ſolum tranſlatis & deditis vel publice terræ excolendæ dabantur, poſſeſſionique adeo viroque certo adſcribebantur, vel priuatorum poſſeſſorum iidem coloni fiebant. Quare Homologi Coloni io Ægypto publice vicis adſcripti dicebantur, qui alibi *Gentiles*, imo & in Gallia nominatim *Læti*, quorum mentio fit *l. 10. & 12. ſupr. de veteranis: l. 9. infr. de Cenſitorib.* vnde & *terra Lætica* dictæ; de qnibus omnibos agit *Caput vltimum de Lætis, lib. 3. Francic. Orig.* Quare inanis eſt doctiſſimi Viri Cuiacii coniectura 4. *Feudor. 93.* imo iocularis eius lapſus, cum tentabat, *hominum Ligiorum* nomen ex hac *homologorum* appellatione ab Imperitis fabrefactum videri. Cæterum de his & illud obſeruandum, eos varias functiones publicas, & *liturgos*, de qoibus mox, præſtare oportuiſſe. Neqoe inanis erit hic obſeruatio ex *Notitia Imperii* ſub Comite limitis Ægyptiaci *fol. 86.* ſub Duce Thebaidos *fol. 90.* vbi videre eſt variorum Gentilium per Ægyptum nomina, veluti *Vandalorum, Sarmatarum, Iuthungorum, Germanorum*, FRANCORVM, *Chamauorum, Gentilium*, (vt in vetuſto Codice habetur,) *Alamannorum.* Et hæc de Vicis & Vicanis.

Secundo loco videndum eſt de LITVRGIS & eorum ſpeciebus, qui *hac leg.* deſignantur, quidnam, inquam, Liturgi ſint, quid Cephaleotæ Hirenarchæ, Logographi Chomatum. *Liturgi* igitur, quorum duobus locis *hac leg.* mentio fit, λειτουργοὶ, non ſunt actus ipſi publicarum functionum, vt cenſet Petitus in *leges Atticas pag. 171.* non functiones, quæ præſtabantur propter miniſtros publicos ſine apparitores cuſtodiæ Vrbium appoſitos, qui λειτουργοὶ Græcis dicebantur: vt idem *pag. 172.* verum perſonæ ipſæ munifices, id eſt, miniſterium aliquod publice præbentes, agentes (ſiue *Leiturgos* ſiue *Liturgos* dicas: Neque enim hanc litem nunc meam facio.) In hoc vero cenſu Liturgorum ſeu miniſteriorum publicorum per Ægyptum varii fuerunt, vt docent illa, & *cæteris Liturgis (b).*

In his Primo quidem *Cephalæotæ*, Κεφαλαιῶται: proculdubio capitationis, (cuius ſuperiore proxime linea mentio fit) exactores. Neque enim audiendus eſt Petitus inter alios, *in leg. Attic. dict. pag. 171.* qui per Cephalæotas *capitum*, quod in pabula iumentorum conferebatur, accipit: Eſt enim Cephalæotarum nomen λειτουργῶν ſeu munificum ipſorum, non rei ſeu muneris: neque κεφάλαιον vnquam capitum animalis ſignificauit; *capitum* enim καππιτὸν iſtud, non *a capite*, verum ἀπὸ τοῦ κάπτειν dictum: de quo ad *tit. de erog. mil. ann.*

Secundo *Irenarchæ* εἰρηνάρχαι, de qnibus eſt *titulus infra*, peculiaris *de Hirenarchis lib. 12.* erant pacis cuſtodes, cuiusmodi antea milites Irenarchæ erant: Atenim Theodoſius Iun. *huius leg.* auctor, Hirenarchis militibus abolitis, conſtitutione ad Anthemium PP. data, qui etiam *hac ipſa lege* indicatur, deceſſor Aureliani, cui *hæc lex* inſcribitur, locupletioribus prouincialibus pacis præſidium iſtud committi iuſſerat *l. vn. infr. dicto tit. de Hirenarchis:* Inde igitur Hirenarchias munus inter cætera miniſteria ſeu munia publica fuit. Neque enim hic rurſum audiendus eſt Petitus qui ab eodem erroris fonte per Irenarchas hic accipit *annonas*, quas Irenarchæ conſequebantur.

Poſtremum, *Logographi Chomatum*, λογογράφοι χωμάτων erant, qoi muniendæ Nili ripæ, aggeribusque eius tuendis præeraot, de quibus, plene egimus ad *leg. vnic. ſupra, de Nili aggeribus non rumpendis*, quæ eundem Theodoſium Iuniorem Imperatorem auctorem habet, eidemque Anthemio PP. inſcribitur. Sic quidem etiam, vt vtroſque & Irenarchas iſtos & Logographos Chomatum a Theodoſio Iuniore inſtitutos putem: vt ita ipſi prouinciales munus hoc, ſubmotis militibus obirent. Alioquio fuere alii Logographi (ſed non Chomatum) de quibus *ſuo titulo ſupra, ne conlatio per Logographos:* & altero *titulo de Tabulariis, Logographis & Cenſualibus.* Hinc interim apparet, quam ſuauis ſit eiusdem viri error, cum per Logographos Chomatum intellexit *annonas*, datas his, quorum cura erat referre diacopos ſeu fluenta, quæ in P. 180.
chomatis, id eſt, in aggeribus Nili eraot. Et hactenus qoidem de tribus functionum publicarum & *Liturgorum* ſpeciebus, & quidem per Ægyptum, quas priuati poſſeſſores obibant.

Tertium genus obſeruationum, aotequam ad *huius legis* ſententiam accedamus, eſt de variis Rationibus & modis, quibus *Vicani* ſeu poſſeſſores præſtationes ſeu functiones publicas, quæ ab his præſtandæ erant, debilitauerant: quæque etiam cauſa fuerat mittendorum *Inſpectorum* per Ægyptum; & *trium* quidem (ſolemni, vt cenſeo more) puta Valerii, Theodori, & Tharſacii, vel & *Arſacii:* cuiusmodi Inſpectores hoc fine ſæpe miſſi: de quibus *infra, libro 13. titulo de cenſitoribus:* Huiusmodi vero nouem rationes, ſeu modi *hac lege* memorantur.

Prima ratio fuit, per *Patrocinia*, poſſeſſionumque in Potentiores tranſlationes: quod proprium *huius tituli* argumentum eſt, & de quo eſt initium *huius leg.*

Secunda ratio. per *Emptiones extraneorum;* nempe quod extranei quidam vico non reſpondentes, poſſeſſiones vicaneas emerant: *verſ. Metrocomiæ 2.*

Ter-

(b) Confer. CL. DV FRESNE *in Gloſſar. Græc. voc. λειτουργεῖν.*

Tertia ratio, per *Fertilium* tantum agrorum tranſlationem & emptionem a Conuicanis factam, inutilibus, & fœneis penes antiquos poſſeſſores relictis: *verſ. & quicunque 3.* quæ ratio ἐπιβολῇ ſubinde locum fecit, de quo plene ad *titulum de annona & tributis*; & aliquid etiam ad *l. 1. ſupra, tit. prox. de protoſtaſia.*

Quarta ratio per *Fugam colonorum homologorum*, qui videlicet ad alios vicos ſeu dominos, deſolato ſeu relicto proprio rure vicoque tranſierant: *verſ. hi ſane 4.* De quo & Libanius *Oration.* περὶ τῶν προστασιῶν *pag. 14. ſin. pag. 367. 368. Edit. Trotz.* de quo plene *titulo de fugitiuis colonis.*

Quinta ratio, per ipſum *temporis lapſum* puta Metrocomiis lapſu temporis vel deſtitutis, vel viribus vacuatis, *verſ. & in earum 5.*

Sexta ratio per deſertionem Ararurum & poſſeſſionum (*par le desguerpiſſement*, vt recte hunc locum, verum ex *Cod.* tantum *Iuſtin.* ex *leg.* liquam *14. Cod. Iuſt. de omni agro deſerto*, eo retulit Loyſellus *du deſguerpiſſement, lib. 1. cap. 2. num. 11. & lib. 4. cap. 1. num. 5. 13.*) Nempe Vicani Curiales (nam & ſuos habuere vici Curiales; de quo ad *leg. 13. ſupr. de deſertoribus*,) ad euitandas functiones publicas apud acta quandoque prouincialia publicatis deſideriis ſuis teſtabantur, ſe de poſſeſſionibus ſuis vltro decedere, relinquere, vel etiam alios poſſidere permittebant, *verſ. Arura 6.* ita enim *ibi* legendum eſt *Arura*, loco *a rure*: quam vocem Tribonianus in *rura* poſtea mutatam minus recte voluit. *Arura* ſcilicet Græca voce ἄρουραι, per Ægyptum (quo hæc lex pertinet) ita dictæ. Herodotus, *in Euterpe ſeu libro 2. cap. 168 pag. 153. Edit. Iacob. Gronou.* ἄρουραι ἐξαίρετοι δυώδεκα ἑκάστῳ ἀτελέες: ἡ δὲ ἄρουρα ἑκατὸν πήχεων ἐστὶ Αἰγυπτίων πάντη: ὁ δὲ Αἰγύπτιος πῆχυς τυγχάνει ἴσος ἐὼν τῷ Σαμίῳ: *ſingulis ſunt duodecim aruræ exemptæ & immunes; eſt autem arura centum cubitorum Ægyptiorum quoquo verſus: Ægyptius vero cubitus Samio par eſt.* Strabo *libro 17.* de Ægypti diuiſione *pag 541. ſiu. p 1135. edit. Almeloneen.* ἡ δὲ χώρα τὴν μὲν πρώτην διαίρεσιν εἰς νομοὺς ἔσχε: *regio initio in præfecturas diuiſa fuit, quas nomos vocant &c.* & mox *pag. 1136. edit. cit.* πάλιν δ' οἱ νομοὶ τομὰς ἄλλας ἔσχον: εἰς γὰρ τοπαρχίας οἱ πλεῖστοι διῄρηντο, καὶ αὗται δ' εἰς ἄλλας τομάς· ἐλάχισται δ' αἱ ἄρουραι μερίδες: *rurſum hæ præfectura diuiſæ fuere: maiore enim e parte in toparchias diuiſa fuerunt, toparchia rurſum in portiones alias, quarum minima arua erant.* Vbi minus recte vertit Interpres *arua*. Ioſephus *libro 1. contra Apionem. pag 1040. Edit. Lipſ. Weidm.* κατακλεισθῆναι δὲ εἰς τόπον ἀρουρῶν, ἔχοντα μυρίων τὴν περίμετρον: *incluſos autem in locum habentem menſuram iugerum decem millium.* Paulo poſt apud eundem Hecatæus *pag. 1049. edit. citat.* τριακοσίας γὰρ μυριάδας ἀρουρῶν νέμονται: *decies enim trecenta millia iugera terrarum poſſident.* Horapollo, *libro 1. capite 5.* ἔτος τὸ ἐνιστάμενον γράφοντες, τέταρτον ἀρούρας γράφουσιν: ἔστι δὲ μέτρον γῆς ἡ ἄρουρα πηχῶν ἑκατόν, *ineuntem annum qui deſcribunt, quartam aruræ partem delineant: eſt vero arura modus agri centum cubitorum.* Suidas in στάδιον. τὸ μὲν πλέθρον πόδας ρ'. ἡ ἄρουρα πόδας ν'. *plethrum pedes centum: arura pedes quinquaginta.* Et in voce ἀρουραία μάντις. ὅτι ἡ ἄρουρα πόδας ἔχει ν'. *ἄρουρα eſt terra menſura pedes habens quinquaginta.* ita enim ibi reponendum, loco ἔχειν; quomodo etiam legerunt Budæus, Georgius Agricola, & Leopardus, & ita habet quoque, vt audio, MS. Antuerpienſis Ieſuitarum. Eodem pertinet prouerbium βῶλος ἄρουρα vel ἀρουραν. In vita Beati Antonii Abbatis auctore Athanaſio, interprete Euagrio presbytero *capite 2. Poſſeſſiones quas habebat vendidit*, ARVRÆ *autem erant ei trecentæ vberes, & valde opimæ quas vicinis largitus eſt*: &c. *Cætera vero quæ in mobilibus poſſidebat vniuerſa reddidit.* In textu Græco *pag. 452. Tom. II. Oper. Edit. Lipſ. apud Weidm.* ἄρουραι δὲ ἦσαν τριακόσιαι εὔφοροι καὶ πάνυ καλαί. Vulgo erat: *Erant autem ei 300. palmæ vberes*: Prudenter retinuit Euagrius Græcam vocem *Aruræ*, quia commodius verti non poterat. Eadem vox occurrit *in eadem vita cap. 15. Et ſtatim intellexit paruis aruris & parietibus & modica auri portione contempta, nec gloriari ſe debere quaſi magna dimiſerit.* Pro quo Colonienſis editio habet, *paruis theſauris.* De Arura ἀρούρῃ in commune, quam interpretantur γῆν ἀρόσιμον, χώραν πλέθραν, γῆν σπορίαν, Heſychius, *aruum obſitum, ſegetem*, Gloſſæ: *Seges* ἄρουρα καὶ λήιον, (mitto quæ hinc dicta ἀρουραῖα.) Flauius Caper quoque *de Orthographia p. 2246. inter Putſchii Grammat. Filix quam ita credo dictam, quod ſit minus felix arura* (a). Ergo Græca *Aruræ* vox in Ægypto ſpeciatim, de minima diuiſione modoque terræ & poſſeſſionum, de cuiuſmodi modis poſſeſſionum dixi iam ad *legem vltimam ſupra, de collatione donatarum.* Siue centum cubitorum, vt Herodotus, & poſt eum Euſtathius *pagina 41.* ἄρουρα ἑκατὸν πήχεων Αἰγυπτίων πάντη: ſiue quinquaginta pedum, vt Horapollo & Suidas: Cuiuſmodi ſex aliæ voces ſimiles hic per Ægyptum Græcæ occurrunt. Quibus addantur & alia vocabula per Ægyptum & Alexandriam, publicis muniis ſignificandis, Hypomnematographi, *leg. vltim. infra, de decurionibus*, Crithologia, Zygoſtaſion, *leg. 1. infra, de frument. Alexandr.* Periſſochoregia, *leg. 2. eodem titulo*, Archigerontes, Diœcetæ, Ergaſiotarii, *leg. 1. in fine, de Alexandr. pl primat.* Dinummium vectigal, *dicta leg. 2.* Tandem diacathoci, *leg. 1. ſupra, de fiſci debitoribus.* Quæ quidem omnes *leges* hac vnica poſtrema excepta ſunt eiuſdem Theodoſii Iunioris, cuius eſt & hæc *lex*. Verum ad rem. *Apud acta* igitur Vicani publicatis deſideriis ſuis teſtabantur ſe de poſſeſſionibus ſuis & aruris vltro decedere. Quod & ipſum hodie obtinet in *deguerpienda* poſſeſſione: De quo vide Loyſeau *du déguerpiſſement, libr. 5. de la forme du deſguerpiſſement cap. 1.* vbi hanc *huius legis* ſententiam in id allegat ex *Codice Iuſtinian.* puta ex *leg. 14. Cod. Iuſt. de omni agro deſerto*, non vero ex hac integra *Codicis Theodoſiani leg.* quod præſtabat. Hac vero occaſione Interpretes ad *hanc leg.* multa de Actis Iudicialibus extra oleam cumulant. Illud certe hactenus ad vſum colligimus, derelictam facta de- P. 181. claratione apud acta poſſeſſionem a nouo poſſeſſore repeti non poſſe, tributorum ſcil. fauore. Septima

 ratio,

(a) Adde loca, quæ leguntur apud CL. DV FRESNE *Gloſſar. Latin. voc. Arura.*

ratio, per quam præſtationes ſeu functiones publicæ vicanorum, & quidem per Ægyptum imminutæ ſeu debilitatæ fuerant, iſthæc eſt: quod in *Eccleſias* quasd am Patriarchales, Conſtaotinopolitanam, puta & Alexandrinam, huiuſcemodi poſſeſſiones vicaneæ tranſlatæ fuerant, quæ antiquam capitationem iam non præſtabant, *verſ. Quidquid autem 7.* Octaua ratio erat, *Negligentia & Contemptus* horum munerum axigendorum, *verſu nequaquam.* Poſtrema ratio erat, quod nonnulli Principis beneficio metrocomias quasdam poſſiderent; *verſ. Metrocomias 8.* ſeu *vltim.*

Nunc igitur tandem ſuecedant totidem *Remedia* a Theodoſio Iun. *hac leg.* adhibita, atque adeo huius conſtitutionis totidem SENTANTIÆ pro reparatione functionum & penſitationum publicarum, totidem iocommodis oppoſita. *Primum* igitur, *Patrociniorum* vſum & Patronorum nomen omnino deinceps extincta cupit; Et tamen quod ad tranſlatas iam patrocinii nomine poſſeſſiones attinet, eas penes patronos manere indiſtincte iubet, attamen quoad *Reliqua* temporis præteriti, terminnm huic rei præſcriplit, ne alioquin in immenſum eo obtentu poſſeſſores ſollicitarentur: Nempe a Cæſarii & Attici Conſulatu, id eſt, ab A. D. 397. a xx. ferme annis neque vltra, Patronos huiusmodi patrocinii obtentu poſſidentes *pulſari*, id eſt reliquorum nomine conueniri iubet: ceſſante vlteriore inquiſitione & examinatione, quæ per Valerium, Theodorum, & Tharſacinm, Inſpectores in eum finem miſſos facta fuerat. Quare ſatis viſum, ſi ab eo tempore poſſeſſores patrocinii nomine ſuſceptarum poſſeſſionum reliqua præſtarent, *Pulſandi* ſcil. voce *hac leg.* proculdubio reliqnorum exactio exaudienda eſt. Et hæc qnidem quoad reliqna præteriti temporis. At de cætero functionibus publicis omnibus eos parere iubet ſuo iam proprioque nomine, & extincto omni Patronorum nomine reliquis poſſeſſionibus penes priſtinos dominos remanentibus, ſi modo pro rata poſſeſſionum publicas functiones & liturgos præſtarent. Et hæc quidam de primo remedio, atqne adeo de patrociniis vicanearum poſſeſſionum. *Secundum* remedium ſpectat *Metrocomiticas* poſſeſſiones patrocinii obtentu vel aliter in alios tranſlatas. Nempe eas in priſtino publico inre permanere priſtinoque inri reſtitui iubet, exceptis duobus caſibus; Primus eſt, ſi ante dictum An. D. 397. priuati eas nacti fuerint: Secundus, niſi Conuicani ea loca adquiſiuerint; cui conſeutit *lex vn. Cod.* [illegible] *non licere habitatoribus metrocomiæ loca ſua ad extran. transfer.* Et rationem adiicit hic Theodoſius, quia iam a Connicanis non poſſunt denegari publicæ functiones, propter fortunæ eorum. videl. conditionem, quod extranei denegare facile poſſunt, ac maxime Potentiores. *Tertium* eſt, vt qui *Fertiles* terras eo modo, vt diximus, adquiſiuerunt, ἐπιβολῇ ſterilium ſubiaceant; de quo ἐπιβολῆς genere, eoque vario, dictum eſt plene *tit. de annona & tributis, ſup.* Quartum eſt, vt *Homologi* ad ſuos vicos & priſtinos dominos a *fuga* retrahantur, detentatoribus alioquio ad functiones eorum obnoxiis. *Quintum* eſt, vt *Metrocomiarum* in locum, quæ temporis lapſu vel deſtitutæ vel viribus vacuatæ fuerant, aliæ ſubrogentur ex florentibus vicis ſub eadem ciuitate conſtitutis; de qua vicorum magnitudine & celebritata videnda etiam *dict. lex 33. inf. de Epiſcop. Eccleſ. & Cler.* Sextum eſt, vt a *Curialibus* vicanis pro derelicto habitæ poſſeſſiones, eo, quo *ſupra* diximus, modo, penes nouos poſſeſſores firmiter permaneant, citra ſpem vllam repetitionis veteris domini. *Septimum* remedium ſpectat ECCLESIAS, quæ & ipſæ aliquam multas Vicanorum ſeu Ruſticorum poſſeſſiones in ſe tranſtulerant, religionis ſiue patrocinio ſiue & obtentu, confugientibus videl. miſeris colonis in ſinum & aſylum Eccleſiæ; non alio ſcil. magis præſidio ſecuritatem ſibi pollicentes; ac nominatim Patriarchalium Eccleſiarum, & maximarum ſecundum Romam in Imperio Orientali, puta Conſtantinopolitanæ & Alexandrinæ; de quarum *Pronomiis* alibi dictum: cum illius Epiſcopus hoc tempore eſſet poſt Chryſoſtomum Atticus: huius, poſt Theophilum, Cyrillus. Neque mirum, Antiochenæ aut alterins nullam hic fieri mentionem: Quandoquidem hæc *lex* non alio pertinet, quam ad annonam *Alexandrinam*, quæ *Conſtantinopolim* ſubuehenda erat. Quare ſummo alterutrius loci Eccleſiæ præſidio; vnde videl. vel quo annona transferenda eſſet, ſeſe vicani colonique certatim muniebant. Vnde procul dubio non minimus poſſeſſionum & diuitiarum eas in Eccleſias cumulus deriuauit. Igitur & *hac l.* Theodoſius Iun. huic rei modum aliquem nunc adhibet: A. D. 415. duplici fibula impoſita: Prima eſt, ratione *Temporis*; nempe huiusmodi poſſeſſiones, eo quo dixi modo, ab illis Eccleſiis (quas & *Venerabiles* vocat) quæſitas *pro intuitu*, (id eſt fauore) Religionis firmiter penes eas remanere iubet, ſi modo eas poſſederint ante diſpoſitionem Anthemii Præfecti Prætorio; vbi illud obſcurum, Quænam illa Anthemii diſpoſitio fuerit, & in quem Præfecturæ illius annum id incidat? Decennium quippe integrum Præfectus Præt. Orientis fuit, ab Anno D. 405. ad hunc Annum 415. quo hæc *lex* data eſt: de quo videndus etiam Syneſius *ep. 47. 49. 73. 75. 79.* Socrates *lib. 7. cap. 1.* Sidonius *carm 2. verſ. 94.* Forte putet quis, indicari eam diſpoſitionem, quæ occaſionem præbuerit *legi 9. inf. de indulg. debitor.* ac proinde quod ex ea colligatur, terminum huic rei figendum Anni 408. Indictione VI. vt ita ab eo tempore intra octennium inſecutum ab Eccleſiis illis quæſita Theodoſius reuocari voluerit: Niſi potius eam Anthemii diſpoſitionem intelligamus, cuius ex parte meminerit idem Theodoſius ad eundem Anthemium ſcribens ante triennium An. D. 412. *l. 1. inf. de frum. Alexand.* Vtra ſententia ſtemus, breuiorem hac parte terminum figi notandum eſt, Eccleſiarum fauore, quam in priuatis & laicis primo & ſecundo, & hoc potiſſimum, remedio. Altera fibula hæc eſt, ratione Oneris: Nempe ea conditione Metrocomiarum vel publicorum vicorum poſſeſſiones Eccleſiam Conſtantinop. & Alexandrinam retinere poſſe, dummodo in futurum omnes functiones pro iis ſolitas fiſco præſtent: de quo præſtandarum publicarum functionum onere, etiam ab Eccleſiis, *ſuo tit.* dictum eſt plenius: Ac nominatim a Patriarchalibus quoque earum poſſeſſionum nomine, quas in patrocinium ſuum ſuſcepiſſent: quod vtique his alioquin interdictum: quam in rem eſt ſingularis de Theſſalonicenſi Eccleſia eiusdem

Theo-

Theodoſii Iun. conſtitutio Anno ab hinc decimo, v.182 puta *lex 33. ſup. de ann. & tribut. Sacroſancta*, inquit, *Theſſalonicenſis Eccleſiæ ciuitatis excepta; ita tamen, vt aperte ſciat, propriæ tantummodo capitationis modum beneficio Mei Numinis ſubleuandum, nec externorum grauamine tributorum Rempublicam Eccleſiaſtici nominis abuſione lædendam.* Quare tandem & hac deinceps conſtitutione, variiſque circa Eccleſias obſeruationibus, Annalium Eccleſiaſticorum, (quod a Baronio omiſſum) cenſus augeri poterit: & quidem Anni D. 415. *Octauum* remedium eſt, quod Immunitates Liturgorum, ſeu miniſtrorum & functionum publicarum, quocunque patrocinio, quacunque negligentia vel contemptu legum quæſitas reuocari iubet *hac leg.* Theodoſ. Iun. *Poſtremum* remedium eſt, quo Metrocomias poſſidentibus etiam ex beneficio Principis, ἐπιβολῆς cuiuſdam genus alterum iam *hac leg.* indicit; Nempe vt qui Metrocomias meruerunt poſſidere, cognoſcur publicos vicos *committere*, id eſt, cæterorum Vicorum, quorum Metrocomia mater eſt, onera agnoſcere; id enim *committendi* verbo *hac l.* indicatur. De qua commiſſione ſeu ἐπιβολῇ *ſupr. tit. de annon. & tribut.*

Hac ita *lege* diſtincte enarrata, liquebit deinceps, quam recte multa ex *hac eadem leg.* ad vſum decerpi poſſint aduerſus vicanorum ruſticorum publicas functiones declinantium fraudes arteſque.

DE QVADRIMENSTRVIS BREVIBVS.

TITVLVS XXV.

Abeſt hic *Titulus* a COD. IVST. etſi *lex vlt. Cod. eod. de annona & trib.* & *lex* I. *Cod. eod. de Apochis publicis* (quæ eadem eſt cum *l.* 173. *inf. de decur.*) eo pertineant.

I. (a) Imppp. THEOD. Arcad. & Honor. AAA. Rufino PF. P. (b)

QVOTIESCVNQVE Quadrimenſtrui breues ab Apparitoribus Ducianis (c) ad Sedem Veſtræ Celſitudinis deſtinantur, parilis (d) Notitia Prouinciali (e) quoque tradatur Officio, vt priuſquam ad Iudicium Veſtrum examinanda (f) mittantur, ibidem ſub vtrorumque (g) præſentia conferantur; vt qui (h) perperam, vel petita vel erogata notauerit (i), confutetur (k); Ne, diſcordanti breuium modo, in eorum damnum expenſa reuocetur, qui Suſceptionibus, vel Nominationibus (l) obligati quæ Militum nomine petuntur exſoluant (m), nec (n) imputari ſibi quod exſoluerint congemeſcant (o). Dat. XII. Kalend. Iun. Conſtantinop. Theod. A. III. & Abundantio Coss. [393.]

NOTAE.

(a) Abeſt hæc *lex* a *Cod. Iuſt.* GOTHOFR.

(b) *Rufinus* PP. ſub Theodoſio M. v. *Proſopogr. Orientis* ſcil. vid. *Notitiam*, ſeu *Indicem perſonarum*: & *Notitiam Præfectorum Po.* ID.

(c) Id eſt Ducum rei militaris. *ID.*

(d) Eadem vox in *l.* 2. *inf. de fide Cathol.* *ID.*

(e) Id eſt Rectoris prouinciæ: Porro non ſcribendum hic, *notitia a prouinciali*, mox vt oſtendam. *ID.*

(f) *Examinanda*: nempe priores illi breues & parilis notitia. *ID.*

(g) Nempe Apparitorum Ducis, & Officialium Rectoris prouinciæ. *ID.*

(h) *Qui*, breuis ſcil. quadrimenſtruus: Neque enim quidquam hic mutandum. *ID.*

(i) Deſignauerit. *ID.*

(k) *Confutetur*, id eſt refutetur. Propria hac in re vox. v. *Gloſſ.* *ID.*

(l) *Nominatores* ſuſceptorum, pro his obligabantur, & ſoluere tenebantur, v. *inf. tit. de ſuſceptor.* *ID.*

(m) Exſoluant. *ID.*

(n) Senſus eſt, Suſceptores non ægre ferre oportere, ſi quod breuibus Apparitorum Ducis non continetur, & ipſi tamen exſoluiſſe ſe dicunt, rurſum ſoluere cogantur. *ID.*

(o) *Congemiſcant.* Sic & *l.* 16. *ſup. de deſertoribus*: *Viginti ſibi antepoſitos congemiſcat.* *ID.*

COM-

P. 183.

COMMENTARIVS.

THEODOSII M. hæc vnica *hoc titulo* conſtitutio occurrit de *Quadrimenſtruis breuibus*, id eſt de Breuibus, qui ſingulorum quadrimenſtruorum tributorum rationem & notitiam continebant: tripertita quippe per annum ſolutione, ſeu per quadrimenſtrua ſingula, tributa ſoluebantur: de quo ſunt *hoc Codice* octo *leges*, de Quadrimenſtruis inquam his breuibus, & quadrimenſtrua tributorum ſolutione: Valentiniani Sen. quatuor: puta *lex 15. ſup. de annona & trib.* (vbi iam dixi ſatis multa, oſtendique hunc Principem eius rei auctorem fuiſſe.) *l. 3. ſup de collat. fundor patr. l. 11 ſup. de Exactionib. l. 15. inf. de Suſceptorib* Valentis, vnica, puta *lex 16. ſup. de annona & trib.* Hæc Theodoſii M. Honorii *lex 27. inf de ſuſceptoribus:* Theodoſii Iun. *lex 173. inf. de Decurionibus:* Quibus omnibus addatur & Maioriani *Nouella 4 de indulg. reliqu. verſ. & quia totum.* Addatur & ἀπὸ τῶν ἔξω elegans Libanii locus *Orat. in Tiſamenum pag. 443. edit. Morell.* ad hunc ipſum Theodoſium M. Imp. quem protuli ad *d. l. 15. ſup. de annona & trib.* & Caſſiodorus variis locis: vt *lib. XI Var. 7. Vt trina*, inquit, *illatione deuotus poſſeſſor ſuam compleat functionem:* & *lib. II. Var. 24. vt quicquid vnaquæque domus Senatoria profitetur, deſtinatis procuratoribus per prouincias trina illatione perſoluat.* Idem *lib. XII. Var. 2. Notitiæ* (quomodo etiam *hac l* vocantur) *Quadrimenſtrua* meminit: *Expenſarum*, inquit, *fidelem Notitiam Quaternis menſibus comprehenſam ad Scrinia Noſtra dirigere maturabis, vt totius erroris diſcuſſa caligine, publici ratiocinii poſſit claritas apparere.* Tandem hæc illa τετραπλὴ videatur, quam memorat Baſilius *ep. 373.* ſiu. *ep. 21. Edit. Benedictin. T. III. Oper. pag 98.* vbi iocul atur cum quodam, ἀπαιτεῖται γὰρ καὶ αὐτὸς, καὶ ἐγκαλεῖται σφοδρῶς, πλὴν ὅσον οὐχ) εἰσφορῶν ἐλλείμματα, ἀλλ' ἐπιστολῶν: *repoſcitur enim & ipſe, & accuſatur vehementer, non tamen tributorum debitiones ſunt, ſed epiſtolarum.* Et mox. ἔδωκε γὰρ ἀεὶ ἐπιστολὴν τὴν δὲ ἐκομίσατο, εἰ μή τί που καὶ παρὰ σοὶ ἡ πολυθρύλλητος αὕτη τετραπλὴ προτετίμηται: οὐδὲ γὰρ οἱ Πυθαγόρειοι, τοσοῦτον προετίμησαν τὴν τετρακτὺν ὅσον οἱ νῦν ἐκλέγοντες τὰ δημόσια τὴν τετραπλήν: *ſemper enim epiſtolam dedit, atque hanc detulit. Niſi forte & apud te celeberrimum illud quadruplum primas obtinet. Neque enim tanti æſtimauere Tetractyn Pythagorai, quanti nunc quadruplum, qui pecunias publicas colligunt.* Quanquam neſcio an non potius *Quadrupli* pœnam indicet ob non ſoluta tributa, vel potius ob ſuperexactionem (*a*), de quo v. *l. 20. ſup. de exactionib. l. 7. 8. 11. ſup. de extraordin. l. 18. de ſuſceptoribus* &c.

Quadrimenſtrui igitur breues erant, Breues notitiæ ſeu ratiocinia annonæ per quaternos menſes ter in anno, iudici exigi, ſolui, erogari ſolitæ. Solutio enim vt dixi tributorum tribus vicibus in anno tripertita ſatisfactione, & ſic per quaternos menſes fiebat. Et quidem, vt iam dixi, ex Valentiniani Senioris primum inſtituto; de quo plenius ad *dict. leg. 15. ſup de annona & tribut.*

Quinque porro generum quadrimenſtruos breues hac parte obſeruo: Primum genus eſt *Adſcriptionis* ſeu *Delegationis*, quibus continebatur modus collationis ſeu indictionis: de his vero accipienda eſt *dicta lex 173. inſ. de decurionib.* & *d. l. 27. de Suſceptorib.* Hi breues ab officio Præfecti Prætorio in prouincias dirigebantur: Ad quod idem officium poſtea *deſcriptionis* celebratæ diſpunctio mittebatur: Ideo ſcil. ne ad voluntatem locupletum, & inopum perniciem aliquid tentaretur, *d. l. 173* Sed & iidem Tabulariis ciuitatum publicabantur: quibus iisdem Tabulariis poſtea *Exactionis* factæ ſecuritates, id eſt apochæ tradebantur, quod Tertium quadrimenſtruorum breuium genus fuit: vt & ita ex Apocharum & Breuium collatione appareret, num a prouincialibus aliquid ſuperexactum fuiſſet, neue bis idem exigeretur, *d. l 27. inf. de Suſceptorib.* Quartum genus Quadrimenſtruorum Breuium erat *Erogationis faciendæ:* quibus inquam modus erogationis faciendæ in milites ſorte continebatur, de quibus *l. 24. ſup. de erogat. mil. ann.* Alii denique quadrimenſtrui Breues erant *Erogationis facta:* de quibus etiam *d. l. 24.* De his vero nominatim eſt hæc *lex*, vt non tantum ex *ea* apertiſſime liquet, verum etiam ex *huius tituli* diſpoſitione: qui poſt *Titulos*, ad *Exactionem* pertinentes, ante *Titulos, de diſcuſſoribus*, & *de Indulgentiis debitorum*, collocatus eſt.

Huius vero *leg.* hæc ſententia eſt: Antequam Quadrimenſtrui Breues iſti erogationis factæ ad Præfectum Prætorio mittantur ab Officialibus Ducum militarium, prius pares Breues tradendos eſſe Officio Rectoris prouinciæ: vt ita inter ſe prius conferantur, ſub vtorumque præſentia, id eſt & apparitorum Ducis, & Officialium Rectoris prouinciæ: atque ita collatione συγκρίσει eorum facta conſtare poſſit, quid perperam petitum erogatumue in Milites fuerit, & ſic is Breuis confutetur, reiiciatur, quo perperam vel petitum vel erogatum quid conſtiterit. Alioquin ſi Breues diſcordent, erogationis perperam factæ periculum Suſceptores, eorumque Nominatores reſpicere debet.

Vbi varia admodum notanda veniunt. Primo quidem Breues erogationis in milites factæ ad Præfectum

(*a*) Editor Gallus ad locum Baſilii hæc notat: „Suſpicatur Gothofredus tetraplam ſiue quadruplum, de quo Baſi-“ „lius in hac epiſtola, eſſe penſionem quadrimenſtruam, vel *quadrupli pœnam ob non ſoluta tributa, vel po-*“ „*tius ob ſuperexactionem.* Sed liquet hic literas non redditas, cum tributis non ſolutis, comparari; ſicque Ba-“ „ſilium cum Leontio iocari, quaſi is quadruplum literarum repoſceret, vt quadruplum debitorum tunc paſſim“ „repoſcebatur. Lucem affert Ammianus Marcellinus, quo teſte Petronius ſocer Valentis: *ad nudandos ſine*“ „*diſcretione cunctos immaniter flagrans, nocentes pariter & inſontes poſt exquiſita tormenta quadrupli*“ „*nexibus vinciebat, debita iam inde a temporibus principis Aureliani perſcrutans & impendio mærens,*“ „*ſi quemquam abſoluiſſet indemnem*, lib. 26. cap. 6. Eſt ergo quadruplum hoc loco non quadrimenſtrua“ „penſio, non ſuperexactio, ſed debitorum, quæ ſoluta non fuerant, crudelis inquiſitio, & quadrupli pœna“ „his qui non ſoluerant impoſita.“

fectum Prætorio miſſos, vt iudicio eius examinarentur: Ad huius enim curam totius annonariæ rei cura pertinebat: de quo pluribus iam locis dixi. Secundo, miſſos & ad Rectorem prouinciæ, quem ipſum quoque tributariæ rei cura contingebat, de quo ipſo, *ſuo loco*. Tertio notetur, Apparitores Ducum rei militaris, Breues erogationis factæ in milites confeciſſe, vt ita appareret, quid in milites, qui ſub Duce erant, erogatum fuiſſet. Quarto de Suſceptoribus, eorumque Nominatoribus notetur, erogationis perperam factæ periculum in eos recidiſſe: de quo *ſuo tit. inf. de Suſceptoribus*: & nominatim, de periculo Nominatorum: *l. 1. 4. in f. l. 8. 9. 20. 29 eo tit.* Tandem notetur parilis notitiæ genus, ſeu parium *τῶν ἴσων* ad *σύγκρισιν* faciendam: cuiusmodi haud abſimilis *ἀναγραφὴ* ad *σύγκρισιν* faciendam, apud Baſilium *ep ad Chorepiſcopos 181. ſin. ep 54 edit. Benedictin. Tom. III. Oper. p. 149.*

P 164. # DE DISCVSSORIBVS.

TITVLVS XXVI.

LIB. X. COD. IVST. TIT. XXX.

Des Contrerolleurs & Recepteurs des Reſtes.

PARATITLON.

DISCVSSORES: de his præter *duas huius tituli leges*, agitur præterea *tredecim huius Codicis legibus*: puta *l. omnis 5. ſup. de iis qua adminiſtr. l. 1. ſup. de Primicerio & Notariis l. vlt. ſup. ad leg. Iul. de ambitu: l. 5. ſup. de locat. fund. emphyteuticor. l. vlt. ſup. de exactionib. l. 3. inf. de indulgent. debitor. l. 36. 45. inf. de appellationib. l. 21. 29. inf. quorum appellat. l. 185. de decurion. l. 26. inf. de Suſceptorib. l. 7.* & *10.* & *11. inf. de cenſitorib.* Addantur & extrinſecus *Nouella* Valentiniani Tertii elegantiſſima *de Indulg. Reliquorum 7.* Ab his dicuntur Diſcuſſiones, *l. 1 h. tit.* & *d. l. vlt. ſup. ad leg. Iul. de ambitu: l. 26. de Suſceptor. l. 1. de Primicerio.* diſcuſſionis examen, *l. 5. ſup. de locat. fund. emphyt.* Diſcuſſionis officium, *Nouella Valentin. 7.* diſcuſſionis indago, *l. 5. de iis qua admin.* (vt diſcuſſionis ratiocinia, *Nouell. Theod. 11. in l.* 1.) Inquiſitio, *l. 27. inf. quorum appellat.* diſcuſſiones rationales, Firmico *matheſ. lib. 3. c. 13.* Vt autem Diſcuſſores non vnius erant generis, de quo ad *l. 1. h. t.* (prout *diſcutiendi* vox ad diuerſa ſubiecta porrigitur) ita *hoc titulo* ſunt, quod etiam *huius tituli* ſitus oſtendit, qui ad prouincias mittebantur *d. Nouella Valentin. 7.* vt rationes ob prædam diſcuterent: *l. vlt. ſup. de exactionib.* vt indagarent, examinarent: vnde & diſcuſſionis, vt dixi, indago & examen, vt manifeſtos debitores (tributorum) prouinciales ad ſolutionem cogerent: *l. 21. inf. quorum appellat.* In quem etiam finem chartæ ſeu Breues tributorum his tradebantur, *l. 3. inf. de indulg. debitorum*: quo ſcil. reliqua diſcuterent, quæ alioquin ſæpe indulgentiis remittebantur: qua cauſa *hic Titulus de Diſcuſſoribus* opportune poſitus eſt in medio *Titulorum de Quadrimenſtruis Breuib.* & *de indulgentiis debitorum.* Munus vero hoc diſcuſſionis Reliquorum vel certe operum Comitiua quoque decoratum: hinc Comitiua diſcuſſionum *l. vlt. ad leg. Iul. de ambitu*: vid. & *l. 3. C. Iuſt. h. t.* Onus porro iſtud diſcuſſionis inuitis impingebatur: exceptis nonnullis, vt oſtendit *lex* 1. *ſup. de Primicerio & Notariis*: & *l. 3. Cod. Iuſt. de diſcuſſ.* & *l. 6. Cod. eod. de aduoc. diu. Iudicior.* De iniquis vero horum diſcuſſionibus, & deprædationibus querelæ ſubinde exortæ, quibus ideo ſæpe obuiam itum Principum conſtitutionibus: *l. 1. h. t.* & *l. 5. ſup. de iis qua adminiſtr. l. 2. h. t.* & *l.* 7. 10. *inf. de Cenſitoribus.* Valentiniani III. *d. Nouella 7.* Ideoque & ab eorum ſententiis & ſtatutis appellare licuit: *l. 36. 45. inf. de appellat. l. 29. inf. quorum appellat.* niſi ſi manifeſti eſſent debitores qui appellarent, *l. 21. inf. quorum appellat.* quæ iungenda eſt cum *d. l. 36.*

I. (a) Imppp. VALENTINIANVS, Valens & Gratianus, AAA. ad Arthemium (b) Vic. Hiſpaniarum.

QVOTIENS in Diſceptatione (c) conſtiterit, inique Diſcuſſionem fuiſſe confectam, & fidem (d) facti non poterit adprobare Diſcuſſor, ipſe in eodem titulo (e),

& in eodem modo, ad ſoluendum protinus vrgueatur, in quo alterum perperam fecerit debitorem. Dat Prid. Id. Maii, Valentiniano NB. P. & Victore Coss. [369.]

NOTAE.

(a) *Lex* 1. *Cod. Iuſt. eod. tit.* *GOTHOFR.*

(b) *Artbemius* Vicarius Hiſpaniarum ſub Valentiniano Sen. cui præterea inſcribitur Anno proximo 370. *lex* 2. *ſup. de Tabulariis.* *ID.*

(c) Tua ſcil. Vicarii Hiſpaniarum. *ID.*

(d) *Fidem*, id eſt veritatem, ſinceritatem. *ID.*

(e) *Titulus* eſt genus collationis, vid. *Gloſſ. Theod.* *ID.*

P. 115.

COMMENTARIVS.

VALENTINIANI Sen. hæc *lex* eſt de Diſcuſſoribus: pariter vt altera eiusdem *lex* 5. *ſup. de his quæ adminiſtr.* Diſcuſſores hic quid ſint, ſatis vt opinor docuit *Paratitlon.* Erant ſcil. qui in prouincias extra ordinem mittebantur, examinaturi, indagaturi, inſpecturi, inquiſituri (vnde *Diſcuſſionis examen*, *indago*, *inquiſitio*) quid tributorum nomine exactum eſſet, quid in Reliquis reſideret, quique adeo prouinciales ad Reliquorum ſolutionem cogerent, *l.* 21. *inf. quorum appellat.* Vnde & diſcuſſor quoque vocatur Inſpector *Nouella Valentiniani* 7. Item Arbiter & Quæſitor, *ibid.* Quod vt inter alia quoque *huius tituli* ſitus oſtendit, & cœtera quæ in *Paratitlon* congeſſi, ita omnium elegantisſime *dict. Nouella* 7. eiusque adeo *Titulus* ipſe, *de indulgentiis debitorum.* Vnde & in *Gloſſario veteri*, quod aliis quoque diſcuſſorum ſpeciebus conuenit, *Diſcuſſor* λογοθέτης, λογοθεσία *diſcuſſio.* Idque ipſum vel *hac ipſa lex*, & *proxima* ſatis docent. Vt proinde manifeſtarius iam & grauis error ſit, eorum, qui diſcuſſores confundunt cum Exactoribus ordinariis, quem errorem admittit quoque Interpres ad *l.* 2. *inf.* vel etiam cum Cenſitoribus, Peræquatoribus, imo etiam Rationalibus, a quibus toto cœlo diſtant. Fœdus proinde eorum lapſus qui ſcribunt, ad eorum curam ſpectaſſe, inquirere & animaduertere, qui eſſent in vnoquoque populo debitores fiſci, & eos in matriculam ſcribere, & inde æſtimare, taxare facultates & patrimonia prouincialium, vt iuſta fieri poſſet cenſus collatio ſeu contributio: vel etiam quibus commiſſa eſſet cognitio & diſceptatio rationum fiſcalium vel aliarum, quæ ab aliis dispunctæ ſunt aut tractatæ. Horum igitur munere funguntur in Gallia, *les Controolleurs & Recepueurs des Reſtes.* Sic ſane & operum publicorum Diſcuſſores dicti, qui diſcuterent, an, quomodo, quam bene, pecuniæ in opera publica deſtinatæ, impenſæ eſſent, quidque adeo in Reliquis reſideret: de quibus Symmachus, *lib.* 5. *ep.* 76. *lib.* 10. *ep.* 38. 39. 47. *l. vn. Cod. Iuſt. de ratiociniis operum publ.* Theodoſius *Nouella* 11. *de bon. decurion.* in *l.* 1. Caſſiodorus I. *Var* 21. II *Var.* 34. de quibus dixi ad *l. vlt. ſup. ad leg. Iul. de ambitu.* Sic & diſcuſſio Arcæ vinariæ memoratur, *l.* 26. *inf. de Suſceptorib.* Diuerſum etiam ab his diſcuſſoribus genus fuit eorum qui de pretiis rerum venalium cognoſcebant, de quibus *l.* 10. *inf. de Iudæis.* Et ſic interim quatuor hæc Diſcuſſorum genera diſtinguenda veniunt, quæ paſſim commiſcentur. Quomodo etiam diſcuſſor, cuius meminit Corippus *lib.* 1. *de laudib. Iuſtin.* ab hoc diuerſus eſt: vt & capitum diſcuſſio, cuius meminit Iuuencus *lib.* 1. *hiſtor. Euang. v.* 144. Itemque diſcuſſores cenſus noui apud Caſſiodorum *IX. Var.* 10. & diſcuſſores, *lib. IV. Var.* 38. omnes enim hi pertinent ad diſcuſſionem facultatum, ad imponendum videl. & affligendum cenſus vel ſuperindicti ſeu augmenti modum. Et hæc de Diſcuſſoribus in genere. Nunc de explicatione *huius leg.* De Diſcuſſorum ſcil. iniquitate prædisque querelæ ſubinde exortæ, & ad Principes perlatæ, qui ideo his occurrere variis conſtitutionibus: Valentinianus Sen. *h. l.* & *l.* 5 *ſup. de his quæ adminiſtr.* Honorius *l.* 2 *h. t.* & *l.* 7. 10. *inf. de Cenſitoribus:* Valentinianus III. *elegantiſſima & expreſſiſſima Nouella* 7. *de indulgent. reliquorum:* quæ rem graphice omnem deſcribit: vnde etiam nonnulla ad *leg.* 2. notabo: verum tota hic in conſilium adhibenda.

VALENTINIANVS igitur *hac leg.* Iniquum diſcuſſorem, de quo perperam diſcuſſus querelam iuſte intulit, & ab eius ſententia & ſtatuto appellauit, (vt appellare licet; quod oſtendit *lex* 36. 45. *inf. de appellat. l.* 29 *inf. quorum appellat.*) tanti damnari iubet, quanti alium cum non deberet, debitorem effecit. Cuiacii enim ἀβλεψία eſt, qui ſcripſit aduerſus expreſſa *huius leg.* verba, tanti eum damnandum, quantum prouincialem debere conſtiterit. Hæc quidem ita nunc Valentinianus Sen. atenim Honorius poſtea pœnam intendit, Quadrupli quippe pœna iniquum diſcuſſorem multari voluit, *l.* 7. & 10. *inf. de Cenſitorib.* pariter vt Exactorem, quod & ipſum in Exactore Conſtantio placuit, *l.* 7. 8. *de extraordinar.* Valenti, *l.* 11. *de extraordin.* imo & Valentiniano huic ipſi, *l.* 1. *de ſuperexactionib.* vid. & *l.* 20. *ſup. de exactionib.* (quanquam & capitis, pœna quandoque ſuperexactoribus impoſita, *d. l.* 1. *ſup. de ſuperexact.* vbi de eo plene dixi, & *l. vn. ſup. de vectigalib. l.* 1. 20. *ſup. de exactionib.*)

Porro, quod ſecundo *hac leg.* notandum, ita iniquum diſcuſſorem tanti condemnari vult Valentinianus, vt tantundem inferre velit in *eodem titulo*, id eſt, eodem collationis genere: veluti ſi debitorem auri fecerit, vel annonariæ ſpeciei, in eadem re pœnam præſtare cogatur: imo & *eodem modo*, id eſt eadem quantitate, vt Cuiacius: Male enim, qui id additum putant, quod ſcil. ſi cauſa erat ſummaria, diſcuſſor conueniatur & vrgeatur ad cognitionem ſummariam.

Obiter autem *hac leg.* Tria obſeruanda veniunt. Primo quidem ex *hac* quoque *leg.* diſcimus, Diſcuſſorem diſcuſſionis ipſius Iudicem fuiſſe: qua cauſa & *Arbiter* & *Quæſitor* vocatur: *d. Nouell.* 7. & appellatum ab iis aliunde diſcimus: vt proinde inanis ſit ſuper hoc Interpretum quæſtio ſeu altercatio.

Secun-

Secundo obſeruandum ex *hac leg.* a ſtatuto ſeu ſententia Diſcuſſoris in *ſp. huius leg.* ad *Vicarium* appellatum: vt iuncta *huius leg.* inſcriptione prima ſtatim *legis* verba oſtendunt: ibi *Quotiens in diſceptatione conſtiterit*, &c. Sane & in Romana diœceſi ad Vicarium Vrbis appellatum ex eiuſdem Valentiniani, *d. l. 36. de appellat.* liqnet. Atenim poſtea a Diſcuſſoribus ad Comites rerum priuatarum appellatum, docet *lex 45. inf. de appellat.* & *l. 29. inf. quorum appell.*

Tertio obſeruandum, ſpectare nominatim *hanc leg.* ad *Hiſpanias* (quod Hiſpani Interpretes tranſeunt) quarum vtique rei tributariæ, atque adeo Hiſpanorum ſecuritati ab eorum fraudibus, qui rei Tributariæ incumbebant hoc tempore Valentinianus enixe conſultum voluit, vt præter *hanc leg.* docet *lex 2. ſup. de Tabulariis.*

Inanis vero ad *hanc leg.* Interpretum quæſtio eſt, occaſione horum verborum, & *fidem facti non poterit probare*, cuinam probatio in ſp. *huius leg.* incumbat, an Diſcuſſori, diſcuſſionem a ſe probe factam; an vero prouinciali, qui ſe læſum prætendit; & ſic quomodo probetur hæc iniquitas? Diſcuſſor enim, ſi ab eo appellaretur, proculdubio in diſceptatione, initio & tributi modum alieni impoſitum, & ſolutionis rationes factæ vel non factæ exhibebat, ex quibus fidem faciebat de diſcuſſione recte a ſe facta. Aduerſus quod ſi quid exciperet prouincialis, ſi rationes eius confutaret, vel apochis vel aliter, procul- P 114. dubio idem Diſcuſſor diſcuſſionem a ſe factam defendebat: & ſic in *diſceptatione* vel *fidem facti* probabat, vel de iniquitate conſtabat. Sic ſane quoque *leg. 1. inf. de cenſu*, qui ſe grauatum intendit, probare tenetur, ſeu conuincere, *leg. 5. Cod. Iuſt. de cenſibus.*

II. (a) Impp. Arcad. & HONOR. AA. Meſſalæ PF. P. (b)

MAXIMAS prædas (c) hoc pacto agi de Prouincialibus certum eſt, vt (d) acceptæ (e) ſemel (f) Securitates (g), & regeſtæ (h) Polypticis (i), a Diſcuſſoribus vel Apparitoribus (k) denuo poſtulentur: non quod vtilitas publica flagitat (l), ſed vt ſi caſu eſt amiſſa ſecuritas, maior (m) præda naſcatur. Decernimus itaque, vt quando inſertæ ſecuritates Ratiuciniis (n) publicis continentur, rurſus per iniuriam non petantur. Dat. V. Kalend. Decembr. (o) Stilicone & Aureliano Coss. [400.]

INTERPRETATIO. *Lex iſta hoc iubet, in hoc maximam prædam Exactores* (p) *de Prouincialibus exercere, vt poſt emiſſas ſecuritates iterum Polypticos* (q) *& ſecuritates incipiant poſtulare, quod ab hiis non pro publica vtilitate fieri, ſed vt ſi ſecuritates inuentæ non fuerint, maior eis præda naſcatur. Ideoque ſtatuit, vt ſi ſecuritates ratiociniis publicis, vel in Polypticis Exactorum continentur iterum pro cupiditatis nequitia non petantur.*

NOTAE.

(a) Lex 2. *Cod. Iuſt.* ex *hac leg.* interpolata eſt, reciſa hiſtorica narratione vsque ad illa, *ſi caſu &c.* Iungenda autem illi *lex 60. ſup. de curſu publ. l. vn. ſup. de his qui Potent. nomina in lite prætendunt*: Forte etiam *lex 59. de curſu publ.* & *l. 5. ſup. de locat. fundor.* GOTHOFR.

(b) *Meſſala* PP. Italiæ ſcil. ſub Honorio. v. *Proſopogr.* ID.

(c) Vid. *l. vlt. ſup. de exactionib.* ID.

(d) *Quod.* ID.

(e) *Deceptæ* MSS. W. G. & Sichard. RITTER.

(f) *Simul*, MSS. W. G. & Sichard. ID.

(g) *Securitates*, id eſt, Apochæ, vid. *Gloſſar.* GOTHOFR.

(h) *Regeſtæ*, id eſt relatæ in geſta publica: hinc Regeſta diuerſorum officiorum, *Nou. 1. de Theodoſ. Cod. author.* Huc pertinet ſubſcriptio *leg. 14. inf. de indulg. debit.* Regeſta &c. vbi dicam plura. ID. MSS. W. G. & Sichard. *rei geſtæ.* RITTER.

(i) *Polyptica* mox vocantur *Ratiocinia publica*: de quo mox plura. GOTHOFR.

(k) Quibus ſtipati diſcuſſores, *Nouel. Valentin. 7. verſ. vbi trepidam.* & *verſ. Innumeræ.* ID.

(l) *Flag tet.* Ed. Sichard. ID.

(m) Occaſio deprædandi, *d. Nouell. Valent. 7. verſ reuera enim.* In *Cod Iuſtin.* ita locus hic transformatus, *quædam præda naſcatur collatoribus.* Vbi non fero Heraldum *in animadu. in Salmaſ. obſeru. ad ius Attic. lib. 2. cap. 25. n. 11.* reponentem *Coactoribus*: qui ideo, neſcio quos, nouos Coactores inſtituit, nouos, inquam, neſcio quos Publicanorum Coactores, qui tributa colligebant, aut tributorum reliqua. *Præda* ſcil. Collatoribus naſcitur proprio ſignificatu. ID.

(n) Vocantur *ſup. polyptica.* ID

(o) *Mediolani*, MSS. W. G. Sichard. & *Cod. Iuſt* RITTER.

(p) Errat Interpres *hic* & *d. l. vn. ſupr.* GOTHOFR.

(q) Error hic eſt Interpretis, quem mox fine Interpretationis aliquatenus emendat. ID.

COMMENTARIVS.

HONORII hæc conſtitutio eſt aduerſus iniquos Diſcuſſores eorumque prædas; & quidem *Apocharum* occaſione. Apocharum ſcil. occaſione ſummam quandam Diſcuſſorum iniquitatem prædam-

que vexandis deprædandis Prouincialibus profligat *hac leg.* Honorius An. D. 400. Quæ pars eſt conſtitutionis Honorianæ prolixioris, vt ex illis *legibus* liquet, quas *huic* initio coniungendas eſſe dixi; Qua conſtitutione Honorius in vniuerſum prouincialium ſecuritatem a variis Vexationibus vindicare inſtituit, vt patet primum ex *leg. 60. ſup. de curſu publ.* vbi iniquitati Pretii pabulorum pro animalibus publicis, quo vexabantur ſeu prægrauabantur prouinciales, vltra quam iuſtitiæ ratio ſinit, quodque a mancipibus curſus publici & Apparitoribus exigebatur, modum imponit: Item patet ex *l. vn. ſup. de his qui Potentiorum nom. in lite prætend.* vbi Potentiorum nominibus & titulis prætenſis alios vexari ſedulo prohibet. Triplici igitur iniquitati & vexationi prouincialium ea conſtitutione occurrit Honorius; Potentiorum, inquam, Mancipum curſus publici, Diſcuſſorum denique.

Vexatio prædaque Diſcuſſorum inter alias, hæc erat; quod *Securitates*, (id eſt Apochas) functionum publicarum ſeu tributorum a prouincialibus exigerent forte deperditas, quæ tamen ipſæ ratiociniis publicis continebantur, id eſt de fide ſolutorum tributorum ex publicis rationum libris conſtabat: Nempe *vtilitatis publicæ* obtentu, vt hic indicatur, quaſi imaginariæ ſolutiones *ἰκωνικαὶ ἀποχαὶ*, vt vocantur in *veteri* Lucillii *epigrammate* in ratiocinia publica a Tabulariis relatæ eſſent, Diſcuſſores ipſas Apochas a Prouincialibus exigebant, vt ita de fide tributorum ſolutorum certius conſtaret: Reuera tamen, vt amiſſis Apochis maximas prædas hoc pacto agerent, & ſi quo caſu amiſſæ fuiſſent, iterato a Prouincialibus tributa exigerent: De qua ipſa Diſcuſſorum vexatione, prædaque elegans eſt admodum Valentiniani III. *Nouella de indulgentiis Reliquorum 7.* *Securitates*, inquit, *expetunt* (Diſcuſſores) *annorum ſerie & vetuſtate conſumptas, quas ſeruare neſcit ſimplicitas, & fiducia nihil debentis; reuera enim, aut quoquo modo perierunt* (nam ita hunc locum reſtituo) *quaſi iuſta contingit occaſio deprædandi, aut ſi extant, redimendum eſt vt ferantur accepto; ita ſit, vt, apud improbum rei arbitrum, merito noceat chartula cum perit, nihil proficiat non periſſe*, &c. Et quæ ibi ſequuntur de eorum ſæuitia & crudelitate. Quem locum imitatus eſt quoque Sulpitius Seuerus, *in vita Martini.*

Igitur aduerſus hanc Diſcuſſorum vexationem prædamque *hac l.* conſtituit Honorius, nihil nocere Apocharum amiſſionem: neque a Prouincialibus
P.187 exigendas eas: apertiſſima ratione, quia de fide tributi ſoluti ſatis adhuc conſtare poſſit ex publicis Ratiociniis. Et quomodo? Scilicet quia (quod *hac ipſa leg.* bis perſtringitur) Prouincialis, qui tributi a ſe ſoluti Apocham acceperat a Suſceptore, eam ad Tabularium publicum deferre ſolebat, qui mox viſis his Apochis ſubnotabat in libris publicarum rationum, fidem ſibi factam ab hoc vel illo, Apocha exhibita, tributum ab eo ſolutum; vt præter *hanc l.* docet expreſſiſſime *lex 2. ſup. de annona & trib. lex 27. inf. de Suſceptoribus.* Quinimo & Tabularius ipſe cautionem ſibi exhibitam ſubnotabat, vt docet *lex 2. Cod. Iuſt. de conueniendis fiſci debitor.* non etiam *lex 1. Cod. eod. de canone largitionalium titulorum:* ne alioquin ſæpe Apochæ falſæ forte vel Imaginariæ, quas Suſceptores per colludium poſſeſſoribus dabant, obtruderentur. Vtrumque igitur ad plenam liberationem requiſitum, Apocha Suſceptoris, & eius exhibitio Tabulario publico: Atenim vtroque ſemel præſtito pleniſſima liberatio contingit, neque Apochæ caſu aliquo amiſſio quicquam præiudicat, quia tributi illati fides plene ſemel ſecta, & ex ratiociniis publicis ſeu *polypticis* haberi poteſt, in quæ Apocha *Regeſta* eſt, id eſt in acta relata; pariter vt ex arca Præfecti Præt. ſeu arcæ ratiociniis tributi ſoluti fides peti poteſt, ex Iuſtiniani *Nouell. 49.* Denique Apochæ amiſſio nequicquam hic præiudicat, ſi aliunde probatio ſoluti fieri poteſt. Quod & in priuatis non minus quam publicis debitis obtinet, *l. 5. 6. C. Iuſt. de edendo.*

Et hæc quidem eſt *huius l.* ſententia: vbi inaniter quærunt Interpretes, an & quomodo Collator amiſſionem apochæ probare poſſit, vel debeat? Amiſſionem enim in ſp. *huius l.* collator bona fide allegabat, & ſic de ſolutione non aliter fidem facere poterat quam ex Polypticis ſeu Ratiociniis publicis, ad quæ ideo miſer prouocabat, exhibitionem Apochæ diſcuſſore exigente. Inanis proinde cum primis *huius l.* interpretatio vel ad eam quæſtio, de renouatione & ſic geminatione Apochæ amiſſæ.

De duobus nunc videndum eſt: in *hac leg.* ſingularibus.

Primo notandum Diſcuſſoribus *hac leg.* iungi *Apparitores:* Nempe, quia Diſcuſſores in prouincias miſſi his ſtipati erant, ad diſcuſſiones faciendas: de quo eſt ingens Valentiniani III. querela dicta *Nauella de Indulg. Reliquorum 7:* quæ hanc ipſam vt dixi, circa ſecuritates Diſcuſſorum fraudem proſcindit. *Vbi*, inquit, *trepidam prouinciam talis diſcuſſor adierit, ſtipatus Calumniarum Miniſtris, ſuperbia elatus inter obſequia ſumptuoſa, expetit* ADMINICVLA PROVINCIALIS OFFICII, *ſcholares etiam ſæpe coniungit, multiplicato & hominum numero, & Officiorum, vt quantum auaritiæ libuerit terror extorqueat.* Et poſt: *Innumeræ deinde clades, ſæua cuſtodia, ſuſpendiorum crudelitas, & vniuerſa tormenta, quæ interea latus & crudelitatis pertinax egregius Quæſitor exſpectat, Collega furtorum* PALATINVS *hortatur, inſtat* APPARITIO *turbulenta, vrget immitis* EXECVTIO MILITARIS. *Indignum facinus, hæc de ciuibus velut inter hoſtes pecuniæ placitis, non allegationum iuſtitia, non miſeratione finiri. Tanta vexatio cum nihil vnquam fiſci vtilitatibus proſit, tamen non deſinit iterari.*

Secundo illud ad *hanc leg.* notandum, Apocharum occaſione non vnam hanc a Diſcuſſoribus vexationem tributarias tuliſſe. Nam & Iudices quoque ſeu Rectores prouinciarum ſæpe Apochas ſub deceſſoribus ſuis datas emiſſas ad diſquiſitionem & diſcuſſionem reuocabant, & refricabant: *l. 185. inf. de decurionibus:* vbi etiam *Diſcuſſionis* vox, huic titulo conueniens occurrit. Idem faciabant & Suſceptores quandoque *l. 26.* & *l. 27. inf. de Suſceptoribus.* Vt ad hanc *legem* ſpeciatim redeamus: Ex ea igitur conficitur, *Apocham* ſeu quittanciam non ſemper neceſſariam eſſe, ſi alio modo ſolutio probari poſſit: veluti ex libris publicis actiſque: quod ipſum definitur, *l. 2. §. vlt. Cod. Iuſt. de quadriennii præſcript.* Vt contre, ex illis *legibus* conficitur,

citur, publicam Apocham ſolemniter confectam ita ſecurum reddere fiſci debitorem, vt excludat omnem aliam reciſionem, diſcusſionem, retractationem. Vnde & non numeratæ pecuniæ exceptio his opponi non poteſt; *l. vlt. Cod. Iuſt. de Apochis publ.*

Nunc tandem quid ſint POLYPTICA, quorum *hac leg.* mentio fit, videndum eſt: Quanquam & Cuiacius id iam aduerſus Alciatum recte oſtendit *IV. Obſ. 27.* & alioquin liquidum id ſatis, vel ex *fine legis*; vbi *Ratiocinia publica* vocantur, quæ initio *Polyptica*; idque etiam recte Interpres aſſecutus eſt *fine Interpretationis*, non item *initio*. Eorundem vero *polypticorum* fit quoque mentio *leg. 13. inf. de indulgentiis debitor.* Fuerunt igitur *polyptica*, publica Ratiocinia, ſeu libri publici, in quos tum tributi exigendi modus (quod docet *d. lex 13.*) tum tributi ſoluti ratio, quod *hæc lex* oſtendit, continebatur. Meminit eorum & Vegetius, *lib. 2. de re militari, cap. 19.* eaque ſimul aperte deſcribit: *Totius*, inquit, *legionis ratio ſiue obſequiorum, ſiue militarium numerorum, ſiue pecunia quotidie adſcribitur actis* (militaribus ſcil.) *Maiore prope diligentia, quam res annonaria vel ciuilis polypticis annotatur.* Caſſiodorus quoque *V. Variar. 14.* vbi de Iudice agit ad tributorum exæquationem delegato: *His*, inquit, *ſub omni ratione diſcuſſis, ea &c. omnibus a Te ſollicita atque æquabili indagatione compertis, polypticis iubeantur adſcribi, quatenus & teſtimonia fidei veſtræ clareant, & nulla poſthac, quæ abrogari volumus, ſemina fraudis iterentur.* Et *V. Variar 39. Dehinc*, inquit, *non polypticis publicis, vt moris eſt, ſed arbitrio Compulſorum ſuggeruntur prouincialium ſubiacere fortunæ. Quod genus euidentis eſt prædæ pro illius voluntate dare, qui ad ſuum commodum amplius feſtinat exigere.* Vide & Gregorium *lib. 7. epiſt. 40. & lib. 12. Epiſt. 30.* Vetus collectio Chronicorum ex Thoromachn; *Adrianus*, inquit, *benigniter tributa Vrbium plurimarum relaxauit, polepticis publicis incenſis, plurimos a tributis liberos fecit.* Marculphus 1. *formularum 19.* vbi pro *puletico publico* recte *polyptico* legit Pithæus. De nominis ratione dixit idem Cuiacius *IV. Obſeru. 27.* Dicam ipſe ad *legem 1. inf. de expenſis ludorum.* vbi de dyptichis. Hanc vero polypticorum mentionem ſuſtulit Tribonianus in *l. 2. C. Iuſt. eod. tit.* quam hinc miris modis interpolauit. Denique *polyptici*, vel *polyptica* ſunt libri ſeu chartæ cenſuales ratiociniorum publicorum: quæ & *vaſaria* dicuntur *l. 12. inf. de Cenſitoribus.*

P. 188.

DE ALIMENTIS, QVÆ INOPES PARENTES

DE PVBLICO PETERE DEBENT.

TITVLVS XXVII.

Abeſt hic *Titulus* a Cod. IVST. Quo vero nexu hic *Titulus* hoc loco poſitus eſt? Nempe caſus hic ſingularis proponitur, quo ex Tributorum collatione, & ex horreis in quibus *annona* condita erat, deripere, depromere, vſurpare quid licebat: cum id alioquin non liceret: eoque proinde etiam Indulgentiæ cuiusdam ſpecies erat.

PARATITLON.

INOPES PARENTES, *Rubr.* (egeſtate victus atque alimoniæ inopia laborantes, *l. 2. h. t.* nulla rei familiaris ſubſtantia fulti *d. l. 2. h. t.* in egeſtate miſerabili conſtituti, *d. l. 2. h. t.* qui Sobolem pro paupertate educare non poſſunt, *l. 1. h. t.* qui liberos ſuos ægre ac difficile ſuſtentant, *d l. 2. h. t.* vel ad indignum facinus prorumpant, *d. l. 2. h. t.* liberos ſuos forte vendere vel obpignorare coacti, *d. l. 2. h. t.* vel etiam parricidio manus polluere, *d. l. 1. h. t.* vel liberi fame conficiantur, *d. l. 2. h. t.* alimenta, *Rubr. l. 1. h. t.* veſtem, *d. l. 1. h. t.* ſtipem neceſſariam, *d. l. 2. h. t.* ſubſtantiam, *d. l. 2. h. t.* de publico, *Rubr.* ex fiſco, *l. 1. 2. h. t.* ex re priuata, *d. l. 1 h t.* ex horreis ſibi tribuendam, *d. l. 2. h. t.* petere poterant: *Rubr.* Officio Vicarii Præfecti Præt. *l. 1. h. t.* a Proconſulibus, Præſidibus, Rationalibus, *l. 2. h. t.* alimentorum impertiendorum cura eis demandata. Idque protinus, *d. l. 2. h. t.* ſic vt in alimentis præbendis non tardetur, *d. l. 1. h. t.*

I. (a) Imp. CONSTANTINVS A. ad Ablauium. (b) ......

AEREIS tabulis, vel Ceruſſatis, aut Linteis mappis, ſcripta per omnes Ciuitates *Italiæ* (c) proponatur Lex, quæ parentum manus a parricidio arceat, votumque (d) vertat in

melius:

melius: Officiumque (e) Tuum hæc cura perſtringat (f), Vt ſi quis parens adferat (g) ſubolem, quam pro paupertate educare (h) non poſſit nec in alimentis, nec in veſte inpertienda (i) tardetur, cum *Educatio naſcentis infantiæ morat ferre non poſſit*: Ad quam rem, & fiſcum noſtrum, & rem Priuatam indiſcreta iuſſimus præbere obſequia. Dat. III, Id. Maii, Naiſſo (k), Conſtantino A. IV. & Licinio IV. AA. Coss. [315.]

NOTAE.

(a) Abeſt hæc *lex* a *Cod. Iuſt.* vtpote localis. Inſeruit eam quoque recte Baronius *Annalibus ſuis An. D.* 315. n. 5. GOTHOFR.

(b) *Vicarium Præfecti Prætorio*, qui poſtea ipſe Præfectus Pr. fuit, (de quo dixi ad *leg.* 2. *inf. de Iudæis*) *An.* 326. 330. 332. 333. *ID.*

(c) Huius *Italiæ* Vicarim fuit Ablauius, vltra centeſimum videl. Vrbis poſitæ: de quo dixi ad *leg.* 2. *ſup. de integri reſtit.* quæ & ipſa Conſtantini M. eſt. *ID.*

(d) *Votum*, An deſtinatum parricidium? an potius Votum, quod parentes habuerunt de liberis ſuſcipiendis? *ID.*

(e) Officium Vicarii Italiæ nota. *ID.*

(f) *Perſtringat*, id eſt teneat adſtrictum, adſtringat. *ID.*

(g) An *adferat*? nil muto. *ID.*

(h) *Educatio*, alimenta & veſtem complectitur. *ID.*

(i) Ex fiſco videl. vel re priuata, vt mox dicitur. *ID.*

(k) Hanc loci circumſtantiam mox expendam. *ID.*

P. 189.

COMMENTARIVS.

CONSTANTINI Magni, vtraque *huius tituli* lex eſt in eodem argumento, & prior hæc quidem ad Italiam pertinet; poſterior vero ad Africam: In eandem vero vtraque ſententiam, de Alimentis, videl. veſteque inopibus parentibus, qui liberis ſuis exhibendis ipſi non ſufficerent, de publico præbendis. Rationibus vt humaniſſimis ita & eleganter additis: & quidem *hac l.* 1. Quod *educatio naſcentis infantia moras ferre non poſſit*: Quod axioma in Tractatu de *Alimentis*, iam peruulgatum eſt, ſiue ea a lege ordinentur, vt in ſpecie *huius leg.* ſiue ex diſpoſitione hominis debeantur. Item *Vt parentum manus a parricidio arceantur*, & rurſum *leg.* 2. *Quod abhorreat noſtris moribus, vt quenquam fame confici, vel ad indignum facinus prorumpere concedatur.* Ad indignum facinus, ait *lex* 2. ſiue quod parentes liberorum parricidium ob inopiam admitterent, forte etiam liberis expoſitis; de quo exponendorum liberorum more, *ſuo tit.* iam actum eſt; & quidem nominatim *leg.* 1. *ſupr. de Expoſitis*: quæ & ipſa Conſtantini M. eſt, ad eundem Ablauium iam P. P. ſiue quod liberos ſaltem venderent, aut oppignorarent, quod oſtendit *lex prox.* & *lex vn. ſupr. de his qui ſanguinol. empt. vel nutr. acceper.* quæ & *ipſa* Conſtantini M. eſt, & ad Italos pariter emiſſa, vt *hac noſtra*. Certe, eo quoque rebus ipſis hoc tempore ventum, vt inopum & obæratorum liberi pro ære paterno venderentur: de quo quæritur Baſilius *in Pſalm.* 14. *pag.* 112. *edit. Benedict. T. I.* Omnium tamen Conſtantini Conſtitutionum in hoc argumento hæc antiquiſſima eſt: eodem ſemper & perpetuo fine, etſi non vna ratione, parentum inopiæ & exinde impietati intercedentis, inter alias rationes, *Alimentis veſteque* de publico parentibus inopibus præberi iuſſis.

Qua parte varia obſeruanda veniunt, partim circa impium illum liberorum necandorum, exponendorum vendendorum, pignorandorum ob inopiam morem; deinde circa Conſtantini Magni ipſius hac parte inſtitutum. *Mos* igitur cum hic cæteroquin & iam antea percrebuerit, atque etiam Conſtantini ſeculo ſteterit; in *Italia* tamen id frequentatum maxime tum hæc *lex* oſtendit, tum & *d. lex vn. ſupr. de his qui ſanguinolentos.* Scilicet hac tempeſtate attrita vel ea maxime Orbis Romani pars fuit: inuecto partim ingenti tributorum malo (vnde *Annonaria Italiæ* nomen) & Italia tota variis Principum mutationibus, tandem & Maxentii Tyrannide deuaſtata, quem ante triennium Conſtantinus noſter deuicit, vt proinde ad ſummam inopiam Italia redacta fuerit.

De Conſtantini hac parte inſtituto id obſeruandum, cum Chriſtiani Principis negotium his Conſtitutionibus iam implere inter hæc ſuſceptæ fidei Chriſtianæ primordia; enixo etiam hanc in partem ſtudio ſuo non vna ratione oſtenſo. Primum eſt, quod *Æreis tabulis, vel ceruſſatis, aut linteis mappis* ſcriptam in id *legem* proponi iubet per omnes ciuitates Italiæ. Nempe hoc triplici genere in perpetuum manſuræ, *publicaque*, quas populo proponi oportebat conſtitutiones proponebantur; vel *tabulis*, inquam, iisque vel æneis, vel ceruſſatis, vel denique linteis mappis. De *æreis* legum & Conſtitutionum tabulis, paſſiua iam obſeruatio eſt: deque eo inter innumera teſtimonia, eſt Plinii quoque locus, *lib.* 34. *c.* 9. *Vſus æris ad perpetuitatem monumentorum iam pridem translatus eſt, Tabulis æreis, in quibus publicæ conſtitutiones inciduntur.*

De ceruſſatis tabulis, & mappis linteis nunc videndum eſt. Sane idem Conſtantinus Magnus, quadriennio poſt *hanc l.* priuilegia veteranis, quibus enixe fautum cupiebat, a ſe conceſſa tabulis pariter ſcribi, vel encauto & ceruſſa conſcribi permiſit *l.* 1. *de veteran. Veteranis*, inquit, *certa per Edictum indulſimus, quæ ſcribendi tabulis, vel encauto & ceruſſa conſcribere detur eis licentia.*

Ceruſſatæ ſcripturæ æneis proximæ erant, quæ plumbo videl. in acuto aceto fiebant: id enim eſt *ceruſſa*, vt notum eſt: Quarum tamen nulla quod ſciam alia mentio fit, præter has duas *leges*, niſi quod iam

iam olim plumbeæ laminæ fuere, in quibus ſcriptum: de quibus Voſſius 1. *Art. Grammat. 35.* Ceruſſatæ porro tabulæ Encauto conſcriptis, *l. 1. ſupr. de veteranis*, coniunguntur: *Encautum* erat expreſſio literarum quæ fit per aduſtionem & ceſtrum, ἐγκεκαυμένον (de quo dixi plenius ad *leg. 1. ſupr. de veteran.*) Vt proinde ceruſſatæ tabulæ videantur literæ prius in quacunque materia inciſæ, mox ceruſſa infuſa repletæ, cuiuſmodi videre eſt in multis antiquis monumentis. Pariter vt encauto conſcriptæ tabulæ erant aduſtæ.

Lintearum, mapparum & librorum meminerunt plures alii Scriptores; His iam olim deſcripta priuata monumenta, ſeu conceptus ſignati: Auctor Plinius *lib. 13. cap. 11.* Principum item quotidiana: Vopiſcus, *in vita Aureliani c. 8. Inueni nuper*, inquit, *in Vlpia Bibliotheca inter linteos libros Epiſtolam Diui Valeriani de Aureliano Principe ſcriptam: Valerianus Auguſtus Antonio Gallo COS. Culpas me familiaribus literis*, &c. vbi male Turnebus *luteos* repoſuit. Item publica Monumenta, veluti Romanorum geſta, de quo vide Liuium *lib. 4. c. 20.* Edicta, *hac l.* Typi perticarum ſeu diuiſionum & aſſignationum, v. Hyginum *lib. de limitib. conſtituendis p. 201. edit. Rigalt.* & *p. 193. edit. Goes. inter Script. Rei agrar.* Oracula ſeu Carmina fatidica, Symmachus *lib. 4. Epiſt. 34. Monitus Cumanos*, inquit, *lintea texta ſumpſerunt.* Claudianus *de bello Getico*, vocat *Carbaſum v. 231. ſeq.*

——quid carmine poſcat
Fatidico cuſtor Romani CARBASVS *aui.*

Carbaſinos libros vocat Marcianus Capella *in proemio Gramm.* Philoſtratus in v. Apollonii *ſindones* vocabat, in quibus Indis mos fuit ſcribere: vid. & Suidam *in πέπλος.* Linteas autem iſtas ſcripturas *Mappas* vocabant, vt hæc *lex* oſtendit, quarum *Mapparum* frequens mentio, ad Auctores *de limitibus.* Ad æternam igitur memoriam neceſſariam hoc Edictum triplici hoc tabularum & ſcripturæ genere proponi voluit Conſtantinus M. nulla facta *hac leg.* Encauti mentione, quod & ipſum quartum tamen publicæ ſcripturæ ſpecies fuit; Et vero ab ipſomet Conſtantino permiſſa veteranis ad priuilegia ſibi conceſſa proponenda *d. l. 1 ſupr. de veteranis.* Diuerſum ab hoc fuit Encauſtum quaſi diceres, *inardeſcens*, quæ ſcriptura in Principis vſu fuit, vnde & *ſacrum Encauſtum* dicitur *l. 6. Cod. Iuſt. de diuerſis reſcript.* purpureum videl. cum videl. cocti muricis & triti conchylii ardore paginæ ſignabantur.

Ex *hac* interim *leg.* & *d. l. 1. ſupr. de Veteranis*, colligitur; hac tempeſtate quatuor hæc quæ dixi publicæ ſcripturæ genera fuiſſe, quæque non aliter
P 190. vſurpare liceret, niſi in publicis monumentis conſcribendis, non in priuatis & priuilegiis, niſi Principe iubente vel permittente; *Proponatur*, ait *hæc lex* &c. *detur eis licentia, d. l. 1.* Et hæc de primo argumento enixi hac in parte ſtudii Conſtantinianei vbi illud rurſum monendum nullam *Marmorearum tabularum* mentionem a Conſtantino M. fieri, quæ tamen etiam in vſu fuere: quomodo Athalaricus Rex apud Caſſiodorum, & Senatusconſultum *tabulis marmoreis incidi decenter præcepit, & ante atrium B. Petri Apoſtoli in teſtimonium publicum collocari lib. IX. Var. ep. 16.*

Secundum enixi Conſtantinianei hac parte ſtudii argumentum iſtud eſt, quod non tantum ex fiſco publico, verum etiam *ex re priuata Principis*, ſuo proinde ærario alimenta hæc inopibus parentibus decerni iubet; *indiſcretis*, vt ipſemet loquitur, *obſequiis*, ne quis alioquin putaret Principem de alieno, neque Populi liberalem, rei vero priuatæ deparcum.

Vt verbo nunc rem hanc expediam: Mihi mens ea omnino, *hanc leg.* Conſtantinum M. non ea tantum cogitatione, qua impium occidendorum vel exponendorum liberorum morem deteſtati Scriptores Chriſtiani quique, (in quibus Tertullianus *lib. priore ad Nationes*, & *Apologetico*,) promulgaſſe: verum ſignate ad *Lactantii*, qui Præceptorem Criſpi filii Conſtantini hoc ipſo tempore agebat, inſtantiam, conſignatam quoque *libris diuinarum Inſtitutionum, lib. 6. cap 20. Ergo*, inquit, *ne illud quidem concedi aliquis exiſtimet, vt recens natos liceat* OBLIDERE, *quæ vel maxima eſt impietas. Ad vitam enim Deus inſpirat animas, non ad mortem; Verum homines, ne quod ſit facinus, quo* MANVS *ſuas non polluant, rudibus adhuc & ſimplicibus animis abnegant lucem non a ſe datam. Expectet vero aliquis, vt alieno ſanguini parcant, qui non parcunt ſuo: ſed hi ſine vlla controuerſia ſcelerati & iniuſti. Quid illi, quos falſa pietas cogit exponere? Non poſſunt innocentes exiſtimari, qui viſcera ſua in prædam canibus obiiciunt, & quantum in ipſis eſt, crudelius necant, quam ſi ſtrangulaſſent. Quis dubitet, quin impius ſit, qui alienæ miſericordiæ locum tribuit? qui etiamſi contingat ei, quod voluit, vt alatur, addixit certe ſanguinem ſuum vel ad ſeruitutem, vel ad lupanar. Tam igitur nefarium eſt exponere quam necare. Atenim* PARRICIDÆ *facultatum anguſtias conqueruntur, nec ſe* PLVRIBVS LIBERIS EDVCANDIS SVFFICERE POSSE *prætendunt, quaſi vero aut facultates in poteſtate ſint poſſidentium, aut non quotidie Deus ex diuitibus pauperes, & ex pauperibus diuites faciat. Quare ſi quis liberos ob* PAVPERIEM *non poterit educare, ſatius eſt, vt ſe ab vxoris congreſſione contineat, quam ſceleratis* MANIBVS DEI *opera corrumpat.* Qui hunc Lactantii locum cum *hac l.* contendet, in multis omnino pariare deprehendet; ac maxime, cum & tempora parient. Hoc enim illud ipſum tempus eſt, quo Lactantius *libros* ſuos Conſtantino Magno inſcribebat; illigato tum Conſtantino bello aduerſus Licinium, vt aperte ipſemet prodit *principio diuinarum Inſtit.* plenioris etiam victoriæ aliquando ſpem ei faciens. Et vero hoc illud tempus eſt, quo memorant Hiſtorici Sozomenus, Zoſimus, & Conſularia, Conſtantinum Magnum *Cibalenſe* prælium in Pannonia aduerſus Licinium confeciſſe, indeque ceſſiſſe tractum illum omnem Victori Conſtantino, qui Thraciam vsque procurrit; in quo tractu ſane eſt *Naiſſus* Daciæ, vnde hæc *lex* a Conſtantino Magno data eſt; de qua Vrbe præter aliquammultas *huius Codicis* conſtitutiones, vide & Ammianum Marcellinum & Itinerarium Peutingerianum. Imo hæc ipſa patria natalis fuit Conſtantini, de quo alibi. Neque etiam dubium

bium pleraque veteris ſine moris ſiue erroris a Conſtantino Magno emendata ſublata, monitu & ad ſuggeſtionem ſiue Lactantii, ſiue Lactantio ſimilium virorum piurum, quo in cenſu ſuit qnoqne *Oſius* Epiſcopus Curdubenſis; de quo in *Hiſtoria Eccleſiaſtica Conſtantini temporum.* Imo, eodem Lactantin ſuaſore, & Crucis ſnpplicium, & fronti, qnæ cruce ſignari ſolebat, inſcriptionis pœnam hoc ipſo annn 315. ſublata probo ad *l. 2. ſup. de pœnis:* vbi dicta huc qnoque transferantur. Hæc cum ita ſe habeant, landanda omnino Baronii diligentia, qui hanc quoque *legem* in *Annales ſuos* retulit. Neque enim iis tantum legibus *Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ* corpus inſtrui oportet, quæ circa rem Chriſtianam aperte occupatæ ſnut, verum etiam quæ Gentilium moribus emendandis, quibusque ad diſciplinam Chriſtianam via proxime munitur, ſancitæ fuerunt.

Ex hac vero Conſtantini M. in pauperes munificentia, atque adeo ex Conſtantini M. ſuper eo *legibus* apparet, quam ſterilis præ iis relatio ſit Auctoris *vitæ Conſtantini lib. 4. c. 28.* Et certe non aliunde melius certius & vitam & characterem Conſtantini colligas, vel aliorum Imperatorum, quam ex eorum conſtitutionibus: quod ſingulari *ἐπιςάσει* facio.

II. (a) Idem A. Menandro. (b)

PROVINCIALES, egeſtate (c) victus atque alimoniæ inopia laborantes, liberos ſuos vendere, vel obpignorare cognouimus: Quisquis igitur huiusmodi repperietur qui nulla rei familiaris ſubſtantia (d) fultus eſt, quique liberos ſuos ægre ac difficile ſuſtenter, per fiſcum noſtrum antequam fiat calamitati (e) obnoxius, adiuuetur: ita vt Proconſules, Præſidesque, & Rationales per vniuerſam *Africam* habeant poteſtatem, & (f) vniuerſis quos aduerterint, in egeſtate miſerabili conſtitutos, ſtipem neceſſariam largiantur: atque ex Horreis (g) ſubſtantiam (h) protinus tribuant conpetentem: *Abhorret* enim *noſtris* (i) *moribus, vt quemquam fame confici, vel* ad *indignum facinus prorumpere, concedamus.* Dat. Prid. Non. Iul. Romæ (k), Probiano & Iuliano Coss. [322.]

NOTAE.

(a) Et hæc *lex* pariter vt *ſuperior* abeſt a *Cod. Iuſt.* quia localis ea eſt. *GOTHOFR.*

(b) *Menander* hic proculdubio fuit *PP.* vt ex *hac ipſa l.* colligere licet, & quidem Italiæ, ibi, *vt Proconſules, Præſidesque & Rationales per vniuerſam Africam habeant poteſtatem, &c. ID.*

P. 191. (c) *Egeſtas* & *inopia:* vid. Iuretum in *lib. 10. Symmach. ep. 10. ID.*

(d) *Subſtantia*, vt mox, *ex horreis ſubſtantiam;* Nempe *ſubſtantia* eſt, qua ſubſiſtimus & ſubſtamus. *Victualis* hinc *ſubſtantia, l. vlt. ſup. de cuſtodia reor.* de quo plura vid. *in Gloſſis.* Eo ſenſu *ἄρτος ἐπιούσιος*, quod perperam verſum in *quotidianum. ID.*

(e) Vendendi, vel obpignorandi neceſſitati. *ID.*

(f) *γρ. Vt. ID.*

(g) *Horrea*, in quibus condita erat annona publica: de quibus alibi. *ID.*

(h) De hac *ſubſtantiæ* voce iam *ſupra* dixi. *ID.*

(i) *Noſtris*, An fidei & Religionis noſtræ? An ſtylo Imperatoribus proprio hæc addita, ad ciuilitatis famam tuendam? *ID.*

(k) Non ita id accipiendum, quaſi Conſtantinus M. hoc Anno 322. Romæ conſtiterit (qui ſane in Pannonia Sirmii aut Sabariæ conſtitit.) ſed quomodo hoc ipſo Anno accepta Romæ dicitur *lex 1. ſup. de indulgentiis crim.* Quod hæc *lex* Romæ *data*, id eſt, reddita & accepta a Menandro PP. fuerit; quam ipſe poſtmodum in Africam tranſmitteret. *ID.*

COMMENTARIVS.

SECVNDA hæc e quatuor Conſtantini M. eadem de re conſtitutionibus eſt; & quidem idem remedium continens, quod *ſuperiore* continetur. Aliquot tamen ſingularibus diſcriminibus: Primo ad *Africam* hæc *lex* pertinet; ſuperior ad *Italiam.* Nempe & Africa non tantum a Tyranno Maxentio haud ita pridem crudeliter vexata & exhauſta fuerat, quod peruulgatum; verum etiam ob annonam exinde Vrbicariam miſere exhauſtam, vnde hæc procul dubio prouincialium egeſtas enata. Secundo, Parricidio *lex* ſuperior occurrebat per Italiam iam ob inopiam Parentum frequentato: Atenim hæc *lex*, venditioni & oppignerationi, quod non adeo crudele; vt mireris, Africam monſtrorum feracem mitius hac parte conſuluiſſe quam Italos. Quanquam & Itali ipſi poſtea vendendi morem tenuerunt ſub eodem Conſtantino M. vt docet *lex vn. ſup. de his qui ſanguinolentos emptos vel nutriendos acceperint:* Sed & ſtetit nihilo ſecius exponendi mos ſub eodem Conſtantino M. vt docet *lex 1. ſup. de expoſitis.*

Reliquis quæ ad hanc *leg.* deſiderari poſſunt illuſtrandis, ſufficiunt tum *Notæ* ad hanc ipſam *leg.* tum ea quæ ad *ſuperiorem* iam *legem* dicta ſunt. Hiſtorica tantum *huius l.* ſectari tunc iuuat, deque iis quibus hæc alimentorum tribuendorum poteſtas imo neceſſitas iniungitur, de Proconſulibus, inquam Præſidibus & Rationalibus per Africam. Proconſules ſcil. per Africam numero plurali hic deſignantur.

Alii ſcil. poſt alios ordine ſucceſſiuo; Nam alioquin per Africam non fuit niſi vnicus Proconſul.

Qua

Digitized by Google

Qua cauſa Proconſularis Prouincia, & Proconſules de Africæ nominatim prouincia; de quo alibi, & Conſulares duo, Byzatii & Numidiæ, quos forte Conſtantinus etiam *Proconſulum* appellatione hic inuoluerit. Sequuntur *Præſides:* Præſidem ſcil. Mauritaniæ Sitifenſis & Tripolitanæ & Cæſarienſis intelligit; de quibus vid. Sext. Rufum Feſtum *in Breuiar. c.4.* & Notitiam Imperii *fol.114.115.154.* illius hæc verba; *Ac per omnem Africam ſex prouinciæ factæ, ipſa vbi Carthago eſt*, PROCONSVLARIS, *Numidiæ* CONSVLARIS; *Byzatium* CONSVLARIS; *Tripolis & Mauritaniæ duæ, hoc eſt Sitifenſis & Cæſarienſis ſunt* PRÆSIDALES. Notitiæ hæc ſunt verba, PROCONSVL *Africæ;* CONSVLARES *Byzatii, Numidiæ;* PRÆSIDES *Tripolitanæ, Mauritaniæ, Sitifenſis, Mauritaniæ Cæſarienſis.* Sequuntur *Rationales:* Rationalem ſcil. ſummatum Africæ, & Rationalem Summarum Numidiæ intelligit; de quibus in *Notitia Imperii fol.140.* item Rationalem rei priuatæ per Africam.

DE INDVLGENTIIS
DEBITORVM.
TITVLVS XXVIII.

Abeſt *hic Titulus*, iure *vltimus* in argumento tributorum, a COD. IVST. *De la remiſe des reſtes des Tailles.* Iunge Valentiniani Tertii *Nouellam 7. de Indulgentiis Reliquorum:* Et Marciani *Nouellam 2. de Indulgentiis Reliquorum:* & Maioriani *Nouellam 4.* etiam *de Indulgentiis Reliquorum.*

PARATITLON.

INDVLGENTIA, *Rubr. l.5.7.10.11.16. h.tit. l.4. inf. de auro coronario:* (vnde & indulgere, *l.1. 8. h.t.*) debitorum, *Rubr.* (id eſt tributorum, *l.12. h.t.* ſeu publicarum functionum, *d. l.12. h.t.* DEBITA enim hoc ſignificatu *paſſim*, & *l.3. 4.5.9.17.* ſeu *vlt. h.t.* & *l.6. ſup. de diuerſis reſcriptis*, quæ alias expreſſius debita publica, *l.6.10. h.t.* vnde & debitores, *l.3.9.11.14. h.t.* qui alias plenius debitores fiſci, *v. tit.16. lib.10.*) Gratia, *l.1.26. ſup. de annona & tribut.* ab Imperatoribus nonnunquam concedebatur, *l.2.3. h.t.* contribuebatur, *l.7.*
P. 193. *h.t.* id eſt debitores a debitis abſoluebantur, *l.14. h.t.* liberabantur, *l.15. h.t.* debita eis condonabantur, *l. vlt. h.t.* relaxabantur, *l.6. h.t.* concedebantur. *l.2.3.14. h.t.*

I. Ea vero, indulgentia data, vel RELIQVORVM, vt *l.1.3.5.6.8.9.10.11.14.15.16. h.t.* (vid. & *leg.1. ſup. ſine cenſu vel reliquis:* & *Nouellas* Valentiniani, Marciani & Maioriani de *indulgentiis reliquorum*) præteriti ſcil. temporis: Eaque quandoque omnium & cuiuscunque tituli, *l.1.3.5.6.9. h.t.* etiam auri & argenti, *l.9.16. h.t.* etiam primipili, *l.11. h.t.* Quandoque, excepto auro, argento, *l.1. h.t.* Quandoque exceptis debitoribus quorundam metallorum, *l.9.11. h.t.* Quandoque excepta Suarii canonis ratione, vt Nouella *Maioriani* 4. Quandoque pro parte dimidia tantum, *l. vlt. h.t.* Aliquando, annonariarum functionum tantum, non etiam largitionalium titulorum aut emphyteuticorum, *l.14. h.t.*

Et data, vel Omnibus, *l.3. h.t.* tam Curiis, quam Conlatoribus, ſeu poſſeſſoribus, *l.9.16. h.t.* vel certis Corporibus, vt Nauiculariis, *l.8. h.t.* ſuſceptoribus, *l. vlt. h.t.* item poſſeſſoribus donatarum vel releuatarum poſſeſſionum, *l.15. h.t.*

Item data vel per omnes Prouincias, *l.9.10. h.t.* vel certis diœceſibus, veluti Africæ, *l.1. h.t.* certis prouinciis, Africæ, *l.5.6. h.t.* ſuburbicariis, *l.12.14. h.t.*

Denique data, vel omnium reliquorum cuiuscunque temporis, *l.1.5. h.t.* vel certi temporis, puta aliquot tantum Indictionum, ſeu annorum, vt *l.3.6.8.9.10.11.16. h.t.* puta Quinque annorum (v. Eumenium *in Gratiarum actione Flauienſium nomine c.13.*) Viginti, *l.8.16. h.t.* Quadraginta, *l.9. h.t.* Hæc de Indulgentiis Reliquorum.

II. Indulgentiæ aliæ publicarum functionum ſeu debitorum dabantur in FVTVRVM, *l.2.4.12.13. h.t.* (Falluntur enim qui putant, *Indulgentias* tantum de Reliquis dici:) id eſt, immunitates, *κυφισμοὶ* Græcis: quæ vel datæ certis Diœceſibus, vel certis prouinciis,

veluti Africæ Diœceſi, & Africæ Proconſulari, *l.* 1. 8. 13. *h. t.* Byzacenæ, *d. l.* 13. *h. t.* Italiæ, *l.* 4. *h. t.* Italiæ prouinciis aliquammultis, *leg.* 7. *h. t.* Campaniæ, *l.* 2. 7. 12. *h. t.* Suburbicariis regionibus Tuſciæ & Piceno, *d. leg.* 12. *h. t.* ſeu Vrbicariis, *l.* 14. *h. t.* Et hæc ſcil. ſi forte querelam ſuper deſertorum agrorum nomine mouerent, *l.* 2. 12. 13. *h. t.* vel hoſtium vaſtatæ incurſibus illæ fuiſſent, *d. l.* 12. *h. t.* vel vetuſtatis grauior eas adſcriptio oneraret, *l.* 12. *h. t.* Ideoque data his Indulgentia varie: Quandoque præſtationis modus coarctatus, diminutus, *l.* 12. *h. t.* Quandoque iugerum aliquot deſertorum & ſqualidorum numerus, qui immunis impoſterum eſſet, definitus, *l.* 2. 13. *h. t.* quandoque penitus functio quædam remota; *l.* 4. *h. t.*

III. Tandem, tertium Indulgentiarum genus fuit mixtum: partim in Præteritum, partim in futurum: cuiusmodi extat *l.* 7. *h. t.*

Porro, cum indulgentiæ debitorum hæ vel ſimiles darentur, ſolitæ iuſſæque ab Imperatoribus chartæ, *l.* 2. 3. 6. 14. *h. t.* quibus videl. publica debita, *l.* 6. *h. t.* debitorum nomina & debita continebantur, *l.* 3. *h. t.* & ſuperfluæ deſcriptiones, *l.* 2. *h. t.* in medium congregatæ palam flammis aboleri, *l.* 3. *h. t.* cremari, *l.* 2. *h. t.* aboleri, *l.* 6. 14. *h. t.*

Illud denique notandum, ob indulgentiarum lætitiam ſolitos Curiales aurum coronarium Principi offerre, *l.* 4. *inf. de auro coronario.*

Cœterum Indulgentiæ, quæ *hoc tit.* continentur, habent ſequentes Principes Auctores. Iuliani ſcil. eſt *l.* 1. *h. t.* Honorii decem indulgentiæ, *l.* 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 12. 13. 14. *h. t.* Theodoſii Iunioris ſex indulgentiæ, *l.* 9. 10. 11. 15. 16. 17. *h. t.* Tandem ſi de locis quæritur, ad Africam pertinet *lex* 1. 5. 6. 8. 13. *h. t.* ad Italiam, *lex* 2. 3. 4. 7. 12. 14. *h. t.* & inter alias Italiæ prouincias, ad Campaniam *d. lex* 2. 7. 12. *h. t.* ad Orientem *lex* 9. 10. 11. 15. 16. 17. *h. t.*

IVLIANI *indulgentia reliquorum per Africæ diœceſim.*

I. (a) Imp. IVLIANVS A. ad Auitianum (b) Vic. Afric.

EXCEPTO auro & argento, cuncta reliqua indulgemus. Dat. VII. Kal. Nouemb. Antiochiæ, Acc. XV. Kalend. April. Karthag. (c) Iuliano A. IV. & Salluſtio Coss. [363.]

N O T A E.

(a) Abeſt hæc *lex* velut temporaria a *Cod. Iuſt.* Quænam *illi* porro aliæ *leges* iungendæ ſint? mox dicam. *GOTHOFR.*

(b) *Auitiani* huius Vicarii (Africæ) meminit quoque Ammianus Marcellinus, *lib.* 27. *cap.* 7. *Mamertinum,* inquit, *PP.* (Italiæ, Illyrici Africæ) *ab Vrbe regreſſum, quo quædam perrexerat correcturus, Auitianus ex Vicario peculatus detulerat reum.* Cui (Mamertino ſcil.) *ideo ſucceſſit Vulcatius Rufinus. ID.*

(c) *Karthagine* Vicarius Africæ morabatur; de quo in *Orbis Romani deſcriptione*; vbi ideo hæc *lex* accepta dicitur. *ID.*

C O M M E N T A R I V S.

P. 193. IVLIANI Imperatoris hæc Reliquorum Indulgentia eſt data ſine A. D. 362. Quæ quidem & pars eſt maioris conſtitutionis Iulianeæ, vt ex illis tribus *legibus* patet, quæ *huic* coniungendæ ſunt, puta *l.* 15. *ſup. de curſu publ. l.* 2. *de itin. mun.* item *l.* 7. *Cod. Iuſt. de ædificiis priuatis,* qua in vniuerſum Iulianus *Africanæ* diœceſi variis rationibus afflictæ, attritæ, ſuccurſum iuit: tum ratione itinerum publicorum ſeu viarum, quo pertinet *lex* 2. *inf. de itinere mun.* tum curſus publici, quo ſpectat *lex* 15. *ſup. de curſu publ.* tum ratione ædificiorum, quæ ſuis paſſim ornamentis defraudabantur, quo reſpicit *lex* 7. *C. I. de ædif. priuatis:* denique ratione tributorum, & quidem reliquorum, id eſt quæ ex præterito debebantur: quo ſpectat *hæc lex.* Scilicet vt cæteroquin ingens hæc calumniarum ſeges ſæpe erat: reliquorum, inquam, præteriti temporis exactio, ita reliquorum indulgentias Principes ſæpe emiſere; tum vt futuri temporis deuotionem prouocarent, tum ad colligendam gratiam, denique vt ſuccurrerent attritis calamitate publica prouinciis. De *Traiano* teſtis Auſonius *Gratiarum act. cap.* 32. & vetus lapis. De *Hadriano* teſtis Spartianus *in vita cap.* 7. Vetus lapis *apud Gruterum X.* 6. & Dio *in Epitom. Xiphilin. pag.* 354. *in fin. edit. Sylburg.* qui nominatim *ſedecim annorum reliqua* ab eo indulta ſcribit. De hac indulgentia Hadriani vid. & locum Euſebii *in Chron.* vt a Scaligero eſt editum, quem illuſtrat Claud. Salmaſius, & *alteram inſcriptionem* ſincere ſcriptam & emendatam adponit *in not. ad Spartian. l. c.* Exemplum quoque in *Antonino* Pio, de cuius indulgentia v. *Chronicon Alexandrinum pag.* 602. 603. *edit. Raderi.* In *Marco Antonino*, de quo rurſum *Dio in Epitom. Xiphilin. pag.* 372. *initio, Edit. Sylburg.* In *Conſtantino:* cuius quinquennalis indulgentia argumentum eſt Gratiarum actionis ab Eumenio dictæ ipſimet Conſtantino, nomine Flauienſium ſeu Heduorum, vbi hæc inter cætera occurrunt *c.* 13. *Quinque annorum nobis reliqua remiſiſti. O luſtrum omnibus luſtris felicius!* &c. v. & Euſebium

lib.

Digitized by Google

lib. 4. de vita Conſtantini c. 2. De *Gratiani* indulgentia agit Auſonius *in gratiarum actione c. 32.* Mitto *Honorianas* & *Theodoſianas* quæ *hoc tit.* deinceps ſequentur.

Ad has vero reliquorum Indulgentias allnſit qooque non vno loco Chryſoſtomus, vt *homilia IV. in illud, vidi dominum, & in Oziam regem, num 5. pag. 127. Tom. VI. Oper. Edit Benedictin.* vbi Regiæ dignitatis & Sacerdotii comparationem inſtituens, ait: ὁ βασιλεὺς inquit, λοιπάδας χρημάτων ἀφίησιν, ὁ δὲ ἱερεὺς λοιπάδας ἁμαρτημάτων: *Rex reſidua pecuniarum remittit, ſacerdos autem reſidua peccatorum.* Et *homilia I. in Acta Apoſtolorum, in fin. pag 458. edit. Commelin.* ſiu. *pag. 14. Tom IX Oper. Edit. Benedictin.* Κἂν μὲν βασιλεὺς πέμψῃ γράμματα, τοὺς ἐν δεσμωτηρίῳ λύων, εὐφροσύνη καὶ χαρά: ὁ δὲ Θεὸς καταπέμπει τὸ πνεῦμα ἐξ οὐρανῶν, οὐχὶ ἐλλείμματα χρημάτων, ἀλλ᾽ ὁλόκληρα ἁμαρτήματα συγχωρῶν. *Si imperator miſſis literis vinctos in carcere ſoluat, gaudium eſt ac letitia: Deus autem mittit Spiritum de cœlis, non pecuniæ reliquias, ſed vniuerſa peccata condonans (a).*

Nos de Iuliani indulgentiis videamus. Sane Ammianus quoque Marcellinus *lib. 25. cap. 4.* Iulianearum Indulgentiarum meminit: *Remiſſa*, inquit, *debita multa diuturnitate congeſta.* Indulgentiæ nominatim Antiochenis ab eodem Iuliano tributæ fidem facit ipſemet Iulianus, *in Miſopogone pag. 124* ſiu. *pag. 365. edit Lipſ. Spanhemii.* Οὐδ᾽ ἐπεγράψαμεν χρυσίον, οὐδὲ ᾐτήσαμεν ἀργύριον, οὐδὲ ηὐξήσαμεν φόρους, ἀλλὰ πρὸς τοῖς ΕΛΛΕΙΜΜΑΣΙΝ ἀνεῖται (præter RELIQVA remiſſis [a me]) πᾶσι τῶν εἰθισμένων εἰσφορῶν τὸ πέμπτον. *Non aurum imperauimus, non argentum exegimus, neque tributa amplificauimus, ſed præter reſiduum nondum perſolutum, quintam de conſuetis vectigalibus partem remiſimus.* Sed & alterius, Thracenſibus factæ cuius for nula integra exſtat Ep. 47. inter eius Epiſtolas. Τοῦτο καὶ ὑμῖν ἀπολύσει τὰ ὀφλήματα, ἀπολύσει δὲ οὐχ᾽ ἁπλῶς ἅπαντα, ἀλλὰ μεριαθήσεται τὸ πρᾶγμα, τὸ μὲν εἰς ὑμᾶς, τὸ δὲ εἰς τὴν τῶν στρατιωτῶν χρείαν. Τοιγαροῦν μέχρι μὲν τῆς τρίτης ἐπινεμήσεως (*vsque ad tertiam Indictionem.* ita verſum olim oportuit, id eſt, vsque ad A D. 360.) ἀφίεμεν ὑμῖν πάντα, ὅσα ἐκ τοῦ φθάνοντος ἐλλείπει χρόνου: μετὰ ταῦτα δὲ εἰσοίσεται κατὰ τὸ ἔθος. *Idcirco vobis debita condonamus. Neque tamen omnia, ſed pars vna vobis, cætera militibus cedet. Quare vsque ad tertiam indictionem vobis remittimus, quicquid e præterito tempore deſideratur; deinceps autem ſoluetis ſicut conſuetudo poſtulat.* Quam parce alioquin indulgentias debitorom, ſeu reliquorum Iulianus dederit, ipſemet teſtis eſt, *initio d. epiſtolæ 47.* βασιλεῖ μὲν πρὸς κέρδος ὁρῶντι χαλεπὸν ἂν ὑμῶν ἐφάνη τὸ αἴτημα, καὶ οὐκ ἂν ᾠήθη δεῖν τὴν δημοσίαν εὐπορίαν βλάπτειν τῇ πρός τινας ἰδίᾳ χάριτι: *imperatori ad lucrum ſpectanti difficilis veſtra poſtulatio videretur, neque vnquam paucorum gratia publicis vectigalibus detrimentum afferre is pateretur,* Et Ammianus Marcellinus diſerte *lib 16. c. 5. Denique idem vsque ad imperii finem & vitæ ſcimus vtiliter obſeruaſſe, ne per Indulgentias, quas appellant, tributaria rei concederet reliqua. Norat enim hoc facto ſe aliquid locupletibus additurum, cum conſtet vbique pauperes inter ipſa dictorum exordia ſoluere vniuerſa ſine laxamento compelli.*

Hinc etiam illud eſt, quod ſi quas Iulianus indulgentias dedit, neque omnibus promiſcue prouinciis generali aliquo Edicto dedit; neque ἁπλῶς vt ipſemet ait, ſeu omnium Reliquorum indulgentiam. Hinc vt μερικαὶ aliæ, quarum *ſupra* memini, ſunt ita & hæc eſt: nam vt dixi & ad *Africæ* diœceſim ea ſpectat: ab hac Reliquorum indulgentia excipit nonnulla: *Excepto tamen*, inquit, *auro & argento.* Nempe argenti & auri præſtationis peculiaris quædam ratio & ſingularis Principibus viſa ſuit: etiam alibi: quod oſtendunt variæ conſtitutiones, puta *lex 19. 32 34 ſup. de annona & trib.* & *lex 14 ſup. de iure fiſci:* Sic & de Traiano Auſonius memorat, in *Gratiarum actione, c 32.* eum indulgentiam partibus retentis dediſſe. *Fecerat & Traianus olim, ſed partibus retentis: non habebat tantam oblectationem conceſſi debiti portio, quanta ſuberat amaritudo ſeruati.* Partibus retentis, id eſt, parte quadam tributorum ſeu reliquorum non indulta: nam quomodo Scaliger id interpretatus eſt erroneum prorſus eſt.

Et idem Iulianus tamen, *l. 2. ſup. de immunitate conceſſa*, Capitationis Indulgentia, immunitateque ſingularibus perſonis a ſe tributa, immunitatem non ſolum annonarii tituli, verum etiam ſpecierum cæterarum, & largitionalium immunitatem comprehendi definit: *Neque enim*, inquit, *præſtanda diuidimus* &c. *Melius quippe eſt munificentiæ compendium integrum competere, quam ſæpius poſtulari.* Et ſane, niſi *hac leg.* nominatim auri atque argenti exceptionem Iulianus addidiſſet, generali Indulgentia aurum qooqoe & argentum comprehenſum fuiſſet: quomodo etiam comprehenduntur Theodoſiana indulgentia *l. 9. inf. hoc tit.* Et hæc quidem ſemel dicta ſint de Iuliani Imp. indulgentiis Reliquorum e tribus Iuliani ipſiusmet monumentis & hac eiusdem conſtitutione, & duobus Ammiani Marcellini teſtimoniis, quæ alioquin inter ſe pugnare videantur: quæ quidem ego ita conciliem: nempe

(a) Huc pertinet eiusdem CHRYSOSTOMI locus *Homil. de vtilit. lection. Script. in Princip. actor. 3. num. 4, pag. 77. Tom. III Opp. Edit Benedictin.* Τί ποτ᾽ οὖν ἐστιν ἀρχῆς σύμβολον, καὶ τίνα ἔχειν τὸν ἄρχοντα χρή; ἀφεῖναι χρημάτων ὀφλήματα, καὶ τοὺς μὲν ἀπολῦσαι ὄντας ὑπευθύνους τοὺς δὲ κελεῦσαι ἀποδοῦναι κύριός ἐστι. *Quodnam igitur eſt magiſtratus inſigne, & quænam ſunt, quæ habere debet hic magiſtratus? Pecuniarum debita dimittere, atque alios, qui obnoxii erant abſoluere, aliis vt reſtituant imperare ex ipſius pendet arbitrio.* Et paullo poſt *num. 5 ab init pag 78.* de Apoſtolis differens: Βούλει μαθεῖν πῶς κύριοι ἦσαν καὶ ὀφλήματα ἀφεῖναι; καὶ γὰρ καὶ ἐνταῦθα πολὺ τὸ διάφορον ὄψει. οὐ γὰρ ὀφλήματα χρημάτων, ἀλλ᾽ ὀφλήματα ἁμαρτημάτων ἀφίεσαν. *Vis intelligere, quo pacto in poteſtate illorum eſſet & debita dimittere? Si quidem hic quoque multum diſcriminis offendes. Neque enim pecuniarum debita, ſed peccatorum debita remittebant.*

Iulianum ante ſuum equidem Imperium debita multa diuturnitate congeſta, vt ipſemet loquitur, induſiſſe; quomodo ſane diſerte Iulianus indulgentiam Thracibus vsque ad Indictionem Tertiam diſerte tribuit. Et hæc noſtra ita quoque intelligenda eſt; non vero ſuo tempore contracta. Neque audiendus eſt Vir doctiſſ. Valeſius *in not. ad Marcellin lib. 25. c. 4.* qui ita conciliabat, quaſi chryſargyrum remiſerit, non tributa, id eſt luſtralem colla-
P.194. tionem, arg. *leg. 50 inf. de decurionibus.* Marcellinus enim ait DEBITA Iulianum remiſiſſe multa diuturnitate congeſta. *Debita* ἁπλῶς, id eſt tributa: ſic enim ea vox accipitur paſſim, quod iam ſæpe notaui, etiam *ad l. 6. ſup. de diu. reſcript.* Interim, quando de Iulianeis Indulgentiis ſermo eſt: age, duæ adhoc eiusdem Imperatoris etſi alterius generis & μερικαὶ occurrunt: Indulgentia, inquam, anni coronarii, *l. 1. infr. de auro coronario:* de quo Am. Marcellinus quoque *lib. 25. cap. 4.* Item Indulgentia Iudæis tributa tributi alicuius, quod his ſub Conſtantio indici ſolebat, vt docet eius *epiſtola 25.* quæ ſcripta eſt ἰουδαίων τῷ κοινῷ. Contra, de Immunitate ab extraordinariis muneribus quæ Eccleſiis & clericis ab anterioribus Principibus Chriſtianis, tributa fuerat, a Iuliano reuocata, dixi ad eius *l. 10. ſup. de extraord. mun.*

Hic interim exemplum habemus Indulgentiæ non generalis: verum certæ prouinciæ conceſſæ: vt quamplurimæ aliæ *huius tituli* leges ſunt, quas in *Paratitlon* iam conieci. Apud Caſſiodorum quoque occurrunt quamplurimæ Indulgentiæ huiusmodi μερικαὶ, vel ſingulis prouinciis indultæ, vel etiam vni vrbi, aut hominum generi: veluti Arelatenſibus, ob obſidionis toleratæ penuriam *III. Var. 32.* Tridentinis, *II. Var. 17.* Negotiatoribus hoſtium depopulatione vaſtatis: veluti Sipontinis, *II. Var. 38.* aliis, *IV. Var. 19.* vniuerſis vero Prouincialibus Galliæ, quod hoſtili ferocitate vaſtati eſſent, *III Var. 40.* Prouincialibus Alpium Cottiarum, ob tranſitum exercitus, *IV. Var. 36.* Campanis, Veſuuii montis hoſtilitate vaſtatis, *IV. Var. 50.* Venetis, Sueuorum incurſione vaſtatis, *XII. Var. 7.*

HONORII *indulgentia* Campaniæ *tributa, aliquot iugerum velut deſertorum & ſqualidorum.*

II. (a) Impp. Arcad. & HONOR. AA Dextro PF. P. (b)

QVINGENTA viginti octo millia quadraginta duo iugera, quæ *Campania* prouincia, iuxta Inſpectorum (c) relationem, & veterum monumenta chartarum, in deſertis & ſqualidis locis habere dignoſcitur, hisdem prouincialibus conceſſimus (d), & chartas ſuperfluæ deſcribtionis cremari cenſemus (e). Dat. IX. Kal. April. Med. Olybrio & Probino Coss. [395.]

NOTAE.

(a) Abeſt hæc *lex* a *Cod. Iuſt.* velut temporaria. *GOTHOFREDVS.*

(b) *Dexter* PP. ſub Honorio Imp. ſcil. Italiæ: quod hæc *lex* ipſa oſtendit, cum ad Campaniam proprie pertineat. *v. Proſopogr. ID.*

(c) De *Inſpectoribus* ſuo *titulo inf. lib. 13. de cenſitorib. peræquator. & inſpectorib. ID.*

(d) *Conceſſimus*, vel *concedimus*: id eſt immunia a tributis facimus: Eadem vox eodem ſenſu occurrit *l. 3. 14. inf.* & *l. 3. ſupr. de immunitat. conceſſ* & *l. 17. de Prætor. ID.*

(e) *Cenſemus* id eſt iubemus, ſimiliter & *l. 3. infr. h. t. ID.*

COMMENTARIVS.

HONORII Imperatoris decem Indulgentiæ ſequuntur *hoc titulo* ab A. D. 395. ad 423. quarum hæc omnium prima eſt: cœteræ ſunt *lex 3. 4. 5. 6. 7. 8. 12. 13. 14.* Ex his, quatuor continent indulgentiam Reliquorum, quinque immunitatem & indulgentiam non Reliquorum, quod alioquin proprium *huius tituli* argumentum eſt, verum in futurum totam, vel certæ quantitatis. Rurſum ex his nonnullæ ſingulares prouincias reſpiciunt; & Campaniam prouinciam nominatim tres, puta hæc *lex* & *lex 7.* & *12. inf.* Picenum & Tuſciam ſuburbicarias regiones eadem *lex 12.* ſeu vrbicarias regiones *l. 14.* Ex quibus interim, tam multiplicibus Honorianarum indulgentiarum generibus iudicium facere licet, de adflicto horum *Honorii* temporum per Imperium Occidentale ſtatu: ſunt enim hæ indulgentiæ remedia quibus feſſæ prouinciæ ſubleuantur. De *hac l.* nunc videamus.

Igitur *hac l.* Honorius Imp. CAMPANIÆ, Italiæ prouinciæ, ex modo integro iugorum ſeu iugerum cenſitorum, inque cenſuales libros (quos *polypticos* vocabant) recenter relatorum quorum ſcil. nomine cenſus ſoluendus eſſet, Quingenta viginti octo millia quadraginta duo iugera 528042: concedit, id eſt immunitatem a tributis de cœtero indulget: Nempe quod tum *Inſpectoribus* miſſis, veteribusque chartis ſeu libris cenſualibus inſpectis apparuiſſet tot iugera deſerta & ſquallida per Campaniam eſſe. Eumque in finem Honorius nouos libros cenſuales, ſuperfluam deſcriptionem continentes, cremari iubet.

Vbi multa ſingularia notanda veniunt.

Primo ex *hac l.* diſcimus & ex *l. 12. inf. Campanos* hac tempeſtate apud Honorium queſtos deſertis poſſeſſoribus moleque noui cenſus, de cuiusmodi querelis agetur *inf. tit. de Cenſitoribus.* Nempe

cum

cum vrbis Romæ vſibus neceſſaria quamplurima forent, & Campania in id plurima miniſtraret, de quo *l. 3. inf. de ſuar.* & *l. 3. inſ. de calcis coctoribus*, iam olim tamen deſertorum & ſquallidorum Campaniæ locorum iugerumque numerus ſubductus fuerat, qui immunis eſſet; verum recenter, obtentu vrbicæ neceſſitatis, deſerta illa quoque loca ad collationem deuocata fuerant. Hinc itaque querelæ illæ Campanorum. Alia vero cauſa eſt indulgentiæ illius, quæ eidem Campaniæ poſtea conceſſa: *l. 7.* Vtramque cauſam habet ſeu præſert *lex 12.*

P. 195. Quare ad hanc querelam, (quod ſecundo loco obſeruandum hic) *Inſpectores* in id miſſi ab Imp. Honorio, qui inſpectis locis, veterumque librorum cenſualium monumentis exploratis, deſertorum iugerum vel iugorum numerum ad Imp. retulerunt: Quo more & per Africam miſſi, *l. 13. infr. h. t.* De cuiusmodi Inſpectoribus *infra, ſub titulo lib. 13. de Cenſitoribus, &c.*

Vbi Tertio notandum, quod de veterum chartarum monumentis hac in re inſpectis additur, quorumque adeo fidem hic ſequitur Honorius A. quo non abludit prorſus, quod de probatione per cenſus & monumenta publica refertur a Marcello IC, in *l. 10. D. de probationibus.*

Quarto obſeruanda ex *hac l.* vt & ex *l. 13. infr. hoc tit.* ſingularis ratio indulgentiæ, nempe iugerum aliquot ceu deſertorum & ſqualidorum deinceps e cenſibus eximendorum. Cuiusmodi eſt indulgentia Auguſtodunenſibus tributa a Conſtantino M. cuius nomine Eumenius gratias ei agit peculiari *Panegyrica cap. 10. & 11. Releuaturus cenſum, definiſti numerum: ſeptem millia capitum remiſiſti, quartam amplius partem noſtrorum cenſuum: Remiſſione iſta ſeptem millium capitum, viginti quinque millibus dediſti vires &c.* Similis etiam Indulgentia ſeu κυφισμὸς *l. 13 inf.* ſimilis, quam memorat Theodoretus *ep. 42* κυφισμὸς, Cyri ciuitatis & regionis: vbi ait ciuitati illi fuiſſe quinquaginta millia iugorum immunium ἐλευθερικῶν, alia decem millia ταμιακά.

Huic accedat ſimilis quædam Indulgentia a Iuliano Antiochenis facta trium millium iugerum: de qua ipſe agit *fine Miſopogonis pag. 370. edit. Lipſ. Spanhem.* quæ potentiores & locupletiores inter ſe iniuſte diuiſerant: recte enim ibi Interpres, γῆς κλήρους τρισχιλίους ἀπόρους vertit, *agri iugerum tria millia infructuoſa:* perperam Petauius, qui id accepit de ſortibus vacantibus caducisque mortuis hæredibus: ἄποροι κλῆροι ſunt, quæ hic dicuntur, deſerta & ſqualida loca.

Quinto notandus numerus deſertorum & ſqualidorum locorum iugerumque atque adeo immunium ἐλευθερικῶν per Campaniam, quæ *Felix* alioquin erat, & dicebatur.

Poſtremo obſeruandus mos *chartarum ταμιακῶν*, ſeu cenſualium librorum cremandorum, vbi Indulgentia & releuatio quædam prouinciis a Principibus concederetur: cui rei fidem faciunt præter *hanc leg.* tres, inſuper hoc *ipſo titulo* leges, puta *lex 3. 6. 14.* quibus adde & *l. 3. ſup. de iure fiſci.* De Hadriani Imp. iam olim indulgentia Spartianus *in eius vita cap 7. Debitoribus*, inquit, *in prouinciis ex reliquis ingentes ſummas remiſit, ſyngraphis in foro Diui Traiani, quo magis ſecuritas omnibus roboraretur, incenſis:* Qua de re ipſa, vide & Hieronymum, & Caſſiodorum *in Chronicis COSS. Auiola & Panſa.* Ait vero Spartianus *ſyngraphis;* id eſt inſtrumentis, ſcripturis, ex quibus debitores conueniri potuiſſent. Hieronymus ex Euſebio *chartis*, quo modo *hac l.* & ſic polypticis ſeu libris cenſualibus: quomodo exerte vetus collectio chronicorum ex Thoromaeho apud Salmaſium *in not. ad Spartian. Hadrian. c. 7. Adrianus vtraque lingua eruditus benigniter tributa vrbium plurimarum relaxauit, polepticis publicis incenſis, plurimas etiam ipſis tributis liberos fecit.* Vbi *poleptica*, pro polypticis: de quibus dixi ad *l 2 ſup. de diſcuſſorib.* Idem factum ab Antonino Pio, teſtis Auctor *Chronici Alexandrini pag. 602 603. edit. Raderi:* καὶ οἱ ταμειακοὶ χάρται δωρεὰν ἐκαύθησαν, *& tabulæ creditorum exuſtæ.* A M. Antonino narrante Xiphilino *in Epitome Dionis pag. 372. init. Edit. Sylburg* καὶ πάντα τὰ περὶ αὐτῶν γράμματα ἐν τῇ ἀγορᾷ καυθῆναι ἐκέλευσε, *iuſſitque Syngraphas omnes ſcriptas de iis rebus in foro comburi:* & Oroſius *lib. 7. c. 15. Omniaque ſimul fiſcalium negotiorum calumnioſa monimenta congeſta in foro iuſſit incendi.* Idem factum ab Aureliano Vopiſco teſte *c. 39.* De Iuliani Indulgentia Iudæis facta teſtis ipſe *Ep. 25.* καὶ πυρὶ παρέδωκα τὰ βρέβια τὰ καθ' ὑμῶν ἐν τοῖς ἐμοῖς σκρινίοις ἀποκείμενα, ὡς μηκέτι δύνασθαι καθ' ὑμῶν τινὰ τοιαύτην ἀκοντίζειν ἀσεβείας φήμην, *tabulasque incendi, quæ in meis ſcriniis ad vos opprimendos cuſtodiebantur, vt nemini liceat deinceps tantæ impietatis rumorem in vos ſpargere* Di Gratiani tandem multis Auſonius *in Gratiarum actione c. 32. Tu* inquit, *argumenta omnia flagitandi publicitus ardere iuſſiſti:* atque hæc quidem hactenus ad hanc *legem* dicta ſufficiant. Quanquam neque omitti oportet, quod Ambroſius *Oratione funebri de obitu Theodoſii M.* quam hoc ipſo Anno 395. XXV. menſis Februarii, id eſt ante menſem habuit, ſcribit de Indulgentia debitorum, quam Theodoſius M. dari teſtamento iuſſerat, quamque executioni tradiderint filii eius, & ſic Honorius quoque *huius l.* Auctor. *Nihil ſpecioſius*, inquit, mox ab initio, *ei* (intelligit Theodoſium) *in mortem ſeruatum eſt, quam quod immanc quantis promiſſa* ANNONARVM *exigendarum relaxatio dum moratur, facta eſt ſucceſſio eius indulgentiarum hæreditas, vt ille qui voluit impedire, ſibi odium fecerit: Theodoſio tamen tanta cumulus gratiæ non ademptus ſit.* Et mox: *Præcepit dare legem Indulgentiæ, quam ſcriptam reliquit. Quid dignius quam vt teſtamentum Imperatoris lex ſit?* Vt forte hæc ipſa *lex* deſtinatæ a Theodoſio Indulgentiæ pars ſit, quam proximo poſt mortem Patris menſe Honorius in ſuum nomen tranſcriptum ediderit. Similem ſane ſecutus Honorius paternam diſpoſitionem (vt ipſemet profitetur, *l. 11. & 12. infr. de infirmandis his quæ ſub tyrannis*) hoc ipſo anno, poſt duos tantum menſes, indulgentiam pariter ſeu veniam iis, qui Eugenii Tyranni partes ſecuti fuerant, tribuit; quo ſpectat alter in *eadem Oratione* Ambroſii locus, quem ad *eam l.* conſignabo. Quod

vero Annonariam Indulgentiam pertinet, de qua eſt quoque *lex 4* & *14. inf.* ad eandem ſpectare videtur, quod Symmachus ſcribit *lib. 3. ep. ad Ambroſium 33.* vbi tam controuerſa lectio habetur: ibi, *non patitur vt annorum* (alii *annonarum*, alii *equorum*) *pretia poſſit exſoluere, quæ iam multis eiusdem temporis Iudicibus Imperialis clementia relaxauit.*

P. 196.

III. (a) Idem AA. Andromacho P.V. (b)

OMNIVM Titulorum (c), ſiue qui ad Inluſtres Viros Præfectos (d) Prætorio, ſiue qui ad Largitiones Noſtras pertinent, vsque in Conſulatum primum (e) Clementiæ noſtræ, id eſt, vsque *Indictionem Quintamdecimam* (f), quæ proxima fuerit (g) reliqua vniuerſa concedimus. Atque vt ipſa memoria reliquorum intereidat, chartas omnes, ſiue quas Tabularii (h) ciuitatum, ſiue Officia Iudicum, ſiue Officium Palatinum (i), ſiue Diſcuſſores (k) habent (quibus tamen eius temporis & debitorum nomina, & debita continentur) vndique in medium congregatas palam flammis (l) iubemus aboleri. Poſt Conſulatum (m) vero manſuetudinis noſtræ, id eſt, a *Prima Indictione*, in conſulatum Olybrii (n) & Probini, omnium reliquorum exactionem ſuſpendi oportere cenſemus, donec admoniti Ordinarii Iudices nominatorios (o) breues, absque vlla conſcribtos fraude, transmittant, quibus aperte liqueat, quæ penes Minuſeularios (p), quæ penes Curiales (q) debita, quæ tam (r) in defectis domibus habeantur: his enim præcipue conſulendum eſt, qui iuſto remedio indigent. Nouerint igitur Officia ad ſe omne diſpendium rediturum, ſi occultatis idoneis, in eorum locum fæneos (s) defectoſue ſubiecerint. Ex Conſulatu (t) ſane Olybrii & Probini, id eſt, ex *Nona Indictione*, in præſentem diem accelerari ſolutionem omnium conueniet debitorum. Eos etiam, qui perſonalibus debitis ſacro Ærario tenentur adſtricti, id eſt, Conductores diuerſorum portuum ac vectigalium, volumus eſſe ſecuros: Publicani etiam & Telonarii (v), Præpoſiti Theſaurorum (x), atque Baſyorum (y), Procuratores Gynæciariorum (z) ac Monetariorum (aa), ceterique (bb), quos omnes in chartis ſuis Officium Palatinum (ee), ſine vllo ætatis fine, cuſtodit, decernimus, vt quæcunque per eos debita contracta ſunt, ſubmoueantur: ab heredibus etiam memoratorum exactionis atrocitas conquieſcat. Dat. VII. Kal. Iul, Med. Vincentio & Frauitta Coss. [401.]

NOTAE.

(a) Abeſt & hæc *lex* velut temporaria a *Cod. Iuſt.* GOTHOFR.

(b) *Andromachus* ſub Honorio A. D. 401. P. V. quomodo & Anno 395. v. *Proſopogr.* Et tamen puto, quin hic reponendum ſit *PP.* & Præfectum Prætorio Galliarum accipiat. Sane *Præfecti Vrbis* nomen ſtare hic non poſſe, argumentum eius mox oſtendit. Eundem paulo antea ſub Theodoſio M. (Honorii P.) Comitem R. P. fuiſſe oſtendit *lex 4. C. Iuſt. de inceſtis nupt.* ID.

(c) *Titulorum*, id eſt, Collationum, functionum, tributorum. v. *Gloſſ. Theod.* ID.

(d) Hinc *Acta* Præfecti Præt *l. 6. 9.* vbi dicam & *16.* & *vlt. infr. hoc tit.* ID.

(e) Id eſt, *Honorio N. P. & Euodio* COSS. & ſic A.D. 386 ID.

(f) *Indictionum* fit mentio nouemdecim legibus *huius Codicis*: nouem *huius tituli*: puta *hac l.* & *l.* 6. 7. 8. 9. 10. 14. 16. & *vlt.* & aliis præterea nouem: puta *l. 11. ſupr. de curſu publ. l. 11. ſupr. de iure fiſci*, *l. vn. infr. de claſſicis. l. 18 de ſuſceptorib. l. 3. de equorum conlat. l. 38. ſupr. de annona & trib. l. vlt. ſupr. de conlat. donatar. l. 173. infr. de decurion. l. 2. de præd. Curial.* De his peculiare caput confecimus in *Chronico Conſulari Theodoſ.* ID.

(g) Suſtineri, poteſt: Hoc tamen ſenſu ſemper, pro, *fuit.* ID.

(h) De his *Tabulariis* dictum iam *ſuo titulo*, & ad *leg. 1. infr. de cenſu.* ID.

(i) Id eſt, Comitis S. L. ID.

(k) De *Diſcuſſoribus* fuit ſupra *titulus 26.* ID.

(l) De hoc iam dixi ad *legem ſuperiorem.* ID.

(m) Et ſic *Valentiniano III. & Eutropio* COSS. A. D. 387. ID.

(n) Id eſt, A. D. 395. ID.

(o) *Nominatorii* Breues, imo *Notorii.* ID.

(p) De *Minuſcularii*s in ipſo *Commentario.* ID.

(q) *Curiales*, tributorum exactores. ID.

(r) *rp. Quæ etiam.* ID.

(s) De hac voce *fænei* vide *Gloſſarium Theodoſianum.* ID.

(t) Id eſt, Ab A. D. 395. ID.

(v) De *Telonariis* vid. *Gloſſarium.* ID.

(x) De *Præpoſitis* his *theſaurorum* mox. ID.

(y) De

(y) De *Præpoſitis baphiorum*, mox. *ID.*

(z) De *Procuratoribus Gynæcuariorum*, mox. *ID.*

(aa) De *Procuratorib. Monetariorum*, mox. *ID.*

(bb) Puta *Præpoſiti Barbaricariorum*, ſiue *Argentariorum*, de quibus mox. *ID.*

(cc) Comitis S. L. *ID.*

COMMENTARIVS.

HONORII hæc *ſecunda* iam *hoc titulo* Reliquorum Indulgentia eſt: data A. D. 401. non vni prouinciæ adſtricta, ſed plenaria, per totam Præfecturam, cui Andrumachus, ad quem hæc *lex* data eſt, præerat: Neque tamen pleniſſima & abſoluta, verum ſub trium διαςημάτων, & ſic vt dicam, Epocharum diſtinctione; Nempe plenam omnium Reliquorum cuiuſcunque generis Indulgentiam ad primum ſuum vsque Conſulatum, id eſt, ad A D 386. vsque, concedit *hac l.* Honorius: hæc prima Epocha eſt. Atenim ſecuoda epocha eſt nouennii, ab A. D. 386. ad annum vsque 395. ſeu *Olybrii & Probini* Conſulatum, quo is patre mortuo imperare cœ- f.197. pit, Huius vero temporis & epochæ Exactionem ſuſpendi iubet, breuesque *nominatorios*, vel potius *notorios*, reliquorum referri, vt iis viſis non iam in commune Indulgentia tribuatur, verum iis ſigillatim conſulatur, qui iuſto remedio egent, in defectis & inopibus; contra idonei Reliqua ſoluere cogantur. Poſtrema Epocha eſt ſexennii, & quod excurrit ab An. D. 395. ſeu initio Imperii ſui ad præſentem annum 401. Huius vero temporis Reliqua ſolui eorumque ſolutionem *accelerari* iubet.

Hæc ſumma eſt *huius leg.* ſententia, quæ variis Ampliationibus conſtat, ſingularibusque obſeruationibus ſcatet.

Primo quidem qood Temporum & Epocharum characteriſmum attinet, notaodi ſunt hic Conſulatus, & INDICTIONES his reſpondentes: & tres quidem: Nempe *Indictio XV.* componitur cum primo Hooorii Conſulatu, id eſt, A. D. 386. cum tamen in *Chronico* Marcellioi, & *Alexandrino* Indictio XIV. cum eo conſulatu componatur: Item *Indictio prima* hic componitur cum Anno 387. cum tamen in *prædictis Chronicis* Indictio XV. componatur cum eo Aono: Tandem hic Conſulatus Olybrii & Probini, id eſt A. D. 395. componitur cum Nona Indictione; cum tamen componatur in *prædictis Chronicis* cum Octaua Indictione. Et ſic vbiqua hic vna Indictione antenertit: De quo *ſuo* iam *loco* ſemel dixi.

Secundo notanda *Titulorum* diuerſitas, ex quibos fiſco quid debebatur, & ſic debitorum publicorum ſpecies. Eæque duum generum: alii ſcil. canonici & *generales* tituli ſunt, vt vocantur *l. 9. inf.* quæ ſcil. communiter & canonico titulo paſſim ab omnibus inſerebantur: iique vel ad Præfectos Prætorio pertinebant, ſeu arcæ Præfecti Prætorio inſerebantur, vt *l. 6. 9. 16. & vlt. hoc tit.* vel ad Largitiones Priocipis. Denique erant vel annonariæ functiones, vel largitionales tituli, *l. 14. infra.*

Tertio notandum, *chartas* debitorum ſeu Breues Reliquorum apud quatuor hominum genera fuiſſe: Primum apud *Tabularios* ciuitatum, de quibus plene dixi ad *l. 1. ſup. de Tabulariis, lib. 8. tit. 2.* Hi ſcil. circa rem tributariam occupati, teſte etiam Sidonio *lib. 4. ep. 11.* chartas ſeu chartulas publicas ſeu ratiocinia publica tractabant, nominaque debitorum prodebant: *l. 2. & l. vlt. ſup. de Tabular. l. 8. ſup de fil. mil. apparit. l. 16. ſup. de exactionibus.* His quippe primum quadrimenſtrui Breues tributorum publicabantur: *l. 27. inf. de Suſceptoribus*, exactionis libri tradebantur, Ioterpres ad *leg. 1. inf. de cenſu.* Deinde ipſi exactoribus dabant Breues, neque exactores aute conuenire poterant debitores: *l. 1. ſupr. de exactionib.* Secundo chartæ debitorum erant apud *officia Iudicum*, ſeu Rectorum prouinciarum. Tertio erant apud *officium Palatinum*, id eſt, Comitis S. L. a quo procedebant ſeu promanabant Quadrimenſtrui Breues: Tandem erant apud *Diſcuſſores*, qui ſcil in id mittebantur, vt manifeſtos debitores ſeu Reliquatores ad ſolutionem cogerent, *l. 21. inf. quorum appellat.* de quibus ſuo *tit. ſupra, de Diſcuſſoribus.*

Quarto obſeruandum iuberi chartas omnes debitorum ſeu Reliquorum vndique in medium congregatas palam flammis aboleri: de quo more dixi plene ad *l. 2 ſup.*

Quinto notandum, quod de *Nominatoriis* Breuibus dicitur: qui quidem ita deſcribuntur, Breues qui ab Officiis ordinariorum Iudicum, id eſt Rectorum prouinciarum conſcribebantur, mox tranſmittebaotur: quibus aperte deſignabatur, quæ penes Minuſcularios, quæ penes Curiales debita ſeu reliqua eſſent, quæque in defectis domibus habebantur. Sunt qui *Notarios Breues* hic ſubſtituunt, quæ alias Notariæ, vel Notoriæ, de quibus alibi. Tentet quis etiam Commonitorios Breues. Commonitorium ita quoque eſt ſecundum *Gloſſ. Nom.* ἐπιςολὴ προςατικὴ ἀποςελλομένη εἰς χώρας: denique omnis charta ex qua fides alicuius rei petitor: de quo dixi plene ad *l. 2. ſup. ſi certum pet. de ſuffrag. & l. 27. ſup. de erog. mil ann.* Niſi denique malit quis, Nominatorios Breues, quibus nomina continebantur ſeu exprimebantur eorum, penes quos reliqua reſidebant.

Sexto notanda doo *Exactorum*, val *Suſceptorum* genera: nempe Miouſcularii & Curiales. *Minuſcularii* ſunt ſpeciales & minimi tributorum Exactores, *Collecteurs particuliers*: a minuſculo, quod ἐπίλαττον: vnde & minuſcula præmia, Imperatores & Tyranni minuſculi apud Hiſtoriæ Auguſtæ Scriptores, & ſimilia paſſim. Auguſtinus *lib. 7. de ciuitate Dei, c. 4. Ridemus*, inquit, *cum Deos videmus partitis inter ſe operibus diſtributos tanquam* MINVSCVLARIOS *vectigalium conductores.* Alio tamen hic ſenſu Minuſcularii, etſi proximo, accipiendi quam apud Auguſtinum: nam poſtea demum *verſ. eos*, de Condoctoribus vectigalium agitur, io veteri Gloſſ. *Vectigal minuſculum*: De Curialibus ſuſceptoribus tributorumque Exactoribus *ſuis titulis.*

Poſtremo loco & capita agitur de PERSONALIBVS, vt vocantur, debitis, qoæ generalibus, de quibus

bus *ſup.* opponuntur: ad quos etiam *huius leg.* Indulgentia reliquorum porrigitur. Perſonalia ſunt ea, quæ non ab omnibus prouincialibus communiter & canonico titulo largitionibus ſeu fiſco debentur, verum a perſonis quibusdam tantum ſeu a certo perſonarum genere, quæ ſacri Ærarii res tractabant. Alii ſunt apud Spartianum *in vita Adriani cap. 7.* priuati debitores, id eſt priuatæ rei Principis debitores, conlatores priuati & patrimoniales, *l. 9. inf.* nam pro eo Dio, & poſt eum Zonaras, ὀφείλοντας τῷ βασιλικῷ dixit, & oppoſuit, τῷ δημοσίῳ ὀφείλοντας: In quo tamen Scaliger parum ſibi cauit. In hoc vero cenſo perſonalium debitorum ſepteni numerantur. Primo *Conductores portuum & vectigalium*, id eſt portuenſium vectigalium & portoriorum, quæ ſcil. in portubus pro mercibus profeſſis & transuectis exiguntur: de quibus peculiaris *titulus ſup. lib. 4. t. 12. de vectigalibus & commiſſis:* vid. & *l. 3 ſup. de immunitate conceſſa:* denique Exagogicum & Iſagogicum intelligit. Secundo inter perſonales debitores memorantur *Publicani & Telonarii*, qui ſcil. vt ait *lex 2 ſup. de Veteranis*, agentibus, id eſt, negotiatoribus in nundinis & emporiis imminebant, & ab his ob proponendas merces quid exigebant, Publicani & Telonarii iidem. Sequentes perſonales debitores per Occidentem hic ſubiiciuntur: *Præpoſiti Theſaurorum*, de quibus in *Notitia Imperii* ſub Comite S. L. *fol. 141.* vbi 12. huiusmodi Præpoſiti memorantur, & inter alios quatuor per Gallias: puta *per Gallias Lugdunenſes, theſaurorum Arelatenſium, Nemauſenſium, Triberorum:* Alioquin Præpoſiti Theſaurorum Philippopoli meminit Baſilius *ep. 264.* ſiu. *ep. 237. edit. Benedictin.* Comitis Theſaurorum per Thracias Amm. Marcellinus *lib. 29. cap. 1.* Item, *Præpoſiti Baphiorum*, vel potius *Procuratores*; de quibus *Notitia Imperii*, vbi per Occidentem ſub Comite S. L. *d. f. 141* nouem huiusmodi memorantur, & duo nominatim intra Gallias: puta *Baphii Telonenſis*, & *Baphii Narbonenſis.* Quid autem Baphia ſint, oſtenſum, *lib. 10.* nempe officinæ fucandæ ſeu P. 198.
tingendæ purpuræ. Item *Procuratores Gynæceariorum*, ſeu *Gynaciorum:* de quibus eadem *Notitia Imperii d. f. 141.* vbi per Occidentem memorantur 17. & in his ſex per Gallias, puta *Arelatenſis Gynæcii, Lugdunenſis, Remenſis, Tornacenſis, Triberorum, Auguſtoduni.* Quid autem Gynæcium ſit? dictum *libro Decimo, ſuo titulo.* Item *Procuratores Monetariorum*, vel *Monetarum*, de quibus eadem *Notitia d. f.* vbi ſex huiusmodi per Occidentem memorantur, & in his tres per Galliam, *Procurator monetæ Lugdunenſis, Arelatenſis, Triberorum.* Tandem generaliter indicantur *cæteri, quos in chartis ſuis officium Palatinum cuſtodiebat:* quibus verbis comprehenduntur quoque Præpoſiti Barbaricariorum ſiue Argentariorum, euiusmodi memorantur in *Notitia* Arelatenſes, Remenſes, Triberorum: Quæ quidem exempla tanto lubentius commemoro, quod Andromachum, cui hæc *lex* inſcribitur, Præfectum Prætorio Galliarum fuiſſe ferme conïicio.

Et adeo quidem his omnibus indulgentiam præbet Honorius, vt etſi huius indulgentiæ tempore non ipſi amplius ſuperſtites ſint; verum hæredes eorum, etiam his hanc Indulgentiam proficere velit, Non eſt ſcil. ab hæredibus exigendum, quod ab ipſis qui contraxerunt peti non poteſt.

IV. (a) Idem (b) AA. Theodoro PF. P. (c)

AB omni intra *Italiam* iugatione (d), quam munere Annonariæ functionis abſoluimus, etiam Glebalem penſionem iubet Serenitas Noſtra remoueri. Dat. Id. Septemb. Med. (e) Baſſo & Philippo Coss. [408.]

(a) Abeſt & hæc *lex* velut temporaria a *Cod. Iuſt.* *GOTHOFR.*

(b) Reponendi hi Impp. HONORIVS *& Theodoſius*; vid. *Conſularia Theodoſ. ID.*

(c) *Theodorus* ſub Honorio Imp. PP. *Italiæ* ſcil. vt vel ex hac ipſa *leg.* liquet. *ID.*

(d) *Iugatio*, id eſt poſſeſſio ſeu iugorum modus; de quo dixi iam ad *l. 15. ſup. de annona & trib.* *ID.*

(e) Mediolanum ſcil. poſt Stiliconem Rauennæ interfectum X. Kal. Septembris, id eſt fine ſuperioris menſis Ticino digreſſus Honorius, ſeſe contulit; vide *Conſularia Theodoſ. ID.*

COMMENTARIVS.

ITALIÆ Indulgentiam quandam tribuit *hac leg.* Honorius Anno D 408 & pleniſſimam quidem. Eam quippe abſoluit & ab Annonariæ functionis munere, & a Glebali penſione ſeu præſtatione. A munere, inquam, annonariæ functionis, id eſt ab Annonis & ſpeciebus annonariis, quas ſcil. Itali præſtabant poſſeſſionum ſeu Iugationum ſuarum nomine, in ſpeciebus videl. annonariis ſeu Cellarienſibus: de quibus *l. 16. inf.* Id enim eſt *h. l.* & *l. 14. inf.* annonaria functio: Opponitur ſcil. ea diſerte in *d. l. 14* titulis largitionalibus: id eſt, iis, quæ in Largitiones Principis referebantur, nempe in auro, argento, ære, & cæteris huiusmodi ſpeciebus; de quibus *l. 9. infr. h. t.* Rurſum opponitur annonaria functio *hac l.* glebali penſioni: *Glebalis penſio* eſt, quam Senatores in auro glebæ ſeu poſſeſſionum ſuarum nomine præſtabant; de qua fuit *ſup.* peculiaris *titulus lib. VI. tit. 2. de Senatorib. & glebali conlatione*; Proinde hæc Honorii mens eſt, remittere ſe per Italiam, non tantum aliis poſſeſſoribus annonariam ſpecierum cellarienſium functionem, verum etiam remittere ſe Senatoribus quoque glebalem auri penſionem. Quare iam non audio, qui aliter hic interpretati *Glebalem penſionem* præſtarent; Neque quicquam eis iuuat Aurelii Victoris locus: Nam & eo ipſo loco Victor nonniſi vnicam parti Italiæ tributorum ſeu functionis & penſionis ſpeciem impoſitam ſolito tamen grauiorem memorat. Nempe ita res eſt, parti Italiæ ſub illa Tetrarchia, quam memorat peculiaris annonariæ functionis modus impoſitus fuit, quo ſcil. exercitus & Imperator, qui ſemper aut maxima parte in ea Italiæ parte aderant,

ali

ali poſſant; vnde & *Annonariæ Regiones* illæ procul dubio dictæ, a peculiari videl. illa annonaria ſeu ſpecierum Callarianſium functione. Et vero de hac ipſa Italiæ parte *hanc ipſam leg.* accipio, quæ hac tempeſtate quandoque ſpeciali *Italiæ* appellatione deſignabatur, de quo dixi ſemel plene ad *l. 6. ſup. de annona & trib.*

Vt id de *hac l.* ſentiam, præter iam dicta, facit & ipſa horum temporum ratio, & huius Italiæ partis ſtatus. Nempe quod Zoſimus luculenter oſtendit, & biennio ſuperiore, & his ipſis Conſulibus *Baſſo & Philippo*, Radagaiſo & Alarico ab Italiæ ingreſſu propulſando, ingentes per eam Italiæ partem exercitus poſiti fuerunt, eaſque Italiæ partes perreptauere, ipſo etiam Honorio & ducibus Stilicone & Saro, in ea Italiæ parte cum exercitu conſiſtentibus, in quo ſane tractu erat Ticinum, Rauenna, Bononia, Mediolanum, quarum ferme iden frequens hac in re mentio apud Zoſimum. Quare, cum Stilicone ipſo ſuperſtite, ea quam dixi ratione, pars illa Italiæ cum maxime afflicta attritaque fuiſſet, paucos ante dies Stilicone Rauennæ interfecto, Honorius *hac leg.* (quæ ſane prima *hoc Codice* poſt Stiliconis cædem eius conſtitutio occurrit,) Italiæ parti illi hanc Indulgentiam dederit.

Illud obſcurum, num Honorii hæc Indulgentia ſit præteriti temporis ſeu Reliquorum: an vero in futurum, quaſi Italiam quam dixi in futurum liberet ab annonaria functione & glebali conlatione. Quod mihi vero ſimilius ſit: quaſi non ſufficiente ea iam iſtis functionibus, vtpote non hoſtium quidem incurſione vaſtata, verum hoſtium metu ab ingenti exercitu adeſa: Deinde apertis *huius l.* verbis, ABSOLVIMVS, inquit, *munere Annonariæ functionis*; item, *glebalem penſionem* REMOVERI. Quæ formulæ ſane indulgentiam in futurum indicant.

P. 190.

V. (a) Imp. (b) HONOR. & Theod. AA. Honoratis, & Poſſeſſoribus per *Africam*.

RELIQVORVM ex fiſcalibus titulis cuncta debita Noſtræ Manſuetudinis indulgentia ſubſequatur (c) &c. Dat. VII Kalend. Decemb. Poſt (d) Conſ Honor. VIII. & Theod. III. AA. [410.]

NOTAE.

(a) Abeſt & hæc *lex* velut temporaria a *Cod. Iuſt.* Προδιόρθωσιν vero hic admiſſum ab *huius Codicis* Conditoribus: hæc enim *lex* ſexta tempore poſterior eſt. *GOTHOFR.*

(b) Scribendum hic *Idem AA. ID.*

(c) Id eſt proſequatur; & ſic, Reliqua omnia indulgemus. *ID.*

(d) Id eſt Anno Dom. 410. *ID.*

VI. (a) Idem AA. Macrobio (b) Proconſ. Afric.

CONSIDERANTES *Africæ* deuotionem (c) vſque in initium *Fuſionis* (d) *Quintæ* (e), vniuerſa reliqua, quæ tam ad Arcam (f) Sublimium Poteſtatum (g), quam ad Largitiones (h) pertinent, relaxari præcipimus. Priuatæ quoque rei (i) debita ſimiliter relaxamus: chartis (k) abolitis, quibus debita publica continentur. Dat. VII. Kal. Iul. Rau. Varane CONS. [410.]

NOTAE.

(a) Abeſt & hæc *lex* velut temporaria a *Cod. Iuſt.* Anteuertere porro, vt dixi, debuit hæc *lex* ſuperiorem. *GOTHOFR.*

(b) *Macrobio* huic Proconſ. Africæ vnica hæc *lex* inſcripta *hoc Codice* occurrit: videri poſſit hic idem cum Macrobio, qui Vicarius Hiſpaniarum fuit A. 399. 400. vt docet *lex 15. inf. de paganis*: *lex 61. ſup. de curſu publ.* Forte etiam idem ille, qui & Præpoſitus S. Cubiculi fuit, duodecimo poſt *hanc l.* anno, id eſt A. 422. vt docet *lex 1. ſup. de Præpoſ. S. Cubiculi*: quique Saturnalium & nonnullorum aliorum Scriptor eſt. *ID.*

(c) De hac *Deuotionis* voce v. *Gloſſ. Theod.* & quæ mox dicam. *ID.*

(d) *Fuſio*, pro Indictione: quod Cuiacius primus animaduertit; de quo mox. *ID.*

(e) Id eſt vſque in initium A. D. 408. de quo mox. *ID.*

(f) De hac *Arca*, & titulis, qui ad Arcam PPo. pertinent, ſunt præterea *hoc titulo* quatuor *leges*: puta *lex 3. ſup. l. 9. 16. & ult. inf. h. t. ID.*

(g) *Sublimium* Poteſtatum, id eſt Præfectorum Prætorio. *ID.*

(h) *Largitiones*, ſacras ſcil. quæ ſub Comite S. L. erant v. & *l. 3. ſup. ID.*

(i) Quæ ſub Comite R. P. erant. *ID.*

(k) De hoc *Chartarum* abolendarum more & iuſſione, in Indulgentiæ conceſſione, fidem faciunt *tres* inſuper huius tituli *leges*: puta *lex 2. 3. ſup. & lex 14. inf.* de quo dixi ſemel ad *l. 2. ſup. h. t. ID.*

COMMENTARIVS.

AFRICÆ prouinciæ Proconſulari duæ hæ Indulgentiæ tribuuntur ab Honorio eodem Anno 410. In quibus collocandis πρωθύστερον admiſſum eſt ab *huius Codicis* Conditoribus. Et cauſam huius Indulgentiæ Africæ Proconſulari a ſe datæ prodit Honorius his verbis: *Conſiderantes*, inquit, *Africæ deuotionem*, Quo *Deuotionis* verbo quid Honorius intelligat, videndum eſt. Putet igitur quis indicari canonis Vrbicarii, ad vſum videl. & annonam vrbis Romæ, collationem: quandoquidem notum eſt, Africam nutricem fuiſſe vrbis Romæ: notum & *Deuotionis* verbo ſubinde *huius Codicis* conſtitutionibus deuotionem circa tributorum illationem exaudiendam: quod Gloſſæ Theodoſianæ oſtendunt. Et tamen Deuotionem Africæ aliam huius temporis peculiarem ab Honorio indicari cenſeo: qua videl. Africa in obſequio Imperatoris Honorii ſtetit, aduerſus Attali Tyrannidem: de qua accipienda quoque eſt *lex pen. & vlt. ſup. de Indulg. criminum:* quo etiam reſpicere puto *l. 1 ſup. de terris limitaneis:* & *l. 51. inf. de hæreticis.* vt & *l. 2. ſup. de littorum & itin. cuſtod.* Hiſtoria ſic habet: Cum Alaricus Gothorum R. ad vrbem Romam cum exercitu ageret, Attalus Præfectus Vrbis Romæ, volente Alarico, a Romanis Imp. factus fuerat. Inde pars magna Italiæ eum pro Imperatore agnoſcere coacta. In Africa ſpes vtrimque: & prout ea in alterutrius fide & deuotione maneret, ita ſumma rerum eo inclinatura videbatur: & ſi ea Attalo cederet, Honorius imperio ceſſurus & ad Theodoſium Iun. in Orientem fugiturus erat. Quare eo conatus vtrimque verti: & quidem Alaricus ſuadere Attalo, vt idoneas copias in Africam & Karthaginem mittaret, quarum ſcil. opera Heracliano Comiti Africæ (cui inſcribitur hoc ipſo Anno *lex 51. inf. de hæreticis.*) qui partes Honorii ſectabatur, imperium abrogaret; Verum Attalus facile ſe Carthagine & Africa potiturum ratus, poſthabito Alarici conſilio cum paucis copiis militare in Africa imperium Conſtantino tradidit; verum Conſtantinus ille in Africa ab Heracliano interfectus: Poſt hos irritos miſſi ab Attalo Ducis in Africa conatus, Iouius Attali Præfectus Prætorio, aliquandiu quidem, Barbaros ad gerendum aduerſus Heraclianum bellum mitti oportere cenſebat; Interea tamen Honorii cauſæ fauere cœpit, & Attalum
P.200. apud Alaricum inconciliare non deſiit; irritis etiam ſpebus Attali in Africa, qui cum pecunia tantum quoſdam in Africam miſerat, vt ibi rebus ſuccurrerent. Interea Heraclianus ex Africa ad Honorium pecuniam miſit ingentem, vnde militum beneuolentiam Honorius ſibi conciliauit: ſed & idem Heraclianus portus & littora Africæ præſidio multiplici vallauit, quo pertinet quoque *lex 1. ſup. de terris limitaneis:* denique idem annonam ex Africa ad Vrbem Romam ne ſubueheretur ſedulo cauit; vnde ingens fames Romæ exorta. Itaque Senatus iam ferme omnis cenſere, vt Barbari cum Romanis militibus in Africam mitterentur, eorum præfectura Druſnæ tradita, quod ſoli ferme Attalo diſplicuit. Mox itaque imperium ab Alarico Attalo abrogatum. Quæ omnia memorant Zoſimus *lib. 6. cap. 7. & ſqq.* Sozomenus *lib. 9. cap. 8.* Socrates *lib. 7. cap. 10.* Hæc igitur illa eſt *Africæ deuotio*, quam Honorius hic intelligit (quo ipſo elogio eam hoc ipſo Anno 410. proſequitur in mandatis Marcellino Karthaginem miſſo ad collationem, datis *pag. 5. & 259.* ſiue *pag. 1051.* & *pag. 1147. Tom. I. Concil. Edit. Harduin.*) qua motum ſe hanc debitorum indulgentiam tribuere profitetur; Ea vero talis eſt; Vt *l. 6* omnium Reliquorum Indulgentiam ei concedat, vſque ad initium A. D. 408. quam *quintæ fuſionis initium* vocat, de quo mox plura. Omnium, inquam, Reliquorum, quæ triplicis generis erant, puta pertinentium vel ad arcam Præfectorum Prætorio (de qua fuit quoqua *lex 3. ſup.* eritque *lex 9. 16. & vlt. inf. h. tit.*) vel ad ſacras Largitiones, vel denique ad res Principis priuatas. Nempe triplex hæc collationis ſpecies fuit; pars, in vſus Præfecti Prætorio (quæ ἀπέζφυρος βασίλεια fuit) pars in publicos vſus, pars in principis, de quo plenius ad *leg. 9. inf.* Cæterum cum ad Africam *hæc lex* pertineat, huc reſpiciunt ſub Comite S. L. *in Notit. Imper. fol. 140. 141. Comes Titulorum Largitionalium per Africam, Rationalis ſummarum Africæ, Procurator Gynæcii Carthaginenſis Africæ, Procurator Baſiorum omnium per Africam.* Item ſub Comite R. P. *fol. 144. Rationalis rei priuatæ per Africam, & Rationalis rei priuatæ fundorum domus diuinæ per Africam.* Et hæc quidem *lege 6.* primum conceſſit Honorius: Atenim *l. 5.* poſtea pleniorem Africæ Indulgentiam conceſſit; nempe Reliquorum ex Fiſcalibus titulis omnium in præſens vſque tempus.

Duo ſuperſunt in *l. 6.* obſeruanda. Primum eſt de *Chartarum abolendarum* more, vbi Indulgentia concederetur, de quo iam plene dictum ad *leg. 2. ſup.* Secundo notandum quod Cuiacius primus animaduertit *fuſionem* pro Indictione vſurpari a conſequenti antecedens: nam & ita *fuſio* de ipſa Illatione publica vſurpatur *in l. 27. §. 3. D de vſufructu & quemadmod.* & in *Gloſſis* Philoxeni, *Fuſio εἰσφορὰ, δημοσίων; (a)* & mox, *Fuſiones, Συντέλειαι, εἰσφοραί: Fundere* ſcil. eſt *erogare;* Q. Seren. Sammonicus *de Medicina cap. 29. verſ. 8.*

—— *fruſtraque immenſa nomiſmata fundes*

vnde & *effundere*, pro *fundere*, & *Refuſio* poſſeſſionum, Ambroſio, *in Apologia Dauidis, cap. 8.* Ex hac interim *Fuſionis* voce apparet, vnde *Indictionis* nomen, quoue item ſenſu inditum fuerit: nempe *Indictio*, ab antecedente: *Fuſio* vero, a conſequente; vnde ſimul liquet, quam ioculares ſint Cedreni *in hiſtor. Compend. pag. 171. Edit. Venet. inter Script. R. B.* & Heſychii Illuſtrii, apud Conſtantinum Porphyrogen. *de themat. lib. 2. them. 8.* rationes nominis *Indictionis:* quaſi *Inactio*, a pugna actiaca, vel quaſi, *Indicatio.* Clare enim hinc conſtat, a collatione tributaria hanc appellationem deſumptam. Hinc & Græcis ἐπινέμησις, *Indictio. Diſtributio* apud Palladium *in dialogo rerum geſtarum Ioannis Chryſoſtomi*; quomodo & apud Codinum *de originib. Conſtantinopol.* interpres δευτέραν ἐπινέμησιν, *ſecundam diſtributionem* vertit. Ἐπινέμησις eſt *indictio*, & quidem tributorum, quæ fit per diſtributionem,

(a) Rectius δημόσιον; quod placet CL. DV FRESNE *in Gloſſar. voc. fuſio.*

butionem, peræquationem. Nam Baronii error eſt, qui id ad diſtributionem militaris annonæ referebat, vt & Scaligeri, qui ad diſtributionem ſeu largitatem Principis. Denique videre eſt, Indictionum harum mentionem fieri, cum de re tributaria agitur: quod oſtendunt non tantum nouem *huius tituli* conſtitutiones, verum etiam reliquæ: puta *lex 11. ſup. de iure fiſc. lex 11. de curſu publ. l. vn. de claſſicis: l. 14. de nauicul. l. 18. de ſuſceptor l. 3. de equorum conlat. l. 33. de annona & trib. l. vlt. de conl. don. l. 173. inf. de decurion.*

Ex *eadem* interim *l. 6.* collata cum *l. 9* & *16. inf.* apparet, veram eſſe obſeruationem, Africæ proconſularis indictiones Orientalibus vna deductiores eſſe; quod etiam oſtendet *lex 8 inf. h. t.* Vt proinde Africæ Proconſularis Indictionum initium conſurgat ab A. D. 314. cum Orientales conſurgant ab A. D. 313. quod poſterum ex *Chronico Alexandrino* diſerte liquet. Cauſam quis non aliam p tet; quam quia Anno demum 315. Proconſularis Africa in Conſtantini M. poteſtatem venit, poſt miſſum videl. eo Maxentii Tyranni caput; vt proinde a ſequente demum Anno Africæ Proconſularis Indictionum initium conſurgat. Sane cum de Maxentii in Africam impotenti dominatu liqueat ex incerto Rhetore Gallicano, Panegyrico octauo, *cap 16.* & *25.* & Zoſimo *lib. 2. cap. 12.* item liqueat ex eodem Zoſimo, Karthaginenſes 40. millia militum Maxentio aduerſus Conſtantinum M. præbuiſſe. Sane Nazarius *altero panegyrico cap. 32* non illico ant placide Africam ſub imperium Conſtantini veniſſe oſtendere videtur, imo turbide aliquid egiſſe. Imo ſerius adhuc *Africa diœceſis* in obſequium Conſtantini veniſſe videtur: Quandoquidem duodecimam Indictionem Honorius Anno D. 401. de diœceſi Africana agens, *l. 3 ſup. de equorum conlat.* tribuat, quæ alias in Oriente decima quarta, vt ex *Chronico* Marcellini, & *Alexandrino* liquet. Verum Africam citius ad obſequium Conſtantini M. veniſſe cum aliis argumentis liquet, tum ex frequentibus ſtatim A. 313. ad Anulinum PC. Africæ, deque eo & ad Cæcilianum, Conſtantini M. epiſtolis & conſtitutionibus: quarum mentio apud Euſebium *lib 10. c. 5. 6. 7.* Auguſtinum *ep. 68.* ſiu *88. edit. Benedictin.* de quo dicam ad *l. 1. inf de Epiſcopis.* Quare iſtam Indictionum differentiam per Italiam & Africam inde proceſſiſſe puto, quod Conſtantinus in poteſtatem ſuam iis redactis, ſerius nonnullis tributa *indicere*, & ad tributorum collationem eas vocare inſtituit; prout videl. afflictæ magis vexatæque a Maxentio fuerant. Hinc igitur ſtatim vt Italia potitus Conſtantinus A. D. 312. (*b*) ad collationem eam vocauit: contra Africam Proconſularem nonniſi ab A. D. 314. Diœceſim Africæ, nonniſi ab A. D. 315. Indulgentia videlicet æque eo conceſſa. Quo pertinere videatur vetus Conſtantinianea Inſcriptio, Emeritæ in Hiſpania apud Gruterum *CLIX.* 4.

IMP. CÆS. FLAVIVS
CONSTANTIN. AVG.
PACIS ET. IVSTITIAE
CVLT. PVB. QVIETIS
FVNO. RELIGIONIS
ET. FIDEI. AVCTOR
REMISSO. VBIQVE
TRIBVTO. FINITIMA
PROVINC. ITER
RESTAVR. FECIT
CXIIII.

(*b*) Conſule ANT. PAGIVM *in Critic. ad Annal. Baron. an.* 312. *num.* 24.

VII. (a) Idem AA. Ioanni PF.P. (b)

P. 801.

CAMPANIÆ, *Tuſciæ, Piceno, Samnio, Apuliæ, Calabriæ, ſed* & *Brutiis*, & *Lucaniæ*, ex omni præſtationis modo, quem antiqua ſollemnitas (c) detinebat (d), quatuor (e) partes iubemus auferri: ita, vt ex *Indictione Decima* (f), quinque annorum Indulgentia contributa (g), partem (h) ſoluant publicæ functionis. Ad reparationem ſane curſus, intra indulgentiæ tempus quidquid fuerit poſtulatum, id ſolum conferri cenſuimus. Dat. VIII. Id. Maii, Rauen. Lucio V. C. CONS. [413.]

NOTAE.

(a) Abeſt & hæc *lex* velut temporaria a *Cod. Inſt.* Hanc *leg.* non indicari *l. 14. inf.* ad eam probabo. *GOTHOFR.*

(b) *Ioannes* Præfectus Prætorio, Italiæ ſcil. ſub Honorio Imp. vt vel ex prouinciis Italiæ hic expreſſis apparet: v. de eo plura in *Proſopogr.* *ID.*

(c) *Antiqua ſolemnitas*, eſt antiquus præſtationis modus. *ID.*

(d) *Detinebat*, id eſt, continebat. *ID.*

(e) De quinque. *ID.*

(f) Id eſt Conſulatu Varanæ, A. D. 410. *ID.*

(g) *Contributa*, id eſt in vnius anni præſtationem reducta: quinque annis pro vno computatis. *ID.*

(h) Quintam e quinque, ſeu vnam. *ID.*

COMMENTARIVS.

ITALIÆ prouinciis, quæ hic enumerantur, octo, puta *Campaniæ, Tuſciæ, Piceno, Samnio, Apuliæ, Calabriæ, Brutiis, Lucaniæ*, Indulgentiam quandam tributorum tribuit *hac leg.* Honorius Imp. quæ Sexta iam eſt ex Honorianis Indulgentiis *hoc titulo.* Indulgentia vero iſthæc eſt, quod quintam tantum partem veteris & ſolemnis præſtationis, eas prouincias inferre velit: & ſic integri quinquennii, quod curra-

currere cœpit ab Anno Dom. 410. ad Annum vsque 414. vnius Anni tantum ſolutionem præſtare: cuius quinquennii dimidia & vltra pars iam huius Indulgentiæ tempore effluxerat: Data enim eſt hæc *lex* menſe Maio Anni Domini 413. Quæ quidem ſingularis Indulgentiæ ſpecies eſt, partim in præteritum, partim in futurum: ſic vt, quomodo hæc ipſa *lex* loquitur, *quinque annorum Indulgentia contributa*, ſeu quinque annis in vnum collatis, vnius tantum anni canon ſeu tributum ſoluatur. Cum qua quinquennali Indulgentia miſceri nolo Quinquennales Indulgentias quinque annorum continuorum, quæ ab Imperatoribus nonnullis tributæ: qualis eſt Conſtantinianea, de qua Eumenius *Gratiarum actione Flauienſium nomine cap.* 13 Et id quidem primo loco *hac leg.* obſeruandum.

Secundo notandum, hanc Indulgentiam eſſe generalem omnium titulorum; *Ex omni*, inquit, *præſtationis modo quem antiqua ſolemnitas deſtinabat:* Et mox, *publicæ functionis*. Quo etiam argumento inter alia liquet, *legem 14. inf.* non *hanc leg.* intellexiſſe. Et ſane exceptio quoque vnius curſus publici *fine leg.* id euidentiſſime demonſtrat.

Tertio igitur loco notandum, ab hac Indulgentia *Exceptionem* quandam proponi ab Honorio: quæ forte etiam indicatur *initio, l. 12. inf.* Nempe enim curſus publici reparationem excipit; de qua curſus publici reparatione *leg. 34. 42. ſup. de curſu public.* vid. & *l. 4. ſup. de murileg.* ad quam quidquid poſtulatum fuerit, integre conferri vult: Vnde apparet hinc quantus curſus publici fauor fuerit: vt a generali indulgentia exciperetur: de quo plene ſuo titulo: inde, quantopere curſus publicus per illas Italiæ prouincias hoc tempore concidiſſet.

Nunc de duobus videndum eſt circa has prouincias. Et primo quidem, quod Quartum hic eſt, quænam ratio fuerit Honorio huius Indulgentiæ illis prouinciis tribuendæ, harum prouinciarum ſcilicet, deuaſtatio per Gothos ſcilicet, & ante, & poſt captam ab Alarico ſeu Gothis Romam: ac maxime poſt alteram Vrbis Romæ irruptionem, quæ contigit extremo Anno Domini 409. attritæ illæ prouinciæ maxime fuerunt. In genere de Italiæ & Vrbis ſolo *l. 20. ſup. de tironibus.* De *Piceno* Zoſimus *lib. 5. cap. 37. lib. 6. extremo:* de *Tuſcia*, Rutilius Numatianus *lib. 1. Itinerar. v. 40.* De *Campania*, teſtis idem Honorius, *l. 12. inf hoc tit.* & de Nolana nominatim vrbe Auguſtinus *lib. 1. de Ciuitate Dei cap. 10.* de *Campania* iterum, *Lucania, Brutiis*, & metropoli eius Rhegio, Zoſimus *lib. 6. cap. 10.* vbi perperam Βρεττανία, pro Βρεττία legitur, & Olympiodorus, *apud Photium Cod. LXXX. pag. 182. Edit. Schotti*, & *Tom. I. Script. Rer. Byzant. pag. 147. ed. Venet.* Philoſtorgius, *lib. 12. c 3.* Paulus Diaconus, ſeu hiſtoria miſcella *lib. 13. pag. 91. Tom. I. Script. Rer. Ital. Anton. Murator.* Palladius dialogo 13. Iornandes *Geticis c. 30.* vbi tandem etiam Alarichus, in *Siciliam* traiicere cogitans, mortuus eſt. Poſt quam Vrbis Romæ Italiæque prouinciarum illarum vaſtationem, Alaricique mortem, vt Romæ inſtaurandæ, ita & prouinciis illis ſublenandis Honorius incubuit; de quo dixi ad *Philoſtorgium lib. 12. c. 5.* Id quod omnino huic tempori congruit, Anno Domini 413. & 414. vt *ibidem* oſtendi. Hæ inquam octo prouinciæ a Gothis tum vaſtatæ; interea dum Honorius in Flaminia (quæ Piceno proxima) Rauennæ hæreret; eaque prouincia cum Venetia, Æmilia & Liguria iam antea primo Gothorum impetu Anno Domini 408. & ſecundo Romam procinctu 409. deuaſtatæ fuiſſent; de quo vid. Zoſimum *lib. 5. cap. 37. lib. 6. cap. 10. 11. 12.*

Hinc igitur iam patet (quod Quintum) quo nexu ſeu vinculo inter ſe hæ octo prouinciæ hic cohæreant: non quaſi ex his peculiaris tum *diœceſis* conſtaret: verum quia in Italiæ vrbisque ſolo conſtitutæ, per Gothos, poſt alteram vrbis Romæ irruptionem, deuaſtatæ fuiſſent. Ergo communione *mali* inter ſe ſociatæ, non peculiaris diœceſeos vinculo, p. 102. ſeu compage deuinctæ. Vnde iam conficitur, has prouincias non ideo nunc hic coniungi, quod peculiarem illæ *Vicarii* vrbis diœceſim conſtituerent; quando neque *Valeria* hic numeratur, quæ certe ſub Vicario Vrbis Romæ pariter fuit, vt diſcimus ex *leg. 5. ſup. quibus equorum vſus*, & ex *Notitia fol. 149.* neque tres præterea prouinciæ ſeu inſulæ *Sicilia, Sardinia, & Corſica*, quæ & ipſæ ſub Vicario V. R. erant eadem *Notitia* teſte *fol. cit.* An multo minus has prouincias cum *Vrbicariis* regionibus eaſdem fuiſſe: atque adeo non *hanc leg.* indicari *l. 14. inf. hoc tit.* de quo ad *eam leg.* plura. Et alioquin diuerſam harum prouinciarum enumerationem fieri, detractis vel additis aliis videmus: veluti apud Trebellium Pollionem in *v. Tetrici: Correctorem*, inquit, *totius Italiæ fecit, id eſt, Campaniæ, Samnii, Lucaniæ, Bruttiorum, Apuliæ, Calabriæ, Etruriæ, atque Vmbriæ, Piceni & Flaminiæ, omnisque annonariæ regionis.* Abſimilis etiam Notitia Italiæ prouinciarum, quæ continetur, *l. 27. inf. de appellat.* Abſimilis expreſſio prouinciarum Italiæ in Synodo Sardicenſi apud Athanaſium *Apol 2. pag. 756. Tom. I. Oper. Edit. Colon. ſiu. Lipſ. apud Weidm.* & ipſum Athanaſ. *ad ſolit. vit. ag. pag. 827. Tom. I. ed. cit.*

VIII. (a) Idem AA. Seleucho PF. P. (b)

NAVICVLARIIS intra *Africam* (c), ex *Quartadecima* (d) *Indictione* Conſulatus Valentiniani Aug. III. (e) & Eutropi. V.C. vsque ad *Indictionem Quartam* (f) Conſulatus noſtri ſepties (g), & TheodosI iterum, omnia reliqua indulgemus. Dat. III. Non. April. Rau. Conſtantio & Conſtante Coss. [414.]

NOTAE.

(a) Abeſt & hæc *lex* a *Cod. Iuſt.* velut temporaria. *GOTHOFR.* Data autem hæc lex ab Honorio occaſione *Vicennalium* ſuorum, quæ in hunc annum incidunt. Vid. PAGIVM *in Critic. ad Annal. Baron. h. a. & Chronolog. RITTER.*

(b) Se-

(b) *Seleucbas* ſub Honorio Imp. Præfectus Prætorio Italiæ ſcilicet: in qua Præfectura, & Africa fuit. v. *Proſopogr.* *GOTHOFR.*

(c) Proconſularem. *ID.*

(d) Imo *prima* ea vocatur *l.* 3. *ſup.* *ID.*

(e) Id eſt A. D. 387. *ID.*

(f) Imo *quinta* ea vocatur *l.* 9. 10. *inf.* *ID.*

(g) Id eſt A. D. 407. *ID.*

COMMENTARIVS.

AFRICÆ *Nauicalariis* Vicennalem omnium Reliquorum Indulgentiam Honorius ab Anno D. 387. ad Annum 407. tribuit, hac Conſtitutione, quæ SEPTIMA eſt Honorii Indulgentiarum *hoc titulo:* Anno D. 414. Nempe vt cæteroquin Honorius hoc Anno Africam ſubleuatum iuit (quod ſuperiore menſe emiſſa ab eodem conſtitutio ad Hadrianum PP. oſtendit: cuius tres partes *hoc Codice* continentur; puta *lex* 11. *ſup de curioſis: leg.* 33. *ſup. de erogat. mil. annon. leg.* 12. *ſup de metatis)* ita & hac eidem ſuccurſum voluit, poſt Heraclianum videlicet in Africa ſuperiore Anno debellatum: & prouocandæ eius in poſterum deuotioni, præciſa inter alia præcipua calumniandi materia ex annoſis & veteribus Reliquis. Septennii igitur poſtremi tantum Reliqua ab Anno Dom. 407. in hunc Annum 414. a Nauiculariis inferri vult Honorius, vicennii præcedentis Reliquis remiſſis; Cuiusmodi vicennalis indulgentiæ alterum exemplum ſuppeditat *l.* 16. *inf Nauiculariis,* inquam, qui annonam ex Africa ad vrbem Romam ſubuehebant: de quibus *ſuo titulo infr. lib.* 13. *t.* 5. cuius tituli *l.* 38. ſeu *vlt.* hoc ipſo Anno ad eosdem Africæ Nauicularios pertinet.

Interea ſingularis hæc admodum *lex* eſt in Indictionum argumento: quæ tamen ipſa cum aliis pugnare videatur. Nam quæ in *Valentiniani III. & Eutropii Conſulatum* incidens Indictio hic *Quartadecima* dicitur, ea in *l* 3 *ſup.* ab eodem Honorio *prima* dicitur: ab aliis *Quintadecima* notatur: Rurſum quæ in *Honorii VII. & Theodoſii iterum Conſulatum* incidens, *Quarta* hic dicitur, eam Theodoſius Iunior *l* 9. 10. *inf. hoc t.* *Quintam* vocat, adſcripto nominatim Conſulatu *dict leg* 9. ab aliis *Sexta* dicitur: Quare Ill. Scaliger *lib* 5. Emendat. pro *quartadecima* reponebat *decimamtertiam:* at *lib.* 3. *Canon. Iſagog pag.* 305. *Quintamdecimam*, pro Quarta, *lib.* 5. *Emendat*, Sextam. Petauius quoque *Quintamdecimam* probabat: ſed pro *Quarta*, Quintam ex *leg.* 9. 10. reponebat. Verum & *hanc leg.* & *alias* ab Emendatione, vnica obſeruatione vindico. Nempe, quod Indictionum initium non vbique idem fuerit: Nempe enim *Italicam* Indictionem ab Anno Dom. 312 duci video: quo pertinent *lex* 3. & *l.* 7 *ſup. h. t.* Orientalem ab Anno D. 313 quo ſpectat *lex* 11. *ſup. de curſu publ. l.* 11. *ſup. de iure fiſci: l* 9. 10. 16. *h. t. l. vn. ſup. de Claſſicis: l.* 14. *ſup. de Nauicular. l.* 173. *ſup de decurion. l* 33. *ſup de annona & tribut. l. vlt. ſup. de conlat. donatar.* Karthaginienſem Africæ Proconſularis ab Anno Dom. 314. quo pertinet hæc *lex* 8. & *lex* 6. *ſup* Africæ diœceſeos ab Anno D. 315. quo ſpectat *lex* 3. *ſup. de Equorum collat.* His ita diſtinctis, apparet omnia recte habere.

IX. (a) Idem AA. Anthemio PF. P. (b)

P. 203.

PER omnes prouincias *Orientis* ex *Indictione Vndecima Valentiaca* (c), in *Quintam* (d) vsque nuper (e) transactam *Indictionem*, (f) annorum ſcilicet quadraginta, id eſt, ex Conſulatu Diuorum Valentiniani & Valentis iterum (g) Auguſtorum, vsque ad Conſulatum inuictiſſimi Honorii Patrui (h) mei ſepties (i), & meum iterum, omnium generalium (k) titulorum ſub æqua lance (l), tam Curiis, quam conlatori priuato, & Patrimoniali, Diuinæ quinetiam domui, omnique iuri munifico (m) necnon & cellariis (n), præter (o) trium metallorum debitoribus (p) (Docimeni, Proconenſis, & Troadenſis) conceſſimus reliqua: ſiue ſpecies, ſiue æs (q), pecunia, aurum, argentumque debetur: ita vt nec horreis, & (r) Præfectoriæ Arcæ, nec noſtro (s) aliquid ex his Ærario debeatur. Sequentis temporis debitis ex *Indictione ſexta* vsque ad præſentem *Duodecimam* emergentibus neceſſitatibus reſeruatis. Dat. V. Id. April. Conſtantinop. Conſtantio & Conſtante Coss. [414.]

DE eadem reſcribtum Edictum ad Populum, (t) ad Marcianum Com. S. L. Muſellio Præpoſito ſacri cubiculi (v) *de titulis ad domum ſacram pertinentibus.* Ad Rectores prouinciarum, & *de metallariis* edictum ad Populum per prouincias Illyrici, & ad Rectores prouinciarum.

NOTAE.

(a) Et hæc *lex* abeſt a *Cod. Iuſt* velut temporaria. Hanc *leg.* ſuam memorat Theodoſius Iun. *l. prox.* 10. & *l.* 11. Et imitatur. *l.* 16. *inf.* *GOTHOFR.*

(b) *Anthemius* PP. ſub Theodoſio Iun. *Orientis*, vt apparet ſtatim ex *initio legis:* v. *Proſopogr. ID.*

(c) Ita rurſum vocat *l.* 10. *prox.* id eſt A. D. 368. *ID.*

(d) Id eſt A. D. 407.

(e) *Nuper*, ante ſeptennium. *ID.*
(f) Incluſiue ſeu tranſactum: alioquin ἀλογεία eſſet, aut κατάχρησις, cum nonniſi 39. forent. *ID.*
(g) Id eſt, A. D. 368. *ID.*
(h) Hinc quoque apparet *hanc l.* Theodoſio Iun. tribuendam eſſe. *ID.*
(i) Id eſt A. D. 407. *ID.*
(k) *Generales* tituli, quibus *perſonalia debita* opponuntur *l.* 3. *ID.*
(l) Dimenſione, *l.* 16. *inf. ID.*
(m) *Munificum ius*, *h. l.* & *l.* 16. *inf. ID.*
(n) *Cellaria*, ſpecies Cellarienſes, *l.* 16. *inf.* de quo dixi ad *l. vlt. de off. Iudicum omnium*, & ad *l.* 6. *ſup. de annona & tribut. ID.*
(o) Repetitur hoc, *l.* 11. *inf. ID.*
(p) Metallorum ſeu lapidicinarum per Illyrici tractum mentio quoque *l.* 8. *ſup. de metallis. ID.*
(q) Vid. *ſup. tit. de conlat. aris. ID.*
(r) *Nec. ID.*
(s) Vtrique ærario, *d. l.* 16. *infr. ID.*
(t) De hac *ſubſcriptione* mox. *ID.*
(v) *Præpoſitus S. Cubiculi* hic adhuc Comiti S. L. poſtponitur: qui octennio poſt, A. D. 422. prælatus eſt: dixi *tit. de Præpoſ. S. Cubiculi. ID.*

COMMENTARIVS.

THEODOSII Iunioris, qui Orientis Imperio præerat, Indulgentiæ Tributorum ſex *hoc titulo* ſequuntur, quarum vt hæc prima, ita & omnium pleniſſima eſt: Ita quidem etiam, vt duæ proximæ, puta *lex* 10. & 11. ad huius interpretationem pertineant: & *lex* 16. ad huius inſtar & exemplum efformata ſit. Pleniſſima, inquam, hæc Indulgentia eſt triplici ratione; tum ratione temporis, tum ratione locorum, tum ratione ſubiectæ materiæ, id eſt, debitorum publicorum.

Ratione *Temporis*, inquam; quod hic primo loco notandum eſt. Nempe enim quadraginta annorum ſolidorum hæc Indulgentia eſt, ab Anno videl. 368. ad A. D. 407. incluſiue: id enim tum quadraginta annorum numerus requirit, tum expreſſe oſtendunt extrema *legis*: vbi ab Indictione ſexta, id eſt ab A. D. 408. huius Indulgentiæ finis computatur.

Secundo hæc Theodoſii Iun. Indulgentia pleniſſima eſt ratione *locorum*: Eam ſcil. omnibus Orientis prouinciis tribuit: quod accipi poteſt de Orientis diœceſeos prouinciis, quæ ſub Comitis Orientis diſpoſitione erant, vt quinquennio poſt *hanc legem* teſtatur *Notitia Imperii fol.* 71. nempe Palæſtina, Phœnice, Syria, Cypro, Cilicia, Palæſtina ſecunda, Palæſtina ſalutari, Phœnice Libani, Eufratenſi, Syria ſalutari, Oſrhöena, Meſopotamia, Cilicia ſecunda, Iſauria, Arabia. Poſſit tamen quoque accipi de vniuerſo Orientis Imperio, vel ſaltem Præfectura Prætoriana Orientis: illud, argumento eorum quæ de metallis & prouinciis Illyrici adiiciuntur: iſtud, propter Anthemium PP. Orientis, ad quem hæc *lex* data eſt.

Tertio pleniſſima eſt hæc Theodoſii Iun. Indulgentia ratione *Titulorum*, ex quibus publico quid debetur: cui egregie reſpondet Marciani Imp. Indulgentia Reliquorum *Nouella* 2. Omnium ſcil. generalium titulorum (de qua voce dixi ad *l.* 3. *ſup.*) hæc Indulgentia eſt; a quibuscunque, cuicunque, & in quocunque genere debitorum. A quibuscunque,
P. 204. & cuicunque: ſiue, inquam, a Curiis, ſeu Curialibus, (qui ſcil. Suſceptores & Exactores erant, de quo iam ad *leg.* 3. *ſup.*) ſiue a conlatoribus ipſis, ſiue priuatis, ſiue patrimonialibus: id eſt a poſſeſſoribus, vt loquitur *dicta lex* 16. *inf.* priuatæ rei & patrimoniali collationi obnoxiis, ſiue diuinæ Domui, ſiue alii cuicunque iuri munifico: Quinimo & Cellariis, id eſt inſtructioni annonariæ Palatiorum, Prætoriorum, Manſionum; de quo dixi ad *leg.* 6. *ſup. de annona & tribut.* & *l. vlt. ſup. de off. Iudicum omn* quod & ipſum Marciani Indulgentia exprimitur *d. Nouella* 2. cum alioquin ſingularis horum ratio videretur.

Quarto, pleniſſima eſt ratione *Materiæ*: ſiue, inquam, ſpecies, ſiue æs, ſiue pecunia debeatur: ſiue denique aurum, argentum: quæ duo tamen poſtrema in Indulgentiis excipi ſolita quandoque: In Iulianea ſane excipiuntur *l.* 1. *ſup.* vbi plene dixi.

Quinto pleniſſima adhuc eſt hæc Indulgentia, & huic ſimilis *d. lex* 16. cuicunque Reliqua debeantur, ſiue horreis, ſiue Arcæ Præfectoriæ, ſiue vtrique Ærario: Nempe his tributa inferebantur, quod ipſum docuit quoque *lex* 3. *ſup. l* 13. & 16. *inf.* de Arca Præfecti Prætorio, docet quoque *lex* 3. 6. *ſup. lex* 16. & *l. vlt. inf.* & *lex* 19. *ſup. de erogat. mil. ann.* a qua Præfecti Prætorio Arca, *Arcarii* Præfectorum dicti; quorum meminit Caſſiodorus *XI. Var.* 8.

Et hæc quidem de huius Indulgentiæ amplitudine: qua cauſa etiam (quod Sexto loco hic notandum) hæc *lex* non tantum ad Anthemium PP. emiſſa eſt, verum quod oſtendit ſubſcriptio *legis*, de eadem re ſcriptum hoc Edictum, ſeu hæc Indulgentia ad *Populum* indiſtincte, velut debitorem, ad *Comitem S. L.* quia hæc Indulgentia quoque pertinet ad ea, quæ ſacro Ærario, ſeu Principis Largitionibus debebantur: Item ad *Præpoſitum S. Cubiculi*, quia & ad diuinæ Domus debita, hæc Indulgentia pertinet, qua cauſa ad eum ſcriptum nominatim dicitur Edictum de *titulis*, ſeu ſuper titulis *ad Domum ſacram pertinentibus*: Diuina ſcilicet Domus ſub Præpoſito S. Cubiculi fuit: de quo plene ad *leg.* 2. *ſup. de Palatinis S. L.* & ad *leg. vn. ſup. qui a præb. Tironum.* Item ſcriptum hoc Edictum ad *Rectores Prouinciarum*, vt quos tributariæ rei omnis cura ſpectabat. Poſtremum ad populum & Rectores prouinciarum Illyrici *de metallariis*, id eſt ſuper metallorum debitoribus; nam & his Indulgentia data, exceptis de

quibus

quibus mox. Mirum interim hic, non & de ea re ſcriptum ad Comitem R. P. cum tamen de vtroque Ærario hæc *lex* ſit. Certe ſimilis plane indulgentiæ Marciani Imp. *Nouella 2.* ſubſcriptio eſt: Sic quidem vt ad Comitem quoque R. P. Eodem exemplo ea ſcripta dicatur: *Scripta Palladio viro Inluſtri PF. P. Orientis: Hermogeni viro Illuſtri Comiti S. L. Gennadio viro Illuſtri Comiti R. P. Maximino viro Illuſtri Comiti & Præpoſito S. Cubiculi.*

Septimo interim notandum, quod de metallariis prouinciarum Illyrici dicitur: frequentia ſcil. per Illyricum metalla fuere, de quibus *l. 3. 7. 8. ſup. de metallis*: de iisdem accipienda *lex vn. inf. de menſis oleariis.*

Duas tamen *limitationes* & *exceptiones* ad hanc Indulgentiam addit Theodoſius Iun. Prima eſt, quod Octauo loco hic notandum, trium tantum metallorum debitores ab hac Indulgentia excipiantur; vt & *dict. lex 11. inf.* (quos tamen ipſos Marcianus ſua Indulgentia complexus eſt) nempe Docimeni Proconenſis & Troadenſis metallorum. E tanto ſcil. metallorum numero, quæ per orbem Romanum fuere vt docet quoque *lex 8. §. 4. D. de pœnis*: & quidem per Orientis Imperium, ac nominatim etiam in Illyrico, quæ Imperatori conferebantur, tria hæc omnium inſigniora fuere, marmora ſcil: clariora Docimena, Proconenſia, Troadenſia: De ſingulis videndum eſt. *Docimenum* in Phrygia fuit, vbi locus Docymæum, vel Docimæa: de quo Strabo, Ptolomæus *lib. 5. c. 2.* Itinerarium *Peutingerianum*, Stephanus *de Vrb.* & quidem prope Synada in *dict. Itiner.* De hoc Docimeno Phrygiæ metallo, ſeu marmore, plene Strabo *lib. 12. pag. 397.* ſiu *pag. 865. Edit. Almeloueen.* ἐπέκεινα δ' ἐςὶ Δοκιμία κώμη, καὶ τὸ λατόμιον τȣ̃ Συναδικȣ̃ λίθȣ, ὅτω μὲν Ῥωμαῖοι καλȣ̃σιν: οἱ δὲ ἐπιχώριοι Δοκιμίτην, καὶ Δοκιμαῖον κατ' ἀρχὰς μὲν μικρὰς βώλȣς ἐκδιδόντος τȣ̃ μετάλλȣ. Διὰ δὲ τὴν νῦν πολυτέλειαν τῶν Ῥωμαίων κίονες ἐξαιρȣ̃νται μονόλιθοι μεγάλοι, πλησιάζοντες τῷ ἀλαβαςρίτῃ λίθῳ κατὰ τὴν ποικιλίαν· ὥςτε καίπερ πολλῆς ȣ̃σης τῆς ἐπὶ θάλατταν ἀγωγῆς τῶν τηλικȣ́των φορτίων, ὅμως καὶ κίονες καὶ πλάκες εἰς Ῥώμην κομίζονται θαυμαςαὶ κατὰ τὸ μέγεθος καὶ κάλλος: *ab altera parte eſt Docimia Pagus, & lapicidina Synnadici lapidis, vt quidem Romani appellant: nam incolæ Domicitidem & Docimæam vocant. Ea fodinæ ab initio exiguas glebas ediderunt, ſed ob ſumptuum magnitudinem, quam nunc faciunt Romani, eruuntur magnæ columnæ ſolidi lapidis, varietate ad Alabaſtritem accedentes lapidem: ita vt quanquam multum huiuſce onerum ad mare vænum deducatur: tamen & columnæ & tabulæ Romam perferantur, magnitudine atque pulcritudine admiranda.* Epiphanius *de lapidibus XII. in Veſte Aaronis num 12. in fin. p 230. Tom. II. Oper. Edit. Colon.* ἄλλοι δέ πȣ καὶ τὸν λίθον τὸν μαρμάρινον ἀπὸ τȣ̃ Δοκιμίȣ, ψευδωνύμως ὀνυχίτην καλȣ̃σι διὰ τὸ καθαρὸν τῆς λευκότητος. *Alii vero ſane & ipſum marmor Docimæum onychitam vocant, falſo nomine propter puritatem albedinis.* Stephanus *de Vrb. pag. 241. Edit. Gronou.* Δοκίμειον πόλις Φρυγίας, ὡς Εὐδήμων· τὸ ἐθνικὸν Δοκιμεὺς κατὰ τέχνην: κατὰ δὲ τὴν συνήθειαν Δοκιμηνός, ἀφ' ȣ̃ τὰ μάρμαρα ȣ̃τω φασί. *Docimeum, vrbs Phrygiæ, vt Eudæmon. Gentile, Docimeus, ſecundum artem; ſed ſecundum conſuetudinem Docimenus. A quo marmora ſic dicunt.* Idem ergo marmor Docimenum & Synadenſe; cuius Synnadis marmoris mentio non vna apud Statium; ſic vt candidum fuiſſe oſtendat purpureis maculis interſtinctum. Hinc & Synnades columnæ apud Capitolinum, *in Gordianis cap. 32.* Proconenſia dicta a Proconeſo inſula, quæ vna eſt e Sporadibus. Horum quoque mentio fit apud Plinium *lib 36. cap. 6.* & in Diocletiani, & Maximiani conſtitutione *Codice Gregoriano lib 19. tit. 4.* & exinde Auctor *collat. Legum Moſaic. tit. 15. §. 3.* vbi Manichæorum nonnulli, Forenſibus vel Proconenſibus metallis dari iubentur. Plinius iterum, *lib. 5. c. vlt. Inſula in Propontide ante Cyzicum Elafonneſus, vnde Cyzicenum marmor: eadem Neuris & Proconneſus dicta.* Strabo *lib. 13. pag. 405.* ſiu. *pag. 880. edit. Almeloueen.* Προκόννησος πόλις ἔχȣσα καὶ μέταλλον μέγα λευκȣ̃ λίθȣ σφόδρα ἐπαινȣ́μενον, τὰ γȣ̃ν κάλλιςα τῶν ταύτῃ πόλεων ἔργα, ἐν δὲ τοῖς πρῶτον τὰ ἐν Κυζικῷ ταύτης ἐςὶ τῆς λίθȣ. *Proconneſus vrbem habens, & fodinam lapidis albi valde laudati; itaque ea rum, quæ iſtic ſunt, vrbium opera, ac præcipue Cyzici ex eo ſunt lapide.* Auctor vetus *de marmoribus*: Τῶν λίθων ὁ Προκοννήσιος λευκὸς μὲν, φλέβας δὲ διέλκει μέλανας, πῆ μὲν εἰς εὐθὺ, πῆ δε καμπύλας καὶ συνεςραμμένας (a). Id ipſum indicat κατ' ἀντίθεσιν Plinius *lib. 37. cap. 10. in f. Zmilaces in Euphrate naſcitur, Proconneſia marmori ſimilis, medio colore glauco.* Et Simia eius Solinus *Polyhiſtor. cap 37. Gemma ad imaginem marmoris Proconnenſis, niſi quod in medio vmbilica lapidis iſtius glaucum, vt oculi pupula, internitet.* Theodoretus *lib. 4 c. 19.* ſiu. *c. 22 Edit. Cantabrig.* τοῖς Φαινησίοις καὶ Προκοννησίοις παρεδίδοντο μετάλλοις. Meminit & Iuſtinianus, *Nouella 22. cap. 8. Troadenſe* tandem metallum procul dubio a Troade, vbi Ida mons in Aſia Proconſulari, qua parte & *Paros* fuit: vnde *Parium marmor.* Cur autem ab hac Indulgentia hæc tria metalla excipiuntur? Nempe propter luxum huius æui marmorumque cupiditatem in opera publica & quidem Conſtantinopolitana.

Sequitur *fine legis* limitatio altera huius Indulgentiæ: ei locum iam non eſſe vltra quadraginta annos: ſequentis enim temporis ab A. D. vſque in Annum præſentem 414. debita ad emergentes neceſſi- P. 105.
tates deberi. Ad extremum, notabilis eſt quoque eo *hæc lex*, quod cum Indictiones quatuor memorat, ſuiſque numeris accurate deſignet, de quo ad *l. ſuper. 8.* illud inſuper docet pariter vt *lex 10. prox.* ab Imperatorum nominibus Indictiones deſignatas, in quorum videl. tempora inciderent, licet non inchoatæ eorum temporibus, quod tamen Baronius & Scaliger tradiderunt; ſic Valentiaca vndecima Indictio *h. l.* & *d. l. 10.* quæ in Annum Valentis Imp. quintum inciderat, ſane Conſtantinianæ Indictiones in *chronico Alexandr.* dicuntur, quæ Conſtantini tempore cœperunt.

X. (a)

(a) Locum adduxit, & de Proconneſio marmore dixit CL. SALMASIVS *in Solinum pag. 495. edit. Traiect.*

X. (a) Idem AA. Aureliano PF. P. (b)

INDVLGENTIAM (c), quam ex *Vndecima* (d) *Indictione Valentiaca*, in *Quintam* vsque nuper tranſactam, generaliter per omnes prouincias & populos ſparſimus, nonnulli (e) viſi ſunt in ſuum conpendium rapinamque conuertere, vt fierent priuatæ debita, quæ fuerant publica: Ideoque, vt largitatem noſtram non nomine, ſed re ipſa Prouinciales experiantur, a nullo Ordine obtentu anticipatæ per ſe (f) illationis, vlterius aliquid exigantur (g), cum eis (h) ſufficere debeat ad medellam quidquid & ipſi ex eadem indulgentia meruerunt, quam ſacrilego animo temerare conati ſunt. Dat. V. Id. Iul. Conſtantinop. Honor. X. & Theod. VI. AA. (i) Coss. [415.]

NOTAE.

(a) Abeſt & hæc *lex* a *Cod. Iuſt.* velut temporaria. *GOTHOFR.*

(b) *Aurelianus* ſub Theodoſio Iun. PP. Orientis & iterum quidem: v. hoc ipſo Anno *l. vlt. ſup. de crim. peculatus: l. 8. ſup. de donat. l. 4. ſup. de inceſt. nupt. l. 22. inf. de Iudæis: l. 57. & 58. inf. de hæreticis. v. Proſopogr. ID.*

(c) *Legis 9 ſup. ID.*

(d) A. D. 361. *ID.*

(e) *Ordines* ciuitatum: *inf. a nullo ordine. ID.*

(f) Ab Ordine. *ID.*

(g) Prouinciales. *ID.*

(h) Ordinibus ciuitatum. *ID.*

(i) Incidunt in hunc ipſum annum Theodoſii *Quindecennalia* imperii viuente patre ſuſcepti: Quod teſtatur *Chron. Alexandrin.* Vid. ANTON. PAGIVS *in Crit. ad Annal. Baron. h. a. num. 1. RITTER.*

COMMENTARIVS.

SVPERIORIS Indulgentiæ, ſeu *legis 9.* hæc explicatio quædam eſt: pariter, vt *lex 11. inf.* altera quædam explicatio eſt. Hæc in *Ordines*, (id eſt Curias ciuitatum) dirigitur: Nempe cum ſuperior Theodoſii Iun. indulgentia quadraginta annorum proceſſiſſet, quidam Ordines ciuitatum nihilominus poſſeſſores adhuc exigere perſiſtebant, nempe eo obtentu, quod ipſi Ordines intra illud tempus aliquando pro poſſeſſoribus per ſe aliquid in anteceſſum anticipato ſoluerant (vti ſæpe Ordines ſeu Curiæ ciuitatum id facere ſolebant, mox quicquid ſoluiſſent recuperaturi a poſſeſſoribus) Igitur, hanc anticipatam per ſe olim ſolutionem, hac indulgentia emiſſa, Curiæ exigere volebant: ſic fiebat, vt hæc Indulgentia in eorum compendium rapinamque conuerteretur: & vt fierent priuata debita, quæ fuerant publica. Quare Theodoſius *h. l.* ei rei intercedit, vt ita Indulgentiam ſuam prouinciales non nomine, ſed re ipſa ſortirentur: hac addita ratione: quod Ordinibus ſeu Curiis ciuitatum ſufficere debeat, quod & ipſi plurimum ex hac Indulgentia conſequantur, nempe multorum Reliquorum annorumque relaxationem: quare, neque hanc in aliis Indulgentiam ad medelam, ſacrilego animo temerare debere. Quod ſingulare ius ſeu ſingularis caſus obſeruandus eſt: nempe, *etiam ſolutum pro alio Indulgentia generali comprehendi.*

Porro *Aureliano PP.* hæc *lex* inſcribitur & ad eius proculdubio relationem: quo forte referri poſſit Syneſii *epiſtola 31. ad Aurelianum*, ei gratias agens ob ea bona, quæ in ſummo Magiſtratu conſtitutus vniuerſis Ciuitatibus & Gentibus contulit, *καὶ ἀπομιμνῇσθαι τῶν ἀγαθῶν, ὧν ἐπὶ τῆς μεγάλης ἀρχῆς ἅπασιν ἔθνεσιν αἴτιος γέγονας*, *bonorumque eſſe omnium memores, quæ ſummo magiſtratu in omnes contuliſti.*

XI. (a) Idem AA. Monaxio PF. P. (b)

PRIMIPILI (c) reliqua tanquam ad nuper (d) emiſſam generalem (e) indulgentiam minime pertineant, flagitari cognouimus. Ideoque ſancimus, primipili quoque reliqua eiuſdem temporis (f) relaxari, nec quemquam debere pro eo tempore, quod indulgentia definiuit, primipili vel cuiuslibet alterius tituli gratia conueniri; præter Docimeni, Proconenſis, & Troadenſis metallorum debitores, quos & dudum (g) latæ indulgentiæ ſeries conprehendit. Dat. V. Id. Sept. Heracleæ (h) Theod. A. VII. & Palladio Coss. [416.]

NOTAE.

E. 206.

(a) Abeſt & hæc *lex* a *Cod. Iuſt.* velut temporaria. *GOTHOFR.*

(b) *Monaxius* ſub Theodoſio Iun. PP. Orientis: vid. *Proſopogr. ID.*

(c) *Primipili*, id eſt Annonæ militaris exactæ: v. *Gloſſar. ID.*

(d) *Nuper*, ante biennium & quinque menſes: mox tamen *dudum. ID.*

(e) Intelligit *legem 9. ſup. ID.*

(f) Quadraginta annorum ab A. D. 368. ad A. D. 407. *ID.*

(g) Du-

(g) *Dudum*, ante biennium & quinque menſes: ſupra *nuper*. *ID.*

(h) *Heraclea* hoc tempore Theodoſius Iun. quod etiam teſtatur Auctor Chronici Alexandrini, *bis COSS. ID.*

COMMENTARIVS.

PRIMIPILI quoque reliqua, generali Indulgentia a ſe emiſſa contineri, pariter vt quoscunque alios titulos, ſolis trium metallorum debitoribus, quæ hic deſignantur quoque exceptis, definit *hac l.* Theodoſius Iun. *Primipili* id eſt annonæ militaris debitorum, id enim eſt Primipilum, *hac l.* & *l. 11. inf. de decurionib.* a quo & Primipili neceſſitas: *l. 7. ſup. de Cohortalib.* paſtus Primipili: *l. 8. 10. 11. 16 ſup. d. tit. de cohortalibus.* Et *Primipilares*, qui exigendæ annonæ iſti imminebant, & ad paſcendos milites ſolemniter ad limitem deſtinabantur, *l. 6. dicto titulo de cohortalib.* Ergo & hos quoque Primipilares, annonæ militaris debitores, Reliquatores, generali indulgentia comprehendi voluit *hac l.* Theodoſius Iun. De quo tamen *dubitatum* hoc tempore, ſic vt non obſtante generali illa indulgentia, primipili Reliqua flagitarentur. Annonæ ſcil. militaris fauor & Priuilegium id depoſcere videbantur, vt alia compluti-ma ſunt militaris annonæ priuilegia, vt pote ad militis ſecuritatem deſtinatæ: de qua annona militari, vtriusque eius priuilegii *ſup. tit. de erog. mil. annonæ.* Verum contra nunc reſcribit Theodoſius Iun. *hac l.* quæ proinde nil aliud eſt quam ſuperioris alicuius *legis* explicatio; pariter vt *lex 10. ſupra*, altera explicatio eſt *legis 9.*

Poſſit tamen quis ita exiſtimare, *hac l.* non illam *l. 9.* explicari, verum recentiorem aliquam, forte Indulgentiam, quam *initio leg.* NVPER *emiſſam*, ait: & a qua ſeparari videatur *dicta lex 9.* quæ *fine leg.* DVDVM *lata* dicitur. Etſi ſcio *eandem leg.* eodem ſenſu dici poſſe *nuper*, & *dudum* latam: *dudum* videl. ratione temporis, vtpote ante biennium lata: *nuper*, ratione ordinis, quia vltimum etſi non ita pridem lata, conceſſa: de qua vocis *dudum* appellatione iam aliqua notaui, ad *leg. celebrandis 19. Cod. Iuſt. de nuptiis, p. 16.*

XII. (a) Idem AA. Palladio PF. P. (b)

PRÆTER (c) cenſuales functiones, *Campania* (d) (quam & vetuſtatis grauior onerat adſcribtio, & poſt hoſtium (e) vaſtauit incurſio) peræquatis (f) territoriis, nonam partem tantummodo præteriti aſſis (g) publicarum toleret functionum. *Picenum* vero & *Tuſciam*, Suburbicarias regiones ſeptimam Tributorum, ad ſupputationem profeſſionis (h) antiquæ, per vniuerſos titulos iubemus agnoſcere; Vt reciſo antiqui cenſus onere, is tantum modus quem ſuperius comprehendimus, chartis publicis (i) inſeratur: hac condicione, vt omnis ſuper deſertorum (k) nomine querela in poſterum conquieſcat. Dat. XVII. Kal. Dec. Rau. Honor. XII. & Theod. VIII. AA. Coss. [418.]

NOTAE.

(a) Abeſt & hæc *lex* a *Cod. Iuſt.* velut temporaria. Hanc *legem* ſuam num memoret & ampliet Honorius Imp. quinquennio poſt, *l. 14. inf.* mox inquiram. *GOTHOFR.*

(b) *Palladius* ſub Honorio Imp. PP. & quidem Italiæ, vt docet vel hæc *lex*, vbi de Campania, Piceno & Tuſcia agitur: v. plura in *Proſopogr. ID.*

(c) De huius vocis locique ſenſu, mox. *ID.*

(d) Cuius pars Campania Latina, vrbi proxima, de qua dixi ad *l. 11. ſup. de pœnis. ID.*

(e) Id eſt Gothorum & Alarici. *ID.*

(f) De *Peræquatione* ſuo *tit. inf. lib.* 11. *ID.*

(g) *Aſſis*, eſt integra, ſolida quantitas, modus cuiusque rei. *ID.*

(h) *Profeſſio.* De hac voce iam ſæpe: & nominatim *l. 10. ſup. de annon. & tribut.* vid. & *inf. Paratitl. de Cenſu. ID.*

(i) *Chartæ publicæ* ſunt polyptica: de quibus iam *ſupra hoc titulo*, & *l. 13. prox. ID.*

(k) Agrorum: de his querelis ſuper deſertis dixi ad *l. 10. ſup. de annona & tribut.* v. & *inf. ſuo tit. de Cenſitoribus. ID.*

COMMENTARIVS.

ITALIÆ prouinciis tribus, puta Campaniæ, & duabus ſuburbicariis regionibus, Piceno inquam, & Tuſciæ, ſingularem indulgentiam tribuit *hac l.* Honorius Imp. A. D. 418. quæ quidem octaua eſt *hoc titulo* ex Honorianis Indulgentiis.

Quæ & ipſa celebris euaſit in argumento *regionum ſuburbicariarum.* Duo quippe inde iam liquido conficiuntur: Primo Picenum & Tuſciam de ſuburbicariarum regionum numero fuiſſe, quod etiam diſcimus ex *Notitia Imperii*, quæ nouem ferme annis poſt *hanc l.* ſcripta eſt, & ex Maioriani *Nouella de adulteriis 9.* Imo & de Tuſcia vrbicaria teſtes quoque Gaius & Theodoſius inter *finium regundorum* Auctores, *p. 260. edit. Rigalt.* & *pag. 253. edit. Goes.* p. 107. Secundo diſcimus, *Campaniam* de ſuburbicariarum regionum numero non fuiſſe: cum ab iis *hac l.* apertiſſime ſeparetur: verum de hoc plura dicere ſuperſedeo, quando iuſti ea de re extant Commentarii.

Nunc de hac ipſamet Indulgentia videamus: quam tamen alicubi obſcuram reddere videtur *initium legis*: ibi, *Præter cenſuales functiones.* Quid enim eſt illud *Præter*: cum de cenſualibus functionibus *hac l.* vnice agatur: quod etiam oſtendunt illa cir-

circa *finem leg. Vt reciſo antiqui* C a n s v s *onere, is tantum modus, quem ſuperius comprehendimus, chartis publicis inferatur.* Fuit tempus cum crederem, *hac l.* diſcrimeo ſtatui inter Campaoiam & ſuburbicarias illas regiones non tantum in modo præſtationis tributorum ſeu in quaotitate, quod clarum; verum etiam in ipſo præſtationis genere: quaſi Campaniæ plenius conſulatur hac quoque parte quam ſuburbicariis illis: quæ tamen exæquatæ fuerint, *l. 14. inf.* verum vt *illam leg. 14.* cum hac nil commone habere ibi oſtendam, ita in *hac l.* de vnico genere præſtationis agitur: ſed vniuerſali, quod omnes præſtationes in ſe continet: *Cenſualium* ſcil. *functionum* nomine omne quicqoid publico penditur ex poſſeſſionibus, continetur. Vnde mox eædem ſex appellationibus deſignantur, quæ idem ſignificaot. Dicitur *Adſcriptio:* Item *Aſſis*, id eſt ſoliditas, vnioerſitas: eo enim *aſſis* appellatio a re oummarie translata: Item *publicæ functiones:* Item *Tributa*, Item, *profeſsio*, & quidem *per vniuerſos titulos:* Tandem *cenſus onus.* Cum igitur de vno tantum, ſed vniuerſali, præſtationis genere hic agatur, non poſſit vox *Præter*, initio *leg.* poſita, hic ſtare: pro qua proinde reponam *Propter: propter cenſuales functiones*, id eſt functionum cenſualium nomine. Alioquin de harum duarum vocum inter ſe commutatione, dico ad *l. 7. inf. de ſcenicis.* Niſi forte bic legendum putet qnis, argumento, *l. 7. ſup. Præter curſuales functiones:* id eſt exceptis functionibus ad reparationem curſus. Nam & ſic equi Curſuales, & reda Curſualis dicuntur.

Huius igitur *leg.* hæc ſeoteotieeſt: Campaniam deinceps oonam taotum partem eius quod cenſualium vel publicarum fuoctionum nomine, quod profeſsionis, quod tributorum, quod cenſus ratione, tolerabat, agnoſcebat, ſoloere præſtare debere: Picenum vero & Tuſciem paulo meiorem, ſeptimam videl. Et rationem addit Honorius, cur enixius, cur amplius Campaniæ conſultum velit, quem duabus illis Regionibus: eamqoe duplicem; nempe, quod Campaniam & vetuſtatis grauior ooerarei adſcriptio, & poſt hoſtium vaſtaſſet incurſio. Qnod priorem rationem attinet, hinc eſt quod Campaoia ſæpe de grauiore adſcriptione ſeu tributorum modo conqueſta reperitur, cenſuram releuationum petiiſſe: & in id, de deſertis & ſqualidis locis querelas detuliſſe, quod præter hæc *huius l.* verba, *peræquatis territoriis*, quæ indicant item extreme legis, ibi, *omnis ſuper deſertorum nomine querela*, teſtatur expreſſe *lex 2. ſup.* eiusdem Honorii, ante 24. circiter annos lata. Quare & Ioſpectoribus miſſis, *peræquata territoria* Campaniæ, quod & hic & *d. l. 2.* indicatur: de quibus alioquin Inſpectoribus & Peræquatione, *tit. inf. de Cenſitoribus, Peræquatoribus & Inſpectoribus.* Poſterior ratio eſt, quod Campaniam vaſtaſſet hoſtium incurſio, id eſt Gothorum: de quo iam plene dixi ad *d. l. 7. ſup.* vbi Campani pariter quintam tantum partem veterie modi & præſtationis ſoloere iuſſi: vt hic pleniore iam Indolgentia, nonam.

Et hæc de *Campania.* Similem vero, etſi oon tantam, ſed adſtrictiorem paulo, Iodulgentiam tribuit *hac l.* Honorius Piceno & Tuſciæ ſuburbicariis regionibus. Et hanc ipſam tamen proculdubio oon diſſimili ratione, quomodo & Tuſcia Picenumque ſimili Indulgentia quoque comprehenſæ Anno 413. aote quinquennium *l. 7. ſup.* Nam & hae prouincias ſuper deſertis querelas detuliſſe, ex *fine l.* colligitur & hæ ipſæ pariter a Gothis vaſtatæ fuere. Sene per *Picenum* Alarichum Romam contendiſſe, prodit quoque Zoſimus *lib 5. cap. 37.* & exinde conceſſiſſe *lib. 6 extremo.* De *Tuſcia* e Gothis, Alericho, & Ataulpho vaſtata teſtis Zoſimus quoque *lib. 5. cap. 42. & 45.* Eſt quoque hic Rutilii Claudii Nomatiani locus, qui circa hæc ipſe tempora ſcribebat *lib. 1. v. 40.*

Poſtquam T v s c v s *ager, poſtquam Aurelius agger*
Perpeſſus Geticas enſe vel igne manus.

vbi etiam *Aurelius agger*, eſt via Aurelia in Tuſcia ſuburbicaria.

XIII. (a) Idem AA. Venantio Com. R. P. (b)

BREVES (c), quos Spectabiles (d) ac probatiſſimi nobis Viri ac (e) Palatinorum ſacrarum (f), vel ad Prætoriana, ſcrinia (g) detulerunt, & profeſſionis (h) modum eum qui breuibus ſedit (i), ſcribi volumus: Eum vero qui reciſus eſt de chartis publicis, iubemus auferri. Vnde ſecundum fidem polypticorum (k), per *prouinciam Proconſularem* (l), nouem milia duas centurias (m), iugera centum quadraginta vnum, *in ſoluendo:* & quinque milia ſeptingentas centurias, iugera centum quadraginta quatuor ſemis *in remouendis* (n). Per prouinciam vero *Byzacenam* (o), in *præſtanda* functione ſeptem milia quadringentas ſexaginta centurias, iugera centum octoginta: ſeptem milia ſexcentas quindecim vero centurias, iugera tria ſemis in *auferenda* (p) conſtat adſcribta: vt circa eos, quibus conlocata ac releuata (q) ſunt prædia, ad ſecuritatem perpetuæ proprietatis intermina (r) poſſint ætate ſeruari. De his vero quæ Edictis pendentibus nondum ſunt certis adſignata perſonis, Rectores prouinciarum decernimus prouidere, vt, manentibus remediis quæ fides ſupradicta adtribuit, idoneis conlocentur. Dat. X. Kal. Mart. Rau. Honor XIII. & Theod. X. AA. Coss. [422.]

P 208.

NOTAE.

(a) Abeſt & hæc *lex* a *Cod. Iuſtin.* velut temporaria. *GOTHOFR.*

(b) *Venantius*, ſub Honorio Imp. A. D. 411. Comes R. P. qui idem Anno proximo PP. fuit, vt docet *lex* 1. *ſup.* [illegible] *decur. & ſilent. ID.*

(c) De

(c) De *Breuibus* v. Gloſſ. *Theod.* *ID.*

(d) *Inſpectores* vel *Peraequatores* miſſos ad inſpicienda & peraequanda loca intelligit, de quib. *ſuo titulo.* *ID.*

(e) γϱ. *Ad*, de quo mox. *ID.*

(f) *Sacrarum* abſolute, de quo mox. Male hic nonnemo tentabat *ſacrariam.* *ID.*

(g) *Scrinia* Praefecti Praetorio, & Comitis S. L. vel R. P. *ID.*

(h) *Profeſſionis* vox. De hac voce ad *l.* 10. *ſup. de annona & trib.* *ID.*

(i) *Sediſſe breuibus* dicitur modus profeſſionis, id eſt qui receſſis, defectis, remanſit & comprehenſus eſt breuibus: vt ſequentia mox oſtendunt; vbi modus receſſus de chartis publicis opponitur modo, qui breuibus ſedit. Somnia enim aegri ſunt, quae Gutherius 3. *de off. domus Aug. cap.* 9. *p.* 489. ſiu *pag.* 590. 591. *edit. Lipſ.* de Magiſtro cenſus & de Cenſitoribus, qui in Cenſu agendo ſedebant, ſcribit. *ID.*

(k) *Polyptica, h. l.* & *l.* 2. *ſup. de diſcuſſorib.* vbi plene dixi: paulo ante *charta publica* vocantur. *ID.*

(l) *Proconſularis* prouincia, Africa. *ID.*

(m) De *Centuriis* his dixi iam aliquid ad *l.* 10 *ſup. de annona & trib.* dicam mox adhuc plenius. *ID.*

(n) *Remoueadis*: vt inf. *auferenda.* *ID.*

(o) *Byzacena* prouincia. *ID.*

(p) Id eſt inter auferenda, in numerum auferendorum: ſic proponenda, *l.* 1. *ſup. de veteranis*, vbi ſimilia affero. *ID.*

(q) De *Releuatis* praediis *tit. ſup. de conlat. donat. vel releu. poſſ.* *ID.*

(r) *Intermina* aetas, continua, aeterna: ſic Apuleio *de mundo pag.* 337. *Edit. Lugd. B.* 1623. *apud Ioan. Maire*, interminus lapſus. Auſonio, ad *Librum vt eat ad Probum Ep.* 16. v 66. felicitas intermina. Secla intermina, Prudentio *contra Symmachum lib* 1. v. 106. Interceſſio intermina, Sidonio *lib* 7 *ep.* 4. *ID.*

COMMENTARIVS.

AFRICAE prouinciae Proconſulari, BYZACENAE, conceſſam ab Honorio Imp. indulgentiam A.D. 422. continet haec *lex*: Ad querelam videl. quod primo hic notandum earum prouinciarum ſuper agris deſertis, pariter vt *l* 2. & *l.* 12 *ſup.* Et poſt Inſpectores in id miſſos, (quod ſecundum,) peraequandis territoriis, & ſterilium fundorum numero ſubducendo, pariter vt *dictis legibus*: de quo alioquin Inſpectorum mittendorum more *infra, ſuo tit. de Cenſitorib. Peraequ. & Inſpectorib.* Huiuſmodi vero Inſpectores in id miſſi ad eas prouincias hoc tempore, quos Honorius *initio* legis, *Spectabiles ac Probatiſſimos ſibi Viros* dixit & intellexit, de quo *dicto tit. de Cenſitorib.* Hi vero (quod Tertium) inſpectione facta, Breues retulerant, quibus continebatur modus profeſſionis, id eſt fundorum, qui reuera cenſibus ſubiacere deberent, contra numerus fundorum, iugerum, centuriarum, quae a cenſu remouenda, auferenda eſſent. Eoſque Breues, pro more ſcil. (quod Quarto loco notandum) partim ad ſcrinia Palatinorum ſacrarum, partim ad Praetoriana ſcrinia detulerant. Nempe enim tributa quaedam ad ſcrinia Praefecti Praetorio, ſeu eius Arcae inferebantur, de quo dictum ad *l.* 9. *ſup.* partim ad ſcrinia Comitis S. L. vel R. P. (vnde & haec *lex* inſcript: Comiti R. P.) ſic enim *hic* legendum, *Ad Palatinorum ſacrarum*, ſcrinia videl. ἀπὸ τῦ κοινῦ: non vt Iuretus in Symmachum *Epiſt. lib* III. *ep.* 45. *Palatini munerationum ſacrarum.* Primum enim hic omnino pro *ac*, reponendum *ad*, quod ſequentia mox oſtendunt: Duum ſcil. generum Breues *hic* memorantur. Alii, qui ad ſcrinia Palatinorum *ſacrarum* delati: Alii qui ad ſcrinia Praefecti praetorio: Contra, retinendum, *Palatinorum ſacrarum*, nullo praeterea addito: *Sacrarum* abſolute, vt *ſacrarum* priuatarum, *l.* 18. *ſup de Palatinis S. L. l.* 17. 18. *ſup. de exactionib.* Sacrarum Index, apud Ennodium *in tertia dictione pag.* 1053 *Tom. I. Oper. Sirmondi.* Ita quoque Comes, & Comitiua Priuatarum, *l.* 49. *inf. de appellationib. l.* 120 *inf. de decur.* Magiſtri Priuatae, *l.* 14. *de decurionib.* De quo plura ad *d. l.* 18. Quibus ita conſtitutis, apparet male hunc locum ita a Gutherio emendari, infarta voce, ad *Principem: Ac Palatini Sacrarum ad Principem, vel ad Praetoriana ſcrinia.* Verum ad rem. Ergo relationem Breueſque horum inſpectorum *hac l.* confirmat Honorius, ſuaque adeo Indulgentia proſequitur: Nempe per *Africam* proconſularem, opimorum fundorum, quorum nomine tributa ſeu functiones *praeſtandae* eſſent, *ſoluendaeque*, (qui fundi *ταμιακοὶ* Theodoreto *Ep.* 42.) numerum hunc colligit.

Centurias IX. M. & II.
Iugera CXLI.

Deſertorum contra, ſeu qui remoueodi eſſent, & auferendi, quos Theodoretus ἐλευθεϱικῦς vocat.

Centurias V. M. & DCC.
Iugera CXLIV. & Semis.

Per prouinciam *Byzacenam* opimorum fundorum.

Centurias VII. M. CCCCLX.
Iugera CLXXX.

Deſertorum & ſterilium contra.

Centurias VII. M. DCXV.
Iugera III. & Semis.

Vbi duo notanda veniuot. Primo; maiorem per Byzacenam centuriarum & Iugerum numerum fuiſſe, quam per Africam proconſularem: & ſic Byzacenam maiorem Africa proconſulari fuiſſe: quod aliunde clarum. Secundo, vt aliunde, ita ex *h. l.* diſcimus, quae Iugerum ad centurias proportio fuerit: Nempe enim Iugera hic numerantur, quae nondum centuriam efficerent, ſeu ſupra centurias ſupereſſent, ad 141. 144 imo & ad centum octogiota quoque. Et ſane, Centuria duceota ferme iugera continebat: de qua plene iam ad *l.* 10. *ſup. de annona & trib.* vbi & de Profeſſionis voce, modoque in polypticis ſeu tabulis cenſualibus & pleniſſime *titulo de cenſu.* Et haec quidem de centuriis & iugeribus, quae certis perſonis iam adſignata erant. Sed enim erant per Africam proconſularem & Byzacenam centuriae quaedam iugeraque, quae nondum erant certis perſonis adſignata, & ſub Edictis pendebant.

Tom. IV. Ee 2 Quod

Quod de ſignatis ait certis perſonis lucem accipit ex his quod Siculus habet *de condit. agrorum*, *cap. de Quæſtoriis agris*: & *cap. ſequenti de diuiſis aſſignatis pag. 16. edit. Goes.* vbi *aſſignari* ait *agros viritim nominibus*: & mox *pag. 17. edit. cit. datum aſſignatum ſingulis perſonis certum modum, aliquando aſſi-* P.209 *gnatum vnum modum compluribus.* Sic & ager militibus aſſignatus, Vlp. *l. 15. §. 2. D. de rei vindicat.* Quod vero additur de *Edictis pendentibus*, id eo pertinet, Quod incerti agri publici proſcribebantur Edictis, vel adſignandi vel locandi certis perſonis. De his vero id addit *hac leg.* Honorius, huiuſmodi agros penes idoneos collocent Rectores prouinciarum.

XIV. (a) Idem AA. Rufino (b) Com. S. L.

QVOD de Annonariis (c) functionibus per *Vrbicarias* (d) *regiones* Clementia Noſtra conceſſit (e), etiam in Largitionalibus titulis, & Emphyteuticis Reipublicæ prædiis cuſtodiri mandamus. Amotis igitur reliquis, etiam circa Largitionales (f) titulos, debita ex præſenti *Indictione* conſtituet (g), chartis abolitis debitorum (h). Capitali ſane ſupplicio percelletur, quiſquis prouincialem (i) ſupra conſtitutum hac auctoritate (k) modum debitæ functionis adſtrinxerit. Regeſta (l) VI. Id. Febr. Rau. Aſclepiodoto & Mariniano Coss. [423.]

NOTAE.

(a) Abeſt & hæc *lex* a *Cod. Inſt.* velut temporaria. *GOTHOFREDVS.*

(b) *Rufinus*, Comes S. L. ſub Honorio Imp. A. D. 423. cuius nulla præterea extat mentio. *ID.*

(c) *Annonariæ* functiones, *h. l.* & *l. 4. ſup.* dicam mox. *ID.*

(d) *Vrbicariæ* regiones. De his *alibi* dictum. *ID.*

(e) *Concedendi* voce hac vtitur quoque *lex* 2. 3. *ſup. ID.*

(f) *Largitionales* tituli, dicam mox. *ID.*

(g) *Conſtituet. ID.*

(h) *Debitorum*, id eſt reliquorum, vt *ſup. ID.*

(i) *Prouinciales*, etiam poſſeſſores vrbicariarum regionum dicti, quomodo & ipſæ vrbicariæ regiones, *prouinciæ. ID.*

(k) *Auctoritas*, pro ſanctione & conſtitutione Principis paſſim: *h. l.* & *l. vn. inf. de Centurionib. l. 2. inf. de his qui condit. propr.* Apud Symmachum itidem, aliosque: vid. Iuretum in Symmachum *lib. 7. ep.* 122. *ID.*

(l) *Regeſta.* De hac ſubſcriptione mox, & in *Prolegomenis. ID.*

COMMENTARIVS.

VRBICARIIS Regionibus datam a ſe Indulgentiam amplificat & extendit *hac leg.* An. D. 423. Honorius Imp. Nempe quam Indulgentiam iis regionibus dederat Annonariarum functionum, eam nunc extendit ad Titulos Largitionales, & ad Emphyteutica Reipubl. prædia: vbi *Annonariæ functiones* pariter vt *l. 4. ſup.* & *l. 15. ſup. de annona & tribut.* ſunt ea, quæ horreis, vel ad Illuſtres viros Præfectos Prætorio, ſeu Arcæ Præfecti Prætorio inferebantur, *l. 3. 6. 9. verſ. ita vt nec horreis ſupra*: & *leg. 16. inf. in f.* quæ glebali penſioni opponuntur *dict. leg. 4.* Item largitionalibus titulis, ſeu his quæ ærario vtrique Principis inferuntur: & ad Largitiones eius pertinent, priuatæ quoque rei, *dict. leg. 3. 6. 9.* & *inf.* Hinc adeo hæc *lex* inſcripta *Comiti S. L.* quia ſcil. de *Largitionalibus titulis* in ea agitur.

At vero aliud Annonarum genus fuit: a quo *Annonariæ* regiones, vrbicariis oppoſitæ, nempe quæ in Principis & cellarii eius vſus dabantur. Quæ duo annonarum genera diſtinguere neſcierunt Scriptores quidam de *Suburbicariis.* Ad Emphyteutica quoque prædia hanc Indulgentiam extendit nunc Honorius Imp. de quibus ſemel dixi *libro 10. tit. 3. de locatione fundor. &c.*

Hæc quidem ita in *hac l.* perſpicua ſunt. Atenim euaſit hæc *lex* iam controuerſa & celebris in argumento *Regionum* Vrbicariarum, ſiue *ſuburbicariarum*: vbi anxie quæritur hanc ad diem, ad quam *legem* hæc *lex* reſpiciat; num ad *leg. 7. ſup.* quæ data eſt ante decennium Anno Dom. 413. vbi octo Italiæ prouinciæ nominantur, *Campania, Tuſcia, Picenum, Samnium, Apulia, Calabria, Brutii, & Lucania*: Quod quidam contendunt, vt ita omnes illas prouincias Vrbicarias faciant: an vero ad *legem 12. ſup.* quæ data eſt ante quadriennium, fine Anni 418. vbi *Piceni & Tuſcia ſuburbicariarum Regionum* fit mentio, quod alii quoque contendunt? Vt vere dicam, neutrum mihi nunc probatur. Hos primum deficit ratio, non vno argumento. Omitto quod alibi prolixe probatum eſt, prouincias *ea leg. 7.* memoratas neutiquam fuiſſe de Vrbicariis regionibus. Verum Sex ex *ea ipſa leg.* argumentis. Primum eſt, quod *lex* illa 7. *Generalem* Indulgentiam continet omnium functionum, non modo annonariæ functionis: Ecce enim apertiſſima eius verba; *Ex omni præſtationis modo, quem antiqua ſolemnitas detinebat*: mox, *partem ſoluant publicæ functionis*: Atquin eam Indulgentiam, quæ hac noſtra memoratur & ampliatur, fuiſſe oportet de annonariis tantum functionibus. Secundum eſt, quod Indulgentia *dict. legis* 7. nonniſi ab Anno 410. ad Annum vſque Domini 415. proceſſerit, ac proinde ab eo Anno 415. ceſſauerit. Atquin ea qua de agitur *hac leg.* vim ſuam adhuc tenebat. Tertio, Indulgentia *dict. legis 7.* quæ data eſt Anno 413. continet ſingularem Indulgentiæ ſpeciem, partim in futurum ad Annum vſque 415. partim in præteritum ab Anno 410. hæc vero *lex* noſtra, vt & ea Indulgentia, quam commemorat

morat & amplificat, Reliqua præteriti temporis vnlce reſpicit, *Amotis igitur Reliquis*, inquit; mox, *debita ex præſenti Indictione conſtitues, chartis abolitis debitorum: debitorum*, id eſt, Reliquorum, vt priora illa oſtendunt, & ſecretior vocis *debitorum* ſignificatio: de qua iam ſæpe. Quarto, chartæ penitus *hac leg.* aboleri iubentur: *ibi* vero, *quinque annorum Indulgentia contributa, partem* (quintam) *ſolui publicæ functionis*. Quinto, temporis interuallum
P. 210. inter *illam leg. 7.* & *hanc*, integri decennii, nimis prolixum eſt, vt ea Indulgentia decennio poſt, ampliatione ad aliam ſpeciem functionis producatur. Quomodo alias *lex 9.* anno ſtatim proximo *l. 10.* producitur. Quod minime patitur etiam huius tempeſtatis ratio, & infelix horum temporum ſtatus, & quidem per Italiam, vt tam ſerum remedium in alia ſpecie tanto poſt adhiberetur. Poſtremum: aliæ deinceps nouæque Indulgentiæ, *illa l. 7.* poſteriores, per Italiæ prouincias, ab illius *leg. 7.* Indulgentia penitus recedentes proceſſere, nouamque formam induxere, ab illa diuerſam, ſic vt illa velut obliterata iam, nulla interpretatione ſeu ampliatione amplius indigeret. Et hæc quidem de *l. 7.*

Sed neque *legem 12. ſup. hac leg.* memorari & ampliari ceuſeo: nam & ea continet Indulgentiam generalem: *publicarum*, inquit, *toleret functionum*: & mox, *per vniuerſos titulos iubemus agnoſcere*: Atquin ea quæ hic commemoratur, de Annonariis tantum functionibus fuit. Quare ita exiſtimo, poſt annum 418. quo ea *lex 12.* data eſt, emiſſam aliam & poſteriorem ante hanc *leg.* noſtram, & quidem recenter, ſiue conſtitutionem, ſiue Indulgentiam, qua annonariarum functionum *peræs* Reliqua per vrbicarias regiones indulta fuerint; quod nunc haud multo poſt ad *Largitionales* quoque *Titulos* extendit Honorius. Et vero, quod argumentum ad ſuperiora addi velim; nullum verbum hic occurrit, quo vetus aliqua conſtitutio vel Indulgentia indicetur; imo omnia nouitatem redolent, ſeu nouam & muſteam Indulgentiam: *Quod Clementia noſtra* CONCESSIT: item, *etiam* CVSTODIRI *mandamus*. Atenim ſi de veteri aliqua Indulgentia ageretur, occurrerent illa, in hac re vſitata, DVDVM, PRIDEM, OLIM, IAM OLIM.

Hac ita controuerſia diſcuſſa, ſupereſt notanda, ſimul & illuſtranda, *huius leg.* ſubſcriptio, quæ *hoc Codice* vnica eſt, & ſingularis: Dicitur ſeilicet ea, REGESTA *VI. Id Febr. Rauennæ*, id eſt in acta ſeu geſta relata Comitis S. L. cui hæc *lex* inſcribitur. Etſi ſimilem ſubſcriptionem præferat quoque conſtitutio 29. Appendicis Codicis Theodoſiani: *Regeſtum Rauenna die XV Kal. Februarias* [Anno D. 417.] *Regeſta* ſcil. conſtitutio dicebatur, quæ ad ſpeciale alicuius Iudicis officium pertinebat, inque eius Iudicis geſta ſeu acta referebatur, *regerebatur*: Quomodo & ipſa Iudicum acta ſeu monumenta *Regeſta* quoque dicebantur. Ita Theodoſius Iun. cum *Nouella ſua de huius Codicis confirmatione*, nullas alias conſtitutiones, quam *hoc Codice* comprehenſas in iudiciis referri vellet: *Exceptis*, inquit, *his quæ habentur apud militum ſancta Principia, vel de titulis publicis expenſarum, aliarumque rerum gratia, quæ in* REGESTIS *diuerſorum officiorum relata ſunt*. Et Iuſtinianus quoque Theodoſii Iun. prorſus exemplo in *leg. vn. §. 4. de Codice Inſt. confirmando* ad Mennam PP. *Sed & ſi qua* REGESTA *in Tui Culminis iudicio, vel in aliis iudiciis ciuilibus, vel militaribus, vel apud Principia numerorum, pro publicis expenſis, vel quibuscunque titulis ad publicum pertinentibus poſita ſunt, ea etiam prout communis rei commoditas exigit, firma eſſe cenſemus*: Hinc & *Regeſta* quoque *Scribarum* apud Vopiſcum *in Probo, cap. 2.* vbi ait is, quod in conſcribenda Probi vita, præter libros ex Bibliotheca Vlpia, & domo Tiberiana, *vſus etiam eſſet* REGESTIS SCRIBARVM *porticus Porphyretica, Actis etiam Senatus ac populi*. Ex hiſce tribus locis, omnium hac de re antiquisſimis apparet, *Regeſta* fuiſſe Monumenta, Actaque publica diuerſorum Officiorum & Iudicum, veluti Præfectorum Prætorio, aliorumque Iudicum, qua ciuilium, qua militarium: imo & in vrbe Roma, Scribarum, de quibus ſcribis *l. 1 ſup. de lucris officiorum*: in quæ inter alia referebantur Conſtitutiones Principum ad cuiusque officium pertinentes. Ideo *Regeſta*, quod in ea regererentur ſeu referrentur, quæ opus erat. *Regerendi* ſcil. vox hac iure propria, Quintilianus, *lib. 2. c. 11. inf. Similisque commentariis puerorum ſit, in quos ea quæ aliis declamantibus laudata ſunt*, REGERVNT. Et *lib. 3. c. 6. Sunt enim velut res* REGESTÆ *in hos commentarios, quos puer deduxerat ſchola*. Indeque & *Regerendarii* dicti: Sic quoque Honorius Imp. *leg. 2 ſup hoc Cod & Cod. Iuſt. de diſcuſſoribus*, ait, *ſecuritates*, (id eſt Apochas ſolutorum tributorum) REGESTAS (id eſt relatas, inſertas) *polypticis*, (id eſt libris cenſualibus.) Ergo vt actio ipſa, ita & libri actaque, in quæ illa regerebantur, ſeu referebantur, REGESTA dicta: Inde & *Gloſſis Nomicis*: *κῆνσον καὶ ῥεγεστὰν τὴν ἀπογραφὴν τῶν ἀρχαίων, ἀντὶ τῦ ὑπογραφέως*. Et deinceps quoque apud Anaſtaſium *in V Nicolai I. PP.* Regeſtum Præſulis: Quæ vox paulatim in REGISTRVM migrauit. Ergo & hæc lex *Regeſta*, ſeu relata, in Acta & Regeſta Comitis S. L. de earum conſtitutioonm numero eſt, quas Theoduſius Iunior *Nouella ſua* excepit, quasque in Regeſta diuerſorum relatas teſtatur; vel vt Iuſtinianus, *in regeſta ciuilium officiorum*: & quidem quod vterque teſtatur, *de publicis expenſis & titulis*: cui rei ipſa *lex* hæc fidem facit, quæ eſt *de Largitionalibus titulis*, & *ad Comitem S. L.* data eſt. Eo itaque iam pertinet hæc ſubſcriptio: Vbi dies quoque, quo hæc *lex* Regeſta, adnotatus eſt, quomodo alibi diem in conſtitutionibus notatum videmus, quo ex *Propoſita, Data, Accepta, Lecta*, fuerunt.

XV. (a) Impp. THEOD. Valentinianus AA. Tauro PF. P. (b) & Patricio (c).

QVICVMQVE ex inpoſita (d) deſcribtione donatis releuatisque per ſacram liberalitatem (e) obnoxium (f) ſe eſſe ex parte vel ex integro cognoſcit, noſtri Numinis beneficio liberetur; *&c.* Dat. XII. Kalend. Iul. Conſtantinop. Hariobindo & Aſpare Coss. [434.]

P. 211.

NOTAE.

(a) Abeſt & hæc *lex a Cod. Iuſt.* GOTHOFR.

(b) *Taurus* PP. ſub Theodoſio Iun. Orientis ſcil. ſimul & Patricius A. D. 434. cui hoc ipſo Anno, prælata eadem dignitate inſcribitur *lex vn. de bonis Clericorum:* Inſcribitur eidem Anno ſuperiore 433. *lex* 16. *inf. h. t.* & *l.* 17. ſeu *vlt. ſup. de Numerariis:* & *lex* 9. *Cod. Iuſt. de adſeſſoribus;* vbi tamen dignitatis titulus omiſſus eſt. Ad eundem Taurum *Patricium* exſtat Theodoreti *ep.* 88. vbi dignitatem eius ſummam tribus locis indicat. Extant ad eundem tres Iſidori Peluſiotæ epiſtolæ. v. *Proſopogr.* ID.

(c) De hac Patriciatus dignitate alterius Comite, dixi ad *l.* 1. *ſup. de Conſul. & Patric.* ID.

(d) Extra ordinem. *ID.*

(e) Principis. *ID.*

(f) *Obnoxius,* ὑπεύθυνος. *ID.*

COMMENTARIVS.

THEODOSII Iunioris tres iam *ſupra* Indulgentiæ fuerunt, *l.* 9. 10. 11. ſequuntur tres aliæ: quarum hæc proxima tempore poſterior eſt: eſt enim in *his legibus* ὕστερον πρότερον admiſſum ab *huius Codicis* Conditoribus. Et hæc quidem Indulgentia, non canonicarum functionum & ſolemnium indulgentia eſt; ſed indulgentia extraordinariæ cuiusdam collationis, (quæ & ipſa tamen Canonica facta fuerat, vt docet *Nouella eiusdem Theodoſii 33.*) quæ donatis & releuatis impoſita fuerat: de qua fuit *ſupra* peculiaris *titulus de conlat. donatarum vel releuatarum poſſeſſionum.* Nempe, vt cœteroquin huiusmodi poſſeſſionibus extra ordinem cum id neceſſitas flagitaret, conlatio ſeu deſcriptio imponebatur, ita & ſub Theodoſio Iuniore, & vel maxime impoſitam reperio: vt docent quatuor eius hac de re conſtitutiones: puta præter hanc leg. *lex* 5. 6. *illo tit. de conlat. donatar. vel releu poſſ.* & *d. Nouella Theodoſii 33. de releuatis adæratis vel donatis poſſeſſion.* (vnde etiam deſumpta eſt *lex vn. Cod. Iuſt. de Collat. donatar.*) ac nominatim ante triennium, & quod excurrit, Antiochi PP. diſpoſitione, ad quem ſcripta eſt *d. lex* 6. cuiusque mentio fit *dict. Nou 33.* Verum *hac leg.* Theodoſius Iunior *Reliquorum* iſtius Antiochenæ collationis Indulgentiam tribuit: *Reliquorum,* inquam, ad hoc vsque tempus, id enim vult his verbis *Quicunque obnoxium ſe eſſe ex parte vel ex integro cognoſcit, liberetur.* Huius enim collationis in poſterum indulgentiam non facit, quod etiam oſtendit *dict. Nouella* 33. vbi decennio poſt *hanc leg.* Antiochi PP. diſpoſitionem confirmat. Quomodo & Marcianus Indulgentia hanc eandem conlationem excepit, *verſ. ſi quid autem.*

XVI. (a) Idem AA. Tauro PF. P. (b)

A *Sexta* (c) *Indictione,* ad quam ſuperior (d) indulgentia vsque proceſſit, ad *Vndecimam* (e) nuper transactam, ſub æqua dimenſione (f), tam Curiis, quam poſſeſſori (g) priuato ac patrimoniali, diuinæ quinetiam domus (h), ex (i) omni iure munifico, necnon & in ſpeciebus cellarienſibus (k), reliqua indulgemus: ita vt quæ in iſtis viginti (l) annis a *Sexta,* qua dictum eſt, *Indictione, Vndecimam* vsque per omnes titulos, ſiue in ſpeciebus, ſiue pecunia, auro, argentoque debentur, nomine reliquorum omnibus conceduntur, nihil de his viginti annis ſperet publicorum cumulus Horreorum, nihil Arca ampliſſimæ Præfecturæ, nihil vtrunque noſtrum Ærarium. Dat. X. Kalend. Maii, Theod. A. XIV. & Maximo V. C. Coss. [433.]

NOTAE.

(a) Πρωθύστερον hic admiſſum ab *huius Codicis* Conditoribus, *hac* enim *ſuperiorem* anteuertere debuit. Hæc vero efformata eſt ad inſtar *legis* 9. *ſup.* GOTHOFR.

(b) Eidem *Tauro PP.* inſcribitur *d. lex ſuperior,* vbi dixi. *ID.*

(c) Id eſt ab Anno Dom. 408. *ID.*

(d) *Legis* 9. *ſup ID.*

(e) A. D. 428. *ID.*

(f) Lance, *d. l* 9. *ID.*

(g) Conlatori *d. l.* 9. *ID.*

(h) vs-

(h) *γρ. Domui. ID.*

(i) *γρ. Et omni iuri munifico, vt d. l. 9. ID.*

(k) Cellariis, *d. l. 9. ID.*

(l) Ergo Indictio vndecima ipſa ſeu Annus 418. hac Indulgentia non continetur. *ID.*

COMMENTARIVS.

THEODOSIVS Iunior Anno D. 433. quam Reliquorum Indulgentiam generalem quadraginta annorum *l. 9. ſup.* tribuerat, ab Anno D. 368. ad Annum D. 407. incluſiue: Eandem nunc tribuit viginti annorum proximorum, ab Anno D. 408. ad Annum 428. efformata hac *leg.* prorſus ad inſtar & exemplum *eius l. 9.* ſic vt ad *eam l.* dicta, & *huic* ſufficiant.

P.114. XVII. (a) Idem AA. Iſidoro PF. P. (b)

DEBITA (c) Suſceptoribus (d), ante *Decimam* (e) *Indictionem* congregata, quæ Sedes Excelſa (f) pretiis humanioribus adærauit (g), ex parte dimidia condonamus; Arcæ (h) cetera inferri præcipimus. Dat. Prid. Id. Iul. Conſtantinop. Iſidoro & Senatore Coss. [436.]

NOTAE.

(a) Abeſt & hæc *lex* a *Cod. Iuſtin.* Iungendæ videatur *huic l* emendato menſe & die *lex 3. ſup de Indictionib. lex 1. de frum. Alexandr. l. 2. de Alexandr pleb primatib. lex* 189. 190. 191. 192. *inf. de Decurionibus. GOTHOFR.*

(b) *Iſidorus* PP. Orientis ſub Theodoſio Iun. A. D. 435. 436. v. *Proſopogr.* & Theodoretum *ep. 47. ad Proclum Ep. Conſtantinopol.* Iſidorum Peluſiotam *ep. 199 lib 1. ID.*

(c) *Debita,* id eſt tributa, annonas, reliqua. v. *Gloſſ ID.*

(d) *γρ. A Suſceptoribus.* De ſuſceptoribus eſt *infra, titulus* 6. *lib.* 12. *ID.*

(e) Id eſt A. D. 417. *ID.*

(f) Præfecti Prætorio. *ID*

(g) *Adærauit,* id eſt pretio æſtimauit, taxauit: v. *Gloſſar.* & *tit. de Conlat donat. l. 6. ID.*

(h) *Arca* Præfecti Prætorio: de qua iam ſæpe *hoc titulo* ac nominatim *l. 9. & l. prox. 16. ſupr. ID.*

COMMENTARIVS.

THEODOSII Iunioris poſtrema hæc *hoc titulo* Indulgentia eſt, Anno D. 436. non iam collatores ſeu poſſeſſores reſpiciens, ſed *Suſceptoribus* data; id eſt iis qui debita ſeu tributa & annonas congregabant *(vt vel ex hac ipſa leg.* liquet, & *toto tit. de ſuſceptoribus, inf. lib. 12.)* & quidem eius ſuſceptionis nomine, quæ facta fuerint ante Decimam Indictionem, id eſt ante An. D. 427. Nempe cum ſuſceptores ſpecies annonarias, tributa a ſe congregata ſuſcepta ante eum annum, Arcæ Præfecti Prætorio, non intuliſſent quod facere eos oportebat, (tributa enim Præfecti Prætorio diſpoſitionem & curam reſpiciebant) & ſic reliquati fuiſſent, Præfectus quidam Prætorio & quidem *Iſidorus*, vt exiſtimo, cui *hæc lex* inſcribitur, de quo mox, pretium eis poſuerat ſeu pretio adærauerat, ſic vt ſpecierum loco eos pecuniam inferre iuſſiſſet; & quidem humanioribus pretiis adæratione facta. Et tamen cum preces ſuas de ea adæratione ſuſceptores apud Theodoſium Iun. allegaſſent, Theodoſius ad has preces hanc Indulgentiam emiſit: qua iam dimidiam partem adærationis ſeu taxati pretii eis condonat, & alteram partem Arcæ Prætorianæ inferri iubet. Singularis hæc igitur & perſonalis Indulgentiæ ſpecies eſt, qua non iam Collatoribus ſeu poſſeſſoribus indulgentia debitorum tribuitur; ſed ſuſceptoribus: & quidem Indulgentia leuioris adærationis.

Iſidori interim PP. nominis occaſione, cui hæc *lex* inſcribitur, omittere non poſſum, quod Theodoretus Ep. Cyri narrat, *Ep. 47. ad Proclum Ep. Conſtantinopolitanum*, de Inſpectoribus per hæc tempora, per duodecim annos, miſſis; releuatisque poſſeſſoribus, *Inſpectorum* notitia, γνῶσι, quam primus probauit *Iſidorus* PP. confirmauit & ſucceſſor eius *Florentius.*

DE

p. 113 DE RELATIONIBVS.

TITVLVS XXIX.

LIB. VII. COD. IVST. TIT. LXI.

Harum Relationum pleni ſunt libri decimi epiſtolarum Plinii & Symmachi. De iisdem & Ariſtides *orat. in vrbem Romam pag.* 361. *Editionis Canteri,* ſiu. *pag.* 207. *Tom. I. Oper. Edition. Oxon. Sam. Ieeb.* Earundem mentio apud Am. Marcellinum non vno loco, *lib.* 15. & 29. Μήνυσις Græcis. Aliud Relationis genus eſt ab hoc id., de quo *l. 2. ſup. ad leg. Corn. de falſo.* Sublatæ hæ *Nouella Iuſtin.* 125. non vero a Theodoſio Iun. *l. 32. Cod. Iuſt. de appellat.* quod perperam credidit Scriptor *de off. Domus Auguſtæ, lib.* 1. *c.* 26. 27. multo minus ab Arcadio, quo tamen is trahebat locum Zoſimi *lib. 5. cap.* 9. De Relationibus & Conſultationibus in Eccleſiaſticis: vid. *leg. 45. inf. de Epiſcopis.*

PARATITLON.

RELATIO, *Rubr.* & *l. 2 3. 4. 5. b. t. l. 8. 9. 13. 31. 34. 47. 54. 65. tit. prox. de appellationib.* Valentiniani *Nouella 12. de Epiſcopali iudicio, verſ. Si quis a ſuſpecto iudice.* eſt Conſultatio Principis a Iudice ſuper aliquo dubio; vnde & *Conſultatio* pro Relatione: *l. 3. 4. b. t.* & *Rubr.* & *l. 1. 8. 34. 35. 47. 66. tit. prox. de appell. & conſultat.* & *l. 9. de diu. reſcript.* item Conſultum, *l. 11. d. t. de appellat.* Opinio, *l. 5 b. t. l. 6. 8 9. 11. inf. de appellat.* ſuggeſtio, *l. vlt. b. t.* Iudex ſcil. Etiam Præfectus prætorio, *l. 4. de ſpectaculis:* Præfectus vrbis, *l. 55. de curſu publ.* Rectores prouinciarum *l. 12. de curſu:* ſiue in ciuili ſiue in criminali cauſa: *l. 3. 5. b. t. l. 24. inf. de appellat.* cognitis vtriusque actionibus: *l. 1. inf. de appellat.* non ad vnius litigatoris querimoniam, *l. vlt. b. t.* ſi eſſent quæ iuridica ſententia (ab eo) decidi non poſſent, *l. 1. b. t.* ſi ſuper aliquo hæſitandum putaret, *l. 2. boc tit.* dubitaret; *l. 5. b. t.* ſi ex iuſtis cauſis aliquid quo minus iudicare ſtatim poſſet, reperiret inceptum: *l. 36. inf. d. t prox. de appellat.* ſi ratio aut neceſſitas in negotiis eſſet requirendi iudicia Principis: *l. 4 b. t.* ante ſententiam latam, non poſt: *l. 2. b. t.* & *l. 13. inf. t. prox. de appellat.* relationem promittebat. *l. 5. inf. dicto tit. prox.* vnde, promiſſa relatio: *l. 2. b. t.* & *l. 31. 34. 65. inf. d. tit. prox.*

Cæterum relatio ita facienda erat, vt omnem omnino cauſam relationis ſeries comprehenderet, vt recitata ea propemodum actorum recitatione opus non eſſet: *l. 4. b. t.* nihilque adeo mitti oportet, quod plena inſtructione indigeret, *l. 1. ſupra de iudiciis.* Deinde vt non paſſim, nonniſi de paucis (Et iuſtiſſimis cauſis) fierent: *l. 1. b. t. v.* & *l. 2. inf. de operib. publ.*

Huius conſultationis ſeu relationis *Exemplum*, (antequam ad Principem mitteretur) litigatoribus a Iudice prius edebatur, *l. 35. b. t. l. 1. inf. t. prox. de appellat.* exhibebatur, *l. 8. inf. d. t. prox.* apud acta intra 10. dies ab ea promiſſa, *d. l. 1. inf. tit. prox.* quæ confirmatur *l. 8. d. t. prox.*

Si cui litigatorum minus plena, vel contraria ea videretur, *l. 1. inf. tit. prox. Refutatorias* is preces, *l. 1. inf. d. t. prox.* refutationem, *l. 11. d. t. prox.* refutatorias, *d. l. 11* & *l. 5. b. t.* refutatorios libellos, *l. 8. 24. d. t. prox.* Iudici offerebat, *l. 1. 8. d. t. prox.* dabat, *l. 5. b. t.* allegationibus refellebat, *l. 3. b. t.* apud Acta, intra dies quinque, *l. 1. 8. 24. inf. d. t. prox. v.* & *l. 5. b. t.* quos quidem libellos Iudicem exigere voluit Conſtantius, *l. 24. inf. tit. prox*

Poſt hæc ita facta, ordo ſeruandorum, vt loquitur *lex 5. b. t.* hic erat: Conſultatio ſeu Relatio vna cum refutatoriis ad Principem mittebatur, *l. 5. b. t.* transmittebatur, *l. 31. inf. tit. prox.* dirigebatur, *l. 31. infr. tit. prox. l. 4. 5. b. t.* ad ſcrinia Principis, *l. 34. inf. d. tit. prox.* vid. & *l. 54. dict. tit.* ad ſacra ſcrinia, *l. 65. inf. d. t. prox.* (Epiſtolarum ſcilicet: has enim conſultationes magiſtrum epiſtolarum inter cætera tractaſſe docet *Imperii Notitia fol 62*) ad Comitatum, *l. 1. 8. inf. d. tit. prox.* Item vna cum Actis, quæ neceſſario ſocianda: *l. 9. d. tit. prox.* vt geſta erant, *l. 24. inf. tit. prox.* ita vt ſimul omnia ad eam, de qua refert, cau-

ſam

ſam pertinentia. Acta transmitti oporteret: *l. 5. h. t.* & *l. 1. 8. inf. tit. prox.* omnia quæ apud Iudicem qui refert, vel apud alios geſta in eo negotio: *l. 1. inf. d. t. prox.* breuiter, plena inſtructio; *l. 1. ſup. de Iudiciis.* Idque intra 20. dies ab ea promiſſa: *l. 8. inf. tit. prox.* intra 30. *l. 31. 34. 65. eod. tit.* (quod idem in appellationibus: *l. 29. 32. inf. tit. prox.*)

His ad Principem miſſis, litigatores ad Comitatum Principis venire non poterant, *l. 34. de appellat. tit. prox.* intra annum ſcil. *l. 47. 54. inf. d. tit. prox.* (quod idem in appellationibus, *l. 66. inf. tit. prox.*)

Hæ conſultationes recitabantur in Conſiſtorio Principis, *l. 4. h. tit.* Mox ad eas emittebantur, *l. 9. ſup. de diuerſis reſcriptis.* Reſcripta, *l. 9. inf. d. tit. prox.* & *d. l. 9. ſup. de diuerſis reſcript.* reſponſa, *l. 4. h. t. l. 47. 54. 66. inf. d. tit. prox.* Oracula, *l. 54. inf. h. tit. prox.* decreta, *d. l. 8. t. prox.* Certe, ſi intra annum reſponſa data non fuiſſent tum litigatori ad Comitatum venire, *l. 47. 53. inf. d. tit. prox.*

Reſcripta huiusmodi retractari non poterant, *l. 6. 8. 9. 11. inf. d. tit. prox.* & *l. 3. ſup. de diu. reſcr.* aduerſus ea omnis conquerendi copia adempta erat, *d. l. 9. inf. h. t. prox.* Et tamen, iis tantum negotiis opitulabantur, quibus effuſa erant, *d. l. 9. ſup. de diuerſ. reſcriptis.* Et hæc quidem de Relationibus ante Iudicium. Fuit enim & alterum Relationum genus, poſt iudicatum: de quo etiam agitur *l. 5. hoc tit.* Fuit & tertium, ſuper publicis videl. cauſis: veluti de operibus publicis, *l. 2. inf. de operib. publ.* de rebus ad annonam publicam pertinentibus, *l. 2. ad l. Corn. de falſ.* de curſu publico, *l 55. de Curſu.*

I. (a) Imp. CONSTANTINVS A. ad Claudium Plotianum (b) Correctorem Lucaniæ & Brittiorum (c). Poſt alia (d).

SVPER paucis, quæ iuridica ſententia decidi non (e) poſſunt, Noſtram debes conſulere Maieſtatem, ne occupationes noſtras interrumpas: cum litigatoribus legitimum remaneat arbitrium a ſententia (f) prouocandi. Dat. VI. Kal. Ian. Treu. Acc. VIII. Id. Febr. Regio (g), Conſtantino A. III. & Licinio III. Coss. [313.]

NOTAE.

(a) Abeſt hæc *lex a Cod Iuſt.* Iungenda autem illi *lex 1. inf tit. prox.* *GOTHOFR.*

(b) Claudius *Plotianus* Corrector Lucaniæ & Brittiorum ſub Conſtantino M. *ID.*

(c) Ita omnes editiones, vna Pariſienſi poſtrema excepta, *h. l.* & *d. l. 1.* *ID.*

(d) Quæ continentur *d. l. 1 inf. de appellat* *ID.*

(e) Hæc relationum ad Principem cauſa eſt: quam ad rem vide *Paratitlon.* *ID.*

(f) V. ſimiliter Theodoſii Iunioris *legem* 31. *C. Iuſt. de appellat.* *ID.*

(g) *Regii* ſedem ſuam habebat corrector Lucaniæ & Brutiorum, quod & ſimilis ſubſcriptio (collata cum inſcriptione) pariter oſtendit *legis 1. ſup. de filiis milit. Apparit.* Et ſane Olympiodorus quoque apud *Photium Cod. LXXX. pag. 128. edit. Schotti* & *Tom. I Script. R. B. pag. 147 edit. Venet.* Regium Metropolim Brutiorum fuiſſe teſtatur: ὅτι τὸ Ῥήγιον μητρόπολις ἐστι τῆς Βρεττανίας: vbi pro Βρεττανίας, vt recte iam indicatum, reponendum Βρεττίας. *ID.*

COMMENTARIVS.

INTEMPESTIVIS & promiſcuis ad ſe Iudicum relationibus in cauſis priuatorum hac conſtitutione, quæ pars eſt maioris Conſtantini M. conſtitutionis, qua is Relationum formam & ordinem conſtituit: vnde ſupereſt quoque *lex 1. inf. de appell.* quæ *huic* iungenda eſt; occurrit Conſtantinus M. *ne* videlicet *occupationes ſuæ iis interrumperentur*: Quas & de cætero interrumpi ægre tuliſſe Conſtantinum M. aliis argumentis compertum habeo. Hanc inquam rationem hic reddit Conſtantinus M. At enim in eadem re aliam iam reddit Honorius *l. 55. inf. de appellationibus*: ductam videl. ab ipſa litigatorum vtilitate, elegantiſſima ſententia: *Neque enim fas eſt, quod apud infirmum Diſceptatorem definiendi conſtantiam prouocantis trepidatio retardauit, litigatorem ſub Conſultationis ambiguo iugi exſpectatione pendere.* Sane quod in priuatorum cauſis *hac l.* id etiam in publicis eidem Conſtantino M. placuit *l. 2. inf. de operib. publ.* *De rebus*, inquit, *præcipuis maximiſque, non de quibuscumque viliſſimis noſtrum debent* [Iudices] *interpellare conſilium.* Proinde ſuper paucis admodum, quæ omnino Iuridica ſententia definiri non poſſent, ad ſe referri, ſeque conſuli voluit Conſtantinus. Et rationem ſubiicit, ſupereſſe ſcil. litigantibus ſemper appellationis remedium, atque ideo promiſcuis ſeu frequentibus ſuperſedendum relationibus. Eodem pertinere formulas illas reſcriptorum, notant non- p. 215.
nulli, *me conſuli de ea re non oportet*, *l. 6. D. de leg. Fabia de Plagiariis.* item illa Traiani ad Plinium; *Potuiſti non hærere:* Quibus ego non accedo: Illis enim locis & formulis carpuntur Iudices, qui in re certa hæſerint & ad officium ſuum pertinente. Denique de rebus omniſi dubiis, & modo vindice digno refe-

referendum: Ita *l. 11. §. 2. D. de minor.* Ætrius Seuerus, quia dubitabat, ad Imp. retulit. Ipſe Plinius ad Traianum *lib. 10. ep. 97. Solemne mihi eſt, omnia, de quibus dubito, ad te referre* &c.

Illud interim monendum ſemel Relationes ad ſolum Principem fieri oportere: quas etiam ſibi aliquando Præfectos Prætorio voluiſſe vindicare a Vicariis ſuis, oſtendit *lex 2. Cod. Iuſt. de off. Vicarii:* item Præfectos vrbi: de quo ad intellectum *legis 1. Cod. Iuſt. de legibus*, dixi *ad l. 2. ſup. de iudiciis.* De his denique Relationibus eſt & Libanii locus *Orat. περὶ τῶν ἀγγαρειῶν, num. 4. pag. 34.* ſiu. *pag. 383. 384. Oper. minor. Gothofred. Edit. Trotz.*

II. (a) Idem A. Profuturo PF. Annonæ (b).

SI quis Iudicum duxerit (c) eſſe referendum, nihil pronuntiet (d), ſed magis, ſuper quod (e) hæſitandum putauerit, Noſtram conſulat Scientiam: aut ſi tulerit ſententiam, minime poſtea, ne a ſe prouocetur, Relatione promiſſa (f) terreat litigantes. Dat. IV. Id. Feb. Sirmio, Conſtantino A. V. & Licinio C. Coss. [319.]

NOTAE.

(a) *Legis 1. C. Iuſt. de Relationib.* initium hinc deſumptum eſt. *GOTHOFR.*

(b) *Profuturus Præf. Annonæ* ſub Conſtantino M. Ei inſcribitur hoc ipſo Anno *lex 1. ſup. de contr. ab. emptione,* & *lex 1. inf. de piſtoribus*, quæ duæ inter ſe coniungendæ ſunt. *ID.*

(c) Dixeritue. *ID.*

(d) *Inter partes pronunciet*, ita *Cod. Iuſt.* *ID.*

(e) *Quo*, Cod. Iuſt. *ID.*

(f) *Præmiſſa*, Cod. Iuſt. ſed male; & recte Haloander, *promiſſa:* promiſſa relatio; promittere, ſpondere relationem, rectum eſt, vt docet præterea *lex 5. 8. 31. 34. 65. inf. tit. prox. de appellat.* de quo conſule Paratitlon. Ita & apud Symmachum *lib. 10 Ep. 53. Ergo vt in rebus dubiis fieri ſolet, ad Clementiæ veſtræ ſalubre iudicium conuolamus: licet defenſio Puteolana, poſt* PROMISSAM RELATIONEM *incaſſum crediderit prouocandum:* & *lib. 10. ep. 36.* PROMISSA RELATIONE *diſcedo. ID.*

COMMENTARIVS.

ANTE SENTENTIAM latam Iudices ſi velint & hæſitent, referre debent; at non etiam POST ſententiam latam.

Nempe Iudices inferioris gradus quod ægre ferrent, a ſententiis ſuis appellari, atque a ſe Indicata ab aliis Magiſtratibus appellationum remedio retractari, quaſi ex re iniuria ſibi & contumelia fieret (quod docebunt complures *leges proximo tit. de appellat. l. 2 4. 11. 13. 15. 20. 22. eius tit.*) atque vt id euitarent, Relaturos ſeſe ad Principem dicere, & vero referre ſoliti. Id quod a Conſtantino M. *hac l.* prohibetur, & rurſum *d. l. 13. inf. de appellat.* Denique Relationi ante ſententiam: Appellationi poſt ſententiam locus eſt. Vt illi litigatores intercedere non poſſint, *l. 1. §. 2. D. de appellat.* ita hanc Iudex impedire non poteſt.

Cæterum, cum inſcribatur hæc lex *Præfecto annonæ*, exinde colligitur, ipſummet Præfectum Annonæ, a quo ad *Præfectum Vrbis* appellabatur, id egiſſe, quod *hac l.* improbatur. Eaque cauſa huius *legis* ad eum dirigendæ fuerit. Et vero par quoque ratio *legis 4. inf. de appellat.* quæ & ipſa *Præfecto Annonæ* inſcripta eſt: qua pariter conſtituitur, vt officium eius omnes appellationes curet accipere, nec in recipiendis libellis aliquod genus iniuriæ inferendum cuipiam exiſtimet. Et vero aliunde quoque comperio neſcio quam inter hos, Præfectum inquam vrbis, & Præfectum annonæ, fuiſſe æmulationem, vt inter coniunctos poteſtates: Id inquam colligo ex *l. 1. ſup. de condit. in publ. horreis* & *l. 1. Cod. Iuſt. de off. Præfecti vrbi*, quæ *illi* iungenda eſt, & *l. 1. Cod. eod. de apparitor. Præf. annonæ.* Alioqoin ex *Notitia* quoque *Imperii* liquet, vt & ex Sidonio *lib. 1. ep. 10.* ſub diſpoſitione Præfecti vrbis fuiſſe Præfectum Annonæ: vide *d. l. 1. inf. de conditis in publicis horreis:* vbi plura adhuc. Quanquam antea a Præfecto annonæ ad P. V. appellatum fuiſſe oſtendit *lex 8. D. quod cum eo qui in al. pot.* & Mecænatis ſuaſoria apud Dionem.

Tandem quomodo hæc *lex* cum *l. 5. inf.* conciliandа ſit, ad *eam leg.* dicemus.

III. (a) Impp. VALENTINIANVS & Valens AA. ad Viuentium PF. P. (b)

SVPER delictis prouincialium, numquam Rectores prouinciarum ad Scientiam Principum putent eſſe referendum, niſi ediderint prius Conſultationis exemplum. Quippe tunc demum Relationibus plena maturitas (c) eſt, cum vel allegationibus (d) refelluntur (e), vel probantur adſenſu. Dat. III. Kal. Ian. Treu. Valentiniano & Valente AA. (f) Coss.

NOTAE.

P. 216.

NOTAE.

(a) *Lex 2. Cod. Iuſt. eod. tit.* Concordat *lex 5. h. t. & l. 1. 8. inf. de appellationib.* GOTHOFR.

(b) *Viuentius* PP. ſub Valentiniano Imp. nempe Galliarum vid. *l. 4. infr. de cenſu ſiue adſcript.* & *l. 5. ſup. de tironib.* hoc hoc ipſo Anno 368: plura in *Proſopogr.* ID.

(c) *Veritas*, C. Iuſt. At hoc rectius. ID.

(d) Partium ſcil. id eſt Refutatoriis. ID.

(e) *Repelluntur*, C Iuſt. male. ID.

(f) *Yp. AA* II. *COSS.* id eſt A. D. 368. nam Valentinianus ſine Anni 365. id eſt *Valentiniani & Valentis AA. COSS* non Treueris, verum Pariſiis verſatus: Quare non minus *huic l.* quam *prox. ſequ. Gratiani* nomen in *Inſcript.* adiungendum. ID.

COMMENTARIVS.

VALENTINIANI Sen. tres conſtitutiones ſequuntur, de *forma Relationum* ad Principem mittendarum. Et hae quidem iubet EXEMPLVM Relationis partibus litigatoribus a Iudice, prius quam ad Principem mittatur, edi; vt eam videlicet vel refutent, vel probent: *h. l. & l. 5. inf. h. t. & l. 1. 8. inf. de appellat.* Aliter ad Principem mitti Relatio non debet: neque miſſa fidem facit.

Nempe hoc ita conſtitutum, vt relationi plena *maturitas* eſſe poſſit: non vt *Codex Iuſtinianeus* habet, *veritas:* ſcil. dum expenſo a Iudice conſilio conſcribitur: & a partibus diligenter expenditur, num quid in ea omiſſum aut commiſſum fuerit; ne alias minus plena, vel contraria ſit, vt ait *d. lex 1. inf. de appellat.* Hinc refutatoriæ: de quibus *l. 5. infr. h. t. l. 1. 8. 11. 29. infr. de appellat.*

Intra quod autem tempus edi exemplum relationis, & refutatoriæ debeant, vid. *d. l. 1. 8. 29.*

Cæterum *huius l.* ſpecies nominatim verſatur circa *Delicta* prouincialium: Nempe & in criminalibus cauſis relationes fiebant, vt præter *hanc leg.* docet *lex 5. inf. h. t. & lex 24 inf. de appellationib.* Et vero de atrocibus criminibus, quæ in prouincia contigerant, mox ad Principem referre ſolebant Iudices, vt ſtatueret, quid fieri vellet. Optatus Mileuitanus *lib 2 c. 17. Cruentas operati ſunt cædes, & tam atroces, vt de talibus factis ab illius temporis Iudicibus relatio mitteretur.*

Tandem, cum de refutatoriis ſpeciatim agam ad *l. 5. inf. h. t.* hic *allegationes* eas vocari notandum eſt. Sic etiam Symmachus *lib. 10. ep. 32. Coniuncta pagina, Allegationibus partium & ſupplementa ſumpſerunt. lib. 10. ep 40. Diuino arbitrio numinis veſtri ſubditis* ALLEGATIONIBVS *partium ſummam negotii reſeruaui.* Supplementa etiam partium idem vocat *lib. 10.* locis quinque *ep. 32. 41. in f. 43. in f. 46. 63 ſeu vlt & lib. 2. ep. 30. Si relatio ad fortunam negotii pertineret, & ſupplementa vel Refutatorios iurgantes dediſſent.*

IV. (a) Idem AA. & Gratianus A. ad Apodemium (b).

SI quando ratio, aut neceſſitas eſt, in negotiis Noſtra Iudicia requirendi, exſpectandique Reſponſa, omnem (c) omnino cauſam Relationis ſeries comprehendat: vt recitata Conſultatione, quæ ita eſt dirigenda, propemodum auctorum (d) recenſione non opus ſit: Actis etiam neceſſario ſociandis. Dat. VI. Id. Maii, Treu. Valentiniano NB. P. & Victore COSS. [369.]

NOTAE.

(a) *L. 3. ſeu vlt. C. Iuſt. eod tit.* GOTHOFR.

(b) *Apodemius* ſub Valentiniano Sen. Dignitatis titulus omiſſus. Alius ab hoc Apodemius, qui ſub Iuliano exuſtus: de quo Am. Marcellinus *lib* 22. *c.* 3. ID.

(c) *Omnes omnino cauſas.* C. Inſt. inepte. ID.

(d) *Actorum:* habet *C. Iuſt.* de quo mox. ID.

COMMENTARIVS.

PLENAM Relationem eſſe debere: ſimul & ACTA omnia vna cum Relatione mitti oportere, definit *hac l.* Valentinianus Sen. vt definitur quoque *l 5. prox. & l. 1. 8. 11. 24. 35. inf. de appellationib.*

Plena, inquam, Relatio eſſe debet, ſeu vt *h. l.* dicitur: *omnem omnino cauſam ſerie Relationis comprehendere;* non vt *Codex Iuſtinianeus* habet, *omnes omnino cauſas;* inepte: *omnem omnino cauſam,* quomodo & *infra l. 5.* id eſt, totius negotii ſeriem, totam cauſæ coniectionem, continentiam, textum, quæ pleniſſime Principem inſtruant; ſic vt & vix *Actorum recenſione opus ſit. Actorum;* inquam, non *Auctorum:* Ita certe Conſtantinus quoque *l. 1 in f. ſup. de iudiciis: ſiue definienda ſit cauſa per Iudicem: ſiue ad noſtram ſcientiam referenda. Nec ad nos mittatur aliquid, quod plena inſtructione indigeat.*

ACTA tamen ſeu GESTA neceſſario ſimul mittenda ſunt: vt & Relationis fidem adſtruant, & Principem inſtruant: quod præter *d. l 5. prox. & l. 1. 8. 24. 31. 35. 47. inf. de appellat.* docet & Symmachus inter alia *lib. 10. ep. 39. Quæ ideo Geſtorum paginis applicari placuit, vt Æternitas veſtra cunctis per ordinem patienter auditis:* &c. Ep. 41. *Geſta & ſupplementa partis vtriuſque ſubieci:* qui-

p. 227. *quibus inſtructa Perennitas veſtra &c.* Ep. 42. *Hac eſt cauſa querimoniæ quam diuinis ſenſibus veſtris fides Geſtorum plenius intimabit.* Ep. 43. *Præſto ſunt, monumenta Geſtorum: partium quoque ſupplementa non deſunt.* Ep. 44. *Fides Geſtis rerum cohærentibus explicatur.* Ep. 45. *Suſpenſa ſententia, cuius meritum Perennitas veſtra, lectis Geſtis ac refutatoriis cohærentibus æſtimabit.* Ep. 46. *Omnium Geſtorum fida documenta; ſupplementis partium Relationi ex* MORE SOCIATA *ſunt.* Ep. 47. *Quæſo igitur, vt Geſta, quæ fidem Relationis aſſerunt, audire dignemini.* Ep. 52. *Geſtis omnibus* DE MORE SVBIECTIS, *vt eorum lectio Inſinuationis meæ aſtruat veritatem.* Ep. 53. *Præſto eſt Geſtorum fides, qua Perennitatem veſtram poſſit inſtruere:* Ep. 55. *Relatione ſummatim* CVNCTA *complexus, Geſtorum quoque documenta ſubtexui.* Ep. 58. *Relationi Geſta coniunxi.* Ep. vlt. *Relationi Geſta ſubtexui, partium quoque ſupplementa* SOCIAVI. Et lib. 2. ep. 30. *Si Relatio ad fortunam negotii pertineret, & ſupplementa, vel Refutatorios iurgantes dediſſent.*

V. (a) Imppp. (b) VALENTINIANVS, Valens & Gratianus AAA. ad Eupraxium (c) P. V. (d).

QVICVNQVE Iudicum, vel appellatione interpoſita, vel ipſe dubitans, relationem in cauſa, vel ciuili, vel criminali (e), ſpoponderit (f) *Seſe miſſurum*, exemplum (g) Opinionis (h) edendæ (i) Refutariorumque (k) dandorum, ſed & transmittendæ Relationis intra eum diem ſeruet, qui Conſtantiana (l) lege decretus eſt: Ita vt ſimul omnia ad eam, de qua refertur, cauſam pertinentia Acta transmittat. Quod ſi qui Iudicum poſthac non ita obſeruauerint cuncta, in Relationibus dirigendis, quæ iampridem ſtatuta ſunt, eo crimine tenebuntur, vna cum Officio quod ordinem ſeruandorum ſuggerere (m) neglexerit, quo tenentur, qui ſacrilegium (n) admiſerint, &c. PP. XVI. Kal. Mart. Gratiano A. III. & Equitio Coss. [374.]

NOTAE.

(a) Abeſt hæc *lex* a *Cod. Iuſtin.* Iungenda *huic l.* eſt *lex* 36. *inf. de appellationib. lex* 21. *inf. quorum appell. non recip.* GOTHOFR.

(b) *γρ. Idem AAA.* qui *l.* 4. *ſup. ID.*

(c) *Eupraxius* hic proculdubio eſt, antea A. D. 367. Magiſter memoriæ, mox Quæſtor: de quo Ammianus Marcellinus *lib.* 27. *cap.* 6. & 7. & *lib.* 28. *cap.* 1. Eius Elogium hic prætermittere non poſſum, quod legitur *dicto capit.* 6. *Multa & prudentibus æmulanda bonæ fiduciæ reliquit exempla, nuſquam a ſtatu naturæ diſcedens intrepidæ, ſed conſtans ſemper, legumque ſimilis, quas omnibus vna, eademque voce, loqui in multiplicibus aduertimus cauſis: qui tunc magis in ſuſcepta parte iuſtitiæ permanebat, cum eum recta monentem exagitaret minax Imperator* (Valentinianus) *& nimius. ID.*

(d) Romæ. *ID.*

(e) *In Criminali* cauſa relatio: dixi ad *l.* 3. *ſup. ID.*

(f) *Promiſſio* relationis, dixi ad *l.* 2. *ſup. ID.*

(g) *Exemplum* hic non eſt, exemplar, quo ſenſu affertur *l.* 1. *inf. de appellat.* verum præſcriptum *legis*, quodque ſequendum propoſitum eſt. *ID.*

(h) *Opinio*, pro relatione & conſultatione *h. l.* & *l.* 6. 8. 9. 11. *inf. de appellationib. ID.*

(i) *Editio* relationis, dixi ad *l.* 3. *ſup. ID.*

(k) *γρ. Refutatoriorumque ID.*

(l) *γρ. Conſtantiniana:* de qua mox. *ID.*

(m) Hoc *Officii*, ſeu Officialium Iudicum muneris erat, ſuggerere Iudicibus iuris ordinem: & ni facerent, plectebantur. *ID.*

(n) *Sacrilegium* eſt, id eſt Maieſtatis crimen, & quidem *violatæ lege. ID.*

COMMENTARIVS.

FORMAM Relationis ad Principem mittendæ *hac tertia leg.* ſed omnium pleniſſima & accuratiſſima præſcribit Valentinianus Sen. quæ prolixioris Valentinianeæ conſtitutionis pars eſt, vnde deſumptæ quoque ſunt *lex* 36. *inf. de appellationibus*, & *l.* 21. *inf. quorum appellationes non recip.* quæque proinde huic coaſſandæ veniunt: Qua quidem conſtitutione Valentinianus id egit, ne negotia iurgiaque in quibus maturato eſt opus, protelentur per inanes forte & immaturas Relationes, vel per moratorias Appellationes. In eum igitur finem *hac* quoque *lege* accuratam Relationibus formam præſtituit; prælato Conſtantinianæ *legis* exemplo: puta *l.* 1. *inf. de Appellationibus:* quæ alioquin iungenda eſt cum *l.* 1. *ſup. h. t.* quam ipſemet Conſtantinus memorat & confirmat, *l.* 8. *inf. de Appellationib.* & filius eius Conſtantius, *l.* 24. *eod. tit. de appellat.* quam in *hunc* quoque *titulum* coniectam oportuit; Item pœna Sacrilegii propoſita Iudici eiusque officio, ſi non hanc formam in Relationibus dirigendis ſeruauerint: ſacrilegii, id eſt læſæ Maieſtatis, violatæque legis: hæc enim *ſacrilegii* ſignificatio paſſim eſt, de quo dixi *alibi:* Officio, inquam, *ſi ordinem ſeruandorum* Iudici *ſuggerere neglexerint:* nempe Officialium

cialium muneris & officii fuit,' ordinem ſeruaodorum Iudicibus ſuggerere & ni id facerent, pariter cum Iudicibus plectebantur; cuius rei obuia paſſim exempla *hoc Codice*.

Nos formam illam quam Valentinianus hic Relationibus accuratam præſtituit, diſpiciamus: vbi quinque omnino deſiderat. Primo quidem *Exemplum* Relationis edi iubet litigatoribus, de quo iam *l. 3. ſup.* Secundo, Refutatorios poſt hæc a partibus dari iubet; de quibus *l. 1. 8. 11. 14. 16. 24. inf. de appellat.* quibus ſcil. Relatio, ſi ea miuus plena, vel contraria litigatoribus videretur, allegatuonibus eorum & ſupplamentis refellebatur, *d. l. 3. ſup.* & *d. l. 1. inf. de appellat.* (vnde & allegationes & ſupplementa eodem ſenſu apud Symmachum, vt oſtendi ad *d. l. 2.*) Horum etiam Refutatoriorum nominatim duobus P.218. locis meminit Symmachus *lib. 2. ep. 30. ſi relatio ad fortunam negotii pertineret, & ſupplementa vel Refutatorias iurgantes dediſſent*, rogo &c. *lib. 10. ep. 45. ſuſpenſa ſententia: cuius meritum perennitas veſtra lectis geſtis, ac Refutatoriis cohærentibus æſtimabit* &c. De iisdem *lib. 10. ep. 46. Omnium geſtorum fida documenta ſupplementis partium Relationi ex more ſociata ſunt. lib. 10. ep 32. Coniuncta pagina Allegationes partium & ſupplementa ſumpſerunt. lib. 10. ep. 63 Relationi geſta ſubtexui, partium quoque ſupplementa ſociaui.* Tertio, *Transmitti* iubet Valentiuianus (ad ſcrinia ſcil. ſeu comitatum Principis) relationem: de quo vid. & *l. ſuper.* & *l. 1. 8. 31. 34. 54 65. inf. de appellat.* Symmachus *lib. 10. ep. 46. ſtatui vt fides geſtorum ſuperiorum ad Auguſta ſcrinia mitteretur.* Ita paſſim Symmachus appellatione interpoſita a ſe, vel aliter relationi ſuæ geſta connexa, ſeu ſimul mittere ſe ait, *lib. 10. ep. 29. 32. 41. 52. 53. in f. 55. in f.* Quarto, Et hæc omnia intra certum quoque diem vt fierent Conſtantious M. definiuerat, puta *l. 1. inf. de appellat.* quod *h. l.* obſeruari iubetur: de quo iam dixi. Tandem *Acta* ſimul omnia ad cauſam pertinentia tranſmitti vult: de quo iam ad *l. 4. ſup.*

Vnicus *h. l.* ſcrupulus ſupereſt, quod dicitur, etiam *Appellatione interpoſita* Relationem fieri. Quod repugnat *legi 2. ſup.* Itaque *Cuiacius* putabat, appellatum quidem in ſp. *huius leg.* fuiſſe verum appellationem a Iudice non receptam, atque adeo ad Principem relatum, num ſequenda eſſet Iudicis ſententia, aut recipienda appellatio. Verum obſeruandum eſt, duo Relationum genera *hic* aperte conſtitui; ibi, *vel appellatione interpoſita, vel dubitans*: nempe vnam Relationem Conſultoriam quoties ipſe Iudex dubitat, animique pendet; qua Princeps conſulitur, vt ita poſtea ſecundum id quod reſcriptum fuerit Iudex iudicet: Alteram vero *Relationem opinionis*, id eſt iudicati: cum ſcil. Iudex appellatione interpoſita, opinionis ſuæ rationem Principi reddit, non amplius deinceps iudicaturus; verum Principi fidem facturus de re bene a ſe iudicata: de quo eſt quoque *lex 5. 9. inf. 14. inf.* & paſſim, *l. 62. de appellationib.* Hoc genus igitur Relationis poſt ſententiam admittitur, deque ea *hanc leg.* exaudiendam certum eſt.

Quod ad hiſtoricam *huius leg.* cauſam attinet, pertinet forte ea ad Iudicia, quæ ſub Maximino agitata tum, de quibus prolixe Amm. Marcellinus *lib. 28. c. 1.* vbi ſane etiam Relationum non vna mentio fit. Id vero ſuadet & temporum ratio, & *Euphraxii* Præfecti Vrbis *Romæ* nomen, ad quem *hæc lex* data eſt: vtrumque collatum cum Maximini Vicarii vrbis Romæ actibus.

VI. (a) Impp. HONOR. & Theod. AA. Palladio PF. P. (b)

NVNQVAM, ad vnius litigatoris querimoniam, Noſtris Altaribus (c) Suggeſtio (d) offeratur; ita vt, ſi, cuiusquam ambitione, plectenda inportunitas id forte meruerit, ei, cuius intentione, contra generale factum (e), fuerit conſtitutum (f), damnum litis iudex infligat; nec vmquam in rediuiuum (g) ſtatum negotium redigatur, quod hac fuerit condicione præſumptum (h). Dat. V. Id. Septemb. Rau. DN. Theod. A. VII. & Palladio Coss. [416.]

NOTAE.

(a) Iungenda huic *l. lex 147. inf. de Decurionib.* quæ tamen argumento nullo modo reſpondet. *GOTHOFR.*

(b) *Palladius* PP. Italiæ ſub Honorio: v. *Proſopogr. ID.*

(c) *Altaria* Principis: vid. *Gloſſ. Theodoſ. ID.*

(d) *Suggeſtio* pro relatione, μηνυτήριον. vid. quoque Symmachum. *ID.*

(e) *Factum generale*, pro Edicto & ſanctione, ſeu ſententia generali: de quo mox. *ID.*

(f) Id ſcilicet ἀπὸ τῶ κοινῶ, *fuerit conſtitutum*: id eſt a Iudice conſtitutum decretum de referendo ad Principem. *ID.*

(g) Rediuiuum. *v. Gloſſ. Theod. ID.*

(h) *Præſumptum*, proprie: de quo mox. *ID.*

COMMENTARIVS.

Μονομερῶς, id eſt ad vnius litigatoris querimoniam, intentionem, ambitionem, importunitatem nunquam Relationem faciendam conſtituit *hac leg.* Honorius Imp. Quod & ipſum Conſtantino placuit *l. 1. de appellat. Vtrinque*, inquit, *cognitis actionibus*, relationem fieri oportet. Alioquin ex *hac leg.* qui id ambitione ſua & importunitate meruit, damno litis multatur: lite ſcil. iure cadit, qui non ordine iudiciorum, non comminus conſtituto aduerſario, ſed contempto generali iure negotium Relatione ſacta ad Principem diſcingi poſtulat: atque ita præſumit: *Præſumere*, eſt ordinem iudiciorum negligere, peruertere, præuertere.

Ergo non ad vnius petitionem vel querimoniam Relatio fieri debet, ſed vtrimque cognitis actionibus: Quem in finem etiam vtriſque litigatoribus Relationis exemplum, prius quàm ad Principem mitteretur dabatur: qui poſtea Refutatorios ſuos ſeu ſupplementa addebant: de quo ſuperioribus *Legibus*. Idque generale ius fuit: & vt hic vocatur, *Generale* FACTVM, id eſt generale decretum, ius, iuſſio, ſententia. Hoc ſenſu, *Factum Imperatorium*, Capitolino in *Gordianis cap. 5.* hoc ſenſu, *Factum Fl. Conſtantini ad Agricolam PP. Galliarum:* Hoc ſenſu *Facta*, apud Capitolinum in *v. Macrini, c. 13.* Et *Pauli ſententiarum ſeu Factorum libri ſex*, in veteri *Indice Florentino.* Denique *Factum* eſt omne διηγηματικὸν in Gloſſis, & *Facta cauſarum:* de quo iam quoque dixi ad *l. 9 ſup. de diuerſis reſcript.*

P.219. # DE APPELLATIONIBVS, ET POENIS EARVM, ET CONSVLTATIONIBVS.

TITVLVS XXX.

LIB. VII. COD. IVST. TIT. LXII.

De Appellationibus, & Conſultationibus.

PARATITLON.

APPELLATIO (a qua & Appellator, *l. 2. 14. 15. 28. 56. 67. h. t. l. 3. l. vlt. inf. de repar. appellat.*) eſt prouocatio (vnde *Prouocatio* pro appellatione, *l.* 2. 10. 14. 17. 22. 25. 30. 37. 39. 40. 42. 46. 51. 57. 58. 59. 62. 64. *h. t.* & *l. 21. inf. quor. appellat.* Prouocator, *l. vlt. inf. de repar. appellat.* & Prouocare pro appellare, *l.* 2. 15 16. 18. 23. 26. 28. 41. 43. 45. 49. 60. 61. *h. t.*) a Iudicis inferioris ſententia ſolenniter lata (nam ſi nulla ſit ſententia, appellatione nil opus eſt, *l. 40. h. t.* & *l. 1. ſup. de ſent. ex periculo:*) *l.* 13. 18. *h. t.* & quidem definitiua, *l. 37. h. t.* iurgium terminante, *l. 25. h. t.* vid. & *l. 40. h. t.* quaſi errore vel gratia cognitoris oppreſſa fuerit iuſtitia, *l. 57. h. t.* & *l. 16. ſup. de pœnis:* ſuſpecti breuiter, *l. 58 h. t.* Item a nominatione ad Magiſtratum, vel munus aliquod; de quo ſunt *quatuor huius tituli leges;* puta, *l.* 10. 12. 19. 53. *h. t.* Ad maiorem Iudicem, ad quem hac via negotium transfertur, *l. 45. h. t.* Prior Iudex eſſe deſinit, *l. 13. h. t.* iudicatum, quod diſplicet, excluditur, *l. 6. ſup. de iuriſd.* ſententia ſuſpenditur, *l.* 41. 61. 66. *h. t.* & *l 3.* & 9. *inf. de repar. appellat. l. 1. ad leg. Iul. de vi. l. 1. ſup. de re iudic.* inhibetur, Symmachus *lib. 10. ep. 62.* Iudex nihil amplius audire poteſt, *l. 5. h. t.* Id quod litigantium vtilitati & ad iurgantis priuilegium adinuentum eſt, *l. 11. inf. h. t.* vnde & Appellatio dicitur Prouocationis auxilium, *l.* 10. 13. 14. 37. *h. t.* & *l. 1. inf. de repar. appell.* ſuffugium, *l. 39 h t.* ſuffragium, *l. 22. h. t. l. 21. inf. quorum appellat.* perfugium, *l. 30. h. t.* appellationum adminicula; *l. 11. h. t.* ſuffragium neceſſariæ defenſionis, *d. l. 22. h. t.* Iuris remedium, *l. 15. h. t.* Has Appellationes ſeu Prouocationes litigatores obiicere dicuntur, *l.* 44 59. *h. t.* offerre, *l. 67. h. t.* opponere, *l. 21. h. t.* interponere, *l.* 4. 5. 10. 13. 14. 25. 27. 30. 57. 58 59. 62. 64 66. *h. t.*

I. Appellandi porro ius eſt in omnibus omnino cauſis, *l. 4. h. t.* ciuilibus, *l.* 20. 55. 58. *h. t.* criminalibus, *l.* 2. 20. 57. 58. *h. t.* (non tamen in caſu *l. 1. inf. quorum appellat. l. 1. ad leg. Iul. de vi: l. 1. de raptu virg.*) in fiſcalibus, *l.* 8. 14. 18 21. 28. 41. 45. 46. 64. *h. t.* (quod aliquando immutatum, *l. 12. inf. quorum appell.* & *l. 6. de iure fiſci:*) in cauſa bonorum vacantium, caducorum, ereptorum, *l. 26. h. t.* Non a præiudicio, *l.* 2. 25. 40. *h. t.* (quod abrogatum, *l. 44. h. t.*) non ab interlocutione, *l. 65. h. t.* non ante cauſam examinatam & determinatam, ſeu ante ſententiam; *l.* 2. 50. *h. t.* non ab executione, *l. 25. h. t.* de quibus aliiſque cauſis, Vid. *inf. tit.* 36. (peculiarem) *quorum appellat.* & *tit. 37. ſi a momento fuerit appellat.* Excipe peremptoriam præſcriptionem improbatam, *l. 37. h. t.* & *l. 23. 24. inf: quorum appellat.* item condemnationem (ſeu multam) *l. 38. h. t.* Alioquin multa quædam appellanti impoſita, quæ præiudicialis dicta, *l.* 50. 65. *h. t.*

II. Appellari poterat AB omnibus Magiſtratibus, Clariſſimis, Spectabilibus, etiam vice ſacra iudicantibus, *l.* 11. 16. 23. *h. t. l.* 1. 2. *inf. de his qui per met. iudic.* etiam a Præfecto vrbis,

bis, *d. l.* 11. 23. *h. t.* & *d. l.* 2. a ſolo PP. appellare non licuit, *d. l.* 16. *h. t.* Item Clariſſimi etiam a ſententia P. V. ius appellandi aliquando non habuere, *l.* 23. *h. t.* quod abolitum, reducto veteri iure, *dict. l.* 23. *h. t.* Certe a cæteris (exceptis P. P. qui vice ſacra iudicabant) id eſt, a P. V. & a Proconſulibus appellari poſſe docet *lex* 16. *h. t.* Et tamen intra centum ſolidos a Præfecto Vrbis appellari poſtea vetuit Valentinianus Tertius, *Nou.* 12. *cap. ſi quis a ſuſpecto.*

III. Appellabatur vero aut AD Principem *l.* 44. *h. t.* a Proconſulibus puta, Comitibus
P.220. & Vicariis (P. P. ſcilicet) *l.* 16. *h. t.* quod PP. poſtea delatum, *l.* 57. *h. t.* & Vicario Vrbis *l.* 29. 61. *h. t.* aut ad Maiores Magiſtratus, ab inferioribus etiam ad Cognitorem ſacri Auditorii, *l.* 44. *h. t.* velut in Africa, ad Proconſulem Africæ, *l.* 3. 62 *h. t.* interpoſita prouocatione a Comitibus vel a Præfectis eorum, *d. l.* 62. *h. t.* & in priuatæ rei cauſis, exceptis quibusdam *l. vlt. h. t.* quibus Princeps vicem ſui examinis mandauit, *l.* 3. *h. t.* qui cognitionibus Principis vicem repræſentant, *l.* 11. *h. t.* quibus ſuam vicem Princeps commiſit, *l.* 13. *h. t.* qui vice ſacra cognoſcunt, *l.* 16. *h. t.* quibus ad vicem Principis delata iudicatio, *l.* 18. *h. t.* qui vice Principis cognitionibus præſident, *l.* 28. *h. t.* ad Præfectum Vrbis, a quibusdam & certis in cauſis, *l.* 11. 13. 18. 49. 61. *h. t.* ad PP. *l.* 57. *h. t. l. vn. de off. Præf. Prætorio.* Appellari ex Sardinia, Sicilia, Campania, Calabria, Bruttiis & Piceno, Æmilia & Venetia & cæteris Italiæ prouinciis iubet Conſtantius, *l.* 27. *h. t.* non autem ad P. V. *d. l.* 27. *h. t.* In cauſis fiſcalibus, a Rationali aliquando ad Principem appellabatur, *l.* 18. *h. t.* verum communiter magis a Rationali vel Comite, vel alio qui fiſcalis commodi curam gerit, ad eos qui vice Principis huiusmodi cognitionibus præſident, *l.* 28. *h. t.* aliquando ad Comites S. L. & Com. R. P. *l.* 39. 46. 49. *h. t.* ad quos priuatorum hominum cauſæ deferri ex prouocatione conſueuerunt, *l.* 41. *h. t.* id eſt Rectores Prouinciarum.

IV. SOLEMNIA appellationum, *l.* 5. *h. t.* ſolemnitates, *l.* 14. *h. t.* (vnde ſolemniter interpoſitæ appellationes, *l.* 4. *h. t.*) hæ erant; Is cuius negotium ſententia vulneratum erat; *l.* 15. *h. t.* vel ILICO voce appellabat, *l.* 7. *h. t.* (vnde prouocantis & prouocationis vox, *l.* 26. 40. 58. *h. t.* & *l.* 9. *inf. quorum appellat.*) vel conſcriptis poſtea libellis, *l.* 7. *h. t.* qui *Libelli* ſimpliciter dicuntur, *d. l.* 7. & *l.* 4. 22. *h. t.* & *l.* 6. *inf. quorum appellat.* Libelli appellatorii, *l.* 2. 56. *h. t.*

V. IVDEX a cuius ſententia appellabatur, Appellationem accipere, *l.* 4. *h. t.* recipere, *l.* 16. 42. 60. *h. t.* admittere, *l.* 20. *h. t.* ſuſcipere, *l.* 22. 25. 67. *h. t.* libellos recipere, *l.* 4 *h. t.* audire, *l.* 58. *h. t.* cogebatur. Non etiam a ſententiis ſuis interponi prouocationes ad maiorem Magiſtratum ægre ferendo, *l.* 13. *h. t.* iniuriam ſibi fieri exiſtimando, *l.* 15. *h. t.* aut Relatione ad Principem promiſſa appellationem impedire, *l.* 13. *h. t.* & *l.* 2. *ſup. tit. prox. de relat.* aut in recipiendis libellis aliquod genus iniuriæ inferre, *l.* 4. *h. t.* puta, metum iniicere appellaturo: de quo, *tit.* 34. *de his qui per metum Iudicis non appellauer.* appellatum in carcerem redigendo, vel a militibus cuſtodiri faciendo; *d. l.* 15. *h. t.* carceris cruciatum aut cuiuslibet iniuriæ genus, ſeu tormentum, vel etiam contumelias inferendo; *l.* 2. *h. t.* appellantes iniuriarum afflictatione deterritos ab appellatione expellendo, *l.* 22. *h. t.* aut vocem penitus his tum denegare, *l.* 20. *h. t.* prouocationes eorum reſpuere, *l.* 25. 51. *h. t.* negligere, *l.* 33. *h. t.* recuſare, *l.* 59. *h. t.* In tantum, vt & ſuperfluam prouocationem recipi probent Impp. *l.* 42. *h. t.* Is cuius appellatio ſpreta fuerit, PP. adire poterat, *l.* 16. *h. t.* conteſtatione publice intra tempus legitimum appellationis de vi propoſita, *l.* 30. *h. t.* vid. & *l.* 67. *ſeu penult.* Iudex vero ipſe, qui appellationem non admiſit mulctatur 10. libris auri, ex *l.* 22. *h. t.* viginti, ex *l.* 33. & 58. *h. t.* triginta, ex *l.* 25. 51. 59. *h. t.* Officium pariter eius mulctatur quindecim libris auri ex *l.* 22. *h. t.* viginti quinque, ex *l.* 58. *h. t.* triginta, ex *l.* 25. 33. 59. *h. t.* quinquaginta, ex *l.* 51. *h. t.* Quinimo ſi vicerit is qui appellauit, de Iudicis nomine qui appellationem non recipit, ad Principem referetur, vt digno ſupplicio puniatur, *l.* 16. *in f. h. t.* Sunt tamen cauſæ nonnullæ, quibus impune prouocationem reſpuit Iudex, *l.* 2. 51. *h. t.* & *inf. tit. quor. appellat.*

VI. Poſt appellationem factam, ſuſceptam, Opinionis exemplum petere ſeu poſtulare a Iudice debebat, *l.* 6. 8. 11. 14. 16. *h. t.* Si ad Principem cauſa transferretur, ſi ad alios Iudices, Apoſtolos, *l.* 18. 61. 67. *h. t.* deinde *Refutatorias* preces offerre, *dict. leg.* 14. *h. t.*

VII. Et vtrumque hoc intra certum & legitimum TEMPVS, ſeu intra certos dies præſtitutos, *l.* 8. 10. 14. 30. *h. t.* pro diuerſitate cauſarum & locorum, vid. *leg.* 10. *h. t.* alloquin DESERTA ab eo prouocatio æſtimatur, *l.* 14. *h. t.* & debitum ab eo exigitur, *d. l.* 14. *h. t.* & redintegrandæ audientiæ facultas denegatur.

VIII.

VIII. Poſt hæc a Iudice geſta omnia, *l.* 5. *h. t.* actis inſeri, *l.* 9. *h. t.* indi, ſubiici, *d. l.* 9. *h. t.* non tantum Opinionem, *l.* 8. & 9. *h. t.* & Refutatorios, *l.* 29. *h. t.* verum etiam vniuerſam inſtructionem, *l.* 6. *h. t.* inſtructiones neceſſarias, *d. l.* 9. *h. t.* atque ad Comitatum dirigi, *l.* 5. *h. t.* omnia Geſta in eo negotio, *l.* 1. & 5. *h. t.* cuncta quæ litigatores inſtructionis probationisque cauſa recitauerant, *d. l.* 9. *h. t.* quæque ad inſtructionem cauſæ pertinent, *l.* 8. *h. t.* vniuerſa, quæ in eiusmodi negotio geſta, *l.* 29. *h. t.* oportebat, intra certum tempus a lata ſententia, puta intra dies viginti ex *l.* 8. *h. t.* triginta, ex *leg.* 29. 31. 32. 34. 65. *h. t.* Poſt quæ ita miſſa, ad Comitatum litigatores venire non poterant, niſi poſt annum, poſtque Conſultationem & Relationem, *l.* 34. 47. 54. 66. *h. t.*

IX. TEMPORA pariter appellationum quædam ſeruabantur, *l.* 12. *h. t.* intra quæ ne-
P. 211 gotia appellationum oportebat explicari, *l.* 3. *h. t.* perorari *l.* 19. *h. t.* terminari, *l.* 13. *in f. ſup. de iure fiſci.* appellationum ſubſtantia perſequenda erat, *l.* 21. *h. t.* Fiſcales quippe cauſas terminari, peragi oportebat intra viginti dies, *l.* 21. 28. 46. 64. *h. t.* Intra quadraginta dies, ex *l.* 64. *h. t.* Intra duos menſes in eadem prouincia, *l.* 41. *h. t.* Imo intra viginti dies in eadem prouincia: in contigua, intra 40. dies, *l.* 13. *inf. ſup. de iure fiſci*: & *l* 46. & 64. *h. t.* Intra quinquaginta dies ex *l.* 64 *h. t.* Intra quatuor menſes ex *l.* 41 *h. t.* in transmarina prouincia intra ſex menſes, *d. l.* 41. *h. t.* & *d. l.* 13. *inf. ſup. de iure fiſci*: Intra annum, ex *l.* 45. *h. t.* ſi nominatus quis eſſet ad Magiſtratum, intra duos menſes, *l.* 10, 19. *h. t.* *l.* 2. *inf. de Decurion.* v. & *l.* 8. *de repar. appellat.* Huius ſpatii dies vltimus dicebatur temporalis, *l.* 63. *h. t.* & *l. vlt. inf. de repar. appellat.* · Lapſis poſt hoc tempus; id eſt hoc tempore elapſo reparatio appellationis impetrari non poterat: v. *l.* 63. 64. *h. t.* de quo tamen, & eius exceptionibus videndus *titulus* 31. *inf. de reparationibus appellationum*: *tit.* 32. *de ſecundo lapſu*: *tit.* 33. *de dilationibus ex conſenſu*: *tit.* 35. *ſi pendente appellatione mors interuenerit.*

POENÆ tamen ſeu multæ, ne temere appellaretur, quædam temere appellantium fuerunt, *l.* 16. *inf. l.* 21. 39. 40. 43. 44. *h. t.* ſeu iniuſtæ appellationis, *d l.* 40. *h. t.* & ſuperfluæ, *d. l.* 39. *h. t.* quæ *præiudicialis multa* dicebatur, *l* 50. 65. *h. t.* Conſtitutum item, ne appellatio ſemel facta reuocari poſſet, niſi intra triduum poſt oblationem libellorum appellatoriorum, *l.* 56. *h. t.* Contra, qui non appellaſſet, ſupplicatione retractare iudicatum non potuit, *l.* 17. *h. t.* vide tamen *leg. vn. ſup. de offic. Præf. Præt.*

De CONSVLTATIONIBVS ſeu Relationibus fuit iam *ſuperior titulus*, & eodem tamen pertinet tertia pars *huius Rubricæ*, & complures tituli leges, puta viginti, *lex* 1. 5. 6. 8. 9. 11. 13. 14. 16 18. 24 31 34 35 47 54 61. 65. 66. 67. *h. t.*

RELATIONVM *ad Principem mittendarum forma a Conſtantino M. inſtituta.*

I. (a) Imp. CONSTANTINVS A. ad Claudium Plotianum Correctorem Lucaniæ & Brittiorum (b).

SI in negotio ciuili, cognitis vtriusque (c) actionibus, pronuntiaueris, *Te ad Noſtram Scientiam relaturum**, Conſultationis (d) exemplum (e) litigatoribus intra (f) decem dies edi apud Acta iubeas: vt ſi cui forte Relatio tua minus plena, vel contraria videatur, is Refutatorias (g) preces ſimiliter tibi apud Acta offerat intra dies quinque, quam illi exemplum Conſultationis tuæ obtuleris. Iam Dicationis (h) Tuæ eſt, omnia quæ apud te, vel apud alios, Geſta (i) fuerint in eo negotio, Conſultationi tuæ cum Refutatoriis litigantis adnectere; Ita vt ſcias, & decem dies, intra quos edi Conſultationem oportet, & quinque, intra quos preces Refutatoriæ offerendæ ſunt, continuos debere ſeruari: Nam quinque diebus transactis, nec offerentem preces Refutatorias litigatorem debebis audire, ſed ſine his, quoniam intra ſtatutum tempus oblatæ non ſunt, Geſta omnia ad Noſtram referre Scientiam; & cetera (k). Dat. III. (l) Kal. Ian. Treu. (m) Conſtantino A. III. & Licinio III. Coss. [313.]

NOTAE.

(a) Coniungenda hæc *lex* cum *l.* 1. *ſup. de Relationib.* Meminit *huius l.* ſuæ ipſemet Conſtantinus *l.* 5. 8. *inf. h. t.* Meminit filius eius Conſtantius, *l.* 24. *h. t.* Meminit Valentinianus Sen. *l.* 5. *ſup. tit. prox. de Relationib.* *GOTHOFR.*

(b) Vid. quæ ſcripſi ad *d. l.* 1. *ID.*

* *Legis* 1. *C. Iuſt. de relationibus*, Verſiculus *Quoties autem*, hinc interpolatus eſt, *ID.*

(c) vt.

(c) *γρ. Vtrinque*: non vero ad vnius litigatoris querimoniam, *l. vlt. ſup. de relationib*, vbi vid. quæ dixi: non *μονομε-ρῶς*. *ID.*

(d) *Conſultatio* hic & ter præterea *h. l.* mox *Relatio* dicitur. *ID.*

(e) *Exemplum*, id eſt exemplar. *ID.*

(f) *Ilico* ita C. *Iuſt* vt mox pro *intra dies quinque*, in eodem *Cod.* repoſitum, *ſine aliqua fruſtratoria dilatione*. *ID.*

(g) De *Refutatoriis* his precibus dixi iam ad *l. 5. ſup. de relationib.* *ID.*

(h) *Dicationis Tuæ eſt*: Ita pariter *lege 21. inf. h. t.* & *l. 1. ſup. de Veteranis*: de hac voce v. *Gloſſ.* *ID.*

(i) De hac *Geſtorum* tranſmiſſione dixi iam plene ad *l. 4 ſup. de relation.* *ID.*

(k) Quæ continentur *d. l. 1. ſup. de relation.* *ID.*

(l) Vl. *d. l.* 1. *ID.*

(m) Ex *d. l.* 1. ſupplendum hic *Acc. VIII. Id. Febr. Regio.* *ID.*

P.222.

COMMENTARIVS.

CONSTANTINI M. ſeptemderim ordine conſtitutiones *de Appellationibus* hoc *titulo* exhibentur: Quibus addendæ ſunt ſex eiusdem præterea aliæ, puta *lex 1. inf. de his qui per metum Iud. non appell. l. vn. inf. ſi pendente appellat. l. 1. 2. 3. inf. quorum appell. non recip. l. vn. ſup. de off Præfecti Prætorio*: Ex quibus omnibus apparet, ab vna parte quatenus Iudiciorum retractationi per appellationes deferri voluerit Conſtantinus in fauorem litigantium: ab altera quomodo iniuſtis appellationibus occurſum voluerit. Quanquam, verum vt fatear, de hoc *legum* Conſtantini numero ſunt, quæ non ad Appellationes proprie pertinent, verum ad *Relationes*: de quibus etſi *ſuperiore titulo* actum fuerit, attamen & de his *huius tituli* Rubrica concepta eſt; veluti hæc omnium prima: Item ſunt ex his nonnullæ, quæ non ad Appellationes a rebus iudicatis pertinent, verum ad appellationes a nominationibus ad munera: veluti *lex 10. & 12. hoc tit.* Ac vt Conſtantini characterem hic ſemel exprimam ſeu ſtudium eius omne circa Relationes & Appellationes huiusmodi exhibeam: Nempe tranſlata ſiue per Relationem ſiue per Appellationem cauſa ad Principem, id egit: Primo, vt *Religio ſeu ſcientia Principis* ad plenum inſtrueretur: Eum in finem conſtituit, vt Relationis vel Opinionis exemplum litigatoribus ederetur, *l. 1. 6. 8. 14. 16. hoc tit. & l 3. 5. ſup. de relationibus*: vt litigatoribus Refutatorios libellos offerre liceret, *l. 1. 8. 11. 16. h. t. l. 5. ſup. de relationibus*: ſic tamen vt vera tantum quæque apud Iudicem agitata, prolata, his inſererentur: *l. 11.* vt poſt hæc omnia geſta, omnes Inſtructiones ad Principem a Iudice mitterentur, *l. 1. 5. 6. 8. 9. 11. 16. hoc tit. l. 1. ſup. de Iudiciis.* pœna alioquin Iudicibus impoſita, ni id feciſſent *d. l. 6. 9.* Secundo id egit, ne cauſa ita ad Principem translata protelaretur: Eum in finem certa tempora, certumque dierum numerum præſcripſit, ad ſuperiora omnia facienda, *l. 1. 7. 8. 9. 14.* & quidem continua tempora, *l. 1* pœna alioquin Iudicibus eorumque Officiis grauiſſima impoſita: *d. l. 8. 9.* vt & litigatori ſi Opinionis exemplum vel Refutatorios intra tempus ſtatutum non petiiſſet, non obtuliſſet, puta deſertæ appellationis, *l. 14.* Tertio id egit, vt ne quid interea noui Iudex faceret in gratiam vel fauorem vnius litigantium, *l. 5.* Quarto id egit, vt ſuo marte cauſa decurreret: ſupplicandi ſibi eo tempore poteſtate denegata, *l. 6. 8. in f.* Poſtremo, ne terminata Reſcripto ad huiusmodi Relationem vel Appellationem quæſtio refricaretur, *l. 6. inf. l. 8. in f. l 9. 11.*

Nos de hac *leg.* noſtra videamus. Ea igitur Conſtantinus M. nouam & exquiſitam inſtituit SOLEMNITATEM, vt vocatur *l. 5. hoc tit.* ſeu FORMAM Relationum ad Principem mittendarum a Iudicibus, in negotiis ciuilibus, id eſt ſiue priuatis, ſiue fiſcalibus, vt idem Imp. interpretatur *l. 8. inf.* ad eas videl. bene fundandas. Id, inquam, *hac l.* agitur: cui iungenda eſt, velut eiusdem conſtitutionis pars, *lex 1. ſup de relationibus*: ſub quo *titulo* hæc *lex* nihilo deterius ſtaret, non diuulſa ab *ead. l. 1.* quomodo etiam Tribonianus rurſum eas coaſſauit, compaginauit. Et vero eo *titulo* iam explicata ſunt tria illa requiſita *huius l.* in Relationibus ad Principem mittendis: Primo, de Relationis ſeu conſultationis exemplo litigatoribus edendo, *l. 3. & 5. eo. tit.* (cui etiam concinit *lex 6. 8. 14. 16. inf. h. tit.*) Secundo de Refutatoriis litigatorum pariter offerendis, de quo *l. 5. eius tit. & l. 8. 11. 16. hoc tit.* Tertio de vtriſque ad Principem mittendis vna cum *Geſtis* totius negotii, de quo *l 4. eius tit.* Sane *huius l* meminit, velut *cuiusdam l.* matricis fundamentalis, quæque huius materiæ ſedes eſt, non ipſe modo Conſtantinus *l. 5. 8. inf. h. t.* verum & Conſtantinus filius eius, *l. 24. hoc eod. tit.* quinimo & Valentinianus Senior *l. 5. ſup. de relation.* vbi perperam hactenus editum, *Conſtantiana lege*, pro *Conſtantiniana*. Et vero Primus Conſtantinus M. omnis iſtius ordinis auctor extitit: Conſultationis inquam, ſcil. Relationis litigatoribus a Iudice præbendæ, viciſſim Refutatoriorum ab ipſis litigatoribus præbendorum, atque horum omnium vna cum geſtis ad ſcrinia Principis transmittendorum: vt ita Relationibus his iam bene fundatis, de conſulentis Iudicis mendacio poſt Principis ad eam Conſultationem reſcriptum, conquerendi atque *appellandi*, & ſic lites protrahendi auſa (quod olim fiebat, *l. 1. §. 1. D. de appellat.*) præcideretur. Et vero ideo id expreſſe ab eodem Conſtantino M. conſtitutum, *l. 6. 8. 9. 11. inf. h. t.* vbi vide quæ dicam plene: ne quis videl. terminatam Reſcripto ad huiusmodi iamiam conſultationem, quæſtionem, exquiſito ſuffragio refricare audeat: ad litis enixæ ſuæ voluntatis aliquammultis argumentis. Quod vtique inter commendatione digniſſima Conſtantini inſtituta deputare ſoleo.

Sane & eodem ſpectat hac in re ipſa (ad breuitate conſtringendas videl. huiusmodi Relationes) *Temporis* ratio, quam in hiſce Relationibus expediendis Conſtantinus M. obſeruari voluit, Nempe, Relationis exemplum intra decendium edi iubet: Refutatorias vero intra quinque dies ſequentes, & eos quidem continuos, a die videlicet, quo Iudex pronunciauerit ſeſe relaturum, ſeu Relationem promiſerit.

ſerit. Quod ipſum rurſum qua inculcatur, qua confirmatur, *l. 8. 24. inf. h. t.* & *l. 5. ſup. de relation.* Quodquidem breuiſſimum ſpatium finiendarum litium cauſa a Conſtantino præſtitutum, pariter vt præſtitutum transmittendiatis, quæ dixi omnibus ad ſcrinia Principis ſeu eius Comitatum, puta, vicendium, *d. l. 8.* vel tricendium, *l. 31. 34. 65. h. t.* Vt cæteroquin litium fugitans Conſtantinus M. maxime fuit, quod & aliis argumentis compertum habeo, quæ *alibi* colligo.

Hæc interim *lex*, & aliæ *huius tit.* quamplurimæ, argumento ſunt, quam male hactenus vox *Conſultationum*, etiam a Cuiacio accipiatur in *Rubrica Codicis Iuſtin.* quæ huic reſpondet, *de Appellationibus & Conſultationibus*: quaſi hoc tit. *Conſultatio* ſit, non iam Relatio (vt *ſuperiore titulo*) verum deliberatio, conuentus, conſilium, ſiue ſententia, quam Princeps ex appellatione cum Conſilio collocutus dixit: quo ſane ſenſu accipienda videtur *Conſultationis* vox *initio legis 2 C. Iuſt. de legib.* Quam interpretationem, vti *lex* hæc refutat, ita *leges* illæ omnes. Etſi illud verum ſit, *Conſultationis* nomen de illo tantum relationum genere, quod ante ſententiam ad Principem fiebat, accipi: verum de eo quod poſt ſententiam opinioni conſilioque ſuo, denique ſententiæ ſuæ tuendæ, appellatione facta, Iudices ad Principes dirigebant: quod vt oſtendi ad *l 5. ſup. de relation.* ita docet nominatim *lex 5. 9. inf. 14. h. t.*

Quare, his omnibus expenſis, videre licet, fugitiuam *hanc l.* ab hoc *titulo* eſſe.

P. 223. *De* RECIPIENDIS *appellationibus a iudicio & retro aduerſus immoderatam* LICENTIAM *earum, Conſtantini M. conſtitutio.*

II. (a) Idem A. ad Catullinum (b). Poſt alia.

MINIME fas eſt, vt in ciuili (c) negotio libellis (d) appellatoriis oblatis, aut carceris cruciatus, aut cuiuslibet iniuriæ genus, ſeu tormenta, vel etiam (e) contumelias perferat appellator: Abſque (f) his criminalibus cauſis, in quibus, etiamſi poſſunt (g) prouocare, eum tamen ſtatum debent obtinere, vt (h) poſt prouocationem in cuſtodia (i) perſeuerent. Ea * cuſtodita moderatione, vt eorum prouocationes recipiantur, qui easdem non a Præiudicio (k) interpoſuiſſe noſcuntur, aut etiam ante cauſam examinatam, & determinatam, ſed vniuerſo negotio peremptoria perſcribtione (l) finito, vel per cuncta membra decurſo (m), contra Iudicem interpoſitæ eſſe noſcantur, &c. Dat. III. (n) Non. Nou. Treu. Acc. XV. Kal. Maii, Hadrumeto (o), Voluſiano & Aniano Coss. [314.]

INTERPRETATIO. *Iſta lex hoc præcipit, non debere appellantem* (p) *aut carceris cuſtodia, aut cuiuslibet iniuriæ afflictione conſtringi, exceptis tamen criminalibus cauſis, in quibus ſimilis* (q) *accuſantem, & accuſatum conditio pœna cuſtodiaque* (r) *conſtringet: Et eorum appellationes dicit debere recipi, ſed ita, vt qui appellauerit* (s), *in cuſtodia teneatur, quousque ad alium Iudicem crimina obiecta perueniant, vt diſcuſſis ad integrum omnibus, aut de abſolutione, aut de damnatione accipiat ſententiam finitiuam* (t).

NOTAE.

(a) *Lex 12. C. Iuſt. h. tit.* ex priore *huius l.* parte deſumpta eſt. Iungenda autem ei *lex 7. ſup. de pœnis* & *l. 7. inf. quorum appell. non recip.* Concordat denique huic legi, *lex 13. 15. 20. 22. 25. 33. 51. 59. h. t.* GOTHOFREDVS.

(b) *Catullinus* hic an Africæ Proconſul, quod nominatim præfert *Cod. Iuſt.* in *l. 16. de pœnis?* quæ eadem alioquin eſt cum *d. l. 1 ſupr. de pœn.* (vbi vide quæ dixi) Quod hic non admitto. Subſcriptio enim *huius leg Acc. Hadrumeto*, docet Catullinum hunc Conſularem Byzacenæ fuiſſe hoc Anno. Poſtea, & demum An. 415. 416. Proconſul Africæ fuit. *ID.*

(c) Ita quoque *leg. 1. ſup. ID.*

(d) De *Libellis* appellatoriis vid. & *l. 4. 7.* (vbi dicam) *l. 22. 56. inf. ID.*

(e) *Siue contumelias*, MS. G. *RITTER.*

(f) *Aliter atque in criminalibus, &c.* GOTHOFR.

(g) *Poſſit*, Cod Iuſt. & proxime, *debet*, item inferius, *perſeueret. ID.*

(h) *Vt & poſt* &c. *ID.*

(i) *Si fideiuſſoris idonei copiam non habeat*, add. *C. Iuſt. ID.*

* *Alterum* caput *huius l.* quod recidit Tribonianus: & cuius interpres nullam habuit rationem. *ID.*

(k) vide quæ dixi ad *l. 3. ſup de diuerſ. reſcript. ID.*

(l) *Perſcriptione* id eſt ſententia. *ID.* *Præſcriptione* MS. G. Edit. Sichard. Cuiac. prim. & illa in quarto. *RITTER.*

(m) *Decurſum* negotium v. *Gl. Th.* GOTHOFR. *Diſcuſſo* Ed. ſichard. *RITTER.*

(n) Ita quoque *d lex 1. ſup. de pœn.* Atenim in *d. l. 7. inf. in quorum appellat. IV.* GOTHOFR. *IV.* MS. G. & Ed. Sichard *V. Non.* Cod. Iuſt. *RITTER.*

(o) *Byzacenæ*: vide quæ notaui ad inſcriptionem *d. legis 1. ſup. de pœnis. not. b.* GOTHOFR. MS. G. habet, *XVI. Kal. Mai. Romæ. RITTER.*

(p) Hinc

(p) Hinc deprompta ſententia quædam ab Auctore *Epiſtolæ* 3. *Fabiani Papæ cap.* 2. *pag.* 119. *Tom. I. Concil. Harduin.* & exinde ſub Paleæ nomine *can.* 2. *Cauſ.* 2. *quæſt.* 6. Alluſum & in *Epiſtola Damaſi Papæ ad Afros cap.* 5. *p.* 765. *Tom. eod. Concil. edit. cit.* GOTHOFR.

(q) Hoc extrinſecus additum ab Interprete. *ID.*

(r) *Cuſtodiaque* MS. G. *RITTER.*

(s) *Appellauerint,* & mox, *teneantur.* MS. G. *ID.*

(t) *Definitiuam.* GOTHOFR.

COMMENTARIVS.

MODVM, FROENVMQVE Iudicibus partim a quibus appellaretur, partim vero Litigatoribus ne promiſcue aut temere appellarent, ponit *hac l.* Conſtantinus M. Quæ pars eſt prolixioris Conſtantinianeæ conſtitutionis, vnde duæ adhue *Leges* deſumptæ ſunt, puta *lex* 1. *ſup. de pœnis:* & *l.* 1. *inf. quorum appellat. non recip.* quæ proinde vtraque *huic* coaſſanda venit. Ea conſtitutione Conſtantinus M. ad Catullinum miſſa, in negotio appellationis duplici malo occurſum iuit. Primo quidem, Iudicibus a quibus appellaretur, ideo ſæuientibus in miſeros appellatores, temperamentum quoddam ſeu frœni adtemperiem adhibitum iuit: quo pertinet *huius l. principium,* & dicta *lex* 1. *ſup. de pœnis.* Deinde & appellantium temeritati ſeu leuitati occurſum voluit, quo ſpectat poſterior pars *huius l.* & *d. lex* 1. *inf. quorum appell. non recip.* De vtroque nunc.

Ac de Primo, prius etiam. Scilicet Iudices nonnulli grauiter ferentes, ſententias ſuas ſubinde remedio appellationis retractari, hanc ceu iniuriæ ſpeciem grauiter ſubinde ad animum ſuum reuocare ſoliti. Quod præter *hanc leg.* docent *lex* 11. 13. 15. 20. 22. 25. 33. 51. 58. 59. & *lex* 2. *ſup. de relat.* Quare variis rationibus appellationibus interceſſere, modo Relatione ad Principem facta, impediendæ cognitioni ſuper appellatione, quod docet *l.* 2. *ſup. de relation.* & *d. l.* 13. *inf. h. t.* modo metu Iudiciariæ ſuæ poteſtatis obiecto, de quo *titulus* eſt 34. *inf. de his qui per metum Iudicis non appell.* modo etiam ad vim apertam pro-
P.224 ceſſere; carcere, contumeliis, & aliis, iniuriæ generibus intentatis, quod præter *hanc legem* docet pariter *lex* 4. 15. 22. 58. *inf. h. t.* & Paulus V. *ſentent. tit.* 26. *ad L. Iul. de vi publ.* §. 1. & Alexander Imp. *l.* 25. *D. de appellat.* Appellantem igitur Conſtantinus in ciuili negotio vetat carceris cruciatus, aut cuiuslibet iniuriæ genus ſeu tormenta, vel etiam contumeliam perferre. Aliter atque in (ita enim forte hic legendum) criminalibus cauſis: ibi enim qui appellauit, eundem quem prius ſtatum obtinere debet, atque adeo poſt appellationem in cuſtodia permanere. Crimina porro illa, vtraque *lex,* quam *huic* coniungendam dixi, ſuis nominibus deſignat, nempe atrociſſima homicidii, adulterii, maleficii, vel veneficii. Quare hæc differentia iam inter ciuilia & criminalia iudicia notetur. Poſt appellationem in ciuili cauſa reus non ideo carceris cuſtodiam perferre debet; in criminali, non ideo minus in ea perſeuerare.

Secundo *huius l.* capite viceuerſa iniuſtarum appellationum exempla quædam a Conſtantino conſignantur, pariter vt *d. l.* 1. *inf. quorum appellation.* quæ *huic* coniungenda eſt: quas ea *lex* eleganter non tam Appellationes, quam *Ludificationes* vocat, moratorias dilationes, fruſtratorias, inanes. Primum igitur a *præiudicio* appellationem admitti vetat: quod variis admodum ſubinde conſtitutionibus vetitum: de quo, *ſuo tit. quorum appellat. non recip.* Secundo non ante cauſam examinatam & determinatam, de quibus *ſuo tit.* potius agetur, *quorum appellat. non recip.* Sane *d. lege* 1. *eius tit. vers. nec temere,* hoc ipſum inculcatur de appellatione ab articulis & præiudiciis non admittenda. Additurque ibidem alia ſpecies, nempe, SI Reus atrociorum criminum propria confeſſione, aut dilucidis & probatiſſimis probationibus peractus fuit.

De ACCELERANDO *iudicio appellationis.*

III. (a) Idem A. ad Probianum (b) Proc. Afric.

APPELLATIONVM cauſas, quæ per vos in Auditorio veſtro, quibus vicem noſtri mandamus examinis, diiudicantur, ita audire debes, vt Edicto, quod ſuper appellationum negotiis finiendis iam generaliter conſtitutum eſt, pareas: Atque eadem negotia quam maturiſſime explices Dat. VIII. Kal. Sept. Rom. (c) Conſtantino A. IV. & Licinio IV. Coss. [315.]

NOTAE.

(a) Abeſt hæc *lex* a *Cod. Iuſt.* GOTHOFR.

(b) Ad hunc *Probianum* Æliani in Proconſulatu Africæ ſucceſſorem, ſunt Anno ſeq. *hoc eod. tit. lex* 5. & 6. Sed & Auguſtinus memorat *lib.* 3. *contra Creſcon. cap.* 70. & *Epiſt.* 68. (88.) & rurſum *in breuiculo collationis diei tertii ſub fin.* Reſcriptum eiusdem Conſtantini ad eundem Probianum in cauſa Donatiſtarum. In hunc eſt quoque Symmachi Patris Epigramma. v. plura in *Proſop.* ID.

(c) *Romanſianam* hic accipio haud procul a Naiſſo, cuius mentio in *Itinerariis tribus.* v. *chronol.* ID.

COMMENTARIVS.

DE FINIENDIS, & ACCELERANDIS MATVREQVE explicandis Appellationum Iudicus, eſt hæc Conſtantini M. conſtitutio: qua nihil aliud exprimitur, niſi quod ſuperius iam Edictum generale ſuper hoc ab eo ipſo latum, Proconſuli Afr. inculcauerat.

De *Proconſule Africæ* id ex *hac l.* obſeruandum eſt, eum & de appellationibus a Iudicibus ordinariis cognouiſſe, & vice ſacra iam iudicaſſe. Quod vtique ante Conſtantinum non ita fuit: Tantum enim abeſt, ſacra vice iudicauerit, vt quemadmodum ab eo, ita & a Iudicibus ordinariis *ad Præfectum vrbis* appellaretur, vt ex Vopiſco alibi fuſius oſtenſum eſt. Atenim vbi ad Conſtantinum ventum eſt: veteris is adminiſtrationis formam immutauit, & Proconſulibus nominatim ſacrum iudicium commiſit, & ad hos a Iudicibus ordinariis appellari voluit. Neque putandum eſt, quod nonnemo prodidit, de appellationibus tantum delegatis id intelligendum, ſcilicet Conſtantinum id ita conſtituiſſe, iure quodam momentaneo: Denique ex delegato & prærogatina reſcripti Proconſulem ſub Conſtantino ex *hac l.* vice ſacra iudicaſſe, non ex officio, aut ordine, vice ſacra cognouiſſe. Qui fœdus lapſus eſt, quem etiam admiſere *ad l. 13. inf.* Quid enim? Non & poſt Conſtantinum *l. 62. inf. h. tit. ſacrum Proconſularis cognitionis examen*, de Proconſule Africæ dicitur, atque ad eum appellatum? Non a Rationali rei priuatæ per Africam ad eum, poſt Conſtantinum appellatum? quod docet *lex vlt. inf. h. t.* Non de appellationibus quoque Gentilium & earum Præfectorum cognouit? quod eadem *lex* 62. oſtendit. Imo & eo proceſſere aliquando Proconſules, vt a ſe appellari non paterentur, quod oſtendet *lex 16. inf. h. t.* Et vero hic eſt ille *decretus antiquitus Cognitor*, ad quem a Iudicibus Africæ prouocatum ait Valentinianus III. *Nouella de tributis fiſcalibus, & de ſacro audit.* 23. inter *Theodoſianas.*

---

k. 115.

De RECIPIENDIS *Appellationibus a Iudicibus.*

IV. (a) Idem A. Amabiliano (b) PF. Annon. Afric.

OFFICII (c) cura eſt, vt omnes omnino appellationes, quæcunque fuerint interpoſitæ (d), ſollemniter, curet accipere: nec in recipiendis libellis (e) aliquod genus iniuriæ inferendum cuipiam exiſtimet. PP. III Kal. Ianuar. Conſtantino A. IV. & Licinio IV. Coss. [315]

NOTAE.

(a) Abeſt hæc *lex* a *Cod. Iuſt.* *GOTHOFR.*

(b) Eidem inſcribitur hoc ipſo Anno *lex 2. inf. de nauicul.* & A. 319. *lex 3. eod. tit.* *ID.*

(c) Tui ſcil. Nota interim hic officium ſeu Officiales Præfecti annonæ. *ID.*

(d) A Te videlicet *ID.*

(e) Appellatorus: de his vid. *l. 7.* (vbi dicam) *l. 22. 56. inf.* & *l. 2. ſup.* *ID.*

COMMENTARIVS.

DE RECIPIENDIS rurſum appellationibus, & appellatoribus ab iniuria Iudicum, & Officialium, vindicandis, eſt hæc SECVNDA iam Conſtantini M. conſtitutio. Cui omnino concordat, ſed poſterius lata *lex 2. ſup. de relation.* nam & ea pariter inſcribitur *Præfecto annonæ*, a quo ad Præfectum Vrbis appellabatur, de quo dixi ad *eam leg.* plenius. Vt his perſpectis colligatur, Præfectos annonæ ſubinde ceruices aduerſus Præfectum Vrbis erexiſſe: ſiue dum a ſe ad Præfectum Vrbi appellari ægre patiuntur, quo pertinet hæc *lex*, & *dict. lex 2.* ſiue dum actus ſuos a Præfectis Vrbis retractari nolunt: quo pertinet *d. lex 2. inf. de nauicular.* quæ eidem Amabiliano PF. annonæ hoc ipſo anno inſcribitur, ſine quibus alioquin Præfectus Vrbi de annona nil diſponere poterat, *leg. 1. ſup. de conditis in publ. horr.* vbi plura.

Ne quid NOVI *fiat a Iudice, Relatione promiſſa, vel Appellatione interpoſita.*

V. (a) Idem A. Petronio Probiano (b) ſuo Sal.

EX illo tempore, quo (c) in ciuilibus cauſis, quæ inter priuatos mouentur, *Conſulturum* (d), *vel Relaturum te eſſe* promiſeris (e), vel Appellationis a te interpoſitæ ſolemnia completa fuerint, nihil poſthac tibi quodlibet ſpeciale, ac requiſitum, vel quibuscumque modis fauoris gratiam præferens, audiendum eſt: Sed obſeruandum, vt, iuxta priora (f) ſtatuta, ſolemnitatis (g) more expleto, Geſta ad Comitatum omnia dirigantur, &c. Dat. Id. Aug. Arelato (h) PP. Id. Octobr. Thebeſte (i), Sabino & Rufino Coss. [316.]

NOTAE.

NOTAE

(a) *Lex 13. C. Iuſt. eod. tit.* & iungenda *huic* eſt *lex prox. ſeq.* 6. GOTHOFR.

(b) Num idem hic cum Probiano cui *lex 3. ſup.* inſcribitur? Dicam mox. *ID.*

(c) *Ex quo*, Cod. Iuſt. Vide ſimiliter *leg.* 1. & 2. *ſup. ID.*

(d) *Conſultaturum*, ita *Cod. Iuſt. ID.*

(e) Vid. quæ dixi de hac voce ad *l. 2. ſup. de relation. not. f. ID.*

(f) Id eſt *l. 1. ſup. ID.*

(g) Id eſt Relatione litigatoribus edita: & viciſſim Refutatoriis acceptis: vid. *d. l.* 1. Ita *lege 4. ſup.* ſolemniter interpoſitæ appellationes, & *l.* 14. *inf.* ſolemnitatibus. *ID.*

(h) Eadem ſubſcriptio *legis 6. prox. ſeq.* *Arelate* autem conſtitit Anno 316. Conſtantinus M. menſe Auguſto cum vxore Fauſta: vbi tum etiam natus ei filius Conſtantinus Iun. Zoſimus *lib.* 2. *cap.* 20. vid. *Chronologiam. ID.*

(i) *Thebeſte*, in *Numidia*: cuius mentio apud Ptolemæum, *lib.* 4. *c.* 3. Antoninum Auguſtum *in Itiner. pag.* 27.33.53.54. Edit. Weſſeling. & in *Itinerario Peutingeriano*, & in *Conciliis Africanis* frequens: & apud Auguſtinum. *ID.*

COMMENTARIVS.

P. 116. PENDENTE, per appellationem a litigatore ſemel interpoſitam, vel Relationem ſeu Conſultationem a Iudice ſemel promiſſam cauſa ſiue lite, Iudicem a quo ad Principem appellatum eſt, vel qui Relationem promiſit, nihil noui facere, nihil audere, nihil audire, verum geſta tantum ad Comitatum Principis mitti ab eo oportere, definit *hac leg.* Conſtantinus M. Nihil, inquam *audire*, quodlibet illud ſpeciale ſit requiſitum, & quibuscunque modis ſanoris gratiam præferens, id eſt in alterutrius partis gratiam & fauorem. De *Appellatione* decantata eſt regula, Nihil noui fieri, nihil innouari oportere appellatione interpoſita, de quo eſt præterea *lex 13. inf. h. t.* & *tit.* peculiaris *Digeſtorum:* cui idem nunc non inſiſtimus. Id ipſum vero & de *Relatione* a Iudice promiſſa *hac leg.* conſtituitur: & *leg. prox.* quæ ceu eiusdem conſtitutionis pars *huic l.* coaſſanda venit: vbi inquam ſemel animi dubius Iudex ad Principem relaturum ſeſe promiſit, in neutram partem quidquam facere Iudex poteſt: Imo nec ipſimet Principi alterutra pars ſupplicare poteſt cauſa pendente apud Principem per relationem, quæ *dict. leg. prox.* ſententia eſt: vbi plura de Conſtantini mente hac parte.

Tria tantum *hac leg.* illuſtranda, partim & monenda ſuperſunt. Primo *Petronium Probianum*, cui hæc *lex* & *prox.* inſcribitur, Conſularem Numidiæ videri poſſe: dicuntur enim ex *Propoſita Thebeſte*, quæ vrbs Numidiæ erat: de quo iam in *Notis:* ac proinde alium a Probiano Proconſule Africæ, cui inſcribitur *lex 3. ſup.* fingendum nobis. Verum contra, eundem omnino putet quis, ſi vt *Thebeſte* in *Africa Proconſulari* hoc tempore fuerit. Quomodo & alia vicina Thebeſte loca, velut *Ammedera* & *Altaba* in Numidia quoque locata, quæ tamen ad Proconſularem ſpectabant. Verum, ſecundo notandum, a Proconſule Africæ, ſi hæc *lex* ad eum data eſt, ad Principem appellatum ex *hac leg.* quoque doceri nos, vtpote qui vice ſacra iudicaret: de quo ad *leg. 3. ſup.* Illud tandem omittere non poſſum e tot & tam crebris Conſtantini M. conſtitutionibus hoc tempore *per Africam* ſuper Appellationibus & Relationibus, aliquas proculdubio ad Donatiſtas pertinere videri: quorum ſane hoc tempore rabida furoris audacia a Conſtantino circa appellationes etiam perſtringitur apud Optatum *lib. 1. cap. 26.* Sed & vſurpatæ in cognitionibus de his Relationes Iudicum: cuiusmodi illa Æliani Proconſulis ante biennium A. D. 314. de Ingentio falſi accuſato, ad Conſtantini Comitatum mitti iuſſo ſub idonea proſecutione, vt teſtatur Auguſtinus poſt collat. *c.* 32. Imo Conſtantini ipſius ſuper eo reſcriptum ad PROBIANVM Proconſulem Africæ, Æliani ſucceſſorem, apud Auguſtinum *ep. 68.* ſiu. *88. num. 4. edit. Benedictin.* cuius reſcripti Conſules in ſchedula inuentos Auguſtinus affirmat *in breuiculo collat. die 3. c.* 23. Sane Donatiſtæ, huius Anni 316. extremo, poſteaquam poſt Synodum Romanam & Arelatenſem a Conſtantino auditi fuiſſent, in exilium miſſi fuere.

SVPPLICARI, *neque cauſa pendente, quæ delata eſt per Appellationem vel Relationem ad Principem, poſſe (niſi vno caſu) neque aduerſus Reſcriptum ad conſultationem emiſſum.*

VI. (a) Idem A. Petronio Probiano (b) ſuo Sal.

SVPPLICARE cauſa pendente (c) non licet: niſi (d) forte ei, cui Opinionis (e) exemplum negatum eſt, vel Inſtructionis vniuerſæ ſubpreſſa transmiſſio: Quo facto (f), crimen Iudici ſacrilegii imminebit, qui hoc commiſſo litigatori ſupplicandi neceſſitatem inponit: Cui aliter ſupplicanti, dimidiæ partis rei, de qua agitur, inponenda eſt multa, vt pro Iudicis æſtimatione fiſco pretium inferat. Eo etiam qui * terminatam Reſcribto, vel Conſultatione quæſtionem, exquiſito ſuffragio, refricare conabitur, quoniam maius crimen admittit, in omnem litis æſtimationem protinus (g) condemnando, & (h) ſub ſacramenti ob-

ſeruatione, omni venia deneganda, ſi quis contra hæc ſupplicare temptauerit. Dat. Id. Aug. Arelato (i). PP. Id. Octob. Thebeſte, Sabino & Rufino Coss. [316.]

NOTAE.

(a) *Lex 2. C. Iuſt. vt lite pendente nulli liceat Imperatori ſupplicare*, hinc interpolata eſt. Iungenda autem *huic* eſt *lex prox. ſup.* 5. *GOTHOFR.*

(b) An Conſulari Numidiæ? dixi ad *leg. ſup.* *ID.*

(c) An per appellationem pendente? an, vel per relationem promiſſam? *ID.*

(d) *Niſi vel actorum communium, vel pronunciationis editio denegetur*, ita *Cod. Iuſt.* reciſis reliquis omnibus vsque ad ea, *Qui terminatam*. *ID.*

(e) *Opinionis*, id eſt ſententiæ, *h. l.* & *l.* 8. 9. 14. *inf. h. t.* nempe vbi cauſa ad Principem deuoluta erat per appellationem, & ſic appellatione ſuſpenſa non iam *ſententia* dicebatur, ſed *Opinio*. *ID.*

(f) Id eſt ſupplicatione, vt *initio*, & *fine legis*. *ID.*

* Hinc rurſum pergit *lex 2. C. Iuſt. vt lite pendente.* Qui autem terminatam reſcripto &c. *ID.*

(g) *Aduerſario ſuo protinus condemnetur*, ita *Cod. Iuſt.* *ID.*

(h) *Et ſub Sacramenti obſeruatione:* hæc omiſſa a Triboniano, de quibus mox. *ID.*

(i) De hac ſubſcriptione dixi ad *leg.* ſuper. *ID.*

COMMENTARIVS.

P. 117. SVPPLICARI PENDENTE CAVSA ſeu LITE Conſtantinus M. *h. l* vetat: pariter vt *ſuperiore conſtitutione*, (quæ *huic* coniungenda eſt) quidquam a Iudice noui fieri prohibet, & ipſum rurſum confirmat *l 8. inf.* ſed & TERMINATAS, lites Reſcripto Principis (ad Conſultationem, id eſt relationem factam emiſſo) ſupplicatione rurſum refricari *hac eadem l.* vetat: quod & ipſum tribus aliis *legibus* repetit, *d. l. 8* & *l. 9 11. inf.* Denique Conſtantinus M. Iuris religioſiſſimus Princeps litiumque fugitans, & Appellationum, & Relationum ad Principem Reſcriptorumque religionem modis omnibus fundatam munitamque *his quoque ll.* iuit.

Appellationum inquam & Relationum, dupliciratione: nempe 1. vetito apud, vel per Iudicem quod fieri pendente appellatione, quæ ſuperioris *legis* ſententia eſt: Principi ſupplicare vetitis litigatoribus cauſa pendente: quæ *huius l. in pr.* ſententia eſt: cauſa, inquam, pendente (quod *ſuperior lex* oſtendit, neque Accurſiani ſatis intellexerunt in *l. 2. C. Iuſt. vt lite pendente:* quæ hinc deſumpta eſt, itemque *d. lex 8. infr.)* ſiue per appellationem factam a litigatoribus, ſiue per promiſſam a Iudice Relationem: Nempe duabus his rationibus *cauſa pendet*, atque in ſuſpenſo eſt: Appellatione nimirum litigatorum, & Relationis a Iudice promiſſione. Igitur vbi ſemel aut litigatores appellarunt, aut Iudex relaturum ſeſe ad Principem promiſit, vt apud Iudicem nihil attentari poteſt (de quo *l. ſuper.*) ita nec apud Principem, ſupplicatione forte oblata, verum ſuo Marte ha[illegible] decurrere oportet. Proinde lite ita pendente, hinc transfuſum eſt: idemque proditum, *l. 4. D. de appellat. recip.* Supplicanti alioquin pœnam hanc imponit Conſtantinus, vt æſtimationem dimidiæ partis eius quo de agitur fiſco inferre cogatur.

Et tamen Idem, vt iniuſtæ ſupplicationi occurrit, ita exceptione addita iuſtiſſimæ locum adhuc relinquit: puta ſi appellatione facta vel Relatione promiſſa, Iudex Relationis (quæ *hic* & *l. 8. 9. 14. inf. Opinio* vocatur) exemplum litigatori denegauerit, vel ſi non Inſtructionem vniuerſam ſeu plenam transmiſerit, quod vtrumque eum facere pariter oportet, ex eodem Conſtantini M. iure; *l. 1.* & *5. 8. 9. h. t.* Quod quidem Tertium notandum eſt Conſtantini inſtitutum, & caput ad fundandas bene inreque Relationes, atque adeo bene ſundanda, quæ ad eas procedunt, reſcripta. Primum ſcil. fuit, editio Relationis & Refutatoriorum; Secundum, eorum cum Geſtis omnibus ad ſcrinia transmiſſio: Tertium, hoc nunc eſt, ſupplicationis videl. remedium, alterutro non præſtito, vel ſi quid aliud poſt receptam appellationem impedimento factum fuerit, *l. 4. D de appell. recip.*

Et hæc quidem de bene fundato, a Conſtantino M. vt appellationum, ita & nouo Relationum iure: Nunc (quod ſecundum *huiuſce l.* caput eſt, & quo præſtruebatur, exacta omnis illa Relationum forma) de ipſorum Reſcriptorum, quæ ad huiusmodi Relationes ſeu conſultationes procedunt, vi, auctoritate & religione; Nempe terminatam ad huiusmodi Relationes Reſcripto quæſtionem amplius refricari quocunque ſuffragio, veluti per ſupplicationem: vetat *h. l.* Conſtantinus M. & *l. 8. 9. infr.* quinimo & *l. 3. ſup. de diu. reſcript.* & quidem ſub pœna æſtimationis totius litis. Maius ſcil. crimen admittit, qui terminatam iam, & quidem legitima Principis cognitione ſeu Reſcripto quæſtionem refricare nititur; quam qui in pendentis tantum litis præiudicium aliquid facere nititur: Quare hunc æſtimatione tantum dimidiæ partis litis multari voluit, illum totius litis. Et huc pertinet egregius Symmachi locus quem Interpres intactum reliquit *lib. 10. ep. 62. Adiecta eſt alia* (contradictio ſeu exceptio) *plena iuris atque rationis; quod poſt crebras cognitiones* & RESCRIPTA AD RELATIONEM *numeroſa*, POENAM *Legis inciderint, qui denuo* CONTRA *vetitum* SVPPLICARVNT. *Extant quippe ſententiæ, quas cum prouocatio tentaſſet inhibere*, CONSVLTVS RELATIONE *Diuus Genitor clementiæ veſtræ* (Valentinianus Sen.) *finem poſuit* QVÆSTIONI. Qui locus & re & verbis *huic legi* prorſus reſpondet,

Reſcriptum igitur ad Conſultationem Iudicum emiſſum *retractari* non poteſt: emiſſum inquam ad eam & exactam conſultationum formam, quæ ſane nullum querelæ locum relinquere poteſt; quod etiam indicat *lex 9. 11. inf. h. t.* cuius eadem eſt ſententia. Addenda & *lex 34. inf. C. Iuſt. h. t.* vbi trans-

tranſpoſitis verbis legendum, *prouocationem contra eam ſententiam.* Atenim ante eum & diligentem a Conſtantino M. introductum Relationum ordinem formamque, cum nudæ videl. Iudicum Relationes ad Principes perferrentur, non litigatoribus ante communicatæ, non refutatoriis inſtructæ, non geſtis omnibus ſociatæ, querelæ locus adhuc iure ſuperfuit. Quam in rem textus eſt ſingularis *l. 1. §. 1. D. de appellationib.* & *l 2. C. Iuſt. de appellat.* Nempe quia Magiſtratus facile hac ratione tum reſcripta per mendacium elicere potuere. Quod Conſtantiniana forma obſeruata, euenire haud æque potuit. Atque ita hæc *lex*, ſeu *d. l. 2. Cod. Iuſt. vt lite pend.* cum *d. l. 1. §. 1. D. de appellat.* concilianda venit, non vt faciunt alii. Quinimo & iam olim ante *Conſtantinum*, ſi iudex exemplum litterarum, id eſt, Relationis & conſultationis, litigatori *vltro* (non ex iuris ordine aut neceſſitate) edidiſſet, neque is ab ea appellaſſet, id eſt eam Relationem non refutaſſet, verum ei adquieuiſſet, tanquam vera forent quæ ſcripta eſſent, ſi poſtea contra eum reſcriptum fuiſſet, appellare amplius non poterat, *l. vlt. D. quando appellandum ſit.* Nam quod Noui IC. conſultationem a Relatione hic diſtinguunt, inanes ſunt, cum vtrumque idem ſit; verum inter Relationum formam veterem, & Conſtantinianeam vel poſteriorem diſtinguendum omnino illis fuit. Et inanius eſt adhuc, quod argumento adiiciunt, non potuiſſe olim appellari a conſultatione, & ita accipiendam *d. l. vlt. D. quando appell.* Inanius inquam adhuc; diſtinguendum enim inter ipſam relationis ſeu conſultationis promiſſionem, & inter tenorem relationis ſeu conſultationis; Ab ea promiſſione appellari non
P. 228 potuit neque litigator impedire ante ſententiam potuit, quo minus Iudex ad Principem referret: & hæc eſt ſententia *d. l. 1. §. 2. D. de appell.* Atenim a tenore relationis appellari potuit, *d. l. vlt.* Denique inaniſſimum eſt argumentum *l. 1. Cod. Iuſt. de Relationib.* (quæ *hoc Codice* eſt *lex 2. ſup. de relat.*) cuius ſententia longe alia.

Et vero tanta deinceps auctoritate ea Reſcripta ad huiuſcemodi conſultationes emiſſa cenſita fuere: vt legum, & quidem generalium & Edictorum inſtar iam haberentur, atque aliis aptarentur negotiis. Quod periculoſum poſtea ſatis viſum; ideoque Arcadio prohibere placuit: Anno D. 398. *l. 9 ſup. de diuerſ. reſcript. Reſcripta*, inquit, *ad Conſultationem emiſſa, vel emittenda in futurum, iis tantum negotiis opitulentur, quibus effuſa docebuntur.* Sed & Valentiniano III. *l. 2 Cod. Iuſt. de legib.* cum ſingulari Oratione (cuius ea *lex* pars eſt) ad Senatum, Iuris *ἀνάκρισιν* inſtitueret.

Cœterum quod *hac leg.* dicitur, *terminatam Reſcripta vel Conſultatione quæſtionem:* id ita accipiendum eſt, nempe reſcripto terminatam ad Conſultationem. (vid. *l. 9. & 11. inf.* cuius eadem ſententia) Retractari reſcripta, quæ ad opiniones vel etiam Relationes Iudicum data, non oportere. Nempe Conſultationi (tanta illa præſertim Conſultationis ſolemnitate a Conſtantino M. introducta) recte tribuitur quæſtionis deciſio, quæ Reſcripto alias quoque tribuenda eſt: nempe quia ex conſultatione ſeu ad conſultationem reſcriptum proceſſit. Nam & ita *appellatione terminata quæſtia* dicitur, quæ ex appellatione ſeu ad appellationem terminata. Quare Cuiacii ſententiæ non accedo, qui *Conſultationis* verbum hic accipit, pro conſultatione quæ fiebat, ad Relationem apud conſilium Principis, verum conſultatio hic & relatio idem ſunt: vt paſſim *hoc titulo*, & ſuperiore, & *leg. 9. ſup. de diuerſ reſcriptis.* Neque alio ſenſu vox *Conſultationis* accipienda eſt *l. 32. 37. Cod. Iuſt. de appellationib.*

Vnum *hac leg.* inueſtigandum ſupereſt, quidnam ſibi velit Conſtantinus M. his verbis: *ſub ſacramenti obſeruatione*, quæ aliquamdiu me torſerunt. Verum hiſce proculdubio verbis Conſtantinus M. ſacramenti ſeſe religione obſtringere pro more ſuo videtur. Nempe veniam ſe ſe nulli daturum deierat, qui auſus fuerit refricare litem terminatam Reſcripto ad Conſultationem emiſſo. Ita quoque idem Conſtantinus M. pulcherrimo ſanctiſſimoque iureiurando ſe ſe obſtringit, aureo Edicto *l. 4. ſup. de accuſat. Ita mihi ſumma diuinitas ſemper propitia ſit, & me incolumem præſtet, vt cupio, feliciſſima & florente Republ.*

Citra LIBELLVM, *voce ilico appellari poſſe.*

VII. (a) Idem A. ad Baſſum P. V. (b)

LITIGATORIBVS copia eſt, etiam non (c) conſcribtis libellis, ilico appellare voce, cum res popoſcerit iudicata (d), Dat. VIII. Id. Iun. Sirmio, Gallicano & Baſſo Coss. [317.]

NOTAE.

(a) *Lex 14. C. Iuſt. eod. tit. GOTHOFR.*

(b) Meminit *Baſſi* huius Præfecti V. hoc anno Auctor peruetuſtus *de Præfectis Vrbi. Ex die XIII. Cal. Mai. Gallicano & Baſſo, Id. Maii Septimius Baſſus Præfectus V. fuit.* Quare & emendanda ſubſcriptio *legis 1. ſup. ad leg. Iul. de vi publica & priuata.* v. plura in *Proſopogr. ID.*

(c) *Non ſcriptis*, Cod. Iuſt. *RITTER.*

(d) *Tam in ciuilibus, quam in criminalibus cauſis*, additur Cod. Iuſt. *ID.*

COMMEN-

COMMENTARIVS.

NON LIBELLIS tantum oblatis, verum & voce ILICO appellare licere definit *hac leg.* Conſtantinus M. Hinc aden *vocem Prouocationis* & *libellum* ſub alternatione coniungit *lex 40. inf.* De libellis alioquin appellatoriis vide quoque *legem 2. ſup.* & *l. 22. 56. inf.* Appellationis ilico & vſum & formulam retinet hodie Francia, ſed & reſcripta de ilico a Principe impetrari ſolent ab his, qui iuſta aliqua de cauſa ilico appellare non potoerunt: vide & *l. 2. & 5. §. vlt. D. h. t. de appellat.*

P. 219. *De* OPINIONE, *ſeu* RELATIONE, *tranſlata ad Principem cauſa, exhibenda, &* REFVTATORIIS *offerendis, tranſmittendis vna cum geſtis ad Principem: & ne quid* ATTENTETVR *pendente appellatione, vel aduerſus* RESCRIPTA.

VIII. (a) Idem A. ad Baſſum P. V. (b)

MANENTE lege †, qua præſcribtum eſt, intra quot dies Opinionis (c) ſiue Relationis exemplum priuatis Iudex debeat exhibere, & Refutatorii libelli intra quot dies rurſum (d) Iudicibus offerendi ſunt, tam in priuatis, quam etiam in fiſcalibus (e) cauſis, ex eo die quo fuerit Quæſtio terminata (f), vel ex quo Relationem Iudex per ſententiam promiſerit, intra viceſimum diem quæcumque ad inſtructionem (g) pertinent cauſæ, ad Comitatum noſtrum properantiſſime volumus adferri. Quod niſi factum fuerit, ab vniuerſo Officio (h) viginti transactis diebus, quos poſt latam ſententiam placuit ſupputari, intra viginti alios dies qui ſequuntur, tantum fiſco noſtro præcipimus inferri, quanti per æſtimationem Rationalis (i) emolumentum litis, (cuius ſuppreſſa fuerat inſtructio,) fideliſſime potuerit æſtimari. Cui capitale ſupplicium imminebit, ſi rigorem legis quocumque modo mollire (k) temptauerit. Eadem * pœna Officio imminente, ſi quando Appellatione, vel Conſultatione pendente, vel poſt deciſas noſtris Reſponſionibus (l) cauſas, ei quod vllo modo fuerit impetratum (m), damnabilem voluerit conhibentiam commodare: Nam decreta noſtra debet ingerere (n) Iudicanti, aut ipſo etiam diſſimulante Iudice, reluctari, & tanquam manibus iniectis (o) eos de iudicio producere, ac Rationum (p) Officio traditos, ſtatuti prioris † nexibus obligare, quorum deſideriis violari noſtras proſpexerit ſanctiones. PP. IV. Kal. April. Rom. Conſtantino A. V. & Licinio Cæſ. Coss. [319.]

NOTAE.

(a) Abeſt hæc *lex* a *Cod. Iuſt.* quæ & *ſuperiorum* nonniſi ferme eſt repetitio. *GOTHOFR.*

(b) Fuit hic *Baſſus* biennium integrum Præfectus V. & quod excurrit. Vid. *Notitiam* apud Cuſpinianum: & *Proſopogr. ID.*

† Intelligit *legem* 1. *ſup. h. t.* quæ huius materiæ fundamentalis eſt. *ID.*

(c) *Opinionis*, id eſt ſententiæ. Vide & *leg. 6. ſup. l. 9 14. inf. ID.*

(d) Viceuerſa. *ID.*

(e) Vide quæ dixi ad *l. 1. ſup. ID.*

(f) Per ſententiam, & ab ea ſententia appellatum. *ID.*

(g) Vide pariter *legem* 6 *ſup.* & *l* 9. *inf.* & mox hac ipſa lege. *ID.*

(h) Id eſt Officialibus Iudicis. *ID.*

(i) *Rationalis*, officii ſcil. vt mox. *ID.*

(k) De hoc vide & *leg vlt. ſup. de vi*: & *leg penult in f. inf. de haret.* vbi plura. *ID.*

* Secundum *huius legis* caput, cuius eadem ſententia, quæ *legis* 5. 6 *ſup ID*

(l) *Reſponſionibus*, id eſt Reſcriptis, *l 6. ſup.* & *l 9. ſup de diuerſ. reſcript. ID.*

(m) A Iudice. *ID.*

(n) De hoc iam ſæpe *alibi* dictum. *ID.*

(o) Enallage numeri. *ID.*

(p) Id eſt Officialibus Rationalis. *ID.*

† Puta *legis* 6. *ſup. ID.*

COMMENTARIVS.

DE RELATIONIS vel OPINIONIS edendæ, REFVTATORIORVM offerendorum, tempore, *legem* ſuam, puta *l. 1 ſup.* Conſtantinus M. confirmat. Mox & TRANSMITTENDIS iis vna cum geſtis ad Principis Comitatum tempus præſtituit, puta viceſimum diem a ſententia vel rela-

relatione promiſſa, id eſt intra dies quinque a refutatoriis oblatis, ita quidem, vt ſi intra eos xx. dies Officiales Iudicis ea non transmiſerint, Rationalis Officiales intra xx. alios dies, æſtimatione litis eos multare debeant. Et ſic xx. dies transmisſioni præſtituti, totidem pœnæ exigendæ per Rationales, vt ita par temporis ratio ſit officio exſequendo, quæ pœnæ exigendæ; ita quidem, vt quemadmodum Officiales Iudicis, niſi intra xx. dies geſta transmiſerint, multantur; ita pariter ſi pœnam intra alios xx. dies Officiales Rationalis non exegerint, capitali ſupplicio eis Conſtantinus M. *hac leg.* minitatur. Adeo, *litium* finiendarum ſtudio exarſit, adeo breuitate lites conſtrinxit: quod & voce *properantiſſime*, indicatum voluit. Verum poſtea xxx. dies præſtituti *l. 29. 31. 32. 34. 65. inf. h. t.*

Altero capite *huiuſce leg.* pariter confirmatur *lex 5. & 6. ſup.* nempe PENDENTE appellatione vel relatione, item aduerſus RESCRIPTA ad conſultationes emiſſa quid attentari vetat. De quo ad eas *leges* pleniſſime dixi.

Singularia porro *hac leg.* quamplurima occurrunt alia, præter iam notata. Primo de *Rationalibus*, eorumque Officialibus, quod Iurisdictionem in Officiales Iudicum tribuit Conſtantinus ad exigendam & æſtimandam multam his impoſitam in *ſp. huius leg.* quod abrogatum *l. 33. inf.* Secundo, p. 130.
quod vetantur propoſita pœna capitali *rigorem legis quocunque modo mollire.* quod interdictum & aliâs Iudicibus de quo ad *l. 4 ad leg. Iul. de vi & ad leg. 65. de haret.* Poſtremo, cum varia loca occurrant *de Officio Officialium iudicum:* quo debebant *Leges* Iudicibus ingerere, Iudicibusque quid contra *Leges* admittentibus reluctari, hæc *lex* in id omnium maxime egregia & eximia eſt: cui pariat & *l. 34 in f.* in hac ipſa re. v. & *l. 29. l. 58. 59. 64. infr.* & *l. 13. 16. inf. quorum appell.*

De GESTIS *ſeu inſtructionibus omnibus ad Principem mittendis, cauſa ad eum translata ex appellatione vel aliter.*

IX. (a) Idem A. ad Seuerum (b) Vicarium.

NE cauſas, quæ in Noſtram venerint Scientiam, rurſus transferri ad iudicia neceſſe ſit, inſtructiones (c) neceſſarias plene Actis inſeri præcipimus: Nam cogimur a proferenda ſententia temperare, qui (d) ſanximus † *retractari Reſcribta noſtra ad Opiniones, vel etiam Relationes Iudicum, data non oportere:* quoniam verendum eſt, ne lis incognito negotio dirimatur, adempta copia conquerendi. Quare perennibus iuuetur Iudex notis, ſi cuncta quæ litigatores inſtructionis probationisque cauſa recitauerint, indita Actis, vel ſubiecta, non potuerint inueniri. Dat. X, Kal. Iul. Aquil, Conſtantino V. & Licinio Cæſ. Coss. [319.]

NOTAE.

(a) *Lex 15. Cod. Iuſt. eod. tit.* GOTHOFR.

(b) Eidem *Seuero* inſcribitur, dignitate non addita *lex 2. ſup de maternis bonis*, quæ eosdem COSS. prafert. Eum vero Vicarium Illyrici fuiſſe ſuſpicatur Blondellus *de Primatu in Eccleſ. p.* 313. cuius cauſas non addit. *ID.*

(c) Ita pariter *fine huius leg.* & *leg.* 6. & 8. *ſup h. tit. ID.*

(d) Hæc ſententia, vsque ad *verſ. Quoniam*, a Triboniano reciſa eſt. *ID.*

† *Leg.* 6. & 9. *ſup. h. tit. ID.*

COMMENTARIVS.

GESTA omnia, ſeu INSTRVCTIONES omnes cauſæ Actis inſeri, & inſerta ad Principem, Opinione vel Relatione facta, (id eſt translata cognitione cauſæ ad Principem vel Relationem vel Appellationem) transmitti plene iubet *hac l.* Conſtantinus M. Quod & ipſum ab eodem conſtitutum iam *l. 1. 5. 6. 8. 9. ſup.* de quo plenius ad *leg. 35. inf.*

Cuius rei *rationem* ſeu cauſam duplicem aſſignat, ab Abſurdo petitam: quia vel neceſſe habebit Princeps ob defectum Inſtructionum neceſſariarum cauſam ad iudicia transferre, ſeu rurſum ad Iudicem remittere: vel ſi incognito forte negotio lis ab eo dirimatur, cum euidentiſſimo litigatorum damno id fiat & irreparabili: Quandoquidem Reſcripta Principis retractari iam ipſe probibuerat: *l. 6. 8. ſup.* Adempta ſcil. conquerendi copia, vt hæc *lex* loquitur, ſeu alicuius rei retractatione prohibita, eo maior cautio circa eam, inſtructioque adhibenda eſt. Quod Accurſiani ex *hac l.* recte notant.

Et hæc quidem eſt *huius leg.* ſententia, quam non omnino cepit Rupanus *de Parlamentis lib. 13. c. 59. art. 63.* Et pœna, quod notandum, infamiæ perpetuæ, huic rei propoſita a Conſtantino M. pariter vt *leg. 24. 34. inf.* puta ſi iudex non omnia Geſta transmiſerit.

Quæ omnia rurſum argumento ſunt, quantopere, ſeu quam enixe Conſtantinus in hanc rem, cautum voluerit.

Et *hac* tandem *leg.* obiter ſpecialius apparet aliquid intereſſe inter *Opiniones* & *Relationes* Iudicum: nempe *Opiniones* proprie poſt ſententiam appellatione facta: & vero ita quoque diſtinguuntur *l 8. ſup.* Eodemque ſenſu vox *Opinionis*, ſumitur *l. 11. in fin.*

inf. Aliquando autem *Opinionis* vnce vtrumque ſignificatur, tam *Opinio* ſpecialiter dicta, quam Relatio: vt *l. 6. in pr. ſup.* & *l. 5. ſup. de relation.* quando & *Conſultationis* vox modo ſpecialius pro Relatione accipitur, vt *l. 3. 4. ſup. de relation.* modo generalius non tantum pro Relatione, verum etiam pro ea, quæ fit poſt appellationem. Atque hoc ſenſu *hoc tit.* accipienda eſt.

De TEMPORE *appellationis a* NOMINATIONE.

X. (a) Idem A. ad Criſpinum....

SI quis per abſentiam nominatus (b), ad prouocationis auxilium cucurrerit, ex eo die interponendæ appellationis duum menſum (c) tempora ei conputanda ſunt, ex quo contra ſe celebratam nominationem didiciſſe monſtrauerit: Nam præſenti, qui factam P. 391. nominationem cognouit (d), & appellare voluerit ſtatim debet (e) duorum menſum ſpatium conputari. Dat. VIII. Id. Iulias, Conſtantino A. VI. & Conſtantio C. Coss. [320.]

NOTAE.

(a) *Lex 1. C. Iuſt. de temporibus & reparat. appell.* Concordat huic l. *lex 19. inf. h. t.* GOTHOF.

(b) *Vel ad Duumuiratus aliorumque honorum infulas, vel munus aliquod euocatus*: hæc Tribonianus *huic l.* inſeruit ex *l. 19. in h. t.* Recte. *ID.*

(c) Pro *menſium.* Vt & infra mox. In Cod. I. *duorum menſium.* *ID.*

(d) *Cognouerit*, Cod. Iuſt. *ID.*

(e) *Debent ſpatia*, Ita *Cod. Iuſt.* *ID.*

COMMENTARIVS.

DE Appellatione a NOMINATIONE eſt hæc Conſtantini M. *lex.* NOMINATIS ſeu *Euocatis* ſcilicet ad Curiam, ſeu ad Duumuiratum, aliorumque honorum infulas, vel munus aliquod, (quod a Triboniano recte additum) appellare quoque licet: de qua Appellatione, præter *hanc leg.* ſunt & *lex 12. 19. 53. infr. h. tit.* & *lex 2. 8. inf. de decurionib.* & *lex 8. inf. de reparat. appell.* & *lex 4. 7. 11. Cod. Iuſt. de appellat.* E quarum conſtitutionum numero obſeruandum eſt, *leg. 2. inf. de decurionib.* eidem *Criſpino* inſcribi cui *hæc* inſcribitur. Si videlicet nominatus iniuſtam nominationem eſſe putet: quanquam non tam appellatio hæc eſt, quam querimonia, *d. l. 12.*

Porro interponendæ appellationi *duorum menſium* ſpatium tributum iam olim, vt præter *hanc leg.* docet *d. lex 2. inf. de decurion.* Et vero a Conſtantino tributum *d. l. 2.* & hac conſtitutione, item a Conſtantio, *d. l. 19. inf.* Etſi *trium menſium* ſpatium eidem Conſtantino M. placuit, ad nominationes faciendas, ita & ad appellandum a Nominatione *l. 8. inf. de decurionib.* quæ prima eſt *Cod. Iuſtin. de magiſtr. municip.*

Cæterum quæri video, num *hac l.* accipienda ſit de interponenda tantum appellatione, quod vtique *hac lex* ſonare videtur: an vero de exſequenda etiam, capienda ſit? Quod poſtremum Accurſio placet, arg. *Authent. hodie, de appellat.* ex qua ſane intra X. dies interponenda appellatio eſt, quem ſequitur Cuiacius *Paratitlo de temporib. & repar. appell.* felicioribus argumentis, puta *arg. d. l. 19. inf. h. t.* vbi, *intra duos menſes negotia perorentur.* deinde *arg. l. 1. in f. D. quando appellandum & intra quæ tempora*, vbi *biduum* aut *triduum* tantum conceditur appellationi interponendæ: denique quia *hæc lex* in *Cod. Iuſt.* poſita eſt ſub *tit. de temporib. appellat.* qui ſane eſt de exſequendarum appellationum temporibus. Vera hæc omnia: Quibus accedat inſuper argumentum *legis 3. inf. de reparat. appellat.* ibi, *cuique duo ad* PERAGENDVM *menſes cauſarum vrgentium concluſione tribuuntur*: vbi & rationem vides, nempe cauſas has vrgentes eſſe, quas vtique concludi mature publice intereſt.

Cæterum vnde hi duo menſes, quod *huius leg.* proprium eſt, computandi ſint, *hac l.* definitur; nempe abſentibus, a die notitiæ, ex quo nominatos ſeſe didicerunt, currere; præſentibus, ſtatim a nominatione facta: quod & alias tralatitium eſt in temporibus computandis.

Denique quot dierum menſes hi ſint? vid. *l. 2. inf. de Decurionib.* vbi dicam plenius, indicata quoque *lege tot. D. de R. I.*

1. *De* RELATIONIBVS *ad principem, & Refutatoriis ad eum ſimul mittendis.* 2. *de* RECIPIENDIS *appellationibus.*

XI. (a) Idem A. ad Maximum (b) Poſt alia.

NEMO in Refutatione aliquid congerat, quod adſerere intentione (c) neglexerit. Quod quidem ſæpe fit induſtria, ſi quod quis probari poſſe deſperet, in præſenti diſceptatione diſſimulet, certus ſe eſſe reuincendum, ſi commenticia & ficta ſuggeſſerit. Propter quod cogi (d) etiam ſingulos oportebit, ad proferenda in iudicio vniuerſa, quæ

quæ ad ſubſtantiam litigii proficere arbitrantur, adque ea ratione vrgueri, vt ſciant ſibi ex auctoritate legis iſtius non licere Refutatoriis tale aliquid ingerere (e), quod apud Iudicem non auſi fuerint publicare. Nam * ſi plena, vt iubemus, adſertio per litigatorem in iudiciis exeratur, & integra inſtructio (f) in Conſulti (g) ordinem conferatur, ſtabit ratum (h), ac fidele, quod iudicia noſtra reſcribſerint: Neque vllus querimoniæ locus dabitur, nec occaſio ſupplicandi, vt conuelli labefactarique iubeamus, quæ ad Relationem eius ſanximus, qui neque vera, neque vniuerſa ſuggeſſit. Omnes (i) igitur partium allegationes, acta vniuerſa, ſcripturarumque exempla omnium dirigantur. Quod cum vniuerſos Iudices, tunc (k) præcipue Sublimitatem Tuam, qui cognitionibus noſtram vi-
p. 132. cem repræſentas, ſeruare conueniet. ** Sane etiam ex eo querimoniæ litigantium oriuntur, quod a vobis, *** qui imaginem principalis diſceptationis accipitis, appellationum adminicula reſpuuntur. Quod inhiberi neceſſe eſt. Quid enim aceruius (l) indigniusque eſt, quam indulta quempiam poteſtate ita per iactantiam inſoleſcere, vt deſpiciatur vtilitas prouocationis, Opinionis (m) editio denegetur, Refutandi copia reſpuatur? Quaſi vero appellatio ad contumeliam Iudicis, non ad priuilegium iurgantis, inuenta ſit: vel in hoc non æquitas Iudicantis, ſed litigantis debeat conſiderari vtilitas (n). Dat. Prid. Id. Ian. Sirmio, Criſpo II. & Conſtantino II. CC. Coss. [321.]

NOTAE.

(a) Abeſt hæc *lex* a *Cod. Iuſt.* Iungenda *illi* eſt *lex* 1. *ſup. de Iudiciis.* *GOTHOFR.*

(b) *P. V.* vt docet vetus auctor *Conſularium ac Præfectorum vrbis* apud *Cuſpinianum.* Vide quæ dixi plura ad *d. l.* 1. *ſup. de Iudiciis*, & in *Proſop.* *ID.*

(c) Id eſt *in diſceptatione*, vt mox dicitur, ſeu *in iudicio.* *ID.*

(d) Vide hanc in rem *d. leg.* 1. *ſup. de iudiciis.* *ID.*

(e) Et inſerere. *ID.*

* *Secunda* ſententia *huius legis.* *ID.*

(f) De hoc iam dictum *l.* 6. §. 9. *ſup. h. t.* *ID.*

(g) *Conſulti*, id eſt conſultationis, quomodo alias vocatur. *ID.*

(h) Vide nominatim de hoc *legem* 6. *ſup.* *ID.*

(i) V. *l.* 35 *inf.* vbi dico plene. *ID.*

(k) *γρ.* *Tum*, vt etiam habet Editio quartana. *ID.*

** *Tertia* huius *leg.* ſententia. *ID.*

*** Lex 16. *Cod. Iuſt. eod. tit.* hinc deſumpta eſt. *ID.*

(l) Id eſt acerbius. *ID.*

(m) *Opinionis* id eſt ſententiæ & Conſultationis, de quo pleniſſime ad *l.* 9. *ſup.* *ID.*

(n) Siue *Vilitas.* *ID.*

COMMENTARIVS.

VT IVDICIVM ſeu COGNITIO Principis, ad Iudicum *Relationes*, vel litigatorum Appellationes, tota integritate atque libertate procedere poſſit, diligentiſſime *hac l.* & *l.* 1. *ſup. de iudiciis* (quæ *huic* coniungenda eſt) cauit Conſtantinus M. & quidem *hac l.* triplici ſententia & ratione.

Primum enim, REFVTATORIIS (de quibus *l.* 1. §. 11. *ſup.* & *l.* 16. *inf.* & *l.* 5. *ſup. de relationib.*) a litigatoribus inſeri quid vetat, quod in intentione adſerere neglexiſſent, id eſt, quod in diſceptatione iudiciaria coram Iudice primæ Iuſtantiæ non adſeruiſſent, non publicaſſent, & allegare diſſimulaſſent. Quod tamen litigatores fraudulenter ſæpe feciſſe *h. l.* indicat; ſecurius videlicet iam refutatoriis inſerentes a iudiciorum oculis ſubmoti, quæ ſi in iudicio protuliſſent, nullo labore reuicti ipſi fuiſſent, & prolata, velut commentitia & ficta, reprobata fuiſſent. Quod ad vſum hodie vtiliter & ad *Grauamina* quæ vocant traduci poteſt. Proinde, vt querelæ locus non ſit, neue litigatores ſeſe minus plene auditos obtendere poſſint, Iudici, vt *hac l.* ita vel maxime *d. l.* 1. *ſup. de iudiciis*, Id Conſtantinus M. inculcat: Vt crebro iudex litigatores interroget, vrgeat, *numquid noui reſideat, quod allegationibus annecti in iudiciaria contentione conueniat;* quod *cogendi* vocabulo etiam hic exprimitur: nempe *cogitur* quodammodo, qui & iuris ſui frequenter admonetur & frequenti iudicis commonitione vrgetur. Huic vero ſimile eſt, quod cauetur *l.* 52. *inf.* nihil ſub ſacri iudicii examine (id eſt in iudicio appellationis) de ea parte negotii definiri debere, de qua nihil in exordio, id eſt in prima inſtantia, apud Præſidem, aut inſtitutum fuerit, aut probatum.

Secundo, eodem quo dixi fine, *Geſta* omnia ad Principem vna cum Relatione mitti iubet, vt ita reſcriptum, quod exinde manauerit retractari amplius non poſſit; de quo iam aliquoties ab eodem Conſtantino M. cautum fuit: *l.* 5. 6. 8. 9. *ſup.* & *l.* 16. *inf.*

Poſtremo capite RECIPI appellationes ab omnibus Iudicibus iubet. Quo pariter pertinent eiuſdem Conſtantini M. *lex* 2. 4. *ſup.* *lex* 13. 15. 16. *inf.*

Etiam ab iis qui vice ſacra iudicant: ac nominatim in ſpecie *huius l.* a Præfecto vrbis. Nempe Præfecti vrbis, aliique qui vice ſacra iudicabant,(quod oſtendet etiam *d. lex 16*) in tantum hac tempeſtate proceſſerant, *ſeu* vt hic dicitur, *indulta poteſtate ita per iactantiam inſoleſcebant*: vt, quia vice ſacra cognoſcebant, a ſe ad Principem appellari haud facile paterentur: cui rei Conſtantinus M. mederi ſubinde neceſſe habuit, vt *hac l.* ita & *d. l. 16.*

Quare tria iam hinc notanda ſunt. Primo, Præfectum vrbi *vice ſacra iudicaſſe*, quod duobus etiam locis *hac l.* oſtenditur; *ſublimitatem tuam*, inquit, *qui cognitionibus noſtram vicem repræſentas*: Et rurſum, *a vobis qui imaginem principalis diſceptationis accipitis*: Quomodo & quinque præterea *Legibus hoc tit.* Puta, *l. 13. inf. ſi a ſententia prouocatum fuerit Grauitatis tuæ, cui noſtram vicem commiſimus, ſacrum auditorium expectari*, & *l. 15 inf.* (quæ & ipſa Præfecto vrbis inſcribitur) *ad auditorium Grauitatis tuæ, cui ad vicem noſtram delata iudicatio eſt*: & l. 44. *inf. h. t.* (Præfecto vrbis pariter inſcripta) *ad cognitorem ſacri auditorii*: & mox, *poſt iudicium ſacri examinis*: & *l. 49. inf.* ad Præf. vrbis. *ſublimi Eminentiæ tuæ ſacrum noſtri Numinis iudicium delegamus.* & *l. 61. inf. hoc tit.* ad Præfectum vrbis, *illuſtrem ſedem tuam, editis ex more Apoſtolis, ſacra vice audientiam præbere ſancimus*. Item *l. 3. infr. de reparat. appellat. ſuper qua diſceptatio non auditorii ſacri, ſed ordinariorum iudicum cognitione tractanda eſt.* Item *l. 2. ſup. de pactis*, ad Præfectum Vrbis pariter, *poſt ſententiam ſacri auditorii*: Symmachus etiam *lib. 2. ep. 30.* Præfectum Vrbis *ſacri Auditorii cognitorem vocat.* Vide & eundem *lib. 10. ep. 58.* Eodem inſcriptiones quoque veteres pertinent quæ tuur, in quibus Præfecti vrbis *vice ſacra iudicantes*, ſeu *iudices ſacrarum*
P. 233. *cognitionum* vocantur. Et quid mirum, ſi Præfecti vrbis vice ſacra iudicauere, cum & Proconſoles, Comites, Vicarii pariter vice ſacra iudicauerint, vt docuit iam *lex 3. ſup.* docebit & *lex 16. inſ.* & *l. 1. 2. inſ. de his qui per met. iud.* vt proinde grauis error ſit eorum qui tradunt, & in his quoque Cuiacius, *Imaginem principalis diſceptationis accipere*, hac *leg.* aliud eſſe, quam *vice ſacra cognoſcere*: Quos tot illa, quæ cumulaui, teſtimonia refutant: imo vel hæc ſola *lex*, quæ paulo ante hoc ipſum ſic aperte expreſſit, *Cognitionibus noſtram vicem repræſentas.* Et fatues ſunt, cum *imaginem* hic interpretantur, fictionem. Illud equidem fatendum, inter eos qui vice ſacra cognoſcebant, maioris meriti alios fuiſſe, minoris alios: maioris, inquam, Præfectos Prætorio, reſpectu Proconſulum, Comitum & Vicariorum, quorum vtique contemplatu idem Conſtantinus *l. 16. inf. h. t.* ait, *Præfectos Prætorio* SOLOS *vice ſacra* VERE *dicendos eſſe*: Proconſulum inquam Comitum & Vicariorum reſpectu: & non etiam Præfecti Vrbis. Grauis item illorum error eſt, qui, non vi Iuriſdictionis ſeu Præfecturæ ipſius, hoc appellationum ius Præfecto vrbi, in ſp. *huius legis* & *l. 13.* & *18. infr.* competiiſſe volunt. Verum extra ordinem id delatum: & ſic tanquam delegatos & commiſſarios extra ordinem ab Imperatore de his appellationibus iudicaſſe: verbis enim illis, quibus Præfecto Vrbis dicitur *commiſſum auditorium Principis*: vel *vice ſacra iudicaſſe*, non id indicatur, vicem Principis extra ordinem commiſſam, verum Præfectos vice Principis iudicaſſe, quod rem alioqui ad Principem pertinentem dignitates illæ exercerent: Quomodo & alii paſſim *vice ſacra iudicaſſe* dicuntur.

Secundo notandum ex *hac leg.* etſi ad Præfectum Vrbis appellaretur, tamen appellari adhuc a Præfectis Prætorio ad Principem licuiſſe: quod præter *hanc leg.* oſtendit præterea *lex 22. 30. inf. hoc tit.* & *l 2. ſeu vlt. inf. de his qui per met. Iudicis*: & forte *l. 2. inf. quorum appellat.* etiam quo tempore a PP. appellare iam non licebat. Atque hæc iuris veteris auctoritas dicitur, *dict. leg. 23.* Quod ſane confirmat decantata *lex 38. D. de minorib.* Et ſane hoc ius conſtitit ſeu durauit ſub Conſtantino M. quod hæc lex docet & forte *d. l. 2. inf. quorum appellat.* ſub Conſtantio, quod oſtendit *dict. l. 23. inſ.* & *dict. leg. 2. inf. de his qui per met. iudic.* Item ſub Iuliano Apoſtata, quod teſtatur *lex 30. inf. hoc tit.* Cum tamen a Præfecto Prætorio prouocare tum iam liceret, vt docet *lex 16. inf. h. tit.* Verum poſtea tandem non magis a Præfecto V. quam a Præfecto Prætorio appellari potuiſſe, docet *lex 20. inf. quorum appellat, non recip.* & *lex 2. ſup. de pactis*: & Symmachus *lib. 10. Epiſt. 55.* vbi *inuſitatam prouocationem* vocat a ſententiis Præfecti vrbis. Idemque teſtatur Theod. Balſamo, ad *can. 12. Antiochenum p. 442. Tom. I Pandect. Canon. Guil. Beuereg.* λέγουσί τινες, ὡς ἐπεὶ τὴν μὲν ἀπόφασιν τοῦ ἐπάρχου τῶν Πραιτωρίων, καὶ τὴν ἀπόφασιν τοῦ δὶς γεγονότος ἐπάρχου τῆς πόλεως, οἱ νόμοι ῥητῶς διορίζονται, μὴ ὑποκεῖσθαι ἐκκλήτῳ. *Dicunt nonnulli, quod quoniam ſententiam Præfecti Prætorio, & ſententiam eius, qui bis fuit Præfectus vrbi, leges aperte ſtatuunt appellationi non ſubiici.* Vt ex his appareat, quam temere nonnulli aſſerant, *nuſpiam* id reperiri, a P. V. appellari non potuiſſe. Et tamen ſub Zenone poſtea ab eo appellatum fidem facit *lex 12. §. 7. verſ. quod autem, C. I. de ædific. priuat.*

Tandem ex *hac leg.* obſeruandum, quod de appellationum inducendarum cauſa eleganter *fine legis* notatur; nempe, *Vtilitatem prouocationis*, ſeu *appellationem ad priuilegium iurgantis inuentam eſſe*, neque ideo contumeliam Iudicis reſpicere; ſeu litigatorem non ideo contumeliam Iudici inferre, quod ab eo appellet: cum in hac re, ſpectanda ſit æquitas Iudicantis, bene an male iudicauerit, non vero contemptim habenda ſeu ſpernenda ad Iudicis poteſtatem & maieſtatem comparata litigatoris *vilitas.* Ita enim hunc locum & obſcurum accipio, & corruptum reſtituo; *vel, in hoc non æquitas Iudicantis, ſed litigantis debet conſiderari vilitas.* Subſtituta ſcil. voce *vilitas* loco *vtilitas.* Quæ vocum immutatio & alibi notata.

A NOMI-

A NOMINATIONE *non appellationem, ſed querimoniam dici oportere: & ideo* TEMPORA *appellationum hic non ſeruanda.*

XII. (a) Idem A. ad Florentinum (b).

SI nominatus Magiſtratus (c) aliquis refragetur, non *Appellatio*, ſed *Querimonia* (d) hoc dicetur: *Appellationis* enim verbum, in maioribus rebus dici oportet. Similiter & ſi ad Exactionem annonariam (e) nominatus, de iniuſtitia (f) queratur, non *Appellatio*, ſed *Querela* hoc eſſe videbitur. Ideoque, nec tempora appellationum ſeruanda ſunt, ſed mox ſuper huiusmodi querimoniis diſceptandum. Dat. Id. April. Conſtantinop. (g) Seuero & Rufino Coss. [323.]

NOTAE.

(a) Abeſt & hæc *lex* a *Cod. Iuſt.* Iungenda autem illi *lex* 8. *inf. de decurionibus:* quæ etiam argumento huic reſpondet. *GOTHOFR.*

(b) Florentium, *d. l.* 8. An autem hic eſt Florentius Rationalis, cui inſcribitur *A.* 320. *lex* 1. *ſup. de cuſtodia reor.*? Id ſuadet, quod de *exactione annonaria*, hic & *d. l.* 8. dicitur. *ID.*

(c) Ita pariter *dict. leg.* 8. *decuriones ad Magiſtratum nominari* &c. *Magiſtratus* autem pro Duumuiratu, vt *lege* 19. *inf. ID.*

(d) *Querimonia.* Hac ipſa voce etiam vtitur *d. l.* 8. *ID.*

(e) Ita pariter *d. lege* 8. *ad exactionem annonarum nominari. ID.*

(f) Ita contra *d. l.* 8. querimonia iuſta. *ID.*

P. 334. (g) Ita quidem etiam *d. l.* 8. Atenim vox hæc expungenda eſt: Nondum enim *Conſtantinopolis* hoc tempore fuit: ſeu Byzantium nondum *Conſtantinopolis* dicta fuit. Et error eſt cuiusdam nuperi Scriptoris, qui hic loco *Byzantii* ab huius *Codicis* Conditoribus nomen *Conſtantinop.* ſubſtitutum ait. *ID.*

COMMENTARIVS.

DE NOMINATIONE ad monera publica, & nominatim ad Duumuiratum, & Exactionem annonarum, deque Appellatione ab ea, eſt hæc Conſtantini M. conſtitutio: de quo fuit quoque *lex* 10. *ſup.* erit inſuper *lex* 19. & 53. *inf.* ſunt & aliæ *leges* quas ad *d. l.* 10. cumulaui. Huic igitur Appellationi, proprium prius nomen tribuit, deinde, quo illud præſtruebatur, perſequendæ illi certum breueque tempus præſtituit. Nempe ait, hanc appellationem a Nominatione, non *appellationem*, ſed *querimoniam* dicendam: *Appellationis* enim verbum in maioribus rebus dici oportere: cuiusmodi eſt res iudicata: vbi res pecuniaria, exiſtimatio, vel capitis cauſa vertitur: non vbi de nuda nominatione ad Magiſtratum vel exactionem annonarum, in quibus nonniſi de munere perſonali agitur. Sane & cœteroquin inter *Querelam*, & *Appellationem* intereſt; Omnis quidem Appellatio, Querela eſt, *lege* 17. *D. de minoribus:* at non omnis Querela, Appellatio. Nam & ciuitatum quoque in commune querelæ eſſe poſſunt, de cuiusmodi querelis eſt inſignis Statii locus, quem in *Apolytico* expendo. Item, a qua ſententia ſæpe appellare nil opus eſt, querela tamen opus eſt: *l.* 3. *C. Iuſt. quomodo & quando Iudex.* Ita igitur & *hac leg.* querela appellationi opponitur.

Neque tamen nuda nominis ratio, de qua alioquin haud adeo laborandum foret, Conſtantino in *hac leg.* propoſita fuit, verum eo fine vt exinde eliceret, *Tempora appellationum* hac parte non eſſe ſeruanda; ſed ilico ſuper huiusmodi querimoniis diſceptandum: Nempe vt ita, ſi iuſta ſit querimonia, iniuſtaque nominatio, ſine impedimento aut dilatione alius ſubrogetur; quod expreſſe *huic leg.* ſubiectum erat, vt docet *lex* 8. *inf. de decurionib.* quæ *huic* coniungenda eſt.

Scilicet qui Nominati erant, tempora appellationum obſeruabant, & ſic querimonias ſuas protrahebant: Et vero iure protrahere hactenus potuerunt, ſpatio videl. duorum menſium, vt docuit *lex* 10. *ſup. h. t.* docebit & *lex* 19. *inf.* Verum id nunc diſplicet Conſtantino M. propter publicam videlicet vtilitatem: Atque vt omnem ſcrupulum eximeret, quod alias appellationum perſequendarum ſtata quædam tempora ſunt, & eſſe debent, illud præmonere & præmunire voluit, *Querelam* hanc, non Appellationem eſſe: quare, non vt appellationi ita huic querelæ quoque moratoria tempora præſtituenda: ac maxime, cum ex facili huiusmodi Querelæ diiudicari poſſint; aliter atque alia cauſarum genera, quæ maiorem requirunt indaginem, & ideo *maiores res* eas hic vocat: Quicquid ſit, reditum tamen poſtea ad ius antiquum Conſtantii *l.* 19. *inf. h. tit.* qua anterior *lex* 10. *ſup.* reducitur.

FACTA *appellatione a Iudicibus, ſub Præfecto vrbi conſtitutis, ad Principem non* REFERENDVM.

XIII. (a) Idem A. ad Iulianum P.V. (b)

NONNVLLI Iudicum inferioris gradus a ſententiis ſuis interponi prouocationis auxilium ægre ferentes (c), id efficiunt, vt nobis eorum Relationes non neceſſariæ, & inſolentes, ingerantur. Igitur volumus, cum ab eorum ſententiis fuerit prouocatum, ſuper ea quæſtione, cuius appellatione interpoſita Iudices eſſe deſierunt (d) minime eos ad Noſtram referre Clementiam, ſed Grauitatis Tuæ, cui noſtram vicem (e) commiſimus, ſacrum auditorium expectari. Dat. III. Non. Aug. (f) Heracleæ, Conſtantino A. VII. & Conſtantio C. III. Coss.

NOTAE.

(a) Abeſt hæc *lex* a *Cod. Iuſt.* Iungenda autem illi eſt *lex 17. Cod. Iuſt. eod. tit.* Neque enim aſſentior exiſtimantibus, *legem* illam ex *hac* interpolatam, vt ex huius *legis* ſententia mox liquebit. Concordat etiam *huic l.* maxime *lex 2. ſup. de relationib.* præter quamplurimas *huius tit.* leges: puta *lex* 2. 4. 11. *ſup. lex* 15. 16. *inf.* GOTHOFR.

(b) *Anitii Iuliani* P. V. huius meminit quoque A. 326. Auctor Ignotus *de Præfectis vrbi*, ſed & duobus Conſulatibus ſequentibus. V. quæ notaui ad *l. 2. ſup. de Prætorib.* Eidem inſcribitur *lex 18. inf.* ID.

(c) Vid. quæ notaui ad *l. 4. ſup.* ID.

(d) Semel. ID.

(c) V. quæ fuſe notaui ad *l. 11. ſup.* ID.

(f) Atqui auctor Ignotus de Præfectis Vrbi, Anitium Iulianum ab Idibus Nouembris A. D. 326. tantum Præfectum vrbis facit? Itaque hic repono *Conſtantium A* VIII. *& Conſtantinum* IV. COSS. in cuius *Conſulatu*, VII. *Id. Septembr.* hic Anicius Iulianus PV. fuit: auctore eodem *Notitiæ* Scriptore: & ſic referenda hæc *lex* ad An. 329. vel certe ad 327. *ID.*

COMMENTARIVS.

P. 135. RECIPERE Iudices Inferioris gradus, appellationes ad Præfectum vrbis ac non etiam ad Principem referre, atque huiuſcemodi Relationib. appellationes interturbare, hac rurſum Conſtantini M. conſtitutione iubentur: pariter vt *l. 2. ſup. de relationib. l. 2. & 4 ſup.* (& *aliis infra*:) vbi & de ratione & occaſione, quæ hic nominatim exprimitur, ſed & de Præfecto Vrbis, qui vice ſacra iudicauit, *l. 11. ſup.*

Quod huic *legi* ſpeciale eſt, id tantum nunc ſectemur. Ex *hac* nempe *lege* liquet, a Iudicibus inferioris gradus ad Præfectum vrbis appellatum fuiſſe hac Conſtantini M. tempeſtate. Quinam autem hi *Iudices inferioris gradus* accipiendi ſint? diſquirendum. Id vero *lex 17. Cod. Iuſt. de appellationib.* (quæ *huic* coniungenda eſt, non vero vt nonnulli cenſent, ex *hac leg.* interpolata:) de Prætoribus accipiendum docet: *Si apud vtrumque*, inquit, *Prætorem dum quæſtio ventilatur, ab aliqua parte auxilium prouocationis fuerit obiectum, Præfecturæ vrbis iudicium Sacrum appellator obſeruet.* Vbi *vterque Prætor*, eſt Vrbanus & Peregrinus. Denique & ita apud Dionem ſuadet Mecænas Auguſto, *vt a Minoribus Magiſtratibus omnibus*, puta Prætoribus, Ædilibus, Tribunis plebis, *ad Præfectum vrbis appellationes deferrentur*, etſi id poſterius factum. Quare his opponit eodem loco Dio τοὺς μείζονας ἄρχοντας, puta Procuratores, Præſides Prouinciarum, Præfectum annonæ, Præfectum Vigilum, a quibus ad Ipſum Principem appellari idem ſuadet. Verum mihi mens ea, Iudices quoque Ordinarios ſeu *Rectores Prouinciarum Italiæ*, hic intelligendos; qui ſane ipſi Iudices ordinarii inferioris gradus fuerunt. Sane ante Conſtantinum, a Proconſulibus etiam & ab Ordinariis Iudicibus omnium prouinciarum ad Præfectum Vrbis factas appellationes loci docent conteſtatiſſimi apud Vopiſcum quatuor, quos in Coniectura & Vindiciis, & in *Apolytico* propius expendi. Quare vero proximum, immutata quamlibet a Conſtantino M. Magiſtratuum, atque adeo & appellationum forma, atque in his ſacra cognitione Proconſulibus, Comitibus, Vicariis tributa, atque ad hos appellationibus nonnullis decretis, quod iam docuit *lex 3. ſup. h. tit.* parte altera Præfectorum Prætorio dignitate aucta (de quo ad *leg. 16. 27. inf. & l. vn. ſup. de Præf. PP.* nonnullas adhuc prouincias Præfecto V. relictas, nonnullos Rectores Prouinciarum, atque adeo Iudices inferioris gradus, a quibus ad Præfectum V. appellaretur. Et ſane id confirmat *lex 27 inf. h. t.* vbi Conſtantius, Conſtantini filius, appellationes *ex Sardinia, Sicilia, Campania, Calabria, Brutiis, Piceno, Æmilia, Venetia, & cæteris*, quæ antea ad Præfectum V. fiebant, Præfecto Prætorio Italiæ adſignat: Quinimo & Caſſiodorus *deſignatas lege Prouincias* quaſdam fuiſſe ſuo quoque æuo teſtatur, de quibus ad Præfectum V. appellaretur.

Illud præterire non poſſum, *hanc l.* a nouis Cenſoribus peſſime nuper acceptam, triplici errore admiſſo. Primum aiunt, *hac l.* agi de appellationibus, quæ ad Principem fiebant; cum tamen in ea clare agatur de Relationibus ad Principem, & quidem perperam factis. Secundo, cum ſcribunt *hac l.* agi de appellationibus ab iis, qui a Principe aliis rebus occupato delegati, non ab ordinariis. Nam imo de ordinariis hic agitur, quæ ideo ad P. V. fieri debebant: quia huic vicem ſuam Principes commiſerunt, cui *noſtram*, inquit, *vicem* COMMISIMVS;

ſtᴍᴠѕ; quibus eludeodis noo oeceſſariæ & inſolentes Relationes ad Priocipem fiebant, *inſolentes*, id eſt contra ſolitum, & ſic ordinarium ius appellationum. Poſtremo cum adſerunt *hac l.* Præfecto V. appellationes deferri propter Principis occupationes: nam imo quia referri de his ad Principem non oportebat. Ergo ad Præfectum vrbis ordinario iure, appellabatur, non tanquam ad delegatum extra ordinem in peculiari quodam negotio, pariter vt *l. 18. inf.* quia ſcil. Præfectus Vrbi vi dignitatis ſuæ vicem Principis ſuſtinebat, ſacraque vice cognoſcebat, *h. l.* & *d. l. 18.* de quo plene *ad l. 11. ſup.*

FISCALIBVS *in cauſis appellanti quid facto opus ſit: & quomodo eo non facto, appellatio pro deſerta habeatur.*

XIV. (a) Idem A. Victori Rationali (b) Vrb. Rom.

QVONIAM nonnulli fiſci debitores, cum iuſſi fuerint debitam ſummam exſoluere, interpoſito prouocationis auxilio vim exſecutionis eludunt (c), nec iam Opinionis (d) exemplum, nec Refutatorias preces curant petere (e) vel offerre, placuit, vt ſi intra dies (f) complendis (g) ſollemnitatibus (h) præſtitutos ad facienda hæc appellatoris cura defuerit, deſerta ab eo prouocatio æſtimetur, (i) moxque debitum exigatur. Dat. Prid. Kal. Aug. Conſtantio & Maximo Coss. [327.]

NOTAE.

(a) *Lex 18. C. Iuſt. h. tit.* *GOTHOFR.*

(b) *Victor* Rationalis Vrbis Romæ ſub Conſtantino M. *ID.*

(c) De appellatione a Rationali Vrbis Romæ agitur rurſum *lege 18.* & *49. inf.* De *Rationali* vrbis Romæ v. *Notitiam Imperii*, & *noſtram. ID.*

(d) Hic locus apertiſſime oſtendit, *Opinionis* vſum, ſimul & *Refutatoriorum* appellatione facta. *ID.*

(e) *Petere*, ad opinionem pertinet, de quo mox: *offerre*, ad refutatorias. *ID.*

(f) De hac *dierum* præſcriptione, *v. l. 1. §. 9. ſupr. ID.*

(g) Abeſt hæc vox, *complendis*, a *Cod Iuſt. ID.*

(h) *Solemnitatibus*, id eſt petendæ opinioni, & refutatoriis offerendis. *ID.*

(i) *Exiſtimetur*, Cod. Iuſt. *ID.*

P. 236.

COMMENTARIVS.

FISCI DEBITORVM coodemnatorum a *Rationali* (ad Principem) luſoriis, perfuſoriis, moratoriis appellationibus *hac* Cooſtantini M. *conſtitut.* occurritur: Luſoriis, inquam: Sæpe ſcil. condemnati *vt vim executionis eluderent*: eludendæ tantum ſententiæ appellabant, oiox vero proſequendæ appellationi nec quicqnam operam dabant: non petito ſententiæ ſeu opinionis exemplo; noo oblatis refutatoriis, quæ duo introducendæ alias appellationi reqoiruntur: Igitur id *hac leg.* cooſtituitur, vt huiuscemodi appellaotes oiſi hæc intra dies complendis ſolemnitatibus præſtitutos fecerint, id eſt, quod ſuperiores *leges* oſtenduot, intra deceodium opinionis exemplum petierint, & iotra quindecendium refutatorios obtulerint, ab his deſerta pronocatio babeatur, & vigore ſententiæ exigantur. Quæ Conſtantini ſanctio ſeu pœna etſi in *fiſci nominatim debitoribus* concepta eſt, vt videlicet pro deſerta penitus appellatio habeatur (quare hæc *lex* etiam *Rationali* inſcribitur) attameo ſingulare id, & oouum fiſci priuilegium hoc oon eſt. Sane enim iam & olim Paulus auctor eſt, *V. ſent. tit. 34. §. 2.* *Qui intra tempora præſtituta dimiſſorias non poſtulaſſet, vel accepiſſet, vel reddidiſſet, præſcriptione ab agente ſubmotum.*

De appellatiooibus alioquin in caoſis fiſcalibus, fuit quoque iam *d. lex 8. ſup.* erit *lex 21. 26. 28. 41. 45. 46. 64. inf. h. tit.* & *lex 12. inf. quorum appellat.*

Poſtulandæ igitur ſeo petendæ Opinionis, pariter vt Apoſtolorum, appellatori cura incumbebat: Quod, præter *hanc leg.* & locum Pauli & *l. vn. D. de libellis dimiſſ.* docent ioſuper *lex 6. ſup.* ibi, *cui opinionis exemplum negatum* eſt, *Lex 11.* ibi, *vt opinionis editio denegetur*: Lex hæc 14. ibi, *nec iam opinionis exemplum petere curant*: Lex 18. inf. ibi, *Apoſtolis datis, quod iuxta obſeruatam rationem poſtulari ſufficiet.* Lex 67. inf. ibi, *Apoſtolorum copiam denegauerit.*

Pœna autem *hac l.* additur nempe, vt ſi appellator id facere neglexerit, iotra dies ſtatutos, deſerta ab eo appellatio æſtimetur. Quæ & ipſa pœna iam olim Apoſtolos non petentis erat; puta vt præſcriptione ſubmoueretur: quod Paulos ſuperiore loco ait: Atque ea quoque cauſa eſt, cur Modeſtinos *libro ſingulari de præſcriptionibus*, in *l. 106. de verbor. ſignificat.* de his Apoſtolis egerit.

Quid fiet igitur *legi 6. §. vlt. C. Iuſt. de appell.* vbi defioitur, Iudicem dare oportere Apoſtolos poſt interpoſitam prouocationem, *etiam non petente appellatore*, ſine aliqua dilatione? Diſtinguuot vulgo, Officium Indicis inſtrui, *dict. leg. 6. §. vlt.* aliis legibus Appellaotes: Quæ inanis conciliatio eſt. Dicam, vel argum. *hius leg.* prout Iudicum, aut Appellatorum contumacia & fruſtrationibus ſæculum laborauit, ita vel Iudici vltroneæ oblationis

nis neceſſitatem impoſitam: vel appellatoribus poſtulandi.

Cœteræ *leges*, veluti *lex 29.31.54 inf.* quæ etiam a Cuiacio obiici ſulent, necquicquam obſtant: Agunt enim illæ de *Tranſmiſſione* Opiniunis, appellatione facta ad Principem: vbi ſane Iudicis officium ſemper fuit, acta cum Relatione & cum refutatoriis vltro ad Principis ſcrinia mittere: *dictis legibus*, & *l. 1. 5. 6. 9. 11. ſup.* noo expectata litigatorum poſtulatione: de quo vid. quæ dico ad *l. 32. inf.* Eodemque ſpectat *dicta leg. 6. §. 3. Cod. Iuſt de appellat.* qui §us. a Tp&. maou forte non vodequaque immunis, & ex hoc iure interpulatus videatur.

Hic tandem obſeruandum in hoc argumento de Appellationibus a *Rationali* verſari octo præterea *leges hoc tit.* puta *l. 18. 28. 39. 41. 45. 46. 49. vlt. h. t.*

De RECIPIENDIS *appellationibus a Iudicibus.*

XV. (a) Idem A. ad Concilium (b) prouinciæ Afric.

NON recte Iudices iniuriam (c) ſibi fieri exiſtimant, ſi litigator, cuius negotium ſententia vulneratum (d) eſt, a principali (e) cauſa prouocauerit: Quod neque nouum (f), neque alienum a iudiciis eſt. Ideoque poſt negotium principale diſcuſſum, litigatori liceat litem iuris remedio (g) ſubleuare: & Iudices obſeruare debebunt, ne appellatores, vel in carcerem redigant, vel a militibus (h) faciant cuſtodiri, PP. IV. Kalend. Aug. Karthag. (i) Conſtantino A. VIII. & Conſtantio C. IV. Coss. [329.]

INTERPRETATIO. *Lex iſta hoc iubet, non debere Iudices prouinciarum adſertiones* (k) *appellantium ad ſuam iniuriam reuocare, quia hoc nec nouum, nec alienum a Iudicibus* (l) *eſſe cognoſcitur: & ideo hoc iubet, vt liceat* (m) *litigatori vitiatam cauſam appellationis remedio ſubleuare. Hoc etiam ſpecialiter præcepit, vt appellator nec in carcerem, nec in quamcunque cuſtodiam redigatur, ſed agendum negotium ſuum liber obſeruet.*

NOTAE.

(a) Abeſt & hæc *lex* a *Cod. Iuſtin.* *GOTHOFR.*

(b) Obſeruetur hæc Inſcriptio, de qua mox plura: dixi nonnulla ad *leg.* 1. & 12. *inf. de legatis:* & ad *l.* 2. *inf. quemadmodum munera ciuil. ID.*

(c) Vide *l.* 3. 4. 11. 13. *ſup.* & *l.* 16 *infr. ID.*

(d) *Vulneratum negotium.* Ita Symmachus *lib.* 2. *Epiſt.* 30. *Quo animo acceperim Sicilienſe negotium vulneratum, facile coniectas, qui me noueris in alienis quoque Iudicatorum iniquitate morderi.* Cauſam pariter *vulneratam* dixit *lex*
P. 137. *vlt C. Iuſt, quibus ex cauſis in integr. reſtitut.* Simili formula, *interfectum negotium*, *l.* 1. *ſup. vnde vi.* Res euerſa ſententia, *l.* 1. §. 1. *D. de appell. rei.* Vide *Gloſſarium.* Anianus hic *vitiatam* cauſam vocat. *ID.*

(e) Ita mox *poſt negotium principale diſcuſſum.* De quo mox. *ID.*

(f) Idem eſt ac ſi diceret *& ordinarii iuris ius hoc eſſe æquiſſimum. ID.*

(g) *Iuris remedium* eſt appellatio, cui ſimilia vide in *Paratitlo. ID.*

(h) Nempe duplex *cuſtodia* fuit, alia carceris, alia militum: de quo vide *titulum, de cuſtodia reorum, ſup. ID.*

(i) Subſcriptio hæc Inſcriptioni recte reſpondet, de quo mox. *ID.*

(k) *Adſertiones,* id eſt prouocationes. *ID.*

(l) Imo *a Iudiciis,* vt in *ipſa l. ID.*

(m) Hinc deſumpta ſententiæ cuiuſdam pars ab Auctore *epiſtolæ* 3. *cap.* 1. Fabiani Papæ, *pag.* 129. *Tom. I. Concil. Ed. Harduin.* & exinde in Decretum relata c. 11. *Can.* 2. *Qu* 6. *ID.*

COMMENTARIVS

REIPERA Iudices appellationes, neque ideo iniuriam ſibi fieri putare, aut appellatores iniuria afficere, ac nominatim carcere aut cuſtodia militum continere (de quo fuit quoque nominatim *lex 2. ſup.* & Pauli locus *lib. V. ſent. t. 26. § 1.* & Alexandri reſcriptum, *l. 25. D de appellat.*) a Conſtitutioo M. rurſum iubentur, quod aliquammultis aliis *legibus* iam iuſſit *l. 2 4. 11. & 13. ſup.* Et quod notandum eſt, per eandem Africam nominatim *d. l. 2. 4.* quò hæc *lex* pertinet: de quo mox. Notandum ſcil. id primo, latam *hanc leg.* a Conſtaotino M. ad querelam ſeu querimoniam Africaoorum, qui pro more in concilium coacti, decretis conditis, Legatiſque ad Conſtantinum miſſis & hoc querelarum caput ſuarum eſſe voluerunt. Ideo hæc *lex* inſcribitur *ad Concilium Prouinciæ Africæ:* Ideo rurſum in ſubſcriptiooe dicitur hæc lex *Propoſita Carthagine*, quæ metropolis Africæ fuit. De huiuſmodi aotem Conciliis prooincialibus ſecularibus, erit infra *titulus de legatis & decretis legationum:* Atque inter cæteras obſeruoda maxime *lex 1. & 6.* quæ & ipſæ ad Africanas prouincias & Concilia earum pertinent.

Sequuntur duo adhuc *hac l.* ſingularia. Prius, quod duobus locis agitur de appellatiooe a *principali cauſa vel negotio.* Id vero additum, quia a momento, ſeu ab interdicto poſſeſſorio appellari non poteſt, vt uec ab ioterlocutione *κατ' ἀντιδιαστολήν*: horum igitur, a principali negotio appellatum

ſup-

ſupponitur. De quo *ſuo tit. inf. 37. ſi de momento fuerit appellatum.*

Poſterius ſingulare eſt, quod de *Cuſtodia milita-ri*, quæ carceri etiam opponitur, hic agitur: Duplex ſcil. cuſtodia fuit: alia carceris, altera vero militaris: de quo dixi *tit. de cuſtod. reorum.*

A QVIBVS *Iudicibus appellari poſſit vel non: deque querela* NON RECEPTAE *appellationis.*

XVI. (a) Idem A. ad Vniuerſos Prouinciales.

A Proconſulibus, & Comitibus (b), & his qui Vice Præfectorum (c) cognoſcunt, ſiue (d) ex appellatione, ſiue ex delegato (e), ſiue ex ordine iudicauerint, prouocari permittimus: ita vt appellanti Iudex præbeat Opinionis exemplum, & Acta cum Refutatoriis partium, ſuiſque litteris, ad nos dirigat. A Præfecti autem Prætorio, qui (f) ſoli vice ſacra cognoſcere vere dicendi ſunt, prouocari (g) non ſinimus: ne iam noſtra contingi veneratio videatur. Quod ſi victus, oblatam, nec receptam a Iudice, appellationem adfirmet, Præfectos (h) adeat, vt apud eos de integro litiget, tanquam appellatione ſuſcepta: Superatus enim, ſi iniuſte appellaſſe (i) videbitur, lite perdita notatus abſcedet: aut (k) ſi vicerit, contra eum Iudicem, qui appellationem non receperat (l), ad nos referri neceſſe eſt (m), vt digno ſupplicio puniatur. Dat, Kal. Aug. PP. Kal. Sept. Conſtantinop. Baſſo & Ablauio Coss. [331.]

NOTAE.

(a) *Lex 19. C. Iuſt. eod. tit.* Quænam huic aliæ iungendæ ſint? mox dicam. *GOTHOFR.*

(b) De his *Comitibus* mox. *ID.*

(c) *Vicarii* Præfectorum, qui vice Præfectorum cognoſcunt. *ID.*

(d) De Triplici hac *Iuriſdictionis* ſpecie mox. *ID.*

(e) *Delegatione* Cod. Iuſt. *ID.*

(f) Hæc ſententia reciſa a Tribon. pariter vt altera mox, *Ne iam* &c. *ID.*

(g) *Prouocare*, C. Iuſt. *ID.*

(h) Vid. quæ dixi ad *l. 14. ſup. ID.*

(i) *Appellare*, C. Iuſt. *ID.*

(k) *Et*, C. Iuſt. nonnullæ edition. *yp. at. ID.*

(l) *Receperis*, C. Iuſt. *ID.*

(m) Ergo *hac l.* & *l. 14. ſup.* Refutatoriæ duplices fuerunt, pariter vt Relationes: nempe appellatione ad Principem facta, litigator edito ſibi ſententiæ & opinionis exemplo, Refutatorias dabat, ſiue grauamina, quæ poſtea ad ſcrinia transmittebantur. Idque etiam oſtendit *lex 6. §. 3. C. Iuſt. de appellat.* quæ tamen a Τρίβων facinore immunis non videtur. *ID.*

COMMENTARIVS.

P. 238. A QVIBVSNAM Iudicibus appellari poſſit, vel non, deque NON RECEPTA appellationis querela, eſt hæc Conſtantini M. conſtitutio: quæ pars eſt prolixi admodum Conſtantinianei Edicti ad vniuerſos prouinciales emiſſi A. D. 331. pariter vt octo præterea aliæ: puta *lex 17. infr. l. 1 infr. de his, qui per metum Iudicis: l. vn. de litigioſis: l. 3. finium regundorum, lex 2. Cod. Iuſt. vbi in rem actio.* Quinimo vt ipſe cenſeo, & *lex 1. ſup de off. Rect. prou. lex 4. Cod. Iuſt. de Iuriſdict. omnium Iudicum: Lex 3. Cod. eod. de off. Rectoris prouinciæ:* quæ menſe tantum, perperam ibi adſcripto, differunt: Quæ proinde omnes *huic* coaſſandæ ſeu coniungendæ ſunt, velut vnius & eiuſdem Edicti partes. Quo quidem Edicto vere aureo Conſtantinus Iudicum & Iudiciorum qua primæ qua ſecundæ inſtantiæ ſanctitati, integritati, reuerentiæ, ordinique, ſummo & enixo ſtudio conſultum iuit: multiplici ratione: vt omittam cætera, inter alia, fundato *Appellationum* iure aduerſus faſtuoſum hinc quorundam Iudicum ſupercilium, quo pertinet hæc *lex*, & *d. l. 1. inf. de his qui per metum Iudicis:* inde vero aduerſus litigatorum licentiam, quo ſpectat finis *huius l.* & *lex prox. 17.* & *lex 4. Cod. Iuſt. de Iuriſdict. omn. iudicum.*

Et hæc quidem de Edicti illius, vnde hæc *lex* deſumpta eſt, argumento, deque legibus, quæ exinde quoque deſumptæ, *huic* coaſſandæ ſunt: Et vero coaſſatæ multa habent, quæ cum *hac l.* noſtra variant: veluti de *Comitibus* prouinciarum, de *Præfectis* Prætorio, de *vice ſacra* iudicantibus, ſacroque Auditorio, & appellatione ad eos: de *vicariis* Præfectorum. Nos vero de his in anteceſſum videamus.

Ac primo quidem de *Comitibus:* de iiſdem vero agitur *d. l. 1. inf. de his qui per metum Iudicis: d. l. 1. ſup. de off. Rectoris prouinc.* & *d. l. 3. Cod. Iuſt. de off. Rector. prou.* & *d. l. 4. Cod. eod. de Iuriſdictione.* Dicuntur autem ii Comites per prouincias conſtituti, *d. l. 3.* Comites prouinciarum, *d. l. 1. ſup. de off. Rectoris prouinc.* & inter hos quidem ſpeciatim Comes Orientis deſignatur *d. l. 4. Cod. Iuſt. de Iuriſdictione.* Spectabiles eos fuiſſe oſtendit *d. l. 4.* vice ſacra cognouiſſe hæc *lex* teſtatur, & *d. l. 4. Cod. Iuſt. de Iuriſdict.* & *l. 1. inf. de his qui per metum Iudicis.* Medio hic loco ponuntur inter Proconſules &

Vicarios Præfectorum. Ad hos a Iudicibus ordinariis appellatum, præter *hanc leg.* oſtendit *d. lex 4.* querelas denique prouincialium aduerſus Iudices ad eos delatas teſtatur *d. lex 1. ſup. de off. Rector. pron.* & *d. l. 3. Cod. Iuſt. eod. tit.* haud ſecus atque apud Præfectos Prætorio; pariter vt ab vtrisque laudes Iudicum inſtorum ad Principem perlatæ *d. l. 1.* & *d. l. 3.* Fuerunt igitur hi Comites plurium prouinciarum: cuiusmodi ſane fuit Comes Orientis, ſeu diœceſeos totius, Comes diœceſeos Africanæ *l. 1. ſup. finium regundorum.* Et hæc de Comitibus.

De *Præfectis* pariter *prætorio* complurima *legibus* illis continentur, quæ cum *hac l.* pariant, quæque ad *huius l.* illuſtrationem faciunt, de partibus & prærogatiua Præfectorum prætorio. Nempe querelas ad hos perlatas de Iudicibus & eorum Officialibus docet *d. l. 1. inf. de his qui per metum.* & *d. l. 1. ſup. de off. Rector. prouinc.* & quidem de appellatione non recepta *d. l. 1. de his qui per metum.* Referre item eos oportuiſſe ad Principem de Officialium Iudicumque iniquitate. *d. l. 1.* vt & vetat eorum laudes, *d. l. 3. Cod. Iuſt. de off rectoris prouinciæ.* Tandem ab his appellatio denegata, *hac l.* de qua poſtea.

Tertio, non vno huius Edicti Conſtantinianei loco agitur de *vice ſacra* iudicantibus, ſacroque Auditorio, & de appellationibus eo, vt *h. l.* ita & *d. l. 4. Cod. Iuſt. de iurisdictione:* & *d. l. 1. inf. de his qui per metum iudicis.* Quare hoc Edictum inter præcipua Conſtantini notare ſoleo: quibus Magiſtratuum iurisdictioni Iudiciisque ab eo forma data: ſic quidem vt multa habeat nouiter conſtituta: ac nominatim circa Præfectos Prætorio, aliosque vice ſacra iudicantes, quorum dignitatem auctum iuit.

Nunc tandem de *hac l.* noſtra videamus. Huiusce legis tres ſunt ſententiæ I. a *Proconſulibus, Comitibus, & Vicariis Præfectorum* appellari poſſe. Quod tamen controuerſum fuiſſe, vel hæc ipſa *lex* oſtendit, atque id pati noluiſſe Iudices illos ex *hac l.* quoque colligitur; pariter vt ex *l. 2. ſup* Ratio dubitandi & renitendi hæc erat, (quæ & ipſa, *verſiculo, a Præfectis* &c. indicatur: quod de his notandum) qui ſi vice ſacra iudicarent, ſeu vice Principis, (quod etiam oſtendit *lex 1. inf. de his qui per met. iudic.* & *l. 4 Cod. Iuſt. de iurisd. omnium iudic.* quæ inter alias huc ſunt coniungendæ, idque ipſum docuit etiam *lex 3. ſup. h. t.*) Atenim ea ratione non obſtante, contrarium reſpondetur: Scilicet vice ſacra cognitionis hæc quidem in his vis fuit, vt ab inferioris gradus iudicibus ad eos appellaretur (quod docuit *d. l. 3. ſup.* & *l. 11. ſup.*) At non etiam, vt ne ab his rurſum appellaretur: quod illuſtriore adhuc exemplo Præfecti V. comprobat *d. lex 11.* In tantum vero ab iis qui vice ſacra iudicant, appellari poteſt, vt etiam ſi ex appellatione iam cognouerint, ab his iterato appellari poſſet; imo etſi ex ſpeciali Principis delegatione extra ordinem de aliqua cauſa cognouerint, nihilominus ab his appellari poſſit. Qui ſingularis locus eſt de triplici ſcil. cognitione, & quidem eorum qui vice ſacra iudicant: nempe iudicant illi vel *ex ordine*, id eſt officii neceſſitate poſcente, vt loquitur *lex 18. inf.* ordinaria ſua iurisdictione, quoties videl. cauſa recta & vi poteſtatis ſuæ ad eorum cognitionem pertineat: vel ex *delegato*, & ex prærogatiua reſcripti, vt loquitur *d. lex 18. inf.* vel denique ex *appellatione*, quoties vi ſacræ cognitionis ſibi tributæ de appellatione iudicant.

Secunda ſententia, ſoli *Præfecti Prætorio* excipiuntur, inter vice ſacra iudicantes, a quibus appellari non poteſt: de quo Præfectorum Pr. priuilegio fidem quoque facit *lex vn. D. de off. Præf. Præt.* *lex 17. D. de minorib.* & *lex 30. Cod. Iuſt. de appell.* Quod ipſum indicatur & *l. 32. §. 5. Cod. Iuſt. eod.* Teſtatur expreſſe Theodoſ. Iunior, *Nouell. 6 contra ſententias Præfectorum Præt. &c.* & *lex vn Cod Iuſt. de ſent. PP.* quæ ex *ea Nouella* deſumpta eſt: Caſſiodor. quoque *lib. VI. Var. 3. in formula Præfecturæ Prætorianæ*, inter cætera quæ huic Dignitati cum Principe communia erant, & iſtud numerat: *Pene eſt*, inquit, *vt poſſit leges condere, quando eius reuerentia poteſt negotia ſine appellatione finire.* Mox & ſubiicit; *vice ſacra vbique iudicat.* Quæ & ipſa Ratio *hac leg* redditur, quod ſcil. inter eos, qui vice ſacra cognoſcunt, Pr. Po. ſoli *vere* dicendi ſint vice ſacra cognoſcere. Quomodo & Caſſiodorus *in Pſal. 104.* cum ait Ioſephum fuiſſe a Pharaone Ægypto p. 230. præfectum: *Quæ poteſtas*, inquit, *hodie retinetur a PP. qui & vice ſacra* VERE *iudicat.* Et rationem rationis in ſequentibus mox indicat: nempe Magnitudo officii (vt in hac ipſa re loquitur Charifius.) ὄγκος, ὕψος τῆς ἀρχῆς, inquiunt Græci, quod hæc dignitas PP. proxime venerationem Principis contingat, & contigua ſit hæc poteſtas Imperatoriæ; & vt Eunapius *in Proæreſio, pag 150. Edit. Commelin.* dicebat, βασίλεια ἀπόρφυρος, id eſt *imperium ſine purpura:* de quo prolixe alibi dictum. Non igitur negat Conſtantinus Proconſules, Comites & Vicarius vice ſacræ iudicaſſe, imo contrarium innuit; illud tantum indicat, inter eos qui vice ſacra cognoſcebant, eximio principeque loco habendos Pos. Po. Tantum proinde abeſt id de Præfecto vrbis neget, cui etiam contrarium diſertis verbis profitetur, *l. 11. ſup.*

Illud quærendum ſupereſt, quando primum id factum fuerit vt a Pis. Po. appellari non liceret? Hæc ſane *lex* ſuadet inter alia, Conſtantinianei ſæculi & priuilegii hoc eſſe, qui ſane Porum. Po. dignitatem cæteroqnin in vniuerſum auxit. *A Præfectis autem Prætorio*, inquit Conſtantinus, *qui ſoli vice ſacra cognoſcere vere dicendi ſunt, prouocari* NON SINIMUS, *ne iam noſtra contingi veneratio videatur.*

Neque obloquitur *lex vn. D. de offic. P. P.* Aurelius enim Arcadius Chariſius, Magiſter libellorum, auctor illius *legis*, Conſtantino antiquior non eſt: nam præterquam quod Modeſtinum ipſe allegat, *l. vlt. §. 26. D. de munerib.* (qui vtique ad tempora Gordianorum, vt minimum peruenit, ſeu A. D. 241. quod oſtendit *lex 5. C. I. ad exhibendum*) ſane res ſtylusque ICtum arguit Conſtantinopolitanum, ſeculi iam inclinantis: vt cum *participales*, pro *participibus* vocat, & *admilitiam*, pro *commilitio*, & ſimilia complurima, quæ ſinceram Latinitatem non redolent: item cum pleraque *in d. l. vlt.* ad Imperium Orientale pertinentia memorat, & Græcis appellationibus exprimit: Imo vel nomen ipſius hoc ipſum oſtendit, *Aurelii Arcadii Chariſii*, quod mediam ætatem omnino arguit: His adde & dignitatem *magiſtri libellorum*, quæ Conſtantinianei ferme ſeculi eſt.

Rur-

Rurſum non obloquitur *d. lex 17. D. de minoribus*, nam & Hermogenianus ICtus, *legis* illius Auctor, e poſtremis ICtis fuit, quod fragmenta eius & ἀποσπασμάτια intuenti omnia, ſatis apparet: Quicquid apud Lampridium *in Alex. Seuero, Hermogenes* aliis eius æui ICtis connumeretur: Iam enim conſtare debet ex omnibus veteribus membranis Regiis, Palatinis, Puteaneis, eius nomen vt & multorum aliorum ICtorum apud Lampridium irreptitium eſſe. Quare deinceps tuto dicamus *principalem ſententiam* quam publice ſuper hoc lectam ait Arcadius, non aliam videri quam hanc ipſam Conſtantinianeam.

Ergo iam inde Conſtantini M. temporibus a ſolo PP. appellare inter omnes vice ſacra iudicantes prohibitum fuit: cum ab aliis omnibus appellaretur: Quanquam poſtea Præfectos Vrbi P^{ti}. P^{o}. hac quoque parte exæquatos oſtendi ad *l. 11. ſup.* Quare inter alia liquet, in immenſum auctam hoc tempore a Conſtantino M. P^{orum}. P^{o}. dignitatem; cui rei argumentum præbet quoque poſterior *huius l.* pars, & *d. l. 1. inf. de his qui per met. Iudic.* & *d. l. 1. ſup. de offic. Rect. prouinc.* & *d. l. 3. C. Iuſt. eod. tit.* Nempe his legibus omnibus quæ *huic* coaſſandæ ſunt, vt iam antea dixi; multa pariter continentur quæ ad partes Præfectorum prætorio, eorumque dignitatem pertinent: Quale eſt quod querelarum prouincialium cognitores dat P^{us}. P^{o}. & quidem *hac l.* in negotio Appellationum; puta, vt ſi Iudices appellationem non receperint, appellantes adeant Præfectos, atque apud eos tanquam appellatione ſuſcepta, litigent; vt ita, quod Tertium caput eſt *huius l.* ſi iniuſte a vice ſacra iudicantibus appellatum fuerit, lite & infamia multetur iniuſtus appellator, cui proxime accedit eiusdem Conſtantini conſtitutio hoc ipſo Anno, *l. vn. ſup. de offic. P. Po.* de pœna iniuſte appellantium a ſententia Iudicum ordinariorum. Si vero iuſta fuerit appellatio ad ſe, de Iudice qui appellationem recipere noluit, referri a PP. iubet, vt ita digno ſupplicio puniatur. Nempe vt improbitatem & impudentiam litigatorum ſententias iudicum temere oppugnantium variis capitibus huius Edicti ſane Conſtantinus inſectatus eſt, & inter alia etiam *l. 17. prox. infr.* Et *d. l. 1. infr. de his qui per metum Iudicis*, ita Iudicum quoque iniquitatem appellationes non recipientium.

APPELLATIONE, *non* SVPPLICATIONE *iudicium retractari poſſe.*

XVII. (a) Idem A. ad Vniuerſos Prouinciales.

QVI licitam (b) prouocationem omiſerit, perpetuo ſilere debebit, nec a nobis INpudens petere per Supplicationem auxilium. Quod ſi fecerit, deportationis (c) pœna plectendus eſt. Dat. Kal. Aug. PP. Kal. Sept. Baſſo, & Ablauio Coss. [331.]

NOTAE.

(a) *Lex vlt. C. Iuſt. vt lite pendente, vel poſt prouocationem aut definitiuam ſententiam nulli liceat Imperatori ſupplicare.* Cæterum quænam *leges* huic coniungendæ ſint, ad *ſuperiorem* iam dictum fuit: quæ & *ipſa* de earum numero eſt, vna cum *lege 1. inf. de his qui per metum Iudicis non appell.* quæ & argumento huic omnino conuenit. *GOTHOFR.*

(b) Id eſt, quæ omnibus patet. *ID.*

(c) *Deſiderio ſuo carebit, & ignominiæ pœna notabitur.* Ita hunc locum refinxit Tribonianus, deportationis pœna hac parte ſublata. Quare ſimiliter omiſſa a Tribon. *d. lex 1. inf de his qui per met. Iudic. ID.*

COMMENTARIVS.

P.240.

VT LIBERTATEM appellationibus, non aliis tantum *legibus*: verum & aureo, cuius hæc *lex* pars eſt, Edicto conſtare voluit Conſtantinus M. quod docuit quoque *lex proxima ſup.* (quæ eiusdem Edicti pars eſt): ita & TEMERITATI litigantium pariter occurrendum putauit: ſiue interpoſita iniuſta appellatione, de quo *d. l. prox. ſup.* ſiue ſpreta appellatione, Principi ſupplicando, quo pertinet hæc lex & *d. l. 1. inf. de his qui per metum Iudicis*, quæ & ipſa inter alias huic coaſſanda venit.

Scilicet victis in ſacro iudicio Appellationis remedium & libertatem ſupereſſe voluit Conſtantinus M. quod qui negligeret, ei ſupplicandi poſtea auxilium patere noluit: idque ſub pœna deportationis grauiſſima, *hac l.* & *d. l. 1. inf. de his qui per met. Iud.* Quicquid tandem omiſſæ appellationi obtenderent, veluti metum Iudicis, Verum de hoc diligentius agetur *eo titulo*: hæc enim iſtius quæſtionis ſedes eſt. Interim *huic legi* concordare notandum eſt eiusdem Conſtantini M. *legem 1. ſup. de re iudicata.* Quibus non obſtat *lex vn. inf. ſup. de off. Præf. Præt.* quæ *ipſa* forte *huic* coaſſanda eſt; vbi, retractari ſeu iterari poſt ſententiam iudicium *Annotatione*, ſeu Reſcripto poſſe iudicatur; Quia ea *lex* eſt de iudicio Ordinariorum Iudicum, quod Reſcripto retractari poteſt: hoc vero, vt ex collatione *legis 16. ſup.* apparet, & expreſſe ex *d. l. 1. inf. de his qui per metum iudicis*: de Iudicio Vice ſacra iudicantium: quod retractari non niſi per appellationem poteſt.

A RATIONALI *vrbis Romæ ad quem appelletur.*

XVIII. (a) Imp. CONSTANTIVS A. Anicio Iuliano P. V. (b)

QVOTIENS Rationalis, vel officii (c) neceſſitate poſcente, vel ex prærogatiua (d) Reſcribti, inter priuatos iudicauerit, ſi a ſententia fuerit prouocatum, non ad Noſtram Scientiam referendum eſt, ſed Apoſtolis (e) datis, quod iuxta obſeruatam rationem poſtulari ſufficiet, & ad auditorium Grauitatis Tuæ, cui ad vicem (f) noſtram delata iudicatio eſt, partes peruenire oportet. In fiſcalibus cauſis, ſeruato priſcæ conſuetudinis more, vt (g) Opinione edita, vniuerſa ad Noſtram Scientiam referantur. Dat. XIII. Kal. Iul. Serdicæ. PP. VI. Kal. Aug. Rom. Conſtantio A. II. (h) & Conſtante Coss.

NOTAE.

(a) CONSTANTII & CONSTANTIS fratris *Vndecim* ordine *leges* ſequuntur de *Appellationibus:* quanquam, mox vt oſtendam, hæc ipſa *Conſtantini M.* eſt, non Conſtantii, quod alioquin præferunt Editiones. Recte autem quartana, *Conſtantinus*. *GOTHOFREDVS.*

(b) De hoc *Anicio Iuliano* P. V. mox. *ID.*

(c) *Ex ordine* hoc dicitur *l. 6. ſup. ID.*

(d) *Ex delegato d. l. 16. ID.*

(e) De *Apoſtolis*, ſeu dimiſſoriis literis res eſt nota: de his vid. & *l. 61. 67 inf. ID.*

(f) De hoc dictum plene *ſup. ad l. 11. ID.*

(g) *rp. &. ID.*

(h) *rp. VI.* id eſt A. D. 326. de quo mox: vel potius VIII. id eſt A. D. 329. *ID.*

COMMENTARIVS.

A RATIONALI, ad quem appellari oporteat, *hac* Conſtantini M. *conſtitut.* definiur: pariter vt *lege 28. 39. 41. 45. 46. 49. 68.* ſeu *vlt. inf. h. t.* Et quidem in ſp. *huius leg.* a *Rationali Vrbi Romæ*, de qua fuit quoque *lex 14. ſup.* & ad eundem proprie pertinet *d. lex 49.*

Nempe, ita hic diſtinguitur, ſi Rationalis inter priuatos iudicauerit, ad Pum. V. Romæ appellari oportere: Neque iniuria. Nam vt *Vrbicaria* diœceſis ad Pum. V. Romæ ſpectabat, atque adeo priuatis omnibus intra eam præerat, ita æquum viſum, ſi quando Rationalis Vrbis Romæ (qui & idem Rationalis erat per ſuburbicarias regiones, quod docet Notitia Imperii) inter priuatos iudicaret, ab eo ad Pum V. prouocaretur, vt qui vice ſacra intra eam diœceſim cognoſceret. Porro cum regulariter (quod notum) Rationalis inter priuatos non iudicaret, attamen duobus caſibus eum inter priuatos quandoque iudicaſſe hæc *lex* teſtatur, puta vel officii neceſſitate poſcente, vel ex prærogatiua reſcripti: *Officii neceſſitate poſcente*, id eſt, ſi bene capio, ſi idem Iudicis ſeu Præſidis aut Conſularis partes gereret: quod nonnunquam factum, etiam vetuſto Pilati exemplo, conteſtatiſſimum eſt. *Ex prærogatiua reſcripti;* id eſt ex delegato, puta certæ alicuius cauſæ cognitione ei a Principe extra ordinem demandata.

Atenim in fiſcalibus cauſis, ad Principem appellari referrique iubet. Quod potierius poſtea immutatum. Nam vt cæteroqoin in fiſcalibus cauſis a Rationali ad Comites S. L. vel Comites R. P. appellatum, quod docet *lex 28. 39. 41.* (vbi id immutatum) *45 46. inf. h. t.* ita nominatim a Rationali Vrbis Romæ & ſuburbicariarum regionum ad Comites pariter appellatum fuit, quod oſtendit *d. lex 49. inf. h. t.* Quanquam & ea *lege* in fiſcalibus cauſis ſi negotium ducentarum librarum argenti ſummam non excederet a Rationali ad P. V. appellari iubetur. Symmachus certe ipſe P. V. *lib. 10. ep. 55.* in quæſtione ex p. 241.
precibus cuiusdam Protectoris, & principis largitate deſcendente, a Rationali ortam prouocationem ſibi vindicauit, aduerſus Comitem R. P. vbi & *recentem ſanctionem* allegat, quæ indiſcretim huiusmodi appellationes, ſedi quæ vicem Principum tuetur, i. e. Præfecto vrbi priſco iure commiſit: de quo plura ad *d. l. 49. inf.*

Atque adeo duæ hæ iam Præfecti V. prærogatiuæ obſeruentur. Prima, appellationes inter priuatos ſeu priuatis in cauſis intra diœceſim Romanam ad Præfectum, Vrb. fieri debuiſſe omnes; etiamſi non a iudicibus ordinariis appellatio fieret, verum ab extraordinariis: Extraordinarii ſcil. Iudicis ratio, ordinarium Præfecti V. ius non interuertit. Cui non abſimile eſt quod dici ſolet: *Temporariam permutationem ius prouinciæ non immutare*, neque extraordinaria primæ cauſæ & inſtantiæ cognitio, ſecundæ inſtantiæ iudicium innuat. De ſecunda prærogatiua plenius ad eam *leg. 49.* De aliis Præfecti Vrbis prærogatiuis in negotio appellationis alibi plena manu: de nonnullis vid. *l. 61 inf. Nouellam Valentin.* inter *Theodoſianas 23.* & *Nouellam Valent.* inter *Valentinianeas 12.* Item vid. quæ dicam *ad l. 27. infr.*

Cæterum, quod a *Rationalibus* in fiſcalibus *cauſis ad Principem* appellari *hac lege* iubetur, cum tamen deinceps Rationales ſub diſpoſitione Comitum S L. vel R. P. fuerint atque adeo ad hos appellaretur (quod ſuperius oſtendimus & oſtendit *lex 41. infr.*) inde clarum huius conſtitutionis tempore, id eſt A. D. 326. vel 329. hos, ſic vt dicam, Catholicos Comites S. L. & R. P. nondum a Conſtantino M. inſtitutos fuiſſe, verum poſterius. An vero mox a Conſtantino M. inſtituti fuerint, diſquiro ad *leg. 21. & 28. infr. h. t.*

Dixi *Conſtantinum M.* huius *legis* authorem eſſe;

eſſe; contra quam præfert hæc *lex:* Id enim aperte oſtendit Anicii Iuliani P. V. nomen, cui hæc *lex* inſcribitur. Hunc ſcilicet Anicium Iulianum non niſi ſub Conſtantino M. & quidem A. D. 326. 327. 328. 329. Præfectum Vrb. fuiſſe, præter aliquot *huius Cod.* conſtitutiones, puta *leg. 13. ſupr. h. t.* & *l. 2. ſupr. de Prætor. & Quæſt. l. 2. ſup. de dilation.* diſertis verbis teſtatur peruetuſtus Author *Conſularium & Præfector. Vrb.* Contra, *Conſtantio II.* & *Conſtante COSS.* (qui Conſules *huic legi* male ſubnotati ſunt) Apronianus & Titianus Præfecti Vrb. fuerunt: quod idem Author expreſſe ſcribit. Sed & *Serdicæ* nomen oſtendit, vitioſum eſſe *huius leg.* Conſulatum: Conſtantius quippe eo Anno 339 Serdicæ non fuit: vid. *Conſularia Theodoſiana.* At Conſtantinus M. ibi fuit An. D. 326. & 329.

TEMPORA *appellationum a* NOMINATIONIBVS.

XIX. (a) Idem A. (b) ad Anatolium Vic. Aſiæ (c). Poſt alia (d).

SI ad Curiam nominati, vel * ad Duumuiratus, aliorumque honorum infulas (e), vel munus aliquod euocati, putauerint appellandum, intra duos menſes negotia perorentur. Dat. VI. Kalend. Decemb. Conſtantio A. II. & Conſtante Coss. [339.]

NOTAE.

(a) Abeſt hæc *lex a Cod. Iuſt.* Iungenda *huic* eſt *lex 28. inf. de decurion.* Concordat porro huic legi *lex 10. ſup. h. t.* & *l. 2. inf. de decurion.* *GOTHOFR.*

(b) *Conſtantio & Conſtanti* tribuitur *d. lege 28. ID.*

(c) *Anatolius Vicarius* Aſiæ: Atenim *Africæ* in *d. l. 28.* verum ibi reponendum, *Aſiæ*, (de quo *ad eam l.*) vt hic habetur. *ID.*

(d) Quæ continentur *d. l. 28.* hæc enim *illi* ſubiicienda eſt. *ID.*

* *Leg. 1. C. Iuſt. de tempor. & reparat. appell.* hæc a Triboniano intexta ſunt. *ID.*

(e) De hac *Infularum* voce vid. *Gloſſarium Theod. ID.*

COMMENTARIVS.

DE appellatione a NOMINATIONE eſt hæc Conſtantii *lex*, vt Conſtantini *lex 10. 12. ſup.* & Honorii *lex 53. inf.* NOMINATIS ad Curiam vel Magiſtratum municipalem, aliosque honores, vel munera, duorum menſium ſpacium ad appellationem perorandam, peragendam dari Conſtantius hac conſtitutione rurſum definit; pariter vt definitur a Conſtantino M. *lege 10. ſup.* & *l. 2. infr. de Decurion.* contra quam *l. 12. ſup.* vbi dixi plura, eodemque pertinet & *l. 8. infr. de reparat. appellat.*

Cæterum vt *hac l.* appellationum a nominatione tempus definitur, ita ipſarum Nominationum tempus *l. 28. infr. de decurion.* (quæ *huic* vt dixi, coniungenda eſt,) puta Kalendæ Martiæ præſtituuntur. Denique hæc conſtitutio, prolixioris Conſtantii Imp. conſtitutionis pars eſt, qua per Aſiam Nominationibus ad munera publica formam dedit.

P. 242.

De RECIPIENDIS *appellationibus a Iudicibus: etiam in criminalibus.*

XX. (a) Imp. CONSTANTIVS & Conſtans AA. Philippo PF. P. (b)

IVDICES, cum in ciuilibus cauſis, tum etiam criminalibus, in quibus vitæ hominum ſalutisque quodammodo fata retractantur (c), appellationes admittant, nec denegent vocem (d) in ſupplicium ſententia deſtinatis. PP. V. Id. Iun. Poſt Conſ. Conſtantii II. & Conſtantis AA.

INTERPRETATIO. *Lex iſta hoc præcipit, vt etiam in criminalibus cauſis, vbi vita vtriusque partis in dubium deuocatur, liceat appellari* (e), *nec appellandi vox denegetur ei, quem in ſupplicium ſententia deſtinarit.*

NOTAE.

(a) Abeſt hæc *lex a Cod. Iuſt.* quia plures aliæ eandem in ſententiam eo iam relatæ ſunt. *GOTHOFR.*

(b) De hoc *Philippo* PP. plene dico in *Proſopogr.* ex hiſtoria potiſſimum Eccleſiaſtica. *ID.*

(c) *Retractantur*, pro ſimplici *tractantur*, quod præfert Edit. in 4. *ID.*

(d) *Vox* de Appellatione, vt *hac leg.* ita & *l.* 26. 40. 58. *inf. h. t. l.* 9. *inf. quor. appellat. non recip.* apud Symmachum *lib.* 10. *ep.* 29 & 55 *ID.*

(e) Hinc deſumpta ſententia quædam *Ep.* 3. *cap.* 2. *in fin. Fabiani Papæ, pag.* 129. *Tom. I. Concilior. Edit. Harduin.* relata in *Decret. can.* 20. *cauſ.* 2. *Qu.* 6. *ID.*

COMMENTARIVS.

CRIMINALIBVS in cauſis, non minus quam in ciuilibus, appellationi locum eſſe oportere, eamque a Iudicibus admittendam, *hac* Conſtantii *lege* definitur, pariter vt *leg.* 2. *ſup.* & *l.* 58. *inf. h. tit.* Exceptis caſibus *legis* 11. *inf. quor. appell. non recip.* de quibus ad *eum tit.* plenius. Sic quoque in Criminalibus cauſis locus eſt Relationi, *l.* 5. *ſup. de Relation. l.* 24. *inf. h. tit.*

Ex hac certe *leg.* liquet, Iudices has appellationes ferme detrectare voluiſſe, eo, vt puto, obtentu, quod Reos ſtatim ſubduci, pœnæque ſubiici publice intereſſet: cui rationi, vt in abrupto periculo locus eſt, *l.* 16. *D. h. t. l.* 6. §. 9 *D. de iniuſto, rupto*, ita contra in cæteris criminibus, vbi videl. retractantur fata vitæ hominum & ſalutis, vt hæc *lex* eleganter ait, æquum eſt appellationes admitti: cum nulla vnquam de morte hominis cunctatio longa ſit.

Notanda porro *huius leg.* tum Inſcriptio, tum & ſubſcriptio. Nempe inſcribitur hæc *lex Philippo PP.* & in ſubſcriptione dicitur ea *PP. poſt Conſulatum Conſtantii II. & Conſtantis AA.* Quomodo & Conſulatus iſte notatur, *l.* 5. & 6. *ſup. de Præt.* nullibi præterea, neque in vllis *Faſtis* aut *Conſularibus.* Quare *hanc leg.* pariter vt *d. l.* 5. & 6. referam libens ad *A. D.* 347. poſt conſulatum *Conſtantii IV. & Conſtantis III. AA.* & ſic certe ante A. D 350. quo Conſtans *Auguſtus* cæſus eſt. Philippi certe Præfectura incidit in A. D. 346. 347. 348. 349. de quo dico plene in Proſopogr. Enim vero criminalibus negotiis non vnius generis diſtrictum fuiſſe, docent quæ Libanios *de vita ſua* ſcribit: quæ item Athanaſius, aliique Scriptores Eccleſiaſtici.

De FISCALIBVS *appellationibus perſequendis.*

XXI. (a) Idem AA. ad Proculum (b) Proconſ. Afric.

SI qui fiſcale debitum per ſententiam (c) luere (d) iuſſi, appellationem, fruſtrationis (e) commento, crediderint obponendam, ne moris tergiuerſantibus abutantur, ilico ad eum miſſi, cuius Vice noſtra cognitio eſt, intra viginti dies appellationis ſubſtantiam (f) perſequantur (g): vt vel probata appellatione, ad Dicationis (h) Tuæ Officium reuertantur: vel improbata, vt legis iſtius contemptores, ad Præfectorum Prætorio commentarios deſtinentur. Eadem forma ſeruanda etiam, ſi peſſima conſcientia forte grauati, appellandi cauſa (i) intra diem ſuperſederint perorare (k). Dat. IV. Kal. Decemb. Acyndino & Proculo Coss. [340.]

NOTAE.

P. 243.

(a) Abeſt & hæc *lex* a *Cod. Iuſt.* GOTHOFR.

(b) Fuit & alius Proculus ſub Conſtantino Proconſ. Africæ, ad quem extat *lex* 3. *inf. de itinere muniendo: lex* 2. *ſup. de priuil. eorum qui in S. P. ID.*

(c) Rationalis vel Comitis vel Rectoris prouinciæ: imo potius ipſius Proconſulis Africæ: vid. *leg.* 28. *inf. hoc tit.* *ID.*

(d) *Luere* id eſt ſoluere & inferre. *ID.*

(e) *Fruſtratoriæ* appellationes & ludificationes: *l.* 1. *inf. quorum appell.* *ID.*

(f) Ita *ſubſtantia* litigii, *l.* 5. *inf. quorum appell.* & *l.* 11. *ſup. h. t.* *ID.*

(g) Forte *proſequantur.* *ID.*

(h) Ita quoque *l.* 1 *ſup. h. t.* *ID.*

(i) *γρ.* *Cauſam.* *ID.*

(k) Eadem *Perorandi* vox *ſupra l.* 19. *ID.*

COMMENTARIVS.

FISCALIBVS in cauſis appellationibus (de quibus iam *lege* 8. 14. 18. *ſup. l.* 26. 28. 41. 45. 46 64. *inf.*) fruſtratoriis, notatoriis, hac *Conſtantis* conſtitutione, & quidem per Africam Proconſularem, A. D. 340. occurritur.

Primum igitur ſtatuitur, appellantem Ilico mitti ad iudicem appellationis debere. Secundo, mitti ad eum cuius vice Principis cognitio eſt: quod & ipſum inculcatur *l.* 28. *inf. h. t.* ſeu vt ea *lex* 28. ait, ad eos, qui vice Principis huiuſmodi cognitionibus præſident, id eſt, ad *Comites S. L.* & *R. P.* de quibus, & quando illi primom inſtituti, diſquiro ad *d. l.* 28. *inf.* Tertio ſtatuitur mitti ſeu perduci hos oportere per Officiales Proconſulis in ſp. *huius l.* quod illa verba oſtendunt ad *Dicationis tuæ officium reuertantur.* Quarto, intra viginti dies appellatorem perſequi ſeu perorare iubentur, ex quo ad Comitem S. L. vel R. P. perducti fuerint, de cuius temporis hac parte varietate agetur ſpecialius *d. l.* 28. Quinto, probata eorum appellatione ad Proconſulis Africæ, in ſp. *huius leg.* officium eos reuerti iubet Imp.

Con-

Contra quod poſtremum, improbata eorum appellatione, vel intra prædictum diem appellationis cauſam non perſequentes, ad Præfectorum P. commentarios deſtinari ſeu mitti jubeotur. *Commentarii* Præfectorum Prætorio hic num ſunt Commentarienſes, de quibus dixi ad *l. 5. ſup. de cuſtod. reorum?* Malim, pro ipſa cuſtodia accipere: Ita Athanaſius, *Apologia I. ad Conſtantium pag. 693. Tom. I. Oper. Edit. Lipſ.* ſiu. *Colon.* ὅτι γέγραπται τοῖς ἐν Αὐξούμει τυράννοις, ὥστε Φρουμέντιον τὸν ἐπίσκοπον τῆς Ἀξούμεως, ἐκεῖθεν ἀχθῆναι, καὶ ἐμὲ μὲν μέχρι τῆς βαρβάρων ζητεῖσθαι, καὶ εἰς τὰ λεγόμενα ΚΟΜΕΝΤΑΡΙΑ τῶν ἐπάρχων παραπέμπεσθαι: *ſcriptum tyrannis Auxumis, vt Frumentium Epiſcopum Auxumis abducerent, ac me vbicunque etiam apud barbaros perquirerent, & ad cuſtodias præfectorum, quæ commentaria nominantur, deportarent.* Κόμεντα vocat Prochorus *de rebus geſtis S. Ioannis Euangeliſtæ.* ἐγὼ ὑπάρχω βοηθὸς ΚΟΜΕΝΤΩΝ, καὶ δύο ἄνδρες παρεδόθησάν μοι, καὶ λαβὼν αὐτοὺς ἐγὼ, ἔβαλον ἐν τῇ φυλακῇ: *ego præfecto eram adiutor commentarienſis, & mihi tradiderunt duos viros, quos accipiens in cuſtodiam conieci,* vbi βοηθὸς τῶν Κομέντων eſt *Adiutor Commentarienſis,* non ipſe *Commentarienſis.* De vtriſque v. quæ dixi ad *l. 5. ſup. de cuſtod. reor.*

Ex *hac* interim *leg.* apparet, etſi Comites S. L. & R. P. de appellationibus fiſcalibus vice ſacra cognouerint, attamen & Proconſulum & Præfectorum Prætorio Officiales fiſcalibus his appellationibus quadamtenus interueniſſe: illos deducendis appellatoribus & reducendis: hos puniendis temerariis appellatoribus.

De RECIPIENDIS *appellationibus:* *deque* POENA *Iudicis eas non recipientis.*

XXII. (a) Idem AA. ad Scyllacium (b).

OMNES Præſides moneantur (c), vt ſi quis (d) prouocatione ſibi opus eſſe cognoſcit, iuxta morem ordinemque legum, accipiant libellos, & ad eos qui conſuerunt (e) audire, transmittant: nec appellantes iniuriarum adflictatione (f) deterritos a ſuffragio (g) neceſſariæ defenſionis expellant. Inponimus enim præſentis multæ faſcem (h), vt Iudex qui ſuſcipere neglexerit, auri libras X. & Officium eius quindecim pendat. PP. Cyzico, (i) VI. Kal. Mart. Placido & Romulo Coss. [343.]

N O T A E

(a) Abeſt & hæc *lex* a *Cod. Iuſt.* GOTHOFR.

(b) Himerii Orationem in Scyllacium Ἀνθύπατον Ἑλλάδος, memorat Photius duobus locis *num.* 165. *pag.* 354. *edit. Schotti,* & iterum *n.* 243. *pag.* 1135. Verum alia dignitate Scyllacium, cui hæc *lex* inſcribitur, fuiſſe oportet: vel ſaltem Vicarium, & quidem Aſiæ, & quidem argumento ſubſcriptionis *huius leg. PP. Cyzico. ID.*

(c) A te, ſcil. ſub cuius diſpoſitione Præſides fuerunt, *ID.*

(d) Ex litigatoribus. *ID.*

(e) Vice ſacra audire. *ID.*

(f) *Adflictatio. ID.*

(g) *Suffragium* appellationis: ita quoque vocatur *l. 21. inf. quorum appellat. ID.*

(h) *Faſcis,* multæ grauis ſcil. *ID.*

(i) De *Cyzico* mox: v. de ea Stephanum, Vitruuium *lib. 6. c. 6.* Plinium *lib. 5. c. vlt.* Amm. Marcellinum duobus locis, *lib. 22. cap. 8.* & *lib. 26. c. 8. ID.*

C O M M E N T A R I V S.

P. 144. DE RECIPIENDIS Appellationibus a Iudicibus ſeu Rectoribus prouinciarum, neque ideo iniuria afficiendis appellatoribus, quod facere ſoliti, vt plures iam ſupra fuerunt conſtitutiones Conſtantini M. puta *lex 2. 4. 11. 13. 16. ſup. h. t.* & *l. 2. ſup. de relationib.* ita & hæc Conſtantii *lex* eſt, & rurſum *lex 25. infr.* & *l. 20. Cod. I. de appell.* erunt & aliorum deinceps Principum *lex 33. 51. 58. 59. 60. inf. hoc tit.* Quare cum tot hac de re ſint conſtitutiones, nihil attinet huic vltra immorari. De multa tantum huic rei impoſita ſunt Conſtantii hæc *lex* & *l. 25. inf.* Valentiniani *l. 33.* Theodoſii M. *l. 51.* Honorii *l. 58. 59. 60.*

Subſcriptio igitur tantum in *hac leg.* notanda, & ex ea Inſcriptio illuſtranda. Dicitur nempe hæc *lex PP. Cyzico:* quomodo & ibidem data dicitur, vt ipſe repono, *lex 7. ſup. de murilegulis:* & *l. 17. inf. quorum appellationes.* Fuit vero ea vrbs Helleſponti ſub Proconſule Aſiæ, vt diſerte Am. Marcellinus in Procopii Tyranni rebus *lib. 26. cap. 8.* Fuit vero ea vrbs inexuperabili mœnium ambitu, monumentis quoque veteribus cognita, teſte eodem Marcellino: *d. c. 8.* Ibidem erant Theſauri eodem Marcellino teſte *ibidem,* & Moneta publica erat & Linyphium, vt teſtatur Sozomenus *lib. 5. c. 15.* de Gynæciis ibi videatur & accipienda *lex 7. ſupr. de murilegulis.* Denique fuit hæc metropolis Helleſponti: vnde & Diogenes Cyzici Metropoleos Epiſcopus dicitur *act. 10. Concilii Chalcedonenſis.* Quare ibi, tanquam in metropoli *Propoſita* hæc *l. e.* Quæ cum ita ſint hinc ſimul diſcimus, *Scyllacium,* cui hæc *lex* inſcribitur, Helleſponto præfuiſſe: de quo iam dixi in *Not. i.*

A PRÆ.

A PRÆFECTO VRBIS *Senatoribus appellare licere.*

XXIII. (a) Idem AA. ad Ruſticum P. V. (b)

DVDVM (c) meminimus ſancientibus (d) nobis eſſe decretum, vt, iuris veteris (e) auctoritate ſubmota, nullus Clariſſimus (f) a Præfecti Vrbis ſententia prouocandi vſurparet licentius facultatem: ſed cunctas nobis partes publicæ vtilitatis atque communis iuris volentibus præſtare, viſum eſt, vt vetuſtatis auctoritas, & appellandi facultas & origo repetatur: ſcilicet, conſeneſcente priore lege, qua iſtiusmodi poteſtas videatur (g) excluſa. PP. Rom. VI. Non. Iul. Amantio & Albino Coss. [345.]

N O T A E.

(a) Abeſt hæc *lex* a *Cod. Iuſt.* GOTHOFR.

(b) *Ruſticus* ſub Conſtante P. V. Romæ ſcil. quod ſubſcriptio *legis* oſtendit. Sed & Auctor *Conſularium* & *Notitiæ Præfectorum V.* eius meminit his ipſis Conſulibus; *Amantio & Albino*, inquit, *COSS. & Ruſticus P. V. Tertio Nonas Iul. Probinus Præfectus Vrbis.* Sed & ſuperioribus COSS. *Leontio & Saluſtio COSS.* ID.

(c) Forte A. 339. *ID.*

(d) Hæc *lex* nuſpiam extat. Attamen eam cohæſiſſe puto *legi* 3. & 4. *ſup. de Prætoribus.* A. D. 339. *ID.*

(e) Id ſane comprobat *lex* 38. *D. de minorib.* *ID.*

(f) *Clariſſimus*, id eſt Senator, Senatorius. *ID.*

(g) *Videbatur*, vel *videtur*. De hac voce v. *Gloſſ.* *ID.*

C O M M E N T A R I V S.

A PRÆFECTO VRBIS vt iam olim appellari potuit, quod præter *hanc leg.* docuit iam *lex 11. ſup.* & *lex 38. D. de minorib.* & porro potuit *l. 30. inf.* & *l. vlt. inf. de his qui per met. Iud. non appell.* & quidem indiſtincte, cuiuscunque conditionis litigator foret: ita & *hac leg.* idipſum, qua confirmatur, qua reducitur a Conſtante Imp. antiquata ſeu abrogata quadam *lege* ſua, qua contra iuris veteris ſeu vetuſtatis auctoritatem ante aliquot annos in Senatoribus aliter conſtituerat: nempe vt hi a Præfecto V. appellare non poſſent. Scilicet notum, Præfectum vrbi, vt Senatus Præſulem, ita & Senatorum proprium cognitorem fuiſſe: de quo v. *l. 1. ſup. de accuſat.* *l. vlt. ſup. de iuriſdictione.* Symmachum *lib. 10. ep. 62.* Rutilium Numatianum *lib. 1. Itinerarii.* Sidonium *lib. 1. ep. 9.* Caſſiodorum VI. *Var.* 4. de quo in *Apolytico noſtro* plenius: Id vt notum, ita res quoque eo deuenit, vt Conſtans *huiuſce leg.* auctor, ita Præfectum Vrbis Senatorum Iudicem eſſe voluerit, vt non alius de iis cognoſcere, eorumque Iudex eſſe poſſet: id eſt a Præfecto Vrbis Senator appellare poſtea non poſſet. Verum id ipſe *hac leg.* nunc abrogat, reducto iure veteri. Nempe proprium quidem Senatorum Iudicem eſſe vult P. V. at enim ab eo adhuc ad ſe Principem appellationem iiſdem Senatoribus tribuit: proculdubio ad Senatus Romani petitionem. Iniquum ſcil. ei viſum nunc, vt quæ fauore Senatorum introducta fuerant, vt ſcil. Præfectum Vrbi Iudicem ſortirentur, in eorum odium retorqueri, appellationis videl. iure eis denegato. Itaque *communis iuris* (vt *h. l.* vocat) hac parte Senatores exſortes eſſe, nunc non patitur. Fori præſcriptio denique commune appellationis jus ad Principem non ideo adimere debet. Et abſurdum eſt, Priuilegium priuilegiato ius commune, ac maxime prouocationis auxilium adimere. Cæterum coniectura ducor, ita nunc id a Conſtante Imp. conſtitutum, quod Ruſticus P. V. cui hæc *lex* inſcribitur, indulta poteſtate abuteretur aduerſus Senatores: vnde etiam illud reperio, triduo poſt *hanc l.* p. 245 ſuffectum illi in Præfectura vrbana Probinum, apud Auctorem *Notitiæ Præfectorum Vrbi.*

Ex his interim liquet, errare eos, & in his Iuretum in *Symmachi lib. 10. ep. 55* qui ex *hac l.* colligunt hoc tempore ſimpliciter a ſententia Præfecti vrbis appellare non licuiſſe: cum de *Senatoribus* id tantum dicatur.

De RELATIONIBVS *ad Principem: deque* GESTIS *& refutatoriis vna mittendis.*

XXIV. (a) Idem AA. Procopio Præſidi Ciliciæ (b).

CVM in controuerſia criminali (c), ſiue ciuili Iudex ad nos exiſtimauerit (d) referendum, Acta (e) vt geſta ſunt, Refutatorios (f) libellos vt oblati ſunt, referri (g) oportet: Quos quidem exigi, & intra præſcriptum Patria † Conſtitutione tempus a iurgantibus flagitari, iubemus: Ac pronunciamus (h), grauiſſimam notam (i) eſſe ſubiturum, quisquis (k) hæc a nobis conſtituta neglexerit. PP. VI. Id. Nouemb. Philippo & Sallia Coss. [348.]

NOTAE.

NOTAE.

(a) Abeſt hæc *lex a Cod. Iuſt.* **GOTHOFR.**

(b) *Procopius* Præſes Ciliciæ ſub Conſtantio. Alius ab hoc Procopius ſub eodem Conſtantio Notarius A. D. 358. qui poſtea Tyrannus ſub Valente fuit. Vid. Marcellinum *extremo lib.* 17. *ID.*

(c) *Vid. l.* 3 & 5. *ſup de relationib. ID.*

(d) Et vero id per ſententiam promiſerit, pronunciauerit, ſpoponderit. vid. *Paratitlon ſup. de Relationibus. ID.*

(e) De hac Actorum transmiſſione dixi plene ad *l.* 4. *ſup. de Relation. ID.*

(f) De *Refutatoriis* his vid. *l.* 1. §. 11. 16. *ſup.* & *l.* 5. *ſupr. de relationib. ID.*

(g) Vel deferri. *ID.*

† Conſtantini M. intelligit *legem* 1. *ſup. hoc titulo. ID.*

(h) *Deuotiſsimus. ID.*

(i) Notabili ſententia reprebenſus, *l.* 34. *inf.* perennibus notis inuretur, *l.* 9. *ſup. ID.*

(k) *Iudex*, vt *initio legis. ID.*

COMMENTARIVS

De Relationibvs, deque Actorum & Refutatoriorum ſimul transmiſſione & Temporis hac parte nominatim, Conſtantinianea *lex* 1. *ſup. h. t.* hac Conſtantii conſtitutione confirmatur.

Illud tantum ſingulare *h. l.* quod Iudicibus a litigatoribus Refutatoriurum exigendorum, flagitandorum cura imponitur.

De POENA *iudicis legitimam appellationem non recipientis.*

XXV. (a) Idem (b) AA. ad Lollianum PF. P. (c)

Qvoniam Iudices Ordinarii (d) prouocationes æſtimant (e) reſpuendas, placet, vt ſi quis appellationem ſuſcipere recuſauerit, quæ (f) non ab * exſecutione, vel a præiudicio, ſed a ſententia iurgium terminante fuerit interpoſita, triginta pondo auri cogatur fiſco (g) inferre xxx. (h) alias libras auri Officio eius itidem ſoluturo. Dat, VIII. (i) Kal. Aug. Meſſadenſi, PP. Capuæ, (k) Arbitione & Lolliano Coss. [355.]

NOTAE.

(a) *Lex* 21. *Cod. Iuſt. eod. tit.* Iungenda autem huic *lex* 11. *quorum appell. non recip.* quæ & argumento conuenit, & ex *hac*, vt puto, a Theodoſiani Codicis conditoribus deformata eſt. **GOTHOFR.**

(b) *yp.* Imp. CONSTANTIVS A. & CONSTANS C. vel ſane tantum Imp. *Conſtantius.* vid. *Conſularia Theodoſiana. ID.*

(c) Hic *Mauortius Lollianus* eſt, ad quem Iulius Firmicus libros ſuos octo *Aſtronom.* ſcribit. Eidem inſcribitur hoc ipſo Anno *lex* 1. *de Curioſis.* vid. & Ammianum Marcellinum *lib.* 16. *c.* 8. in geſtis anni 356. Huic eidem inſcribi puto *l.* 21 C. I. *mandati.* Fuit autem PP. Italiæ. *ID.*

(d) *Ordinarii* Iudices, id eſt Rectores prouinciarum. *ID.*

(e) *Exiſtimant*, C. Iuſt. *ID.*

(f) *Quæ non contra executionem, ſed aduerſus ſententiam, intentionem iurgiumque terminantem* &c. ita *Cod. Iuſt. ID.*

* *Lex* 11. *inf. quorum appell. non recip.* hinc deformata mihi videtur. *ID.*

P. 146. (g) *Largitionibus noſtris*, Cod. Iuſt. *ID.*

(h) *Triginta alia Officio eius itidem ſoluturo, niſi ei pertinaciter reſtiterit, atque actis contradixerit, & quid iure ſit conſtitutum oſtenderit:* ita *Cod. Iuſt. ID.*

(i) VIII. ita *d. lege* 11. & *d. l.* 21. & omnes Editiones, excepta Pariſienſi poſtrema, ex errore, vt videtur. *ID.*

(k) In ſubſcriptione itidem hic notanda illa, *PP. Capuæ:* cui occurrit ſimilis in *l.* 1. *ſup. de Salgamo hoſpitib. non præb.* quæ *lex* ad prouinciales data eſt: item in *leg.* 14. *ſup. de extr. aord. ſiue ſord. muner. Lecta Capuæ*, quæ & ipſa inſcribitur Siagrio PP. Ex quibus omnibus colligitur, vt Capua Prouinciæ Campaniæ metropolis fuit, ita & ad Prouinciales Italiæ, & ad Præfectos Pr. Italiæ emiſſas conſtitutiones, *Capuæ* quoque propoſitas. *ID.*

COMMENTARIVS.

De Recipiendis a Iudicibus ordinariis, Rectoribus Prouinciarum, (& quidem Italiæ in ſpecie *huius leg.*) appellationibus: deque *Pœna* ſeu *Multa* Iudicum & Officialium appellationes ſuſcipere recuſantium ſeu reſpuentium, vt frequentes iam Conſtantini M. conſtitutiones fuerunt, imo & eiusdem Conſtantii iam *lex* 22. *ſup.* ſeu *l.* 20. *C. Iuſt. de appellat.* ita & *hac lex:* cui iungenda eſt *lex* 11. *infr. quorum appell.* quæ ex *hac*, ab *huius Cod.* Conditoribus efformata eſt. Quare de duabus illis Exceptionibus, quæ *hac l.* continentur, ad *eam* dicetur, & plenius ad *leg.* 28. *illius tit.*

Quod *pœnam* ſeu multam *hac leg.* propoſitam attinet, Iudicibus eorumque Officiis appellationes reſpuentibus, præter duas Conſtantii leges, puta *hanc*, & *leg.* 22. *ſup.* ſunt præterea Valentiniani

lex 33. infr. Theodoſii M. *lex 51.* Honorii *lex 58. 59. 60.*

In ſubſcriptione *huius leg.* duo notanda veniunt: Primo iſta, *Dat. Meſſadenſi*, vel *Meſiatenſi:* vbi *Meſſacenſes* ſeu *Miſauci* intelligendi ſunt in Lepontiis, quorum meminit & Ptolemæus: *Meſiaces* vocantur in *Itinerario Peutingeri.* In literis vetuſtioribus Curiæ Rhætorum locus *Meſaucum* vocatur; & Vallis ipſa, *vallis Meſauca:* quam Meſa amnis mediam ſecat; hodie, *vallis Meſolcina, Maſoxer tal.* Italis, *Val. Meſaucina*, vrbs *Muſocca:* qui omnino ſunt Muſaccenſes iſti in campis ſcil. Caninis (vbi & *Bilitio*, teſte Gregorio Turonenſi *lib. 10. c. 3.* *Muſocco* vicina:) Auctor enim eſt Amm. Marcellinus *lib. 15. c. 4.* hoc Anno 355. Conſtantium indicto Lentienſibus Alemannis bello Mediolano digreſſum in Rhætias Camposque Caninos: de his Campis caninis vid. & Sidonium Apollinar. *carm. 5. v. 377.* & *Gregor. Turon. lib. 10. c. 3.* vnde mox exercitum ad lacum Brigantium miſit. Et vero recto itinere pergentibus Mediolano per campos Caninos ad lacum Brigantium interiacet *Bilitio, Muſocco:* atque exinde *Dimumma* (forte *Bilumma*) vbi data paulo poſt ab eodem Conſtantio *lex 8. ſup. de Exactionib.*

In quibus FISCALIBVS *cauſis appellare liceat.*

XXVI. (a) Idem AA. (b) ad Voluſianum PF. P. (c) Poſt alia (d).

LATA ſententia, quæ pertinent (e) ad bona vacantia, & (f) caduca, & ad ea quæ indignis (g) Legibus † cogentibus, auferuntur, ſi quis putauerit prouocandum, vox (h) eius debebit admitti. Dat. III. (i) Kal. Aug. Arbitione & Lolliano Coss. [355.]

NOTAE.

(a) *Lex 12. Cod. Iuſt. eod. tit.* Iungenda huic, *lex 12. inf quorum appellation. non recip.* GOTHOFR.

(b) *γρ. Idem A.* & C. vel ſane tantum *Imp. Conſtantius A.* ID.

(c) *Voluſianus* PP. ſub Conſtantio: v. *Proſopogr.* ID.

(d) Quæ continentur in *d. l. 12.* ID.

(e) *γρ. Pertinet*, vt eſt in Cod. I. vel *pertineat.* ID.

(f) Hæc omiſſa *Cod. Iuſt.* de quo mox. ID.

(g) *Vt Indignis.* Cod. Iuſt. ID.

† Iuliam & Papiam intelligit. ID.

(h) Vide quæ dixi ad *l. 20. ſup.* ID.

(i) IV. *d. l. 12.* ID.

COMMENTARIVS.

FISCALIBVS in cauſis, cum hactenus ſub Conſtantino M. primisque Conſtantii annis indiſtincte appellationi locus eſſet (de quo vide *ſupra, l. 8. 14. 18. 21.*) Conſtantio diſtinctio iam placet, vt *hac l.* ita & aliis *legibus* pluribus ſub *titulo infr. quorum appellat.* nominatim *lege 12. infr. quor. appellat.* quæ *huic* coniungenda & præmittenda eſt: Diſtinctio hæc inquam inducitur, ſi de cauſis poſitationum debitorumque Fiſcalium agatur, id eſt de annonis & tributis, inhibitam eſſe appellationem: Quod idem Conſtantius cauit, *l. 6. 8. 9. 10. 12. inf. quorum appell.* & *l. 6. ſup. de iure fiſci:* de quo plenius dicam ad *d. l. 6. infr. quorum appellat.* *Publica*, vt ea *lex 12.* ait, *vtilitate ſuadente*, quia ſcilicet in tributis & annonis nerui Reip. conſiſtunt; atque iis vt reliqua onera, ita res potiſſimum militaris innititur, de quo plenius ad *eam legem:* Et ſic ſententia executioni traditur non obſtante appellatione. At enim ſi de bonis *aduentitiis*, quæ Fiſco aliter obueniunt, agatur, tum appellationem admitti. Quæ inſignis eſt differentia cauſarum fiſcalium, in quibus agitur vel de Canonicis & neceſſariis obuentionibus, vel de aduentitiis.

Cæterum aduentitiorum tres hic ſpecies deſignantur, quæ nos vocamus, *Parties caſuelles:* ex *lege Iulia & Papia*, puta, *vacantia, caduca*, & *ereptitia:* hæ enim ſpecies, ſiue cauſæ, ſiue caſus aduentitiorum fiſco quærendorum *lege Iulia & Pa-* P.147. *pia* fuerunt, quod exſequitur collectio noſtra *legis Iuliæ & Papiæ;* quæ & inde etiam *Caducaria* dicta fuit.

Illud non prætereundum, Tribonianum hæc *huius l.* verba, *& caduca*, in *Cod. ſuo repetitæ prælectionis* ſuſtuliſſe propter *l. vlt. Cod. eod. de caducis tollendis.* De bonis alioquin *vacantibus*, fuit *ſupra titulus 8. lib. 10.*

EX ITALIÆ *prouinciis quamplurimis* h. l. *deſignatis, ad Præfectum Prætorio, non ad Præfectum vrbis appellandum.*

XXVII. (a) Idem AA. (b) & Iulianus Cæſ. ad Taurum PF. P. (c)

DE Sardinia, Sicilia, Campania, Calabria, Brutiis & Piceno (d), Æmilia & Venetia, & ceteris (e), interpoſitas appellationes Laudabilis Sublimitas Tua more (f) ſollemni debebit audire, competenti appellatione terminandas. Nec vero vlla poterit eſſe confuſio: Præfectus enim Vrbis, noſtra reſponſione conuentus, prædictis (g) cognitionibus temperandum ſibi eſſe cognouit. Dat. Sirmio, (h) Conſtantio A. IX. & Iuliano II. Cæſ. CONSS. [357.]

N O T A E.

(a) Abeſt hæc *lex* a *Cod. Iuſt.* velut hiſtorica & localis. *GOTHOFR.*

(b) *rg. Idem A. ID.*

(c) *Taurus* PF. ſub Conſtantio, idque Italiæ: v. *Proſopogr. ID.*

(d) Annonario, de quo mox plura. *ID.*

(e) Italiæ prouinciis: quanquam malim, *vt cæteris*: ſunt autem cæteræ hæ: *Lucania, Apulia, Flaminia, Tuſcia. ID.*

(f) An hoc vult, prout hactenus ſolitus eſt? Minime. *More ſolenni*, hic eſt ſolennibus appellationum completis, & cognitione ſolenni. *ID*

(g) Appellationum videlicet, ſeu de appellationibus. *ID.*

(h) Menſi Decembri *hæc l.* tribuenda eſt. vide *Conſularia Theodoſiana. ID.*

C O M M E N T A R I V S.

EX ITALIÆ prouinciis, partim *h. l.* expreſſis, tum ex cæteris appellationes Po. P. Italiæ tribuuntur hac Conſtitutione a Conſtantio A. D. 357.

Hæc etſi manifeſta *huius leg.* ſententia ſit; de eo tamen ambigitur, ſerramque inter ſe hodie reciprocant Viri Docti: num *hac* primum *lege* Præfecto Prætorio ius iſtud appellationum ex his Italiæ prouinciis delatum fuerit, quod antea Præfecto vrbis competebat, & ſic transferatur ius iſtud nunc a Præfecto vrbis, ad Præfectum Prætorio. An vero Præfecti Prætorio tantum iuriſdictio *hac leg.* ſtabiliatur: aduerſus Præfecti vrbis vſurpationem. Ego vero illud potius puto: Certum enim eſt, vetuſtiore iure appellationes has ad Præfectum vrbis factas: de quo monui iam teſtimoniaque congeſſi olim in *Coniectura* noſtra. At nunc aucta in maius Præfecti Prætorio dignitas & Iuriſdictio: & hoc quidem tempore a Conſtantio Imp. qui hoc ipſo Anno Romæ fuit: quo tempore etiam ipſo ferme *Vrbicariarum* Regionum nomen primo auditum: cuius antiquiſſima mihi mentio occurrit biennio poſt, An. 359. *Euſebio & Hypatio COSS. l. 9. ſupr. de extraordinariis.* Quam appellationem hoc tempore hinc enatam iure quis exiſtimet: vt ita *Vrbicariæ* Regiones ſint, quæ vrbi, Præfecturæque vrbis adnexæ erant, & ex quibus ad P. V. appellabatur: Quas etiam Quatuor regiones fuiſſe indicatur eodem Anno 359. *l. 1. infr. de calcis coctoribus.*

Quanquam autem de appellationibus cognoſcendi ex illis Prouinciis P. P. Italiæ *hac l.* tribuatur, & P. V. adimatur, attamen non omne Ius P. V. in iis prouinciis adimitur, quin imo contrarium *hac ipſa leg.* innuitur: nempe vtrique in eas prouincias ius aliquod competiiſſe diſtinctum. *Nec vero*, inquit, *vlla poterit eſſe* CONFVSIO: *Præfectus enim Vrbis noſtra reſponſione conuentus*, PRÆDICTIS COGNITIONIBVS *temperandum ſibi eſſe cognouit.* Ait *lex, prædictis cognitionib.* appellationum ſcilicet: Ergo non omne ius ademptum in eas prouincias Præfecto Vrbis: ſed appellationis tantum ex iis. Sane per Campaniam nominatim ius aliquod P. V. ſtetiſſe deinceps, docet *lex 3. infr. de Suariis: l. 2. infr. de equis curulib. l. 68. infr. de decurion.* & Symmachus ipſe Præfectus V. *lib. 10. epiſt. 53.* adeo quidem vt Symmachus eodem loco oſtendat, a *Campania* Conſulari ad Præfectum V. tum appellatum. Quanquam, quodnam & quatenus Præfecto V. ius in Campaniam fuerit, oſtendi ad *l. 12. ſupr. de pœnis.* puta intra Latium ſuburbicarium, quod Campaniæ adminiſtrationi alioquin iunctum erat. Denique quicquid *hac l.* tandem conſtituatur, certe poſtea ex nonnullis (& quidem Italiæ) Prouinciis adhuc ad P. V. appellatum teſtatur expreſſis verbis Caſſiodorus VI. *Variar. in formula Præfecturæ Vrbanæ. 4. Ditioni tuæ*, inquit, *non ſolum Roma commiſſa eſt: verum etiam intra centeſimum milliarium poteſtatem te protendere antiqua Iura voluerunt: tu* ETIAM *ex deſignatis* LEGE *prouinciis appellatione cognoſcis.* Sed & Symmachus ex *Sicilia* (quæ & *ipſa hac l.* P. V. adimitur) ad P. V. ſuo tempore appellatum, *lib. 2. epiſt. 3a.* oſtendit. *Nam referendi*, inquit (ad Principem) *hæc ſola P. V. ratio fuit, non vt receptarum appellationum pœnam Siciliæ Rector exſolueret, ſed vt iniuriam ſuam Sacri Auditorii cognitor vindicaret* &c. Quinimo & idem *lib. 10. epiſt. 51.* de *Apulia* idipſum teſtatur. Imo & de Brutiis *lib. 2. epiſt. 44.* Quare his omnibus expenſis *hanc l.* non diu neque indiſtincte ſtetiſſe cenſeo, verum ius appellationum ex nonnullis ſaltem Italiæ prouinciis ac nominatim e Campania ad PF. V. mox rediiſſe, & quidem *lege* aliqua (quam Caſſiodorus intellexerit) & cui indicium facere videri

deri poſſit *lex 3. infr. de Suariis*, Iuliani. Sane
p. 148. poſtea quoque cum prouinciæ complures Africanæ in Vandalorum iura ceſſiſſent, & decreti antiquitus cognitoris ceſſaret officium ab omnibus Iudicibus Africanarum prouinciarum ad Imperium Romanum pertinentium, ad P. V. Romæ appellari voluit Valentinianus III. *Nouella de tributis fiſcalib. & de ſacro auditorio*, inter *Theodoſianas* 23.

Quicquid huius ſit, grauis eorum error eſt, qui nonnullas ex illis Italiæ prouinciis, quæ hic deſignantur, de ſuburbicariarum numero fuiſſe cenſent, cum intra centeſimum eas concluſas fuiſſe & ab his expreſſis paſſim vel *hoc Codice* ſeparari, *l. 2. ſupr. de extraord. munerib. l. 20. ſupr. de tyronibus*, *l. 12. ſupr. de indulgent. debit.* imo ab Italia ipſa ſpecialiter accepta, *d. l. 2. & 9. ſupr. de annona & tribut. l vn. ſupr. ſi per obreption. Nouell. Maioriani de adulteriis 9.* alibi prolixe oſtenſum. Denique, quis putet ex ſuburbicariis appellationum ius P. V. ademptum: cum hæc eius peculiaris Diœceſis extiterit? v. *l. 13. ſupr. de accuſationib.*

In FISCALIBVS *cauſis intra quæ* TEMPORA *appellationes terminari debeant.*

XXVIII. (a) Idem AA. (b) ad Taurum PF. P. (c)

PATRIS Noſtri (d) ſalutaribus imperatis † comperimus, dudum eſſe præceptum, vt ſi a Rationali, vel Comite, (e) vel alio qui curam fiſcalis commodi gerit; fiſcale debitum poſtulante, fuerit prouocatum, ad eos qui Vice (f) Noſtra huiusmodi cognitionibus præſident, appellatores intra diem triceſimum perducantur, aduerſus ſententias, quas iniquas eſſe contendunt, exſecuturi proprias actiones: Quapropter (g) viginti ſufficit dies intra eandem prouinciam cuſtodiri, intra quam fuerit prouocatum: ſicut ex aliis, quadraginta ſeruentur: adque intra eorum (h) terminos, quod (i) Patris Noſtri Conſtitutio ſtatuit, explicetur. Dat. XIV. Kal. Iul. Singiduno (k). PP. X. Kal. Aug. Rom. Euſebio, & Hypatio Coss. [359.]

NOTAE.

(a) Abeſt hæc *lex* a *Cod. Iuſt.* *GOTHOFR.*

(b) *γρ. Idem A* & *Iulianus Caſ.* *ID.*

(c) *Taurus* PP. ſub Conſtantio, Italiæ, quod & ſubſcriptio *legis* oſtendit: vid. *Proſopogr.* *ID.*

(d) Conſtantini M. *ID.*

† Hæc *Conſtantini M.* conſtitutio non extat. *ID.*

(e) Largitionum; ſeu largitionalium titulorum, vel Comite Theſaurorum: de his Comitibus ſemel dixi plene ad *l. vn. de Conſularib. & Præſidibus.* Comes ærarii vocatur *l. 39. infr.* *ID.*

(f) Comites S. L. & R. P. intelligit. *ID.*

(g) Hæc vox *Quapropter*, emendationi & correctioni iuris ſubſeruit. *ID.*

(h) Dierum. *ID.*

(i) *Id quod*, id eſt, appellationum merita expendant. *ID.*

(k) *Singidunum* in Mœſia, vbi hoc tempore verſatus Conſtantius aduerſus Sarmatas Limigantes: Vide Ammianum Marcellinum, & *Chronologiam*. *ID.*

COMMENTARIVS.

FISCALIBVS in cauſis a RATIONALI vel COMITE appellationes intra quod tempus terminari debeant, hac Conſtantii Conſtitutione definitur; vt exemplo paterno, Conſtantini M. ſcil. ita nouo temperamento addito: Nempe Conſtantinus M. indiſtincte trigeſimum diem præſtituerat: Atenim *hac l.* prouinciarum diſtinctio fit; qua tandem illud efficitur, triginta dies a Conſtantino præſtitutos, vel nimis laxos, vel nimis anguſtos viſos: nimis laxos, ſi intra eandem prouinciam res eſſet, atque ita viginti dies ſufficere, quod & ipſum iam conſtitutum *l. 21. ſupra.* nimis anguſtos, ſi ex aliis prouinciis atque ideo quadraginta ſeruandos eſſe. Quæ omnia quaſi confirmantur, qua memorantur, *l. 46.* & *l. 64. infr.* Quanquam & nouum poſtea diſcrimen inter contiguas prouincias, & longe poſitas inductum: *l. 45. 46. 64. infr. h. t.*

Illud tantum ex *hac* ſingulari *lege* obſeruandum, Conſtantini M. iam temporibus conſtitutione aliqua a Rationalibus & Comitibus & ſimilibus, ad Comites S. L. & R. P. appellatum, viceque Principis huiusmodi cognitionibus præſediſſe. Quod & ipſum confirmat *lex 39. 40. 45. 46. infr.* cum tamen An. 326. vel 329 adhuc, ad Principem a Rationalibus appellaretur, vt docuit *lex 18. ſupr.* Quod argumento eſt: non niſi ſub extremis Conſtantini M temporibus Comites iſtos S. L. & R. P. inſtitutos fuiſſe: Quorum etiam non antiquiorem mentionem reperi, quam circa A. D. 340. de quo in *Notitia noſtra.*

Tandem obſeruandum de appellatione a Rationali *nouem* hoc titulo *leges* occurrere: puta hanc *l.* & *l. 39. 41. 45. 46. 49. 68.* ſeu *vlt.* *l. 14.* & *18. ſupr.*

De

P.249. *De* RECIPIENDIS *appellationibus deque* GESTIS *ad Principem ſuſcepta appellatione mittendis.*

XXIX. (a) Imp. IVLIANVS A. ad Hymetium (b) Vic. Vrb.

OMNES legitimæ appellationes, quæcumque fuerint contra Audientiam Tuæ Grauitatis (c) interpoſitæ, indubitanter ſuſcipiantur: & poſt latam ſententiam, intra triginta dies, vniuerſa, quæ in eiuſmodi negotio geruntur, (f) cum Refutatoriis (g) precibus, ſeu libellis ad Noſtrum Comitatum (h) mittantur: ſtrenuo videlicet Officiali, ex his qui tibi (i) parent, ad hanc ſollicitudinem electo: ita vt publicis monumentis confectis, dies quo gerulis (k) geſta tradantur, (l) fideliter deſignetur. Nam X. librarum auri multæ conſtituetur Officium obnoxium, ſi ſtatuta noſtra aliqua fuerint diſſimulatione (m) violata. Dat. X, Kal. Octobr. Antiochiæ, Mamertino & Neuitta Coſs. [362.]

NOTAE.

(a) Abeſt hæc *lex* a *Cod. Iuſt.* *GOTHOFR.*

(b) *Hymetius* hic Vicarius vrbis Romæ, idem videtur, qui paulo poſt Proconſul Africæ fuit, de quo eiusque iudicio Amm. Marcellinus *lib.* 28. *c.* 1. De eo plura in *Proſopogr.* Hymetius, Τμήτιος apud Baſilium *ep.* 330. v. & Hieronymum *Ep.* 7. *ad Lætam de inſtitutione filiæ.* *ID.*

(c) *Grauitatis* titulus Vicariis tributus. *ID.*

(f) Agitantur, geſta ſunt, vel geri ſolent. *ID.*

(g) De *Refutatoriis* his iam ad *leges ſuperiores* ſæpe. *ID.*

(h) *Comitatus* Principis *h. l.* & *l.* 31. *infr.* vid. *Gloſſ. Theod.* *ID.*

(i) *Officium* ſeu Officiales Vicarii vrbis nota. *ID.*

(k) De his *Gerulis* quoque *l.* 31. *infr.* *ID.*

(l) Pro traduntur. *ID.*

(m) Officiales enim *Leges* Iudicibus ſuggerere tenebantur: de quo vid. vel *l.* 8. *ſupr.* *ID.*

COMMENTARIVS.

IVLIANI Imp. tres ordine conſtitutiones ſequuntur: partim de appellationibus incunctanter recipiendis a Iudicibus, partim de Geſtis omnibus poſt admiſſam Appellationem ad Comitatum Principis transmittendis, denique & de iudicio appellationis accelerando. Quod omne vt ad Iuſtitiæ Iuliani laudem pertinet, quo nomine olim commendatur, de quo vid. vel teſtimonium Ammiani Marcellini *lib.* 25. *cap* 4. ita poſtremum iſtud eo quoque pertinet, quod incertus Auctor apud Suidam de Iuliano ſcribit, eum dilationes moraſque in iudiciis reſpuiſſe τὰς ἀναβολάς. Quo etiam ſpectat *lex* 1. *ſupr. de dominio rei quæ poſcitur.* Eo igitur, quem dixi, fine, Iulianus hac conſtitutione & altera inſuper *l. prox.* 30. *infr.* iubet, SVSCIPI, ſeu RECIPI a Iudicibus Appellationes legitimas *indubitanter*, & quidem in ſpecie *huius legis* a Vicario Vrbis Romæ ad ſe Imperatorem factas, de quo, de recipiendis inquam legitimis appellationibus incunctanter, variæ ſunt aliorum Principum hoc titulo leges: Deinde iubet TRANSMITTI ad Comitatum ſuum, ſeu ad ſa ſcriniaque ſua geſta omnia cum Refutatoriis: de quo fuerunt quoque iam *ſupra* complurimæ *leges:* Idque (quod præcipuum *huius leg.* caput eſt) intra triginta dies poſt latam ſententiam. Quod & ipſum in Relationibus eidem placuit, *l.* 31. *infr.* Idemque tempus ſeu ſpatium placuit quoque poſt Iulianum, Valentiniano *l.* 32, 34. *infr*, & Honorio, *l.* 65. *infr.* cum Conſtantinus M. dies viginti tantum in id ſtatuiſſet, *l.* 8. *ſupr.* Ad eum porro finem, vt *properanter* hæc tranſmitterentur, ex Officialium Iudicis a quo appellaretur numero, ſtrenuum aliquem eligi iubet *hac leg.* & iterum *dict. l.* 31. diemque in actis publicis conſignari, notari, quo geſta hæc gerulo tradita fuerunt: de quo ad *d. l.* 31. Et ſic Iulianus appellationes & *incunctanter* ſuſcipi, & properanter ceu *celeriter*, vel, vt *huius l.* verbo vtar, *ſtrenue* accelerari voluit: citra *tarditatis obſtaculum*, vt eiuſdem Iuliani *l* 31.

Cæterum pertinet hæc *lex* proprie ad Vicarium Vrbis Romæ, a quo ad Principem appellatum hæc *lex* oſtendit: quod quomodo ſub diſtinctione immutatum fuerit in cauſis criminalibus, vid. Honorii Imp. *legem* 61. *infr* *h. t.* Et ad quem appellatione facta ad Principem ex vrbe Roma Antiochiam tam longe geſta mitti oportuit.

Tandem apertiſſima ſunt *huius l.* verba, hæc facienda *poſt latam ſententiam intra triginta dies:* non minus quam *l* 24. *Cod. Iuſt. eod. tit* (quæ alioquin interpolata eſt ex *l.* 32. *inf.*) Vt proinde veriſſima ſit ſententia Gloſſæ in *c.* 24. *ab eo*, 2. *qu.* 6. *in v. trigint. de appellat.* & in *Gloſſ.* 3. *in Clem. quamuis tit. de appell.* & *Gloſſ.* 2. *in l.* 1. *D. de lib. dimiſſ.* Ioannis Andreæ, Cyni, Saliceti, & crebrius quoque recepta, hos dies currere a die latæ ſententiæ: de quo v. quoque Guidonem Papam, *quæſt.* 436, *n.* 24. & Mynſingerum 4. *obſ.* 36.

P.250.

De his qui per METVM, *vel* VIM *non appellarunt.*

XXX. (a) Idem A. ad Germanianum (b) PF. P.

HIs, qui tempore competenti non appellant, redintegrandæ audientiæ facultas denegetur. Omnes igitur, qui contra Præfectos (c) Vrbi (d), ſeu Proconſules (e), ſeu Comites (f) Orientis, ſeu Vicarios (g), ſub ſpecie *Formidinis* prouocationem non arbitrantur interponendam, a renouanda (h) lite pellantur: Nobis (i) enim moderantibus Rempublicam, nullum (k) audebit Iudex prouocationis perfugium iurgantibus denegare. Qui vero *Vim* ſuſtinuerint (l), conteſtatione publice propoſita, intra dies videlicet legitimos quibus appellare licet, cauſas appellationis euidenti adfirmatione (m) diſtinguant, vt hoc facto tanquam interpoſita appellatione hisdem æquitatis adminicula tribuantur. Emiſſa (n) XV. Kalend. Ian. (o) Mamertino, & Neuitta Coss. [362.]

NOTAE.

(a) *Lex 2. C. Iuſt. de his, qui per metum iudicis non appellauerunt.* GOTHOFR.

(b) Ita quoque ſcripti Codices Iuſtinianei. Male vulgo, *Geminiano.* Cæterum *Germanianum* hunc Præfectum Pr. Orientis fuiſſe, ipſa *lex* oſtendit, & *Comitis Orientis* in ea mentio. Amm. Marcellinus quoque *lib.* 21. in Geſtis Anni ſuperioris 361. *cap.* 8 ſcribit, a Iuliano iuſſum Germanianum vicem tueri Nebridii P.P. Idem ſcribit *lib.* 26. in Geſtis Anni 365. *cap.* 5. Germanianum poteſtate Præfecti rexiſſe Gallias prouincias. *ID.*

(c) Præfectos vrbis Conſtantinop. intelligit: de quo mox. *ID.*

(d) *Magiſtros officiorum vel magiſtros militum,* additum Cod. I. *ID.*

(e) Proconſules Aſiæ, Achaiæ. *ID.*

(f) *Seu Præfectos Orientis,* hoc additum *Cod. Iuſt.* quod alienum eſt. *ID.*

(g) *Auguſtales,* additum *Cod. Iuſt.* & mox; *vel alium Iudicem:* de quo tamen loco & metatheſi ibi admiſſa, vid. Cuiac. VIII. *Obſeruat.* 21. *ID.*

(h) *Reuocanda,* Cod. Iuſt. male. *ID.*

(i) Hæc ſententia & ratio elegantiſſima a Tribon. reciſa. *ID.*

(k) Forte, *nullus:* etſi ſcil vice ſacra iudicet. *ID.*

(l) *Suſtinuerunt,* Cod. Iuſt. *ID.*

(m) *Adfirmatio,* pro probatione. Eodem ſenſu, affirmare ſcripturam, *l. vn. ſi vert. petat. de chirogr. ID.*

(n) *Emiſſa.* ſimilis ſubſcriptio *l.* 50. *infr. h. tit. l.* 3. *ſupr. de Numerar. l.* 9. *ſupr. de Agentib. l.* 11. *ſupr. de diuerſ. offic l.* 112. *infr. de decurion.* & *Nouell. Theod.* 23. Verum de hoc in *Prolegomenis. ID.*

(o) *Iul.* Cod. Iuſt. *ID.*

COMMENTARIVS.

OMISSAM ſub ſpecie *formidinis*, id eſt, vano metu, a Iudicis decreto appellationem, vt redintegrari hac conſtitutione Iulianus non permittit; ita per *Vim* apertam Iudicis omiſſæ remedium proponit, conteſtationis inquam publicæ: de quo plura *infra ſuo tit. de his qui per met. Iud.* Quod etiam iam probauerat Seuerus Imp. *l. 7. D. de appellat.* Et ita quidem Iulianus *hac leg.* in priuatorum ἰδιωτῶν cauſis: & idem tamen Imperator in cauſa ciuitatis Arginorum ad Legatorum poſtulationem, citra appellationem omiſſam vel neglectam reintegrari audientiam, renouari litem, & iudicium retractari ex æquitate voluit, *Ep* 35. ad Proconſulem procul dubio Achaiæ, εἰ μόνον ἀκούειν ἐθέλοις, καὶ λέγειν αὐτοῖς ἐπιτραπείη, τὴν δίκην ἀπ' ἀρχῆς πεύσῃ, καὶ τὸ παραςὰν ἐκ τῶν λεγομένων ὀρθῶς κριθήσεται: *Si audire voles, ipſiſque dicendi poteſtas fiat, cauſam a principio audies, & de tota ſumma recte ex eorum ratione ſtatuetur.* Et mox in ſubſequentibus adiicit, cur in huiuſmodi ciuitatum cauſis iudicia retractari æquum ſit, τὴν δίκην αὖθις ἀνάδικον ποιεῖν, *quod iudicium reuocetur*, non etiam in cauſis ἰδιωτῶν, *priuatorum*, quomodo ibi verſum oportuit ab Interprete nupero, qui ibi multa alia peccat: veluti quod ab Imperatore iam Iuliano hanc epiſtolam ſcriptam negat: nam quæ de Legatis ibi dicuntur perperam accepit.

Sequentia tantum *hac lege*, ſingularia obſeruentur: *Primo*, vanum eſſe metum, & quidem ſub bono Principe, ſiquis dicat, ſibi formidinem iniectam ne appellaret, ipſa forti Iudicis, qui ſententiam dixerit, authoritate, & magnitudine, vt quia forte vice ſacra iudicabat. Quod quidem ipſum ad inuidiam Principis pertinet, idque Iulianus hic aperte indicat, ibi, *Nobis enim moderantibus Rempublicam, nullum audebit Iudex prouocationis perfugium iurgantibus denegare.* De qua ratione plenius dicam ad *legem 2. infra, de his qui per metum Iudic.* Quo pertinet etiam Alexandri Seueri Imperatoris illud *leg. 25. D de appellatione*, rationi *huius legis* quam ſimillimum, ἐγκαλεῖσθαι μὲν πῶς τινὰς κωλύοιτο ὑπὸ τῶν δικαζόντων οὐχ ὁρῶ, ὁπότε ἔξεστιν ἑτέραν ὁδὸν τρεπομένους αὐτὸ ποιεῖν, καὶ θᾶττον πρὸς με ἀφικνεῖσθαι: *Appellare quidem qualiter quis prohibeatur a iudicantibus non video: quando licet aliam viam tenentem, idem facere, & celerius ad me peruenire.* Nempe metus iniecti præſumptio iuſta non eſt, & quidem a Iudicibus, vbi leges, iuraque publica, vbi Principis auxilium inuocari poteſt. Cui proxime accedit quod eleganter Iuriſconſult. ait, *leg. vltim in princ. D. quod met. cauſ. Non eſſe veriſimile compulſum in vrbe inique &c. cum potuerit ius publicum inuocare &c.*

Secun-

Secundo, obſeruetur hic Notitis dignitatum poſt Præfectum Prætorio præcipuarum in Oriente, qui vice ſcilicet ſacra iudicabant: Præfectus Vrbis (Conſtantinopolit. ſcilicet) Proconſul (Aſiæ ſcilicet P. 251. & Achaiæ) Comes Orientis & Vicarii (Præfectorum Prætorio) a quibus ad Principem appellabatur.

Tertio obſeruetur (de quo & ad *leg. 11. ſupr.* pleniſſime) vt a Proconſulibus, Comitibus, Vicariis: ita & a Præfectis Vrbis quoque appellari potuiſſe: Et quidem in ſpecie *huius legis* a Præfecto Vrbis Conſtantinopol. ad quem alioquin paulo ante Conſtantius appellari voluerat, vt docet *lex 23. Cod. Iuſt. de appell.* ex Bithynia, Paphlagonia, Lydia, Helleſponto, Inſulis, Phrygia ſalutari, Europa, Rhodope, Hæmimontio.

Poſtremo obſeruetur, alteram hanc *hoc Cod.* Præfecti Vrbis Conſtantinopol. mentionem occurrere: de quo ad *leg. 1. infr. de annonis ciuicis*: Antiquiſſima enim occorrit Anno 361. *lex 13. de Præt.* Et ante triennium ferme is primum inſtitutus, fine Anni 359. vid. *Chronolog.*

De GESTIS *ad Principem mittendis*, RELATIONE *promiſſa.*

XXXI. (a) Idem A. ad Mamertinum (b) PF. P.

QVONIAM plerique Rectores, Relationes, quas ad Noſtræ Tranquillitatis Comitatum deſtinare promittunt (c), ſupprimere, vel diferre conantur, praua id conſcientia faciente, conueniri eos ab Illuſtri Auctoritate Tua præcipimus, vt intellegant, ſibi quidem denarum librarum auri, Officiis vero ſuis vicenarum imminere condemnationem (d), ſi promiſſa Relatio intra triginta dies non fuerit ſine aliqua ambiguitate transmiſſa (e) his Officialibus, per quos conuenit Geſta transmitti. Et quia plerumque contingit, vt gerulis litterarum, aliquo caſu exiſtente, tarditatis obſtaculum videatur adferri, ne id quod neceſſitate contingit, ad culpam Rectorum redundare videatur, actis apud ſe confectis diem deſignare debebunt, in quo transmiſſio Geſtorum committitur his, qui huic neceſſitati deputantur. Dat. X. Kalend. April. Iuliano A. IV. & Salluſtio Coss. [363.]

NOTAE.

(a) Abeſt hæc *lex* a *Cod. Iuſt.* Concordant illi *lex* 29. 34. & 65. *GOTHOFR.*

(b) *Mamertinus* PP. Italiæ, Illyrici & Africæ ſub Iuliano, v. *Proſopogr. ID.*

(c) De hac Promiſſione ſeu ſponſione Relationum dixi ad *l. 2. ſupr. de Relation. ID.*

(d) *Condemnatio*, id eſt, mulcta, v. *Gloſſ. Theod. ID.*

(e) *Commiſſa*, vt infr. committitur, ſeu tradita, vt *d. l.* 29. *ID.*

COMMENTARIVS.

TRANSMITTENDIS Relationibus promiſſis, vna cum geſtis ad Principem iidem triginta dies, eademque cautela a Iuliano præſcribitur *hac lege*, pariter vt *leg. 34. 65. infr. hoc tit.* eademque etiam multa propoſita tum Iudici, tum Officialibus eius, quæ Appellatione interpoſita, geſtis & refutatoriis transmittendis ab eodem Iuliano *l. 29. ſup.* a Valentiniano *leg. 32. proxim. infr.* Hæc *lex* in eo ſingularis eſt, quod apertius quam aliæ rationes contineat. Ac primo quidem cur Transmiſſionis curam hanc in ſe receperit Iulianus: nempe, quod quamplurimi, imo plerique Rectores in ſpeciem quidem, quaſi dubii, ad Principem ſeſe relaturos ſponderent, & interea tamen miſeris litigatoribus illuderent, *prauaque conſcientia*, forte alterutri parti fauentes, vel non referrent, ſeu relationem ſupprimerent, vel differrent. Secundo, retro rationem reddit, cur diem commiſſæ gerulo Relationis vna cum geſtis, apponi velit, nempe ne tarditas quæ gerulo forte aliquo caſu neceſſitatis obiecta fuit, in culpam Rectoris referatur. Quæ *Cautela* & alias vtilis, ne forte geruli tarditas in mittentis culpam redundare poſſit.

P. 252. *De* RECIPIENDA *appellatione, deque* GESTIS *transmittendis ad Principem.*

XXXII. (a) Impp. VALENTINIANVS, & Valens AA. Salutem dicunt Ordini ciuitatis Karthaginis (b).

IVDICIBVS, non ſolum appellationis ſuſcipiendæ neceſſitas videtur (c) impoſita, verum etiam triginta dierum ſpatia (d) definita ſunt, intra quæ negotii (e) merita ad Manſue-

Manſuetudinis Noſtræ Scrinia conueniat deſtinari: Iudice & Officio (f) ſi ſtatuta fuerint aliqua parte mutilata multæ ſubiacente (g). Dat. Prid. Non. (h) Febr. Med. Diuo Iouiano & Varroniano Coss. [364.]

NOTAE.

(a) *Lex* 24. *C. Iuſt. eod. tit.* Iungenda illi vero *lex* 15. *infr. quorum appellat. non recip.* GOTHOFR.

(b) Ita quoque *Ordini Carthaginienſium* inſcribitur *lex* 41. *infr. de decurion.* ID.

(c) *Vetetur* impoſita, id eſt, *impoſita eſt* v. *Gloſſ.* Impoſita autem *l.* 29. *ſupr.* quam hic indicare videtur. ID.

(d) *Ex dit ſententiæ:* hoc additum *Cod. Iuſt.* de quo ad *l.* 29. *ſupr.* ID.

(e) *Geſta, vna cum Relatione litigatoribus conuenit præſtari.* ita *C. Iuſt.* de quo mox. ID.

(f) *Eius* add *C. Iuſt.* ID.

(g) *Subiacentibus*, Cod. Iuſt. ID.

(h) *79 Non. Nouembr.* & hic & *d. l.* 15. itemque *l.* 8. *ſupr. de iure fiſci:* vbi cauſas dixi. ID.

COMMENTARIVS.

DE RECIPIENDA a Iudicibus Appellatione, deque TRANSMITTENDIS ad Principem, Appellatione facta, intra 30. dies totius *negotii meritis*, id eſt, Geſtis, eſt hæc Valentiniani Sen. conſtitutio: in eandem plane ſententiam, cum Iuliani *l.* 29. *ſupr.* quam hic indicare videtur: ad quam proinde dicta hic ſufficiunt. Eſt vero *huic* coniungenda *lex* 15. *inf. quorum appell. non recip.* vbi exceptiones duæ proponuntur, quibus prouocatio admittenda non eſt.

Spectanda etiam *huius legis* Inſcriptio: quæ *Ordini ciuitatis Karthaginis* inſcribitur: cuiuſmodi ſimilis inſcriptio occurrit *l.* 41. *infr. de decurionib.* Quod mirum videri poſſit quandoquidem *huius l.* ſententia non pertinet ad Ordines, ſeu ad Curias; verum ad Iudices, eorumque Officium, quibus & Imp. pœnam minitatur. Quid igitur? An ideo hæc *lex* Ordini ciuitatis inſcribitur, quod executio ſententiarum Iudicum ad Curias pertinebat; quod nonnulli opinati, de quo dixi ad *leg.* 39. *infr. de decurionibus?* Malim, ideo *hanc l.* Curiæ inſcriptam, quod de Iudicum faſtidio circa appellationes ea conqueſta fuiſſet apud Valentinianum: & ſic ad decretum & legationem Ordinis Carthaginienſis: cuiuſmodi Legationes hoc tempore crebræ vndique miſſæ ad Valentinianum cum coronis & decretis, propter nouam Principis inaugurationem: de quibus Eunapius quoque *in excerptis Legationum.*

Deinceps de *Triboniani* in *hac l.* interpolanda facinoribus videndum eſt: imo & de Interpretum hallucinationibus. Hanc ſcil. *legem* Tribonianus ad omnis generis appellationes traduxit, cum ea ſit proprie de appellationibus ad Principem. Deinde, loco eius quod *hic* cauetur, *negotii merita*, id eſt, geſta ad Principem *intra dies* 30 transmittenda, ipſe ſubſtituit, *Geſta vna cum Relatione litigatoribus eſſe præſtanda.* Atque ita & ſubiectum & prædicatum immutauit: Quo fit, vt ea *lex* iam fundus ſit, Communicationis faciendæ partibus Actorum, appellatione interpoſita. Sed & Interpretum nonnullorum hic error eſt, & forte ipſiuſmet Triboniani, qui hæc verba, *ſtatuta fuerint aliqua parte mutilata*, accipiunt de communicatione Actorum ſemiplena & imperfecta: nam imo non hic agitur de geſtorum mutiatione, verum de *ſtatutorum:* puta ſi temporis præſcriptioni & Actorum transmiſſioni non pareatur: Quomodo pariter *d. l.* 29. quæ huic omnino ſimilis eſt, & quam forte hæc *lex* indicat, *ſi ſtatuta* NOSTRA *aliqua fuerint diſſimulatione* VIOLATA: Et *d. l.* 15. *infr. quorum appellat.* quæ huic coniungenda eſt, CONTRA DEFINITA *facientes.* Tantum ſcil. intereſt, *leges* in ipſis fontibus ſuis ſpectare.

IVDICIS *& Officii eius appellationem* RESPVENTIS *pœna.*

XXXIII. (a) Idem AA. ad Dracontium (b) Vic. Afric. (c)

QVICVNQVE Iudicum aduerſus auctoritatem legis, appellationes neglexerit, protinus Officio tuo, non Rationalis, imminente, ad viginti librarum auri exſoluendam multam cogetur: ita vt & Officium eius triginta ſimili celeritate diſſoluat. Dat. Prid. Id. Septembr. Aquil. Acc. XVIII. Kal. Decembr. Tacapis (d). Diuo Iouiano & Varroniano Coss. [364.]

NOTAE.

P 253.

(a) Abeſt hæc *lex* a *Cod. Iuſt.* GOTHOFR.

(b) *Dracontius* Vicarius Africæ ſub Valentiniano. Eidem inſcribitur hoc ipſo Anno *lex* 9. *ſupr. de exaction.* & Anno ſeq. 365. & 367. aliquammultæ. v. *Proſopogr.* ID.

(c) Sub quo & *Tripolitana:* ad quam hæc *lex* pertinet, pariter vt *lex* 59. *infr.* ID.

(d) *Tacapis* data hæc *lex*, de quo mox. ID.

COMMEN-

COMMENTARIVS.

DE RESPVENTIS Appellationem Iudicis ſeu non recipientis eam, pœna, eſt hæc Valentiniani Sen. conſtitutio: vt multæ aliæ *hoc titulo.* Conſtantii *lex 22.* & *25.* Theodoſii M. *lex 51.* Honorii *lex 58. 59. 60.* In qua notanda multa ſingularia. Primo *Modus* multæ: quem grauiorem, & duplo quam antea ferme maiorem imponit Iudici & Officio eius appellationem non recipienti. Qua parte varium admodum modum impoſitum *prædictæ leges* oſtendunt. Secundo *h. l.* notandum quod Valentinianus pœnam exigi iubeat, non ab officio Rationalis, vt antea ſub Conſtantino M. *leg. 8. ſupr.* verum ab Officio Vicarii ſub cuius diſpoſitione erant Iudices: & ſic ab illius Iudicis Officio, ad quem Iudex factam appellationem reſpuit: ſane enim a Rectoribus ad Vicarios appellatum, qui & ideo vice ſacra iudicabant, vt oſtendit iam *lex 16. ſupr.* Tertio notanda *huius legis* ſubſcriptio cumque Inſcriptione committenda: Dicitur ſcil. hæc *lex* ACC. TACAPIS. *Tacapis* ſcil. colonia, cuius mentio apud Plinium, *H.N. lib. 5. c. 4.* Ptolemæum *l. 4. c. 3.* & *in Itinerario Antonin. p. 50. 59 74. Edit. Weſſeling.* & *in hiſtoria Africana,* Tripolitanæ prouinciæ Metropolis fuit: a qua ideo, & in quam ideo quoque Itinera ducuntur in *Itinerariis illis.* Et iocularis error eſt Ortelii qui ex hoc *Codicis Theodoſiani* loco *Tacapis Diuum* fingebat, cum non attenderet vocem Diuo hic pertinere ad Conſulatum deſignandum: ita *Acc. Tacapis, Diuo Iouiano & Varroniano COSS.* Ad Tripolitanam igitur prouinciam pertinet hæc *lex:* pariter vt duæ aliæ *leges* in eodem Appellationis argumento, puta *lex 69. infr. hoc titulo,* & *l. vlt. inf. quorum appellat.* Ac proinde hinc diſcimus Tripolitanam prouinciam Præſidemque eius ſub diſpoſitione Vicarii Africæ fuiſſe, quod etiam ex *Notitia Imperii* diſcimus.

De CONSVLTATIONE *ſeu* RELATIONE *ad Principem:*
1. *Ne litigatores ea facta ad Comitatum proficiſcantur.* 2. *& vt Relatio intra 30. dies ad Principem mittatur.*

XXXIV. (a) Idem AA. ad Symmachum P. V. (b)

SI quisquam (c) auſus Conſultationem (d) ſequi circa limina Palatii Noſtri, Comitatumue (e) fuerit deprehenſus, æſtimatæ litis, quæ in controuerſiam venit, medietatem, in auro adque argento, fiſci viribus inferre cogetur. Iudex (f) ſane, qui Relationem promiſerit (g), niſi intra triginta dies dictæ ſententiæ promiſſam Relationem ad noſtra ſcrinia deſtinarit, ipſe quidem notabili (h) ſententia, reprehenſus, X. librarum auri condemnatione (i) quatietur: Officium vero eius quod non ſuggeſſerit, nec commonuerit de Relationis neceſſitate, viginti libris auri fiat obnoxium. Dat. V. Id. Nou. Med. Diuo Iouiano & Varroniano COSS. [364.]

NOTAE.

(a) Abeſt & hæc *lex* a *Cod. Iuſt.* Quænam vero *leges* aliæ *illi* concordent mox dicam. *GOTHOFR.*

(b) *Symmachus* P. V. Romæ: hic vero pater eſt Epiſtolographi. v. *Proſopogr. ID.*

(c) Ex litigatoribus. *ID.*

(d) *Conſultationem*, infr. mox *Relationem.* v. *Paratitlon. ID.*

(e) De *Comitatus* appellatione. v. *Gloſſ. Theod. ID.*

(f) Hinc apparere videatur hic agi de Relatione in cauſa appellationis. *ID.*

(g) De Promiſſa relatione, dixi ad *l. 2 ſupr. de Relationibus. ID.*

(h) *Notabilis* ſententia: qua nota grauiſſima Iudici imponitur *l. 24. ſupr.* qua Iudex perennibus notis inuritur, *l. 9. ſupr. ID.*

(i) *Condemnatio*, pro multa, v. *Gloſſ. Theod. ID.*

COMMENTARIVS.

INTEGRITATI & CELERITATI definiendarum a Principe litium, ad ſe delatarum per Conſultationem ſeu Relationem Iudicum, conſulit hac egregia conſtitutione Valentinianus Imp. cuius proinde duo ſunt capita, vt duo quoque ſunt fines: vnum videl. aduerſus litigatores, alterum pro litigatoribus ſeu in eorum fauorem: *Integritati*, inquam, priore capite conſulitur: Nempe enim delata per Conſultationem ſeu Relationem lite ad Principem, vetantur litigatores SEQVI conſultationem, & circa limina Palatii Comitatumue Principis verſari, eoque venire. Quæ Valentiniani conſtitutio hac in re fundamentalis eſt, nouo ſcil. ſchemmate & heurematico politico, quam ſecuti Principes alii deinceps: Theodoſius M. *l. 47. infr.* Honorius *l. 54.* Theodoſius Iun. *l. 66. infra hoc tit.* Sic tamen vt (quod ſe- P. 254.
cundum in argumento hoc notandum) eam certo caſu temperarent, anno in id definito: de quo temperamento ad *eas Leges.* Id vero, quod Tertium, ita conſtitutum a Valentiniano, hac *ratione;* integritatis videl. ſtudio, vt initio dixi; nempe, vt Principum reſponſa ſeu Reſcripta ad Relationes & Conſultationes Iudicum ſuo marte decurrerent, non cauſæ commonitione, vt loquitur *d. lex 54.* vel potius

commendatione per emendicata Potiorum & Potentiorum in Comitatu ſeu Aula Principis ſuffragia, non per vagos diſcurſus, dum *limina Palatii*, Palatinorumque terunt; aliterue ſeſe his commendare ſtudent. Quod quidem bono exemplo inſtitutum, ſi modo Relationes & Conſultationes Iudicum ex fide fiant: eæque cum Refutatoriis ſeu ſupplementis partium, omnibusque Geſtis ad Comitatum transmittantur: Quod innumeris conſtitutionibus Imperatores cauere. Pœna tandem, quod in hoc argumento, Quarto, notandum eſt, huic rei hæc præſtituitur, quod litis ſeu rei, quæ in controuerſiam venit, medietatem in auro atque argento, fiſci viribus inferre cogatur is, qui ad Comitatum venit. Atenim poſtea ſtatutum vt rei (totius ſcil.) qua de agitur amisſione conſtringatur ſeu mulctetur, vt docet *lex 54. infr.* vbi & *conditio præſtituta vel pœna* dicitur. Et hæc de primo *huius leg.* fine capiteque.

Secundo iam, viceuerſa, *Celeritati* conſultum iuit Valentinianus: iterata iusſione, de TRANSMITTENDA intra dies 30. a dicta ſententia promiſſa Relatione: pœna pariter propoſita Iudici, Officioque eius, ni id factum fuerit; de quo dixi *l. 65. inf.* ac nominatim etiam de munere Officialium in commonendis Iudicibus, Legibusque ſuggerendis, ad *l. 8. ſup.* de quo ſunt *hoc titulo* præterea *lex 29. ſup. lex 58 59. inf.*

De INSTRVMENTIS, GESTIS, ACTIS, DOCVMENTIS, &c. PROCESSV *omni, mittendis vna cum Conſultatione.*

XXXV. (a) Idem AA. ad Modeſtum PF. P. (b)

CVNCTA inſtrumenta, quæ Iudiciis offeruntur, ſubiecta Conſultationi Geſta continere debebunt. Sed & Acta, quæ ſint ante habita, & Monumenta transmittenda ſunt; Hisque aduectenda ſunt teſtimonia, vel confesſiones partium, & omnia huiusmodi, in quibus cauſa conſiſtit, & habere exitum videatur. Dat. Kalend. Aug. Marcianop. Valentiniano & Valente AA. (c) Coss.

NOTAE.

(a) Abeſt & hæc *lex* a *Cod. Iuſt.* *GOTHOFR.*

(b) *Modeſtus* ſub Valente Imp. PP. Orientis: de quo vid. *Proſopogr.* Et putem tamen hic reponendum *PF. V.* relata etiam *hac l.* ad *Valentinianum & Valentem II. AA. COSS.* id eſt *A. D.* 368. nam tum Valens Marcianopoli fuit: & Modeſtus *P. V.* fuit tum, non *P. P.* vid. Faſtos Idatianos *A. D.* 369. quo tempore Auxonius erat PP. vel referenda fuerit hæc *lex* ad A. D. 370. vel 373. verum illud malo. *ID.*

(c) De hoc Conſulatu iam dixi ad *Inſcriptionem.* *ID.*

COMMENTARIVS.

GESTA omnia, & INSTRVCTIONES vniuerſas, ACTA omnia vna cum Conſultatione ſeu Relatione, ad Principem, ſeu ad ſcrinia eius mittenda iam variis *legibus* definitum, puta *l. 1. 4. 5. 6. 8. 11. 16. 24. 29. 31 32. ſup. hoc tit* quibus adde *l. 4. & 5. ſup. de Relationib.* Idque etiam *hac l.* iteratur: ſigillatimque adeo & accurate hic exprimuntur ſeu enunciantur, quænam illa ſint Geſta, & inſtrumenta: omnia ſcil. in ſummam, quæ ad inſtruendam cauſam pertinent, *in quibus cauſa conſiſtit & habere exitum videtur*, vt dicitur *fine leg.* 1. *Inſtrumenta*, inquam, omnia, quæ Iudiciis offeruntur: 2. *Acta* item ante habita apud Iudicem, ſeu Monumenta; ſcilicet tam apud ſe quam apud alios *l. 1. ſupr.* monumenta chartarum ſcil. de quibus in materia cenſuum & tributorum vid. *l. 2. de indulg. deb. leg 10. D. de probat.* 3. *Teſtimonia* etiam: 4. vt & *Confesſiones* partium: *Denique* hæc & ſimilia omnia, in quibus cauſa conſiſtit, & in quibus exitum habere videtur: Quæ omnia alioquin *Inſtrumentorum* appellatione veniunt, quibus ſcilicet cauſa inſtrui poteſt, inquit Paulus *l. 1. D. de fide inſtrumentorum.* Colligamus hic formulas omnes quæ *huius tituli legibus* continentur: *Omnia quæ apud te vel apud alios geſta fuerint in eo negotio*, ait *lex*, Geſta omnia *d. l. 1. 5. 29 31* Inſtructio vniuerſa, *d. l. 6.* Quæcunque ad inſtructionem pertinent cauſæ, *d. l. 8.* cuncta quæ litigatores inſtructionis probationisque cauſa recitauerint, indita actis, *l. 9. ſupr.* Integra inſtructio, *d. l. 11.* omnes partium allegationes, acta vniuerſa, ſcripturarum omnium exempla, *d. l. 11.* Acta *d. l. 16.* & *l. 4. ſup. de relationib.* Acta omnia ad eam cauſam pertinentia, *l. 5. de relat.* Acta vt geſta ſunt, *d. l. 24.* vniuerſa quæ in huiusmodi negotio geruntur, *d. l. 29.* Negotii merita, *d. l. 32.*

De

P. 213. *De appellatione a* DISCVSSORE.

XXXVI. (a) Imppp. VALENTINIANVS, Valens & Gratianus AAA. ad Eupraxium P. V. (b) Poſt alia.

CVM ex cauſis iuſtis aliquid, quo minus iudicari (c) ſtatim poſſit, repperietur incertum, ac debitor aduerſus Diſcuſſoris ſtatum (d) cœperit reluctari, dilatione poſtpoſita, ſuper eo quod exorietur ambiguum, vel Sublimitas Tua, vel Vicarius (e), prout quisque veſtrum proximus erit, adhibeat examen. PP. XVI. Kal. Mart. Gratiano A. III. & Equitio Coss. [374.]

NOTAE.

(a) Abeſt & hæc *lex* a *Cod. Iuſt.* Iungenda autem illi *lex* 5. *ſupr. de Relationib.* & *l.* 21. *infr. quorum appellat. non recip.* *GOTHOFR.*

(b) *Eupraxius* P. V. Romæ de eo dixi ad *d. l.* 5. & in *Proſopogr. ID.*

(c) A Iudice ſcil. ad quem itum ſuper Diſcuſſoris facto, ſeu ſtatuto. *ID.*

(d) *γρ. ſtatutum.* In *l.* 45. *inf.* dicitur *ſententia. ID*

(e) *Vicarius*, vrbis Romæ ſcil. *ID.*

COMMENTARIVS.

DE appellatione a DISCVSSORIS (de quo fuit *ſupra, titulus 26. hoc libro*;) ſtatuto, (ita enim hic reponendum,) ſeu ſententia, vt loquitur *lex* 45. *infr.* & *l.* 29. *inf quorum appell.* eſt hæc Valentiniani *lex*: quæ pars eſt prolixioris Valentinianeæ conſtitutionis, vnde deſumptæ ſunt quoque *lex* 5. *ſup. de Relationibus*: & *l.* 21 *inf. quorum appell. non recip.* quæ proinde *huic* coaſſandæ veniunt. Ea vero conſtitutione Valentinianus, inanibus & fruſtratoriis tantum appellationibus occurrit: ſimul & Relationum formam præſtituit: ne videlicet luſoriis appellationibus ſtatuta, in præiudicium nominatim fiſci, eludantur, retardentur: vel relationibus ſeris aut ſemiplenis iudicio mora iniiciatur. Igitur & eo fine *hac l.* & *d. l.* 21. *infr. quorum appellat.* de diſcuſſorum ſententiis agitur, definiturque adeo, quando ab his appellari poſſit, quidque facto opus ſit, cum appellatione ab eorum ſententiis interpoſita Iudex animi pendet, dubitatque. De priore eſt *lex* illa 21. qua definitur, manifeſtos Debitores a Diſcuſſorum ſtatuto prouocare non poſſe. Ergo ſi non manifeſti ſint, & ex iuſtis cauſis aliquid quo minus iudicari ſtatim poſſit, incertum ſit, definit *hoc capite* Valentinianus: nempe, ſuper eo quod erit ambiguum ſine dilatione examen adhibere debere vel Præfectum vrbis Romæ, vel Vicarium eiusdem vrbis, Romæ ſcilicet, prout quisque eorum proximus erit. Vbi tria notanda ſunt: Primo quod dicitur ſine dilatione: nempe quia de re tributaria agitur ſeu de iure fiſci: Diſcuſſores enim erant, qui debitores publicos ad ſolutionem cogebant, de quo plene *in paratitlo de diſcuſſoribus*.

Secundo, quod *hac l.* examen huius rei tribuitur Præfecto vrbis, & Vicario eiusdem vrbis: pariter vt in ſp. *l.* 1. *ſupr. de diſcuſſoribus*: Vicarius examen ſuum adhibuit: cum alioquin & Relationes in commune ſuper dubiis ad Principem fierent, quod etiam conſtat ex *d. l.* 5. *ſupr. de relationib.* quæ *huic* coniungenda eſt; vel certe poſt ſententiam Diſcuſſoris prouocatione facta, ad Comitem S. L. vel R. P. negotium transferendum videretur: quomodo etiam iſtud poſtea cautum, *d. l.* 45. *infr. h. t.* & colligitur quoque ex *d. l.* 29. *infr quorum appellat.* Interim hinc apparet, in ſp. *huius l.* quæſitum de Diſcuſſione, quæ intra diœceſim ferme Vrbis Romæ agebatur.

Poſtremo obſeruandus hic concurſus Iurisdictionis inter Præfectum, & Vicarium V. R. non quaſi præuentioni inter hos locus detur, verum quod Electionis ius debitori tribuatur, appellatione facta a Diſcuſſoris ſententia, prout quisque eorum proximus eſſet: propter celeritatis videlicet ſtudium, neue hæc cauſa proteletur, quod hæc *lex* diſerte innuit illis, quæ iam expendimus, *dilatione poſtpoſita.* Similis electionis exempla vid. *l.* 1. *Cod. Iuſt. de off. Rector. prouinc.* & *in l.* 13. *Cod. eod. de fideiuſſorib.*

P. 216. *A ſententia qua* PEREMPTORIA *præſcriptio a Iudice improbata eſt, an & quando appellari poſſit.*

XXXVII. (a) Imppp. Valens, GRATIANVS & Valentinianus AAA. ad Thalaſſium (b) Proc. Afric. Poſt alia.

CVM de præſcribtionibus peremptoriis agitatur examen, ſi eas præſcribtiones Iudex, vt leues, putauerit improbandas, & ab eius interlocutione fuerit appellatum, prouocatio huiusmodi recipiatur: Cum peremptoria præſcribtio (c), & definitiua ſententia, eadem (d) vi, vel conſumptæ cauſæ, vel non admittendæ, videantur operari. Sed, quo-

niam euenire poteſt, vt multæ præſcribtiones peremptoriæ litigatoribus competant, ne in vno eodemque negotio per ſingulas (e) neceſſe ſit ſæpius prouocari, toties (f) ad nos Referri, omnes peremptorias præſcribtiones, quas ſibi quisque putauerit competere, cogatur expromere: & ita demum, ſi a Cognitore fuerint repudiatæ, vtatur, ſi placet, prouocationis auxilio (g) &c. Dat. III. Kalend. Septemb. (h) Treu. Valente VI. & Valentiniano II. AA. Coss. [378.]

NOTAE.

(a) Abeſt & hæc *lex* a *Cod. Iuſt.* Iungenda autem *illi* tres *leges*, puta *lex* 23. 24. 25. *infr. quorum appellat. non recip.* *GOTHOFR.*

(b) *Thalaſſus* Proconſul Africæ, Auſonii gener: de quo in *Proſopogr. ID.*

(c) De *Peremptoriis* præſcriptionibus dixi ad *l.* 3. *de diu. reſcriptis. ID.*

(d) Suſtineri poſſit, *eadem vi:* quanquam malit quis, *eandem vim. ID.*

(e) Præſcriptiones. *ID.*

(f) *γϱ. Et totiens. ID.*

(g) *Auxilium* prouocationis. *ID.*

(h) *γϱ. III. Kalend. Febr.* vt *d. l.* 23. 24. 25. Sed & illa ex *d. l.* 23. adde, *Acc. VI Kal. Mai. ID.*

COMMENTARIVS.

A PEREMPTORIA PRÆSCRIPTIONE *improbata, repudiata interlocutione* Iudicis, an & quomodo appellari poſſit, *hac* Gratiani *conſtitutione* definitur: cui iungenda eſt *lex 23. 24. 25. inf. quorum appellat.* quarum duæ priores de hac peremptoria præſcriptione pariter agunt: omnesque cum hac noſtra partem conſtituunt prolixæ conſtitutionis Gratianeæ ad Thalaſſium PC. Africæ de appellationibus, a quibus ſcilicet rebus appellari poſſit: regulariter ſcil. non ab articulo, *d. l. 23.* exceptis præſcriptionibus peremptoriis *h. l.* & *d. l. 23. 24.* Item non ab executione, *d. l. 25.*

Peremptoria præſcriptio quid ſit, & quænam eius vis, prolixe iam oſtenſum eſt, ad *l 3. ſup. de diu. reſcript.* Et tamen hoc ipſum, vel hæc *lex* eleganter oſtendit: *Peremptoria*, inquit, *præſcriptio, & definitiua ſententia eadem vi, vel conſumptæ cauſæ vel non admittendæ, videtur operari.* Interpres ad *d. l. 3.* eam definit, *qua cauſam principalem tollit:* Imo *d. l. 3.* peremptoria dicitur, qua totius negotii cognitio, & vires principalis negotii conuelluntur: & *§. 9. Inſt de except.* quæ rem, de qua agitur, perimit.

Ideo primum huiusmodi præſcriptionibus relaxatio a Principe peti vel impetrari nuuo reſcripto non poteſt, *d. l. 3.* Ideo ſecundo, cum alias ab articulo appellans non audiatur, ſeu appellatio non admittatur, *d. l. 23 quorum appell.* (quæ *huic* vt dixi iungenda eſt) & *l. 2. ſup. 50. 65. inf. l. 3. 18. 29. inf. quorum appellat.* ſuper præſcriptione tamen peremptoria, ſi eam Iudex interlocutione ſua improbauerit, appellatio admittitur, *h. l.* & *d. l. 23. 24.* Ideo tandem (quæ altera *huius l.* ſententia eſt) ſi plures præſcriptiones peremptoriæ alicui competant, & vna tantum, quam ſolam protulit, a Iudice improbata fuerit, appellari nondum poteſt, verum omnibus demum improbatis. Ratio hæc redditur *hac l. ne in vno eodemque negotio per ſingulas neceſſe ſit ſæpius prouocari, vel toties ad principem referri.* Ratio rationis hæc eſt: quia vna e pluribus peremptoriis præſcriptione excluſa, non ideo conſumpta cauſa eſt: cum & adhuc alii locus ſuperſit. Quare fruſtra appellationi tanquam vulnerata cauſa locus daretur, cum altera vulnus ſanari poſſit. Et tum demum appellationi locus eſſe debet, vbi vulneratum eſt ita negotium, vt non aliud ordinarium remedium ſuperſit. Denique, qui peremptoria præſcriptione deiectus alterius adbuc præſidio munitur, nec quicquam ad appellationem confugit: quæ nonniſi poſt naufragium ſacra anchora eſt. Quare litigator omnes peremptorias expromere cogitur, antequam appellet: *h. l.* alioquin ſi vna deiectus appellauerit, & reſponſum a Principe ad eam fuerit (nam a Proconſule Africæ ad Principem appellabatur, quod præter hanc *legem*, oſtendit inſuper *dicta lex 24. inf. quorum appell.* quæ *huic* iungenda eſt) non poteſt vltra peremptoriam opponere: vel ab ea excluſa appellare, *d. l. 24. infr. quorum appellat.* quæ *huic*, vt dixi quoque iungenda eſt, atque ita aptanda: vbi vide adhuc plura.

A MVLTA *appellari poſſe.*

P. 157.

XXXVIII. (a) Imppp. Gratianus, Valentinianus, & Theod. AAA. ad Syagrium PF. P. (b) Poſt alia.

IN condemnationibus (c) appellationes iubemus admitti. Dat. XIV. Kal. Iul. Gratiano V. & Theodoſio I. AA. Coss. [380.]

NOTAE.

Digitized by Google

NOTAE.

(a) *Lex 25 C. Iuſt cod. tit.* GOTHOFR.

(b) *Syagrius* PP. ſub Gratiano & Valentiniano Iun. Italiæ ſcil, de quo v. quæ dixi ad *l. 4. ſupr. de deſertoribus*, & *Proſopogr.* ID.

(c) *Et in multis a Iudicibus inferendis:* ita *Cod. Iuſt.* de quo mox. *ID.*

COMMENTARIVS.

A Mvlta, a Iudice impoſita, appellari poteſt. Hæc *huiuſce l.* eſt ſententia: quam & ideo Tribonianus ita recte immutauit: *Et in multis a Iudicibus inferendis appellationes iubemus admitti.* Nempe *condemnationis* appellatione, ſignate, abſolute, Multa exaudienda eſt. Quod præter *hanc l.* collatam cum *d. l. 25. C. Iuſt.* & complures alii loci oſtendunt: puta *l. 2. ſup. de milit. veſte: l. 1. ſupr. ne quis in Palat. man. l. 48. infr. h. t. l. vlt. infr. de ponderatorib.* Eodem ſenſu apud Lampridium, *Alex. Seuero c. 51.* illo loco: *Pro qualitate loci aut fuſtibus ſubiiciebatur in conſpectu eius, aut virgis, aut condemnationi* &c. Item *illo cap. 21.* in eadem vita: *Dies denique unquam tranſiit, quin aliquid manſuetum, ciuile, pium faceret; ſed ita vt Ærarium non euerteret: condemnationes & raras eſſe iuſſit, & quæ factæ fuerant non indulſit: vectigalia ciuitatibus ad proprias fabricas deputauit.* Atenim apud eundem paulo ante *cap. 19.* Condemnatio, pro Elogio: *Senatorem nunquam ſine omnium Senatorum, qui aderant, conſilio fecit; ita vt per ſententias omnium crearetur, teſtimonia dicerent ſummi viri: ac ſi feſelliſſent, vel teſtes vel ii qui ſententias dicebant; poſtea in vltimum locum reiicerentur ciuium: condemnatione addita, (adhibita)* Qvasi Falsi Rei Probati: Quem locum componi cupio, & compoſui ipſe iam cum *l. 1. ſup. ad leg. Iul. repetund.* Verum de hoc iam antea quoque aliquid dixi ad *l. 12. ſup. de re militari.*

A Multa igitur appellari poteſt; quod & ipſum a Paulo traditum, *l. 244. D. de V. S.* Imo & a Venuleio in *l. 2. D. quis, & a quo appell.* quicquid contra ſentiat Goueanus, *1. Var. 46.* Nam & eam *leg.* ad appellationes pertinere, vel ipſe *titulus*, ſub quo ea *lex* poſita eſt indicat: & proinde non de multa, verum de principali delicti pœna accipienda eſt; cum ab illa appellari non poſſit, mox vt dicam. Imo & id ipſum colligi poteſt ex *lege 5. Cod. Iuſt. quando prouocare non eſt neceſſe:* argumento videlicet a contrario. Nempe mulctæ delictalis prouocatio eſt, cum de pœna prouocatio non fit, de cuius rei ratione dixerunt Interpretes *ad eam legem 244.*

Excipienda tantum eſt multa contumacialis, impoſita videlicet propter contumaciam *neglectorum præceptorum*, vt loquitur *lex 28. infr. quorum appellat.* id eſt ea mulcta, quæ pœnali iudicio a Magiſtratibus imponitur, ſecundum ius poteſtatis ſuæ, ad Iuriſdictionem ſuam defendendam; de qua eſt *titulus, ſi quis ius dicenti non obtemperauerit*, & *l. vlt. D. de off. eius cui mand.* Ab ea quippe appellari non poteſt. Verum de eo ſpecialius ad *d. leg. 28. infr. quorum appellat.*

A COMITE *Ærarii, ad Comitem S. L. appellari oportere, deque pœna iniuſte appellantis hoc caſu.*

XXXIX. (a) Idem AAA. ad Macedonium Com. S. L. (b)

Qvotiens fiſcalibus cauſis, controuerſiæ alicuius dubitatione pendentibus ſummam (c) ſententiæ Comes (d) ærarii noſtri inpoſuiſſe detegitur, &, cogendis (e) obuium (f) debitis, (g) prouocationis ſuffugium, fuerit obiectum, proprium ſuper eo eſſe tribuendum Præſtantia (h) Tua diſcat examen: Modo, vt frequentibus ſtatuta (i) præceptis, eos præter debiti modum pœna comitetur quos executionem veteris iudicati ſuperfluæ (k) appellationis obiectu ſuſpendiſſe claruerit. PP. Karthag. XV. Kal. April. Syagrio & Eucherio Coss. [381.]

NOTAE.

P 258.

(a) Abeſt & hæc *lex* a *Cod. Iuſt.* GOTHOF.

(b) Macedonius Comes S. L. ſub *Gratiano* & Valentiniano Iun. per Occidentem quod docet ſubſcriptio legis *PP. Karthag.* Sane huius Macedonii ſub Gratiano meminit in cauſa Priſcillianiſtarum poſt Synodum Cæſaraugustanam, ſed Magiſtri officiorum, Sulpitius Seuerus *lib. 2. ſacræ Hiſtoriæ, cap 48* & Paulinus *in V. Ambroſii.* De eodem Macedonio proculdubio eſt Symmachi *Epiſt. 58. lib. 10.* ſed & *lib. 2. ep. 42.* Ad eundem epiſtolæ extant plures *lib. 7.* Verum de hoc plura in *Proſopogr.* ID.

(c) *Summa ſententia*, pro definitiua ſententia. *ID.*

(d) Comitem Largitionum ſpecialem intelligit, de quibus dixi pleniſſime *l. vn. ſup. de Conſularib. & Præſidib.* Et quidem hic intelligit Comitem Tributorum Largitionalium per Africam, vt oſtendit ſubſcriptio *legis*, cuius mentio fit in Notitia Imperii Occidentalis *in Comite S. L.* ID.

(e) *Cogendis debitis*, id eſt colligendis: quomodo & *leg. 17. ſup. de extraord. cogendarum intuitu penſionum.* ID.

(f) *Obuium* hic eſt, quod obſtat, & rei alicui impedimento eſt: vnde & *obuiandi* verbum. vid. *Gloſſar.* ſic *ſine legis, obiectu ſuperflua appellationis:* ſic *obuia manus*, id eſt obuiantes, Symmacho *lib. 5 ep. 5.* ID.

(g) De-

(g) *Debitorum* vox, hic & mox rurſum in cauſis fiſcalibus & tributorum propria: vid. *Gloſſar. ID.*

(h) *Præſtantiæ*, titulus tributus Comiti S. L. *ID.*

(i) An *ſtatutum?* forte non: *ſtatuta* ſcil. pœna. *ID.*

(k) *Superflua* appellatio, hic & *l. 42. inf* pro *iniuſta*: vid. quæ ad eam *leg.* dico. *ID.*

COMMENTARIVS.

A Comite Ærarii, id eſt Titulorum largitionalium, de quo dixi ad *leg. vnic. ſup. de Conſularib. & Præſidib.* ac nominatim per Africam in ſpecie *huius legis*, vt ex eius ſubſcriptione iam oſtendi, in cauſis fiſcalibus ad Comitem S. L. appellari hac conſtitutione iubetur, pariter vt *lege 28. ſup.* quæ & ipſa agit de huiusmodi Comitibus: & *l. 40. prox.* Nempe ſub diſpoſitione Comitis S. L. peculiares Comites Largitionum ſeu Largitionalium Titulorum fuere, quorum mentio fit non tantum in *Imperii Notitia*, verum & apud Ammianum Marcellinum: Sane per Occidentem vt per Illyricum Comes largitionum fuit, quod eadem *Notitia* teſtatur, ita & per Italiam, cuius meminit eadem *Notitia*, & *d. l. vn.* & Auguſtinus *lib. Confeſſ. 6. cap. 10.* per Gallias, de quibus prædicta *Notitia*, & *d. lex vnica*, *ſup. de Conſul. & Præſid* tandem & per Africam, cuius vt mentio fit in eadem *Notitia*, ita & ad eandem hæc *lex* proprie pertinet, quod ex ſubſcriptione colligitur.

De multa, quod ſubiicitur, ſuperfluæ appellationis, id explicabit *lex 50. & 65. inf.* Ac nominatim de appellatione ab executione non admittenda, dicetur *titulo, Quorum appellat.* & quidem ſpeciatim *l. 25. eius tit.* quæ eiusdem eſt Imperatoris, & ad eandem *Africam* pertinet.

Tandem obſeruandum, de appellatione a Comite Ærarii, & Rationali nouem *hoc titulo* conſtitutiones occurrere, puta *legem 14. 18. 28. ſup.* hanc *l. 39.* & *l. 41. 45. 46. 49. 68. ſeu vltim.*

À qua SENTENTIA *appellari poſſit.*

XL. (a) Idem (b) AAA. ad Baſilium (c) Com. S. L.

Omnem, quæ de libello (d) ſcribta recitatur, dici volumus, atque eſſe *ſententiam*: atque ab ea prouocationis auxilia quisquis efflagitat, ad Auditorii (e) Sacri venire iudicium; neque illic ex præiudicio (f) pœnam vereri, ſed appellationis iniuſtæ iuſtæue diſcrimen conpetenti ſubire luctamine (g). Præter ea, * quidquid in cunctis cognitionibus, atque conflictibus, libelli (h) abſque documento & recitatione decernitur, *Præiudicii* loco iuſte ac probabiliter putatur; atque ab eo, ſi vel vocem (i) quisquam prouocationis obiecerit, vel libellum, diſputatione non indiget, qui in (k) certa atque manifeſta præiudicii (l) condicione (m) teneatur, eumque confeſtim ab eodem Cognitore exigi conueniet, ac teneri. Dat. prid. Kalend. Septemb. Merob. II. & Saturnino Conss. [383.]

NOTAE.

(a) Abeſt & hæc *lex* a *Cod. Iuſt.* GOTHOFR.

(b) *γρ.* Imppp. VALENTINIANVS, *Theodoſius* & *Arcadius*: iam enim Gratianus obierat. Vide *Chronicon Theodoſ. ID.*

(c) *Baſilio* huic Comiti S. L. inſcribitur hoc ipſo Anno *lex 101. infr. de Decurion.* imo & A. 371. *lex 1. ſup. qui bonis cedere*: Ex quarum ſubſcriptionibus *PP. Romæ*: Item, *Dat. Rom* apparet, fuiſſe eum Com. S. L. per Occidentem. Et ſane hic ipſe *Baſilius* eſt, de quo Symmachus *lib. 10. ep. 47. ID.*

(d) Hac de re vide peculiarem *ſup. Titulum lib. 4. de ſententiis ex periculo recitatis*, & ſpeciatim ad hanc ipſam rem & mentem *leg. 1. & 4. eius tit. ID.*

(e) Comitis S. L. *Auditorium ſacrum* his peculiariter indicatur. *ID.*

P. 159. (f) Id eſt pœnam præiudicialem & mulcam, de qua *l. 50. 65. inf. ID.*

(g) *Luctamen* vid. Gloſſ. *ID.*

* Altera *huius l.* ſententia *de appellatione a præiudicio.* Interim *hic* ita lego: *Præter ea. ID.*

(h) *Abſque libelli documento. ID.*

(i) Vide ſuper hoc *l. 7. ſup. h. t.* vox prouocationis, ſeu appellationis *h. l.* & *l. 58. inf.* & *l. 9 quorum appellat. l. 5. inf. de cenſu*: v. Symmachum *lib. 10. ep. 29. 55. ID.*

(k) *γρ. Quin certa. ID.*

(l) Id eſt mulctæ præiudicialis. *ID.*

(m) Et condemnatione, ſeu multa. *ID.*

COMMEN-

COMMENTARIVS

A SENTENTIA tantum DEFINITIVA appellatio vt interponi poteſt, non autem a præiudicio, (de quo poſteriore *ſuo tit. infra, Quorum appellationes non recipiuntur:*) alinquin a præiudicio appellanti pœna impoſita eſt, de qua pœna *ibidem* plenius: itaqoonam charactere, qua nota, definitiua Sententia a Præiudicio internoſci queat, *hac l.* a Valentiniano Iun. definitur; Nempe, ea demum *definitiua* eſt, quæ de libello ſcripta recitatur. Neque enim vltima definitio ſeu ſententia, niſi de ſcripto recitata dici poteſt, de quo fuit Titulus peculiaris *ſ. Lib. 4* adeo vt neque *ſententiæ* nomen mereatur, nec ab ea appellari neceſſe ſit. *Præiudicium* vero id iuſte & probabiliter putatur, quod in cunctis cognitionibus & conflictibus abſque libelli documento & recitatione decernitur. Denique ſolo libello ſeu ſola ſcriptora ſententia a præiudicio hic ſecernitur, atque adeo liquet, præiudicium ex ſcripto non recitari. Quod tamen eidem Valentiniano Iun. diſplicuiſſe videtur: vt conicio ad *l. 44. inf.* ex eius legis collatione cum *l. 4 ſup. de ſentent. ex peric. recit.* collata vtraque cum epiſtola Symmachi, *lib 10. ep 29.*

Quod hypotheſin *huius l.* attinet, pertinet ea proprie ad *cauſas fiſcales*, vt ex eius Inſcriptione diſcimus; eſt enim ea data ad *Baſilium Com S L.* cui inſcribitur alias *lex 1. ſup. qui bonis cedere: lex 101. inf. de decurion.* cuiusque meminit Symmachi *lib. 10. ep. 47* vbi ait: *cum non pepercisse perſonis Iudicum;* vti diſcimus ſecundo ex *ipſa leg.* collata cum inſcriptione Comitis S. L. *ſacrum auditorium* fuiſſe, id eſt vice ſacra iudicaſſe, deque appellationibus cognouiſſe: quod docuit quoque *lex 28. & 29. ſupr. & lex 45. 46. inf.*

In FISCALIBVS *cauſis ad quos appellari & intra quæ* TEMPORA *hæc appellatio terminari debeat.*

XLI. (a) Idem (b) AAA. ad Ammianum (c) Com. R.P.

RATIONALES, priuatæ rei cauſis, vel ſacri (d) ærarii, præſidentes, examen præſente fiſci Aduocatione (e) ſuſcipiant; ac ſi eorum ſententia forte fuerit appellatione ſuſpenſa, (f) ad eos Iudices diſceptationis fata transeant, ad (g) quos priuatorum hominum cauſæ inferri (h) ex prouocatione conſuerunt: ita vt ſi ab illis quoque fuerit prouocatum: Manſuetudinis Noſtræ expectetur arbitrium, vel Sinceritate Tua, vel Sacrarum remunerationum (i) Comite, prout ad quem (k) negotium pertinebit, quid ſuper his de quibus referatur geſtum ſit, ſcribtis currentibus, inſtruente, vt ſiue athuc ſupereſt (l) noſtra cognitio, |Manſuetudinem Noſtram facta ſuggeſtione commoneat, (m) ſiue adquieſcentibus partibus terminum negotio datum eſſe conſtiterit, plenam rei inquiſitionem notitiamque eius accipiat. Sane Tempora tantum volumus priuatis fiſcalibusque cauſis non eſſe communia, vt antiquo iure fiſcalia negotia intra duos menſes in eadem prouincia, intra quatuor in contigua, intra ſex in transmarina, (n) dicantur. (o) PP. XVII. Kal. Ian. Merob. II. & Saturnino Coss. [383.]

NOTAE.

(a) *L. 4. Cod. Iuſt. de Aduoc. fiſci,* continetur vnica, eaque prima *huius leg.* ſententia, cæteris omnibus reſectis. GOTHOFR.

(b) Puta *Valentinianus, Theodoſius, Arcadius:* quos & *ſuperiori l.* inſcribendos oſtendi: quare male etiam *Cod. Iuſtin.* inſcribuntur, *Gratianus, Valentinianus & Theodoſius. ID.*

(c) An hic Ammianus Marcellinus, Hiſtoriarum ſcriptor? minime, etſi tempora conueniunt. An vero is de quo Symmachus *lib. 10. ep. 49.* vid. quæ ſcripſi ad *l. 5. ſup. ad leg. Iul. Repet. ID.*

(d) Id eſt Sacrarum remunerationum, vt mox vocantur, ſeu ſacrarum largitionum. In Cod. Iuſt. eſt: *ſacris ærariis. ID.*

(e) Id eſt *Aduocato*, vt eſt in Cod. Iuſt. *ID.*

(f) *Appellationis* hic effectus, hæc vis, ſententiam ſuſpendere, *h. l.* & *l. 61. 66. inf. de appellat. l. 3. 9. inf. de repar. appell. l. 1. ſup. de re iud. l. 6. ſup. de Iurisdict.* Symmachus *lib. 10. ep. 55. in f. Tunc ſententiam meam Defenſor venerabilis domus inuſitata prouocatione ſuſpendit. ID.*

(g) Siue *Apud duos. ID.*

(h) *Referri*, Editio in 4. *ID.*

(i) Largitionum. *ID.*

P. 160. (k) Id eſt, quemque. *ID.*

(l) Deſideratur iterata appellatione. *ID.*

(m) Sinceritas tua vel S. L. Comes. *ID.*

(n) *Transmarina* prouincia, *hic*, & *l. 45. infr.* id eſt, Africa: de quo alibi plene. *ID.*

(o) Dirimantur. *ID.*

COMMENTARIVS.

DE FISCALIBVS cauſis & Appellationibus a RATIONALIBVS eſt hæc Valentiniani Iunioris conſtitutio: & ſingularis quidem admodum: Ea ſcil. Valentinianus Iun. commune quiddam cauſis fiſcalibus cum priuatorum cauſis inducit: quo ſpectat potiſſima huius *legis* pars, idque contra ius antiquum; Seruato iure antiquo & diſcrimine inter priuata & fiſcalia negotia, circa aliud.

Et initio quidem, quæ pars & ſententia prima eſt *huius l.* id præmittit, cauſas fiſcales priuatæ rei vel ſacri Ærarii, examinandas eſſe a *Rationalibus*, præſente fiſci Aduocato. Quam vnicam ſententiam, reſecatis aliis, Tribonianus coniecit in *l. vlt. Cod. l. de Aduocat. fiſci*: de qua *ſuo titulo* iam prolixius, *de Aduocato fiſci lib. 10. titulo 15*.

Nunc de præcipuo *huius leg.* capite: de Appellationibus inquam in cauſis fiſcalibus a ſenteotia *Rationalis*: de quibus appellationibus a Rationalibus ſunt octo præterea *leges hoc titulo*: *lex 14. 18. 28. 39. ſup 45. 46 49.* & *l. vlt. h. t.* quidque ea parte fiſcalibus & priuatis cauſis commune eſſe velit Valentinianus: quid proprium & diſtinctum: Nempe id commune eſſe vult vt in fiſcalibus cauſis non minus quam in priuatis, appelletur ad eos Iudices ad quos priuatorum cauſæ ex appellatione transferri ſolent, quod & ipſum vult Valentinianus III. *l. vlt. infr. hoc tit.* id eſt, ad Proconſules, Comites diœceſeon, & Vicarios, qui ſcil. vice ſacra cognoſcebant, de quo ad *leges ſuperiores*: & non recta ad Principes vel ad Comites ſacrarum Remunerationum, Comitem inquam S. L. & R. P. quod hactenus obtioebat: vt docet *lex 18. 28. 39.* imo & *lex 40. ſupr.* & poſtea quoque *l. 45. 46. 49. infr.* Et hæc de prima Appellatione. Ateuim ſi & ab illis appellatum fuerit, non ad Principem iri vult, Cooite S. L. vel R. P. Principem tantum de cauſæ merito inſtruente, & ad eum pleniſſime referente. Ergo omnem huiuſmodi cognitionem de appellationibus hic adimit Valentinianus Iun. Comitibus S L. & R. P. Et certe, niſi me fallit animus, Valentinianus Iun. non adeo prono in hos ſtudio fuiſſe hoc tempore videtur: Quos & ſpectabilitatis titulo adhuc decorat *l. vlt ſupr. ad leg. Iul. Repetundar.* Ac neſcio, ao non Macedooius Comes S. L. cui inſcribitur *lex 39. ſupr.* An. 381. & Ammianus Comes R. P. cui hæc *lex* inſcribitur, hi illi ſint, quos ſequius de Republ. meritos, deque his iudicium ſibi delegatum Symmachus ſcribit *lib. 10. epiſt. 49.* anno ab hinc proximo 384. Et hactenus quidem communia fiſcalibus cauſis & priuatis.

Sequitur illis proprium, quod ſecundum ius antiquum his ſeruari vult Valentinianus Iun. Tempora ſcil. definiendis fiſcalibus cauſis, alia quam priuatis, obſeruanda ſtatuit: Nempe non alio fiſcales cauſæ & appellationes iure cenſendæ ſunt, niſi hactenus, vt his terminandis breuiorem terminum præſcribi publica depoſcat vtilitas: de quibus fuit pariter *lex 21. 31. ſupr.* erunt *lex 45. 46. 64. infr.* Idque ipſum Prouinciarum diſcrimine ſeruato; puta *eiuſdem* prouinciæ, contiguæ, transmarinæ: Quod in hoc temporum, & dilationum & appellationum negotio, ſolemne eſt: de quo conſulendum *Paratitlon*; & *lex 13. in fin. ſupr. de iure fiſci*.

SVPERFLVAM *quoque quandoque appellationem recte a Iudice admitti.*

XLII. (a) Idem (b) AAA. ad Agreſtium Proconſ. (c) Palæſtinæ. (d)

PROBAMVS verecundiam Iudicantis, ſi ſuperfluam quoque recipiat prouocationem, ne interim reliquum negotium audiret. Dat. prid. Kalend. April. Conſtantinop. Richomere & Clearcho COSS. [384.]

NOTAE.

(a) Abeſt hæc *lex a Cod. Iuſt.* GOTHOFR.

(b) Puta, qui duobus ſuperioribus *legibus* reſtituendi ſunt. *ID.*

(c) *Conſularis* antea Palæſtinæ præfuit. *l. 55. infr. de decurionib. ID.*

(d) Palæſtina tota ſub vno Proconſule hoc tempore fuit. Sane & Zoſimus *lib. 4. cap. 41.* in geſtis Anni 388. Hilarium pariter a Theodoſio M. toti Palæſtinæ præpoſitum fuiſſe teſtatur. Vide & *l. 28. infr. quorum appell.* & *l. 4. ſupr. de fiſci debit.* Verum ex vna demum Palæſtina tres Palæſtinæ prodiere, de quo vid *leg. 30. ſupr. de erogat. milit. annona*: & *l. vlt. infr. de Iudæis*: dixi ad *l. 3. ſupr. de Protoſtaſia. ID.*

COMMENTARIVS.

SVPERFLVAM appellationem recipientis ſeu admittentis Iudicis verecundiam probat hac Conſtitutione Theodoſius M.

Superflua appellatio Cuiacio eſt, non neceſſaria, ſuperuacua, ſuperſtitioſa; puta a ſententiis, quæ cum ipſo iure nullæ eſſent, appellare ab his nil neceſſe erat. Verum huic interpretationi quamplurima refragantur. Primum quod ita dubitationi nullus eſſet locus, imo nullus *huiuſce legis* vſus; admittat enim Iudex appellationem huiuſmodi

non

Digitized by Google

P. 26. non neceſſariam, an non admittat, ſusquedeque eſt. Secundo, refragantur illa, *probamus verecundiam iudicantis:* Ecquæ enim verecundia eſt Iudicis non neceſſariam appellationem admittentis? Contra ea ſane magna eſt Iudicis verecundia, ſi appellationem verecunde magis, quam iure, conſulto ſuſcipiat: id eſt fruſtra non iure factam. Tertio refragantur illa. *Ne interim reliquum negotium audiret;* quibus ſane verbis apertiſſime indicatur appellatio moratoria, fruſtratoria, importuna, aduerſus leges, ne videlicet reliquum negotium audiretur: & ſic ab articulo, a præiudicio, ſeu interlocutione, cui alioquin multa præiudicialis poſita eſt.

Et ſane hoc ipſum ſecundo comprobatur ex gemino Symmachi loco *lib. 10. ep. 29.* Et quidem hoc ipſo Anno 384. vbi eadem vox VERECVNDE occurrit. *Profiteor,* inquit, *vltro, quod ſcio Clementiam veſtram poſſe reſcribere:* VERECVNDE *potius, quam iure ſuſcepi prouocationem, non extante ſententia, ne exiſtimarer offenſus liberæ quidem, ſed* IMMATVRÆ *vocis obiectu, D. Imperator:* & mox: *Priſcianus & Polemonianus, ad denunciationem* DILATO NEGOTIO *prouocarunt. Et cum ab his ratio quæreretur, alios vocis ſuæ incentores fuiſſe teſtati ſunt, vt geſta literis connexa monſtrabunt. Nec Officium partibus defuit, ad mulctam præiudicii ſuggerendam. Sed* IVNICEM *veſtri ſeculi* DECVIT *vim Conſtitutionis ſacro oraculo reſeruare, cum allegauerint petitores, quod ſe ad* INCAVTAM *prouocationem alienus hortatus impulerit.* Ignaua equidem plerumque Iudicis eſt conniuentia, qui importunam appellationem admittit *l. 26. infr. quorum appell.* Attamen ſæpe caſus emergunt, quibus eam Iudex recte & *verecunde* admittit: puta CONSVLTO ex aliqua iuſtiſſima cauſa, vt in ſpecie Symmachiana, & proculdubio in ſpecie *huiuſce leg.*

Addatur & Tertio loco altera Symmachi epiſtola *lib. 10. ep. 41. Quid poſſint iuſti Principes culpare præſentia. In cauſis etenim, quibus momenti reformatio poſtulatur, appellationes recipi non oportet. Sed* CONSVLTO *nunc obiectum prouocationis admiſi, vt in examen Clementiæ veſtræ & inuaſionis indignitas, & modus iudicii perueniret, D. Imperator.*

Addatur & Quarto loco eiuſdem Symmachi *Ep. 46. lib. 10. In cauſis appellationum, malo ius poteſtatis infringere, quam interpretationum dubia ſuſtinere: præſertim conſcius haud iniqua iudicationis* &c. *Tuli igitur Conſtantium Suarium* TEMERE *prouocantem, cum ex Reſcripto Numinis veſtri ſtatum, quem Theodoſio abſens ademerat, reformaſſem* &c.

Addatur & Quinto loco quarta eiuſdem Symmachi *lib 10. ep 55. in fin. Tunc ſententiam meam Defenſor venerabilis domus* INVSITATA *prouocatione ſuſpendit. Sed cum huius rei nullum exemplum Cognitionalis extare ſuggereret, nihilominus ſubiectam* (obiectam) *vocem libenter admiſi, & Relatione ſummatim cuncta complexus, geſtorumque documenta ſubtexui.*

Imo addatur Sexto *lex 44. infr hoc tit* hoc ipſo Anno data, ad ipſummet Symmachum Præfect. V. cuius eadem ſententia eſt: quinimo & ratio ibi additur, quam huc arceſſi oportet. Quæ cum ita ſint, apparet, *h. l. ſuperfluæ appellationis* nomine intelligendam importunam, præmaturam, iniuſtam aduerſus leges. Et ſane tandem eodem plane ſenſu *l. 39 ſupr.* dicitur: *Eos pœna comitetur, quos Executionem veteris iudicati* SVPERFLVÆ *appellationis obiectu ſuſpendiſſe claruerit.* Denique *ſuperflua* appellatio hic *eſt fruſtranea,* imo in ſp. *huius l. fruſtratoria* quoque: *Inuſitata* Symmacho *d. lib. 10. ep 55. in fine:* immatura, *lib 10. ep. 29.* incauta *ibid.* temere facta, *lib. 10. ep. 46.*

MVLTÆ *iniuſte prouocantibus quæ imponendæ.*

XLIII. (a) Idem AAA. Merobaudi (b) Duci Ægypti.

PROVOCANTIBVS mulctas, niſi ex noſtris decretis, non patimur imponi. Dat. XIII. Kalend. Nou. Conſtantinop. Richomere & Clearcho Coss. [384.]

NOTAE.

(a) Et hæc *lex* abeſt a *Cod Iuſt. GOTHOFR.*

(b) *Merobaudes* hic FRANCVS erat, de quo *Francica* noſtra; de aliis Merobaudis v. *Proſopogr. ID.*

COMMENTARIVS.

MVLTAS iniuſtæ appellationis, eas tantum quas Conſtitutiones præſcribunt, imponi vult *hac l.* Theodoſius M. Non vero ex litigatorum ſponſionibus vel etiam ex Iudicum motu. Nempe olim qui prouocabat, ſponſionem faciebat *Ni iuſte prouocaſſet:* ſeu cautiones interponebantur, ita quidem vt vel in præſenti multa deponeretur, vel cautionibus promitteretur: de quo peculiaris eſt *titulus,* & quidem octo ſententiis conſtans, apud Paulum *lib. V. ſent. titulus,* inquam, *33. de cautionibus & pœnis appellationum:* v. & *l. 6. §. vlt. Cod. Iuſt. de appellat.* Verum hac ſponſione ſublata, multa decretis Principum, quam *Præiudicialem* dixere, conſtituta fuit; cuius multæ mentio *hoc tit.* puta *l. 40. ſupr. l. 50. & 65. infr. & tit. quorum appellat. non recip. leg. 15. 16 30.* Et vero erat ea multa 50. librarum argenti. Eiuſdem meminit & Symmachus *lib. 10. ep. 29.* & *51.* Quare vltra eam multam, decretis Principum conſtitutam, iniuſte prouocantem multari vetat hac conſtitutione Theodoſius M. Pœnis videlicet, quod hinc quoque colligimus, legum contenti eſſe debemus, quod tralatitium alioquin eſt in iure.

More vero ſuo ſomniat Ræuardus 5. *variar. 10.* cum id quod de *decretis* hac *l.* dicitur, non de decre-

tis Principum, ſed de decretis Iudicum maiorum, de appellationibus videl. cognoſcentium accipit. Aperte enim Theodoſius ait, *ex noſtris decretis*, pro quo *d. l. 65 infr.* dicitur *quæ priſcis ſanctionib. continetur*:
P.261. Et *decreta* hoc æuo paſſim de Imperatoriis: vid. vel Symmachum. Rurſum illis, quas modo laudaui, legibus conteſtatiſſimum eſt, multam præiudicialem conſtitutionibus Principum definitam fuiſſe. Tandem non Iudices ad quos appellatum hanc multam impoſuere, quod credidit Reuardus, verum ipſe Iudex a quo: quod docebunt, *lex proxima, lex 10. ſupr. lex 50. & 60. infr. hoc tit. & l. 15. 16. & 30. infr. quorum appellat.* Sed & Symmachus, *locis prædictis*.

Eſt vero, quod notandum, hæc *lex* de Appellatione a Iudice militari, puta a *Duce*, vt ex Inſcriptione diſcimus.

A PRÆIVDICIO *quoque appellationes admittendæ.*

XLIV. (a) Idem AAA. ad Symmachum (b) P. V. Poſt alia.

OBIECTA (c) appellatione, etiamſi a præiudicio interpoſita dicatur, vel ad Nos, (d) vel ad Cognitorem ſacri auditorii ſolemniter cauſa mittatur: Cum, ſi ea prouocatio aduerſum (e) leges fuerit emiſſa, facile poſt iudicium Sacri Examinis, ab huiuſmodi litigatoribus multa poſſit exculpi. Dat. III. Kal. Decembr. Med. Richomere & Clearcho Coss. [384.]

NOTAE.

(a) Et hæc *lex* abeſt a *Cod. Inſt.* Iungenda autem *huic* omnino videtur *lex 4. ſupr. de ſentent. ex peric. recit.* de quo mox plura. *GOTHOFR.*

(b) *Symmachus Præfectus Vrbi*, hic ille eſt, cuius extant hodie Epiſtolarum *libri decem* & ad cuius Præfecturam pertinent pleræque *Epiſtolæ lib. 10.* Imo componenda hæc *lex* omnino videtur cum eius *Epiſtola 29. lib. 10.* de quo mox. *ID.*

(c) *Subiectam*, ita vocem prouocationis vocat Symmachus *lib. 10. ep. 55. in fin. ID.*

(d) Si a Cognitore ſacri auditorii fuerit iudicatum. *ID.*

(e) Id eſt ſuperflua: de quo ad *leg. 39. & 41 ſupr. ID.*

COMMENTARIVS.

A PRÆIVDICIO quoque appellatio hoc Valentiniani Iun. ad Symmachum P. V. reſcripto, non modo vt *lege 42. ſupr.* admittitur, verum iam admitti ex neceſſitate Iuris iubetur. Neque dubito hoc Valent. Iunioris reſcriptum, emiſſum ad ipſiusmet Symmach. *Epiſtolam 29. lib. 10.* Cuius partem etſi ad *l. 42. ſup.* cuius quoad cœtera idem ſenſus eſt, laudauerim, hic tota tamen eſt exſcribenda, emendata prius eius inſcriptione: Nam *Valentiniano* ea inſcribi debet, quo alioquin mendæ genere laborant complores eius Epiſtolæ: *Profiteor vltro, quod ſcio Clementiam veſtram poſſe reſcribere: Verecunde potius quam iure ſuſcepi prouocationem* (ad me factam) NON EXTANTE SENTENTIA: *Ne exiſtimarer offenſus liberæ quidem, ſed immaturæ vocis obiectu, D. Imperator: Nam cum inter proximos Emphaſii C. V. itemque hæredes ſcriptos, qui olim* BENEFICIO PRÆTORIS *corporibus defruuntur, ſuper teſtamenti iure actio verteretur, & ſententiam de poſſeſſione impatienter exigerent, quibus ab inteſtato bonorum poſſeſſio minime competebat, quod hæredibus ſcriptis ſecundum tabulas docebatur indulta, Priſcianus & Polemianus ad* DENVNCIATIONEM, *dilato negotio prouocarunt. Et cum ab his ratio quæreretur, alios vocis ſuæ incentores fuiſſe teſtati ſunt, vt Geſta litteris connexa monſtrabunt. Nec Officium partibus defuit ad* MVLCTAM PRÆIVDICII *ſuggerendam. Sed Iudicem veſtri ſeculi decuit, vim Conſtitutionis ſacro Oraculo reſeruare, quum allegauerint petitores, quod ſe ad* INCAVTAM *prouocationem alienus hortatus impulerit.* Igitur timide ſcribenti Symmacho, id quod *hac l.* continetur, reſcribit Valentinianus. Ratione etiam ſubdita, quod multa nihilo ſecius poſt iudicium appellationis exigi poſſit ab eo, qui a præiudicio immature & ſuperflue contra ius appellauit.

Et hæc de appellatione a præiudicio admittenda: Nam viceuerſa ſtatuit Valentinianus Iun. vt ſi ſententia ex libello data non fuerit, ab ea appellare nil neceſſe ſit: quod altero capite quod *huic legi* coniungendum eſt, puta *lege 4. ſupr. de ſentent. ex peric. recit.* ad eundem Symmachum reſcripſit.

Proinde in vniuerſum his duabus *legibus* hæc Valentiniani Iun. mens eſt: Quaſcunque tandem ſententias, etiam interlocutorias & præiudiciales appellationis remedio ſuſpendi poſſe, ſi modo ſcriptæ ſint; nam alioquin, ſi de libello recitatæ non fuerint, nil neceſſe eſſe appellare.

Qua parte duo aduerſus ius quod hactenus obtinuit & ipſemet probauerat, conſtituuntur: non modo ſcil. vt a præiudicio appellari poſſit, quod hactenus ius non fuit; verum etiam, ſi bene iudico, vt præiudicialis ſententia ex libello daretur, quod antea ius non erat, vt docuit quidem *lex 40. ſup. hoc t.* Et ſane, alterum alterius conſequens eſt (quod & *d. lex 40.* oſtendit) vt a quo appellari poteſt, id libelli documento & recitatione decernatur.

De

P. 163.

De FISCALIBVS *cauſis & appellationibus in his: ad quem faciendæ ſint & intra quæ tempora peragendæ.*

XLV. (a) Idem AAA. (b) & Arcadius A. ad Pelagium (c) Com. R. P. Poſt alia.

CVM poſt ſententiam Diſcuſſoris (d), vel Rationalis fuerit prouocatum, ad Sinceritatem Tuam negotium transferatur, vt ſi mediocritas negotii, aut longinquitas Regionis ad iudicium tuum litigatores venire non patitur (e), Iudici (f) prouinciæ, quem ipſe probaueris, negotium deleges. Appellationes * vero Transmarinæ (g) in iudicio tuo intra anni agantur ſpatium: de contiguis & non longe poſitis prouinciis appellationes intra conſtituta iure tempora peragantur. Dat. XV. Kalend. Mar. Med. Arcad. A. I. & Bautone Coss. [385.]

NOTAE.

(a) *Lex 10. Cod. Iuſt. eod. tit.* Iungenda autem *huic* eſt *lex 29. infr. quorum appell.* ſeu *lex 7. Cod. Iuſt. eod. tit.* GOTHOFR.

(b) Inducendum tertium *A.* ac proinde tribuenda hæc lex *Valentiniano, Theodoſio & Arcadio*: pariter vt *lex 40.41.42.43.44. ſupr.* vid. *Chronolog. ID.*

(c) *Pelagius* Comes R. P. ſub Valentiniano Iun. *h l. & d. l. 29. ID.*

(d) De *Diſcuſſore* agitur *d l. 29.* Fuit & *lex 36. ſupr. h. t.* & peculiaris *Titulus de diſcuſſorib. hoc eod. lib. tit. 26. ID.*

(e) *Patiatur* Cod. Iuſt. *ID.*

(f) *Iudicio Rectoris prouinciæ,* ita *Cod. Iuſt. ID.*

* Sequentia recidit Tribonianus. *ID.*

(g) *Transmarinæ* prouinciæ hic & *l. 41. in fin. ſupr.* ſunt Africæ, de quibus alibi plene. *ID.*

COMMENTARIVS.

AD DISCVSSORIS (de quo *l. 36. ſupr.* quoque: & ſuo tit. ſupra) vel RATIONALIS (rei priuatæ ſcil.) ſententia definitiua ſcil. (neque enim ante eam appellare licet, *l. 29. infr. quor. appell.* quæ velut eiusdem Conſtitutionis pars, *huic* iungenda eſt) ad Comitem R. P. appellari iubet hac Conſtitutione Valentinianus Iun. De quibus alioquin Appellationibus a Rationalibus, quam varie ſe ſe habuerint, ſunt *hoc titulo* octo præterea *leges*, puta *lex 14. 18 28 39. 41. ſup. hac lex & l. 46. 49. & vlt.* Itemque a Diſcuſſoribus *lex 36. ſupr. & l. 21. infr. quorum appellat.*

Cœterum, appellatione ad *Com. R. P.* facta, duo ei *hac lege* iniunguntur. Primum, vt negotium ſeu appellationis cognitionem Iudici prouinciæ duobus caſibus deleget, ſi videl. mediocris ſit cauſa, vel litigatores in longinqua regione verſentur. Quod ſingulare admodum eſt: puta vt cognitio de appellatione delegari poſſit, cum alias quæ ſpecialiter *lege* aut *Conſtitutione* tribuuntur (cuiusmodi eſt ſacrum iudicium ſeu de appellationibus cognitio) delegari non poſſint. Verum hanc exceptionem extorſit publicæ vtilitatis ratio; vbi tamen & conſtitutione adhuc opus fuit. Nempe & in mediocribus cauſis, facilius aliquid de iure ſolemni remittendum & ſubditis hactenus conſulendum eſt, ne longinquis peregrinationibus atterantur.

Secundo & tempora appellationum peragendarum pro diuerſitate prouinciarum *hac lege* definiuntur, pariter vt *l. 41. ſup. & l. 46. & 64. infr.* ita quidem vt transmarinæ appellationes, ex Africa videl. non vltra annum protrahantur. Et hanc *huius legis* partem recidit Tribonianus; eo quod alia iam tempora appellationibus peragendis ſtatuta a Iuſtiniano: de quo vid. *tit. Cod. Iuſt. de tempori. appellat.*

De FISCALIBVS *cauſis & appellationibus, intra quæ* TEMPORA *ea noſci debeant.*

XLVI. (a) Idem AAA. ad Florentium (b) Com. S. L. Poſt alia.

CVM ſuper fiſcali debito emerſerit prouocatio, in eadem prouincia viceſimo die negotii merita noſcenda ſunt: ita vt ſecundum generalis arbitrium ſanctionis † XL. dierum ex contigua prouincia ſpatia ſufficiant. Dat. VII. Kalend. Decembr. Aquil. Arcad. A. I. & Bautone Coss. [385.]

NOTAE.

(a) Abeſt & hæc *lex* a *Cod. Iuſt.* Iungenda autem illi *lex* 30. *infr. quor. appellat.* GOTHOFR.

(b) *Florentius* Comes S. L. ſub Valentiniano Iun. vocatur *Florentinus d. l.* 30. & *l.* 4. *Cod. Iuſt. de agricol. & mancip. dom.* vbi tamen in vulgat. Edit. *Florus* legitur. *ID.*

† De qua *leg* hoc accipiendum ſit, mox viderimus. *ID.*

P.264.

COMMENTARIVS.

FISCALIBVS appellationibus modum conſtitutione ſua ponit Valentinianus Iun. *hac l.* & *l.* 30. *infr. quorum appell. non recip.* quæ *huic* coaſſanda eſt: Quænam, inquam, fiſcales appellationes admittendæ non ſint; Nempe euidentiſſimorum debitorum, *d. l.* 30. Item, intra quæ tempora finiendæ ſint: nempe in eadem prouincia intra dies 20. in contigua intra 40. Firmata hac in re anteriore ſuper hoc ſanctione generali. Quibus verbis indicare mihi videtur ſuammet ipſius, ante trimeſtre conſtitutionem latam: puta *legem* 13. *ſupr. de iure fiſci.* vbi ad hanc rem plura. Etſi & aliæ quoque concordent Conſtantii Imp. puta *lex* 21. & 28. *ſupr.* Alioquin de appellationibus in fiſcalibus cauſis, & a Rationali, octo præterea *leges* hoc *titulo* occurrere obſeruandum eſt: puta *leg.* 14. 18. 28. 39. 41. 45. *ſupr. hanc leg.* & *l.* 49. & *l. vlt. infr.*

RELATIONE *ad Principem facta, quando litigatoribus ad Comitatum proficiſci liceat.*

XLVII. (a) Imppp. (b) Valentinianus, THEODOS. & Arcadius AAA. Cynegio PF. P.

CVM antea ſit conſtitutum, † vt Conſultationem Iudicis, ad Comitatum ſacrum miſſam, litigatorum nemo ſequeretur, hoc integra deliberatione ſancimus, vt ſi ad Conſultationem anno decurſo non fuerit aliqua ratione reſponſum, litigatores, quorum intereſt, collectis omnibus Geſtis, & ipſius Relationis exemplis, veniendi ad Comitatum Noſtræ Serenitatis habeant liberam facultatem. Dat. VII. Kal. Feb. Conſtantinop. Honor. NB. P. & Euodio Coss. [386.]

NOTAE.

(a) Et hæc *lex* abeſt a *Cod. Iuſt.* Fit eius mentio *leg.* 54. *infr.* Concordant huic legi, *lex* 34. *ſupr. lex* 54. & 66. *infr.* GOTHOFR.

(b) *vp. Idem AAA. ID.*

† Puta *lege* 34 *ſupr. ID.*

COMMENTARIVS.

RELATIONE ſeu Conſultatione ad Principem a Iudice miſſa, litigatores, ad Comitatum Principis venire a Valentiniano Seniore prohibiti fuerant indiſtincte, *l.* 34. *ſupr.* quam hæc indicat, vbi & rationem eius rei, veram ni fallor reddidimus: Verum *integra* ſeu noua, iuſta deliberatione, perpenſa, & matura, *modus* quidam huic rei a Theodoſio M. nunc adhibetur, quem & ipſum probauit poſtea Honorius filius ipſius *l.* 54. *infr.* Sed & nepos Theodoſius Iunior *l.* 66. *infr.* puta, vt ſi reſponſum Principis intra annum non fuerit elicitum, litigatores, tum demum ad Comitatum venire poſſint, vna cum Geſtis omnibus & exemplo Relationis. Nempe vt ſuo marte huiusmodi cauſas ad Principem delatas Principes ipſi decurrere voluerunt, non autem commonitione litigatorum (vt loquitur *d. l.* 54.) non per emendicata ſuffragia Potentiorum & Palatinorum; ita viceuerſa in litigatorum necem id cedere noluerunt, ne alioquin moras nectentibus ſcriniariis, alterutro litigatorum agente, vel etiam Iudice ipſo qui retulit, litis deciſio protrahatur, ſpesque adeo litigatorum eluderetur: & vt in non abſimili re loquitur *lex* 55. *infr. ne litigator ſub conſultationis ambiguo iugi expectatione pendeat.* Et ſic hac ratione & Integritati & Celeritati iudicii Principalis conſultum fuit.

REVOCARE *appellationem non licere.*

XLVIII. (a) Idem AAA. ad Euſignium PF. P. (b)

REVOCARE appellationem ſuam vnicuique minime permittatur, ſed Sacro (c) Auditorio totius negotii examinatio referuetur. Quod ſi hac lege neglecta gratiam fuerit (d) appellationis, & ipſe quinquaginta libras argenti, & eius Officium parem ſummam con-

condemnationis (e) inferre cogetur. Dat. XIV, Kal. Iun. Med. Valentiniano A. III. & Eutropio Coſs. [387.]

e.265.

NOTAE.

(a) Abeſt & hæc *lex* a *Cod. Iuſt.* Hanc *leg.* indicat *lex* 56. *infr.* ex qua deformata eſt *lex* 28. *C. Iuſt. eod. tit.* *GOTHOFR.*

(b) *Euſignius* PP. Italiæ ſub Valentiniano Iun. v. *Proſopogr.* & ibi Symmachum. *ID.*

(c) *Sacrum Auditorium*, id eſt, Iudex appellationis. v. *Gloſſ. Theod.* *ID.*

(d) *Siuerit*, id eſt, gratiam fecerit. *ID.*

(e) *Condemnationis*, id eſt, Multæ: de quo ſupr. plenius ad *l.* 38. *ID.*

COMMENTARIVS.

RENVNTIARE appellationi, ſeu reuocare appellationem ſuam, indiſtincte nulli licet, ex hac Valentiniani Iun. conſtitutione. Verum temperamentum ei poſtea quoddam adhibitum *l.56. infr.* vbi dicam plenius. Imo indiſtincte appellationem reuocandi poteſtatem poſtea fecit Iuſtin. *l.28 C.I. de appell.* quæ ex *d. l.56.* alioquin a Triboniano deformata eſt. Sane illud, quod *hac leg.* cauetur vitilitigatoribus compeſcendis conſtitutum fuiſſe videtur, vt ita a temerariis appellationibus reuocarentur. Deliberandum ſcil. diu & ſerio, vbi ſera pœnitentia eſt. Sane & Papouius *lib. 19. Arr. t. 1. n. 18.* teſtatur, in prouinciis conſuetudinariis, appellantes multa temerariæ appellationis teneri, quamuis intra octiduum (quod alioquin in prouincia iuris ſcripti licet) appellationi renunciauerint, idque ad cohibendam appellantium contumaciam. Sed & Guido Papa *q. 436. n. 36.* notat, in Delphinatu renunciantem appellationi ſuæ condemnandum in expenſas venire: vid. & Innocent. *c. ex parte, de reſcriptis.* Igitur in eo, *hanc leg.* ſeruat Patria conſuetudinaria: *Legem* vero 56. patria iuris ſcripti. Et habet ita vtraque ex *hoc Codice Theodoſiano* præiudicium, quo ſeſe tueatur.

A RATIONALI *Vrbis Romæ, ad quem appelletur.*

XLIX. (a) Idem AAA. Albino P. V. (b) Romæ.

IN negotiis, quæ in Vrbe venerabili, noſtri patrimonii nomine, ventilantur, id iuris tulimus, vt ſi ducentarum librarum argenti negotium quod agitur, ſummam æſtimationemque tranſcendit, a Rationalis (c) ſententia prouocantes, Comitiuæ priuatarum (d) ſequantur examen. Si vero intra præſtitutum modum, litigii ſumma ſe cohibet, Sublimi Eminentiæ Tuæ Sacrum noſtri numinis iudicium delegamus. Dat. VIII. Kal. Aug. Rom. Timaſio & Promoto Coſs. [389.]

NOTAE.

(a) Abeſt & hæc *lex* a *Cod. Iuſt.* Iungenda autem illi *lex vlt. C. I. de ſeruis fugitiuis*, ſi modo ſubſcriptio vitio caret. Nam ſi argumenti ratio ſpectatur ea potius iungenda videatur *legi vnic. infr. de mancipibus.* & *leg.* 5. 6. *infr. de Suariis.* *GOTHOFR.*

(b) *Albinus* P. V. Romæ ſub Theodoſio & Valentiniano Iun. A.D. 389. 390. vid. *Proſopogr.* *ID.*

(c) Vrbis Romæ, & regionum ſuburbicariarum. *ID.*

(d) Id eſt, rei priuatæ. *Priuatarum* abſolute, pro rerum priuatarum. *ID.*

COMMENTARIVS.

A RATIONALIS Vrbis Romæ (de quo fuit quoque *lex 14.* & *18. ſup.*) ſententia de re priuata Principis, ad quem appellari debeat, *hac Conſtitutione Theodoſio-Valentinianea* definitur: a Rationalis inquam Vrbis Romæ ſententia: Nam de aliis Rationalibus, appellationibusque ab iis, fuere *lex 28. 39. 45. 46. ſup.* erunt, & *lex 49.* & *l. vlt. infr. h. tit.* Et ſic Nouem in vniuerſum de appellatione a Rationalibus *hoc Cod.* leges occurrunt. Igitur a Rationali Vrbis Romæ appellatio partim ad Præfectum Vrbis hic conſtituitur: ad illum videlicet, ſi 200. libras argenti negotium excedat: vt ita maioris meriti negotium ſuo & naturali Iudici ſeruetur: Eſt enim Comes R.P. naturalis ſuperior Iudex Rationalis: vtpote ſub cuius diſpoſitione Rationales eſſent: vid. vel *Notitiam Imp.* Ad hunc vero, Præfectum inquam Vrbis: ſi eam ſummam non excedat. Quod inter cæteras Præfecti Vrb. *prærogatiuas*, quibus Vrbici Magiſtratus dignitas aucta, cenſeri quoque oportet. Quinimo Symmachus *lib. 10. ep. 55.* ante hanc conſtitutionem, recentem Valentiniani Iun. puto ſanctionem allegat, qua appellationes a Rationali vrbis Romæ, Præfecto Vrbis commiſſæ fuerant. *Vnus*, inquit, *& ſolus poſt humanam memoriam Rationalis* (Baſſianus) *emerſit, qui exemplum noua iudicationis induceret. Hinc (a iudicatione Rationalis) orta eſt prouocatio. Quæ* (prouocatio) *vbi Auditorium ſacrum* (Præfecti vrbis) *(decreto etiam veſtræ legis) intrauit, rurſus eludendi iudicii cauſa propoſitum eſt inane commentum: vt ab Illuſtri Viro priuatæ rei Comite* DELEGATA *cognitio diceretur Rationalis examini, atque ideo rurſus ad eiuſdem iudicium debere transferri; Cum omnis quæſtio ex precibus Martiani dudum Protectoris, & veſtræ Clementiæ largitate deſcendens, Sacro potius Auditorio ex prouocatione competeret: accedente etiam*

proxima Sanctione, quæ indiſcretas huiuſmodi appellationes, ſedi, quæ vicem Principum tuetur (id eſt, Præfecturæ vrbanæ) *priſco iure commiſit. Examinatis igitur omnibus, pronunciaui bona obnoxia non eſſe. Reſcripto* &c. Quanquam in ſpecie Symmachi non de tributis & rebus fiſci principaliter agitur, verum de iudicio cauſaque ciuili, de hæreditate, inquit, vtrum ea ad ſcriptum hæredem aliquem pertineat. Illud non prætereundum, illam Symmachi *epiſtolam* male referri a CL. Iureto ad appellationes a Præfecto Vrbis. De aliis Præfecti Vrbis prærogatiuis in negotio appellationis, dixi ad *leg. 18. ſupr.*

P. 161.

Hic interim exemplum habemus Appellationis ad Iudicem, ad diuerſos Magiſtratus pro diuerſitate ſummarum. Item exemplum habemus appellationis ad Iudicem non adeo ſuum, propter ſummæ mediocritatem: & quidem ex ſingulari Principis delegatione.

Hæc vero inter alias Theodoſii Magni *lex* eſt: quibus Romæ poſitus, poſt *Maximum* deuictum, Vrbis Romæ dignitati, negotiis, cauſiſque conſultum iuit: & quidem conſtitutionibus ad hunc Albinum Præfectum Vrbis datis, quas repetere licet ex *Chronic.*

ANTE SENTENTIAM *appellantis pœna.*

L. (a) Idem (b) AAA. Victorio (c) Proconſ. Aſiæ.

EVM, qui Procuratorem ſuum cum appellatione, ante ſententiam aduerſum ſe latam, ad iudicium dirigit, Iudiciaria auctoritate iubemus præiudicialis multæ excipere ac ſuſtinere iacturam. Emiſſa (d) prid. Non. April. Conſtp. Theod. A. III. & Abundantio Coss. [393.]

NOTAE.

(a) Et hæc *lex* abeſt a *Cod. Iuſt. GOTHOFR.*

(b) *vg.* Imppp THEODOSIVS, *Arcadius* & *Honorius. ID.*

(c) *Victorius* Proconſul Aſiæ ſub Theodoſio M. cui *duæ* præterea *Leges* inſcribuntur, *lex 4. ſupr. de Cognitorib. & procurator.* & *lex 5. ſupr. de reuoc. donat.* quas putet quis cum *hac l.* coniungendas. *ID.*

(d) *Emiſſa.* Similis ſubſcriptio *l. 30. ſupr. de Numerar. l. 9. ſupr. de Agentibus, l. 11. de diu. off. l. 112. infr. de decur. Nouella Theodoſ. 23.* De qua in *Prolegomenis. ID.*

COMMENTARIVS.

PRÆMATVRE & ANTE SENTENTIAM aduerſum ſe latam, ſeu a futuro grauamine, vt nemo appellare poteſt, quinimo ita appellanti multa propoſita eſt (quod & in Francia obtinet, vt docet Appendix *1. ad 19. Arreſt. Papon. t. 1.*) ita quoque eandem multam ſuſtinere cogitur, qui Procuratorem cum appellatione ante ſententiam aduerſum ſe latam ad iudicium mittit: Neque enim quicquam intereſt, ipſe ante ſententiam appellet, an vero procuratorem ad id faciendum mittat: puta vt a *præiudicio* ſeu *interlocutoria* appellet, atque ideo multa mulctatur: Quæ *multa præiudicialis*, hac *lege* & iterum *l. 65. infr.* dicitur: quomodo etiam eam vocat Symmachus, *ep. 51. lib 10. cum cauſa violentiæ diceretur, Prouocatio a reis inconſulta proceſſit*, &c. *Tunc Auditorii ſacri Iudex*, inquit, *Rectoris affatu ſuper appellatione eſt conſultus, & præiudicialem multam ſtatuit prouocationibus inferendam.* Atque eodem ſenſu ibidem, *appellationem præiudicialem*, dicit: *Cum multam*, ait, *didiciſſet exactam, quam decreto ſacri Auditorii appellatio præiudicialis agnouerat.* Idem eam vocat *multam præiudicii*, epiſt. 29. *Nec Officium*, inquit, *partibus defuit ad multam præiudicii ſuggerendam.* De huius autem multæ modo, vide *l. 15. 16.* & *30. infr. quorum appell. non recip.*

Et Iure Pontificio tamen a grauamine quod veremur necdum ſuſtinemus, appellare licet: *c. 9. extr. de reſtitut. c. 26. de dolo & contum. cap 10. 12. extra. de appell. c. 8. de appell. in 6. prima collectione.*

RESPVENTIS *appellationem Iudicis & Officii pœna.*

LI. (a) Idem AAA. Apodemio PF. P. (b) II. Illyrici & Ita.(c)

QVIAVS cauſis non eſt prouocatio reſpuenda, iubemus reſpuentem Iudicem (d) triginta librarum auri, obſecundantem Officii gratiam, quinquaginta eſſe feriendam. Dat. V. Id. Iun. Conſtantinop. Theod. A. III. & Abundantio Coss. [393.]

NOTAE.

(a) Abeſt & hæc *lex* a *Cod. Iuſt. GOTHOFR.*

(b) Anno ſuperiore 392. dicitur *lege 21. infr. de Nauicul.* PP. *Illyrici & Africæ: l. 12, 13. infr. de legatis.* PP. per Illyricum. *ID.*

(c) De

(c) De hoc dixi plene *ad l. 2 ſupr. de conſtitut. princip. ID.*
(d) *Multa* ſcil. *ID.*

r.267.

COMMENTARIVS.

RESPVENTI Appellantem, Iudici eiusque Officio multa grauiſſima hac Theodoſii M. conſtitutione impoitur, de qua ipſa ſunt præterea ſex *hoc tit.* conſtitutiones: Conſtantii *lex 22. 25. ſup.* Valentiniani *lex 33.* Honorii *lex 58. 59. 60. infr.*

QVA DE RE *in iudicio appellationis agi poſſit.*

LII. (a) Idem AAA. Haue Rufine (b) K. NB.

NIHIL, ſub Sacri iudicii (c) examine, de ea parte negotii debet definiri, de qua nihil in exordio (d) aput Præſidem, aut inſtitutum fuerit, ac (e) probatum. Dat. IV. Kal. Octobr. Conſtantinop. Theod. A. III. & Abundantio Coss. [393.]

NOTAE.

(a) Abeſt & hæc *lex* a *Cod. I.* Iungendæ *huic l.* ſunt *lex 5. ſupr. de cognitor. & procurat. lex vn. ſupr. de Carbon. edict. l. 5. ſupr. de liberali cauſa.* GOTHOFR.
(b) *Rufinus* hic fuit PP. vt docet *d. l. vn. & d. l. 5. ſeu vlt. de liberal. cauſ. ID.*
(c) *Sacrum iudicium* eius qui de appellatione cognoſcit. *ID.*
(d) Id eſt, in prima inſtantia *ID.*
(e) *Aut. ID.*

COMMENTARIVS.

DE EA parte negotii cognoſcere, ſententiamue dicere debet Iudex, qui de appellatione cognoſcit, de qua *in exordio* (id eſt, in prima inſtantia) apud Præſidem aut inſtitutum fuit, aut probatum fuit; non autem de ea, de qua nihil in exordio inſtitutum aut probatum fuit. Denique ſuper eodem capitulo, non ſuper *nouo capitulo*, vt loquitur *lex 4. C. I. de tempor. & repar. appellat.* vbi alioquin bono Accurſio aqua hæſit, inquirenti, quidnam ibi eſſet *nouum capitulum*. Atque id eſt, quod etiam vulgo dicitur *Iudicem appellationis excedere Iurisdictionem ſuam, ſi cognoſcat ſuper non deductis in prima inſtantia:* de quo v. Surdum *deciſ. 147. n. 1. 2. conſ. 54. 266. n. 13. 14.* Menoch: *de retin. & recup. poſſeſſ. 5. n. 94.* Neque adeo abſimile etiam eſt, quod cauetur *l. u ſup. h. tit.* litigatorem *in refutatoriis congerere non oportere, quod adſerere in intentione neglexit.*

Alioquin, quod huic iam contrarium non eſt, ſi quid in agendo negotio *minus* ſe allegaſſe litigator crediderit, quod in iudicio acto (id eſt primæ inſtantiæ) fuerit *omiſſum*, apud eum qui de appellatione cognoſcit, perſequi poteſt, neque *neceſſaria* forte *res tranſmiſſa* excludenda videtur: vt definitur *l. 6. §. 1. Cod. Iuſt. de appellationib.* Et, vt pariter definitur *l. 4. Cod. eod. de temporib. appellationum: licentia patet in exercendis conſultationibus* (ſeu appellationibus) *tam appellatori quam aduerſæ parti,* NOVIS *etiam* ADSERTIONIBVS *vtendi, vel exceptionibus quæ non ad nouum Capitulum pertineant, ſed ex illis oriuntur, & illis coniunctæ ſunt, quæ apud anteriorem Iudicem noſcuntur propoſitæ. Sed & ſi qua dicta quidem allegatio monſtrabitur, vel inſtrumentum aliquod prolatum,* PROBATIONES *tamen illo quidem defuerint tempore, verum apud ſacros Cognitores ſine procraſtinatione, præberi poterunt, idquoque eos admittere oportet.* Et rationes adduntur illis duabus legibus: *Quo* inquit, *d. l. 4. exercitatis iam negotiis* (id eſt, agitatis) *pleniore ſubueniatur veritatis lumine.* Imo vero in *d. l. 6 §. 1. Votum*, inquit, *gerentibus nobis, aliud nihil in iudiciis, quam Iuſtitiam locum habere debere:* Hoc ſenſu, Principis deſiderium hoc eſſe, vt in Iudiciis omnia ea admittantur, per quæ Iuſtitia locum habere, vel veritatis lumen haberi poteſt. Non ſunt igitur *leges* hæ huic contrariæ: quam tamen Tribonianus ideo omiſit, quod *ἀσυνδέτως* hæc, *ac probatum*, accipi poſſe putaret.

De cætero obſeruandum, hanc *legem ἀπόμοιρον* eſſe prolixioris conſtitutionis Theodoſianæ de *proceſſu* iudiciario, tum ſecundæ, tum primæ inſtantiæ, deque perſonis iudicium conſtituentibus, procuratoribus, actoribus, vt docet *d. lex 5. ſupr. de cognitor. d. l. vn. de Carbon. Ed. d. l. vlt. de liberali cauſ.* quæ *huic* iungendæ omnes.

A NOMINATIONE *non ſolemni, appellari nil neceſſe eſſe.*

LIII. (a) Imppp. Theod. (b) Arcad. & HONOR. AAA. Ennoio (c) Proc. Afric. Poſt alia.

LIBELLIS (d), vel Edictis, factæ, citra (e) conſilium (f) publicum, non valeant (g) Nominationes: de quibus nec appellari (h) neceſſe eſt, ſi ſollemnitas (i) deeſt. Dat. XVII. Kalend. Iun. Med. Olyb. & Probino Coss. [395.]

NOTAE.

P. 168.

NOTAE.

(a) *L. 27. Cod. Iuſt. eod. tit.* Iungendæ autem *huic* ſunt quinque *leges*, puta *lex* 141.142.143.144.145. *infr. de decurionibus.* GOTHOFR.

(b) *Theodoſii* nomen inducendum: vid. *Conſul. Theod.* Et recte etiam abeſt a Cod. Iuſt. *ID.*

(c) *Ennodio*, vt *Cod. Iuſt.* *ID.*

(d) Inuerſa *huius l.* verba *Cod. Iuſt.* *ID.*

(e) Ita recte Tiliana & illa in Quarto, *Citra*: vt etiam habetur *Cod. Iuſt.* Male in aliis *circa*. Et frequens alioquin harum vocum commutatio, v. g. in *l. 23. in pr. D. de appellat.* *ID.*

(f) *Concilium* Cod. Iuſt. verumque recte ſuſtineri poteſt: vid. *l. 84. infr. de decur.* *ID.*

(g) *Valent*, Cod. Iuſt. definitiua Elocutione, non imperatiua. *ID.*

(h) *Appellare*, Cod. Iuſt. *ID.*

(i) Superius ſcil. dicta, id eſt, ſi non ſolemni conſilio factæ fuerint. *ID.*

COMMENTARIVS.

De Nominationibvs ad Curiam vel Curialia munera eſt hæc Quarta iam *hoc titulo* conſtitutio, & quidem hæc Honorii: reliquæ enim tres ſunt Conſtantini M. *l. 10. 12. ſupr.* & Conſtantii *l. 19. ſupr.* Et hæc quidem pars eſt conſtitutionis Honorianæ prolixioris de muneribus Curialibus, vnde ſuperſunt quinque præterea membra, ſeu *Leges*, puta *lex 141. 142 143. 144. 145. infr. de decurionibus*: quæ proinde *huic* coaſſandæ ſeu coniungendæ veniunt: quæque omnes in eodem argumento verſantur: ac nominatim *lex 142.* quæ Nominationum formam ex parte continet: pariter vt hæc eodem ſpectat. Et ſcil. hæc de forma Nominationum ad Curialia munera: nempe definit Honorius eas fieri ſolemniter *in Conſilio publico*, vel *concilio* (quomodo habet *Cod. Iuſt.*) Nempe tractatu publico, cœtuque Ordinis ſeu Curiæ ciuitatis, quod & ipſum habetur *d. l. 142. de decurionibus*: vbi de eo plene: At non etiam *Libellis vel Edictis*. Libellis vel Edictis factæ nominationes ſunt, quæ fiunt, Edictis Rectorum prouinciarum, ſiue libelli hic idem ſint quod Edicta, ſiue Edicta hic intelligantur ad libellos. Suam videl. de rebus ſuis cuique Ordini ſententiarum hac parte libertatem conſtare oportet, non vero auctoritate Iudicum interturbari: præſertim cum Curialium interſit, idoneos ad munera curialia nominari, quorum vtique ipſi notitiam maiorem habent. Denique neque vim Iudicum, neque Reſcripti ſubreptionem hac parte valere vel ſpectari oportet: vt in non abſimili re cautum a Theodoſio Magoo Honorii patre in ſpecie *l. 8 infr. de Iudæis.*

Quare (quæ iam ratio eſt cur hæc *lex* ſub *hoc titulo* poſita ſit) ſi libellis vel Edictis citra conſilium publicum, ſolemnitate quam dixi omiſſa, nominatio facta fuerit, nominatio hæc in tantum nulla eſt, vt neque ab ea appellari neceſſe ſit, (cum tamen alias a nominationibus, ſi quis eas iniuſtas putaret appellare neceſſe eſſet, vt docuerunt *d. lex 10. 12, 19. ſup*) Scilicet ſententia, ac proinde & nominatio, quæ ipſo iure nulla eſt, *cui ſolemnitas deeſt*, appellationis remedio non eget, & citra appellationem inanis eſt: *l. 1. 4 ſup. de ſentent. ex per. recit. l. 40. ſup. h. t. & tit. Cod. l. quando prouocare non eſt neceſſe.*

RELATIONE *ad Principem miſſa, quando litigatoribus ad Comitatum proficiſci liceat.*

LIV. (a) Idem AAA. (b) Andromacho P. V. (c)

Si ante (d) annum Relationi miſſæ, reſponſum Sacra Scrinia non dediſſent, cauſæ litigatoris commonitio (e) non nocebit. (f) Poſt quod, etiamſi aliqua (g) Conſtitutio manaſſe monſtratur, quæ, venientes (h), rei de qua agitur (vt dudum) amiſſione (i) conſtringit, in (k) quo ei quæ tempus deſignat, nihil intelligitur detraxiſſe: quia nullam indulti anni nec attigit, nec ſuſtulit mentionem: Atque ideo poſitum (l) vigorem legum (m) ſcitaque ſeruabunt, ſi intra annum miſſæ (n) Relationis, impatientia litigatoris eruperit, vel condicio (o) præſtituta, vel pœna: Transacto autem anni curriculo, nemo venire prohibebitur, quominus a Clementia Noſtra repetat Oraculum, (p) quod lex præſcribta anni definitione diſtulit, non ademit. Dat. VIII. Kal. Iun. Med. Olybrio & Probino Coss. [395.]

NOTAE.

(a) Abeſt hæc *lex* a *Cod. Iuſt.* Concordant huic l. *lex* 34. 47. *ſupr.* (quæ & *h. l.* indicantur) & *l. 66.* GOTHOFR.

(b) Tolle vnum e tribus *A.* vt iam oſtenſum quoque ad *leg. ſuper.* *ID.*

(c) *Andromachus* ſub Honorio P. V. malo, P. P. vid. *Proſopogr.* *ID.*

(d) *Intra*, ſed hoc non muto. *ID.*

(e) Putabam aliquando, *commeatio*: commeare enim ſeu *venire*, vt hic *hac l.* dicitur, accedere litigatores vetiti ad Comitatum

tum

tum poſt relationem miſſam; verum *commonitio* hic rectum eſt: *commonitio* ſcil. litigatoris eſt, negotii ſui, ſic vt dicam, cominus ſollicitatio in Comitatu, & ſuffragiorum emendicatio. *ID.*

(f) γρ. *Nocebat:* antea ſcil. ſunt enim hæc verba Honorii, conſtitutiones ordine nonnullas recenſentis, mox & eas conciliantis: Et reſtitutionem apertiſſime ingerunt mox illa: *Poſt quod.* Denique *legem* 47. *ſupr.* indicat. *ID.*

(g) Hæc conſtitutio non extat: ſed latam eam poſt *l.* 47. *ſupr.* hæc *lex* aperte oſtendit. *ID.*

(h) Ad Comitatum. *ID.*

(i) Ergo in totum: atqui dudum ſeu olim nonniſi medietatem litis æſtimatam inferre cogebatur, *d. l.* 34. *ſupr. ID.*

P.169. (k) γρ. *In eo, ei.* Nempe conciliat *hac l.* Honorius *legem* 47. *ſup.* cum poſteriore aliqua *lege. ID.*

(l) Priſtinum. *ID.*

(m) γρ. *Leges. ID.*

(n) An *miſſa Relatione?* nil muto. *ID.*

(o) γρ. *Conditione. ID.*

(p) Id eſt reſponſum, Reſcriptum; eiusque incoram ſollicitatio. *ID.*

COMMENTARIVS.

RELATIONE ad Principem miſſa, quemadmodum litigatores ad Comitatum venire ab Honorio hac conſtitutione prohibentur, pariter vt tribus aliis *legibus:* puta *l.* 34. 47. *ſup.* 66. *inf.* ita & poſt annum, (quæ *huius l.* ferendæ occaſio fuit) permittuntur, pariter *d. l.* 47. & 66.

Conciliatorem porro agit hac conſtitutione Honorius. Nam cum poſt *d. l.* 47. *ſupr.* qua litigatoribus poſt annum ad Comitatum venire permiſſum fuerat, alia quædam *lex* (quæ hodie non extat) proceſſiſſet, qua temporis hæc diſtinctio facta non fuerat, & indefinite, litigatores ad Comitatum venire poſt relationem vetiti fuerant: atque exinde dubium ortum fuiſſet, num priſtina illa temporis definitio adhuc obtinere deberet, an vero velut ea abrogata cenſenda eſſet, Honorius *h. l.* definit, temporis eam diſtinctionem *annique definitionem* ſiue temperamentum id adhue obtinere debere: *Quia,* inquit, *conſtitutio illa nullam indulti anni nec attigit nec ſuſtulit mentionem.* Scilicet poſteriores leges ad priores trahi oportet, & vt ait Iuriſconſultus in *l.* 28. *D. de legib.* ad priores pertinent, niſi contrariæ ſint. Quare niſi *prioris legis* temperamentum *poſteriore lege* nominatim abrogetur, poſterior *lex* nihil aliud continere videtur, quam veteris prohibitionis recentationem, non iuris alicuius emendationem. Quod alio quoque vtiliter traduci poteſt. Neque vlteriori explicatione eget hæc *lex:* ad quam arceſſi poſſunt quæ notata ſunt iam *d. l.* 34. vbi & de *pœna* huius rei dixi, & *l.* 47. & quæ adhuc notabuntur ad *d. l.* 66. ſummus tantum labor in ea emendanda & reſtituenda fuit: quæ quatuor locis corrupta erat.

RELATIONIBVS *quando locus eſſe non debeat.*

LV. (a) Idem AAA. (b) Meſſalæ. PF. P. (c)

IN negotiis ciuilibus (d), cum nihil ſit, quod ante appellationem iudicio Principali (e) indigeat, agnitis partium Allegationibus, (f) atque penſatis, terminari oportet controuerſias, non duntaxat Conſultatione differri. Neque enim fas eſt, quod apud infirmum Diſceptatorem, (g) definiendi conſtantiam, prouocantis trepidatio (h) retardauit, litigatorem ſub Conſultationis ambiguo iugi expectatione pendere. Dat. XIV. Kalend. Iun. Arcad. IV. & Honor. III. AA. Coſs. [396.]

NOTAE.

(a) Abeſt & hæc *lex* a *Cod. Iuſt.* GOTHOFR.

(b) Inducendum & hic multo magis vnius *A.* nomen, puta Theodoſii, pariter vt *ſex ſeqq. legibus. ID.*

(c) Meſſala PP. ſub Honorio, & quidem Italiæ. v. *Proſopogr. ID.*

(d) V. ſimiliter *leg.* 1. 2. 5. *ſup. h. tit.* & *l.* 6. *quorum appell. ID.*

(e) Id eſt Principis & Imperatoris. *ID.*

(f) Vide *Gloſſarium,* & *Symmachum* paſſim. *ID.*

(g) Id eſt Iudicem cognitorem. *ID.*

(h) *Trepidatio* tumultus, ſtrepitus, motus incuſſus. *ID.*

COMMENTARIVS.

CONSVLTATIONIBVS ſeu RELATIONIBVS intempeſtiuis Iudicum hac elegantiſſima & grauiſſima Conſtitut. quam Tribonianus omittere non debuit, velut eximium mandatorum caput de officio Iudicum, occurrit Honorius Imp. pariter vt occurritur *lege* 1. *ſup. de relation.* & quidem intempeſtiuis ex nimia Iuris diffidentia, vt in ſpecie *d. legis* 1. vel prouocationis metu & prouocantis trepidatione vt in *huius l. ſpecie.* Igitur Iudices auditis partium allegationibus, ſi nihil ſit, quod Principis cognitione & reſponſo indigeat (quæ ſane alioquin Relationum cauſa eſt) controuerſias terminare, non conſulta-

tione differre iubentur. Duplici ratione: Primo, *Infirmus* diſceptator eſſe dicitur, quem a *conſtantia definiendi*, id eſt iudicandi, trepidatio prouocantis ſeu prouocatori retardat, vt *hac l.* eleganter loquitur. Non eſt ſcilicet conſtantis Iudicis, ſed infirmi, a ſententia dicenda metu tantum ſeu trepidatione appellatoris, vel appellationis futuræ dimoueri vel terrore detorqueri, vt ait *lex 6. infr. quorum appell.* non eſt hoc metus iuſtus, qui in conſtantem Iudicem cadere debeat, vbi *Trepidatio* eſt ſtrepitus, & metus incuſſus a litigatore Iudici. Quod adiiciendum eſt iis, quæ dicuntur de conſtantis iudicis officio *lege 19. in f. D. de off. præſid.* Secundo, ſed neque fas eſt, litigatorem poſt nudata iura ſua ſub ambiguo conſultationis iugi expectatione pendere, vt rurſum eleganter *hac l.* loquitur. Proinde & Iudicis officium *hac l.* inſtruitur, & litigatoribus ſimul conſulitur.

P.170. RENVNCIARE *appellationi an & quando liceat.*

LVI. (a) Idem AAA. (b) Nebridio (c) Proconſ. Aſiæ.

REPVGNANTES (d) priſcorum ſententias Noſtra Serenitas temperauit. Si quis itaque libellos appellatorios ingeſſerit, ſciat intra (e) triduum, poſt oblationem legitimam, non ex quo eſt ſententia deprompta, appellatorem (f) habere licentiam arbitrium (g) commutandi, (h) ne iuſtæ pænitudinis (i) humanitas amputetur. Dat. XI. Kal. Aug. Conſtantinop. Arcad. IV. & Honor. III. AA. Coss. [396].

NOTAE.

(a) *L. 18. C. Iuſt. eod. tit.* Hinc interpolata eſt. *GOTHOFR.*

(b) Inducendum vnius *A* nomen. *ID.*

(c) *Nebridius* Proconſ. Aſiæ ſub Arcadio: Eidem inſcribitur *lex 2. Cod. Iuſt. in quibus cauſis coloni* &c. vbi Nebridius *Comes Aſiæ* dicitur, male. v. *Proſopogr.* vbi ex Hieronymo. *ID.*

(d) Prior hæc ſententia a Triboniano reciſa eſt. *ID.*

(e) Et hæc vsque ad *habere licentiam* pariter *Cod. Iuſt.* reciſa ſunt. *ID.*

(f) Se ſcil. vt etiam Cod. Iuſt. habet. *ID.*

(g) Id eſt appellationem retractandi. *ID.*

(h) *Et ſuos libellos recuperandi*, hoc additum *Cod. Iuſt. ID.*

(i) *Pænitudo*, pro pœnitentia, *hic*, & *l. vlt. Cod. Iuſt. de fer.* Pacuuius Teucro apud Nonium *cap. 2. num. 769. Quæ deſiderio alumnum, pænitudine ſquale, ſcapreſque inculta vaſtitudine. ID.*

COMMENTARIVS.

RENVNCIARE appellationi ſuæ, ſeu appellationem reuocare, etſi Valentiniani Iun. conſtitutione penitus prohibitum fuerit, *l. 48. ſupr.* vbi v. & quæ dixi: attamen, intra triduum renunciare & ex hac Honorii conſtitutione licet, & vt *hac l.* loquitur, *arbitrium commutare*, id eſt pœnitere, quod ſequentia oſtendunt, ne alioquin in his verbis interpretandis cum Accurſio hæreamus.

Cæterum vnde triduum iſtud computandum ſit, idem Imperator quoque definit: nempe triduum iſtud computandum non a ſententia dicta, verum ab oblatione libellorum appellatoriorum, quod vtique maius ſpatium eſt.

Et quidem profitetur Arcadius ſeſe hac parte *repugnantes priſcorum ſententias temperaſſe*: nempe vt exiſtimo, quod e priſcis nonnulli præfracte nullum pœnitentiæ locum darent: ſed *amputarent*, vt *fine legis* quod vtique fecit Valentinianus Iun. *d. l. 48.* Alii vero effuſe locum relinquerent. Quare *temperamentum*, mediæ cuiusdam ſententiæ, Arcadio placuit, vt appellantium temeritati vela non laxantis, ita neque *iuſtæ pænitudinis* humanitatem amputantis. Atenim Iuſtiniano contraria ſententia ſedit, puta *quandocunque* appellationi renunciari poſſe: quæ cauſa illi interpolandæ huiuſce *legis* fuit, tridui mentione ſublata. Ex conſtitutionibus ſane Franciæ quoque intra octiduum appellationi renunciari poteſt, de quo V. peculiarem *Tit. in Arreſtis Paponii lib. 19. tit. 5.* Iure Pontificio appellatio poſt oblationem libelli non reuocatur, *cap. 10. de Electionib. in 6.* Quanquam videri quoque poſſit, *hanc leg.* non alio fine latam ab Arcadio, quam vt tempus tantum definiret, a quo triduum iſtud iam antea inductum computandum eſſet.

DAMNATOS *ad ſupplicium per vim a Clericis & monachis eripi non oportere:* APPELLARE *tamen his licere & ad quos.*

LVII. (a) Idem AAA. (b) ad Eutychianum (c) P.F.P. Poſt alia.

ADDICTOS ſupplicio, & pro criminum immanitate damnatos, nulli Clericorum (d), vel Monachorum (eorum etiam quos *Synoditas* (e) vocant,) per vim atque vſurpationem

nem vindicare liceat, ac tenere: Quibus,.in cauſa criminali, humanitatis conſideratione, ſi tempora ſuffragantur, interponendæ prouocationis copiam non negamus, vt ibi diligentius examinetur, (f) vbi contra hominis ſalutem vel errore (g) vel gratia Cognitoris obpreſſa putatur eſſe iuſtitia, ea conditione, vt ſiue (h) Proconſul, Comes Orientis, Auguſtalis, (i) Vicarii fuerint Cognitores, non tam ad Clementiam noſtram, quam ad Amplisſimas (k) Poteſtates ſciant eſſe referendum: eorum enim de his plenum volumus eſſe in-
P. 171. dicium: Qui, ſi ita res eſt, & crimen exegerit, rectius poſſint punire damnatos, &c. (l) Dat. VI. Kalend. Aug. Mnizo, Honor. A. IV. & Eutychiano Coss. [398.]

NOTAE.

(a) *L. 29. C. Iuſt. eod tit.* & *L. 6. C eod. de Epiſcop. audient.* Sane repetitur & plenius vt *d. l. 6.* ita *l. 16. ſup. de pœnis.* Iungendæ *huic* ſunt præterea *lex* 3. *ſup. de his qui ad Eccleſ. conf.* & 32. & 33. *inf. de Epiſcopis.* GOTHOFR.

(b) Inducendum & *hac l.* vnius *A.* nomen, quod etiam oſtendunt *leges*, quas *huic* coniungendas dixi. *ID.*

(c) Male *d. lex* 29. & *d. lex* 32. præferunt *Cæſario PF. P.* de hoc *Eutychiano* P.P. vid. *Proſopogr.* *ID.*

(d) Hæc *vsque* ad, *per vim*, abſunt a *d. l.* 29. *ID.*

(e) Ita quoque *lege* 6. *C. Iuſt. de Epiſcop. audient.* *At l.* 16. *ſup. de pœnis*: *Cœnobitas*, de quo ad *d. l.* 16. pleniſſime dixi. *ID.*

(f) Cauſa ſcil. criminalis, ἀπὸ τῦ κοινῦ. *ID.*

(g) Ita quoque *d. lege* 16. At *d. l.* 29. *Cod. Iuſt.* per errorem vel gratiam. *ID.*

(h) *Si, d. l.* 29. *ID.*

(i) *Præfectus Auguſtalis* ita plenius *d. l.* 16. & *d. l.* 29. *ID.*

(k) Id eſt, Præfectum Prætorio v & *l.* 16. *ſup.* *ID.*

(l) Quæ continentur *d. l.* 16. *ſup. de pœn.* &c. *ID.*

COMMENTARIVS.

A Clericis Et Monachis, quibuscumque tandem, reos criminum damnatos, ſupplicio eripi, per vim vindicari, teneri hac Arcadii conſtitutione (quæ & plenior extat *l. 16. ſupr. de pœn.*) prohibetur: pariter vt Theodoſii M. conſtitutionib. *l. 15. ſupr. de pœnis* & *l. 31 infr. quorum appell. non recip.* Ita tamen, vt appellandi referendique copia relaxetur, & quidem ſi Spectabiles fuerint Iudices (cuiusmodi *hac l.* quatuor ordine recenſentur) relatione facta ad Præfectos Prætorio, & quidem rurſum, in ſpecie *huius l.* ad Præfectum Prætorio Orientis.

Eſt hæc ſcilicet conſtitutio maioris conſtitutionis Arcadianæ portio, qua vt Eccleſiaſticorum tuitio Reis præberi ab Arcadio prohibita fuit, ita & ipſarum Eccleſiarum aſylum ſeu perfugium, vt ex illis omnibus *legibus* colligere licet, quæ *huic*, coniungendæ ſunt. Denique hæc illa *lex* eſt Arcadiana famoſiſſima Eutropii ſuaſu promulgata, cuius meminerunt Scriptores Eccleſiaſtici: Socrates, *lib. 6. cap. 5.* Sozomenus, *lib. 8. cap. 7.* Chryſoſtom. *homilia in Eutrop.* vt pluribus oſtendi ad *l. 3. ſupr. de his qui ad Eccleſ. confug.* quæ inter alias *huic* coniungenda eſt.

De duobus ſaltem hic videndum eſt: Primum eſt, Clericorum & Monachorum ſiue zelum, ſiue audaciam per hæc tempora eo proceſſiſſe, vt ſupplicio addictos, Iudicibus ſecularibus Optionumque manibus, cum ad ſupplicium ducerentur, ereptum irent, per vim atque vſurpationem, en prætextu ſiue obtentu velut oppreſſa iuſtitia per errorem vel gratiam Iudicis, quod *hac l.* indicat, vel etiam vt debitoribus tuitionem præberent quaſi replendo ex his Clericorum numero, quod oſtendit *d. lex 16. in f. ſupr. de pœn.* vbi hæc plenior extat, & *lex 32. infr. de Epiſcopis.* quæ *huic* pariter iungenda eſt.

Quousque autem audaciæ ea res proceſſerit, etiam ad bellum vsque, edocet eadem *lex 16.* quæque ad *eam l.* dixi ex Theodoreto & Chryſoſtomo.

Secundo notetur, (quam *huius l.* ſententiam eſſe putant) appellandi pro damnato Clericis & Monachis ipſis poteſtatem *hac l.* fieri videri, *humanitatis conſideratione*, ait lex, quam ipſam vrget Auguſtinus, *epiſt. 54. ad Macedonium*, qua ipſa humanitatis ratione etiam Iuriſconſultus admittit, *l. 6. D. de appellat.* omnem prouocantem pro ad ſupplicium deſtinato. Ac multo magis intercesſionis & deprecationis Eccleſiaſticis facultas patuit, quod docet *lex vlt. ſupr. de his qui ad Eccleſ.* Sed & Socrates *lib. 1. c. 13.* Sozomenus *lib. 2. cap. 23.* idque multis probat Auguſt. *d. ep. 54. ad Macedon.* Nullomodo tamen, vt ad cognitionem ſuam & iuriſdictionem a ſeculari eos transducerent, aut ſupplicia reorum damnarent. Denique hæc, atque his ſimilia, ſigna ſunt Chriſtianæ humanitatis omnem rapientis clementiæ occaſionem, non iudicia capitalia damnantis. Et tamen illud potius quis exiſtimet *hac l.* ipſis reis appellandi facultatem relaxari: ſub Arcadio enim & Honorio reis criminum damnatis appellandi ius fuiſſe docent *lex 58 60. infr. h. tit.* & *lex vlt. infr. quorum appellat.* Ergo *interceſſioni* illi violentæ in criminalibus Clericorum & Monachorum intercedit hæc *lex*. Nam quod cauſas pecuniarias attinet, in his interuenire omnino Sacerdoti, ſeu interceſſorem ſe præbere vetitum: de quo vid. Ambroſ. 3. *offic. 9.*

Denique tentauit aliquando Cuiacius, neque vno loco, Clericos & Monachos liberandorum reorum morem, Gentilium Pontificum exemplo, vſurpaſſe; quorum occurſus ſæpe ad ſupplicium ductos ſeruabat, veluti Veſtalium, & Flaminis Dialis. Verum id in medio nunc relinquo.

De LIBERTATE *appellandi deque* IVDICIS *&* OFFICII *pœna appellationem reſpuentis.*

LVIII. (a) Idem AAA. (b) Theodoro PF. P. (c).

MVLTORVM (d) querelis excitati, (e) hac lege ſancimus, Vt ſi quis, prouocatione interpoſita, ſuſpecti Iudicis velit (f) vitare ſententiam, in hac voce (g) liberam habeat poteſtatem, nec timeat contumeliam Iudiciorum (h): cum & ab ipſa iniuria poſſit facile prouocare, permiſſum (i) ſit. (k) Sciant igitur cuncti, ſibi ab iniuriis, & ſuſpe-
P.272. ctis Iudicibus, & a (l) capitali ſupplicio, ae fortunarum diſpendio, (m) prouocationem eſſe conceſſam. Quod (n) ſi quis poſthac Iudicum, appellatione emiſſa, libellos quoque ablatos (o) audire noluerit, viginti librarum auri diſpendio multabitur: Officium vero eius, niſi huic pertinaciter reſtiterit, atque Actis ita contradixerit, &, quid iure ſit conſtitutum, oſtenderit, vigintiquinque (p) libras auri largitionibus noſtris inferre cogetur. Dat. VII. Id. Iun. (q) Med. Theodoro V. C. CONS. [399.]

NOTAE.

(a) *L. 39. Cod Iuſt eod. tit. GOTHOFR.*

(b) Inducendum & hic vnius *A.* nomen. *ID.*

(c) *Theodorus* ſub Honorio PP. Italiæ: v. *Proſop. ID.*

(d) Primus hic verſiculus, velut Hiſtoricus, reciſus a *Cod. Iuſt. ID.*

(e) Vel *exciti. ID.*

(f) In vulgatis *Cod. Iuſt.* additur vox *prolatam*, quam & meliores ſcripti reſpuunt. *ID.*

(g) De hac voce iam *ſupra. ID.*

(h) Id eſt, Iudicum *ID.*

(i) Exiſtimet quis abundare hic illa, *permiſſum ſit*, quæ etiam a *Cod. Iuſt.* abſunt. Sed exiſtimem potius in veteri menda cubare hunc locum, a qua etiam Tribonianus parum ſibi cauit. Quare legam hic, *cum & ab ipſa iniuria paſſis*, vel *paſſim facile prouocare permiſſum ſit*: hoc ſenſu: poſſe de iniuria ſibi facta publice conteſtari. *ID.*

(k) Subiiciuntur hic quædam in *Cod. Iuſt.* de Præfecto Prætorio, a quo ſolo appellare non licet. *ID.*

(l) *Io*, Cod. Iuſt. ſatis inepte. *ID.*

(m) Sententia irrogato. *ID.*

(n) Sequentia omnia a *Cod. Iuſt.* reciſa ſunt. *ID.*

(o) *γρ. Oblatos. ID.*

(p) Eſt, qui reponendum hic putet XXX. vt & mox pro viginti quinque: de quo mox. *ID.*

(q) *γρ. Ian.* Neque enim hoc tempore Honorius Mediolani erat, vt docet ſubſcriptio *l. 3. inf. de habitu.* neque Theodorus PP. ſed Meſſala iam ei ſuffectus fuerat. *ID.*

COMMENTARIVS.

IN RESPVENTES appellationem Iudices, eorumque Officiales vel etiam iniuriam appellatoribus inſerentes, eſt & hæc Honorii A. D. 399. elegantisſima omnium conſtitutio, pariter vt *lex. prox. 59 60.* & complures iam ſupra, puta *lex 2. 4. 11. 13. 16. 22. 25. 33. 51. ſupr.* Nempe vt frequentes alias de hac Iudicum iniuria querelæ ſubinde exortæ: ita & multorum querelis excitum ad *hanc l.* deſcendiſſe ſe ipſemet Honorius, *huius leg. initio*, profitetur. De multa Iudicum & Officialium hac parte ſunt Conſtantii *lex 22. & 25.* Valentiniani *l. 33.* Theodoſii M. *l. 51. ſupr.* & Honorii hæc *lex & 59. 60. infr.* Quibus variæ multæ imponuntur, vt ad vnius exemplar ſeu modum aliæ reuocandæ non ſint. Quare fruſtra hic nonnulli *viginti & vigintiquinque* librarum loco, reponunt xxx. argum. *l 59. infr.* & *l. 51. ſupr.* de Officialium munere in ſuggerendis *legibus* Iudicibus, eisque reſiſtendi facultate data: v. quoque *l. 8. 29. 34. ſupr.* & *l. 59. prox.*

De RESPVENTIS *appellationem Iudicis, & Officii eius, pœna.*

LIX. (a) Idem AAA. (b) Simplicio (c) Præſidi Trip. (d)

NVLLVM (e) ita credimus contumacem, (f) vt appellationem, interpoſitam legibus, audeat recuſare. Quamobrem teneat Apparitio veterem diſciplinam: nec a ſuggeſtionibus neceſſariis, metu eius (g) cui ad tempus paret, retrahatur. XXX. autem libras auri ærario noſtro cogetur inferre, qui, obiectam prouocationem iure, neglexerit: & eadem,

Digitized by Google

dem, Officium, ſi conhibentiam (h) præſtet Iudici, pœna retinebitur. Dat. prid. Id. Iun. (i) Verona, (k) & Theodoro V.C. Coss. [399.]

NOTAE.

(a) Et hæc *lex* abeſt a *Cod. Inſt. GOTHOFR.*

(b) Inducendum & hic vnius *A.* nomen. *ID.*

(c) *Simplicius* Præſes Tripolitanæ ſub Arcadio. An hic idem, qui & Magiſter militum A. 396. An hic idem, qui ſub Theodoſio Iun. Proconſul Aſiæ, cui inſcribitur *L. vn. C.I. de off. com. ſacri patrim. ID.*

(d) Cuius Metropolis mihi fuiſſe videtur *Tacapis*: de qua v. *l.* 33. *ſup. h. t.* vel Cyrene. *ID.*

(e) Iudicem, Officialem. *ID.*

(f) *Contumacia* de Iudice appellationem recuſante hic: vt contra, de iniuſte appellante apud Symmachum *lib.* 10. *ep.* 46. *in f. ID.*

(g) Iudicis. *ID.*

(h) *Conniuentiam. ID.*

(i) Malim *Iul.* vid. *Conſular. Theodoſ. ID.*

(k) Eraſi e Faſtis *Eutropii* veſtigium quis hoc putet? Verum librarii imperitiæ hanc voculam potius adſcribo, qui *Veronam & Theodorum COSS.* ſibi finxit. Quare expungenda hæc vox. *ID.*

COMMENTARIVS.

P.273. IN RESPVENTES appellationem Iudices, eorumque Officiales, eſt hæc ſecunda iam hoc eodem Anno 399. Honorii conſtitutio: erit eiuſdem & tertia anno prox. *l. 60. prox.* Et hæc quidem proprie ad prouinciam Tripolitanam pertinet, pariter vt *lex 33. ſupr.* vt ita videantur huius prouinciæ Præſides ſubinde hac parte contumaces ſeſe præbuiſſe: ſed & *initio l.* Honorius ſatis oſtendit, quam grauiter hanc rem tulerit, cui ſimilis eſt Alex. Seueri præfatio *l. 25. D. de appellat.* Ad eandem Tripolitanam pertinet & in hoc ipſo appellationum argumento tertia adhuc Conſtitutio, puta *lex vlt. infr. quorum appellat. non recip.*

De *Officiis* Iudicum duo ex *h. l.* obſeruanda. Prius, Officii eorum fuiſſe, Iudicibus ſuggerere *legum* diſciplinam, ſeu ius ſuggerere; quod vt, innumeræ *leges* hoc *Codice* oſtendunt, ita vel *hoc titulo* complures: *puta lex 8. 29. 34. & lex ſuperior 58.* Poſterius, Officiales Iudicum in prouinciis perpetuos fuiſſe, cum ipſi Iudices temporarii eſſent: *Apparitio*, inquit, *metu eius, cui ad tempus paret.* Quod & Paulus teſtatur, *libr. II. ſentent. in l. 34. D. de rebus creditis. Præſidis*, inquit, *prouinciæ Officiales, quia perpetui ſunt, mutuam pecuniam dare, & fænebrem exercere poſſunt.* Atque hac ratione Officiales in officio continebantur, ſic vt diſciplinam veterem ipſi tenerent, neque metu eius, cui ad tempus parebant, a ſuggeſtionibus neceſſariis retraherentur, vt hæc *lex* eleganter loquitur: quinimo Iudicibus reluctarentur, quaſique manum iniicerent exorbitantibus: de quo v. & *d. l. 8. ſup.* Quod politicum ſcemma ſeu arcanum notandum eſt.

De RECIPIENDIS *appellationibus, deque* IVDICVM *pœna appellationes iuſtas non recipientium.*

LX. (a) Idem AAA. (b) Pompeiano (c) PF. P. (d) Afric.

CVM (e) de appellationibus recipiendis necne promulgatarum legum ſufficiat auctoritas: atque his, (f) qui rite ab iniuſta ſententia prouocantes audire noluiſſent, ſie pœna propoſita, pœna etiam Officio conſtituta (ſiue in criminalibus, ſiue in ciuilibus cauſis fuerit iudicatum) adtamen noſtro etiam motu decernimus, vt veterum ſtatuta ſeruentur, quæ nullum patimur vmquam inpune violare. Dat. Kalend. Iun. Med. Stilichone & Aureliano Coss. [400.]

NOTAE.

(a) Abeſt & hæc *lex* a *Cod. Inſt. GOTHOFR.*

(b) Inducendum & hic vnius *A.* nomen. *ID*

(c) *Pompeianus* Proconſul Africæ ſub Honorio, v. *Proſop. ID.*

(d) *PP. Proc.* vt oſtendunt præterea hoc ipſo Anno quæ ei inſcribuntur *leges* plures, puta *lex 7. ſup. de metatis*: *l.* 30. *inf. de nauicul. l.* 18. *inf. de luſtrali*: *l.* 166 *inf. de decurionib. l.* 3. *de concuſſ. Aduoc. l.* 28. *ſup. de annona*: *l.* 1. *ſup. ad L. Iul. de amb* ſed & complures Anno proximo 401. *ID.*

(e) Pro *Quanquam*, quamuis, etſi: nam mox reſpondet, quæ ſequitur *dictione*, *adtamen* &c. eodem ſenſu accipit Cuiacius in *l.* 3. *Cod. I. quo quisque ordine conu.* vocem *cum*: verum ibi malim, *cum*, accipere, pro *cum alias*, de quo in *libris obſeruationum ID.*

(f) Iudicibus ſcil. *ID.*

COMMENTARIVS.

De Recipiendis, vel non, appellationibus; quænam inquam appellationes recipiendæ ſint, quæ non item, de Respventivm iuſtam appellationem Iudicum pœnis, anteriores *leges* hac Honorii conſtitutione per Africam Proconſularem confirmantur. De quibus pœnis vid. *l. 22. 25. 33. 51. 58. 59. ſup.*

A VICARIO *vrbis Romæ in criminalibus ad quem appellari debeat.*

LXI. (a) Idem AAA. (b) Flauiano P. V. (c)

Quotiens Vir Spectabilis Vicarius (d) venerandæ (e) Vrbis negotium aliquod præmiſſa inſcribtione cognoſcit, atque ab eius ſententia fuerit prouocatum, ad Noſtram Clementiam Referri decernimus. Sin vero huiusmodi examen arripuerit, in quo, ſine vllo legis (f) vinculo, non tam crimen obicitur, quam cuiusdam criminis conflatur inuidia, lataque ſententia appellatione ſuſpenditur, Inluſtrem Sedem Tuam, editis ex more Apoſtolis (g) ſacra vice audientiam præbere ſancimus. Dat. XIV. Kal. Septembr. Brixiæ, Stilichone & Aureliano Coss. [400.]

P.274. NOTAE.

(a) Abeſt & hæc *lex* a *Cod. Iuſt.* *GOTHOFR.*

(b) Inducendum & hic vnius *A.* nomen. *ID.*

(c) *Flauianus* P. V. Romæ ſub Honorio A. 399. & 400. v. *Proſopogr.* vbi multa de eo ex *Symmacho* & veteri *Inſcriptione.* *ID.*

(d) Erat hoc tempore Vicarius vrbis Romæ Benignus: vt docet ſuperiore Anno *lex* 162. *infr. de Decurionib. lex* 5. *ſupr. quib. Equorum vſus.* hoc ipſo Anno 400. *lex* 26. *infr. de ſuſceptoribus.* *ID.*

(e) *Veneranda* vrbs Roma: v. *Topogr.* *ID.*

(f) Id eſt Inſcriptione in crimen v. Paratitlon *de accuſat. & inſcript.* *ID.*

(g) V. de Apoſtolis his *titulum* peculiarem *D. de libellis dimiſſoriis, qui Apoſtoli dicuntur.* vid. & *l. pen. inf.* & *l.* 18. *ſup.* *ID.*

COMMENTARIVS.

A Vicario vrbis Romæ, & quidem in criminalibus, ad quem appellari debeat, hac Honorii conſtitutione A. D. 400. definitur. De quo fuit etiam Iuliani conſtitutio puta *lex 29. ſup. h. t.* Sane ea Iuliani conſtitutio indefinite docet a Vicario V. R. ad Principem appellatum fuiſſe, ſicut Conſtantini conſtitutio indefinite a Vicariis omnibus, puta *lex 16. ſup. h. t.*

Atenim cauſarum criminalium diſtinctionem facit Honorius *h. l.* puta criminalium negotiorum, quæ præmiſſa inſcriptione cognoſcuntur & in quibus crimen obiicitur: & eorum in quibus ſine vllo *legis* vinculo, cuiusdam criminis, tantum conflatur inuidia. Quæ diſtinctio ſingularis eſt & notanda. Quæ & ipſa proponitur in altera eiusdem Honorii conſtitutione, puta *l. 8. ſupr. de iurisdictione:* vbi poſteriorum hæc exempla proponuntur: cauſæ de fugaci ſeruo (recepto ſcilicet) de furto manifeſto, non manifeſto, vi bonorum raptorum paruulæque terræ, finium, paruulæ caſæ, momentariæ poſſeſſionis interdictum, abacti animalis. Nempe *ſpeciem criminis* vt loquitur *d. lex 8.* hæc habent: atenim quod hæc *lex* diſerte ait, *in his non tam crimen obiicitur, quam cuiusdam criminis conflatur inuidia.* Denique ſine inſcriptione, ſeu ſine vllo legis vinculo; quod vtraque *lex* ait, agitantur.

Igitur, ſi de his negotiis criminalibus minoribus agatur, & a Vicario V. R. appellatum fuerit, iubet Honorius P. V. ſacra vice audientiam præbere, & ſic ex appellatione cognoſcere: ſi vero de maioribus, quæ, (vt etiam ait *d. lex 8.*) dignus & meritus honor inſcriptionis impleuerit, ad Principem referri. Nempe vt contigua *Vicarii* Poteſtas fuit, Præfecti Vrbis Poteſtati: Illuſtris hæc, illa Spectabilis: adeo quidem vt non præuentioni inter eos locus eſſet, vt quidam cenſent, verum ad alterutrum prout quis proximus eſſet referretur: ita appellari a Vicario quandoque ad P. V. viſum: at non ſemper: ne alioquin præ Præfectura Vrbis, nimio plus vileſceret Vicaria Poteſtas. Quare in maioribus ad Principem; in minoribus tantum ad P. V. appellari ab eo viſum. Maior eſt ſcilicet quisque, quo maiora retractat. Ab *hac l.* non videtur adeo abludere *Epiſtola 51. libri 10.* Symmachi: neque etiam epiſtola 33. *libr. 2.* Cœterum de aliis Præfecti Vrbis prærogatiuis in negotio appellationis dixi iam ad *l. 18. ſup.*

A PRÆFECTIS *quoque* GENTILIVM *ad Proconſulem appellandum.*

LXII. (a) Idem AAA. (b) & Theodoſ. A. ad Diotimum (c) Proconſ. Afric.

IN negotiis, quæ ex appellatione deſcendunt, veterem conſuetudinem volumus cuſtodiri: Illud addentes, vt ſi (d) quando a Gentilibus, vel a Præfectis eorum, fuiſſet interpoſita prouocatio Sacrum ſollemniter, hoc (e) eſt Proconſularis cognitionis, præſtoletur examen. Dat. XI. Kal. Aug. Rau. Stilichone II. & Authemio Coss. [405.]

NOTAE.

(a) Abeſt & hæc *lex* a *Cod. Iuſt.* *GOTHOFR.*

(b) *γρ. Imppp. Arcadius*, HONORIVS *&* *Theodoſius.* Vide *Conſularia Theodoſ. ID.*

(c) *Diotimus* Proconſul Africæ: Eidem hoc ipſo Anno inſcribitur *l. 2. inf. de Religione*, & *l. 39. inf. de baretic.* exigua tamen in nomine varietas: v. *Proſopogr. ID.*

(d) Forte, *vt & ſi. ID.*

(e) *Vid. leg. 3. ſup. h. tit.* quæ & ipſa Proconſuli Africæ inſcripta eſt. *ID.*

COMMENTARIVS.

AD PROCONSVLEM AFRICÆ, qui ſacra vice iudicabat, (quod præter *hanc l.* docet quoque *lex 3. ſup hoc tit.* vbi plenius dixi & *l. vlt. h. t.*) ab inferioribus per Africam Iudicibus ſeu Rectoribus Prouinciarum Africæ, vt veteri conſuetudine appellari ſolitum, (quod & prolixius oſtendi ad *d. l. 3. ſup.*) ita id hac Honorii conſtitutione confirmatur.

Quinimo & illud præterea adiicitur ad eundem Proconſ. Africæ proуocationes a *Gentilibus* quoque vel a Præfectis eorum, interpoſitas ſpectare oportere. Quæ & ipſa ſingularis eſt Proconſulis Africæ prærogatiua: cum alias Gentilium peculiaris ratio, hac parte habenda videretur, & quidem circa appellationes: vt qui ex Barbaris gentibus, Romanis militarent limitemque tuerentur, de quibus *Gentilibus* pleniſſime dixi *ad l. vn. ſup. de nupt. Gentil.* & *l. 1. ſup. de terris limitan.* quæ & ipſa ad Africam ſpectat. Et quidem per hæc potiſſimum tempora, quibus Imperium Romanum iam nutabat, mox ruiturum atque e medio futurum.

Baſi. *De* TEMPORIBVS *appellationum interponendarum & reparandarum a Iudicibus datis a Præfecto Prætorio.*

LXIII. (a) Idem AAA. (b) Anthemio PF. P. (c)

IN his cauſis, quæ præſentes *Arbitros*, ex ſententia Veſtræ Magnitudinis, ſortiuntur, vel in ea ciuitate, ſeu prouincia qua degetis, ſiue in proximis atque contiguis (d) prouinciis, Lex antiqua propriam obtineat firmitatem: vt duobus exactis menſibus, dies ſit vltimus temporalis: & intra triginta dies reparatio poſtuletur. Vbi vero in longioribus ac remotis prouinciis eadem litis ac dilationis ratio penſabitur, ad eorum inſtar, quos a Rectoribus prouinciarum eorumque ſententiis conuenit appellare, ſex menſium temporalis diei, trium reparationis nomine, dilatio præbeatur. Dat. XIV. Kal. Ian. Conſtantinop. Stilichone II. & Anthemio Coss. [405.]

NOTAE.

(a) Et hæc *lex* abeſt a *Cod. Iuſt.* *GOTHOFR.*

(b) Quos ſcil. ſuperiori *legi* reddendos oſtendi. *ID.*

(c) *Anthemius* PP. Orientis ſub Arcadio: v. *Proſopogr. ID.*

(d) Contiguis, vid. *leg. 64. ſeq.* & *leg. vlt. de reparat. appellat.* & *leg. 13. in fin. ſupr. de iure fiſci. ID.*

COMMENTARIVS.

TEMPORA appellationum ad Præfectum Prætorio ab *Arbitris* ſeu a Iudicibus, quos Præfecti Prætorio dedere, interponendarum, earumque reparandarum, definiuntur hac Arcadii conſtitutione ſequentem in modum: Si Iudices illi præſentes ſint in ciuitate, prouinciane, in qua Præfectus Prætorio degit, vel certe in contigua, proximaue duorum menſium ſpatium ad exſequendam appellationem competere, ad reparandam 30. dies: Si in remotis prouinciis, ſex menſes ad exſequendam, tres ad reparandam, dari exemplo appellationum a Rectoribus prouinciarum; de quo vide & *l. 3. §. 2. infr. de reparat.*

rat. appellat. vbi plenius dicitur. Et eſt eo nomine hæc *lex* ſingularis quod ea oſtendit hac tempeſtate quoque extra Rectores prouinciarum *Arbitros* ſeu Iudices datos a Præfectis Prætorio: Sed & illo, quod a Rectoribus prouinciarum ad Arbitros datos argumentum ducatur.

Temporalis dies, qui *hac l.* dicitur & *l. vlt. infr. de reparat. appellat.* & *l. 32. §. 4. Cod. Iuſt. de appellat.* & *l. 2. Cod. eod. in fin. de tempor & repar. appellat.* eſt qui alioquin *fatalis dies* dicitur; qui vltimus eſt ſpatii & temporis illius, quod ad appellationem exſequendam vel reparandam, legibus tribuitur: quo exſpirante, cauſa quoque exſpirat,

De FISCALIVM *appellationum terminandarum* TEMPORIBVS.

LXIV. (a) Impp. HONOR. & Theod. AA. Iuliano (b) Proconſ. Afric.

NON ignoramus, poſt interpoſitam prouocationem, in cauſis fiſcalibus, antiquitus conſtitutum †, vt viginti dies conſtituti intra prouinciam videantur, (c) & vt Sacri Auditorii Cognitores diuinæ (d) domus negotia terminarent: ex contigua vero prouincia, intra quadraginta dies negotia vniuerſa diſcingerent. (e) Verum Serenitas Noſtra certum moderamen inuenit. Præcipimus * itaque, vt præter hos viginti dies, quos lex Auguſta conſtituit, viginti alios iungeremus. Quorum quidem omnium hæc erit forma ſeruanda, vt quocumque die, ex adiectis viginti diebus, fuerit negotium peroratum, Sacri Auditorii habere reuerentiam iudicetur (f): ſitque vltimus, etiam ſi non quadrageſimus comprobatur. Quæ idcirco ita cuſtodienda ſancimus, ne ſi vnius (g) tantum obſeruabitur dies, aut ægritudo iudicantis, aut litigantis fuerit occupatio recte præfinitum tempus interdum diſtuliſſe videatur. Ideoque (h) hanc reuerentiam cunctis his, qui ſuperadditi ſunt, diebus, ſtatuendam eſſe cenſuimus, vt nihil poſtea excuſationis occurrat: Labſos enim poſt hoc tempus, reparationem præcipimus non habere: Ac ne medio tempore Officii conludium differat litigantem, viginti librarum auri multam præcipimus imminere, vt ſi eorum culpa atque conludio, quos ſuggerendi (i) cura conſtringit, negotium claruerit fuiſſe dilatum, præſcriptæ multæ teneantur obnoxii. Si in tot diebus vtilitatibus ſuis non adfuerit litigator, cui aduerſus fiſcum noſtrum iurgium manet, emenſo iam tempore, nullius reparationis beneficium ſperet (k), ſolam fiſco exſecutionem ſupereſſe iam nouerit. In ** Contiguis quoque prouinciis, in quibus quadraginta dies dedit antiquitas, ſub ſimili conditione alios triginta dies iungi præcipimus, vt adiecti temporis ſpatium ſub ea definitione cuſtodiant, & omni adiecto tempore, ſit dies vltimus, quocumque potuerit definiri: Emenſo tamen (l) tempore, litiganti reparationem penitus iuſſimus inhiberi. Officium ſane ad eandem multam præcipimus retineri, ſi eius diſſimulatione actum eſſe conſtiterit, quominus negotium peroretur. Dat. Id. Octobr. Rau. Honor. IX. & Theod. V. AA. Coss. [412.]

P.170.

NOTAE.

(a) Abeſt & hæc *lex* a *Cod. Iuſt.* GOTHOF.

(b) *Iulianus* Proconſul Africæ ſub Honorio v. *Proſopogr.* ID.

† Intelligit *l. g. 21. 28. 46. ſup. h. t.* & *legem 13. in f. ſup. de iure fiſci*, & quidem vt videtur, has duas poſtremas maxime ID.

(c) Id eſt, *fini.* ID.

(d) Id eſt Fiſci, reique priuatæ. ID.

(e) Ita *leg. 4. ſupr. fin. regund.* iurgium iure diſcingi: & *leg. 7. ſupr. de legitim. heredit.* negotiorum fata diſcingunt; vti recte ibi exhibet MS. W. Adde *leg. 2. & 3. infr. quorum appellat.* RITTER.

* *Prima* pars de eadem prouincia In hoc reſtituendo varia ſub manum naſcuntur. Quid ſi *prouidimus*, legamus? Ego nil muto. GOTHOFR.

(f) Id eſt cauſa in ſacro Auditorio definiatur. ID.

(g) *ye Vnus:* isque vltimus omnium. ID.

(h) *Ideoque &c.* Nam hoc alterum, quod *hic* ſtatuitur. ID.

(i) De hoc dixi plene ad *leg. 8. ſup.* ID.

(k) *Speret, &c* ID.

** *Secunda* pars de *Contiguis* prouinciis. ID.

(l) *Emenſo etiam.* ID.

COMMENTARIVS.

FISCALIBVS appellationibus exequendis, terminandis, diſcingendis iam olim intra eandem prouinciam viginti dies conſtituti erant, ex contigua quadraginta, *l. 2. 28. 46. ſup. h. t.* & *l. 13. ſupr. de iure fiſci.* quæ *hac l.* indicantur. Atenim hac Honorii conſtitutione id tempus duplicatur fere. Nam viginti diebus in eadem prouincia, alii viginti iunguntur, ſic vt in vniuerſum 40. ſint. At quadraginta diebus in contigua prouincia, triginta alii.

Duabus tamen conditionibus additis, vna litigatoribus vtili: altera graui. Vtraque in *reuerentiam* huius additilii temporis, & cauſæ fiſcalis. Primum igitur; Quocunque *addititiorum ἐμβολιμαίων* die litigatores ſeſe ſtiterint, Iudex ad quem appellatum cauſam diſcingere, eumque diem vltimum ſibi putare iubetur: ne alioquin poſtea aut ægritudine iudicantis, aut litigantis occupatione tempus illud differatur. Denique laxamentum hoc totum intermedii temporis in litigatoris fauorem inductum eſt, neque ideo cauſa a Iudice protrahenda. Quod ſingulare eſt & quidem in cauſis fiſcalibus, vt videlicet tempus aliquod fatale ſit Iudicis reſpectu, quod non ſit litigatoris contemplatu. Secundo viceuerſa, poſt hoc tempus emenſum reparatio litigatori denegari iubetur. Non eſt æquum ſcilicet ei tempora reparari vltra, qui ſuperaddititio tempore iuuabatur: ac præſertim in cauſis *Fiſcalibus.*

TRIA *huius l. capita quæ commentarius ediſſerit.*

LXV. (a) Idem AA. Symmacho (b) Proc. Afric.

PRÆSCRIPTIONES fori in principio (c) a litigatoribus opponendas eſſe Legum decreuit auctoritas. Nec * ab interlocutionibus appellandum eſſe duxerunt: Quod ſi quis id fecerit, præiudicialem (d) multam ſubire cogetur, quæ priſcis ſanctionibus continetur. Hac igitur lege ſancimus, vt appellatio litigantium, intra tempus iure præſcriptum ſuſcepta, nectatur Annalibus, (e) & promiſſa (f) Relatio, intra triginta dies legibus definitos, ad Sacra Scrinia deſtinetur: Quam legem, niſi, in omnibus cauſis, vniuerſorum Iudicum & Officiorum exſecutio deuota ſeruauerit, ſtatutum priſcis ſanctionibus multæ modum ab his mox iubemus exculpi. Dat. V. Kalend. Septembr. Rau. Honor. X. & Theod. VI. AA. Coss. [415.]

NOTAE.

(a) *L. 13. Cod. Iuſt. de exceptionib.* prima *huius leg.* ſententia continetur: cætera abſunt a *Cod. Iuſt. GOTHOFR.*

(b) Hic filius eſt Symmachi Epiſtolarum ſcriptoris: qui & ipſe anno 370. eundem Proconſulatum geſſerat, vt docet *l. 73. inf. de decurion.* vbi vid. quæ dixi ex Symmacho ipſo. *ID.*

(c) *Litis:* quod etiam additum *Cod. Iuſt. d. l. 13. ID.*

* Sequentia vt dixi omnia abſunt a *Cod. Iuſt. ID.*

(d) De *præiudiciali* hac multa dixi ad *l. 50. ſup. ID.*

(e) *Annales* vel *Annalia,* hic nil aliud ſunt, quam Acta ſeu Geſta Iuditialia, quæ per annos digerebantur. Mitto quæ de Annalibus Pontificum Hiſtoricis alii dixere. *ID.*

(f) *Promiſſa* Relatio *h. l.* & *l. 3. 31. 34. ſup. h. t.* & *l. 2. ſup. de relationib.* vbi dixi ex Symmacho quoque. *ID.*

COMMENTARIVS.

P 277. TRES ſententiæ *hac* Honorii *conſtitut.* continentur: quarum Prima (quam vnam retinet *Codex Iuſtin.*) ab *hoc tit.* aberrat, de Præſcriptionibus in quam fori, initio litis opponendis: de quo notum quicquid dici poteſt. Secunda, ab *interlocutionibus* non appellari, de quo iam *ſuperioribus* aliquot *conſtitutionibus,* & peculiarius *infr. tit. quorum appellat.* vt & de præiudiciali multa ad *l. 50. ſupr.* Poſtrema, de appellatione intra tempus ſuſcipienda, in geſta referenda: deque Relatione intra dies 30. ad ſcrinia mittenda; quod cautum itidem *l. 29. 31. 32. 34. ſupr. h. tit.*

De PERSEQVENDA *appellatione ad Principem facta: & ne ad* COMITATVM *accedant litigantes intra annum.*

LXVI. (a) Idem AA. Monaxio PF. P. (b)

OMNES, quorum in cauſis ſententiæ Iudicum vel appellationes (c) ſuſpenſæ ſunt: vel medio tempore tranſegiſſe demonſtrent; vel ſi non tranſegerunt, Conſultationes eorum (d) quantocius noſtris auribus intimare (e) cogantur, vt Reſponſa legibus competentia mereantur. Illa videlicet lege ſeruanda, qua cauetur, neminem litigantium

tium poſt interpoſitam appellationem intra annum ad ſacrum Comitatum noſtræ Maieſtatis accedere. Dat. VIII. Id. Mart, Conſt, Monaxio & Plinta Coss. [419.]

NOTAE.

(a) Abeſt hæc *lex* a *Cod. Iuſt.* *GOTHOFR.*

(b) *Monaxius* PP. ſub Theodoſio Iun. Orientis: v. *Proſopogr.* *ID.*

(c) Retineri poſſit: Sed malim, *appellatione:* inducta voce, *vel:* Nempe ſententia appellatione ſuſpenditur: *l.* 41. 61. *ſup. l.* 3. 9. *infr. de repar. appell. l.* 1. *ſupr. de re iudic.* *ID.*

(d) Iudicum ſcil. *ID.*

(e) *Intimari* auribus Principis conſultatio, ſeu Apoſtoli dicantur, & ſic appellatio quoque intimari: quod Iuſtinianus dixit, *l.* 37. *verſ. pen. C. Iuſt. de appell.* quod nonnulli perperam vellicant. *Intimare* autem non eſt, vt iocularitet nonnemo accipit, metum Iudici facere (forte legebat is *intimidare*) *Intimare* eſt, ἐμφανίζειν, φανεροῦν: v. Gloſſas vtraſque. Capitolinus *in Vero c.* 1. *Vt priorem Verum intimatum legentibus darent.* In hac ipſa re Symmachus *lib.* 10. *ep.* 42. *Hæc eſt cauſa querimoniæ, quam diuinis ſenſibus veſtris fides Geſtorum plenius intimabit.* *ID.*

COMMENTARIVS.

De Perseqvenda Appellatione interpoſita ad Principem eſt hæc Theodoſii Iun. conſtitutio: De neceſſitate, inquam, eius perſequendæ, quidque facto tum opus ſit, quo contra abſtinendum ſit; aduerſus temerarios videl. hinc appellatores, inde flagitatores.

Igitur interpoſitam appellationem apud Principem perſequi litigatores iubet Imperat, niſi medio tempore transegiſſe ſe demonſtrent. Sola igitur transactio inter partes, legitima cauſa eſt non perſequendæ apud Principem appellationis. Quid enim poſt cauſam transactione ſopitam, extinctam, vltra vel pars vel Princeps laboret?

Extra hunc igitur caſum, quæ ſecunda *huius l.* ſententia eſt, iubentur appellatores *Conſultationes Iudicum*, id eſt, Relationes eorum, vna cum Refutatoriis ſeu ſupplementis partium, geſtiſque omnibus (de quo fuerunt complures *leges* ſuperius) quantocius auribus Principis intimare, id eſt, ad eius ſcrinia, cognitionemque perferre: Quantocius, inquam, temporis tamen præſcriptione non addita, quam repete ex *leg.* 8. 29. 31. 32. 34 65. *ſupra:* Vt ita Reſponſa ſeu Reſcriptum Principis impetrare poſſint legibus conſentaneum; ad plenam videlicet Conſultationem & Inſtructionem.

Poſtremo capite, vetantur litigatores *ad Comitatum* venire intra annum, flagitandi videl. ſeu ſollicitandi Reſcripti ergo: confirmata in hoc Valentiniani *lege* 34. *ſup.* vel potius Theodoſii M. qua hæc anni præſcriptio inducta eſt *l.* 47. *ſup.* quam probauit quoque Honorius *l* 54. *ſupr.* Notandæ igitur quatuor hæ *leges* hanc in rem, de cuius inſtituti ratione dixi ad *d. l.* 34.

P. 178. *De Non* RECEPTA *appellatione; vel Apoſtolis denegatis, querimonia intra quod tempus facienda ſit.*

LXVII. (a) Idem AA. Aſclepiodoto (b) PF. P. Poſt alia.

Si appellationem oblatam, in qua, vel Tuæ Amplitudinis, vel Vrbanæ Præfecturæ Sacrum Auditorium poſtulatur, (c) Iudex non ſuſceperit, vel ſuſcepta appellatione Apoſtolorum (d) copiam denegauerit, ad deponendam ſuper hac iniquitate querimoniam, necnon etiam conueniendum aduerſarium, (e) ex prolata (f) ſententia, iuxta antiquum ius, anni metas habeat litigator. Vel ſi huiuſmodi appellatio ſuſcepta non fuerit, in qua Inferiorum (g) Iudicum Sacra deſideratur Auditio, ad hæc eadem facienda ſex menſes habeat litigator. Si vero Arbiter appellationem ſuſcipere, aut Relationem (h) dare contempſerit, quatuor menſum (i) tempora obſeruentur: Vt his quæ ſtatuimus actitatis, pareat appellator temporibus, quæ de appellationibus definita noſcuntur, &c. Dat. III. Kal. April. Conſtantinop. Aſclepiodoto & Mariniano Coss. [423.]

NOTAE.

(a) *L.* 31. *C. Iuſt. eod. tit.* Iungenda autem huic *lex vlt. infr. de reparat. appellat.* & *l. vlt ſupr. de fructib. & litium expenſis.* *GOTHOFR.*

(b) *Aſclepiodotus* PP. Orientis ſub Theodoſio Iun. vid. *Proſopogr.* *ID.*

(c) Id eſt, ad te, vel ad P. V. appellatur. *ID.*

(d) De his *Apoſtolis* vid. & *l.* 18. 61. *ſupr.* Mox *relatio* vocantur *verſ. ſi vero aliter.* *ID.*

(e) Malè Accurſius (quod iam Cuiacius notauit *XXIV. Obſeru.* 29. & *Recit. in Cod.*) aduerſarium hic intelligit ipſum Iudicem contra quem appellauit. Quem refutat & hic locus. Querimonia enim Iudicem ſpectat: conuentio, aduerſam partem. Etiam refutat *lex vlt. infr. de repar. appell.* quæ *huic* iungenda: ibi, *ad conueniendos eos quos pulſat intentio* *ID.*

(f) Ex

(f) Et hic (quod etiam recte Cuiacius notauit) nugatur Accurſius: *ae prolata ſententia*, eſt, ex die probatæ ſententiæ. *ID.*

(g) *Inferiores* hi Iudices qui ſint? mox dicam. *ID.*

(h) Supra *Apoſtoli* vocantur. *ID.*

(i) Ita ſemper hoc Codice: *menſium*, C. Iuſt. *ID.*

COMMENTARIVS.

QVERIMONIA ſeu conteſtatio de NON RECEPTA per iniuriam a Iudice, appellatione, vel Apoſtolis denegatis intra quæ tempora facienda ſeu conteſtanda ſit, varie definitur *hac* Theodoſii Iunioris *lege*; quæ maioris conſtitutionis *de Iudiciis* pars eſt: pro varietate ſcil. Iudicum a quibus, & ad quos appellatum. Quam & ipſam varietatem in reparationibus appellationum ſequitur *l. vlt. infr. de repar. appell.* quæ huic vna cum *l. vlt ſupr. de fructib. & litis exp.* coniungenda eſt. Scil. non vnum genus Appellationis fuit: modò enim ad Illuſtres appellabatur, puta Præfectum Prætorio & Præfectum Vrbi (de quo dixi ad *l. 1. ſupr.* vid. & *l. 23. Cod. I. de appell.*) Modo ad Spectabiles, qui *h. l. Inferiores* (Illuſtribus ſcil. quod Accurſius etiam recte vidit, Iudices vocantur: atque horum quoque ſacrum Auditorium fuit) veluti Proconſul, Vicarius. Modo ad Clariſſimos ſeu Iudices ordinarios, non ſacra vice, verum iure ordinario, puta a Iudicibus delegatis, ſeu Arbitris datis: Igitur primo caſu, annus (ex iure antiquo) competit: Secundo, ſex menſes: Tertio, quatuor. Quo maior ſcil. eſt Iudex, & quo terrorem vimque intentare magis appellanti poteſt, eo maius quoque ſpatium illi ad querelam interponendam ſeu iniuriam conteſtandam dari debet: viceuerſa, eo minus breuiusque, quo minor Iudex eſt & inferior, minorque Potentatus ratio. Effectus autem iſtius conteſtationis *fine l.* ſubiicitur: nempe, vt poſt eam demum factam appellatio introducatur, ſeu tempora appellationum computentur: & vt *fine leg. vn. D. de libellis dimiſſor.* dicitur, id appellanti non noceat. Quare labitur Gloſſa in *d. l. vn.* cum ait, effectum conteſtationis huius hunc eſſe, vt maius tempus indulgeatur: quem errorem tamen ipſa ad *d l. 31.* emendat. Sane enim hic laxum tempus ad conteſtationem faciendam tribuitur aduerſus Iudicem a quo appellatur: atenim poſt conteſtationem factam appellator temporibus appellationum diſerte parere *huius l. fine* iubetur.

De appellatione in cauſis PRIVATÆ *rei a* RATIONALI *per Africam: ad quem ea fieri debeat.*

LXVIII. (a) Impp. Theod. & VALENTINIANVS AA. Celeri ſuo Sal. (b)

IN Priuatæ rei cauſis, præter Penſionum & Competitionum negotia, de ceteris titulis ex appellatione a Rationalis iudicio Proconſulem oportet cognoſcere: *Salua* enim *noſtræ reuerentia Maieſtatis, ius nobis cum priuatis non dedignamur eſſe commune.* Dat. V. Kal. Mart. (c) Rau. Poſt Conſ. Felicis & Tauri VV. CC. [429.]

NOTAE.

P. 179. (a) Abeſt & hæc *lex* a *Cod. Iuſt.* velut abrogata, deque abrogatis competitionibus agens: Iungenda ei, *lex 34. ſupr. de annona & tribut.* & *lex* 185. 186. *infr. de decurionibus.* *GOTHOFR.*

(b) *Celeri ſuo:* Ita quoque *d. l.* 34 at expreſſe *d. l.* 185. 186. *Proconſuli Africæ:* idque etiam ex parte oſtendit hæc ipſa *lex:* de eodem vid. Auguſtini *ep.* 210. 237. (ſiu. *Ep.* 56. 57. *Edit. Benedict.*) & *Proſopogr.* *ID.*

(c) Ita quoque *d. l.* 34. at *d. l.* 185. 186. V. Kal. Maii. *ID.*

COMMENTARIVS.

A RATIONALI REI PRIVATÆ, per Africam (nam de eo proprie hæc *lex* eſt, de quo vid. & *Notit. Imp. fol. 140.*) ad quem appellari debeat, *hac conſtitutione* definit Valentinianus III. Placidiæ F. Quæ maioris conſtitutionis *de Re tributaria, deque Penſionibus priuatæ rei* portio eſt: vt docet *lex 34 ſupr. de annona & trib.* & *l. 185. 186. infr. de decur.* quæ *huic* coniungendæ ſunt.

Quo in argumento occupatæ ſunt octo præterea *leges* puta ad quem a Rationali appellari debeat, *lex 14. 18 28. 39. 41. 45. 46. 49. ſupr.*

Igitur titulos *hac leg.* diſtinguit Valentinianus; id eſt, diuerſitatem cauſarum, in quibus de re Priuata Principis agitur, ſcilicet de omnibus titulis (exceptis tantum duobus negotiis penſionum & competitionum) a Rationali ad Proconſulem Africæ appellari vult: addita, vt elegantiſſima, ita ciuilitatis pleniſſima ratione, *ſalua enim noſtræ reuerentia Maieſtatis, ius nobis cum priuatis non dedignamur eſſe commune.* Nempe vt ceteroquin Clementiſſimi Principes iura eadem ſibi dici quæ priuatis patiantur (de quo multa in *Oratione Regia:* & *ad leg. 2. ſupr. de teſtam.* vid. & *leg. 4. vlt. infr. de itinere muniendo)* ita in eodem cum priuatis foro appellationes quæ ſe contingunt, agitari patitur Valentinianus III. in eodem inquam foro, in quo & priuatæ cauſæ & appellationes agitantur. Cui ſimilis quoque eſt Valentiniani Iun. *l. 41. ſup.* Sane (quod notari cupio)

pio) hoc ipſo anno 429. idem iterum Valentinianus celeberrimam & ciuiliſſimam *leg. 4. C. Iuſtin. de legib.* in eandem ſententiam emiſit, de *ἰσονομίᾳ* inter Principem & Priuatos: Digna vox eſt maieſtate regnantis, legibus alligatum ſe Principem profiteri: adeo de authoritate Iuris noſtra pendet authoritas & reuera MAIVS Imperio eſt ſubmittere legibus principatum; Et oraculo præſentis Edicti, quod nobis licere non patimur, aliis indicamus. Vbi *Maius Imperio* dixit Valentinianus: quomodo & Symmachus *lib. 10. ep. 54. Amari, coli, diligi*, MAIVS IMPERIO EST. De fiſci alioquin cum priuatis exæquatione plura alibi notata: vide ſaltem *leg. 3. ſupr. de iure fiſci.* De Iuliano Marcellinus *libro 25. cap. 4.* *Æquata fiſci iurgia cum priuatis.* de Traiani quoque hanc in partem modeſtia, Plinius *Panegyric. c. 36.* De Seueri & Antonini, *§. vltim. Inſt. quibus mod. teſtam. infirm.* Theodoſii M. Symmachus *lib. 2 epiſt. 13.* Anthemii *Nouella de bonis vacantibus.*

Excipiuntur tantum hic duo tituli, ſeu duo negotiorum & cauſarum genera: puta Penſionum, & Competitionum, in quibus appellationes non ad Proconſulem fieri vult Valentinianus. *Penſiones* ſunt, quæ ex emphyteuticis & patrimonialibus prædiis priuatæ rei inferuntur: de quibus *libro decimo ſupra.* *Competitiones* ſunt petitiones bonorum vacantium, caducorum, quæ a Principe petebantur: de quibus fuit *ſupra* peculiaris *titulus lib. 10. de petitionibus & vltro datis: & ſeqq. aliquot.* In his igitur duobus negotiis appellationes ad Comitem R.P. proculdubio intentari voluit Valentinianus Tertius: de ceteris, ad Proconſ. Africæ. Ratio differentiæ eruenda nunc eſt. Quæ mihi iſthæc videtur: Nempe, quod penſionum negotia nonniſi apud Com. R. P. recte inſtrui poſſint, non etiam apud Proconſulem: vt pote cum peculiaris harum rerum cura & notitia penes eum eſſe, bonorumque vacantium & caducorum fiſco delatorum, peruestigatio & incorporatio, ad eum pertineret: de quo vid. *Paratitlon, de petit. & de Incorporat.*

P. 180. # DE REPARATIONIBVS APPELLATIONVM.

TITVLVS XXXI.

LIB. VII. COD. IVST. TIT. LXIII.

De Temporibus & reparationibus appellationum, ſeu conſultationum. Reſpondet huic *titulus* 6. *lib.* 2. *de Temporum curſu & reparationibus denunciationum:* quem conſule: *Des Reliefs d'Appel.*

P A R A T I T L O N.

REPARATIO, *l. 1. 2. 3. 4. 5. 8.* & *l. vlt. h. tit.* reparatio appellationis, *Rubr. h. t.* eſt beneficium (vnde, beneficium reparationis, *l. 64. ſupr. de appellat. l. 4. h. t.* beneficium iuris, *l. 27. hoc tit.*) inſtaurandæ appellationis, iuſtis ex cauſis (vnde *inſtauratio* pro reparatione appellationis, *l. 7. h. tit.* & præſidium inſtaurationis, *d. l. 7. h. t.*) quæ præfinito tempore (de quo *ſuperiore titulo,*) non perorata deſertaque fuit. Nam ſi quis in iudicio ſuperatus, & prouocationis auxilio ſe defendens, *l. 1. h. t.* ſententiam prouocatione ſeu appellatione ſuſpendens, *l. 3. h. t.* dicendi negotii temporibus excuſſus fuerit, *l. 7. h. t.* temporibus fuerit euolutus, *l. 1. h. t.* exhauſtum ſpatium, *l. 1. h. t.* euoluta curricula fuerint, *l. 4. h. t.* præfinito tempore iudicium non obſeruauerit, *l. vlt. h. t.* lapſus ſeu temporum lapſus inciderit, *l. 2. 3. 8. h. t.* negotium non perſecutus fuerit, *l. 2. h. t.* poſt lapſum nihilominus *l. vlt. h. t.* redintegrari, *l. 1. 4. h. t.* reparari cauſam, *l. 5. h. t.* ſeu tempora, *l. 6. h. t.* poſtulare, *l. 1. 3. 7. 8. h. t.* poſcere, *l. vlt. h. t.* poteſt.

Si videlicet, ſine eius ſtudio *l. 3. h. t.* id euenerit; ſi cauſas idoneas comprobauerit, *l. vlt. h. t.* ex iuſtis cauſis, *l. 4. h. t.* veluti ſi ob neceſſitatem publicam, vel Iudicis ægritudinem, *l. 3. h. t.* vel occupationem, *l. 4. h. t.* ſi copiam ad iudicia veniendi hoſtis ſeu perduellio obſepſit, *l. 7. h. t.* ſi ægritudo, vel occupatio actuum publicorum aliæque neceſſitates, quas Iudex aut litigator differre non poteſt, fuerint: *l. vlt. h. t.* vel ſi negotii patronus (id eſt, Aduocatus) cognitis adſertionibus temporali, ſeu fatali die, adeſſe non poterit: *d. l. vlt. h. t.*

Id vero poſtulare appellator intra certa TEMPORA, *l. vlt.* intra certas temporum metas, *l. 1. h. t.* debebat. Puta, intra tres menſes, *l. 1. 3. 4. 5. 6. 7. h. t.* ſi videlicet in ſacro Audi-

Digitized by Google

Auditorio, vid. *l. u. de appellat.* (vbi dixi) cauſa appellationis ageretur *l. 3. 4. 5. h. t.* (veluti in Iudicio Præfecti Prætorio, *l. 1. 6. 7. h. t.* Præfecti V. *l. 3. 4. 5. h. t.*) puta appellatione a Iudice ſeu Rectore Prouinciæ facta *l. 1. h. t.* Intra triginta vero dies, *l. 1. 3. 8. h. t.* ſi coram ordinariis Iudicibus a Iudicio magiſtratuum *d. l. 1. hoc tit.* id eſt, Duumvirorum, & nominatim, ſi a nominatione ad Curiam quis appellauerit. *d. l. 8. h. t.*

Intra quod quidem ipſum tempus mox petitæ reparationis tenorem, *l. 8. h. t.* impetratum, *l. 3. h. t.* inaduerſæ partis, *l. 8. h. t.* aduerſarii, *l. 3. 6. h. t.* notitiam perferre debebat *l. 6. 8. h. t.* per denunciationem ex more celebrandam, *l. 6. h. t.* breuiter, redintegrata denunciare, *l. 4. h. t.* conuentionem tradere, *l. 5. h. t.* alioquin ſi (ea tamen forma obſeruata quæ præſcribitur *l. 5. h. t.* vid. & *l. 9. in fin. h. t.*) aduerſarius iudicium obire neglexerit, eo abſente negotium examinabitur, *d. l. 5. h. t.*

Reparatio autem quatuor menſium dabatur *l. vn. infr. ſi pendente appellat.* vbi dicam; pariter vt in reparatione denunciationum, *l. 1. ſupr. de temporum curſu.*

Cæterum poſt iteratum (id eſt, reparatum) ita temporis lapſum, *l. 2. h. t.* ſeu primam hanc reparationem, *l. vlt. h. t.* nulli reparatio. *l. 2. h. t.* ſeu reparatio ſecunda, *d. l. vlt. h. t.* indulgebatur: niſi ex eadem cauſa: puta, ſi non ſtudium, aut culpa, ſed ægritudo Iudicis, vel Reipub. interueniens negotium ne perſequeretur obſtiterit: *d. l. 2. h. t.* intra tempora, de quibus vid. *d. l. vlt.* Certe poſt ſecundam reparationem nulla alia vlterius reparatio depoſci poterat *d. l. vlt. in fin.*

P. 181.

I. (a) Impp. VALENTINIANVS & Valens AA. ad Mamertinum. PF. P. (b)

SI poſſeſſor, in Iudicio (c) ſuperatus, prouocationis auxilio ſe defenderit, & temporibus fuerit euolutus, intra menſem tertium redintegrari ſibi exhauſtum poſtulet ſpatium: Id ni (d) fecerit, dictam in eum volumus manere ſententiam. Similis etiam ratio ex iudicio Magiſtratuum (e) eſſe debebit: tamen vt in eo artiores metæ temporum ſeruentur: intra triginta enim illic dies reparationem poterit adipiſci, ne ſententiam inpoſitam rerum effectus conpetens ſubſequatur. Dat. Id. Octobr. Veronæ, diuo Iouiano & Varroniano Coss. [364.]

NOTAE.

(a) Abſunt a *Cod. Iuſt.* omnes *huius tit.* leges, prælata *Nouella* Theodoſii Iun. quæ eſt *lex 2. eod. tit.* GOTHOFR.

(b) *Mamertinus* ſub Valentiniano Sen. PP. Italiæ, Illyrici, Africæ, v. *Proſopogr.* ID.

(c) Iudicis videlicet Ordinarii, de quo mox plura. ID.

(d) Ita quoque *l. 3. inf.* reſtituendum, *Ac ni* &c. ID.

(e) Duumuirorum, de quo mox. ID.

COMMENTARIVS

VALENTINIANI Sen. *quinque leges* de Reparatione Appellationum ordine ſequuntur. Et *hac* quidem, TEMPORA reparandæ appellationi varia pro varietate Iudicum, a quibus appellatum fuerat, definiuntur: pariter vt *l. 3. 4. 5. 6. 7. hoc tit.* Et quidem minora, prout Iudices maiores aut minores ſunt, a quibus & ad quos appellatum: Scilicet Appellatio a ſententia Iudicis ordinarii ſeu Rectoris prouinciæ ad ſacrum Cognitorem, intra tres menſes reparari debet; *hac l.* & *dictis legib.* & *l. 63. 64. ſupr. de appell.* ſi ſententia Magiſtratus ſeu Duumuiri vel etiam Pedanei Iudicis apud Iudicem ordinarium intra triginta dies *hac l.* & *dd. ll.*

Nempe *Iudicis* appellatione *hac l.* Iudex ſeu Rector Prouinciæ ordinarius deſignatur, vt innumeris aliis *huius Cod.* legibus. Item *Magiſtratuum* appellatione, *hac l.* & *infr. l. 3.* Duumuiri intelligendi ſunt; quo ſenſu & *lege 12. ſupr. de appellat.* & paſſim *infr. tit. de decurion.* a quibus videlicet ad ordinarios Iudices appellatum docet *d. l. 3. infr.* ac proinde eos inuicem *ibidem* ſeparat, & Pedaneis Iudicibus iſtos coniungit, de quibus ad *eam legem.*

II. (a) Idem AA. ad Symmachum P. V. (b)

ETſi poſt iteratum (c) temporis labſum nulli reparationem (d) præſcribtio Legis indulgeat, tamen his iuris beneficia (e) ſubueniunt, quorum non ſtudio aut culpa, ſed ægritudo Iudicis (f) vel Reipublicæ interueniens negotium, ne perſequerentur, obſtiterit. Dat. XIV. Kal. Mart. Med. Valentiniano & Valente AA. Coss. [365.]

NOTAE.

(a) Abeſt hæc *lex* vna cum cæteris *huius tit.* a *Cod. Iuſt.* GOTHOFR.

(b) *Symmachus* hic eſt Symmachi Epiſtolarum Scriptoris Pater. Vid. *Proſopogr.* ID.

(c) Id eſt, reparatum, v. *l. vlt. infr.* ID.

(d) Secundam. ID.

(e) Ita quoque *l. 7. infr.* ID.

(f) *Cognitoris* apud Symmachum. ID.

COMMENTARIVS.

SECVNDA reparatio nulli iure ordinario datur, quod *hac lex* docet: Secunda, inquam, reparatio, non appellationis tantum, verum & denunciationis, id eſt, non tentum ad ſecundam inſtantiam perſequendam, verum & ad primam: *l. 1. ſupr. de tempor. curſu & repar. denunc.* quæ *lex* Conſtantini M. eſt, quam & hæc *lex* indicare videtur, illis verbis, *præſcriptio legis*. Sane eius apertiſſime meminit Symmachus *lib. 10. ep. 52.* vt ad *d. l. 1.* plenius oſtendi. Et *hac* tamen Valentiniani Senioris *conſtitutione* iuſte cauſa excipitur, puta ſi ægritudine Iudicis, vel ob negotium Reipublicæ appellatio ſemel reparata iterum lapſa fuerit: pariter vt Theodoſii Iun *conſtitutione*. Huc ſane pertinet integra Symmachi *Epiſtola 52. lib. 10.* ſic quidem, vt & huius *legis* meminiſſe videri poſſit, his verbis; ad Valentinianum Iun. *Ad hoc parentum Numinis veſtri Diuorum Principum protulit ſanctiones, quæ inter reliquas exceptiones reparationem iurgantibus tribuunt, ſi per* COGNITOREM *cauſa labatur;* & mox; *Cum igitur recentiora ſcita Diuorum Principum cunctis negotiis reparatione ſubuenerint, ſi forte a Iudice deſerantur,* &c.

Et hæc quidem ita ſi ægritudine Iudicis, quod *hac l.* expreſſe ait, vel etiam cognitore poteſtate Iudiciaria excidente, & ſucceſſore ei dato; vt in P. [illegible] ſpecie, quam Symmachus tractat. Aliud vero fuerit, ſi culpa Iudicis cauſa fuerit lapſa: tum enim Index æſtimatione litis multatur ex Conſtantini conſtitutione, *l. 2. ſupr. de tempor. curſu.* quam memorat & confirmat idem Valentinianus *l. unic. infr. de ſecundo lapſu.*

III. (a) Idem AA. ad Olybrium P.V. (b)

SI in Sacræ Cognitionis examine audientiam neceſſitas publica vel ægritudo Iudicis abnegauerit, intra tres menſes reparatio poſtuletur: atque in aduerſariorum notitiam impetrata reparatio perferatur. Ac ne (c) vtrumque (d) intra hos tres menſes fuerit effectum, ſententia quam appellator prouocatione ſuſpenderat, conualeſcat. Quotiens vero a Magiſtratibus, (e) Pedaneiſque Iudicibus dicta ſententia appellatione ſuſpenditur, ſuper qua diſceptatio, non Auditorii Sacri, ſed Ordinariorum Iudicum cognitione tractanda eſt, cuique duo (f) ad peragendum menſes cauſarum vrgentium concluſione tribuuntur, ſi forte ſine appellatoris ſtudio prædictus labſus inciderit, intra triginta dies reparatio poſtuletur. Dat. XIV. Kalend. April. Treu. Valentiniano & Valente AA. (g) Coss.

NOTAE.

(a) Abeſt, vt dixi iam, hæc *lex*, vt cæteræ *huius tit.* a *Cod. Iuſt.* GOTHOFR.

(b) *Olybrius P. V.* Romæ ſub Valentiniano Sen. v. *Proſopogr.* ID.

(c) *γρ. Ni*, vt *l. 1. ſup. id ni fecerit.* ID.

(d) Puta, poſtulatio reparationis, & impetratæ aduerſario intimationis. ID.

(e) Id eſt, Duumuiris, vt *l. 1. ſupr.* ID.

(f) v. Paratitlon *ſupr. de appellat.* ac nominatim *legem 41. eius tit.* ſed & *l. 10. 19. eiuſd. tit.* Item *l. 2. infr. de decurion.* ID.

(g) *γρ. Secundum*, vt ſit *annus* 368. Imo ſupra in inſcriptione reponendum *AAA.* cum *Gratianus* anno iam ſuperiore *A.* factus ſit. Vid. *Conſular. Theodoſ.* & Ammian. Marcellin. *lib. 27. c. 6.* ID.

COMMENTARIVS.

SENTENTIA huius *legis* eadem eſt, quæ *legis 1. ſupr.* Tria tantum ſingularia in ea notentur.

Primo, non tantum intra trimeſtre reparationem appellationis poſtulandam (quod vtique iam *l. 1.* cautum fuerat,) verum etiem intra idem tempus eam aduerſario denunciandam: quod & ipſum rurſum cauetur eiuſdem Velentiniani conſtitutione ad eundem Olybrium P. V. Anno proximo 369. *l. 4. infr.* (de cuius denunciationis forma eſt pariter *lex 5. 6. infr.*) Idemque cauetur *l. vlt. ſupr. de temporum curſu & repar. denunc.*

Secundo obſeruandum, de *Pedaneis* Iudicibus *hac l.* idem cauari, quod de Magiſtratibus, id eſt, Duumuiris, vt *hac l.* ita *d. l. 1. ſupr.* de Pedaneis, inquam, Iudicibus, quorum mentio quoque fit *l. 2. ſupr. de off. Rector. prou. l. vlt. infr. de excuſ. artif.* id eſt, Arbitris datis ab ordinariis Iudicibus, de quibus Arbitris *l. 63. 67. ſupr. de appellat.* & *l. vlt. inf. hoc tit.*

cui

cui *d. lex 67.* iungenda eſt; e quibus Arbitris ſeu delegatis Iudicibus ideo ad delegantem Iure ordinario appellatur.

Poſtremo obſeruandum, appellationi cauſarum peragendæ duos menſes præſtitutos fuiſſe cauſarum vrgentium: quarum numero & fiſcales ac nominationum cauſæ ſunt: quam in rem expreſſa eſt *lex 10. 19. 41. & 63. ſupr. de appellat. l. 2. infr. de decurion.*

IV. (a) Idem AA. & Gratianus A. ad Olybrium P. V. (b)

SI qui ex iuſtis cauſis (c) quæ Diuorum Parentum (d) noſtrorum Conſtitutionibus comprehenſæ ſunt, per occupationem eius Iudicis, qui eſt in Sacro Auditorio cogniturus, ad reparationis poſſunt beneficium pertinere, trium menſum (e) tempus in vtroque (f) cuſtodiant: ſcilicet, vt prius quam id poſſit elabi, & redintegrent euoluta curricula, & redintegrata denuntient: aut certe, cauillatione ſubmota, his quæ ſtatuta ſunt, obſecundent. Dat. XIII. Kal. Iul. Altaripa, (g) Valentiniano NB. P. & Victore Coss. [369.]

NOTAE.

(a) Abeſt, vt iam dixi, hæc *lex*, vna cum cæteris a *Cod. Inſt.* GOTHOFR.

(b) *Olybrius* P. V. Romæ Valentiniano Sen. v. *Proſopogr.* vt *leg. ſuperior.* ID.

(c) Quas repete ex *Paratitlo*, & *l. 2. ſup. 5. 7. vlt. infr.* ID.

(d) Intelligit Conſtantinum M. & Conſtantium. ID.

(e) Ita ſemper ferme *Cod. Theodoſ.* ID.

(f) Ita pariter *l. 3. ſupr.* vbi dixi. *In vtroque:* id eſt, & in impetranda reparatione, & in redintegrata denuncianda: vt etiam ex *fin. legis* liquet. ID.

(g) Vid. mox *Commentar.* & *Chron. Theodoſ. ad an.* 369. ID.

COMMENTARIVS.

P. 283. SENTENTIA *huius legis* eadem eſt quæ partis primæ *legis 3. ſupr.* Neque quidquam habet peculiare: nam & hæc *lex* eſt de cauſa lapſa per occupationem Iudicis ſacra cognoſcentis. Subſcriptionem tantum *huius leg.* notari cupio, quæ ſingularis eſt: Date quippe dicitur *Altæ-ripæ:* qui vicus etiamnum in ripa Rheni priſtinum nomen retinet *Altrip*, haud longe ſupra confluentem Nicri ad confluentem Luteri amnis, inter Nemetes, & Vengiones, de quo Munſterus *Coſmographia libr. 3. cap. 178.* Hunc locum & ipſe aliquando vidi eo digreſſus: locus eſt editus & tumenti loco, hodieque *Sandberg* dictus. Scilicet author eſt Amm. Marcellinus in geſtis huius Anni *lib. 28. cap. 2.* Valentinianum *Rhenum* omnem ab exordio Rhætiarum ad vsque Oceanum molibus communiuiſſe, caſtraque extuliſſe altius, & *Caſtella* turresque aſſiduas per habiles locos & opportunos, qua Galliarum extenditur longitudo, nonnunquam etiam vltra flumen ædificiis poſitis, & ſubraſis Barbarorum finibus, id eſt, Alemannorum & Francorum. Hinc itaque eſt, quod Valentinianus etiam *Alta-ripa*, vt & *Briſaci* (quod docet *lex 8. ſupr. de priuileg. cor. qui in ſacro Palat.*) conſtitiſſe, ex *hoc Cod.* deprehenditur. Sane huius *Alta-ripa* (Rhenanæ) meminit quoque *Notitia Imp. fol. 178.* atque ibi Præfecti militum Martenſium inter Nemetes & Vangiones ſub Duce Mogontiacenſi, circa Annum D. 427. Ergo & ibi Romanorum *Caſtellum* ad ſpeculandum opportunum: cuius meminit & Rupertus Senior Elector Palatinus in diplomate dato MCCCLXXX. Nulla vero eius mentio in *Itinerario Peutingeriano*, quod ante hanc *leg.* ſcriptum eſt. Alia ab hac eſt *Alta-ripa* in Valeria, cuius mentio in *Itinerario Antonini*, quam cum hac confudit Munſterus. Hæc denique *lex* diligentiam Cluuerii fugit, cum de *Alta ripa* ageret: imo & Freheri *Origin. Palatin. c. 14.* non & Ortelii in *Theſauro*, quem tamen falli tradidit, minus conſulto hoc *Cod.* idem Freherus.

V. (a) Idem AAA. ad Olybrium P. V. (b)

IN ſpeculis agat is (c) aduerſus quem in Sacro Auditorio cauſa reparanda eſt, & an intra tres menſes reparationem aduerſarius mereatur, (d) exploret, ac ſtatutum ſcitis Triumphalibus (e) diem ſedulus in iudiciis litigator obſeruet. Incumbat quoque Appellatori cura, vt ſi aduerſarius ex loco, quem habitare conſueuit, forte ſubterfugiat, pergat cum Officio (f) publico, hominique (g) eius, quem in loco repperit, conuentionem tradat, ad aduerſarium perferendam: Idque ita geſtum eſſe Curator (h) aut Magiſtratus (i), reſcribti (k) publici, vel actorum teſtificatione confirmet. Quibus impletis, ſi is, cuius conuentio curata eſt, iudicium obire (l) neglexerit, ferat hanc deſidiæ contumaciæque multam, vt vrgens negotium ipſo quoque abſente dicatur, diligentique iudicantis

cantis examini (m) ſententia proferatur eà, quam æquitatis ratio & iuris præſcripta dictauerint. Dat, XVIII. Kalend. Septembr. Altino (n) Valentiniano & Valente IV. (o) A.A. Cóss.

NOTAE.

(a) Abeſt, vt iam dixi, hæc *lex*, vna cum cæteris *huius tituli*, a *Cod. Iuſt.* GOTHOFR.

(b) *Olybrio* P. V. Romæ iam tertia hæc Valentiniani *lex hoc tit.* inſcribitur: de eo vid. *Proſopogr.* ID.

(c) Litigator aduerſarius. ID.

(d) Petat, impetrare mereatur. ID.

(e) Intelligit ſuas *leges* 1. 3. 4. *ſupr.* ID.

(f) *Officium* publicum. ID.

(g) Homini, id eſt, actori colono &c. v. *ſup. de conductor. & hominib. Dom. Aug.* ID.

(h) *Curator* Reipublicæ: de eo mox. ID.

(i) *Magiſtratus*, id eſt, Duumuir, vt *l.* 2. 3. *ſupr.* ID.

(k) *Reſcriptum* publicum. ID.

(l) *Obire* iudicium, eſt iudicio ſe ſiſtere. ID.

(m) γρ *Ex animi.* ID.

(n) Forte *Altein:* vbi & data *lex* 3. *de actorib. & procurator.* ID.

(o) Malim II. id eſt, A. D. 368. quo, vt & A. 369. Olybrius P. V. fuit, non A. 373. ID.

COMMENTARIVS.

DVÆ Cautelæ in negotio reparationis appellationis *hac l.* continentur: prior in fauorem eius pro quo ſententia lata eſt: altera in fauorem appellantis. Nempe priori ingeritur, vt exploret, inque ſpeculis agat, num intra præſcriptum TEMPVS, trium videl. menſium, appellator poſtulet Appellationis reparationem, in ſacro Auditorio agitandæ: de quo tempore præter hanc legem eſt pariter *lex* 1. 3. 4. *ſupr. l* 5. 6. 7. *infra;* veluti apud Præfectum vrbis; de quo eſt quoque *l.* 3. & 4. *ſup.* quæ eidem Olybrio P.V. inſcribuntur. Hoc inquam primum *huius leg.* caput eſt: Alterum in fauorem appellatoris, quomodo NVNCIATIO reparatæ appellationis facienda ſit abſenti aduerſario: de qua denunciatione fuit quoque iam *l.* 3. *ſup.* erit & *l* 6. *inf.* itemque *l.* 8. & 9. Nempe qui reparationem appellationis obtinuerat, eam aduerſario ſignificare tenebatur. Verum, quia aduerſarius aliquando ſubterfugiebat ab eo loco, vbi habitare conſueuerat, ne ſibi videl. reparatio denunciaretur, præſcribit *hac*
P. 284. *leg.* Valentinianus formam Denunciationis faciendæ abſente aduerſario & quid poſthac facere Iudex debeat: Nempe 1. ſi aduerſarius abſit, appellator ad *domum* denunciare debet. Quomodo? Scil. cum Officiali publico, homini, id eſt, actori, colono &c. eius conuentionem tradere oportet ad aduerſarium perferendam: Idque ita factum, apud Curatorem vel Duumuirum ſeu Magiſtratum municipalem profiteri oportet: vt cæteroquin profeſſiones aut teſtationes apud hos factæ: vt docet quoque *lex* 2. *infr. de Canone frum. V. R.* Vt ita horum ſcripto actorumque teſtificatione res probari poſſit. Quæ quidem forma denunciationis faciendæ abſenti obſeruanda. 2. Effectus vero eius hic eſt, vt videl. aduerſario ſeſe iudicio non ſiſtente cauſa appellationis μονομαχῶς iudicari poſſit. Quæ ordinaria alioquin eſt abſentis legitime citati vel denunciati pœna. De eadem ſenſiſſe videtur *lex vlt. inf.* 3. At quæ ſententia? Non vtique ſemper contra abſentem, ſed quam æquitatis ratio & iuris præſcripta dictauerint. Aliter atque definitur a Valente *l. prox.* nempe latam ſententiam roborari, atque in executionem ſemel iudicata tranſire.

VI. (a) Idem AAA. ad Modeſtum PF. P. (b)

REPARATIS intra menſem tertium, ex (c) priore lege, temporibus, in notitiam hoc ipſum aduerſarii per denunciationem, ex more celebrandam, iubemus ſine dilatione perferri: ſcilicet, vt interiectorum ſpatiorum dinumeratione ſeruata, ad debitum (d) partibus (e) iudicium reuertantur. Quod ſi is cui reparata ſunt tempora, vltra dinumerationem crediderit differendum, lata aduerſus eum ſententia roboretur, atque in executionem ſemel iudicata ducantur. Dat. VI. Id. Dec. Conſtp. Valentiniano & Valente IV. AA. Cóns. [373.]

INTERPRETATIO. *Lex iſta hoc præcipit, vt ſi quis videtur iniuſte in cauſa ſua victus, reparatis ante tertium menſem temporibus, quæ appellationi videntur fuiſſe conceſſa, ſtatim hoc ipſum in aduerſarii ſui notitiam deducere procuret, & intra tempora quæ appellationi conſtituta ſunt, de hoc ipſo negotio is qui appellauit, vt ſibi credidit competere, agere non moretur. Quod ſi facere neglexerit, ſententia quæ aduerſus eum lata fuerat perſeueret, & data executione in omnibus compleatur.*

NOTAE.

NOTAE.

(a) Abeſt & hæc *lex*, vna cum cæteris *huius tit.* a *Cod. Iuſt.* GOTHOF.

(b) *Modeſtus* PP. Orientis ſub Valente Imp. vid. *Proſopogr.* ID.

(c) Id eſt, ſecundum, iuxta priorem Conſtitutionem: cuiusmodi nulla Valentis anterior occurrit, verum Valentiniani *lege* ſuperiores Collegæ & fratris. ID.

(d) Legitimum conſtitutum. ID.

(e) Suſtineri poſſit; ſed malim, *partes*. ID. Cod. Gothan. *ad diuitum partes iudicium reuertatur*. RITTER.

COMMENTARIVS.

VALENTIS Imp. hæc conſtitutio de Reparatione Appellationum: qua continentur tria capita. Primum, de *Denunciatione* reparatæ appellationis intra tertium menſem: de quo ad ſuperiores *leges*. Secundum, vt denunciatione facta, partes ad iudicium appellationis veniant, ſeruata interiectorum ſpatiorum dinumeratione. Nempe poſt denunciationem factam, ad ſiſtendum ſe iudicio partibus certa tempora dabantur, pro ratione interiectorum ſpatiorum: de quo ad *tit. de denunciat. ſupr. lib. 2. & tit. de Temporum curſu & reparat. denunciat.* Tandem niſi is, qui reparationem impetrauit, intra tempora illa ſe ſiſtiterit, ſententiam confirmari & executioni tradi iubet.

VII. (a) Imppp. GRATIANVS, Valentinianus, & Theodoſ. AAA. ad Siburium PF. P. (b)

SI poſſeſſor, (c) primis dicendi (d) negotii temporibus excuſſus, intra tres menſes inſtaurationem non potuerit poſtulare, ob id quod copiam ad iudicia veniendi hoſtis obrepſerat, (e) iuris beneficium (f) eiusmodi occaſionem (g) non perdat; ſitque, depulſis perdiuellionibus, (h) hæc prima litium rerumque reparatio, vt cum primum adiri potuerit Sacræ Cognitionis Auditor, cognitis cauſis, præſidium (i) amiſſæ inſtaurationis indulgeat. Dat. III Non. Decemb. Treu. Auxonio & Olybrio Coss. [379.]

NOTAE.

P. 283. (a) Abeſt & hæc *lex*, pariter vt cœteræ *huius tituli* a *Cod. Iuſt.* GOTHOFR.

(b) *Siburius* PP. ſub Gratiano *Galliarum* ſcil. vt alibi oſtendo; imo & oſtendit argumentum *legis*, de quo mox. ID.

(c) Ita quoque *l. 1. in pr. ſup.* ID.

(d) Id eſt cauſæ appellationis peragendæ. ID.

(e) γρ. *Obſepſerat.* ID.

(f) Ita quoque *l. 2. ſup.* ID.

(g) γρ. *Occaſione*, vel *per occaſionem*. ID.

(h) γρ. *Perduellionibus*, vt habet Edit. in 4. ID.

(i) *Supra, hac ipſa l.* & *l. 2.* beneficium. ID.

COMMENTARIVS.

GRATIANI Imp. hæc conſtitutio eſt, de Reparatione appellationis ad ſacrum Auditorium intra tres menſes; ſuperioribus *conſtitutionibus* Valentiniani & Valentis plene conformis: ad quas dixi. Atque vt reparationis petendæ iuſtas cauſas proponunt *lex 3. & 4. ſupra*, ita & *hac leg.* proponit Gratianus iuſtam exceptionem non petitæ reparationis; ſi videlicet intra tres menſes reparationem non potuit poſtulare ob id, quod copiam ad iudicia veniendi hoſtis *obſepſit* (ita enim legendum.) Depulſis enim *perduellionibus*, ſeu hoſtibus, Iudex, qui vice ſacra cognoſcit, ſeu Iudex appellationis, cognita hac cauſa præſidium amiſſæ vel omiſſæ reparationi indulgere debet, & ſic appellationem reparare. Et hæc quidem vt æquiſſima exceptio eſt, ita conformis veteribus XII. Tab. exceptionibus cauſisque vadimonii deferendi. Cœterum ex horum temporum hiſtoria illuſtranda eſt hæc *lex*. Nempe quos Gratianus hoſtes & perduelliones hic vocat, *depulſosque* indicat, ſunt ii proculdubio Alemanni & Suevi, quos Gratianus hoc ipſo Anno & tempore compoſuit: teſte Auſonio *in gratiarum act. c. 3.* Socrate *lib. 5. cap. 6.* Sozomeno, *lib. 7. cap. 4.* Hinc eſt, quod ipſo Anno & tempore Auſonius huius anni Conſul ſcribit, a Gratiano, *vno pacatum anno & Danubii limitem & Rheni*.

Atque iſtud inter cœtera notetur, quæ facta conſtituta poſt debellatos iam repreſſosque hoſtes, de quibus in *Paratitlo de re militari*.

VIII. (a) Imppp. THEOD. Arcad. & Honor. AAA. Victorio (b) Proconſ. Aſiæ.

QVOTIENSCVNQVE in his negotiis, quibus aliqui ad Curiam deuocantur, primus temporum labſus inciderit, intra triginta dies, ſub ea definitione, qua cautum eſt, reparatio poſtuletur, & (c) petitæ reparationis tenor in aduerſæ partis notitiam perferatur. Dat. VIII. Kalend. Mai. Conſtantinop. Arcad. A. II. & Rufino Coss. [392.]

NOTAE.

(a) Et *hæc lex* abeſt a *Cod. Iuſt.* Iungenda *huic* eſt *lex* 125. *inf. de decurionibus.* *GOTHOFR.*

(b) *Victorius* Proconſ. Aſiæ ſub Theodoſio M. v. *Proſopogr.* *ID.*

(c) Vt. *ID.*

COMMENTARIVS.

THEODOSII M. hæc conſtitutio eſt de reparatione Appellationis, in negotio NOMINATIONIS ad Curiam, de quo appellationis genere a nominatione *ſuperiore tit. l. 10. 12. 19 53. & l. 2 8. inf. de decurion. l. 4. 7. 11. Cod. Iuſt. de appellat.* haud aliter atque in aliis negotiis. Quare & hac parte eadem reparationis petendæ intra XXX. dies, & impetratæ denunciandæ, lex & conditio eſſe debet, quæ in cæteris negotiis, vbi ex Iudicio Magiſtratuum appellatur, *l. 1. in f. & l 3 in f ſup.* Idque nominatim hac Theodoſii M. conſtitutione cauetur, quæ maioris conſtitutionis, pro Curiarum commodis latæ pars eſt, vt docet *lex 125. inf. de decurion.* quæ *huic* eſt coniungenda.

IX. (a) Impp. HONOR. & THEOD. AA. Aſclepiodoto (b) PF. P. Poſt alia.

APPELLATORIBVS, qui præfinito tempore iudicia non obſeruauerint, hæc tempora cuſtodienda ſunt, vt ſi contra *Arbitri* definitionem fuerit appellatum, labſumque prouocator incurrerit, tempora (c) priſcis (d) ſtatuta legibus obſeruentur: Secunda reparatione, quam prouocanti ab Arbitro Serenitas noſtra concedit, in ea quidem prouincia, in qua iurgium ventilatur, & in contigua tres menſes, in vlteriore autem, quatuor menſes
P. 186. habitura. * Si vero ſententiam *Iudicis* prouocatio obiecta ſuſpenderit, cum Sacri Cognitoris tribunal appellatur, poſt lapſum ad primam reparationem petendam tribus menſibus ſtatuendis, ſi in eadem vel proxima prouincia eius aduerſarius commoretur, quatuor vero ſi in vlteriore conſiſter. In ſecunda vero reparatione, quam a Iudice appellantibus Serenitas noſtra præſtare conſueuit, illi quidem qui poſt labſum intra tres quatuorue menſes, ſicut ſtatuimus, non popoſcerit reparationem ab eo cui Sacri auditorii cognitio debetur, transacto dierum ſpatio deſignato, tres alios menſes indulſimus ad impetrandum, allegandumque Reſcribtum, & ad conueniendos eos, quos pulſat intentio. Ita ** tamen, vt tam in prima, quam in ſecunda reparatione, ſicut iam diximus, cauſæ idoneæ comprobentur, hoc eſt, ægritudo, vel occupatio actuum publicorum, aliaque neceſſitas, quam Iudex aut litigator differre non potuit, vel ſi negotii patronus cognitis adſertionibus temporali (e) die adeſſe non potuit. Clarum *** autem fieri volumus, poſt ſecundam reparationem, aliam vlterius nullo modo poſſe depoſci. Et **** in omnibus reparationum generibus formam cuſtodiri, quam ſuper his dedimus, qui ſe, ne conueniantur, ex reparatione ſubtraxerint. Dat. III. Kal. April. Conſtantinop. Aſclepiodoto & Mariniano Coss. [423.]

NOTAE.

(a) Abeſt & hæc *lex* a *Cod. Iuſt.* Iungenda *huic* eſt *lex pen. ſup. de appellat.* & *l. vlt ſup. de fructibus & litis expenſis* *GOTHOFR.*

(b) *Aſclepiodotus* PP. Orientis ſub Theodoſio Iun. v. *Proſopogr.* *ID.*

(c) An XXX. dies, an vero 3. menſes. *ID.*

(d) Valentinianeis, *l.* 1. & 3. *ſup. h. t.* & hac potiſſimum. *ID.*

* *Secunda* ſententia, de appellatione a *Iudice* ordinario ſeu Rectore Prouinciæ. *ID.*

** *Tertia* ſententia, de *cauſis* idoneis primæ & ſecundæ reparationis. *ID.*

(e) Id eſt Fatali die & vltimo. *ID.*

*** *Quarta* ſententia de *Tertia* reparatione deneganda. *ID.*

**** *Poſtrema* ſententia, de pœna ſeſe ſubducentis, in hoc reparationis negotio. *ID.*

COMMENTARIVS.

THEODOSII Iun. hæc *lex* eſt, de Reparationibus Appellationum: quæ pars eſt prolixioris Theodoſianæ conſtitutionis: vnde duæ adhuc *leges* deſumptæ ſuperſunt, puta *lex penult ſupr. de appellationib.* & *l. vlt. ſupr. de fructibus & litis expenſis*, quæ proinde huic coaſſandæ veniunt, velut vnius & eiusdem conſtitutionis partes: Qua quidem conſtitutione Theodoſius *Iudiciorum retractationi* iuſtum modum præfinitum iuit: partim aduerſus Iudicum iniquitatem, appellationes non recipientium; quo ſpectat *d. l. penult. de appellat.* partim aduerſus litigatorum contumaciam finito negotio, ſuper expenſis ſeu ſumptuum nomine actionem ex Reſcripto forte intentantium; quo pertinet *d. l. vlt. de fructib. & litis expenſ.* Denique reparationi appellationum iuſto modo impoſito: *Temporibus* videlicet præfinitis ad reparationem petendam, eamque quandoque iteratam: *Cauſis* idoneis ad id impetrandum expresſis; *Tertia* item reparatione denegata: Poſtremum, reparationis iudicio, ſeu cognitioni ſeſe *ſubducentibus* occurrendo: Quæ quidem quatuor ſunt *huius l.* capita, quinque ſententiis comprehenſa.

Quod primum caput attinet de temporibus ad reparationem petendam, ita diſtinguit Imperator: vel contra ſententiam appellatum eſt, de qua appellatione ab Arbitris ſeu pedaneis Iudicibus, fuit quoque *lex 63. 67. ſup. de appellationibus*: & *lex 3. ſup. hoc titulo*, & prima reparatio poſtulatur: & tum tempora priſcis legibus ſtatuta obſeruari vult: id eſt intra dies 30. poſt lapſum, reparationem poſtulari: quod & ipſum Valentiniani lege, ſcilicet *d. l. 3. ſup. hoc tit.* Arcadii *d. l. 63.* Si vero ſecunda reparatio appellationis poſtulatur, tum in eadem prouincia & in contigua tres menſes dantur: in vlteriore, quatuor menſes. Et hæc de appellatione ab Arbitro. Si vero a *Iudice*, id eſt a Rectore prouinciæ appelletur ad Sacrum Cognitoris tribunal; tum ad primam reparationem poſtulandam tres menſes ſtatuuntur, ſi videlicet in eadem prouincia, vel in proxima aduerſarius commoretur: ſi vero in vlteriore, quatuor. Ad ſecundam vero reparationem, tres alii menſes. Vbi differentiæ variæ notandæ ſunt, inter Arbitrum & Iudicem: inter primam & ſecundam reparationem; inter contiguas ſeu proximas prouincias, & vlteriores. Et hæc de primo capite.

Secundum caput eſt de *Cauſis* ad impetrandam ſiue primam ſiue ſecundam reparationem. Idoneas igitur cauſas comprobari vult: quas quatuor hic enumerat: de quibus iam *l. 3. 4. 7. ſup.* vel a parte litigatorum, vel a parte Iudicis, vel extrinſecus accidentes: iam & a parte Aduocati; ſi videlicet Patronus negotii, id eſt Aduocatus, cognitis adſertionibus, id eſt cognito cauſæ ſtatu temporali, id eſt fatali die & vltimo, (ſummum dixit Symmachus *lib. 10. ep. 52.*) præſtituti temporis adeſſe non potuit. Quæ omnia & circa vadimonia, & denunciationes reparationesque earum obtinent: de quo *lex XII. Tab. tit. D. ſi quis cautionibus*: & *tit. de eo per quem factum erit*: & *ſup. tit. de temporum curſu & reparat. denunciat.*

Tertio capite poſt ſecundam reparationem alia iam & tertia omnino denegatur.

Poſtremo capite occurritur his, qui ex reparatione ſe ſubtrahunt: id eſt qui cognitioni de reparatione cum reparatio poſtulatur, vel poſtulata eſt, adeſſe nolunt, eamque defugiunt: Qua parte Imp. eam formam cuſtodiri vult, quam ſuper his iam dedit, non aliam proculdubio vel ſimilem illi, quæ præſtituitur *l. 5. ſup.* vbi vid. quæ dixi: & indicatur *l. vlt. ſup. de temporum curſu & repar. denunciat.*

P. 187.

DE SECVNDO LAPSV.

TITVLVS XXXII.

I. (a) Impp. VALENTINIANVS, & Valens AA. ad Voluſianum P. V. (b)

SI culpa Iudicis gemino labſu cauſa fuerit euoluta, iuxta Diui Conſtantini præceptum, † ipſe ad redhibitionem eius æſtimationis, quanto res valet de qua iurgium eſt, debet adtineri. Dat. III. Non. Septembr. Med. Valentiniano & Valente AA. Coſs. [365.]

NOTAE.

(a) Abeſt & hæc *lex* a *Cod. Iuſt.* GOTHOFR.

(b) *Voluſianus* P. V. Romæ ſub Valentiniano Sen. vid. *Proſopogr.* ID.

† Conſtantini M. *lex 2. ſup. de temporum curſu & repar. denunciat.* ID.

COMMENTARIVS.

QVEMADMODVM SECVNDO LAPSV, id eſt reparata ſemel cauſa, ſi euoluta fuiſſet, ex Conſtantini M. conſtitutione nulli reparatio ſecunda dabatur: puta ſi facto litigatoris euoluta fuiſſet; vt docet *lex 1. ſupr. de temporum curſu.* Symmachus *lib. 10. ep. 52.* Sed & indicat *lex 2. ſupr. de repar. appellat.*

ita ex eiuſdem Conſtantini conſtitutione ſi id culpa Iudicis eueniſſet, Iudex litis æſtimatione multabatur, quod hæc *lex* docet. Et vero de eo eſt Conſtantini conſtitutio *l. 2. de tempor. curſu & reparation. denunciat.* At Valentinianus Senior, vt prius illud abrogandum credidit, *d. l. 2. ſupr. de reparat. appellationum*, ita poſterius *hac l.* confirmat. Scilicet, vt æquum non eſt, nulla litigatoris culpa, verum vi aliqua maiore lapſa ſecundo lapſu cauſa, ſecundam denegari reparationem; quod etiam Theodoſius Iun. agnouit, *l. vlt. ſupr. de repar. appell.*: ita reparationem tribui ſuperfluum eſt: vbi Iudicis culpa intercedit; quinimo iniquum foret, aduerſus *Tertium* litem reſuſcitari, vbi alia via litigatori conſultum eſſe poteſt & Iudex ipſe multandus venit.

Cæterum poteſt hæc *lex* pertinere, pariter vt *lex 2. ſupr.* & *lex vn. infr. tit. prox.* non minus ad temporum curſum primæ inſtantiæ quam appellationis, & ſic ad reparationes denunciationum; non minus quam reparationes appellationum.

In *h. l.* interim obſeruetur deſcriptio, ſeu definitione eius, quod vulgo alioquin dicitur, Iudicem litem vel cauſam ſuam facere, *l. 2. 3. infr. quorum appellat. non recip.* vbi vide quæ dicam.

DE DILATIONIBVS EX CONSENSV.

TITVLVS XXXIII.

I. (a) Impp. ARCAD. & Honor. AA. Africano P.V. (b)

COGNITIONES omnes, quotiens conſenſu partium differuntur, vltra duos menſes differendi non habeant (c) poteſtatem: ne paulatim libera dilatione conceſſa, ætates plerumque iurgantium veternoſis (d) litibus conſeneſcant. Dat. III. Kal. Maii, Conſtantinop. Arcadio IV. & Honorio III. AA. Coss. [396.]

P.281. NOTAE.

(a) Abeſt & hæc *lex* a *Cod. Iuſt.* GOTHOFR.

(b) *Africanus* ſub Arcadio Imp. Præf. Vrbis Conſtantinopolitanæ, cui inſcribuntur hoc ipſo Anno *lex 13. inf. de annonis ciuicis: l. 152. infr. de decurion. l. 3. ſupr. de prædiis Senator.* Vt omittam alias A. 395. & 397. v. *Proſopogr.* ID.

(c) Partes ſcil. ID.

(d) Ita Symmachus *lib. 10. ep. 32. Curioſam litem* dixit, & *ep. 52.* curioſum *Luctamen.* ID.

COMMENTARIVS.

QVAMDIV cognitio omnis, ſiue denunciationis ſcilicet ſeu primæ inſtantiæ, ſiue appellationis (quam de vtroque iuxta *hac lex* accipi poteſt, non minus quam *lex 2. ſupr. de reparat. appellat.* & *l. vn. ſupr. tit. prox.*) conſenſu partium differri poſſit, definit hac conſtitutione Arcadius Imp. Nempe cognitionem iudiciumque, labente fatali tempore, ſeu temporum a lege præſtitutorum curſu, ex conſenſu partium differri ſeu prorogari poſſe dubium non eſt, idque litigatoribus licuit: quomodo & cæteroquin iuri pro ſe introducto renunciare licet. Et *hac* tamen Arcadii *conſtitut.* iſti partium ſiue conſenſui, ſiue dilationi, fibula adhuc ſeu modus quidam imponitur, puta, vt ne vltra duos menſes differendi cognitionem & fatalia habeant litigatores poteſtatem. Nempe, vt ius aduerſarii ſententia quæſitum, reparata lite vltra quatuor menſes trahi minus æquum viſum eſt, ita ipſa litium ſemel terminandarum contemplatio facit, vt ne quidem conſenſus partium reparatam denunciationem ſiue litem vltra duos menſes differre ſeu prorogare poſſit. Illud priuata ipſius victoris contemplatio ſuaſit: hoc litium protrahendarum odium, & publicæ vtilitatis ratio extorſit; *Ne* (vt hæc *lex* eleganter loquitur) *paulatim libera dilatione conceſſa, ætates plerumque iurgantium veternoſis litibus conſeneſcant.* Quod quidem etiam ad eam quæſtionem facere poteſt, qua vulgo quæritur ad *l. vlt. §. vlt. C. I. de tempor. & repar. appellat. Nouell. 93. c. 1. de appell. & Auth. ſi tamen: Cod. Iuſt. de tempor. appell.* vtrum fatale ſeu decendium interponendæ appellationis, conſenſu partium prorogari poſſit: quam alioquin tractant Gloſſa in *c. cum ſit Romana, in verbo, reciſis, de appellat.* & in *Auth. offeratur, verbo, viginti.* Mynſingerus *lib. 2. obſeru. 68.* Gayllius *libr. 1. obſeru. 139. num. 6. 140. num. 8.* Mazanta *de appellat. num. 230. 241.* Guido Papæ *deciſ. 115. & 240.* Papon. *Arreſt. lib. 19. t. 6. num. 3.* Iaſon *deciſ. 475.* Quare tuto dixeris, ex *h. l.* quam nemo adhuc obſeruauit, modicam dilationem ſeu prorogationem ex conſenſu ferri: in longiorem vero diem & vagam pro libidine partium, quæ ætates litigantium atte-

atterat, non item. Et ſane eo quoque inclinant Gloſſæ & Doctores, & in his *Cod. l. de litis conteſt.* Laudenſis, vbi intereſt Reipub. dilationes hoc ex conſenſu fieri. Et vero hoc tempus bono publico finiendarum litium cauſa ſalubriter præſtitutum hæc lex aperte indicat.

DE HIS, QVI PER METVM IVDICIS NON APPELLARVNT.

TITVLVS XXXIV.

LIB. VII. COD. IVST. TIT. LXVII.

I. (a) Imp. Conſtantinus A. ad Vniuerſos Prouinciales.

IN inſulam deportandi ſunt, cum amiſſione omnium facultatum, quæ fiſco addicendæ ſunt, hii qui prouocatione omiſſa litem reparare temptauerint, contra Comitum (b) ceterorumque ſententias, qui vice noſtra iudicauerint; firmantes, (c) *ſe per metum appellationis omiſſe* (d) *auxilium:* in qua re vel noſtrum, (e) vel Præfectorum Prætorio (f) ex noſtra erit iuſſione iudicium. Dat. Kalend. Aug. (g) PP. Kalend. Septemb. Baſſo & Ablauio Coss. [331.]

P. 189.

NOTAE.

(a) Abeſt hæc *lex* a *Cod. Iuſt.* pariter vt *lex prox.* Iungendæ *huic* ſunt *lex* 16. 17. *ſupr. de appell. lex vn. ſupr. de litigioſis &* *lex* 3. *ſupr. finium regundorum:* Imo & *l.* 4. *C. Iuſt. de iuriſd. omnium iudicum;* *lex* 3. *C. eod. de offic. Rectoris prouinc.* Tandem & *lex* 1. *ſupr. de offic. Rect. prouinc.* & *lex* 2. *C. Iuſt. vbi in rem actio exerceri.* GOTHOFR.

(b) De iiſdem *Comitibus* agitur *d. l.* 16. & *d. l.* 1. *ſupr. de offic. Rect. prou.* & *d. l.* 3. *C. Iuſt. de offic. Rect. prou.* & *d. l.* 4. *C. eod. de iuriſd.* deque iis plenius egi ad *eam l.* 16. *ID.*

(c) Ita quoque *l.* 2. *infr.* pro, *affirmantes. ID.*

(d) *γρ. Omiſiſſe. ID.*

(e) Ita *l.* 2. *infr. aut per me cognoſcam. ID.*

(f) De his *Præfectis Prætorio,* mox *ID.*

(g) Conſtantinopoli, vt habet, *d. l.* 16. *ſupr. de appellat. ID.*

COMMENTARIVS.

CONSTANTINI M. hæc conſtitutio eſt, de his qui per metum Iudicis ſe non appellaſſe dicunt. Quæ quidem conſtitutio inſignioris vereque aurei prolixioris Edicti Conſtantinianei pars eſt: pariter vt *leges* illæ omnes, quas huic coniungendas eſſe dixi. Edicti inquam Conſtantinianei, quo Conſtantinus Iudicum & Iudiciorum integritati, ſanctitati, reuerentiæ, ordinique enixo ſtudio conſultum iuit: fundato inter cætera appellationum iure; parte altera repreſſa litigantium temeritate, inani obtentu lites retractantium: verum de edicti iſtius continentia dixi iam plene ad *d. l. 16. ſupr. de appellationib.*

Igitur, vt licitam litigatoribus prouocationem conſtare vndiquaque voluit Conſtantinus M. (quod docet *d. lex 16.* & *17. ſupr. de appellat.* quæ inter cæteras *huic* ſunt coniungendæ) ita verſa vice prouocationis auxilium ſpernentibus, poſteaque inuidiem iudici Vice ſacra videlic. cognoſcenti conflantibus, apud Principem, ſeueriſſimem pœnam impoſitam voluit, vt *hac l.* ita *d. l. 17.* vbi eadem deportationis pœna imponitur. Quæ & ipſa Iuliani mens eſt, *l. 30. ſupr. de appellationibus.* Vbi & ratio hæc nominatim redditur (quæ & ipſa elioquin ex hoc Edicto Conſtantinianeo colligi poteſt) *quod Principibus Remp. moderantibus, Iudex nullus audeat prouocationis perfugium denegare, & ſi litigatores vim ſuſtinuerint, publice de ea conteſtari poſſint.* Quæ cum ita ſint, atque hec potiſſimum ratione inductus putet quis, omnem omnino Conſtantinum M. metus exceptionem litigatoribus edemiſſe: non modo, ſi ſolius poteſtatis metu non appellauerint, verum & ſi Iudex vice ſacra cognoſcens terrorem ſuum appellaturo obieciſſe dicatur, atque appellationem recipere noluiſſe. Nempe cui proteſtationis vel conteſtationis publicæ, vel apud ſummum Iudicem, vel apud Principem ipſum facultas eſt & relaxatur (quod vtique Conſtantinus relaxet *d. l. 16. ſupr. de appellation.*) *is perpetuo ſilere debet,* vt loquitur *d. lex 17.* ſi id auxilium conteſtationis ſpreuerit. Atque vt Iudices metum litigatoribus iniicere non oportet, ita litigatoribus inuidiæ conflandæ Iudicibus vice ſacra cognoſcentibus occaſio patere non debet, ſi metu ſibi obiecto ſiluerint, & propoſito ſibi Iuris auxilio vti ſuperſederint. Cui apptiore conuenit Alexandri Seueri Imp. illud in eadem prorſus re, in *l. 25. D. de appellat.* ἐγκαλεῖσθαι μὲν πᾶς ἄντις κωλύοιτο ὑπὸ τῶν δικαζόντων, οὐχ ὁρῶ· ὁπότε ἔξεστιν ἑτέραν ὁδὸν τρεπόμενον, αὐτὸ ποιεῖν, καὶ θᾶττον πρὸς με ἀφικνεῖσθαι:

 id

id eſt, *Appellare quidem qualiter quis prohibeatur a Iudicantibus non video; quando licet aliam viam tenentem idem facere, & celerius ad me peruenire.* Denique probabile non eſt aut veriſimile, quem metu Iudicis appellare prohibitum, cui maioris Principis aut Iudicis adeundi copia eſt. Neque abludit etiam ea ratio, quam Diocletianus reddit in *l. 1. Cod. Iuſt. eod. tit. In ſacro enim Comitatu noſtro timere nihil potuiſti:* ſcil. *Ibi iuſti timoris ceſſat præſumptio, vbi Principis eſt copia.* Denique huic ſimillima eſt ratio Iuriſconſulti in *l. vlt. D. quod metus cauſ. Cum* inquit, *potuerit Ius publicum inuocare, & adire aliquem poteſtate præditum, qui vtique vim eum pati prohibuiſſet.* Quanquam eiuſdem *legis* temperamentum æquiſſimum videtur, *huiusmodi præſumptioni debere apertiſſimas probationes violentia opponi.* Et vero videri quoque poſſit, contra quam antea dicebamus, Conſtantinus *ſine legis* contrariam probationem metus iniecti admittere: cum in ea re vel ſuum (Principis ſcil.) vel Præfectorum Prætorio ex ſua iuſſione iudicium eſſe iubet. Cui etiam congruit Conſtantii *lex prox.* vbi quod de *Præfectis Prætorio* addit, notandum eſt, eiuſmodi multa alia ad Præfecti Prætorio partes & dignitatem pertinentia en Edicto, vnde hæc lex deſumpta eſt, comprehenſa fuiſſe; vt apparet ex *d. l. 1. ſupr. de offic. Rect. prou. l. 3. Cod. I. eod. tit.* & *l. 16. ſupr. de appellation.* quæ omnes *huic legi* coaſſandæ ſunt. Quidquid huius ſit, huic *legi* derogaſſe videtur Conſtantius *leg. 2. proxim.* reduxiſſe eam Iulianus *l. 30. ſupr. de appell.* De nonnullis vero capitibus, quæ huic *legi* cohæſiſſe videntur, dico ad *leg. prox. 2.*

II. (a) Imp. Conſtantius A. ad Voluſianum PF. P. (b)

SI a *Præfecto Vrbi,* (c) vel a *Proconſule* (d) fuerit dicta ſententia, eandemque prouocatio minime fuerit ſubſecuta, præſidium (e) poſtulare fas erit, *imminente Iudicum metu territos ſe eſſe* firmantibus (f). Nam quicumque neceſſitatis huiuſcemodi laqueis beneficio meo eximi poſtulauerit, aut per me (g) cognoſcam, aut Excellentiæ Tuæ (h) impertiam notionem: hac videlicet condicione, qua *Vicariorum* ſententiæ, quas appellatio non ſuſpenderit, ex Diui Patris (i) mei ſanctione retractantur. Cum vero *Conſularium* ac *Præſidum,*
P. 190. aliorumue (k) ſententiæ in querimoniam deducentur, prioris legis ſtatuta ſectanda ſunt, quæ ſimiliter certo terrore propoſito, auxilium poſcentibus detulit. Dat. Kalend. ian. Med. Arbitione & Lolliano CONS. [355.]

NOTAE.

(a) Abeſt & hæc *lex* a *Cod. Iuſt.* prælata *lege* Iuliani 30. *ſupr. de appellat.* de quo mox plura. *GOTHOFR.*

(b) *Voluſianus* ſub Conſtantio PP. v. *Proſopogr. ID.* Rectius forte *P. Vrbi,* vid. *leg. 2. de inceſt. nuptiis,* eod. anno datam & *leg. 28. de Prætor. RITTER.*

(c) Nempe a Præfecto Vrbis quoque appellare licuit, quod præterea docet *lex* 11. 23. 30. *ſupr. de appellat.* & *lex* 38. *D. de minorib. GOTHOFR.*

(d) Nempe a *Proconſule* quoque appellari potuit, de quo Tit. *de appellat. ſupr. ID.*

(e) Id eſt, beneficium Principis, vt mox vocatur *ſeq. verſ. ID.*

(f) Ita quoque *l. 1. ſupr. ID.*

(g) Similiter *d. l. 1. ſupr. in fin. v.* & *l. 4. ſupr. de accuſation. ID.*

(h) Præfecti Prætorio, quod inſcriptio *legis* docet: quoque *d. l. 1. ſupr. in fine. ID.*

(i) Conſtantini M. & procul dubio intelligit partem, quæ *legi 1. ſupr.* cohærebat, cuius & rurſum fit mentio *ſine legis. ID.*

(k) Puta, Correctorum, *ID.*

COMMENTARIVS.

CONSTANTII hæc *lex* eſt, *de his qui per metum Iudicis non appellauerunt:* qua PERMITTITVR litigatori non tantum a Conſularium vel Præſidum, vel etiam Vicariorum ſententia; verum & a Præfecti V. vel a Proconſulis appellatione interpoſita, Principi ſupplicare, litemque adeo retractare, affirmanti ſe appellationem non interpoſuiſſe imminente Iudicum metu territum. Abrogata partim hac parte, partim vero confirmata Conſtantini M patris ſui conſtitutione, cuius vtique pars fuit *lex 1. ſupr.* Nempe hæc metus exceptio aduerſus ſententias eorum, qui vice ſacra cognoſcerent, puta Præfecti Vrbis & Proconſulis ex Conſtantini M. conſtitutione appellabatur, quæ vtique *d. legis 1.* ſententia eſt. Atenim, quod hæc *lex* expreſſe teſtatur, aduerſus *Vicariorum* ſententias hæc exceptio iuſta fuit, ſub quadam conditione, ſeu certo terrore propoſito. Denique aduerſus *Conſularium* & *Præſidum* vel Correctorum pariter certo terrore propoſito. Quæ duo poſtrema, etſi ex Conſtantini M. conſtitutione interciderint, attamen eo ipſo quod *lex 1. ſupr.* de *Vice ſacra iudicantibus* nominatim concepta eſt, ſatis indicat, diuerſum aliquod ius in aliis a Conſtantino M. conſtitutum fuiſſe.

Singularis hic interim locus eſt, quo oſtenditur, tres Magiſtratuum gradus ſub Conſtantino M. fuiſſe, a quibus videlicet appellari poterat; & quidem poſt Præfectos Prætorio primus gradus fuit, in quo Præfectus V. Proconſules, aliique vice ſacra iudicantes erant. Secundus, in quo Vicarii. Tertius, in quo Conſulares, Præſides, Correctores: & ita quidem, vt circa hos diuerſa iura obtinerent. At enim

enim Conſtantius idem, ius circa Vicarios, atque circa Præfectum Vrbis & Proconſulem obtinere iubet. Nam & hi Vicarii quoque vice ſacra iudicabant, quod alioquin docuit etiam *lex 16. ſupr. de appellat.* quæ *legi 1. huius tit.* coniungenda eſt. Quænam vero hæc conditio, quis terror hac parte propoſitus fuerit aliunde non diſcimus. Quod vero Conſtantius ſe ipſum, vel Præfectum Prætorio Cognitorem fore pollicetur, id iam illuſtratum eſt ad *l. 1. ſupr.* vbi paria continentur.

SI PENDENTE APPELLATIONE MORS INTERVENERIT.

TITVLVS XXXV.

LIB. VII. COD. IVST. TIT. LXVI.

Et ſic *Cod. Iuſtinianeo* hic *Titulus* ſuperiorem anteuertit.

I. (a) Imp. CONSTANTINVS A. ad Baſſum P. V. (b) Poſt alia.

CONSVLENTIBVS Iudicibus, ſi (c) debeant, cum de appellatione cognoſcunt, litigatoris heredibus, qui ante lapſum negotium in lite defecerit, (d) noua tempora prorogare, an eos cogere intra dies reliquos etiam incognitum negocium perorare: placuit, cum de appellationibus iudicatur, altero (e) ex litigatoribus in lite defun-
v. 29. cto, menſes quatuor innouare, & noua tempora prorogari: ne ignorantes negotia, vel etiam ſuper adeunda hereditate dubitantes, prius quam aliquod commodum (f) ſentiant, damnis (g) adfici compellantur. PP. (h) XIII. Kal. Iun. Sirmio Criſpo II. & Conſtantino II. CC. CONSS. [321.]

INTERPRETATIO. *Si pendente adhuc appellatione mors interuenerit litigatoris appellantis, heredibus eius qui appellauit quatuor menſes, ei cuius auctor mortuus eſt ad tractandum negotium debent praſtari, nec eum debere ad dicendam cauſam pracipitari, ne per ignorantiam litis quam non ad integrum tractauit, damnum videatur incurrere.*

NOTAE.

(a) Lex *vlt. C. Iuſt. eod tit.* hinc interpolata eſt: Iongendaque *huic* eſt *lex 3. ſupr. de tempor. curſu & reparationib. denunciationum.* GOTHOFR.

(b) Baſſus ſub Conſtantino Magno Anno Domini 321. P. V. Malim *PP.* nam neque Baſſi P. V. hoc Anno meminit Auctor *Notitiæ Praeſ. vrbis.* *ID.*

(c) *Si*, pro *vtrum.* *ID.*

(d) Id eſt defunctus fuerit: vt mox, in *lite defuncto.* Priores Cuiac. & Sichard. *defecit.* *ID.*

(e) Id eſt, *alterutro:* pariter vt *d. l. 3.* Hinc apparet male hanc *legem* reſtringi ad appellatorem, idque ipſum confirmat *d. lex 3.* *ID.*

(f) Hæreditatis ſcilicet. *ID.*

(g) Subeundæ ſcilicet litis. *ID.*

(h) Dat. in *d. l. 3.* & MS. Goth. & melius: vide *Conſularia Theodoſiana.* *ID.*

COMMENTARIVS.

MORTE appellatoris vel appellati, pendente appellatione, interueniente, quæ noua tempora hæredibus eorum prorogari debeant, atque adeo ipſi negotium perorare debeant, *hac* Conſtantini Magni *conſtitutione* definitur: Pariter vt alterutro litigatore in prima inſtantia defuncto, *l. 3. ſupr. de temporum curſu & reparat. denunciation.* quæ huic velut eiusdem conſtitutionis pars iungenda eſt. Quanquam de hoc poſteriore minus dubitatum videtur, eo quod ſuper eo nominatim iam dudum *leges* latæ fuerant, quibus aperte continebatur, altero ex litigatoribus in lite defuncto, curſum temporis hæredibus eſſe reparandum, vt diſertis verbis dicitur in *d. l. 3.* Atenim num idem obtinere deberet in ſecunda inſtantia de eo ſub Conſtantino adhuc dubitatum fuit: deque eo conſultus ipſe a Iudicibus fuit, quod *initio legis* profitetur. Verum idem quoque obtinere iubet, nempe vt noua tempora hæredibus prorogentur, ac non etiam cogantur intra dies reſiduos negotium perorare. Ratio dubitandi

tandi hæc fuiſſe videtur, quod iuſtior cauſa videatur primæ inſtantiæ hæredibus nouorum temporum prorogandorum quam ſecundæ inſtantiæ poſt litem diu tractam. Verum decidendi ratio hæc reponitur: quod iniqnum ſit hæredes igoorantes oegotium incognitum perorare, quorum cæteroquio ioſta ſemper eſt ignorantia. Secundo, quod iniquum ſit dubitantes forte adhuc de adeunoa hæreditate damois adfici, & ſic litem ſubire & perſequi, priusquam aliquod commodum ſenſerint: Nempe, vt cæteroquin hæreditas cum commodis & damna ſecum trahit, ita commodum aditæ ſaltem hæreditatis prius anteuertat neceſſe eſt, & damnum commodo poſtumat, vt Tertullianus loqueretur. Quod poſtremum oſtendit, a die mortis, temporum curſum obſeruatum, id eſt, tempora reparatæ vel propagatæ litis a morte currere cœpiſſe, quod ſane & Conſtantio aliquando viſum fuerat, verum eidem diſplicuit, *l. 4. ſeu vlt. ſupr. de temporum curſu & reparat. denunciat.* diſplicuit & Iuſtiniano, *d. l. vlt. C. Iuſt. eod. tit.* atque ea cauſa etiam fuit *eius* interpolandæ: cum alioquin ex *hac* deſumpta ſit.

Cœterum quatuor meoſium ſpatium prorogari hæredibos, vt hæc *lex* docet, ita & *lex 1. ſupr. de temporum curſu & repar. denunc.* quod & ipſum teſtatur Symmachus *lib. 10. epiſt. 52.* Vide & Auguſtinum *contra Donatiſtas poſt collationem cap. 25.* quæ loca iam protuli ad *d. l. 1.* & ad *hanc legem* arceſſi poſſunt.

P. 292. QVORVM APPELLATIONES NON RECIPIANTVR.

TITVLVS XXXVI.

LIB. VII. COD. IVST. TIT. LXV.

PARATITLON.

QVORVNDAM appellationes non recipiuntur, de quo iam nonnulla notauimus *Paratitlo de Appellationib.* puta appellantium ante definitiuam ſententiam *l.* 18. 29. *hoc tit.* & *l.* 2. 50. *ſupr. de appellat.* Ab articulo ſeu interlocutoria, *l.* 1. 3. 23 *hoc tit.* & *l.* 65. *ſupr. de appellat.* exceptis præſcriptionibus peremptoriis, *l.* 23. 24. *h. t.* & *l.* 37. *ſupr. de appellat.* Item exceptis caſibus *legis* 18. *hoc tit.* A præiudicio, *l.* 1. 2. 3. 5. 11. 15 16. 18. 30. *h. tit.* & *l.* 2. 25. 40. 44 *ſupr. de appellat.* ab apertura tabularum, & hæredis miſſione in poſſeſſionem, *l.* 26. *hoc tit.* in interdicto, & quidem quorum bonorum *l.* 22. *hoc tit.* ab executione, *leg.* 2. 3. 11. 15. 16. 18. 25. 30. *hoc tit.* & *l.* 25. 39. *ſupr. de appellat.* Reorum item confeſſorum conuictorumue in atrociſſimis facinoribus appellationes non admittuntur, *l.* 1. 4. 7. 14. 31. *vlt. h. tit.* vide tamen *leg.* 2. 20. 57. 58. *ſupr. de appell.* In fiſcalibus quoque cauſis & rei priuatæ debitorum manifeſtorum, *l.* 6. 8. 9 10. 12. 13. 18. 19. 21. 27. 30. 32. *hoc tit.* & *l.* 6. *ſupr. de iure fiſci.* Vide tamen & *leg.* 8. 14. 18 21. 26. 28. 41. 45. 46. 64. *ſupr. de appellat.* Officialium etiam appellationes prohibitæ a *propriis* Iudicis ſententia, niſi ſuper ciuili & pecuniario negotio, *l.* 17. *hoc tit.* Tandem nec in Eccleſiaſticis cauſis, in ſpecie *legis* 20. *h. t.*

I. (a) Imp. CONSTANTINVS A. ad Catullinum. (b)

MOratorias (c) dilationes, fruſtratoriasque (d) non tam *appellationes* quam *ludificationes*, admitti non conuenit: Nam ſicut bene appellantibus negari auxilium non oportet, ita his contra quos merito iudicatum eſt, inaniter prouocantibus, differri bene geſta non decet (e). Vnde, cum *Homicidam* vel *adulterum*, vel *Maleficum* (f), vel *Veneficum* (quæ atrociſſima CRIMINA (g) ſunt) confeſſio propria, vel dilucida ex (h) probatiſſima veritatis quæſtio probationibus adque argumentis detexerit, prouocationes (i) ſuſcipi non oportet, quas conſtat, non refutandi ſpem habere quæ geſta ſunt, ſed ea potius differre temptare, * *quæ de variis litibus cauſiſque diſſentiunt.* Nec temere, nec ab articulis, (k) præiudiciisque (l) nec ab his quæ iuſte iudicata ſunt prouocare debebunt. Quod ſi reus (m) in Homicidii, vel Maleficii, vel Adulterii, vel Veneficii crimine, partem, pro defenſione ſui, ex teſtibus quæſtioneque propoſita poſſit arripere, parte vero obrui accuſarique videatur, tunc ſuper inpoſita

poſita (n) appellatione, ab eodem qui ſibi magis quæ pro ſe faciant teſtimonia prodeſſe debere adſirmat, quam ea quæ aduerſus ipſum egerint nocere, deliberationi noſtræ plenum arbitrium relinquatur. Dat. IV. (o) Non. Nouembr. (p) Accept. XV. Kal. Mai, Hadrumeti, Voluſiano & Aniano Coss. [314.]

INTERPRETAT. *In ciuilibus cauſis, vel leuioribus criminibus, quæ legibus non tenentur inſerta, appellationi conſtituta legibus dilatio praſtanda eſt, & ſuſpendenda eſt per appellationem ſententia iudicantis: At vero homicidis, adulteris & reliquis, quos lex iſta comprehendit, ſi conuicti confeſſique fuerint, & appellare voluerint, dilatio denegetur, ſed ſtatim in manifeſtis criminibus conuicti Iudicis eſt ſententia proferenda: aut* (q) *certe de magnis criminibus & maioribus perſonis ad Principis eſt notitiam deferendum.*

NOTAE.

(a) Abeſt hæc *lex* a *Cod. Iuſt.* Iungendaque *huic* eſt *lex* 2. *ſupr. de appellat.* & *lex* 1. *ſupr. de pœnis:* quæ & argumento vtraque reſpondet. Concordat & *lex* 7. *infr.* GOTHOFR.

P. 193. (b) An Proconſulem Africæ, an vero Conſularem Byzacenæ? Vide quæ ſcribo ad *d. leg.* 1. *ſup. de pœnis.* ID.

(c) Ita pariter moratoriæ fruſtrationes, *l.* 3. *inf.* moratoriæ prouocationes, *l.* 4. *inf.* ID.

(d) Ita quoque fruſtratoriæ prouocationes *l.* 9. 10. *inf.* & moratoriæ fruſtrationes *d. l.* 3. *infr.* diuturna fruſtratio, *l.* 8. *inf.* Eodem etiam referri poteſt vox fruſtrationum *l. vn. ſupr. quorum bonor.* ID.

(e) *Debent*, Sichard. RITTER.

(f) *Vel maleficium*, abſunt a Sichard. ID.

(g) Ita habent omnes *Edd.* vnica *Pariſienſi* poſtrema excepta, quæ ſubſtituit *facinora.* GOTHOFR. *Facinora* legit MS. G. & Sichard. RITTER.

(h) Ita omnes *Edd.* vnica *Pariſienſi* poſtrema excepta, quæ habet *& probatiſſima.* Malim tamen ego, *& exploratiſſima.* GOTHOFR. Edit. Sichard. *& probatiſſima.* MS. G. *vel ad lucidam & probatiſſimam veritatem.* RITTER.

(i) *Appellationes*, Sichard. ID.

* Sequens ſententia corrupta eſt, & forte etiam irreptitia: niſi putemus hæc verba ita reformanda, *&c.* (id eſt *& cætera*) *quæ de variis litibus, cauſisque differantur:* vt ita ſint hæc verba Conditorum *Codicis Theod.* reſecantium ex integra conſtitutione, quæ ad hunc *titulum* minus facerent, de quo *Prolegomena* plenius docebunt. GOTHOFR.

(k) Vide & *leg.* 13. 25. *inf.* & *leg.* 65. *ſup. de appellat.* Porro idem eſt ab Articulo, quod docet & *lex* 3. *inf.* & a præjudicio. Quare Græci ad *l.* 5. *Cod. Iuſt. quor. appellat.* quæ eadem eſt cum *l.* 25. *infr.* verba hæc *ab articulo*, interpretantur κατὰ διαλαλιάν. ID.

(l) Vide de hoc complures alias *leges*, quas *Paratitlon* exhibet. ID.

(m) *Quod ſi rei homicidii* MS. G. male. RITTER.

(n) Reſcribo *ſuper interpoſita.* Tentabam aliquando *inſuper poſita.* GOTHOF. *ſuper interpoſita* Edit. Sichard. RITTER.

(o) *γρ. III* vt habetur *d. l.* 2. *ſup. de appellat.* & *d. l.* 1. *ſup. de pœnis.* GOTHOF.

(p) Adde *Treueris.* ex *d. l.* 2. & *d. l.* 1. ID. *Treueris*, MS. G. & Sichard. RITTER.

(q) Falſa eſt hæc interpretatio *Aniani*, mox vt oſtendet *Noſtra.* GOTHOF.

COMMENTARIVS.

CONSTANTINI M. tres hoc titulo conſtitotiones ordine propoountur: quibus temerariis & fruſtratoriis appellationibus occurrit: quibus addendæ ſont & aliæ nnnnullæ eiusdem Principis, quæ poſitæ ſunt ſub titulo *de appellationibus, ſupr.* Et hæc quidem eſt de atrocisſimorum CRIMINVM reis, quaodo videlicet iis appellaodi ius ſit vel nno: nnnnollis etiam aliis inſperſis, quæ continentur *verſiculo, nec temere.* Anteqnam vero de *huius l.* ſententia agimus, notandum eſt, *hanc l.* partem eſſe prolixioris Conſtantinianeæ, vnde duæ præterea *Leges* deſumptæ ſunt, puta *lex* 2. *ſupr. de appellationibus*, & *lex* 1. *ſupr. de pœnis:* quæ proinde *huic* coaſſandæ ſunt: Quæ quidem in argumento Iudiciorum ciuilium & criminalium verſata eſt: ita quidem vt *initio d. l.* 2. iuſte appellantibus coofultum eat; *fine* vero *eiusdem l.* vt & *hac noſtra* moratoriis & fruſtratoriis appellationibus occurrat. Qoem vtrumque ſcopum etiam indicat *hac ipſa lege, verſ. nam ſicut.* Et rurſum ita verſata eſt illa conſtitutio in argumento Iudiciorum criminalium: vt tria de his caueat. Primo, quando ad capitalem ſententiam Iudex procedere debeat, *d. l.* 1. *de pœnis:* & *hac l.* Secundo, ao poſt prouocationem a capitali ſententia reus in cuſtodia perſeuerare debeat, *d. l.* 2. *ſupr. de appellationibus.*, Poſtremum, quando e capitali ſententia appellari oon poſſit: quod *huius l.* argumentum eſt. Igitur de hoc duæ e tribus *huius l.* ſententiæ ſunt.

Prima, Homicidii, Adolterii, Maleficii, & Veneficii crimina: hunc, inquam, atrocisſimorum criminum quaternionem conſtituit, in quibus legitime conuictis, aut confesſis appellandi ius denegat; pariter vt eadem ab indulgentia generali excepit, *l.* 1. *ſupr. de Indulgent. crimin.* Nam & ea ſola ferme capitalia crimina fuerunt hoc Conſtaotini æuo; & in his quoque *Adulterii* crimen, qood oſtendi ad *l.* 1. *ſupr. de pœnis.* Atque hoc ius etiam confirmatum a liberis Conſtaotini, addito & Raptus crimioe, *l.* 4. & 7. *infr.* itemque Violentiæ, *l.* 14. *infr.* Placuit & Theodoſio M. *l.* 31. *infr.* Diſplicuit aliquando eis-

dem Conſtantini liberis, *l. 20. ſupr. de appellat.* itemque Arcadio, *l. 57. ſupr. de appellat.* & Honorio, *l. 58. 60. eod. tit l. vlt. infr. h. tit.* Porro in his criminibus vt appellationi locus non ſit, alterum e duobus requiritur; puta vt reus *confeſſus* ſit, vel *conuictus:* conuictus inquam, id eſt quem dilucida & probatisſima vel exploratisſima veritatis quæſtio probationibus atque argumentis detexerit, vt hæc *lex* loquitur. Quod & ipſum inculcatur *l. 4. 7. 14. 18. 31. 33. ſeu vlt. h. tit.* Ita quidem vt alterutrum pariter deſideretur, *d. l. 4. 7. 31. 33.* cum de ſola conuictione agatur, *d. l. 14* vid. & *leg. vlt.* ſola confesſione, *d. l. 18.* de quo ad *leg. 7.* De *Confeſſione* id notandum, eam primo loco nominari *hac l.* & *l. 4. h. tit.* Conuictos vero primo loco poni *d. 7. 31. 33.* Omittere non posſum Libanii locum *Orat. in Ellebichum, p. 532. Edit. Morell.* vbi confeſſorum potiorem cauſam eſſe ait quam Conuictorum: *οὐ γὰρ ἴσον εἰς ἔλεγχον, φωνὴ μάρτυρος, καὶ ἡ τοῦ φεύγοντος αὐτοῦ, ἀλλὰ κατὰ μὲν ἐκείνης, ἴσως ἄν τις εὑρεθείη καὶ λόγος· τὴν δ᾽ οὐκ ἄν τις αἰτιάσαιτο, τὸ τοῖς ἑαυτῶν στόμασιν ὁμολογεῖν ἀδικεῖν τοὺς αἰτιαθέντας: Neque enim æquipollet ad conuincendum vox teſtis & illius, qui ipſe reus eſt: verum aduerſus illam teſtis delationem, forſitan ratio quadam comperietur; hanc autem fugientis reiue hautquaquam vllus incuſaret, quod ore proprio fateatur ius violaſſe eos, qui criminis inſimularant.*

Poſtrema ſententia eſt de iisdem atrocisſimis facinoribus, vt ſi reus parte probationum iuuetur, parte obruatur, arbitrium Principi relinquatur, *ſuperimpoſita appellatione,* vel vt malim, *inſuper poſita,* id eſt ceſſante appellatione, quam vtique ceſſare neceſſe eſt, vbi ſententia nulla eſſe poteſt, cum disertis verbis Conſtantinus *d. l. 1. ſup. de pœnis;* ſanciat, vt capitalem Iudex non proferat ſententiam, niſi probationes in vnum rei finem conſpirent & concordent. Interim ex his liquet, poſtremam *huius leg.* partem ab *Aniano* perperam acceptam.

Et hæc de Criminalibus cauſis, a quibus appellari non poſſe *hac l.* definitur. Alterum vero etiam Cauſarum genus hic perſtringitur, & plenius *d. l. 2. ſup. de appellat.* quæ huic coniungenda eſt: Nempe a *Præiudicio* appellari non poſſe: Quod variis ſubinde conſtitutionibus interdictum:

A Conſtantino M. *hac leg.* & *l. 2 3. inf. h. t. l. 2. ſup. de appellat.*

A Conſtantio, *l. 5.* & *11. hoc tit. l. 25. ſupr. de appellat.*

A Valentiniano Sen. *l. 15. 16. 18 hoc tit.*

A Valentiniano Iun. *l. 40. 44 ſup. de appellat. l. 30. hoc tit.*

P. 194.

II. (a) Idem A. ad Voluſianum P.V. (b)

QVI a *Præiudicio* appellauerit, vel ab *Exſecutoribus* rerum antea ſtatutarum, adque alterius (c) auditorii præpopere (d) iudicia popoſcerit, triginta follium (e) pœna multetur, ita vt omnem (f) cauſam ipſe ſine dilatione diſcinguas (g): Quippe cum & cauſam tuam videaris eſſe facturus, ſi per conhibentiam (h) huiusmodi appellationem admiſeris. Si quas ſane de omni cauſa interpoſitas eſſe prouocationes perſpexeris, in earum diſceptatione obſeruare debebis, quod iam † pridem a nobis eſt euidentisſime conſtitutum. PP. V. Kalend. Mart. Rom. Conſtantino A. IV. & Licinio IV. Coss. [315.]

NOTAE.

(a) Abeſt hæc *lex* a *Cod. Inſt.* **GOTHOFR.**

(b) *Voluſianus* ſub Conſtantino M. A. D. 315. P. V. Huius mentio apud Anctorem incertum de Præfectis V. *ſub duobus ſuperioribus conſulatibus. Conſtantino,* inquit, *III & Licinio III. Conſulib. VI. Idus Decembris Rufinus Voluſianus Præfectus Vrbis. Voluſiano & Aniano COSS. Rufinus Voluſianus Præfectus Vrbis fuit.* Eumque Præfectum Vrbi perſtitiſſe, vsque ad *XIII. Kal. Sept. Conſtantino IV* & *Licinio IV* idem docet, dum eo die primum *Vettium Rufinum Præfectum V.* factum ſcribit. Sane & *hoc Cod.* Voluſiano & Aniano COSS. ei inſcribitur *Lex 1. inf. de naduicul.* & *lex vn ſup. de Ingenuis qui tempore Tyranni ſeruierunt,* omiſſa tamen dignitatis vtrobique mentione, quæ tamen etiam tum ex argumento ſeu ſubiecto, tum ex ſubſcriptione facile ſuppleri poteſt. Vide quæ ſcripſi ad *d. leg. vn. de Ingenuis. ID.*

(c) An potius, *altioris?* quod non puto. *ID.*

(d) Id eſt impudenter, valde propere: vt *l. 13. ſup. de re militari: deproperus:* vel ſane intempeſtiue, vt ita ad appellationem a præiudicio referatur, quomodo *lege proxima, impatienter ab articulo appellari* dicitur; ſero autem ab executionibus. *ID.*

(e) De quibus *Follibus* hoc & *lege 3. prox.* accipiendum? Num de 30. æreis, argenteis nummis: an vero de nummorum *δηναρισμοὺς;* Alibi fuſe diſſero; vid. *l. 5. inf. ID.*

(f) *Omnis cauſa,* hic, & mox *inf* eſt cauſa principalis vt *l. 3. prox.* cauſa vniuerſa. *ID.*

(g) Id eſt dirimas, decidas: vide *Gloſſarium* de hac voce: & Iuretum in *Symmachi 10. ep. 32.* & Savaronem in *Sidonii 2. ep 7. ID.*

(h) Pro, *Conniuentiam. ID.*

† Quæcunque hæc *lex* ſit, ſane hodie non extat, & antiquior *lege 1. ſup.* fuerit neceſſe eſt, vel quam *lex 2. ſup. de appellat. ID.*

III. (a)

III. (a) Idem A. ad Ælianum Proconſ. Afric.

CVM antehac Lege † de appellationibus data ſtatutum ſit, ne quis a *Præiudicio*, vel ab *Exſecutione* interponeret prouocationem, neue huiusmodi appellatio ab his qui vice (b) noſtra iudicant admittatur, ne in perniciem plurimorum interpoſitis a præiudicio appellationibus, vel moratoriis (c) quibusdam fruſtrationibus interiectis, litigia protrahantur, tamen nunc (d) pœnam addi placuit, vt intelligant vniuerſi, principalis negotii disceptationes (e), cauſas ſuas munire debere, & non ab ipſis quodammodo primæ interlocutionis exordiis, vel ab exſecutionibus prouocare: cum & illis qui inpatienter (f) ab Atticulo (g) appellandum putauerint, poſt cognitionem totius cauſæ liceat appellare, & his qui ſero ab exſecutionibus prouocant, facultas appellandi minime fuerit denegata (h). Si quis igitur tali vſus appellatione fuerit in Tuo Iudicio deprehenſus, ipſum quidem triginta follium (i) pœna multes: Cauſam (k) autem vniuerſam eius dumtaxat (l), qui a Præiudicio, vel ab Exſecutione temere appellauerit, ſine vlla dilatione diſcingas, eum in noſtro auditorio dari minime dilationem oporteat; interpoſitæ (m) appellationis tempore ſufficiente litigatoribus ad perferendam inſtructionem pleniſſimam. PP. VI, Kalend. Maii, Karthag. Conſtantino A. VII, (n) & Conſtantio Cæſ. Coss.

NOTAE.

(a) Abeſt & hæc *lex* a *Cod. Iuſt.* Forte *huic* iungenda *lex* 2. *ſup. de famoſis libell.* GOTHOFR.

† An intelligit *legem* 1. *ſup.* & *l.* 2. *ſup. de appellat.* nam & eæ pertinent ad Africam. *ID.*

(b) Cuiusmodi eſt Proconſul Africæ, vt in ſpecie *huius l.* & Præfectus V. in ſpecie *legis* ſuperioris. *ID.*

(c) Vide *leg* 1. *ſup.* & quæ *ibi* dixi. *ID.*

(d) Iam antea *l.* 2. *ſup.* quoque eam addiderat, & quidem eandem pœnam. *ID.*

(e) *γρ. diſceptatione.* *ID.*

(f) Præpropere, *l.* 2. *ſup* *ID.*

(g) *Articulus.* Vid. *leg.* 2. *ſup.* vbi dixi. *ID.*

(h) Olim ſcil. tempore, antequam ad executionem deueniretur. *ID.*

(i) Eadem pœna *ſup. l.* 2. conſtituitur; verum conſtitutione ad alium emiſſa. *ID.*

(k) Similis ſententia *ſup. l.* 2. *ID.*

P. 295. (l) *Qui duntaxat.* *ID.*

(m) De huius loci ſenſu mox. *ID.*

(n) Vitium in hoc numero ineſſe puto, & malim repoſito *conſulatu VI.* hanc legem referre ad annum 320. neque adeo male *hanc l.* coniunxeris cum *l.* 2. *ſup. de famoſis libellis.* *ID.*

COMMENTARIVS.

A PRÆIVDICIO, & ab EXECVTIONE appellationem admitti vetat Conſtantinus M. his duabus conſtitutionibus, ad diuerſos Magiſtratus & diuerſo tempore datis: in eandem tamen prorſus ſententiam, nempe ab illis duobus appellari non poſſe, quod compluribus aliis legibus definitum, tum *hoc titulo*, tum *titulo*, *de appellationib.* de quo ad *l.* 1. *ſupr.* ac nominatim ab ipſomet Conſtantino M. *l.* 1. *ſupr. verſ. nec temere:* & *l.* 2. *ſup. de appellationib.* quæ inter ſe coniungendæ ſunt, & ad quas ſeſe referre videtur Conſtantinus *initio l.* 3. quandoquidem & illæ ad Africam pertinent: Ac vt eadem duarum harum *Legum* ſententia ſeu prohibitio eſt: ita & eadem vtrobique pœna temere a præiudicio vel executione appellanti imponitur, puta triginta follium multa. (De quorum follium æſtimatione *alibi* fuſe dico.) Vtraque tamen ſingularia & peculiaria quædam hanc in rem habet. A *lege* 2. initium faciamus.

In ea igitur primo notandum, pertinere eam ad Præfecturam vrbis Romæ; idque indicari, a Præfecto vrbis regulariter appellari potuiſſe: quod docet quoque *lex* 11. 23. 30. *ſupr. de appellat. l. vlt. ſupr. de his qui per metum iudicis:* Niſi potius putemus, quod ipſe præfero argumento poſtremorum verborum, hic agi non de appellationibus a Præfecto vrbi, verum ab inferioribus iudicibus Romæ & intra Præfecturam vrbis Romæ ad Præfectum.

Secundo id ſingulare habet *lex* 2. quod Iudex (Præfectus vrbi vt dixi in eius ſp.) qui appellationem a præiudicio vel ab executione admiſit, litem ſuam facere dicatur: quod & ipſum poſtea Valentinianus definiuit *l.* 16. *infr. hoc tit.* Quare addendus eſt hic caſus cæteris, quibus Iudex litem ſuam facit. Adde & caſum *legis vn. ſupr. de ſecundo lapſu*: vbi quid ſit *litem ſuam facere*, recte ita effertur, cum Iudex ad redhibitionem, id eſt ſolutionem eius æſtimationis quanto res valet de qua iurgium eſt, adtinetur.

Tertium ſingulare in *d. l.* 2. eſt, quod præfecto Vrbis inculcat, quid facto ipſi opus ſit, interpoſita ad eum appellatione a ſententia definitiua: qua parte refert ſe Conſtantinus ad anteriorem aliquam conſtitutionem: quæ nuſpiam comparet.

Nunc de *lege* 3. Singularia hæc habet. Primo, quod pœnam attinet, diſcimus ex ea, pœnas in vna Orbis ſeu Imperii parte ad facti ſpeciem aliquam propoſitas, non ilico in aliis partibus obtinuiſſe: Nam etſi per Præfecturam vrbanam multam 30. follium iam antea ſtatuiſſet, *l.* 2. attamen din poſt ad alteram facti ſpeciem eandem ſtatuit per Africam: ita quidem,

dem, quaſi nunc primum a ſe inuentam; *tamen* NVNC, inquit, *pœnam addi placuit*. Nempe quia, etſi autea iam illas appellationes interdixiſſet, & quidem *l. 1. ſupr. & l. 2. ſupr. de appellat.* (quo ſe hæc *lex* referre videtur) attamen nondum eam pœnam ibi propoſuiſſet.

Alterum ſingulare eſt, quod *rationes* exprimit, ob quas a præiudicio vel ab Executione appellare ſas non ſit: Et quidem vna communis vtrique; ne ſcil. in perniciem plurimorum moratoriis his, ſruſtrationibus & appellationibus interiectis litigia protrahantur.

Peculiares ſingulis rationes ſequuntur. Nempe ideo a *Præiudicio*, ſeu ab articulo, & interlocutione (nam hæc tria pro eodem *hac l. 3.* ſumuntur, de quo iam aliquid ad *l. 1. ſupr.*) appellatio prohibetur, quia poſt cognitionem totius cauſæ licet appellare: vt proinde ſruſtra ſit, litès rurſum interpellari appellatione ab articulo & interlocutione, & ſic litigia protrahi, cum ſimul & ſemel poſt cauſæ exitum appellare liceat, (exceptis tantum caſibus qui continentur *lege 18. 23. 24. h. t. & l. 37. ſupr. de appellat.* de quo ad *dictam l. 18.*) Peculiaris autem ratio, cur ab *Executione* appellare ſas non ſit, hæc redditur, quod *ſera* ſit hæc appellatio, cum a ſententia facultas appellandi pateret. Qui ſententiæ ſemel acquieuit, non appellando, vbi ad eius exſecutionem ventum eſt, iam ſero appellat; & ſibi imputet, qui facultate appellandi in tempore vſus non eſt. Tandem ab exſecutione ſero prouocatur, ab articulo impatienter, vt *hac lex 3.* loquitur, vel vt *lex 2.* præpropere.

IV. (a) Impp. Conſtantius & CONTAN AA. ad Catullinum (b).

OPORTVERAT te, publici inſtituti reſpectu, *confesſione detectos*, legum ſeueritate punire, nec fruſtra vitam differentum (c) moratorias (d) prouocationes admittere, ſed delatum *Adulterii* crimen, & quæſtionibus adhibitis adprobatum, pari ſceleris (e) immanitate damnare; Quod deinceps in huiusmodi criminibus conuenit obſeruari, vt manifeſtis probationibus Adulterio probato fruſtratoria (f) prouocatio minime admittatur: cum pari ſimilique ratione ſacrilegos * nuptiarum, tanquam manifeſtos parricidas, inſuere culleo viuos, vel exurere, Iudicantem (g) oporteat. Dat. IV. Kal. Septemb. Conſtantio A. II. & Conſtante Cæſ. Coss. [339.]

NOTAE.

(a) Abeſt & hæc *lex a Cod. Iuſt.* GOTHOFR.

(b) *Catullinus* hic Vicarius Africæ fuit, quod docent ſuperiore Anno *lex 24. & 26. ſup. de Decurion.* & *lex 2. de honor. codicill.* ID.

P.296. (c) Tentabat Maynardus *litem differentum*, male: de quo mox. ID.

(d) Vide & *leg. 1. ſup. in med.* vbi dixi, vt & *leg 3. ſupr.* ID.

(e) *γρ* *Sceleri*: Immani ſcil. ſceleri, immanis damnatio ſeu ſupplicium. Quanquam & illud ſuſtineri poſſe ſcio. ID.

(f) Vid. *leg. 1. & 3. ſup.* ID.

* *Legis 30. Cod. Iuſt. de adulteriis*, quæ alioquin deſumpta eſt ex *l. 2. ſup. de adulteriis*, extrema, ex hoc loco de ingenio ſuo a Triboniano interpolata, deformata: quod iam indicauit Cuiacius, & poſt eum P. Faber. de quo mox. ID.

(g) Iudicem. ID.

COMMENTARIVS.

ADVLTERII confesſis conuictisue appellandi ius denegat *hac l.* Conſtans Imp. quomodo & aliis criminum atrocisſimorum reis, manifeſtis probationibus conuictis confesſisue in commune appellare non licet: de quo iam ad *l. 1. ſupr.* In quibus & Adulterium, *h. l. & l. 1 ſupr. l. 1. ſupr. de pœnis*, quæ duæ *leges* inter ſe conſſandæ ſunt, & *l. 1. ſupr. de indulg. criminum*: & *l. 7. infr.* Atque vt huiusce criminis odium Conſtantinus M. non vna re & ſanctione profeſſus eſt, *d. l. 1. ſupr. de pœnis*: *l. 2. de indulg. crim. l. 1. 2. ſupr. ad leg. Iul. de adulteriis*: ita & nunc filius eius Conſtans: Conſtans, inquam, Catullinus enim, cui hæc *lex* inſcribitur, Vicarius Africæ fuit: quod diſcimus ex *l. 24. infr. de Decurionibus*: *l. 2. ſupr. de honor. codicillis*: quæ Africa Conſtanti in Imperii partitione ceſſerat: qua cauſa etiam ad eundem Catullinum *Sirmii* conſtitutus, Anno ſuperiore 338 dedit *legem 5. infr. de operib. publicis*.

Duo porro argumenta odii ſui quo Adulterium proſecutus eſt, edit *hac l.* Conſtans Imp. præter appellationis his interdictum. Primum eſt formulæ atrocitas, qua hoc crimen confodit: Nempe adulteros *ſacrilegos* (de qua voce v. & Baronium *A. 339. num. 20.*) *nuptiarum* vocat, quaſi ſacro ſanctisſimoque fœdere nuptiarum ſcilicet violato, quomodo *coniugalia ſacra* dicit quoque Valer. Maximus. Quod quidem de quibuscunque adulteris hic effertur: ita quoque *canone 98 ſextæ Synodi*, vbi Balſamon *pag. 276. Tom. I. Pandect. Can. Guil. Beuereg.* & *Capitular. libr. 1. c. vlt. cuiusdam ſacrilegii inſtar eſſe* dicitur apud fideles, ſi benedictio deſponſatæ violetur, altero in matrimonium accipiente alii deſponſatam. Et in commune Hieronymus, *ad Heliodorum de laudib. vitæ ſolit. pag. 2. Tom. I. Oper. Edit. Francof. apud Chriſt. Genſch.* Sacrilegium in libidine eſſe ait, cum quis membra Chriſti & hoſtiam viuam placentem Deo, cum publi-

carum

by Google

carum libidinum victimis, neſaria colluuione violat.

Secundum argumentum eſt *Pœna* atrocitas, quam Adulterio imponit *hac l.* Conſtans Imp. puta cullei & ignis: Cullei inquam, *tanquam manifeſtis parricidis*, quod idem addit. De cullei, ignisque pœna, quæ vtique omnium grauiſſimæ pœnæ ſunt, & vtraque quidem parricidio olim poſita, quod præter *hanc leg.* docet Paulus, *libr. V. ſent. t. 24.* vulgata iam ſunt omnia.

Illud tantum nunc videndum eſt, qua ratione Conſtans parricidarum pœnas Adulteris communes faciat & imponat. Ipſe equidem eam indicat verbis illis, *tanquam manifeſtis parricidis:* verum interpretatione res eget. Nempe ideo, quod ſpes & ſecuritas omnis parentelæ & cognationis hoc crimine enecetur: matrimoniumque, per quod omnis cognatio, paternitas, & parentela exiſtit, hoc crimine violetur; vt non debeat non eadem pœna lui originis & cognationis in ipſa ſpe enectæ, violatæ, crimen, qua partus inde promanantis cædes.

Porro generalia *huius l.* verba non patiuntur ſeſe reſtringi ad eos proprie qui plures ſimul vxores, vel etiam vnam alteri deſponſam temerata Sacramenti religione vxorem ducunt, quod ferme cenſebat P. Faber, *lib. 3. ſemeſtr. c. 21.* Etſi idem mox, ea non male, at contra germanam verbi vim iuſta interpretatione ad quoscunque adulteros produci ab interpretibus & Pragmaticis fateatur. Imo enim germana huius vocis, *ſacrilegorum*, ſignificatio omnes adulteros perſtringit; quomodo & alioquin hoc æuo *ſacrilegii*, & *ſacrilegorum* voce *huius Codicis conſtitutionibus* omnes illi indicantur, qui rem quamcunque ſacram violant, veluti Leges, iuſſaque Principum: de quo *in Gloſſario* plene.

Ad rem. Conſtans igitur Conſtantini M. filius adulterio pœnam mortis, & quidem atrociſſimam, hic imponit: ita tamen vt mortis pœnam iam antea impoſitam fuiſſe *initio l.* indicet. Quid Conſtantius pater in hanc partem ſanxit? Mortis pœnam adulterio ab ipſo primum poſitam, duo præterea ingerere videntur. Primum, quod Iuſtinianus *Nouella 134. c. 10.* Conſtantini conſtitutionem laudat de pœna ſanguinis adulterii: vbi tamen ſunt qui Iuſtinianum Conſtantino M. tribuere putant per errorem quod a filiis eius *hac l.* introductum fuerat: in quibus eſt & Cuiacius. Deinde quod ſub Conſtantini nomine *l. 30. §. 1. Cod. Iuſt. de adult.* quæ alioquin deſumpta eſt ex *l. 2. ſupr. ad l. Iul. de adulter.* hæc ſententia extet; *ſacrilegos autem nuptiarum gladio puniri oportet.* Verum neque hoc argumentum bonum eſt. Eſt enim ea ſententia Triboniani emblema ex *hac l.* pro parte ſumptum: neque enim in *l. 2. ſupr. de adulteriis*, vnde ea *lex 30.* deſumpta eſt, verba illa de pœna capitis exſtant. Sub Conſtantino certe, & a Conſtantino Adulterii crimen inter atrociſſima habitum, Homicidioque & Veneficio æquatum, inter Imperii eius ſtatim initia A. D. 314. &c. clare oſtendit eius *lex 1. hoc tit. lex 1. ſupr. de pœnis: l. 1. ſupr. de indulg. criminum:* Nulla tamen, ſpecialis eam in rem Conſtantini conſtitutio exſtat, vnde efficiatur, eum primum pœnam ſanguinis adulterio inflixiſſe. Imo etſi Auguſtinus diſerte ſcribat, 3. *de ciuit. Dei c. 5.* quod Romani antiqui adulteras fœminas, quamuis aliqua damnatione, nulla tamen morte plectebant, attamen ante Conſtantinum quandoque capitalem pœnam Adulterio poſitam fuiſſe, multis exemplis firmatur: veluti ſub Diuis Fratribus Apulei teſtimonio *libr. 9. pag. 177. Edit. Lugd. Bat. apud Ioan. Maire. 1623. in 12. Ac ne iuris quidem ſeueritate* (inquit) *Lege de adulteriis ad diſcrimen vocabo capitis.* Alexandri Imp. *l. 9. Cod. Iuſt. de adulter.* Sed vetuſtiora illa tempora omittamus, & inter alia Auguſtum quoque, qui ſuas *leges* egrediens adulteros aliquos morte puniuit, vt ex Tacito diſcimus *3. Annal c. 24.* vt Opilium Macrinum, de quo v. *Capitolinum c. 12.* Ad Conſtantino propiora accedamus. Sub Diocletiano certe, Maximiano, Conſtantio, Maximino ſolemnis *lex* eſt, *18. Cod. Iuſt. de tranſact. Tranſigere vel paciſci de crimine capitali, excepto adulterio, prohibitum non eſt: in aliis autem publicis criminibus, quæ ſanguinis pœnam non ingerunt, tranſigere non licet,* e. 197. *citra falſi accuſationem.* Et Arnobius *lib. 4. aduerſ. gentes pag. 142. Edit. Lugd. B. 1651. in 4. apud Ioan. Maire. Homines*, inquit, *adulteria legibus vindicant, & capitalibus afficiunt eos pœnis, quos in aliena comprehenderint fœdera genialis ſe lectuli expugnatione ieciſſe.* Nam quod dicitur *§. 4 Inſt. de publ. iudic.* Legem Iuliam *de adulteriis*, temeratores alienarum nuptiarum gladio punire: id apertum Triboniani facinus eſt: conteſtatiſſimum enim eſt, ex *lege Iulia, arg. l. 18. D de teſtib. l. 20. §. 6. D. qui teſtam. l. 29. §. 1. D. ad leg. Iul. de adulter.* & *l. 17. Cod. Iuſt. eod. tit. l. 37. §. 1. D. de minorib.* & Iurisprudentia *Digeſtorum*, adulterii pœnam capitis non fuiſſe, ſed relegationis, vel ad ſummum deportationis: cui rei argumentum præſtant præter alia Auctorum loca; quæ aliorum diligentia ſublegit, *l 5. D. de quaſtion. lex 8. D de diuortiis: l. 11. in pr. D. de adulter. l. 4. §. 7. D. de re militari.* Paulus *II. ſent. 26. §. 14. lex 13. de his quæ vt indignis: l. 14. D. de teſtib. l. 2. §. 3. D. de his qui not. infam.* Quinimo ex *l. 17. 20. 26. Cod Iuſt. de adulter.* diſcere licet, neque ſub Valeriano & Gallieno, neque ſub Diocletiano ſemper adulterium capitale fuiſſe. Et ſane apud Cuiacium *Obſeruat. VI. 11.* Græci ad *l. 18. Cod. I. de tranſaction.* definiunt exerte, κατὰ τοὺς παλαιοὺς νόμους, καὶ τὰς ἐν τῷ Ἑρμογενιανῷ, καὶ Γρηγοριανῷ διατάξεις, adulterium capitale non fuiſſe. Quid igitur fiet Apuleii & Arnobii *locis*, & *legi 18. Cod. I. de tranſact.* & *leg. 9. Cod. eod. ad leg. Iul. de adulter.* Quid? Nempe Apuleius & Arnobius, & Alex. Seu. *d. l. 9. Cod. I.* capitis diſcrimen, & capitales pœnas, non pro *ſanguinis pœna* accepere; verum pro amiſſione ciuitatis, deportatione, metalli coërcitione; imo & Apuleius pro exiſtimationis damno. Nam & eo ſenſu *capitalis* pœna accipitur: Modeſtinus Iurisconſultus, qui inter Apuleii & Arnobii ſæculum medius vixit, in *l. 103 de V. S. licet*, inquit, *capitalis Latine loquentibus omnis cauſa exiſtimationis videatur, tamen appellatio capitalis mortis vel amiſſionis ciuitatis intelligenda eſt:* & certum eſt capitalium pœnarum numero fuiſſe metalli coërcitionem, in Inſulam deportationem, *l. 28. D. de pœnis.* Quare dicendum, ante Conſtantium *capitalem* quidem fuiſſe pœnam: ſed ad deportationis pœnam ferme proceſſum: & quidem ſub Alex. Seuero, & Dio-

cletiano: quibus & caſtitas temporum ſuorum & coniugiorum pudor cordi fuit, multasque iuris veteris præſcriptiones & præſtigias, quibus hæc accuſatio eludebatur, ſuſtulerunt, vt ipſimet teſtantur *d. l. 9. Cod. I. ad leg. I. de adulter. l. 28. Cod. eod. de adulter.* Supereſt *lex 18 Cod. I. de transaction.* quæ ſanguinis pœnam ſub Diocletiano adulterio poſitam ſignificare videtur. Verum dicendum, verba illa *quæ ſanguinis pœnam non ingerunt*, a Triboniano addita: Nam Diocletianus & Maximianus hactenus diſtinxerant inter capitalia crimina, quæ ſcilicet caput ſiue naturale ſiue ciuile adimerent, & inter alia publica crimina non capitalia. At Tribonianus capitalia illa tantum *ea l.* dici voluit, quæ ſanguinis pœnam inferrent; inde igitur factum iam, vt priora illa, *excepto adulterio*, ad Diocletiani ætatem expenſa, non recte opponantur illis, *quæ ſanguinis pœnam non ingerunt*. Ergo initio cum adulterii nullo ſenſu *capitalis* pœna foret, poſtea ſuo quodam ſenſu capitalis facta, hactenus nempe, vt deportationis pœna ei imponeretur, & ſic capitalis pœna ciuili intellectu: At Conſtantinus tandem naturali intellectu capitalem fecit, *ſanguinis* pœna ei impoſita: cuius odium in adulteros iam antea oſtendimus. Et certe Chriſtianæ Religioni, qua is Imperatorum primus imbutus eſt, id omnino congruit: Et perſuadent *leges* illæ Conſtantini, quas dixi, biennio poſt Chriſtianam Religionem ſuſceptam ab eo latæ: quas forte alia ſpecialis præceſſerit: Quare bis omnibus expenſis, Iuſtiniano fidem habemus, qui Conſtantinum eius rei auctorem primum facit.

Quod pœnæ ipſius atrocitatem attinet, magna profecto ea, cum cullei & ignis pœna *h. l.* imponatur. Certe & antea Opilius Macrinus Adulterii reos viuos ſimul incendit iunctis corporibus, teſte *Capitolino in vit. c. 12.* Et Conſtantinus ipſe viuicomburii pœnam ſeruo, qui rem cum domina habuiſſet, impoſuit *ſup. de mulieribus quæ ſe prop. ſeru.* At enim neque hæc pœna poſtea manſit: nam & ſub Valentiniano Cethegus Senator adulterii reus delatus ceruice periit abſciſſa vt teſtatur Am. Marcellinus *l. 28. c. 1.* qui idem ſcribit eadem pœna fœminas aliquot itidem ob idem crimen affectas tum temporis. Et ſub Maioriano relegationis tantum, vel ad ſummum deportationis pœna cum bonorum confiſcatione, inreque cædendi eius ſi rediret, pœna ſtatuta: vid. *Nouellam eius 9.* Poſteriora nos *hic* non memorabimus.

V. (a) Idem AA. ad Albinum Vic. Hiſpaniarum. (b)

CVM maior ſubſtantia (c) litigii ſit, a *Præiudicio* prouocans triginta librarum argenti pondere plectatur: in minoribus etiam negotiis, quindecim pondo argenti exſoluat. Dat. VII. Id. April. Marcellino & Probino Coss. [341.]

NOTAE.

(a) Iungenda *huic* eſt *lex* 20. *Cod. Iuſt. de appellat.* vel certe prior eius *verſiculus ex hac lege* a Triboniano pro ingenio ſuo deformatus eſt. GOTHOFR.

(b) Albinus Vicarius Hiſpaniarum ſub Conſtante Imp. A. D. 341. *ID.*

(c) *Subſtantiam* litigii vocat æſtimationum ſeu meritum, vt ſubſtantia litigii dicitur pariter *l. 11. ſup. de appellat.* ſubſtantia iuris, *l. 3. in f. ſup. de petition.* appellationis ſubſtantia, *l. 21. ſup. de appellat.* de quo plura vide in *Gloſſario. ID.*

COMMENTARIVS.

P. 198 A PRÆIVDICIO appellantis pœna pro modo litis *hac lege* præſtituitur a Conſtante Imp. Pro modo inquam litis ſeu vt *ipſa l.* dicitur, pro *ſubſtantia litigii:* vbi prout ſcilicet maius eſt vel minus negotium (nam & in maioribus & minoribus negotiis appellandi facultas eſt, quod ex hac lege Tribonianus recte colligit, & in *legem 20. Cod. Iuſt. de appellation.* tranſtulit) Nempe triginta librarum argenti multa in maiore negotio a Præiudicio appellanti imponitur: in minore, quindecim: Cum antea diſtincte XXX. follium pœna ſeu multa impoſita fuiſſet Conſtantini M. conſtitutionibus: Quo etiam argumento XXX. folles ibi accipiat quis pro XXX. libris: Et ſic *follem*, pro libra argenti: Quomodo etiam ex *hac lege* liquet *libram*, & *pondo*, idem eſſe. De vetita porro appellatione a præiudicio ſunt præterea *lex 1 2 3. ſupr. l. 11. 15. 16. 18. 30. infr. & l. 2. 25. 40 54 ſupr. de appellationib.* v. quæ notaui ad *dict. l. 2. ſupr.*

VI. (a) Idem AA. ad Leontium. (b)

IN ciuilibus cauſis appellationis beneficium ſæpe ſanximus (c), non oportere differri. In *Fiſcalibus* vero, vel *Rei priuatæ cauſis*, hoc eſt, ob debitum renuendum, vel munera reſpuenda, ſi quis appellare voluerit contra vtilitatem fiſci vel rei priuatæ, appellationem oblatam ceſſare oportet: nec libellos (d) huiusmodi ſuſcipi, qui, in damna fiſcalia, commodum ſententiæ laræ aut dilatione ſuſpendant, aut terrore (e) detorqueant. Dat. V Id. Maii, Antiochiæ (f), Conſtantio III. & Conſtante III. (g) AA. Coss. [342.]

NOTAE.

NOTAE.

(a) Hanc *legem* ipſe Conſtantius indicare videtur *lege 6. ſup. de iure fiſci.* **GOTHOFR.**

(b) PP. Vide Anno prox ſeq *legem 5. ſup. de falſa moneta:* & *l. 35. inf. de Decurion.* & anno abhinc altero, quo & Conſul fuit, *leg 3 infr. de excuſat. artificum:* & *l. 2. ſup. de Salgamo hoſpitibus non præbendo.* *ID.*

(c) Pura *lege 20. ſup. de appellat* omnib. inter alias. *ID.*

(d) De his libellis appellationis vide *lege 2. 4 7. 22. 56. ſup. de appellat.* *ID.*

(e) Iniecto iudicibus, & quidem terrore appellationis, de quo vide *leg. 55. ſup de appellat.* *ID.*

(f) Vide Socratem *lib. 2. cap 10.* & 13. Ibidem data hoc ipſo Anno *lex 33. & 34. inf. de decurionib.* *ID.*

(g) *γρ.* II. Vide *Conſularia.* *ID.*

COMMENTARIVS.

FISCALIBVS in cauſis, itemque *Rei priuatæ* appellationes ſuſcipi vetat *hac l.* Conſtantius, pariter vt idem vetat *l. 8. 9. 10. 12. 13. inf. hoc tit.* & *l. 6 ſup. de iure fiſci:* quam hæc iudicare videtur: vt & Valentinianus Sen. *l. 18 19. 21. hoc tit.* Theodoſius M. *l. 27. infr. h. t.* Valentinianus Iun. *l. 30. infr.* Honorius *l. 32. h. t.* Aliter, atque aliquando Conſtantinus M. *l 8. 14. 18. ſupr. de appellationib.* Conſtantius & Conſtans *l. 21. 28. ſupr. de appellat.* Theodoſius M. ipſe & Valentinianus Iun. *l. 39. 41. 45. 46 49. ſup de appellat.* Honorius, *l. 64. ſupr. de appellationib.* Valentinianus Tertius *l. vlt.* Quinimo & Conſtantius ipſe poſt *hanc l.* A. D. 356. in quibusdam rei priuatæ fiſcique cauſis appellationes admiſit, puta ſi de bonis vacantibus, caducis, vel ereptitiis ageretur, *l. 26. ſupr. de appellationib.* quæ *lex* coniungenda eſt cum *d. l. 12 h. t.* De vtriusque ratione dico ad *l. 8. 12. b. t.* & *d. l. 26.* Hæc porro *lex*, vna cum aliis concordantibus, ſunt proprie de *Debitore fiſci*, deque vocato ad *Munera publica.* Quid vero interſit inter *cauſas fiſcales*, & *rei priuatæ*, docuit *lib. 10.* & 11.

VII. (a) Idem AA. ad Hieroclem (b) Conſ. Syriæ Cœles. (c)

OBSERVARE curabis, ne quis *Homicidarum*, *Veneficorum*, *Maleficorum*, *Adulterorum*, itemque *Raptorum* (d), argumento (e) conuictus, teſte ſuperatus, voce etiam propria vitium ſceluſque confeſſus, audiatur appellans: Vt * enim æquum eſt, non conuictos, neque confeſſos (quia plerumque accidit, vt fortuna (f) Iudicii argumenta conglutinet (g), quorum ſimilitudine (h) opprimatur reus, qui non poſſit vera ratione conuinci: vel (i) aduerſarii calliditas teſtes ſubtrahat, qui (k) veritatem audacia vel acrimonia ſuperet) vel confeſſos, neque conuictos (l), (quod (m) ſæpe vel repentinæ formidinis, vel inpoſitorum tormentorum cogit immanitas) vt (n) in appellando ceteris etiam reis iure communi, ita & aliena & propria voce depreſſum non oportet, quod contempſerint (o) æquitatem, ac (p) moram tantum vſurpandæ lucis (q) indebitæ, rurſus inportunitates (r) arripere. Dat. V. Id. Decemb. Leontio & Salluſtio Coss. [344.]

P. 199.

NOTAE.

(a) *Lex 2. Cod. Iuſt quorum appellat. non recipiuntur*, hinc interpolata valde eſt. Et concordat huic, *lex 1. ſupr.* **GOTHOFR.**

(b) *Hierocles* Conſularis Syriæcœles ſub Conſtantio. Eidem inſcribitur quadriennio poſt *lex 6. ſup. de iure fiſci*, quæ & ipſa eſt de appellationibus non recipiendis, & quidem in cauſis fiſcalibus, quaque *lex l. ſuper. 6.* indicari videtur. *ID.*

(c) *Syria Cœle*, prima Syria eſt, cuius metropolis, Antiochia. Eunapius *in vit. Liban. ab init. pag. 166. Edit. Commelin.* Ἀντιόχεια ἡ τῆς Κοίλης καλουμένης Συρίας πρώτη πόλεων. *Antiochia Syriæ, quam cauam nominant, primaria vrbs.* Euſtathius ad Dionyſii *orbis deſcriptionem v. 918. pag. 163. Edit. Oxon 1710* Ἄντη (Ἀντιόχεια) ἡ τῆς Κοίλης Συρίας προκαθημένη. *Hæc (Antiochia) cauæ Syriæ primaria ciuitas eſt* Et perperam in *Indice* Schonhouii *p. 83. Edit. Cellar. ad calcem Feſti: Syria Ciliciæ in qua eſt Antiochia*, vbi Berterius recte ſubſtituit *Syria-Cœle.* Cæterum & *lex* proxime *ſeq.* triennio poſt data, *Theodoro Conſulari Syriæ Cœles* inſcribitur. *ID.*

(d) Pro his, *itemque Raptorum*, ſuppoſuit Tribonianus iſta, quæ etiam generalius ſonant, & quidem ex *l. 14. inf. hoc tit.* *Itemque eorum qui manifeſtam violentiam commiſerunt.* *ID.*

(e) *Argumentis*, ita *Cod. Iuſt.* vt mox *teſtibus* *ID.*

* Reliqua quæ ſequuntur, prorſus a Triboniano immutata ſunt. *ID.*

(f) *Fortuna Iudicii*, id eſt conditio iudicii. *Fortunæ* vox hac in re propria, vid. *Gloſſarium.* *ID.*

(g) *Conglutinari argumenta* dicuntur, cum ex pluribus indiciis, coniecturis, præſumptionibus inter ſe coniunctis argumentum aliquod deducitur ſeu probatio conficitur. *ID.*

(h) *Similitudinem* hic vocat, vel *veriſimilitudinem*, cui mox *vera ratio* opponitur, vel *ſimilitudinem* vocat conuenientiam, correſpondentiam & harmoniam argumentorum inter ſe conglutinatorum. *ID.*

(i) In

(i) In huius *verſiculi* ſenſum mox inquiram. *ID.*

(k) *Qui*, vel *quo*. *ID.*

(l) Simul. *ID.*

(m) Et de hoc mox dicam plura. *ID.*

(n) *γρ. Vti iu appellando.* Nam cohærent hæc illis, *Vt enim æquum eſt.* *ID.*

(o) *Contempſerit.* *ID.*

(p) *γρ. Ad.* *ID.*

(q) Ita *lege 4. ſup. nec fruſtra vitam differentum moratorias prouocationes admittere.* *ID.*

(r) *Importunitates* vocat, importunam, inanem & fruſtratoriam non tam appellationem, quam ludificationem, vt vocatur *l. 1. ſup.* quæ huic concordat.

COMMENTARIVS.

CRIMINVM reis legitime *conuictis* & *confeſſis*, vt appellandi facultas a Conſtantio *hac l.* negatur; ita non conuictis neque confeſsis: rurſum non conuictis conceditur.

Hæc *huiuſce legis* eſt ſententia, (cui alioquin concordat *ſupr. lex 1. h. tit.*) & iuris, & proceſſus criminalis, & elegantiarum, quæ Tribonianus omnia ferme ſuſtulit, pleniſſimæ; in quæ ſingula nunc inquirendum eſt.

Primo quadrigæ criminum, quæ iam *lege 1. ſupr.* facta fuerat, quintum inſuper crimen *hac l.* iungi obſeruandum eſt; puta *Raptorum*. Qua voce proprie Raptus crimen Adulterio finitimum (de quo fuerunt *duo Tituli libr. IX.*) intelligendum mihi videtur: etſi ſint qui de omni Rapina quoque accipiant, atque adeo omni violentia, quod ſuadeat *lex 1. ſupr. ad l. Iul. de vi:* & *lex 14. infr. hoc tit.* (Vnde etiam Tribonianus translatam ſententiam *huius legis* verbis prætulit.)

Secundo, obſeruandi ſunt *tres* hi gradus reorum; conuictorum & confeſſorum; conuictorum neque confeſſorum; tandem confeſſorum; non conuictorum: de quibus ſigillatim.

Primum igitur *conuictis & confeſſis* appellatio denegatur; conuictis inquam, argumentis & teſtibus, vel (vt loquitur *d. lex 1 ſupr.*) dilucida & exploratiſſima veritatis quæſtione, probationibus atque argumentis. Vbi quæri poteſt, vtrum cumulatiue & copulatiue hæc accipienda ſint, vt videlicet non tantum conuictus reus fuerit; verum etiam voce propria confeſſus, vt appellari non poſſit. Sane duo ſuadent copulatiue hæc accipienda eſſe, vt videlicet non conuictum eſſe niſi ſimul confeſſus ſit: Primum, quia vice verſa non ſufficit confeſſum eſſe reum, niſi ſimul conuincatur, *verſ. vel confeſſos, neque conuictos:* Secundo, quia coniunctiuis particulis hæc duo, & quidem duobus locis *hac lege* coniunguntur; Ibi, *voce etiam propria:* item ibi, *& aliena & propria voce depreſſum.* Quanquam Conſtantini *lege 1. ſup.* particula disiunctiua a ſe diuelli videntur; Ibi; *confeſſio propria*, VEL *dilucida & probatiſſima veritatis quæſtio:* ſicquoque Amm. Marcellinus *libr. 14 cap. 9.* de Euſebio. *Et tandem neque confeſſus neque confutatus cum abiecto conſorte pœnali eſt morte multatus*, ſic etiam Honorius *l. 31. infr. de Epiſcopis, capitali in conuictos ſiue confeſſos reos ſententia nouerit vindicandum.* Vt proinde videri poſſit Conſtantius *dictam leg. 1.* retractare: cuius etiam mentem plenius ſecutus eſt Iuſtinianus *ea lege*, quam hinc alioquin interpolauit, poſthabita *d. l. 1. ſupr. h. tit.* Maneat igitur, vt reo criminis, appellandi ius denegetur, & conuictum & confeſſum eum ſimul oportere. Quod indubitatum adhuc magis erit, ſi (quod Petro Pithœo in mentem venit) in ſequente ſententia abundare credamus vocem *non*; atque ita legamus, *Vt enim æquum eſt, conuictos, neque confeſſos* &c. quod tamen non admitto. Atenim ſi de reo damnando quæritur, manifeſtiſſimis eum probationibus conuictum ſufficit: quod diſerte docet *lex 1 ſupr. de pœnis:* ſeu *lex 16. Cod. Iuſt. eod. tit.* Ibi, *aut ſua confeſſione, aut certe omnium, qui tormentis vel interrogationibus fuerint dediti, in vnum conſpirantem concordantemque rei finem conuictus ſit.* Denique facilius quis damnari poteſt, ſi appellationis auxilium ei adhuc ſupereſſe poſſit: at vt id auxilium ei eripiatur, maiore opus eſt cautione: Quanquam & ſi de damnatione quæritur, Tertulliani dictum eſt *ad Nationes lib. 1. cap. 3. Confeſſionem iudicantibus ſemper eſſe laborandam*, id eſt, Iudicem id agere, quantum poteſt, debere, vt quamlibet reus manifeſtis probationibus vrgeatur & conuictus ſit; ſuum tamen ipſe crimen ore proprio fateatur: de quo vide Guilielmum de Benedictis *in cap. Raynutius, in verbo, mortuus. num. 349. de teſtamentis:* & Maſuerium *in praxi, tit. de probationibus §. idem vt delatus.*

Secundus caſus eſt, de reis neque confeſsis, quibus appellatio patet; quod apertum habet ſenſum. In illo tantum inquirendum, quibus Conſtantius exponit, quomodo euenire ſoleat, vt quis non legitime conuincatur, ſeu non manifeſtiſſimis probationibus: Primo id accidere plerumque ait, quia (vt elegantiſſime loquitur) *fortuna iudicii argumenta conglutinet, quorum ſimilitudine opprimatur reus, qui non poſſit vera ratione conuinci:* p. 300.
Quibus verbis indicat probationes ἐντέχνους, id eſt, probationes artificiales, cuiusmodi ſunt ſigna, argumenta, exempla, quæ etſi ſola & per ſe non ſufficiunt, tamen adiuncta cæteris plurimum valent, vt loquitur etiam Quintilianus, (qui de his probationibus artificialibus *quinque capitibus lib. V.* prolixe agit.) Atque hoc eſt quod eleganter hic *conglutinandi*, & *ſimilitudinis* verbo ſignificatur; quibus & *vera ratio* opponitur, quæ per probationes, ἀτέχνους atque in oculos ſe ingerentes perficitur, puta tabulis, teſtibus, tormentis, id genus aliis, de quibus itidem Quintilianus *eod. lib.* Altera cauſa, ex qua quis non legitime conuictus dici poſſit, his verbis deſignatur, *quia aduerſarii calliditas teſtes ſubtrahat, qui veritatem audacia vel acrimonia ſuperet*, vbi reponat quis *ſuperent:* vt hæc ſententia videatur, calliditate & dolo aduerſarii, vel etiam potentatu teſtes iudicio ſubtrahi, ne videlicet teſtimonio ſuo alienam cauſam & innocentiam iuuent, qui vtique ſi in iudicio ſtarent, veritatem omni gratiæ præla-

prælaturi eſſeot, ingenita acrimonia & audacia atque generoſitate: Nempe *acrimonia* fuerit vt teſtis, ita & viri boni, qui veritatis ſtudio incenſus ab eius orbita nunquam recedat: nam & veritati ipſi, vt acritas, ita acrimonia tribui ſolet τὸ ἀληθὲς πικρόν. Denique Stoicorum ſcitum fuit, Sapientem, atque adeo virum bonum, acrimonia atque auſteritate cenſeri. Verum hæc ioterpretatio, non placet, ſtantibus *huius l.* verbis. Quid igitur? verba illa, *qui veritatem audacia vel acrimonia ſuperet*, ad ipſiuſmet adoerſarium referenda ſunt: Et quidem ad accuſatorem referri poſſe videantur, hoc ſenſu, accuſatorem id omnibus artibus ſæpe agere, ne teſtes cauſam poſſint iuuare, vt ita deſtitutum teſtibus ad innocentiam ſuam probandam reum, & ſic veritatem ipſam, ſuperare queat & opprimere, ſola audacia & acrimonia fretus, omni opere aduerſarium perditum cupiens. Verum malim ipſe accipere de ipſomet reo, qui teſtes callide ſubtrahat iudicio, vt ita audacia ſua & acrimonia ſuperet veritatem, atque ita non plene conuinci poſſit. *Acrimonia* eſt animi viuacitas δεινότης, vehementia & ſubtilitas, quæ ſæpe etiam in vitio. Apud Nonium *cap. 2. num. 36.* Nænius, *feri ingenii atque animi acrem acrimoniam*, & Accius Neoptolemo, *vim, feraciam, animum, atrocitatem, iram, acrimoniam*. Et ſic confidentiæ vicina, quomodo Q. Claudii primo Annal. apud Gell. *l. 17. c. 2.*

Poſtremus caſus eſt *de confeſſis quidem ſed non conuictis*: nempe & his condemnatis appellationis auxilium ſupereſſe: & rationem geminam reddit.

Primum, quod ad confeſſionem temerariam ſæpe cogit repentina formido: Nempe ita plerique timidi, vt vel *vltro*, fateantur quiduis, neſcio qua Iudicum & iudiciorum formidine metuque *hac l.* & *l. 1. §. 27. D. de quæſtion.* Et hæc eſt repentina formido. Secundo, quia immanitate tormentorum impoſitorum multi ſæpe ad quiduis fatendum coguntur, quo pertinet *lex 1. § 23. D. de quæſtionibus*: & *caput* Quintiliani 4. *lib. 5. inſtit.* præter Ciceronis loca, & exempla apud Valerium: impatientia videlicet tormentorum & doloris. Atque his cauſis etiam confeſſis haud illico fides habenda, neque confeſſiones reorum pro exploratis facinoribus haberi oportet, ſi nulla probatio religionem cognoſcentis inſtruat, *d. l. 1. § 17. & 27. D. de quæſtionibus*. Denique confeſſio veritatem & conſtantiam requirit; quam in rem præterea videnda *lex 1. § 24. D. de SC. Syllaniano*, & inter Pragmaticos Clarus *lib. 5. ſentent. §. fin. quæſt. 55. ac nominatim num. 10. 11.* ſed & in hanc ſententiam aliquam multa Tertullianus *lib. 1. ad Nationes, cap. 2. & cap. vltim.*

Ex *huius* interim *leg.* præiudicio, iam liquebit deinceps, recte DD. communi conſenſu teſte Bartolo appellationi locum facere, etſi reus ſponte ſeu vltro extra torturam confeſſus fuerit; quam in rem hic *textus* eſt expreſſiſſimus a nullo dum obſeruatus. Neque quicquam contra mouet *caput, cum ſpeciali 61. §. porro X. de appellat.* quia falſum ibi ſupponitur, confeſſum non niſi malitioſe ſuam confeſſionem retractare; nam (quod & nonnulli e diſſentientibus etiam admittunt) & erronea confeſſio eſſe poteſt, &, quod *hac l.* nominatim traditur, formidine repentina, vel impoſitorum tormentorum immanitate extorta. Proinde falſa eorundem diſtinctio eſt, vt ſatisfaciant *legi 2. C. Iuſt. quorum appellat.* (quæ ex *hac* alioquin interpolata eſt) ſi probatio incipiat a confeſſione, appellari non poſſe: ſi a conuictione, poſſe. Quare modis omnibus vera eſt ſententia Marantæ *tract. de appellat.*

VIII. (a) Idem AA. Theodoro (b) Conſ. Syriæ Cœles. (c)

IN *Fiſcalibus debitis* (d) nullius prouocationem Tua Grauitas cenſeat (e) admittendam: nec enim commodum (f) publicum fas eſt diuturna fruſtratione (g) ſuſpendi, nec eludendi licentiam callidis fraudatoribus relaxari. Dat. VIII. (h) Id. Mart. Ancyræ, Euſebio & Rufino Coss. [347.]

Interpretatio. *In manifeſtis fiſcalibus debitis nulli penitus appellationem debere præſtari: quia non oportet publicæ rei commodum qualibet dilatione ſuſpendi.*

NOTAE.

(a) Hanc *legem* indicare etiam videtur *l. 6 ſupr. de iure fiſci.* GOTHOFR.

(b) *Theodorus* conſularis Syriæ Cœles ſub Conſtantio, A. 347. v. *Proſopogr.* ID.

(c) Dixi ad *legem ſuperiorem.* ID.

(d) *Manifeſtis*, quod ab Aniano non male additum: Ita mox *l. ſeq. perſpicui debitores*, & *l. 18. l. 19. infr. publici, vel etiam priuati, dummodo euidentis atque conuicti debiti*: & *l. 21. 27. 32. infr.* ID.

(e) Id eſt, opinetur eſſe admittendam. ID. *Sentiat*, MS. G. RITTER.

(f) Ita *l. 12. infr.* publica vtilitate ſuadente. GOTHOFR.

(g) Vid. *l. 2. 3. ſupr. l. 9. 10. infr.* ID.

(h) *IV.* MS. G. *VIIII.* Sichard. RITT.

COMMENTARIVS

P. 301.

FIſcalia ivs in cauſis appellationem ſuſcipi vetat Conſtantius; de quo iam *l. 6 ſupr.* vbi & concordantes *ll.* vide. Ratio tantum hic quæ additur, notanda venit.

IX. (a) Idem AA. (b) ad Cerealem P.V. (c)

CALLIDITATIS (d) auxilio, perſpicui (e) debitores *Rei privatæ noſtræ*, ſolutionem cupiunt euitare, fruſtratoriis prouocationibus interpoſitis, (f) ideoque decreuimus minime conuenire huiuſcemodi vocem (g) appellationis admitti. Dat. X. (h) Kal. Aug. Conſtantio A. VI. & Conſtante Cæſ. (i) Coss. [353.]

NOTAE.

(a) Abeſt & hæc *lex* a *Cod. Iuſt.* GOTHOFR.

(b) Non iidem; ſed *Conſtantius A. & Conſtantius C.* id eſt Gallus: v. *Chronol.* ID.

(c) De hoc *Cereali*, Præfecto Vrbis Romæ, dicam plene ad *leg.* 5. *infr. de paganis*: quæ eidem inſcripta eſt, pariter vt *lex* 2. *ſupr. de indulgentiis criminum*, & ſic tres in vniuerſum conſtitutiones *hoc Codice* ei inſcribuntur. De eodem v. *Notitiam Præfectorum Vrb.* & Symmachum *lib* 10. *ep* 53. ID.

(d) In eadem re pariter *lege* 8. *ſupr.* callidis fraudatoribus: *l.* 32. *infr.* callidis debitorum artibus. ID.

(e) Similes locutiones vide in *lege* 1. & 3. & 8. *ſupr.* & *l.* 10. *infr.* ID.

(f) Vide quæ notaui ad *l.* 8. *ſupr. V.* & *l.* 16. *infr.* 21. 27. 30. ID.

(g) *Vox appellationis*: de quo dixi *leg. de appellat.* 40. & 58. ID.

(h) Eodem die data *lex* 41. *infr. de decurion.* ſed quæ ad huius argumentum nihil facit, & *Ordini Carthaginenſium* inſcribitur. ID.

(i) *II.* ſcilicet. ID.

COMMENTARIVS.

REI PRIVATÆ in cauſis debitores perſpicuos appellare non poſſe definit Conſtantius *h. l.* & *l.* 6. *ſup.* & *l.* 32. *infr.* de quo ad *d. l.* 6. ſemel plene.

X. (a) Idem AA. (b) ad Proclianum Proconſ. Afric.

PLACVIT, quinquaginta pondo argenti fiſco inferre Prudentiam Tuam, ſi fruſtratoriam (c) prouocationem contra commodum *Fiſci* ſuſceperis, ſolutionemque vitanti præbueris culpabilem conhibentiam. (d) Dat. XV. Kalend. Febr. Conſtantinop. (e) Acc. X. Kal. Aug. Karthag. Conſtantio A. VII. & Conſtante (f) Cæſ. Coss. [354.]

NOTAE.

(a) Forte hanc *leg.* ſuam indicat Conſtantius *l.* 13. *infr.* GOTHOFR.

(b) Quos *legi* ſuperiori reſtituendos dixi ID.

(c) Similes locutiones v. *l.* 1. 3. 8. 9. *ſupr.* ID.

(d) *Conniuentiam.* ID.

(e) Irreptitia vox: erat enim hoc tempore Conſtantius in Gallia. v. Ammianum Marcell. *lib.* 14. *c.* 10. Themiſtium *orat.* 13. *p.* 300. *edit. Petau.* 1613. *in* 8. ID.

(f) *III.* Scil. ID.

COMMENTARIVS.

FISCALIBVS in cauſis appellari rurſum vetat Conſtantius: de quo iam ad *l.* 6. 8 9. *ſupr.* Iudici, & quidem in ſp. *huius l.* appellationem admittenti, Proconſuli Africæ, multa 50. librarum argenti impoſita.

XI. (a) Idem AA. (b) ad Lollianum (c) PF.P.

AB *Exſecutione* vel a *Præiudicio* appellationem oblatam ſuſcipi non oportet. Dat. VIII. Kal. Aug. (d) Arbitione & Lolliano Coss. [355.]

NOTAE.

(a) Iungenda *huic l.* eſt *lex* 25. *ſupr. de appellationib.* Imo *hæc* ex *illa* ab *huius Codicis* Conditoribus deformata mihi videtur. GOTHOFR.

(b) γρ. *Imp. Conſtantius*: hic enim ſolus hoc anno imperavit. RITTER.

(c) *Lollianus* PP. ſub Conſtantio: v. dicta ad *d. l.* 25. & *Proſopogr.* GOTHOFR.

(d) *Meſſadenſi PP. Capito*: ita amplius *d. l.* 25. *infr.* vbi v. quæ dixi. ID.

COMMEN-

P. 302. COMMENTARIVS.

AB EXECVTIONE vel a PRÆIVDICIO appellari vetat *hac conſtitut.* Conſtantius, quæ plenior extat, *l. 25. ſupr. de appellat.* ex qua *hac a* Theodoſiani Codicis Conditoribus formata eſt, vbi notata hucarceſſi poſſunt. De ipſa *huius l.* ſententia iam dictum ad *l. 1. 2.* & *3. ſupr. hoc tit.* & ad *d. l. 25.*

XII. (a) Idem AA. (b) ad Voluſianum PF. P. (c)

PVBLICA vtilitate (d) ſuadente, in cauſis penſitationum, debitorumque *Fiſcalium* (e) inhibitum eſt prouocationis auxilium, &c. Dat. IV. Kal. Aug. Arbitione & Lolliano Coss. [355.].

NOTAE.

(a) Iungenda *huic l.* eſt *lex 16. ſupr. de appellationib.* GOTHOFR.

(b) *γρ. Idem A. vid. Chronolog.* RITTER.

(c) *Voluſianus PP.* ſub Conſtantio. v. *Proſopogr.* GOTHOFR.

(d) Vid. & *l. 8 ſupr.* ibi, commodum publicum *ID.*

(e) Id eſt, tributorum. *ID.*

COMMENTARIVS.

FISCALIBVS & TRIBVTORVM in cauſis rurſum appellatio interdicitur a Conſtantio: de quo iam quoque *l. 6 8. 10. ſupr.* Et de diſcrimine fiſcalium & tributorum v. quæ dicam *l. 19.* Alia vero ratio eſt bonorum vacantium, cadocorum & ereptitiorum: in his quippe appellationi locu n eſſe voluit Conſtantius *l. 26. ſupr. de appell* quæ *huic* iungenda eſt: & ad quam dicta huc arceſſi poſſunt.

XIII. (a) Idem AA. (b) ad Probum (c) Proconſ. Afric.

CVM conſtet, iamdudum eſſe noſtra ſanctione † præceptum, ne aliquis eum *Fiſcale* debitum poſtulatur, audeat prouocare Proconſulare Officium, ſi patientiam commodauerit, triginta pondo auri fiſco cogatur inferre. Dat. IX Kal. Iul. Sirmio, Datiano & Cereale Coss. [358.]

NOTAE.

(a) Abeſt hæc *lex* quoque *a Cod. Iuſt.* GOTHOFR.

(b) *γρ. Imp. Conſtantius & Iulianus C.* RITTER.

(c) *Probus* Proconſul Africæ ſub Conſtancio v. *Proſopogr.* & vet. Inſcript. *CCCCL n 2 3.* GOTHOFR.

† Intelligere videtur *legem* 10. *ſupr.* qua & ipſa Proconſuli Africæ inſcribitur. *ID.*

COMMENTARIVS.

FISCALIBVS in cauſis appellatio rurſum interdicitur a Conſtaotio, impoſita pœna 30. librarum auri Officio Proconſulari, Africæ in ſp. *huius l.* De ipſa *huius l.* ſeotentia iam dictum ad *l. 6. 8. 10. 12.* *ſup.* Quod de Officio patientiam accommodante adiicitur, idipſum dicitur & *l. 16. infr.* de eo plene ad *l. 8. ſupr. de appellationib.*

XIV. (a) Idem AA. (b) ad Flauianum (c) Proconſ. Afric.

GRAVIS iſta commotio (d) eſt, ac non ferenda (e) iracundia Iudicis, quæ effuſione humani ſanguinis expiatur: Sed ad fucum iniquitatis augendum Lex † noſtri Genitoris (f) adſcita eſt, ſcilicet, vt diceretur Genitor (g) noſter, conuictis in quæſtione *Violentie*, appellationis perfugia decerpiſſe (h); *Plectatur*, (i) inquit, *qui manifeſtam * degegitur commiſiſſe violentiam:* Quæ legis ſuæ † verba aliis quoque ſeitis Clemens Conditor explanauit: Etenim vigorem vindictæ differri poſt totius negotii exitum noluit, (k) ſcilicet vt ſi procacem væſaniam principalis negotii diſcuſſio publicaſſet, conuictum reum aut medietatis (l) amiſſio, aut ſors (m) deportationis adfligeret. Dat. III. Non. Aug. Tauro & Florentio Coss. [361.]

NOTAE.

P. 303. (a) *Fugitiuam* hanc l. ab hoc titulo eſſe, mox oſtendam. GOTHOFR

(b) Imo *Imp. Conſtantius A. ID.*

(c) *Flauianus* Proconſul Africæ: eidem inſcribitur *lex 10. ſupr. de cen ſu publico.* an. 358. vide *Proſopogr. ID.*

(d) *Commotio* Iudicis. v. *Gloſſ. ID.*

(e) Tegendaque. *ID.*

† Legem 1. *ſupr. ad L. Iul. de vi* intelligit. *ID.*

(f) Conſtantini M. *ID.*
(g) Conſtantinus M. *ID.*
(h) Pro *decerpſiſſe* *ID.*
(i) Sunt hæc verba *d. l.* 1. ſed vt mox oſtendam, valde decurtata. *ID.*
(*) Relatum hoc in legem 2. *Cod. Iuſt. quæ appellat. non recip.* *ID.*
† Legem 3. *d. t. ad L. Iul. de vi* intelligit. *ID.*
(k) *γρ. Voluit:* vt oſtendit apertiſſime *d. l.* 3. *ID.*
(l) Si res ad violentum pertinere iudicata fuerit. *ID.*
(m) Si res ad violentum non pertinere iudicata fuerit. *ID.*

COMMENTARIVS.

VIOLENTIAE in CRIMINE, ſeu *Lege Iulia* de vi damnatos, non ilico ſtatimue pœna affici, multo minus capitali pœna plecti vult *hac l.* Conſtantius.

Eſt hæc, inquam, *huiuscè leg.* ſententia ab *hoc titulo* fugitiuæ: Neque enim in ea principaliter quæritur, vtrum in violentiæ crimine appellare liceat necne, (quod vtique ad alterins tantum quæſtionis deciſionem hic ſupponebatur) verum quando & quanam pœna violentiæ damnatus plecti deberet. Reprehendit igitur & obiurgat Conſtantius *h. l.* acriter Iudicem, qui ſanguine ſeu capitali pœna hoc crimen perſecutus fuerat & quidem ſtatim, non expectata ſententia ſuper principali. Eiusdem Iudicis, qui hoc factum ſuum tuebatur argumenta perſtringit, ſeu refutat: Nempe Iudex ille niti ſe profitebatur Conſtantini Mag. conſtitutione, qua & appellandi ius huiusmodi reis denegatum fuerat: eosque plecti iuſſerat: plecti, inquam, capitali pœna. Et vero ita eſt: Lex enim illa, eſt *l. 1. ſup. ad l. Iul. de vi:* qua vtrumque hoc continetur: & poſtremum hoc quidem apertiſſimis verbis, non ambiguis, aut truncatis, vt hic forte nec optima fide memorantur. *Qui in iudicio*, inquit, *manifeſtam detegitur commiſiſſe violentiam, non iam relegatione aut deportatione inſulæ plectatur, ſed ſupplicium capitale excipiat, nec interpoſita prouocatione ſententiam, quæ in eum fuerit dicta, ſuſpendat.* Pro ſe igitur expreſſam illam Conſtantini M. conſtitutionem proferebat Iudex. Verum reponit Conſtantius, Conſtantinum hæc huiusce *legis* ſuæ verba *alia lege* explanaſſe: explanaſſe inquam; imo ſi verum dixiſſe voluit Conſtantius, abrogaſſe: & vero id ita factum eſt a Conſtantino M. *l. 3. eod. tit. ad l. Iul. de vi: Amiſſa*, inquit, *poſſeſſionis iura reparentur: eademque protinus reſtituta, violentus pœnæ non immerito deſtinatus, in totius litis terminum differatur: vt agitato negotio principali, ſi contra eum fuerit iudicatum, in inſulam deportetur, bonis omnibus abrogatis: Quod ſi pro eo, quem claruerit eſſe violentum, ſententia proferetur: omnium rerum, de quibus litigatum eſt, media pars penes eum reſideat, cætera fiſci viribus vindicentur.* Quæ verba oſtendunt clare, quod etiam Cuiacius & Maynardus viderunt, hic reponendum, *vigorem vindictæ differri poſt totius negotii exitum* VOLVIT; non quod omnes *Edd.* habent, *noluit:* etſi de eorum verborum ſententia prolixe diſputaui ad *d. l. 3.* Ex iisdem etiam apparet, quando dimidia bonorum violentus plectatur, quando deportatione.

Neque illud omittendum, amiſſionem medietatis, ſeu dimidiæ partis bonorum, & deportationem, hic opponi; quia ſcil. deportationis ipſum per ſe nomen rerum omnium ſpoliatio eſt, *l. 1. ſupr. de ſententiam paſſ. & reſtit.* ſeu *l. vlt. C. Iuſt. eod. tit.*

Tandem hic exemplum habemus egregium conſtitutionum Imperatoriarum in iudiciis hinc inde prolatarum: & quomodo poſteriores *Leges* ad priores trahendæ ſint, imo his illæ potiores ſint.

XV. (a) Impp. VALENTINIANVS & Valens AA. Salutem dicunt Ordini (b) ciuitatis Karthaginienſium. Poſt alia.

AB *Exſecutione*, vel a *Præiudicio* prouocantes decreuimus non admitti; intantum, vt contra definita facientes, quinquaginta libras (c) argenti condemnatione (d) feriantur. Dat. Prid. Non. Feb. (e) Med. Diuo Iouiano & Varroniano Coss. [364.]

NOTAE.

(a) Iungenda *huic* eſt *lex* 32. *ſupr. de appellat.* GOTHOFR.
(b) De hac Inſcriptione dixi ad *d. l.* 32. *ID.*
(c) *γρ. Librarum.* *ID.*
(d) Id eſt, multa, de quo ſignificatu alibi dixi plene. *ID.*
(e) *γρ. Non. Nouembr.* hic & *d. lege* 32. itemque *lege* 8 *ſupr. de iure fiſci*, vbi cauſas reddidi. *ID.*

COMMENTARIVS.

P. 304. AB EXECVTIONE vel PRÆIVDICIO appellari a Valentiniano Sen. prohibetur *hac l.* pariter, vt duabus præterea conſtitutionibus *l. 16. prox.* & *l. 18. infr.* Quod factum ab aliis ſubinde Principibus: de quo ad *leg. 1. ſupr.* Hac inquam *lege*, quæ pars eſt maioris conſtitutionis Valentinianeæ ſuper appellationibus a Iudicibus recipiendis, ad Curiam Karthagin. datæ, quod docet *lex 32. ſupr. de appellat.* quæ *huic* eſt coniungenda. Ad quam dicta hinc arceſſenda ſunt: etiam quæ de Inſcriptione harum *legum* ibi diximus.

Digitized by Google

XVI. (a) Idem AA. ad Symmachum P.V. (b)

INTERPOSITAS appellationes a *Præiudicio*, vel ab *Exſecutione* damnantes, & eum qui ab iſtiusmodi titulis (c) prouocauerit, & Officium quod non renuntiarit, (d) quinquagenas (e) argenti libras fiſco noſtro iubemus inferre: litem (f) ſuam faciente Iudice, qui recepit. Dat. VIII. Id. Octobr. Altino, Acc. XVI. Kal. Nouembr. Diuo Iouiano & Varroniano Coss. [364.]

NOTAE.

(a) Iungenda *huic* eſt *lex vn. de nautis Tyberinis*; ſed & *lex 7. infr. de piſtoribus.* & *lex 7. ſupr. de pœnis.* GOTHOFR.

(b) Symmachus P. V. ſub Valentiniano Sen. A. D. 364. v. *Proſopogr.* Eidem inſcribitur Anno prox. *lex 18. infr.* ID.

(c) *Titulis*, ſententiis, ſeu ſententiarum generibus. ID.

(d) Scilicet Iudici, a præiudicio vel ab executione perperam appellari. Symmachus *lib. 10. ep. 29. Nec Officium partibus defuit ad mulctam præiudicii ſuggerendam.* Vide pariter *legem 13. ſup.* Alioquin putaret quis hic reponendum, *renuerit*, renutarit: vel non annunciarit: reluctatum fuerit. ID.

(e) Eadem pœna *l.* 10 & 15. *ſup. hoc tit.* Iudici ipſi, vel prouocanti imponitur. ID.

(f) Eadem pœna *l. 2. ſupr.* ID.

COMMENTARIVS.

A PRÆIVDICIO & ab EXECVTIONE appellatio rurſum prohibetur, pariter vt *l. 1. 2. 3. 5. 11. 15. ſupr.* de quo ad *d. l. 1.* Hac, inquam, *lege* Valentiniani Senioris, quæ maioris ad Symmachum P. V. Romæ conſtitutionis pars eſt, vt ex iis legibus liquet, quas *huic* coniungendas eſſe docui: Quarum quidem etiam *legum* argumento, videatur hæc *lex* pertinere proprie ad præiudicia, vel executiones circa rem *Annonariam*: cuius alioqoin ſummus fauor eſt. Quod de *Officio* quod non renunciauit *hac l.* additur, partim in *Notis* iam illuſtraui: partim vero ad *l. 8. ſupr. de appellat.* Quod item de *Iudice* litem ſuam faciente additur, id ipſum cauetur & *l. 2. ſupr.* vbi dixi.

XVII. (a) Idem AA. ad Modeſtum PF. P. (b)

NVLLI *Officialium* a ſententia proprii Iudicis prouocatio tribuatur: niſi in eo tantum negotio, quod ratione ciuili, ſuper patrimonio forſitan, (c) aput proprium Iudicem inchoarit (d): ſcilicet, vt in eo tantum negotio a ſententia eius cui paret (e) Iudici f); quisquis velit, Officialis appellet: Quod per procuratorem (g) perſequi iure tribuitur. Dat. IV. Id. Iun. Cyzico, Valentiniano & Valente (h) AA. Coss.

NOTAE.

(a) *L. 3. Cod. Iuſt. eod. tit.* GOTHOFR.

(b) *Modeſtus* ſub Valente PP. Orientis ſcilicet poſt Auxonium. Vide *Proſopogr.* & quæ ſcripſi ad *leg. 35. ſupr. de appellat.* ID.

(c) *Forte*, Cod. Iuſt. ID.

(d) *Inchoauerit*, Cod. Iuſt. ID

(e) Ad tempus ſcilicet: Perpetui alioquin Officiales fuere, quod alibi oſtenſum. ID.

(f) Ita omnes *Edd.* Sed reponendum, vt in Cod. Iuſtinianeo, *Iudicis.* ID.

(g) *Etiam*, hoc amplius in *Cod. Iuſt.* Quo nil opus erat, niſi maioris euidentiæ cauſa. ID.

(h) *III*, ſcil. vt ſic referatur hæc *lex* ad annum 370. Vide *Conſularia Theod.* ID.

COMMENTARIVS.

OFFICIALES, id eſt, Apparitores Iudicum, ſeu Rectorum Prouinciarum (puta Principes, Cornicularii, Commentarienſes, Adiutores, Numerarii, ab Actis, a Libellis, Exceptores, cæterique Officiales Cohortalini, de quibus omnibus ſuis titulis dictum eſt *lib. 8.*) Num a ſententia Iudicum ſuorum contra ſe lata appellare poſſint: Item quibus caſibus id facere poſſint: num per procuratorem id poſſint, hac Valentis conſtitutione definitur.

Quod priorem igitur quæſtionem attinet, diſtin-
P. 305. guit Valens inter cauſas ciuiles, ſeu *ſuper patrimonio*; & alias, id eſt, cauſas delictorum; vt videlicet in illis cauſis, Officiales appellare poſſint, in his non item. Ratio iouestiganda nobis eſt, cur iſtud ita ſtatutum. *Rationem dubitandi* hanc puto. Vix ſcilicet appellandi ius in delictis, Officialibus a Iudicis ſui ſententia denegandum videbatur, eo quod cum perpetui eſſent Officiales, temporarii Iudices, offenſionem facile incurrere poterant, contumaces forte ſeſe præbendo aduerſus eorum iuſſa, quod Officii tamen eorum erat, atque adeo eius ſententia & vindicta facile opprimi. Nampe quo vindictæ priuatæ exercendæ iuſtior metus eſt, eo quoque appellandi facultas relaxanda magis videtur: Contra dicebatur, vt in atrociſſimis criminibus conuictos, vel confeſſos appellantes non admitti ius commune ſuadet, de quo *lege 1. 4. 7. 14. ſupr.* ita æquiſſimum videri, Officiales circa Officium ſuum delinquentes, damnatos non appellare, ne alioquin temporarii Iudicis contemptu, & repoſita prouocationis ſpe, nihil non facere

ant pati auderent. His rationibus probe perſpectis, inter ſacrum & ſaxum res conſtituta videri poterat. Appellationi enim ſi locum non facias, vindictæ priuatæ locum facias: ſi locum appellationi facias, impunitati ferme locum des. Verum tandem potior viſa ratio, quæ appellanti facultatem denegaret: nempe quod huiusmodi Officiales circa Officium ſuum delinquentes, Reip. interſit ſtatim puniri, neque luſoria ſit alioquin Iudicum in eos auctoritas & coërcitio. Faceſſant nunc proinde Gloſſarum rationes ab ea præſumtione petitæ, quod non veriſimile ſit, Iudicem iniuſte contra Officialem aliquid facturum: Secundo, quod Iudicem offenderint. Quæ rationes falſæ ſunt. Neque illam etiam admitto, quod neque per alium cauſam exercere poſſint: Non per ſe, quod abeſſe Officialem ab officio ſuo non oporteat: non per procuratorem, quia per procuratorem cauſam criminalem exercere non poſſit. Nam ideone cuiquam ſalubre appellandi Ius denegetur, quod per procuratorem id agitare non poſſit? aut tantine, vnius Officialis abſentia eſt, vt non commeatum impetrare debeat, ad appellationem perſequendam? Neque mouet, quod *ſine legis* ſtatuitur: neque enim neceſſitas procuratores dandi in cauſa ciuili Officiali imponitur, ſed ſi velit dandi facultas relaxatur.

Quod alteram quæſtionem attinet; In *ciuili* negotio ſeu pecuniario Officialis a Iudicis ſui ſententia appellare poteſt: Atque hac parte, altero rurſum diſcrimine, inter cauſam ciuilem & criminalem. In criminali ſcil. Officialis a Iudicis ſui ſententia appellare non poteſt, neque per ſe, ac multo minus per procuratorem: Nam cauſam criminalem agi non poſſe per procuratorem conſtat, *l. 1 D. an per alium cauſa appellat. & l penult. D. de publ. iudiciis.* At in ciuili negotio, & per ſe, & per procuratorem poteſt. Idque eſt, quod etiam apertius Tribonianus, addita particula *etiam*, dixit: *Quod per procuratorem* ETIAM *perſequi iure tribuitur.*

XVIII. (a) Idem AA. ad Symmachum P.V. (b) Poſt alia. (c)

NVLLVM audiri prouocantem *Ante* (d) *definitiuam ſententiam* volumus, ſi tamen in iudicio competenti negotium fuerit inchoatum: ſalua ſcilicet *Iuris Antiqui* (e) moderatione, atque ſententia, cum vel exceptio (f) obponitur, vel ad agendum locus poſcitur, vel dilatio inſtrumentorum cauſa aut teſtium poſtulatur, atque hæc, INpatientia vel iniquitate Iudicum, denegantur. Similiter, ne ab *Exſecutione* quidem prouocantem admitti conuenit: ſi tamen exſecutoris vitio minime modus ſententiæ tranſeatur. In *Fiſcalibus* quoque, vel manifeſtis debitis, & *Criminalibus confeſſis* (g) negotiis, necnon etiam *Præiudiciis*, omnis praua repugnantium amputetur intentio. Poſtremo, vniuerſas appellationes, quas Iura INprobant, non oportet audiri. Dat. XIII. Kal. Ian. (h) Med. Valentiniano & Valente AA. Coss. [365.]

NOTAE.

(a) Abeſt hæc *lex* a *Cod. Iuſt. GOTHOFR.*

(b) Symmachus ſub Valentiniano Sen. P. V. Romæ; pater Epiſtolographi, cui inſcribitur & *lex* 16. *ſup.* de eo plene *in Proſopogr. ID.*

(c) Quæ exciderunt omnia. *ID.*

(d) Et ſic a præiudicio. Vt mox *fine l. ID.*

(e) *Ius antiquum* quid vocent Imperatores, quorum conſtitutiones *hoc Codice* continentur, dixi prolixe in *Prolegomenis. Ius* abſolute vocatur, & a Conſtitutionibus ſeparatur, *l.* 25. *inf. ID.*

(f) Id eſt præſcriptio peremptoria, *l.* 23. 24. *inf. ID.*

(g) *Confeſſis: adde vel conuictis:* de qua ad *l.* 1. & 7. *ſup. ID.*

(h) *yp. Iun.* Nam menſe Decembri huius anni Valentinianus non Mediolani conſtitutus erat, verum PARISIIS: quinimo & initio anni ſequentis. Vide *Conſularia Theodoſ.* & *Ammianum Marcellinum lib.* 26. *cap.* 5. *ID.*

COMMENTARIVS.

GENERALIS hæc eſt Valentiniani Senioris conſtitutio, & quæ ad tractatum integrum proxime accedit, *de his quorum appellationes non recipiuntur:* de quibus paſſim *hoc titulo*, quas etiam ac præterea omnes alias generali clauſula *ſine legis* includit: Nominatim vero Quinque appellationes, quæ recipi non debeant, exprimit: ante definitiuam ſcilicet ſententiam, ab Executione, in fiſcalibus cauſis, manifeſtis criminalibus confeſſos, a præiudiciis appellari non poſſe, definit. Quorum pleraque apertam cum habeant ſententiam, aliisque *legibus* inculcentur pluribus, in eas tantum quinque *Exceptiones* & ſingulares, inquirendum, quibus ante definitiuam ſententiam, & ab executione appellari poſſe, addit. Quas & ipſas non nunc primum a ſe adinuentas ait, verum ex Iuris antiqui moderatione atque ſententia deſcendere profitetur: Iuris inquam antiqui, quod veteris Iuriſprudentiæ libris continetur ante Principum Chriſtianorum tempora.

Quatuor igitur caſus excipit, quibus ante ſententiam definitiuam appellari poteſt. *Prima* exceptio hæc proponitur, ſi in Iudicio non competenti

P.306. tenti negotium fuerit inchoatum. Nempe etſi regulariter inchoato ſemel negotio, id eſt lite ſemel conteſtata, ante definitiuam ſententiam appellare non liceat, & regulariter Iudex amplius recuſari non poſſit (Iudicum enim eierationes initio litis fieri oportoit) attamen beniguo adhuc iure tanquam ab incompetente Iudice appellare licet, etiam poſt negotium inchoatum.

Secunda exceptio eſt, ſi exceptio oppoſita, repulſa fuerit: *exceptio* inquam, id eſt præſcriptio peremptoria, vt docet *lex 23. & 24. infr. hoc. tit.* de qua præſcriptione peremptoria, dixi pleniſſime ad *leg. 3. ſup. de diuerſis reſcript.* Cuius ſane exceptionis ratio iuſtiſſima eſt, quia huiuſmodi exceptio eandem vim cum definitiua ſententia obtinet, puta vim vel conſumptæ cauſæ, vel non admittendæ: *l. 37. ſup. de appellat.* cuius vi eadem eſt ſententia; ita & iungenda ea eſt *d. leg. 23. & 24. inf.*

Tertia exceptio eſt, ſi locus ad agendum poſtulatus fuerit, & iniquitate Iudicis hoc fuerit denegatum; *Ad agendum locum poſcere* ſcil. nihil aliud eſt, quam ſpatium, dilationem poſtulare, ſolemni procul dubio iudiciorum formula, *locum ad agendum dari mihi poſtulo.*

Quarta exceptio eſt, ſi dilatio inſtrumentorum vel teſtium cauſa poſtuletur, eaque a Iudice denegetur. Quæ nimia Iudices ſæpe impatientia vel iniquitate denegabant. Magna ſcil. eſt & culpabilis Iudicis impatientia vel iniquitas, ſpatium & dilationem iuſtam recuſantis, vel exceptionem peremptoriam reſpuentis. Atque ideo his caſibus appellationi locus eſſe debet.

Et hæ quidem exceptiones *hac lege* proponuntur; quibus ante definitiuam appellare licet: Addatur & in id *lex 2. D. de appellation. recip.* Addatur generalis exceptio, ſi Iudex irreparabile quid interlocutus fuerit, ſeu quod pertineat ad merita cauſæ: (nam hæc exceptio generalis eſt, ſub quam omnes aliæ referri poſſunt:) Et tamen abſciſe Iuſtinianus ne ex his quidem cauſis ab articulo appellari voluit, *l. 36. C. Iuſt. de appellat.* ne lis alioquin paulatim in infinitum protrahatur, cuius ipſe meminit *l. vlt. Cod. eod. de Iudiciis*, quamque Cuiacius extulit *XII. Obſeruat. 3.*

Sequitur poſtremo loco Exceptio, Quando ab *executione* quoque appellari poſſit: puta ſi executor modum ſententiæ tranſeat, quod pariter cauetur. *l. 25. infr. hoc tit. ſeu l. 5. C. Iuſt. eod.* Denique ab Exceſſu appellari poteſt, quia quatenus exceditur, non poteſt dici executio ſententiæ.

Illud quoque, *fine legis* obſeruandum, *Præiudicii* appellatione non accipiendam eſſe ſententiam interlocutoriam, quo alias ſenſu tot etiam ſuperioribus *huius tit.* legibus a præiudicio appellatio denegatur: (Nam de his actum iam *initio legis*:) verum præiudicii appellatione intelligo Iudicium ſuper poſſeſſorio, & ſimilibus præiudiciis interdictis poſſeſſoriis; a quibus vtique appellari non poteſt; propter beneficium momenti: quo pertinet *titulus 37. inf. ſi de momento fuerit appellatum:* & par *titulus, Cod. Iuſtin.* itemque *lex 22. infr. hoc titulo.*

XIX. (a) Imppp. VALENTINIANVS, Valens & Gratianus AAA. ad Olybrium P.V. (b)

ABſtinendum prorſus appellatione (c) ſancimus, vt quotiens *fiſcalis* calculi ſatisfactio poſtulatur, aut *Tributariæ* functionis ſollemne munus expoſcitur, aut Publici, vel etiam Priuati (dummodo *euidentis* (d) atque conuicti) redhibitio (e) *Debiti* flagitatur: vt neceſſario in contumacem vigor (f) iudiciarius excitetur. PP. Rom. XV. Kalend. Septembr. Valentiniano & Valente II. AA. Coss. [368.]

NOTAE.

(a) *Lex 4. C. Iuſt. eod. tit.* Forte iungenda huic l. *lex 2. ſup. de poſtulando.* GOTHOFR.

(b) *Olybrius* ſub Valentiniano Sen. P. V. *Romæ* ſcil. quod etiam ſubſcriptio *legis* oſtendit: v. *Proſopogr. ID.*

(c) *Ab appellatione* vulgat. Edit. Cod. I. *ID.*

(d) Vide *leg. 8. 9. & 18. ſup. & 21. 27. 30 inf. ID.*

(e) *Redhibitio*, id eſt reſtitutio, vel etiam ſimpliciter, præſtatio, ſolutio. *ID.*

(f) *Vigor* iudiciarius: vide *Gloſſarium Theod. ID.*

COMMENTARIVS.

FISCALIBVS in cauſis, item TRIBVTARIIS aliiſque publicis vel priuatis debitis euidentibus & conuictis appellandi ius denegat hac conſtitutione Valentinianus Sen. A. D. 368. de quo iam ſæpe. Illud *h. l* primo obſeruandum, quatuor titulos & cauſas hic diſtingui, & a fiſcali ſeiungi: tributariam, publicam, priuatam. Sane *Fiſcales & Tributariæ* cauſæ etiam integris libris *hoc Codice* diſtinguuntur, *lib. X. & hoc lib. XI.* Ita quoque *l. 10. ſup. cauſæ penſitationum & debitorum fiſcalium*, ſeparantur. Publicum debitum accipio de muneribus publicis ordinariis: nam & ita *lege 6. ſupr.* ad munera reſpuenda appellatio non admittitur. Tandem priuati debiti appellatione intelligo cauſas rei priuatæ Principis, de quo *d. lege 6. 9. ſup. & l. 30. inf.*

Cæterum notandum quoque illud, *hanc l.* inſcribi Præfecto V. *Olybrio:* Scilicet, cum Olybrius, quod de eo prædicat Ammianus *lib. 28. cap.* 4 fiſci lucra vnde poterat circumcideret, atque adeo appellationes in cauſis fiſcalibus admitteret; Valentinianus ei *hac l.* ingerit, vt ne eas appellationes admittat,

tat,

tat, ſed vigorem ſuum in eos excitet. Pari ratione & eundem Anno proximo fiſcales ac publicas cauſas etiam feriatis geminis menſibus, ſine aliqua intermiſſione diſcingere iuſſit *l. 5. C. Iuſt. de feriis.*

P.307. ## XX. (a) Idem AAA. ad Claudium P.V. (b)

QVONIAM (c) Chronopius, ex Antiſtite, (d) idem fuit in tuo, (e) qui fuerat in Septuaginta Epiſcoporum ante iudicio, & eam (f) ſententiam prouocatione ſuſpendit, a qua non oportuit (g) prouocare, argentariam mulctam, quam huiuſmodi (h) facto ſanctio † generalis inponit, cogatur expendere. Hoc autem, non fiſco noſtro volumus accedere, ſed his qui indigent fideliter erogari: Quod in hac cauſa, & (i) ceteris Eccleſiaſticis, fiat. Dat. VIII. id. Iul. Valentiniano NB. P. & Victore Coss. [369.]

INTERPRETATIO. (k) *Chronopium Epiſcopum a multis Epiſcopis fuiſſe damnatum, & ſtudioſe* (l) *eum ante* (m) *iudicium ſententiam quæ proferebatur appellatione ſuſpendere, a qua ſententia quia iuſte prolata fuerat, appellare minime debuiſſet, in qua* (n) *eum grauis multæ, (id eſt quinquaginta librarum argenti) addictum fuiſſe dicit: quæ tamen ſumma ipſius multæ, non fiſco prodeſſe iuſſa eſt, ſed pauperibus erogari.*

NOTAE.

(a) Lex 2. *Cod. Iuſt. de Epiſc. audient.* hinc miris modis interpolata eſt a Triboniano: quam & repetitam ſub *titulo Cod. Iuſt. quorum appell.* & quartam fuiſſe docent *Paratitla Græca lib. 1. tit. 3 p. 1270. Tom. II. Bibl. Iur. Can. Vet. Henr. Iuſtelli.* Eam quoque *Annalibus ſuis* inſeruit Baronius *A. 369. n. 30.* GOTHOFR.

(b) In *Cod. Iuſt* editum *PP.* vt etiam habetur in nonnullis *Anianeis.* Sed & his COSS. id eſt A. D. 369. non *Claudius* verum *Olybrius* P. V. fuit: imo his ipſis COSS. & ſuperioribus Claudium Proc. Afr. reperio: quod docet *lex 18. inf. de epiſcopis: l. 12. inf. de piſtorib. l. 6. inf. de Legatis.* Imo & Anno prox. 370 quod docet *lex 8. inf. de luſtrali collatione.* Quare, vel *Olybrio P. V.* hæc *lex* inſcribi debuerit: (quam ſententiam præfero) vel vitium in conſulatu fuerit, ſic vt referatur ad A. 374. quo ſane Anno *lex 22. infr.* Claudio P. V. inſcribitur. Vel tandem reſcribendum fuerit, *Claudio Proc. Afr.* Sane Claudium P. V. fuiſſe, vtut non adſignato tempore, teſtatur quoque Ammianus Marcellinus duobus locis *lib. 27. cap. 3. init.* & *lib. 29. cap. vltim. in f.* ita eum P. V. fuiſſe A. 374. docet *d. lex 22. inf. h. t.* ID.

(c) Hæc *lex* ita interpolata *Cod. Iuſt. Si Clericus ante definitiuam ſententiam, fruſtratoriæ dilationis cauſa, ad appellationis auxilium conuolauerit, mulctam quinquaginta librarum argenti, quam contra huiuſmodi appellatores ſanctia generalis imponit, cogatur expendere. Hanc autem non fiſco noſtro volumus accedere, ſed pauperibus fideliter erogari.* ID.

(d) *Ἀπὸ ἐπισκόπων*, Ex-Antiſtite, quomodo Ex-Conſule, Ex-Quæſtore, Ex-Archiatris, & ſimilia. ID.

(e) Poſteriore, ſeu ſecundo. ID.

(f) An ſeptuaginta Epiſcoporum? an vero Claudii P. V. Hoc veriſſimum. ID.

(g) *Potuit*, MS. G. RITTER.

(h) *In huiuſmodi*, MS. G. ID.

† *Lex 15. & 16. ſup.* de quo mox plenius. GOTHOFR.

(i) *In cæteris*, Sichard. RITTER.

(k) Falſa hæc Interpretatio eſt. GOTHOFR.

(l) *γρ.* Studuiſſe. ID. Bene hic MS. G. *ſtatuiſſe eum.* RITTER.

(m) Id eſt in iudicio ſæculari. GOTHOFR.

(n) *γρ. in quo*, id eſt, quo facto. ID.

COMMENTARIVS.

DE INIVSTA Chronopii cuiuſdam EPISCOPI, Epiſcopatu depoſiti, appellatione, eſt hæc Valentiniani Senioris conſtitutio data A. D. 369. Quæ vt nonnullas Obſeruationes Eccleſiaſticas, easque ſingulares continet, ita non parum obſcuritatis habet.

Primum obſcurum eſt, quiſnam iſte *Chronopius* ex-Antiſtite fuerit? Eius certe nulla alibi quod ſciam mentio extat. Et tamen, qui horum temporum rationem ſpectauerit, ſimul & inſcriptionem *huiuſce legis*, ſi modo ea recte habet, *Præfecto Vrbis* (Romæ) ita cenſeat, Vrſicini ſchiſmati iſtum Chronopium adhæſiſſe; de quo, & in quod & aliæ memorantur eiuſdem Valentiniani conſtitutiones tum ad Præfectum, tum ad Vicarium Vrbis Romæ. Alioquin inter Galliæ Epiſcopos Chronopii nomen quoque reperio: veluti (quod huic æræ non congruit) inter Petrocoricenſes circa A. D. 600. de quo Venantius Fortunatus *lib. 4. in Chronopii epitaphio 8.* qui Aurelianenſi I. Concilio ſub Clodouæo; II. ſub Childeberto interfuit: Eidemque inſcripta videtur Ruricii epiſtola *lib. 2 ep. 6.* De antiqua eius generis nobilitate videndus Fortunatus *d. ep. 8.* vbi inter cætera ait, Ordinem Sacerdotum ei fluxiſſe, vtroque parente, & ad eum hæredem veniſſe apicem Pontificalem; denique nobilem veniſſe de antiquo Patrum germine.

Secundo obſcurum videri poteſt, quanam ratione poſt Eccleſiaſticum iudicium ad ſæculare Præfecti V. *Chronopius* iſte Epiſcopatu deiectus adhuc

adhuc prouocauerit, in cauſa Eccleſiaſtica. An quia ita ius mosque tum fuerit, nonnullas Eccleſiaſticorum cauſas apud Epiſcopos prius quidem agitari, eo quod indecens videretur, fora ab Eccleſiaſticis identidem calefieri, atque ita Eccleſiaſticum potius forum tentare decens videretur, neque eo minus tamen ſi iudicato acquieſcere nollent, ad iudicia ſecularia prouocare poſſent: cui rei argumentum præbeat *can. 9. Concilii Chalcedonenſis pag. 605. Tom. II. Concil. Edit. Harduin.* & *Nouell. Iuſt. 83.* & diſerte *Nouella 123. cap. 21.* & Caſſiodorus VIII. *Var. 24.* Hic ne igitur tum mos fuerit, in nonnullis cauſis Eccleſiaſticorum? non tamen in omnibus: nam ſane criminales cauſæ directe ad Iudices ſeculares ſpectabant, quod docet Conſtitutio Gratiani, puta *lex 23 inf. de Epiſcopis.* Theodoſii M. *lex 3. infr. de Epiſcop. iudicio.* Honorii *lex 1. inf de religione.* Quanquam ſi res inter Epiſcopos tantum ageretur, nemine apud Iudices ſeculares accuſante, dubium nullum, quin & eædem apud Epiſcopos agerentur. Verum ita cenſeo de tali crimine actum, quod ad ſæcularium forum quoque pertineret, veluti ſeditionis ex ſchiſmate forte.

Tandem obſcurum eſt, a quanam ſententia *h. l.* dicatur Chronopius prouocare non debuiſſe, cuius etiam nomine multa ei *hac l.* imponitur. Tres igitur ſententiæ mihi occurrunt. Prima (Interpretis etiam præiudicio) de Epiſcoporum ſententia id dici, nempe cum cæteroquin iis, qui ſeſe iniuſto iudicio Epiſcoporum damnatos crederent, & Epiſcopatu depoſitos, exauctoratos, ad iudices ſeculares recurrere liceret. Et vero in ſchiſmate potiſſimum recurrendi ſæpe neceſſitas eſſet, eique rei Ro-
P. 307. mæ Præfecti V. ſeſe miſcerent (quod etiam ex Ammiano Marcellino *lib. 27. c. 9.* & Valentiniani reſcripto *ad Olybrium* liquet, quod legitur apud Baronium *in Annal. Eccleſ. an. 369. num. 5*) hic Chronopius altero iudicio, iniuſtiſſima Epiſcoporum ſententia damnatus compertus fuerit, & de iiſdem conuictus, in iudicio Præfecti V. (quod ſuadere videtur *initium legis.*) Secundo forte & hæc ſententia fuerit, non licuiſſe Chronopio ſecundo victo, in iudicio ſeculari, rurſum appellare, quod ſuadere videatur *d. Nouell. 123. cap. 21.* Verum hæc vt dixi obſcura caligine demerſa iacent.

Tertio, quod mihi veroſimillimum, indicari videtur a Præfectis vrbis iudicio appellari non potuiſſe: de quo dixi plene ad *l. 11. ſupr. de appellat.* Quidquid ſit, Baronii ſententiæ non accedo: Primo, eum ſcribit, ideo multam imponi *hac l.* Chronopio, quaſi ob indignum facinus, quod ad ſeculare tribunal appellauerit: & proinde ſanctionem generalem, quæ *hac l.* memoratur, eam eſſe, qua vetitum erat, ne clerici coram Iudicibus ſecularibus cauſam dicerent. Nam vt huic ſeculo inaudita doctrina ea eſt, quæ Eccleſiaſticos ſecularibus poteſtatibus ſubduci, ita in hoc nominatim negotio eam eicrant tot & numeroſæ in contrarium conſtitutiones *libr. 16.* Quare ſanctio generalis, qua huiusmodi facto, id eſt, iniuſtæ appellationi argentaria multa impoſita dicitur, non alia eſt, quam ea, qua L. librarum argenti multa impoſita eſt, quomodo id Tribonianus & Interpres *huius l.* diſerte explicant, de qua fuerunt paulo *ſupra hoc tit.* eiusdem Valentiniani duæ conſtitutiones, *lex 15.* & *16. ſupr.* e quibus hæc poſtrema, Præfecto V. Romæ pariter inſcripta eſt. Tandem perperam ab eodem Baronio huc trahitur eiusdem Valentiniani conſtitutio, cuius meminit Ambroſius *Ep 32.* quæque etiam ſola Baronii ſententiæ euertendæ ſufficit. Ex ea quippe conſtitutione, non niſi *Eccleſiaſticæ cauſa*, id eſt, cauſæ fidei, vel Eccleſiaſtici Ordinis, & morum cauſæ, id eſt, de leuibus Epiſcoporum delictis, Epiſcopale iudicium eſt; de cæteris proinde ſeculare. Vt hac etiam conſtitutione inſpecta videri poſſit, ideo iniuſtam Chronopii prouocationem viſam, quod de morum cauſa ageretur, quæ etiam ſententia eſt Gratianeæ conſtitutionis, *l. 23. infr. de Epiſcop.* vbi de hac quæſtione pleniſſime.

Et hæc de ipſa *legis* ſententia, cuius etiam obſcuritas fecisse videtur, vt Tribonianus eam in alienum plane ſenſum detorſerit, *l 2. C. Iuſt. de Epiſcop. audient.* & *l. 4 C. eod. quorum appellat.* ſi modo fides *Græcis Paratitlis, libr 1. tit. 3. p. 50. Edit. Leonclau.* & *pag. 1270. Tom. II Bibl Jur. Canon. veter. Henr. Iuſtelli*, quæ proculdubio, ſi ad manum eſſent Græca, nos ab eo, quem dixi, labore expedirent: *(a)* Prodit

(*a*) Sunt ad manum hodie græca ex antiquis Codd. MSS. quos contulit magna induſtria Cl. FABROTTVS, ſed & hæc ad illuſtrandam legem noſtram nihil ſubſidii afferunt. Ita autem legitur *p. 1270. Tom. II. apud Iuſtellum in Bibl. Iur. Can.* Βιβ. ζ'. τίτ. ξ'. διάτ. δ'. ἧς ἡ ἀρχὴ, τοὺς συνειδότας. Οἱ κληρικοὶ πρὸ ἀποφάσεως ἐκκαλούμενοι, προστιμῶνται παρὰ τοῦ ἄρχοντος ν'. λίτρας ἀργυρίου. ταῦτα δὲ λήψεται οὐχ ὁ φίσκος, ἀλλὰ τοῖς πένησι καὶ τοῖς δεομένοις πιστῶς ταῦτα χορηγηθήσεται. *Lib. VII. tit. LXV. conſt. 4. cuius initium*, τοὺς συνειδότας. *Clerici ante ſententiam appellantes, multantur a Præſide L. libris argenti. Verum hæc non fiſcus accipiet, ſed pauperibus & egenis fideliter erogabuntur.* Vltima legis noſtræ verba, ſatis quidem accurate expreſſit interpres, verum cum nemo laborare poſſit in iis intelligendis, atque reliqua multa etiam obſcuritate inuoluta ſint, ſpem illas, quas Noſter de Græcis conceperat, inanes fuiſſe animaduertimus. Addo præterea græcam *legis 2. Cod. Iuſt. de epiſcopal. audient.* interpretationem duplicem: quarum altera, quæ legitur apud Iuſtellum *pag. 1266. libr. cit.* ſic ſe habet. Βιβ. α'. τίτ. δ'. διάτ. β'. ἧς ἡ ἀρχὴ, *Si clericus.* Ἐὰν κληρικὸς πρὸ τοῦ τέλους τῆς ἀποφάσεως ἐκκαλέσηται ν'. λίτρας ἀργυρίου προστιμᾶται. αὗται δὲ τοῖς πένησι διά τινος πιστοτάτου διαμερισθήσονται. *Lib. I. Tit. IV. Conſt. II. cuius initium, Si clericus. Si clericus ante ſententiam definitiuam appellauerit, L. libris argenti multatur, quæ pauperibus per fideliſſimum quemdam diſtribuentur.* Alteram *pag. 1273.* continet. β. Ἐὰν πρὸ τελείας ψήφου κληρικὸς ἐκκαλέσηται τὴν ὡρισμένην ταύτῃ ποινὴν κατὰ τῶν ἄλλων τῶν ν'. λιτρῶν τοῦ ἀργυρίου, ὁ φίσκος οὐ λαμβάνει παρ' αὐτοῦ. ἀλλὰ τοῖς πένησι διανέμεται. *II. Si clericus ante ſententiam definitiuam appellauerit, ſtatutam ob hoc pœnam in alios, quinquaginta librarum argenti, ab eo fiſcus non accipit, ſed in pauperes erogatur.*

dit enim Leunclauius aliquid ibi expreſſum, quod ipſe legere commoda non potuerit.

Obſeruationes Eccleſiaſticæ duæ porro ſequuntur *hac l.* ſingulares. Prior eſt de *ſeptuaginta Epiſcoporum* iudicio, in quo Chronopium damnatum, & Epiſcopatu detruſum ex *hac l.* colligere licet. Et ſane morem hunc tralatitium in Eccleſia comperio, vt cum de Epiſcopo iudicando vel abdicando ageretur, ſeptuaginta duo Epiſcopi conuenirent, qui rotundo numero *Septuaginta* dicebantur. Exemplum in *hiſtoria Eccleſiaſtica* non vnum. Ita factum Cirtæ in Africa ob Cœciliani depoſitionem, teſte Auguſtino *in breuiculo collationis die 3. cap. 14.* Ita in Actis *Marcellini Papæ pag. 218. Tom. I. Concil. Edit. Harduin.* legimus Marcellinum depoſitum a *Libra Occidua*, id eſt a *LXXII.* Epiſcopis; Libra quippe occidua tot ſolidos efficiebat; de quo ad *l. vn. ſupr. de oblat. votorum: & l. 1. infr. de ponderator. & l. 13. de ſuſceptorib.* Pariter Macedonius Ep. Conſtantinopol. exauctoratus ab Epiſcopis 72. vt teſtatur Auctor *Chronici Alexand. A. D. 360. pag. 683. Edit. Raderi.* Quin & in *conſtitutione* Sylueſtri Papæ, ſiue Synod. Roman. *action. 1. cap 3 pag. 291. Tom. I. Concil. Harduin.* & in Decret. Syluestri Pap. ſiu, Epilogo Concilii Romani, vti Gratianus vocat, *pag. 287. init. Tom. eod.* & in Epiſtola I. Zephyrini Pap. *pag. 107. Tom. eod.* & in Epiſtola I. Leonis IV. Pap. *pag. 1. Tom. V. Concil. Edit. citat.* & Concilio Moguntinenſ. *cap. 12. pag. 406. Tom. VI. Concil. Ed. cit.* cautum, ne Epiſcopus niſi ſub conſpectu 72. teſtium damnaretur. Et ab eadem cauſa, vel haud abſimili LXX. vel LXXII. Epiſcoporum numerum, qui in Synodos Romanas ſub Gelaſio & Symmacho conuenerunt, repeto. Peccant enim, qui id ad argumentum Diœceſeos Romanæ trahunt. In numero imitamentum quis forte putet, LXX. ſeniorum in populo Iudaico, vel LXX. Diſcipulorum in Eccleſia iam Chriſtiana.

Altera obſeruatio eſt, multam de Eccleſiaſticis non iam fiſco, verum pauperibus hac Valentiniani deſtinari & quidem generali ſanctione, *Quod*, inquit, *in hac cauſa & cæteris Eccleſiaſticis fiat*, quod vtique pium Valentiniani inſtitutum fuit. Quod ſecutus & Athalaricus in eadem ferme ſpecie, apud Caſſiodorum VIII. *Variar. 24.* Sequitur hodie Gallia ſeruantque Celſiſſima eius Parlamenta. Id vero quod *hac l.* ſtatuitur, in Eccleſiaſticis tantum cauſis ſtatuitur: nempe vt multæ Eccleſiaſticis exſculptæ, in pauperes erogentur. Quod Tribonianus quoque in *d. l. 2 Cod. Iuſt. de Epiſcopali audient.* quam hinc interpolauit, vnica voce *clericus* indicare ſatis habuit, reciſa hiſtorica *huius l.* parte: ac proinde & illis; *Quod in hac cauſa & cæteris Eccleſiaſticis fiat.* Idem vero Tribonianus *hanc l.* extulit, & accepit de appellatione ante definitiuam ſententiam, cum tamen eius alius ſenſus ſit, vt *initio* oſtendi.

XXI. (a) Idem AAA. ad Eupraxium P. V. (b)
Poſt alia.

A Diſcuſſoribus (c) obſeruari iubemus, (d) vt *manifeſti* (e) *Debitores* (*f*) prouocationis ſuffragio (g) minime ſubleuentur; (*h*) & cetera. PP. XVI. (i) Kal. Mar. Gratiano A. III. & Equitio Coss. [374.]

Interpretatio. *Omnes qui huiuſmodi negotia diſcutiunt,* (k) *hoc ſpecialiter obſeruare debere, vt manifeſti debitores appellationis ſuffragio non vtantur, nec euidens debitum vlla poſſint appellationis dilatione ſuſpendere.*

NOTAE.

(a) Iungendæ *huic* ſunt *lex 5. ſup. de relationibus: & lex 36. ſup. de appellation.* GOTHOFR.

(b) *Eupraxius* P. V. Romæ, ſub Valentiniano Sen, v. *Proſopogr.* ID.

(c) De his *tit.* 26. *inf. hoc. tit.* ID.

(d) *Iuſſimus*, MS. G. ID.

P.309. (e) Vide pariter *leg.* 8. 9. 18. 19. *ſupr. h. t.* & *leg.* 27. 30. *infr. eod.* ID.

(f) *Debitores* ſignare de fiſcalibus. v. *Gloſſar.* ID.

(g) *Suffragium* prouocationis ſeu appellationis *hac l.* & *l.* 22. *ſup. de appellat.* ID.

(h) *Non vtantur*, MS. G. quod ex interpretatione ſumptum, ex qua & verba ſequentia, *nec euidens*, &c. in ipſum textum a librario male recepta ſunt. RITTER.

(i) *XV.* MS. O. ID.

(k) Perperam Anianus Diſcuſſores accepit. GOTHOFR.

COMMENTARIVS.

A Discvssoribvs manifeſtorum debitorum appellationes admitti vetat Valentinianus Sen. a Diſcuſſoribus inquam, id eſt, qui debitores fiſcales excutiunt, quod Interpres non intellexit, de quibus vt *ſuo titulo*, ita pariter agitur *l. 36. ſupr. de appellat.* quæ *huic* iungenda eſt vna cum *l. 5. ſupr. de relation.* Rurſum, ait lex, *manifeſtorum debitorum*, quod ipſum ingerunt & aliæ complures *huius tit.* leges, quas antea ſubnotaui. Aliud enim fuerit, ſi ex iuſtis cauſis aliquid incerti ſubſit: nam tum a Diſcuſſoris ſtatuto appellari poteſt, quod diſerte proditum *d. l. 36.*

Cæterum eſt hæc *lex* pars maioris conſtitutionis Valentinianeæ, qua prolixe cautum de relationibus: quaque inanibus & fruſtratoriis appellationibus occurrit, ſimul & relationum formam præſtituit: eodem ſemper fine quo ſcil. negotia, in quibus maturato

rato

ſtato opus eſt, celeriter expediantur, non vero eludantur, aot protelentur ſiue moratoriis appellationibus, ſiue Relationibus inanibus. Ad *huius leg.* intellectum qui plura volet, videat dicta ad *d. leg. 36.*

XXII. (a) Idem AAA. ad Claudium P. V. (b)

IN *Interdicto*, *Quorum bonorum*, ceſſat licentia prouocandi: nc, quod beneficio celeritatis inuentum eſt, ſubdatur iniuriis tarditatis. Dat. XII. Kalend. Iun. Treu. Gratiano III. & Equitio Coss. [374.]

NOTAE.

(a) Abeſt hæc *lex* a *Cod. Iuſt.* prælata, velut generaliore *l. vn. infr. tit. prox.* De hoc ipſo Edicto, *Quorum bonorum*, fuit *ſupr. lib. 4. tit. 21. lex vn. quor. bonorum.* Et concordat. huic *lex vn. tit. prox. ſi de momento fuerit appell.* GOTHOFR.

(b) Eidem Claudio P. V. inſcribitur *lex* 20. *ſupr.* vbi tamen vitium hærere videtur. Eiusdem meminit Amm. Marcellinus non tantum *lib. 27. cap. 3.* verum et circa hoc ipſum tempus *lib. 29. extremo*, vbi de eo vide aliquammulta. Miſſis aliis, elogium iſtud: *Hic ipſi* (Claudius) *Præfectus egit, admodum quiete, nullam ſeditionem ſuper querela iuſta perpeſſus.* ID.

COMMENTARIVS.

IN INTERDICTO *Quorum bonorum* appellationi locus non eſt. Hæc *huius leg.* Valentinianeæ ſententia eſt: Non quaſi non idem & in cæteris interdictis ius ſit, (generaliter enim in cauſis momenti, ſeo reformatione momenti, appellationi vel fruſtrationi cuicunque alii locus non eſt, vt docebit *lex vn. tit. prox. ſi de momento*: quam ideo Tribonianus hac ſpreta retinuit: & Symmachus, *lib. 10. epiſt. 41.* & *Tituli* ad Interdicta ſpectantes *lib. 4. ſupr.*) Verum quia in propoſita facti ſpecie de hoc quærebatur, & forte oon ſine aliqua dubitandi ratione, Verum par ratio hoius Interdicti vt aliorum viſa: quia omnia Interdicta beneficio celeritatis inuenta ſuot, neqoe minus Interdictum *Quorum bonorum*, quam cætera. Quare neque id *tarditatis alicuius iniuriis ſubdi* oportet, (vt *hæc l.* eleganter loquitur,) non appellationis (de quo *hæc l.* eſt) non alterius fruſtrationis, veluti dominii io continenti probandi, quo pertinet *lex vn. ſupr. Quorum bonorum.* vbi oſtendi quodnam hoc eſſet Interdictum. Quomodo & in Interdictis & nominatim in Interdicto *Vtrubi*, denonciationum ambages & moræ non requiruntur: *l. vn. ſupr. Vtrubi.*

Cætera quæ de *momenti* & *celeritatis* beneficio & appellatione deſiderari hic poſſunt, repete ex dictis *leg. pen.* & *vlt. ſupr. vnde vi.*

XXIII. (a) Imppp. Valens, GRATIANVS & Valent. AAA. ad Thalaſſium Proconſ. Afric.

EXCEPTIS præſcribtionibus peremptoriis, ſi quis ab *Articulo*, (b) appellare temptauerit, non audiatur: ſed neglecta appellatione, Iudex, diſcuſſis omnibus tendat ad finem, reſeruata poſt, vltimum, facultate partibus appellandi, ſi diſplicuerit definitiua ſententia. Neque tamen ſit Iudici poteſtas inrogandæ multæ: Satis enim pœnæ videtur, non audiri ab Articulo prouocantem, &c. Dat. III. Kal. Febr. Treu. Acc. VI. Kal. Maij, Valente VI. & Valentiniano II. AA. Coss. [378.]

NOTAE.

(a) Iungendæ *huic l.* ſunt *duæ leges* proxime *ſeqq.* nempe 24. & 25. item *lex* 37. *ſupr. de appellat.* GOTHOFR.

(b) Dixi de hac *Articuli* voce ad *l. 3. ſupr. h. t.* Vid. & *d. leg.* 25. quæ clauſulam conſtitutionis prolixioris continet. ID.

P. 310.

XXIV. (a) Idem AAA. ad Thalaſſium Proconſ. Afric. Poſt alia. (b)

SI quis, poſt ſuſceptam ſuper *Præſcriptionibus Peremptoriis* appellationem, & Reſponſum a nobis (c) redditum, aliam peremptoriam præſeribtionem obpoſuerit, non admittatur: Et, ſi propter eam non admiſſam prouocare voluerit, refutetur. Sane volumus ei, iuxta ordinem iuris, defenſionis loco, præſcribtiones peremptorias, quibus ante vti debuerat, reſeruari. Quam formam, ab his Cognitoribus (d) volumus obſeruari, quibus neceſſe eſt, interpoſita prouocatione, Noſtræ inſinuare (e) Clementiæ: In ceteris vero

iudiciis

iudiciis (f), eadem (g), quæ dudum ſtatuta fuerat, forma ſeruetur, &c. Dat. III. Kalend. Febr. (h) Valente VI. & Valentiniano II. AA. Coſs. [378.]

NOTAE.

(a) Iungenda huic *lex* 13. *ſupr. lex* 15. *infr.* & *l.* 37. *de appell. GOTHOFR.*

(b) Subiicienda hæc portio *legis* eſt immediate *d. legi* 37. *ſupr. de appellat. ID.*

(c) Scilicet a Proconſule Africæ ad Principem appellabatur, quod præter *banc l.* oſtendit inſuper *d. lex* 37. *ſupr. de appell.* ibi, *totiens ad nos referri. ID.*

(d) Cuiusmodi tu Proconſul Africæ es. *ID.*

(e) Ideſt ad nos referre. *ID.*

(f) Ideſt, apud alios Iudices. *ID.*

(g) Quænam illa ſit? mox inquiram. *ID.*

(h) Supple *Treu.* ex *d. l.* 13. *ſupr. l.* 15. *infr. ID.*

XXV. (a) Idem AAA. ad Thalalaſſium Proconſul. Africæ. Poſt alia.

AB *Exſecutione* appellari non poſſe, ſatis & Iure (b) & Conſtitutionibus cautum eſt, ita (c) vt appellantem, etiam noſtris ſanctionibus ſtatuta multa compeſcat: niſi forte Exſecutor ſententiæ, modum iudicationis excedat: a quo ſi fuerit appellatum, exſecutione ſuſpenſa, decernendum putamus, vt ſi res mobilis eſt, ad quam reſtituendam Exſecutoris opera fuerit indulta, appellatione ſuſcepta, poſſeſſori res eadem detrahatur, & idoneo (d) collocetur, reddenda ei parti, pro qua Sacer Cognitor (e) iudicauerit. Quod ſi de poſſeſſione, vel fundis, exſecutio conceſſa (f) erit, & eam ſuſpenderit prouocatio, fructus omnes, qui tempore interpoſitæ prouocationis capti, vel poſtea nati erunt, in depoſito conlocentur, iure fundi, vel (g) penes eum qui appellauerit conſtituto. Sciant autem ſe, prouocatores, vel ab Exſecutione appellantes, vel ab Articulo (ex (h) his duntaxat cauſis, ex quibus recipi iuſſimus prouocationem) ſi eos perperam intentionem Cognitoris ſuſpendiſſe claruerit, quinquaginta (i) librarum argenti animaduerſione multandos. Dat. III. Kal. Febr. Treu. Valente VI. & Valentiniano II. AA. Coſs. [378.]

NOTAE.

(a) *Lex* 5. *C. Iuſt. eod. tit.* Quænam autem iungendæ *huic* ſint *leges*, ad *ſuperiores duas ll.* iam dictum, quæ & ipſæ de earum numero ſunt. *GOTHOFR.*

(b) *Iuris* & *Conſtitutionum* diſcrimen hic obſerua: Nempe, per *ius* intelligenda vetus *Iurisprudentia* Veterum Iuriſconſultorum, & veteres *leges*: quæ diſtinctio ſæpe vſui eſſe poteſt in conciliandis legibus. V. Cuiacium 1. *Reſponſ. Papiniani ad l.* 81. *D. de furtis*: ius antiquum vocatur *l.* 18. *ſupr. ID.*

(c) Hæc ſententia detracta *Cod. Iuſt. ID.*

(d) *Et ſequeſtro idoneo*, ita *Cod. Iuſt. ID.*

(e) Cuiusmodi Tu es. *ID.*

(f) Perperam in Cod. Iuſt. *ceſſauerit*, pro *conceſſa erit. ID.*

(g) Hæc vox abeſt a *Cod. Iuſt.* de quo mox dicam. *ID.*

(h) Detracta hæc ſententia *Cod. Iuſt.* ſumma incogitantia: alioquin enim, ſi ius nouum Iuſtinianus reſpexiſſe voluit, penitus ſuſtuliſſe eum oportuit illa, *vel ab articulo. ID.*

(i) Quæ pœna iam ſtatuta *l.* 15. 16. *ſupr. h. t.* & de qua ipſa eſt *lex* 10. *ſupr. ID.*

COMMENTARIVS.

AB ARTICVLO, ſeu PRÆIVDICIO (idem enim hæc duo eſſe, oſtendi ad *l.* 2. *ſup. h. t.*) & ab EXECVTIONE, cum regulariter appellari non poſſit, & (vt loquitur *lex* 25.) ſatis id & Iure & Conſtitutionibus cautum ſit; attamen prolixa adhuc conſtitutione Gratianus Imper. (cuius *hæ tres ll.* particulæ ſunt, & *quarta* inſuper, puta *lex* 37. *ſupr. de appellat.*) non tantum id confirmat, verum etiam nonnulla inſuper hanc ad rem præſtat.

Primo, num pœna aliqua infligenda ſit, ab articulo, vel executione perperam ſeu importune appellanti? Et vero cum & a præiudicio & ab executione importune appellanti anteriorum Principum conſtitutionibus, multa impoſita foret, (puta *lege* 2. 3. 5. 15. 16. *ſupr. h. t.*) Gratianus *l.* 23. & 25. diſtinctionem inducit, inter appellantem a præiudicio ſeu articulo, & appellantem ab executione: vt hic videlicet, multetur *d. l.* 25. ille non item *d. l.* 23. Addita ad hoc poſterius ratione, *Quod ſatis pœna videatur, non audiri prouocantem ab articulo*: Ac ſi diceret, nihil eum adeo aut graue admittere, vt propterea multandus veniat: neque eo minus enim Iudi-

Digitized by Google

Iudicem *ad finem tendere* poſſe (vt Ipſe loquitor:) ideſt, ad ſententiam properare, neglecta appellatione. Atenim grauius peccat grauiorque eius contumacia videtur, qui ab executione demum, & ſic a præiudicio ſuo, ideſt, comprobata ſemel a ſe ſilentio ſententia, appellare fas putat, cui a ſententia appellare integrum fuerat: & grauior eſt contumacia ſero appellantis, quam præmature, qui venia vtique magis dignus eſt. Hoc primum.

Subiicit ſecundo loco Gratianus *Exceptiones*, quibus tum ab articulo, tum ab executione quandoque appellare liceat. Ab articulo igitur appellari poſſe definit, ſi *exceptio*, ſiue *præſcriptio peremptoria* a Iudice interlocutoria ſententia repulſa ſeu improbata fuerit, de quo ſane *tribus legibus* agitur; puta *l. 23.* & *24.* hic & *dict. l. 37. ſupr. de appellat.* Quinimo & id ipſum indicatur *fine quartæ legis*; puta *l. 25.* Sed & de eo accipienda *lex 18. ſup.* deque eo pleniſſime egi ad *d. leg. 37.* Rurſum ab executione appellari poſſe definit, ſi executor modum ſententiæ excedat: de quo ſpeciatim eſt *lex 25.* idemque iam cautum *d. leg. 18. ſup. h. t.* vbi dixi.

Tertio circa vtrumque etiam nonnulla præterea ab eodem Gratiano conſtituuntur. Ac primum circa præſcriptiones peremptorias, *l. 24.* (iuncta *lege 37. ſupr. de appellat.*) vt ſi plures præſcriptiones *peremptoriæ* alicui competant, vna tantum improbata appellari non poſſit, alioquin ſi appellatum, & ſuper ea appellatione a Principe cognitum fuerit, moxque aliam peremptoriam litigator apponat, eam quidem in proceſſo iudiciario defenſionis loco opponere poſſe, ſed propter eam non admiſſam appellara non poſſe. Scilicet vt maxime ſucceſſiuis pluribus appellationibus ad Principem locus in eodem negotio, & ob idem factum, eſſe non debet, ne alioquin Principis forte occupationes (ad quem appellatur a Sacro Cognitore) nimio plus interrumpantur (quam rationem ſuppeditat *lex 24. h. t.* & *lex 37. ſupr. de appellat.* de quo etiam v. quæ dixi ad *l. 3. ſupr. de diuerſ. reſcr.*) ita defenſionem ipſam præſcriptionis peremptoriæ alicui adimi hoc obtentu iniquum foret. Denique facilius appellationis auxilium ante definitiuam ſententiam adimitur, quam defenſionis: & parcius extraordinarium iuris remedium tribuitur, quam defenſio *iuxta ordinem iuris*: vt *hæc l. 24.* loquitur. Et hæc quidem ita obtinent, vbi a ſacro Cognitore ad Principem appellatur: aliud enim fuerit, ſi ad alium appelletur: toties enim tum appellari poteſt, quoties præſcriptio peremptoria improbata fuit; Atque ita accipio *legem 24. in fine.* Et rationem differentiæ hanc ſubſumo, quod, non vt Principis, ita & aliorum Iudicum occupationes diffindi adeo interſit, in hoc poſitorum, vt de appellationibus iuſtis cognoſcant, cuiuſmodi eſt appellatio ab improbata præſcriptione peremptoria. Et hæc de præſcriptionibus peremptoriis, (quibus addi poſſunt, & quæ notaui *ſup. ad l. 3 de diuerſ. reſcriptis.*) Et ſic de *lege 24.*

Sequitur quarto loco ordo quem obſeruari vult Gratianus appellatione facta ab executore modum iudicationis excedente. Nempe ſi de re mobili agatur, eam ideo collocandam, ideſt, (quod Tribonianus recte addidit) *Sequeſtro ponendam*, de quo ſequeſtrandi more iureque, dictum ad *leg. vnic. ſupr. de pecuniæ ſequeſtratione prohibita*, ea videlicet *lege* (quæ omni ſequeſtrationi communis eſt,) vt videlicet ei parti reddatur, pro qua iudicatum fuerit. Si vero res immobilis fuerit, fructus vel iam perceptos ſeu extantes appellationis tempore, vel poſtea natos ſequeſtro pariter collocandos; quod & ipſum in omni prouocationis genere tradit Paulus *V. ſentent. 36. §. 1.* & Symmachus *lib. 10. Ep. 46.* Interea iure fundi penes appellantem conſtituto, id eſt, penes poſſeſſorem, aduerſus quem iudicatum eſt: neque enim proprietati, ſuſpenſa per appellationem ſententia, præiudicium fieri poteſt.

Poſtremo loco pœnam 50. librarum argenti imponit iniuſte appellanti, quibus alioquin caſibus recte appellatur ab articulo & executione. Atque ita hac parte exæquatur vtraque appellatio, quæ *primo capite* diſtinguebatur. *Iniuſtæ* ſcil. appellationis pœna ſemper eſſe debet: non etiam *importunæ* ſemper.

XXVI. (a) Imppp. GRATIANVS, Valentinianus & Theod. AAA. ad Hypatium P. V. (b)

QVISQVIS, ne voluntas diem (c) functi *Teſtamento* ſcripta *reſeretur*, vel ne hii, quos ſcriptos patuerit, *Heredes*, Edicti (d) per Diuum Hadrianum conditi beneficium conſequantur, auſus fuerit prouocare, interpoſitamque appellationem, cuius (e) de ea re notio erit, recipiendam eſſe crediderit, viginti librarum auri (f) multa, & litigatorem qui tam inportune (g) appellauerit, & Iudicem qui tam ignaue (h) conhibentiam (i) adhibuerit, inuoluat. Dat. Non. April. Treu. (k) Auxonio & Olybrio Coss. [379.]

INTERPRETATIO. *Lex iſta ſpecialiter iubet, (l) vt ſi quis a quocunque conditum teſtamentum per appellationem differre voluerit, vt non debeat reſerari, & ſcriptum heredem ab adeunda hereditate ſuſpendere, & in hac parte Iudex appellatori voluerit præbere conſenſum, vt quo minus ſcriptam voluntatem non ſubſequatur effectus, tam ipſe Iudex, quam is qui appellauerit, viginti libras auri fiſco cogantur exſoluere.*

NOTAE.

P. 311. (a) *Lex 6. C. Inſt. eod. tit.* GOTHOFR.

(b) *Hypatius* ſub Gratiano P. V. Romæ ſcil. poſtea Præfectus Prætorio A. D. 382. 383. v. *Conſul. Theod.* & *Indicem Perſ.*

Geminæ Hypatii huius Præfecturæ meminit Ammianus Marcellinus *lib.* 29. *cap.* 2. v. quæ notaui ad *l.* 13. *ſupr. de extraordin. ID.*

(c) *Voluntas defuncti*, Cod. Iuſt. *ID. Voluntas diem defuncti*, MS. G. *RITTER.*

(d) Pro his, *Edicti per D. Hadrianum conditi beneficium conſequantur*, in *Cod. Iuſt.* legitur, *in poſſeſſionem mittantur*, de cuius immutationis ratione mox dicam, *GOTHOFR.*

(e) *Is cuius*, C. Iuſt. & Edit. Sichard. *ID.* Male MS. G. hic, *interpoſitaque appellatione cuius de ea re nuntiatio erit. RITTER.*

(f) Ita quoque in *MSS. Cod. Iuſt.* editi vulgo male *argenti. GOTHOFR.*

(g) *Importuna* appellatio, intempeſtiua; vt in ſp. *huius l.* & in cauſa Interdicti, vel a præiudicio. *ID.*

(h) *Ignauam* C. Iuſt. *ID.*

(i) *γρ. Conniuentiam. ID.*

(k) *γρ. Non Aug.* vt recte notatum in *Chronolog.* Menſe Aprili enim Gratianus in itinere, Sirmio Italiam verſus, conſtitutus fuit. *RITTER.*

(l) *Pracipit*, MS. G. *ID.*

COMMENTARIVS.

ADVERSVS ſententiam, qua TESTAMENTI apertura mandatur; item aduerſus HÆREDVM ſcriptorum miſſionem in bonorum defuncti poſſeſſionem, appellare non licet; Quod præter *hanc l.* docet *lex vlt. D. de appellation. recip. vel non*: nempe quia res hæc dilationem non recipit, vt *d. l. vlt.* expreſſum eſt; neque huic rei moram fieri quocunque obtentu oportet, de quo videndi ſunt, *Tituli, quemadmodum teſtamenta aperiantur*, & *tit. Cod. Iuſt. de Edicto D. Adriani tollendo, & quemadmodum ſcriptus hæres in poſſeſſionem ducatur*: & Paulus *lib. III. ſentent. tit. 6. § 14. 15. 16. 17. 18.* Vide & de hac re Scaccium *de appell. quæſt. 17. limit. 5.*

Vt hæc notiſſima ſunt, ita Tria *hac l.* notanda ſunt. *Primum* de Edicto D. Adriani (cuius etiam mentio fit *l. vlt. ſupr. de teſtam.* & *Nouell. Valentin. de teſtamentis* 4.) nempe Edicto D. Adriani, ſcriptus hæres intra annum poſt aperturam teſtamenti, ſubmota omni fruſtratione, in poſſeſſionem rerum hæreditariarum mittebatur, Id quod occaſione Viceſimæ hæreditatum inductum fuerat, ne qua videlicet tam neceſſario vectigali mora fieret; vt docet Iuſtin. *lege vlt. C. de Edicto D. Adriani toll.* neque hæres inſtitutus neceſſe habebat petere bonorum poſſeſſionem ſecundum tabulas, vt vice verſa ſi hanc mallet, beneficium Edicti non habebat, vt docet *d. lex vlt. ſupr. de teſtam*, & *d. Nouell. Valentin.* 4. verum ſublata poſtea a Iuſtiniano ex illo Edicto D. Adriani miſſio in poſſeſſionem *d. l. vlt. Cod. Iuſt. de Edicto D. Adriani toll.* ita vt etiam poſt annum ex eius conſtitutione hæres miſſionem impetret, neque ei obſtet præſcriptio longi temporis: Et hæc cauſa eſt, cur Tribonianus ex *hac l.* & *d. l. vlt. ſupr. de teſtam.* Edicti D. Adriani mentionem ſuſtulerit.

Secundum eſt de Iudice etiam ſupra dictam appellationem admittente, & importuno appellatore, XX. libris auri multando, de quo iam ſæpe dictum eſt, ac nominatim de pœna Iudici eo nomine imminente: vid. *leg. 10. 15. 16. ſupr. h. tit.* Symmach. quoque *lib. 2. ep. 30. Vt receptarum*, inquit, *appellationum pœnam Siciliæ Rector exolueret.* Et ita quidem Gratianus *hac leg.* At Theodoſius *l. 42. ſupr. de appell.* & Valentinianus Iun. *l. 44 eod. tit.* Iudicem non damnauit verecunde ſæpe ſuperfluam appellationem admittentem.

Tertium eſt, perſtringi videri *hac l.* ipſummet Hypatium PP. cui hæc *lex* inſcribitur, quod talem appellationem nimia lenitate admiſiſſet: Ammiani quippe Marcellini etiam de eo iudicium iſtud eſt, *fuiſſe eum virum quieti placidique conſilii, & lenium morum, lib. 29. cap. 2.* cuius vtique lenitatis vel maximum indicium eſt in Iudice, ſi ſuperuacuam etiam appellationem admittat.

XXVII. (a) Idem AAA. Hypatio (b) PF. Auguſtali.

VNIVERSI, quos in *Publicis* (c) contractibus manifeſtiſſimos (d) *Debitores* Cognitio Inquiſitioque (e) conuicerit, ſtatim, vt ſententia fuerit promulgata, obnoxii redhibitione (f) teneantur: Nec illis aliquid, ad (g) excogitandas fraudes & verſutias exerendas, moræ ac temporis relaxetur. Dat. VIII. Id. Maii, Conſtantinop. Merob. II. & Saturnino COSS. [383.]

NOTAE.

(a) Abeſt hæc *lex* a *Cod. Iuſt. GOTHOFR.*

(b) *Hypatius* Præfectus Auguſtalis ſub Theodoſio M. Eidem inſcribitur nouennio poſt, *lex* 31. *infr. h. t.* & *l.* 20. *infr. de nauicul.* Eiusdem meminit & Farrago Alexandrina apud Scaligerum in *Euſebianis p.* 70. ſub Anno 380. vide *Proſopogr. ID.*

(c) Ideſt, *fiſcalibus.* Vide & *l.* 19. *ſupr. ID.*

(d) Vide pariter *leg.* 8. 9. 18. 19. 21. *ſupr.* & *leg.* 30. *infr. h. t. ID.*

(e) *Diſcuſſoris*, de quo v. *leg.* 21. *ſupr. h. t. ID.*

(f) Ideſt, ſolutione. *ID.*

(g) Ideſt, ad appellandum. *ID.*

COMMEN-

COMMENTARIVS.

PVBLICIS ex contractibus ſeu FISCALIBVS manifeſtos debitores, appellandi ius non habere vt aliis *legibus* ita & *hac l.* a Theodoſio M. definitur: de quo iam *ſæpe*: quæ quidem ita, ſuadente Rubrica *huius tituli*, accipienda eſt. Quanquam illud ipſum etiam indicare videri poſſit, quod continetur *l. 31. inf.* quæ eidem Hypatio PF. Auguſtali inſcribitur. Cæterum eadem ratione Theodoſius M. debitoribus publicis aſyli ſeu ad Eccleſiam perfugii ius denegauit *l. 1. ſup. de his qui ad Eccleſ.*

XXVIII. (a) Idem AAA (b) Euchario (c) Proconſ. Palæſtinæ.

PROPTER neglectorum contumaciam præceptorum (d) obnoxios, beneficio prouocationis excluſo, pœnam (e) inferre, ſine aliqua procraſtinatione, præcipimus. Dat. X. Kal. Decembr. Conſtp. Merob. II. & Saturnino Coss. [383.]

NOTAE.

(a) Abeſt hæc *lex* a *Cod. Iuſt.* *GOTHOFR.*

(b) Reponendi *Imppp. Valentinianus, Theodoſius & Arcadius* & ita quoque *duabus legibus ſeqq.* *ID.*

(c) *Eucharius* Proconſul Palæſtinæ ſub Theodoſio M. v. *Proſopogr.* *ID.*

(d) Id eſt ſententiæ, quod mox plenius probabo. *ID.*

(e) Id eſt, multam. *ID.*

COMMENTARIVS.

A MVLTA CONTVMACIALI appellari non poſſe definit Theodoſius M. a multa inquam, contumaciali, puta ſi quis præcepto alicui Iudicis non pareat, atque ea re ob contumaciam, pœnæ ſeu multæ obnoxius factus fuerit. *Præceptorum* ſcil. appellatione *hac lege* exaudiendum eſt præceptum Iudicis: vel etiam ſententia: pariter vt *l. vlt ſup. de ſententiis ex periculo recitand. Conditio*, inquit, *præceptorum partibus præſentibus habita non poteſt immutari*, id eſt vt recte interpretatus eſt Anianus, quicquid præſentibus partibus in cauſis fuerit ordinatum. Eodem quoque ſenſu *l. vlt. D. quæ ſententiæ ſine appellat.* Paulus dixit; *Impoſſibile præceptum Iudicis;* quam mox *ſententiam* vocat, *cui pareri rerum natura non potuit*. Neque enim Cuiacio aſſentiri poſſum, qui hæc a ſe inuicem diſtinguit: Nempe de impoſſibili ſententia duo reſponſa Pauli ibi referuntur: primo, eam nullius eſſe momenti; ſecundo, (quod prioris reſponſi conſequens erat, verum alterius reſponſi eſt) ſine cauſa ab ea appellari, id eſt ita nullam eſſe, vt ab ea appellare neceſſe nil ſit. Neque alio ſenſu apud Modeſtinum *præceptum* dicitur *l. 11. D. de except. præſcript. & præiud.* Nam & *ibidem* ſententia Iudicis vocatur. Neque quicquam obſtat, quod ibi *præceptum ſiue interlocutio Iudicis* dicitur. Interlocutio enim ibi non definitiuæ ſententiæ opponitur, verum pro ipſa ſumitur ſententia definitiua, quo ſenſu etiam accipitur *interloquendi* vox *l. 1. §. 1. D. de conſtitut. princip.*

Vt ad *legis* ſententiam redeamus: a contumaciali multa, eo quod ſententiæ ſeu præcepto Iudicis paritum non ſit, appellare non licet. Secundum ius poteſtatis ſcil. ſuæ, Iuriſdictionem ſuam pœnali Iudicio magiſtratibus defendere licet, ſine quo vana & illuſoria alioquin omnis eſſet Iuriſdictio, *l. vlt. § 1. D. de offic. eius cui mandata Iuriſd.* & *tit. D ſi quis ius dicenti non obtemperauerit.* Alias, ſeu in aliis multis, quæ delictis irrogantur, appellare licet, *l. 38. ſup. de appellat. l. 244. D. de V S l. 2. D. quis a quo appelletur.* & *l. 5. C. Iuſt. quando prouoc. non eſt neceſſe.*

XXIX. (a) Idem AAA. ad Pelagium Com. (b) R. P.

ANTE certum (c), *ſententiæ* tempus, & ordinem euentus, (d) a Diſcuſſore, vel a Rationali appellare non liceat, &c. Dat. XV. Kalend. Mar. Med. Arcad. A. 1. & Bautone Coss. [385.]

NOTAE.

(a) *Lex 7 Cod. Iuſt. eod. tit.* Iungenda autem *huic* eſt *lex 45. ſup. de appellat.* *GOTHOFR.*

(b) *Pelagius* Comes R. P. ſub Valentiniano Iun. v. *Proſopogr.* *ID.*

(c) Abeſt hæc vox a *Cod. Iuſt.* *ID.*

(d) *Nec a Diſcuſſore, nec a Rationali appellari liceat*; ita *Cod. Iuſt.* *ID.*

COMMENTARIVS.

ANTE DEFINITIVAM ſententiam, vt cæteroquin appellare non licet, (de quo innumeris iam *legibus*) ita neque a *Diſcuſſore*, vel a *Rationali* ex hac Valentiniani Iunioris conſtitutione, qui id vniuerſum de appellationibus a Diſcuſſore vel Rationali diligentius cauit, ad quem videlicet eas fieri opor-

oporteat, & intra quod tempus peragi debeant, *l. 45. ſup. de appellat.* quæ *huic* eſt iungenda. De Diſcuſſoribus alioquin actum iam *l. 21. ſup.* & ſuum habent *titulum lib. X.*

P.314.

XXX. (a) Idem AAA. ad Florentinum (b) Com. S. L.

SÆPE (c) cautum eſt, *Euidentisſimos* (d) *Debitores* (e) appellantes audiri nullatenus oportere. Deinde, ab *Exſecutione* adeo poſſe neminem prouocare, vt ſi hoc forte temprauerit, vt poſtea (f) a præiudicio appellans, ad quinquaginta librarum argenti multam iure retinendus ſit, &c. Dat. VII. Kalend. Decembr. Aquil, Arcad. A. I, & Bautone Coss. [385.]

NOTAE.

(a) Abeſt & hæc *lex a Cod. Iuſt.* Iungenda *huic* eſt *lex 46. ſup. de appellat.* GOTHOFR.

(b) *Florentinus* Comes S. L. ſub Valentiniano Iun. vocatur *Florentius d. l. 46. v. Proſopogr.* ID.

(c) Puta *l. 6. 8. 9. 10. 12. 13. 18. 19. 21 27. ſup. h. t.* & *aliis ſub tit. de appell.* ID.

(d) Ita pariter *l. 8. 9. 18. 19. 21. 27. ſup. h. t.* ID.

(e) *Debitorum* appellatione ſpeciatim intelligendi debitores fiſcales, vt etiam *huius l.* inſcriptio docet, & *d. lex 46. ſup. de appellat.* de quo pleniſſime dixi ad *l. 6. ſup. de diuerſ. reſcript.* & *l. 6. ſupr hoc tit.* ID.

(f) Interea dum quid certius alii afferunt, hunc locum ita reſtituam: *vtpote a præiudicio ſuo appellans*, hoc ſenſu, eum qui appellat ab executione, *a ſuo & proprio præiudicio* appellare: nempe qui ſententiæ ſemel acquieuerit, non appellando. Perperam vero hæc habere exinde liquet, quod ſuperioribus nequicquam aptari poſſint, ac inſuper a præiudicio ſeu articulo prouocans, nullam multam incurrat, ex *l. 23. ſupr. h. tit.* Niſi putemus antiquum Ius hic reduci *legis 15. & 16. ſup.* Tandem forte hic legendum, ſyllaba *præ*, ſuo loco reſtituta, ita *vt præpoſtere a iudicio appellans.* ID.

COMMENTARIVS.

FISCALIBVS in cauſis debitores manifeſti appellare non poſſunt ex *hac* quoque *lege* Valentiniani Iun. pariter vt frequentibus aliorum Principum conſtitutionibus: quarum recenſum inſtitui ad *l. 6. ſup.* non manifeſti poſſunt: quomodo etiam accipienda eſt *lex 46. ſup. de appellat.* quæ *huic* eſt iungenda. Item ab EXECVTIONE appellanti vetus 50 librarum multa imponitur, de qua *l. 15. 16 20 25. ſup. h. tit.* Eſt autem hæc *lex* pars Valentinianeæ conſtitutionis, qua modum fiſcalibus appellationibus poſuit: vnde deſumpta eſt *d. lex 46.* ad quam dicta huc arceſſi poſſunt.

XXXI. (a) Impp. THEOD. Arcad. & Honor. AAA. Hypatio (b) P. F. Auguſtali.

OFFICIVM, quod rettulit (c) prouocare *Conuictos*, vel appellare *Confeſſos*, triginta auri libras inferat fiſco: Nec vlla Epiſcoporum, vel Clericorum, vel Populi ſuggeratur (d) interuenire aut interueniſſe perſona: *Nec* enim *eos fas eſt adimi debitæ ſeueritati, qui pacem publicam, actuum perturbatione confuſam, rebelli contumacia miſcuerunt.* Non ignaro ipſo etiam Iudicante (e), niſi poſt ſententiam dictam impleuerit (f) ſuas partes, eadem ſe multa, qua Officium, eſſe plectendum. Dat. V. Id. Apr. Conſtp. Arcad. A. II. & Rufino Coss. [392.]

NOTAE.

(a) Abeſt hæc *lex a Cod. Iuſt.* Omiſit eam quoque Baronius in *Annal. ſuis.* GOTHOFR.

(b) *Hypatius* Præf. Auguſtalis ſub Theodoſio M. cui inſcribitur hoc ipſo tempore, *Prid. Id. April. lex 10. inf. de nauicular.* & ante nouennium *lex 27. ſup. hoc tit.* ID.

(c) Forte *pertulit*, id eſt permiſit: quanquam & hoc ferri poſſe ſcio. ID.

(d) Dicatur, ad ſpeciem & obtentum. ID.

(e) Ex collatione *l. 15. ſup de pœnis:* ipſum Præfectum Auguſtalem intelligo. ID.

(f) Id eſt, niſi ſententiam executioni tradiderit, & ſic eripi reos pœnæ ſiuerit. ID.

COMMENTARIVS.

DE CRIMINVM reis, conuictis, vel confeſſis, eſt hæc Theodoſii M. conſtitutio: qua duo definiuntur. Primo, his appellare non licere, quod cauetur *l. 1. 4. 7. 14. ſup.* & *l. vlt. inf. h. t.* & *l. 15. ſup. de pœnis:* (quæ vno tantum menſe hanc præcedit) quin potius debitæ ſeueritati eos ſubiici debere: Officialibus triginta auri librarum multa imponitur, ſi appellationi detulerint, & ſententiam executioni non tradiderint: vbi notandum conuictos vel confeſſos reos requiri, de quo ad *l. 1. & 7. ſup.*

Secundo (quod alterum *huiuſce l.* & potiſſimum caput eſt,) eripi criminum reos pœnæ debitæ vetat Theodoſius M. quorumcunque tandem interuentu: puta Epiſcoporum, Clericorum, aut Populi, pariter vt ante menſem *d. l. 15. ſup. de pœnis:* & poſtea quoque Arcadius filius eius, *l. 16. ſup. de pœnis, ſeu l. 57.*

Digitized by Google

l. 57. ſup. de appellationibus: quibus locis dicta huc arceſſi oportet.

Illud *hac l.* notari cupio, pertinere eam ad Ægyptum (cuius Præfecto hæc *lex* inſcribitur) vt ſeditinnum & turbarum cæteroquin nutriculam, & vt hæc *lex* loquitur eleganter, vbi multa ſæpe, *pacem publicam actuum perturbatione confuſam, rebelli contumacia miſcebant*, de quo dixi plene ad *l. vn.*
P. 313 *ſup. de his qui plebem aud. contra publ. diſcipl.* & *ad l. 3. inf. de his qui ſuper religione.* Et ſane eo quoque reſpicit hæc *lex:* illis verbis: *Nec enim eos fas eſt adimi debitæ ſeueritati, qui pacem publicam actuum perturbatione confuſam, rebelli contumacia miſcuerunt.* Quia & eripiendorum nominatim reorum debitæ pœnæ vſurpationem per Epiſcopos, Clericos, Monachos vel in Ægypto potiſſimum inoleuiſſe, iuxta *hanc l.* oſtendunt pariter *d. lex 15. & 16. ſup. de pœnis.* quibus inter alios de Præfecto *Auguſtali* pariter agitur. Cæterum hoc tempore Alexandrinus Ep. erat Theophilus: de quo etiam forte ſenſerit *h. l.* Theodoſius M. Notum enim ex Socrate *lib. 7. c. 13. 14 15.* Cyrilli exemplo, quantum hanc in partem ſibi Alexandrini Epiſcopi licere putauerint. Ne de monachis nunc agam, qui hoc ipſum vſurpare ſoliti.

Quod de *confeſſis* initio *leg.* additur, de eo in pari negotio tumultus videlicet Antiocheni, Libanius *orat. 21. in Ellebichum, p 532. Edit. Morelli.* quem locum retuli ad *l. 1. ſup.*

XXXII. (a) Impp. Arcad. & HONOR. AA. Apollodoro (b) Com. R. P.

ET *Publicarum* neceſſitatum, & *Priuati* ærarii poſcit (c) vtilitas, ne commoda, quæ Domui Noſtræ debentur, callidis debitorum artibus differantur. Quamobrem, eorum appellatione reiecta, qui aperte (d) manifeſteque conuicti ſunt, hoc obſeruari præcepti huius auctoritate cenſemus, vt ei quem conſtiterit eſſe publicum debitorem, appellationis beneficium denegetur. Dat. IV. (e) Id. Aug. Med. Arcad. IV. & Honor. III. Conss. [396.]

NOTAE.

(a) *Lex vlt. C. Inſt. eod. tit. GOTHOFR.*

(b) *Apollodorus* Comes R. P. ſub Honorio A D. 396. *ID.*

(c) *Depoſcit*, Cod. Iuſt. *ID.*

(d) Ita quoque *l. 8. in Interpretatione*, & *l. 9. 18. 19. 21. 27. 30. ſup. h. tit. ID.*

(e) *III. Id. Aug.* ita, *Cod. Iuſt. ID.*

COMMENTARIVS.

PRIVATÆ rei debitores manifeſti, id eſt publici debitores, appellandi ius non habere definit Honorius Imp. quod & ipſum cauetur *l. 6. 9. 12. 18. 19. & 21. ſup. hoc tit.*

XXXIII. (a) Imppp. Arcad. HONOR. & Theod. AAA. Neſtorio Com. & Duci. (b)

ALIQVANTOS in Tripolitana prouincia *Reos* temere ad appellationis conperimus auxilium conuolare, vt pœnam prouocatione diffugiant. Ideoque decernimus, vt, manentibus his, qui (c) de audientiæ diſcretione ſuperioribus ſunt decreta præceptis, in *Conuictos* tanquam (d) *Confeſſos* ſententia proferatur: ea nihilo minus (e) condicione ſeruata, vt nullus, *prius quam Iudicii formam* examen ſuſceptæ cognitionis inueniat, appellandi habeat facultatem. Dat. VII. Id. Decemb. Rauen. Arcad. A. VI. & Probo V. C. Coss. [406.]

NOTAE.

(a) Abeſt hæc *lex* a *Cod. Iuſt. GOTHOFR.*

(b) *Neſtorius* ſub Honorio Comes & Dux Tripolitanæ Prouinciæ, quod ipſa *lex* oſtendit, de quo Duce Prouinciæ Tripolitanæ, vide *Notitiam Imperii fol.* 166. Ante hunc Neſtorium memoratur, *l. 133. inf. de decurion.* Syluanus *Dux & Corrector limitis Tripolitani. ID.*

(c) *vp. quæ.* De huius vero loci ſenſu mox. *ID.*

(d) De hoc loco mox. *ID.*

(e) *Nihilominus*, pro pariter, ſimiliter. *ID.*

COMMENTARIVS.

IN CRIMINALIBVS, & CIVILIBVS cauſis, an & quando appellari poſſit? definit *hac l.* Honorius Imp. In criminalibus ſcil. cauſis; quod primum *huius l.* caput eſt; appellationem admitti vetat: de quo complures ſunt *huius tituli* leges, de quo eo dixi ſemel ad *l. 1. 4. 7. ſup.* ratione hic expreſſa,

quod ſcil. Rei criminum ad appellationis auxilium conuolare ſoleant, vt pœnam prouocatione diffugiant, adde vel differant. Quare Iudicis officium inſtruit in cauſis criminalibus *hac eadem lege.* Primo, vt quæ *de Audientiæ diſcretione* ſuperioribus *legibus* ſunt decreta, obſeruet, id eſt, ſi bene capio, ne in medio iudicii, animi ſui ſenſa prodat: ne alioquin rei appellandi materiam inde arripiant, verum vt diſcretionem ſeruet in audientia præbenda. Quam in rem vide *legem 2. ſupr. ad leg. Corn. de falſo:* & Gellium *lib. 14. cap. 2.* ſecundo, vt Iudex ſententiam proferat in *Conuictos tanquam confeſſos*, id eſt, non
p. 316. minus in conuictos, quam in confeſſos: In vtroſque igitur: & ſic in conuictos, etſi non confeſſos: de quo dixi iam ad *l. 1. 7. ſup.* Nam vt in ſponte confeſſum non aliæ ſunt Iudicis partes, quam vt reum condemnet, quod vulgatum alioquin eſt iuris axioma, ita pariter in legitime conuictum, tanquam confeſſum. Et hæc de primo *huius l.* capite ſeu de cauſis Criminalibus.

Secundo capite in Ciuilibus cauſis ante definitiuam ſententiam appellari vetat, de quo pariter ad *leges* ſuperiores.

Illud obſeruandum *hanc l.* pertinere proprie ad prouinciam Tripolitanam, pariter vt in eodem appellationis negotio *lex 33. 59. ſupr. de appellationib.*

SI DE MOMENTO FVERIT APPELLATVM.

TITVLVS XXXVII.

LIB. VII. COD. IVST. TIT. LXIX.

Si de momentanea poſſeſſione fuerit appellatum:

I. (a) Imppp. VALENTINIANVS, Theodoſ. & Arcadius AAA. ad Euſignium. PF. P. (b)

CVM de poſſeſſione & (c) momento cauſa dicitur, etſi appellatio interpoſita fuerit, tamen lata ſententia ſortiatur (d) effectum: atque (e) ita demum ad Noſtram Scientiam referatur. Ita tamen poſſeſſionis reformationem (f) fieri oportet, vt integra omnis proprietatis cauſa ſeruetur. Dat. XIV. (g) Kal. Dec. Med. Honor. NB. P. & Euodio Coss. [386.]

INTERPRETATIO. *Si de momento fuerit appellatum, momentariæ cauſæ audientiam proprietati obeſſe penitus non debere, quamlibet de momento videatur aliquid iudicatum, quod in effectum ſit ſine dubio deducendum, nec poſſit appellatione ſuſpendi. Iubet tamen reſtituto momento cauſam proprietatis ex integro debere cognoſci.*

NOTAE.

(a) *Lex vn. C. Iuſt. eod. tit.* Et concordat huic legi *lex 22. ſupr. tit. prox. quorum appellat.* GOTHOFR.

(b) *Euſignius* PP. Italiæ ſub Valentiniano Iun. v. *Proſopogr. ID.*

(c) *Et eius momento,* Ita *Cod. Iuſt. ID.*

(d) *Sortitur,* Cod Iuſt. vulgatus. Nam & veteres habent *ſortiatur. ID.*

(e) Hæc ſententia detracta *Cod. Iuſt.* de quo mox plenius. *ID.*

(f) De hac voce conſule *Gloſſarium. ID.*

(g) *XII.* MS. G. *ID.*

COMMENTARIVS.

A MOMENTO appellari non poteſt, id eſt, a poſſeſſionis reformatione & interdicto recuperandæ poſſeſſionis, de quo fuit quoque *lex 22. ſupr. tit. prox. quorum appellat.* & de eodem accipienda extrema *legis 18. eod. tit.* Symmachus *lib. 10. ep. 41.* biennio ante *hanc l. In cauſis*, inquit, *quibus momenti reformatio poſtulatur, appellationes recipi non oportet;* & rurſum ſine epiſtolæ, *Tunc Scirtius obtulit ſanctiones, quibus doceret, in reformatione momenti nullum eſſe appellationibus locum.* Vide & Edictum Theodorici Regis Gothorum *cap. 55.* Cæterum de *momenti* appellatione dictum fuit ad *leg. 4. & vlt. vnde vi.* Conſule & Symmachum & Caſſiodorum, & *leg. 2 ſupr. ad legem Corn. de falſ.* Pariter reformationis hoc in ſignificatu exempla *Gloſſarium* exhibet: Sed & paſſim Symmachus. Rationem huius conſtitutionis repete ex *d. l. 22 ſupr. quor. appellat.* cui ſubſcribunt *lex 2. 4. ſupr. vnde vi.* & *lex 3. ſupr. ad L. Iul. de vi.*

P.17. # DE POSSESSIONE AB EO, QVI BIS PROVOCAVERIT, TRANSFERENDA.

TITVLVS XXXVIII.

LIB. VII. COD. IVST. TIT. LXX.

Ne liceat in vna eademque cauſa tertio prouocare, vel poſt duas ſententias Iudicum, quas definitio Præfectorum roborauerit, eas retractare.

I. (a) Imppp. Valentinianus, THEODOS. & Arcad. AAA. Proculo P. V. (b)

QVi gemino iudicio fuerit ſuperatus, nec tamen obſtinatam illam (c) peruicaciam (d) putauerit relinquendam, ſed iterum prouocandum eſſe crediderit, ab eo ad petitorem mox poſſeſſio transferatur. Dat. XVI. (e) Kalend. Iul. Aquil. Tatiano & Symmacho Conss. [391.]

INTERPRETATIO. *Si quicunque in vna cauſa duobus iudiciis fuerit ſuperatus, & adhuc eandem agendi pertinaciam voluerit retinere, & iterum appellandum eſſe putauerit, in aduerſarium eius continuo poſſeſſio transferatur.*

NOTAE.

(a) Abeſt hæc *lex* a *Cod. Iuſt. GOTHOFR.*

(b) Proculus ſub Theodoſio M. P. Vrbis Conſtantinopolitanæ ſcil. Vide *Proſopogr.* & inter cæteras leges, *legem* 10. & 12. *infr. de annonis ciuicis:* de eodem vide Zoſimum *lib.* 4. *cap.* 52. & Claudianum *lib.* 1. *in Rufinum v.* 247. *ID.*

(c) Appellandi ſcil. *ID.*

(d) De *peruicaciæ* appellatione vide *Nonium cap.* 5. *num* 40. *ID. Pertinaciam*, MS. G. quæ vox ex interpretatione in textum irrepſit. *RITTER.*

(e) Eadem die, ex eadem Vrbe, ab eodem Theodoſio, data his ipſis Coss. *lex* 11. *infr. de paganis.* Verum ea neque inſcriptione, neque argumento conuenit. *GOTHOFR.* MS. G *XVI. Kal.* & unus ex Sichardi *Codd. VI. RITTER.*

COMMENTARIVS.

BIs in eadem cauſa qui appellat, ſi poſſeſſor ſit rei, qua de agitur, poſſeſſio ab eo in petitorem hac Theodoſii M. conſtitutione transferri iubetur. Vt maxime ſcil. bis iam olim prouocare licuerit, pro gradu videlicet & ſubordinatione, ſic vt dicam, magiſtratuum: Denique prout a magiſtratu aliquo appellare licuit cuius rei exempla ſuppeditat *lex 38. D. de minoribus:* & *lex 122. §. 6. D. de V. O.* in quarum ſpecie primum a Prætore ad Præfectum Vrbis, dein a Præfecto V. ad Principem prouocatum fuerat; attamen *obſtinata* hæc *peruicacia*, vincere tandem aliquo iudicio volentis, atque aleam iudicii tam ſæpe tentantis, eatenus ſaltem plectenda viſa fuit, vt rei petitæ poſſeſſio interim in aduerſarium transferretur; ne commodo poſſeſſionis hac iudiciorum perambulatione graduaria & frequenti, petitor defraudaretur, qui duo iudicia iam pro ſe pertuliſſet; atque adeo vel poſſeſſionis commodo iuuandus, videbatur. Et alioquin contumaciæ & dolo in aliis quoque caſibus pœna hæc poſita, poſſeſſionis, inquam, translationis: vt in ſpecie *l. vlt. D. de rei vindicat.* & *l. 8. Cod. Iuſt. quomodo & quando Iudex ſentent. proferr. deb.* Interim diſſimulandus non eſt Cuiacii error ſolemnis, qui ex *h. l.* colligebat, olim bis appellare non licuiſſe: Quem & duæ illæ leges *Digeſtorum* aperte refutant, & hæc ipſa Theodoſii M. quæ non bis appellare vetat: propter *obſtinatam peruicaciam*, vt ait lex, verum bis appellanti poſſeſſionis commodum tantum aufert: Tandem vt iterum appellare iam olim licuit, ita tertio appellandi facultatem ademit Iuſtinianus *l. vn. C. Iuſt. eod. tit.* qui ideo *hanc l.* abdicauit. & *Nouella 82. c. 5. de iudicibus.* Atenim Athalaricus apud Caſſiodorum IX. *Var. 18.* in vna cauſa ſecundo appellari paſſus non eſt: *Ne quod*, inquit, *ad remedium repertum eſt innocentis, aſylum quodammodo videatur eſſe criminoſis:* pœna addita: *ſi quis vero vetita iterare tentauerit, negotio priuatus abſcedat.*

P.318.

DE FIDE TESTIVM ET INSTRVMENTORVM *

TITVLVS XXXIX.

* Concordant *huic titulo* duo *Tituli Codicis Iuſtinianei lib. IV.* nempe *Titulus* 20. *de teſtibus:* & *tit.* 21. *de fide inſtrument.* Nexus huius *tituli* cum *ſuperioribus* manifeſtus eſt. *GOTHOFRED.* In MS. G. titulus ita conceptus: *De fide teſtium & chartarum, id eſt, inſtrumentorum. RITTER.*

PARATITLON.

1. PRObatio, *l.* 1. & *l.* 12. *hoc tit.* probationum neceſſitas, *d. l.* 1. & 12. *h. t.* incumbit petitori, *d. l.* 1. & 12. *h. t.* & *l. vn. ſupr. de pecun. ſequeſtr.* quandoque & reo, de quo mox in *tertio cap. huius Paratitli*. In cauſa *Inofficioſi*, cui probatio incumbat, vid. *l.* 2. *ſupr. de inoff. teſt.* Debiti a defuncto probatio quomodo fiat, v. *l. vn. ſupr. ſi certum pet. de chirogr.* Abſens quoque accuſatus nonniſi probationibus conuictus damnandus eſt, *l.* 9. *hoc tit.* Breuis inter chartulas deportati, debitorem aliquem non probat: *l.* 3 *ſupr. de fiſci debitoribus.* vide & de probationibus *l.* 1. *ſupr. quorum appell. l.* 41. *infr. de Epiſcopis,* & legem ſuppoſititiam 1. *infr. de epiſcopali iudicio.* Fit porro probatio vel Tabulis vel Teſtibus, *l. vn. de his qui ven. ætat.* Hinc fides Teſtium & Inſtrumentorum, *Rubr. h. tit. l.* 3. *ſupr. de fiſci debitor. l.* 2. *ad leg. Corn. de falſo:* vel teſtibus documentis, ſignis, *l.* 3. *ſupr. de abolitionib.*

2. Testes. De his præter *leges huius tituli*, ſunt præterea *lex vn. ſup. ne in ſua cauſa: lex* 1. *ſup. de raptu virgin. l.* 4. *inf. de Apoſtatis: l. vlt. ſupr. de accuſat. l. vlt. ſupr. de abolition. l.* 3. *ne præter crim. maieſt. l. vn. de his qui ven. ætat. l.* 1. *de dilat. l.* 1. *de teſtam.* Dicuntur neceſſariæ perſonæ, *l. vlt. h. t.* a quibus fides notitiæ poſtulatur, *d. l. vlt. h. t.* quique ideo in iudiciis exhibebantur: vnde exhibitio teſtium, de qua *d. l.* 3. *ne præter crim. maieſt.* vſus quoque horum in probandis morum ſuorum inſtitutis & probitate animi eorum, qui veniam ætatis impetrare volunt, *d. l. vn. de his qui ven. ætat.* Eſſe non poſſunt teſtes vlli In re ſua, *l. vn ſupr. ne in ſua cauſa:* Qui ſanctam fidem prodiderunt & ſacrum Baptisma profanarunt: *l.* 11 *hoc tit.* & *d. l.* 4. *de Apoſtatis:* Liberti aduerſus patronos, *d. l. vlt. ſupr. de accuſat.* Fœminæ quoque a teſtimoniis prohibitæ, *d. l.* 1. *de raptu virginum.* Epiſcopum ad teſtimonium dicendum flagitari, vel admitti non decebat: *l.* 8. *hoc tit.* Venturis his ad iudicium, ſeu excitis, ſumptus competentes dandi ſunt per accuſatorem, aut ab his per quos fuerint poſtulati, *l. vlt. h. t.* Priusquam perhibeant teſtimonium, Iuriſiurandi religione arctandi ſunt: *leg.* 3. & 10. *hoc tit.* Teſtes in cuſtodiam quandoque coniiciebantur ad teſtimonium dicendum, *l. vlt. ſupr. de abolitionib.* Quæſtioni etiam ſubiiciebantur, *d. l.* 10. *hoc tit.* nonnullis exceptis, veluti presbyteris, *d. l.* 10. *h. t.* Vnius teſtimonium Iudex nunquam admittere debet, *l.* 3. *hoc tit.* Honeſtioribus denique fides potius habenda: *d. l.* 3. *h. t.* De Teſtamentariis tandem teſtibus, numeroque in teſtamento requiſito, vid. *l.* 1. 3. *ſupr. de teſtamentis.*

3. Instrvmenta, *Rubr. h. tit.* & *l.* 1. *ſupr. de dilationib.* dicuntur & ſcripturæ, *l.* 2. & 4. *hoc tit.* & *l* 9. *de infirm. his quæ ſub Tyrann.* γραμμάτια *l.* 5. *hoc tit.* Varias ſpecies inſtrumentorum vel ſcripturarum cumulatas habes in *Indice, in v. ſcriptura.* Habent ea vim magnam, *d. l.* 5. *h. t.* vnde fides inſtrumentorum, *Rubr. h. t.* & *l.* 7. *ſupr. de pactis.* Scripturis fides rerum, aut ratio probatur, aut debita: *l.* 9. *de infirmand. his quæ ſub Tyr.* Sub Tyrannis quoque factæ valent: *d. l.* 9. Ad inſtrumenta vel teſtes proferendos dilationes datæ, *l.* 1. *de dilationib.* Prolator ſcripturæ, eam affirmare debet, ideſt, fidem eius probare, *l. vn. ſi certum pet. de chirogr.* Priuata teſtatio fidem non facit, *l.* 2 *de denunciat.* diuerſæ, & ſidem ſibi inuicem derogantes, ab altera parte prolatæ, nihil firmitatis habent, *l.* 2. *hoc tit.* ſi ſuſpectæ, falſæ, aut nefariæ ſcripturæ produci dicantur, cui probatio incumbat, *quatuor huius tit. legibus* definitur: puta *l.* 4. 5. 6. 7. & *l.* 2. *ſupr. de teſtam. l.* 2. *ſupr. ad leg. Cornel. de falſo.*

4. De

4. De PRÆSVMPTIONIBVS, v. *l.* 8. *ſupr. ad leg. Iul. de adulter.* De ARGVMENTIS, v. *l.* 1. *ſupr. quorum appell.* de SIGNIS, v. *d. l.* 3. *ſupr. de abolitionib.*

P. 310.

POSSESSORI *quandoque iuris ſui probationem incumbere.*

I. (a) Imp. CONSTANTINVS A. Aurelio Helladio. (b)

ETSI *Veteris Iuris definitio* (c) & *retro Principum Reſcripta*, in iudicio petitori eius rei quam petit, neceſſitatem probationis dederunt, (d) tamen nos, æquitate (e) & iuſtitia moti, iubemus, Vt ſi quando talis (f) emerſerit cauſa, in primordio, iuxta *Regulam Iuris*, petitor debeat probare, *Vnde res ad ipſum pertineat:* ſed ſi deficiat pars (g) eius in probationibus, tunc demum poſſeſſori neceſſitas inponatur probandi, (h) *Vnde poſſideat*, vel *Quo iure teneat:* vt ſic veritas examinetur. Dat. Naiſſo XV. Kalendas Octobr. Paulino & Iuliano Coss. [325.]

NOTAE.

(a) Abeſt, hæc *lex* a *Cod. Iuſtin.* De ratione mox viderimus. *GOTHOFR.*

(b) *Helladio* huic hoc ipſo Anno inſcribitur *lex* 5. *Cod Iuſt. de poſtulando:* quæ eſt de pacto de Quota litis, deque Aduocato ob id aduocatione interdicendo. Vnde, Rectorem prouinciæ fuiſſe, colligo: v. *Proſopogr. ID.*

(c) *Veteris iuris definitio* eſt, Regula iuris, vt mox vocatur: v. Cuiac. *VII. Obſerv.* 19. Morem iudiciorum vocat *lex* 2. *Cod. Iuſt. de probat.* Diceremus hodie, *ſtilum. ID.*

(d) Id eſt, impoſuerunt, iniunxerunt *ID.*

(e) *Æquitatis* & *Iuſtitiæ* vocabula eodem ſenſu, & vt ſynonyma coniunguntur hic, & ſæpe alias: veluti *l.* 5. *ſupr. de metatis: l.* 15. *ſupr. de accuſat.* in *l.* 8. *Cod. Iuſt. de iudiciis:* & in veteri *Gloſſ.* vbi *δικαιοσύνη*, *Æquitas & Iuſtitia* explicatur: & apud Tullium in *Topicis cap.* 24. Idemque eodem ſenſu vſurpat, *lib.* 1. *de Legibus c.* 18. & *Philipp.* 9. *cap.* 5. *ID.*

(f) Qualis hæc cauſa? mox dicam. *ID.*

(g) *Μέρος αὐτοῦ*, ideſt, a parte eius probationes deficiant. *ID.*

(h) Prodendi, edicendi, *ID.*

COMMENTARIVS.

CVINAM probatio incumbat in Realibus actionibus Reique vindicatione, petitori an *poſſeſſori*: ad hunc inquam locum, & quæſtionem pertinet hæc Conſtantini M. conſtitutio, data A. D. 325. eaque admodum ſingularis. Nam cum (quod ipſe profitetur) *Veteris* hæc *iuris definitio* ſit, ideſt, *Regula iuris*, (quomodo & mox vocat) retroque Principum reſcriptis firmata, conteſtatiſſima, conclamatiſſima: cuius infinita ſunt teſtimonia, in quibus eſt & *lex* 12. *infr. hoc tit.* (quæ eſt *Cod. Iuſtin. lex* 11. *de petit. hered.*) *lex* 4. *Cod. Iuſt. de edendo: l.* 6. *D. de rei vind. l.* 16. & 23. *Cod. Iuſt. de probat. l.* 2. 5. 12. & 19. *D. de probation.* & §. 1. *Inſt. de action.* & 4. *Inſt. de interdictis* petitorem ſcil. ſeu actorem probare debere, vnde res ad ipſum pertineat, ideſt, edicere & edocere de iure ſuo, titulumque iuris, & dominii quod vindicat, probare oportere; ſic vt actore non probante reum & poſſeſſorem abſolui oporteat, etſi nihil ipſe præſtet; Contra poſſeſſorem cum quo agitur, edicere non teneri, *Vnde poſſideat*, vel *quo iure teneat*; denique munus non poſſeſſoris ſed petitoris eſſe implere dominii probationem: Attamen Conſtantinus M. *hac l.* ab antiqua illa iuris regula in partem recedit. Nempe enim in caſu quodam id definit, in primordio quidem cauſæ, petitori probationem incumbere: Sed eo deficiente in probatione, poſſeſſorem, originem & titulum poſſeſſionis ſuæ probare oportere: Quod quidem etiam ab *æquitate* & *iuſtitia* commendat. Pariter vt Alexander Imp. in caſu quodam ſpeciali in *l.* 5. *Cod. Iuſt. de furtis*: ait, CIVILE *eſſe poſſeſſorem rei exhibere venditorem, volentem euitare alienam bono viro ſuſpicionem* Cum contra pro Regula iuris dicatur in *d. l.* 12. *D. de probationibus*: ÆQVIVS *videri, vt petitor probet quod intendit.* Et Tribonianus in *d. l.* 11. *Cod. Iuſt. de petit. hæredit.* (quæ alioquin deſumpta eſt ex *l.* 12. *infr. hoc tit.*) INCIVILE *eſſe cogi poſſeſſorem, ab eo qui expetit, titulum ſuæ poſſeſſionis dicere.* Verum, caſus quidam ſingulares ſunt, quibus hæc Regula, quæ *prima fronte* (vt dicitur *d. l.* 12. *D. de probat.*) obtinere debere videretur, vitium patitur. Neque enim vnquam placuit eorum ſententia, qui hanc *legem* generalem eſſe putant, atque adeo velut iniquam & abſurdam, *dicta lege* 12. *infr. h. t.* abrogatam produnt, ceu veteri Iuri contrariam, quod magis placuerit Iuſtiniano: Non eſt, inquam, hæc *lex* generalis, neque veteris iuris abrogatoria, quod hæc eius verba oſtendunt: *Si quando* TALIS *emerſerit cauſa:* Verum caſum ſingularem tantum aliquem indicat, in quo vitiatur hæc Regula, intacto veteri iure, ſeu Regula Iuris: qui quidem caſus continebatur in integra Conſtantini M. conſtitutione, vnde hæc *huius l.* ſtrictura ſeu ſententia deſumpta eſt: vt oſtendit vox TALIS, ad integram conſtitutionem relatiua. Quod inter næuos *huius Codicis* Conditorum ponendum eſt. Eaque etiam vera cauſa fuit Triboniano *huius l.* abdicandæ. Videndum

dendum igitur quænam Talis cauſa, quis Talis caſus dari poſſit; vbi *deficiente*, in probatinne intentionis ſuæ, Actore, probatio a Reo ſeu poſſeſſore deſideratur. Hue vero non pertinent caſus illi, quibus probatio a Reo ſeu poſſeſſore deſideratur. Hue etiam oon pertinent caſus illi, quibus ad probationis actoris excluſionem, ideſt, cum actor intentionem ſuam concludenter probauit, nempe dominium quod petit ad ſe pertinere, vel rem a ſe creditam, poſſeſſor ius ſuum, ſeu iuſtam poſſeſſionem, vel debitum ſolutum, deoique exceptionem ſuam probare cogitur: qoo ſane pertinent *d. lex 12. D. de probat lex 1. & l. 16. Cod. Iuſt. de probat. lex 9. Cod. eod. de præſcr. longi temp. lex 9. Cod. eod. de exception.* Quos alioquin caſus Doctores notant, ac nominatim, qui de *Poſſeſſione* ſcripſerunt, & de *Probationibus:* ſunt enim
P. 320. hi caſus omnes ab *huius legis* ſpecie alieni; imo contrarii: Talis enim hic caſus quærendus eſt, vbi pars aduerſa ſeu Actor in intentionis ſuæ probatione defecit: *Si deficiat*, inquit, *pars eius in probationibus, tunc demum poſſeſſori neceſſitas imponatur probandi:* Pars eius, μέρος αὐτοῦ, ideſt, ipſe petitor: ſic & *infr. leg. 12.* Interpres, *a petitoris partibus requiratur.* Et certe Talis caſus continetur in *d. l. 5. Cod. Iuſt. de furt.* Finge: Rem aliquam poſſides, quam ego meam eſſe iudicio rei viodicationis contendo, quaſi furto, alioue quo iniuſto titulo mihi ereptam, veluti per potentatum vel impreſſiooem, vel ſcelerata depoſitione: *In primordio litis* probationes præſtare enitor, verum in his deficio: & ſic cauſa cadere me neceſſe eſt, ſecundum veterem iuris definitionem ſeu Regulam. Et hoc tamen caſu, non ideo Iudicis officium ceſſare debet: imo, quidni iuſtum, æquum ſit, Iudicem a poſſeſſore titulum ſuæ poſſeſſionis exigere: *vt ſic*, inquit Conſtantinus, *veritas examinetur.* Quare Thalelæi diſtinctio *lib. 60. Baſil. tit. 6.* ad ea verba, *furem edicere*, non improba eſt: *ſi ſit*, inquit, *quæſtio de nudo dominio, non cogitur poſſeſſor dicere, vnde poſſideat: ſed ſi ſit quæſtio de furto, conuentum actione furti dicere oportere, vnde poſſideat.* Alioquio Doctores ita diſtinguunt: ad fundandam, informandam actionem ſeu intentionem Actoris, a Reo probationes titulumque poſſeſſionis non requiri, ipſum enim Actorem in primordio probare debere: atenim deficiente Actore in probatione, & ſic victo eo, Reum non in vtilitatem Actoris, verum in ſui ipſius vtilitatem, & ad euitandam ſuſpicionem alienam a bono viro, inſtruendamque Iudicis religionem, probare titulum poſſeſſionis ſuæ debere: Non igitur *in primordio litis*, vt *hac lex* ait, id reus facere cogitur: ſeu non *edicere*, vt loquitur *d. lex 12. h. t.* ad fundandam ſcil. intentionem Actoris; verum, poſt exitum litis, ſeu poſt, dicere cogi. Verum Thalelæi diſtinctio & conciliatio magis placet. Fingi poſſit nominatim argumento aliquo *Legis 5. Cod. Iuſt. de poſtulando*, (quæ eidem Helladio hoc ipſo Anno inſcripta eſt,) caſus hic: Rem aliquam poſſides tu Aduocatus: ego meam eſſe contendo, quia eam a me aceeperis iniuſto titulo, ex pacto videlicet de quota litis. In primordio equidem litis, dominii probationem implere cogor: ſed qoid fiet, ſi in probatione deficiam? ſane, ad eluendam adhuc ſuſpicionem Viro bono alienam, & ſic vt *veritas examinetur*, quidni æquum, iuſtum ſit, te titulum poſſeſſionis tuæ edicere? Quare & *hac lex* argumentum fuerit Conſtantinianei aoimi, ex æquitate quadam a Regulis Iuris recedentis, ad tueodam viri boni exiſtimationem, eluendamque malæ fidei ſuſpicionem. Denique ita omnibus expenſis rem concilio: ſi *nude & ſimpliciter*, ψιλῶς περὶ δεσποτείας, vt Thalelæus loquitur, Actor dominium rei vindicet, rei vindicatione agat, eo in probatione deficiente poſſeſſor nihil præſtare cogitur, verum ſi *cauſam & cauſationem* aliquam addat, quæque iam Reum perſtringit, veluti rem ſuam eſſe, quia poſſeſſor eam iniuſto titulo poſſideat, ſibi ereptam, ſane hoc caſu poſſeſſor ea, quam ſæpe dixi, ratione probare debet, *Vnde poſſideat, quo iure teneat, vt ſic veritas examinetur:* Vt proinde iam in praxi *huic legi*, etſi a Triboniano abdicatæ, locus hodie adhuc omnino eſſe poſſit, non equidem promiſcue, verum in iis, quos dixi, certiſque aliis ſimilibus ſeu Talibus caſibus ſingularibus.

De DIVERSIS *inter ſe ſcripturis ab eadem parte prolatis:*

II. (a) Idem (b) A. & Cæſ. (c) ad Seuerum Comitem Hiſpaniarum. (d)

SCRIPTVRÆ diuerſæ, & (e) fidem ſibi inuicem derogantes, ab altera (f) parte prolatæ, nihil firmitatis habere potuerunt. (g) Dat. IV. (h) Non. Maii, Conſtp. Dalmatio & Zenofilo Coss. [333.]

INTERPRETATIO. *Si quis multiplici ſcriptura contractum ſuum munire cupiens, de vna re venditionem, & donationem proferat, vel quæcunque alia documenta omnia reſcindantur: quia impugnantes ſe chartulas lex hæc vetat admitti.*

NOTAE.

(a) *L. 14. C Iuſt. de fide inſtrumentorum.* Iungenda autem *huic* eſt *lex 5. ſupr. de donationib* GOTHOFR.

(b) In Cod. Iuſt. *Iidem AA. & CC.* ideſt, *Diocletianus & Maximianus* &c. male: hinc igitur reſtituenda ibi Inſcriptio *ID.*

(c) Imo CC. i. e. *Conſtantinus iun. & Conſtantius.* Fine enim huius anni demum *Conſtans* Cæſar factus eſt. Vid *Chron. hiſtor.* & PAGIVM *in Critic. ad Annal. Baron. h. a. n. 2.* RITTER.

(d) *Seuera*

(d) *Seuerus* Comes Hiſpaniarum ſub Conſtantino M. V. *Proſopogr* GOTHOFR.

(e) An *&*, pro *ſeu*? qua cauſa vocula, *&* omiſſa fuerit in *Cod. Iuſtin* & continue iſta legantur, *Scriptura diuerſa Fidem ſibi inuicem derogantes*: ſic *diuerſæ profeſſiones, l.* 13. *D. de probat.* *ID.*

(f) *Ab vna eademque parte*: ita *Cod. Iuſt* de quo mox. *Altera*, pro alterutra. *ID.*

(g) *Poterunt*, Cod. Iuſt. & Edit. Sichard. vt ita ab hypotheſi ad theſin iſtud reduceretur. *ID.*

(h) *IV. Kal. Maii Viminacii CC. Conſ.* ita *Cod. Iuſt.* male; hinc igitur reſtituenda eius ſubſcriptio. *ID.*

COMMENTARIVS.

DE CONTRARIORVM inter ſe INSTRVMENTORVM fide, eſt hæc *lex* Conſtantini M. CONTRARIÆ ſcripturæ, *ἀσύμφωνα γράμματα, ἃ πρὸς ἑαυτὰ μάχεται*, ſeu contraria inſtrumenta fronte aduerſa inter ſe pugnantia, a litigatoribus in eodem iudicio prolata, hoc faciunt, vt neutra fidem vllam faciant, & neutri ſcripturæ credatur; denique vt neutra ſe litigatores tueri poſſint.

Hæc huiuſce Conſtantinianeæ conſtitutionis (quæ eſt *Cod. Iuſt.* lex 14 *de fide inſtrum.*) ad Seuerum Com. Hiſpaniarum emiſſæ, breuis ſententia eſt: cui iungenda eſt *lex 5. ſupr de donat.* (quæ eſt *lex 27. C. Iuſt. eod. tit.*) Cuius etiam ope hæc ad ſuam ſpeciem nunc porro referenda eſt. Huic vero *legi* omnino conuenit, quod Iulius Ep. Rom. paulo poſt *hanc leg.* in *epiſt. quadam ad Euſebianos* ſcribit apud Athanaſium, *Apol. 2 ad Conſtantiam pag. 746. init. Tom. I. Oper. Edit. Colon. ſiu. Lipſ. 1686. apud Weidman.* de literis aduerſus Athanaſium contrariis, & fidem ſibi inuicem derogantibus, ab iiſdem & a P. 321. diuerſis ſcriptis, ab Arianis productis, *ἀσυμφώνων δὲ ὄντων τῶν γραμμάτων, οὐδεμία πίστις περὶ τῶν λεγομένων ἐστίν, ex diſcrepantibus autem literis, nulla certitudo conſtitui poteſt.*

Ait lex, *ſcripturæ* diuerſæ, id eſt, inſtrumenta quæcunque æqualis fidei: vt proinde ceſſare debeat Doctorum ad *hanc leg.* tractatus, non tantum de duobus inſtrumentis publicis agentium, ſed & de vna priuata ſcriptura, & altero publico inſtrumento, contrariis productis, nam horum vix æqualis fides eſſe poteſt: quin alterius aliqua ratione potior ſit.

Ait lex, *diuerſæ*, id eſt, ſcripturæ plures diſtinctæ, ſeparatæ; quarum forte hæc modo a parte proferatur, modo illa: iuri videl. ſuo, & intentioni ſuæ fundandæ: de quo mox. Quare & hic ceſſet Doctorum hactenus de diuerſis partibus & capitibus eiusdem ſcripturæ ſeu inſtrumenti ſibi contrariis: vt & de diuerſis Exemplaribus eiusdem inſtrumenti.

Ait lex, *& fidem ſibi inuicem derogantes*, id eſt, in ſubſtantia ſiue tenore contrariantes, fronte aduerſa pugnantes, *ἃ μάχεται πρὸς ἑαυτὰ, ἀσύμφωνα, quæ inter ſe pugnant, diſcrepantes ſunt*, vt ait Iulius Papa *loc. cit. impugnantes ſe*, vt Interpres; v. g. Si venditum quid, vna ſcriptura dicat, altera donatum; quam ſpeciem hic ponit Interpres, & de qua mox plenius; quæ directa repugnantia eſt: non minus quam ſi vno inſtrumento publico in eodem negotio idem abſolutus dicatur: in altero vero condemnatus: Fidem ſcil. ſibi hæc inuicem derogant.

Ait lex, *ab altera parte* prolatæ, id eſt, quomodo etiam extulit Tribon. *ab vna eademque parte.* Quare ceſſet Doctorum tractatus, de diuerſis ſcripturis prolatis, altera ab Actore, altera a Reo, de quo *ſine huius legis.* Rurſum ab *altera parte*, id eſt, ab *alterutra parte*, id eſt, ſiue ab Actore, ſiue a Reo. Quomodo & ſpecies in *h. l.* in donationis argumento, tam in Actore, quam in Reo poni poteſt; prout hic, aut ille, rei controuerſæ poſſeſſor eſt. Quare ex ea ſollicitudine liberi ſint deinceps Doctores quærentes, vtrum hæc *lex* quoque in Reo diuerſas ſcripturas fidem ſibi inuicem derogantes proferente, locum habeat. Imo communis ſententia id negans iam deinceps concidat: Quam *hæc lex* aperte diruit. Tum & ratio: quia hic non de varietate allegationum ſeu exceptionum quæritur: verum de fide ipſa inſtrumentorum, vbi par ratio eſt vtriusque partis. Rurſum & eadem ratione quærere deſinant Doctores, vtrum & Ruſtico producente duas ſcripturas ſibi contrarias, neutri inſtrumento fides habeatur. Quod recte Salicetus affirmauit.

Ait, lex, *prolatæ*: nempe vel ſimul, vel ſubſidiarie & ſucceſſiue: vt cum vna via litigator ſuccedere non videt, alia tentat; & quidem vt ex ſpecie *huius legis* apparebit, non ſine ſuſpicione fraudandæ *legis*: Quare ceſſet Doctorum tractatus, de eo qui per errorem hoc fecit.

Denique ait lex, *nihil firmitatis habere*, id eſt, quod & *titulus hic* indicat, ſub quo hæc *lex* poſita eſt, nullam fidem facere, nullam habere vim in probando, ex neutra litigatorem ius deriuare poſſe, *οὐδεμίαν πίστιν περὶ τῶν λεγομένων εἶναι*, vt Iulius Epiſc. Romanus inquit *loc. ſupr. cit.* Quare faceſſat hinc Interpretum tractatus de vi diſpoſitiua, cum hæc *lex* de vi probatiua perſpicue ſit.

Nunc itaque tandem genuinam *huius leg.* ſpeciem proponamus, quam Interpres hic & Accurſius adumbrarunt, verum quam *huius legis*, verba ſic expenſa ſatis ingerunt, & præterea (quod hactenus neſcitur) *d. l. 5. ſupr. de donationib.* quæ cum hac coniungenda venit, ſuggerit. Prius tamen *ἐν προθεωρίᾳ* monenda ſunt nonnulla. Donationes ſcilicet, quæ actis inſinuatæ non fuiſſent, irritas ex Conſtantini Magni conſtitutione fuiſſe: Item Mancipationis & Traditionis neceſſitatem in donationibus requiſitam (exceptis liberis ac parentibus & coniunctis perſonis, de quo *ſuo tit. de donationib.*) Nunc finge caſum in Actore. Fundum a te peto, quaſi a patre tuo mihi donatum: atque in id ſcripturam donationis profero: Tu defectum Inſinuationis, vel Traditionis opponis; Hac via deiectus, aliam ſcripturam profero, qua non iam donatum mihi fundum, venditum probare intendo, vbi neque Inſinuatio, neque Traditio requiritur. Et Conſtantinus definit, neque hanc ſcripturam quidquam firmitatis habere, nullam fidem facere, nihil me iuuare: Non poteſt ſcilicet ea ſcriptura fidem facere, quæ cum altera iam antea a me prolata colliditur. In Reo caſus quoque recte ita ponitur. Fundum quendam a me petis: Ego quaſi donatum & mancipatum mihi adſero, atque in id ſcriptura prolata

me

me tueor. Tu velut non inſinuata donatione vindicare pergis: Ego alia ſcriptura prolata venditum mihi vel auctori meo probare intendo. Nec quicquam & bne me iuuabit. Hæc enim variatio non caret fraudis ſuſpicione. Alioquin cum diuerſæ profeſſiones adferuntur, cui potiſſimum ſtari oporteat: vid. *leg. 13. D. de probat.*

Et hæc quidem ita recte habent in vna eademque Parte plures ſcripturas ſibi contrarias producente. Quid ſi ab vtraque Parte? putet quis verba illa, *ab altera parte*, accipienda, pro *ab vtraque Parte*: quomodo vox, *Altera*, ſæpe accipitur; de quo diximus *Animaduerſionum libro, cap. 16 pag. 79.* ſiu. *pag. 311. Tom. III. Theſaur. Iur.* vbi dictis addenda *lex 6. D. ad municipal.* & Engraphii locus *in Andriam Act. 1. Scen. 1. v. 50.* Verum hic non ita eſt; certe enim contrariis inter ſe ſcripturis productis ab vtraque Parte, iam videndum cuius potior fides eſſe poſſit? digniori certe fides habenda: de quo DD. ad *hanc legem*, vide & Fabrum *defin. 3.*

IVRATOS *teſtes eſſe oportere.* 2. HONESTIORES *præferendos.* 3. Vnicum *teſtem nunquam admittendum.*

III. (a) Idem A. ad Iulianum Præſidem. (b)

IVRISIVRANDI *religione teſtes, prius quam perhibeant teſtimonium*, iamdudum *artari* præcipimus: (c) *Et, vt honeſtioribus potius fides teſtibus habeatur.* (d) Simili more (e) ſanximus, (f) *Vt vnius teſtimonium nemo Iudicum in quacumque cauſa facile* (g) *patiatur admitti.* Et (h) nunc manifeſte ſancimus, Vt (i) vnius omnino teſtis reſponſio non audiatur, etiamſi (k) præclaræ Curiæ (l) honore præfulgeat. Dat. VIII. (m) Kal. Sept. Naiſſo, Optato & Paulino Coss. [334.] P. 332.

INTERPRETATIO. *Teſtes priusquam de cauſa interrogentur, ſacramento debent conſtringi vt iurent*, Se nihil falſi eſſe dicturos. *Hoc etiam dicit, vt honeſtioribus magis quam vilioribus teſtibus fides potius admittatur. Vnius autem teſtimonium, quamlibet* (n) *ſplendida & idonea videatur eſſe perſona, nullatenus audiendum.*

NOTAE.

(a) *L. 9. Cod. Iuſt. de teſtib.* & *can. 3. §. 37. Cauſ. IV. Qu. 3.* GOTHOFR.

(b) An idem cum eo cui inſcribitur An. 338. *lex 23. infr. de decurionib.* Forte hic *Cronius Iulianus* cuius meminit Vopiſcus *in V. Firmi cap. 1.* Nonnemo hic putabat hunc Præſidem *Tarraconenſem* fuiſſe. *ID.*

(c) *γρ. Præcepimus:* & ita eſt in *Cod. Iuſt.* & Edit. Sichard. vt *infr.* mox, *ſimili more ſanximus.* At vbi hæc Conſtantini M. conſtitutio? *ID.*

(d) *Adhibeatur*, MS. G. & Cod. Iuſt. *RITTER.*

(e) *Modo.* Cod. Iuſt & MS. G. *GOTHOFR.*

(f) *Sancimus*, MS. G. & Sichard. *RITTER.*

(g) *Fiſcali*, ita *Tilii*, & *Cuiacii* Editio, & *Quartaria*; de quo mox. At enim *Cod. Iuſt.* & poſtrema *Pariſienſis* Editio *huius Codicis*, habent *facile.* *GOTHOFR.* MS. G. legit: *unius teſtimonium nemo iudicum in quemcunque facile patiatur admitti.* *RITTER.*

(h) Melius, *At nunc:* quanquam illud etiam defendi poteſt. *GOTHOFR.*

(i) *Ne audiatur*, Sichard. *RITTER.*

(k) *Etiamſi Præſidiali refulgeat dignitate:* ita refinxit *cap. 47. X. de teſtib.* *GOTHOFR.*

(l) Id eſt, etſi ſit Senator. *ID.*

(m) *VIIII.* Edit. in 4. *RITTER.*

(n) *Quamuis*, prior Cuiac. & illa in 4. *ID.*

COMMENTARIVS.

DE FIDE TESTIVM, & ad eam ſtabiliendam, tria, quæ anterioribus conſtitutionibus iam ſanxerat Conſtantinus Magnus *hac leg.* iterum cauet: ita quidem, vt duo priora tantum repetat: Tertium vero, quod *h. l.* potiſſimum, abſciſius & diligentius quam antea recaueat. Primum caput eſt de IVRAIVRANDO teſtium: Iuratos nempe teſtes prius eſſe oportere, quam teſtimonium perhibeant. Ita quidem, vt ex Conſtantini verbis hæc Tria clare colligantur.

Primo, Conſtantinum, iusiurandum iſtud teſtium præciſæ neceſſitatis feciſſe, ac proinde id a Iudice remitti noluiſſe.

Secundo, generaliter id, & indefinite ſemper a Conſtantino M. ita conſtitutum, etſi quoad poſtremum *huius legis* caput, ibi aliquando diſtinctionem adhibuerit.

Tertio, ex Conſtantini verbis apparet, veram eſſe Cyni & Saliceti ſententiam qui dixerunt, teſtificationem non valere, ſi teſtis poſtea iurauit, id eſt, ſi recepto iam teſtimonio, teſti Iudex iusiurandum iniungat: Ait enim diſerte Conſtantinus, PRIVSQVAM *perhibeant teſtimonium*: quibus ſane verbis forma præſcribitur, quæ negligenda vel poſt habenda non eſt: non ea tantum ratione quam in genere Accurſius reddit; quia aliter eſſet ordo præpoſterus,

rus, verum quia ſi poſt teſtimonium dictum iuſiurandum a talibus exigeretur, facile iurarent vera eſſe, quæ prius dixerunt: ne mentiri videantur. Quare terrore Numinis Diuini prius quam teſtimonium dicunt, deuinctos teſtium animos oportet: & vt *hac lege*, dicitur, Artari. Quod Iuriſiurandi huius formulam attinet, Interpretatio *huic legi* ſubdita hanc continet, *ſe nihil falſi eſſe dicturos:* Quæ ſuſtineri poteſt, & reduci ad illam, *ſe omnem, ſeu meram & plenam veritatem dicturos:* nam vt veritatis eſt nil falſi comminiſci, ita falſum eſt, vera tacere: Aſconius *lib. 1. in Verrem cap. 35. Iurati Teſtes produci ſolent: non ſolum ne falſa dicant, verum etiam, ne, quæ vera ſunt, taceant.* Quæ Aſconii auctoritas magna eſt: Et tunc *lex 10. infr. hoc titulo*, apertiſſime docet, nihil intereſſe, dicantur teſtes falſa ſimulare ſeu fingere, an vera ſupprimere: vbi vide quæ dicam. Porro cum *hac lege*, Conſtantinus Magnus, dicat, ſe præcepiſſe iuriſiurandi religione teſtes artari, quæri poteſt, num a Conſtantino Magno primum id introductum fuerit, an vero id ita quoque antea obtinuerit, puta vt teſtes ſub iuriſiurandi religione teſtimonium deponerent? Certe iuratos olim teſtes produci ſolitos docet Cicero *non vno loco* (qui etiam *pro Fonteio cap. 9.* illud docet, teſtes in re, quamlibet compertiſſima, ſuſpenſe tamen, *arbitrari ſe*, dicere ſolitos) & Aſconius *duobus locis*. Id mirum, nullam in *Digeſtis*, imo nullam in *Codice* ante Conſtantinum Magnum huius rei memoriam extare. Tentari poſſit, Conſtantinum Magnum id primum cauiſſe, vt Teſtes Priva quam perhiberent teſtimonium, iuſiurandum præſtarent: de quo *paulo ante*. Et hæc quidem de primo *huius leg.* capite, de Iureiurando inquam Teſtium.

Secundum caput eſt, de Ponoere & Præeatione teſtium & teſtimoniorum: idque ipſum non nunc primum inductum, verum ab ipſomet Conſtantino antea conſtitutum ſeu ſancitum, quod ipſemet hic profitetur: Nempe, vt *Honeſtioribus teſtibus fides potius habeatur*. Vbi *honeſtiorum* appellatione intelligi poſſunt ſignate, Senatorii: argumento poſtremorum *huius leg.* verborum, *etiamſi præclaræ Curiæ honore præfulgeat:* Nempe etſi iurati etiam Senatoris teſtimonium non valeat, de quo iam dictum: item etſi vnius quoque Senatoris teſtimonium audiri non debeat, de quo poſtremo capite *huius legis*. Attamen, vbi teſtium fides expendenda venit, & teſtes teſtibus committuntur, Senatoris proculdubio potior fides habenda eſt: Et ſic hoc vnum *προνόμιον* Senatorii viri hac parte habuerint circa teſtimonii dictionem, qui in cæteris alioquin æquo cum aliis iure erant. Sed tamen *honeſtiorum* voce alii quoque hic intelligi poſſunt, comparati videl. cum aliis teſtibus: Comparate igitur ad alios viliores conditionis. Non alio ſenſu, quam quo anteriores ſiue Principes ſiue ICti, cum in teſtium fide diligenter examinanda, Iudicum cognitioni ſuggerunt, vt dignitatem & conditionem perſonæ explorent, vtrum honeſta ſit perſona, cuius dignitatis, cuius æſtimationis; non alio quam cum, Hadrianus ſcriberet, alias numerum teſtium, alias dignitatem & auctoritatem, alias veluti conſentientem famam confirmare rei qua de quæritur; P 313. fidem, *l. 3. D. de teſtib.* Nempe omnium ex æquo mens hæc fuit, pauciore partim quandoque teſtium numero ad fidem rei explorandam (prout magna dignitas & honeſtas teſtium eſſet) Iudices contentos eſſe poſſe; partim, vbi teſtes non congruerent, honeſtioribus potius fidem habendam, *l. 21. §. vlt. D. de teſtib.* nunquam tamen eo fine vt Vni honeſtiori fidem haberi vellent. Sicut nulla tanta religio teſti ineſſe poteſt; ita neque vllus tanta honeſtate aut dignitatis aut vitæ præfulgere, vt vni ei fides habeatur. Quare hoc quoque ſenſu accipiendum, quod Pollux *Iuitio*, ſeu *præfat. lib. 3. p. 267. Edit. Hemſterhuis.* ait, *ὥσπερ ἐν ταῖς δίκαις, εἷς ἀξιόχρεως, πολλῶν μαρτύρων ἀρκεῖ, quemadmodum in iudiciis, vnus fide dignus pro multis teſtibus ſufficiens eſt.* Nempe teſtem vnum ſpectatæ opinionis apud Iudicem plus momenti afferre quam plures humiliores, vel dubiæ fidei.

Pro priore interpretatione faciat quoque, quod & ita quoque honeſti & honeſtiores Senatores municipales Decuriones vocantur, *l. 3. §. penult. D. de ſicariis: l. 38. §. 7. D. de pœnis: §. 4. Inſtit. de public. iudic.* Illud interim notandum, quod *huius legis*, ſeries & ſcopus oſtendit, Conſtantini ſanctionem quæ ſuper hoc proceſſerat, quosdam eo traxiſſe, quaſi ea indicaretur, vni honeſtiori teſti iurato fidem habendam: Quam conſequentiam profligat nunc Tertio capite Conſtantinus.

Tertium igitur & præcipuum *huius legis* caput, quoque ferme duo ſuperiora præſtruebantur, ſequitur, *vnius* videlicet teſtimonium omnino audiri non oportere: aduerſus quorundam opinionem, etſi duæ ſuperiores in teſte conditiones concurrerent, iuriſiurandi inquam, & honeſtatis. Quod quidam tamen opinati, occaſione anterioris cuiusdam Conſtantini ſanctionis, quæ cauerat, vt *vnius teſtimonium nemo Iudicum in quacunque cauſa* Facile *pateretur admitti*. Quod quidem non adeo abſciſe dictum putabant, vt non aliquando vnius teſtis admitti poſſet. Quare *nunc manifeſte* ſancit Conſtantinus, *vt vnius* Omnino *teſtis reſponſio ſeu teſtimonium non audiatur*, ait, *Manifeſte*, id eſt, exerte, abſciſe, *ἀποτόμως*, perpetua definitione: ſic vt Iudicum interpretationi vel hæſitationi locus eſſe non poſſit. Ait Conſtantinus *omnino*. Nempe hic opponuntur, *Non facile*, & *omnino non*. Illa formula ferme indicatur, etſi quid non promiſcue, attamen aliquando Iudicis arbitrio admittendum, puta vnius teſtimonium, ex magna cauſa & graui, ob dignitatem forte alicuius, quod *fine legis*, indicatur; Atenim hæc formula, *Omnino non*, peremptoria eſt, omnesque caſus & perſonas excludit: *Facile* eſt temere, promiſcue: *l. 4. ſupr. de Agentibus in rebus*; non facile, eſt aliquando, ſeu raro, *hac lege*, & *leg. 183. D. de Regul. Iur. leg. penultim. D. de in integr. reſtitution.*

Vnde de errore patet eorum, qui pugnantia ferme hoc loco Conſtantinum ſcribere exiſtimarunt. (Quæ tamen ſibi optime conueniunt, cum Conſtantinus aperte profiteatur, ſe eo iure Nunc recedere, quod antea ſanxerat.) Vnde Accurſius exiſtimauit, verba illa, *non facile*, vel addita fuiſſe propter Tabellionem, cui ſoli quandoque credatur, vel verba illa ita interpretanda, quaſi Conſtantinus dixiſſet, ſtultum fore Iudicem, ſi pateretur vnius teſtimonium

ſtimonium admitti: *Nemo facile* ſcilicet, pro, *non omnino.* Quæ omnia ſuauia ſunt: Conſtantinus enim *hac lege*, anteriorem ſuam Conſtitutionem hic memorat, ſimul & abrogat, vel ſaltem explicat.

Secundo, hinc liquet, recte hic ſere vocem, Facile, quomodo & ea habetur *Codic. Iuſtinian.* & *can. 3. §. 37. Cauſ. 4. quæſt. 3.* Error enim eſt *Tilianæ, Cuiaciana, & Quartaria Editionis*, vbi pro *facile*, editum *fiſcali*, quaſi Conſtantinus dixerit, vnius teſtimonium in cauſa fiſcali non eſſe admittendum. Quam lectionem non *ſuperiora* tantum, non *Codex Iuſtinianus* tantum, & accurata *Pariſienſium* editio eierant, vbi habetur, *facile;* verum ſequentia inſuper renineunt. Primum inſcriptio *legis*, iunctis illis, *Nemo Iudicum:* Ecquid enim Præſidibus commune cum cauſa fiſcali? Secundo, verba illa, *in quacunque cauſa*, id eſt, etiam in maieſtatis crimine, & aliis atrociſſimis, de quo dixi ad *leg. vn. ſupr. ad L. Iul. Maieſtat.*

Tertio, inanis eſt Interpretatio, quam illi lectioni ſufflaminandæ adſerunt, quaſi videlicet Conſtantini mens ſit, in aliis productum vnum teſtem examinandum, in cauſa fiſcali nullo modo audiendum. Nam vt illud refutant generalia *huius legis* verba, *Vt vnius omnino teſtis reſponſio non audiatur*, Item, *in quacunque cauſa*, ita, quem illi fiſci fauorem vrgent, ego contra vrgeam; nempe eum exigere potius, vt vnus teſtis in cauſa fiſcali admittatur; niſi putemus aut ſupponamus, fiſcum ſemper Rei partes ſuſtinuiſſe, nunquam Actoris.

Poſtremo, ait Conſtantinus, *non audiatur.* Nempe Conſtantinus Magnus non tantum vni teſti fidem non adhiberi vult, ſed ne a principio quidem eius teſtimonium audiri. Quare hoc ipſo iugulatur eorum ſententia, qui vnum teſtem ſemiplenam probationem facere cenſent, & indicium ad torturam ſufficiens. Simile vero eſt quod de Libertis & Seruis in dominos & Patronos ne audiendis quidem, ſimiliter cautum eſt.

Sequitur Ampliatio, vel potius huius peremptorii capitis & interdicti de vno teſte non audiendo, ſpecialior expreſſio: *Etiamſi*, inquit, *præclara Curiæ honore præfulgeat*, id eſt, etſi Senator ſit: quomodo etiam recte Græci; Baſilica, Harmenopulus, & Synopſis Baſil. *lib. 21. tit. 1. cap. 36 pag. 225. init. Edit. Leonclau.* interpretati. κἂν συγκλητικὸς ᾖ, Interpres *huius leg. quamlibet ſplendida & idonea videatur eſſe perſona:* vbi Senatus elogium obſerua: cui ſimilia vide *ſupr. paratitlo de Senatorib. & glebali collat.* & apud Symmachum: *qui partem meliorem humani generis* vocat *lib. 1. epiſt. 46.* Omitto alia. Suauis vero eſt Accurſius, qui *Silentiarium* hic intellexit, *præclaram* ſcilicet *Curiam*, pro *Aula* vel *Comitatu* Principis proculdubio accipiens: cum tamen *præclara Curia* hic ſit *Senatus*. Ergo quod hic definitur, illi ſimile eſt, quod olim dictum; *Vni teſti, neque Catoni, creditum:* ἑνὶ μαρτυροῦντι προσέχειν οὐδὲ Κάτωνι, καλῶς ἔχει, vt habetur apud Plutarchum. Et tamen ſub Conſtantini Magni, nomine proponitur *lex 1. infra de Epiſcopali iudicio*, qua definitur, *Teſtimonium etiam, ab vno licet Epiſcopo perhibitum, omnes Iudices indubitanter accipere oportere, nec alium audiri: cum teſtimonium Epiſcopi a qualibet parte fuerit repromiſſum:* additis his: *Illud eſt enim veritatis auctoritate firmatum, illud incorruptum, quod a ſacroſancto homine conſcientia mentis inlibatæ protulerit.* Idque ita relatum *Capitular. lib 6. c. 366.* & a Gratiano, *can. 36. Cauſ. XI. quæſt. 1.* Verum vt de tota *leg.* illa, *ad eam* p. 314.
dixi; ita & hoc ſuſpectum eſt. Nam & id contrarium eſt peremptoriis *huius leg.* verbis, quæ ſub extremis Conſtantini annis ab eo lata eſt, & Dei verbo: quod Conſtantinus M. vt alias, ita & hic ſecutus eſt; *Deuteronom. 19. v. 15.* Ergo hac parte neque Epiſcopi προνόμιον aliquod habuere, quib. alias circa teſtimonii dictionem priuilegia nonnulla competiere; de quo ad *l. 8. infra*, & ad *leg. 1. infr. de Religione.*

Tandem, haud adeo inani coniectura putet quis, hanc Conſtantini M. *legem* pertinere ad Iudicium quod hoc tempore agitatum non ſemel ſuper imputatis Athanaſio criminibus; vbi teſtes varii producti. Verum id non aſſero: præſertim cum videam hic agi de *Senatoris* alicuius teſtimonio: Neque conſtare poſſit, cuiuſnam prouinciæ Præſes fuerit *Iulianus*, cui hæc *lex* inſcribitur.

IV. (a) Impp. CONSTANTIVS & Conſtans AA. Aurelio Mimenio.

QVOTIENS ſcriptura aliqua profertur, eaque ab eo aduerſus quem facere videtur, ſuſpecta dicitur, non ſolum is qui de ea dubitat, *Falſo conſcriptam* cogatur oſtendere, verum etiam ille, qui eadem vtitur, *Veritate ſubnixam* probare cogatur. Dat. VI. Kalend. Septembr. Conſtantinop. Conſtantio IV. & Conſtante III. AA. Coss. [346.]

NOTAE.

(a) Abeſt hæc *lex* a *Codice Iuſt.* Vbi tamen extat in eandem ſententiam *lex penult. de probat.* quæ eadem eſt cum *l. 7. infr. hoc tit.* GOTHOFR.

COMMENTARIVS.

FALSI SVSPECTAM ſcripturam ſeu inſtrumentum, qui in iudicio profert, id eſt, Qui eam ſcripturam profert, quam aduerſus ſe prolatam aduerſarius ſuſpectam falſi reddit, non minus probatione oneratur quam aduerſarius ipſe, vt *hac lege*, ita & *l. 5. proxima*, & *l. 2. ſupr. ad leg. Corneliam de falſis:* & *l. 2. ſupr. de Teſtamentis*, & *lege penult. Cod. Iuſt. de probat.* Denique non tota probationis neceſſitas hac parte accuſatori incumbit, ſed & ipſi reo ſcripturam producenti. Imo & in *ſpecie d. l. 2. ſupr. de teſtam.* voluit Theodoſius M. primitus ei probationem incumbere, qui ſcripturam obtulerit. Sane & in

aliis

aliis publicis quibusdam criminibus Iudex non minus accuſatorem ad docenda, quæ detulit, quam reum ad purgenda quæ negat, vrgere debet: *l. 2. infr. de abolitionib.* ſeu *lege vltim. Cod. Iuſt. eod. tit.* Hæc quidem ita tot *illis legibus*. Atenim contrarium omnino placuit Velentiniano, *l. 6. infr. hoc tit.* vbi de ratione viderimus. Quaodoquidem alegans ibi ratiocinetio extat.

V. (a) PARS Actorum habitorum aput Imperatorem IVLIANVM Auguſtum Mamertino & Neuitta COSS. X. Kal. April. Conſtantinop. in Conſiſtorio; (362) adſtante (b) Iouio Viro clariſſimo, Quæſtore; Anatolio, Magiſtro Officiorum, Felice, Com. S. L. &c. Imperat. Iulianus A. dixit. τηνικαῦτα γραμμάτια μεγάλην ἰσχὺν ἔχει, ὅταν περὶ αὐτῶν τῶν γραμματίων μὴ ἀμφισβήτησις ἐξ ἄλλων ὤφειλε βεβαιῦσθαι. (c)

NOTAE.

(a) Abeſt & hæc *lex* a *Cod. Iuſt.* GOTHOFR.

(b) De hac ſententia mox plene, *ID.*

(c) Prima Cuiac. legit, ὤφειλε βεβαιοῦσθαι, quomodo & habet Edit. in 4. Vltima Paris. ὤφειλεβεβαιοῦσθαι. Græca cutem paullum recedunt a communi ratione Græcorum, quod & confudit forte interpretes, & librarios. Cæterum verba recte conſiderata nihil difficultatis habent, quæ & Gothofredus accutate interpretatus eſt, niſi cui videri nouum poſſet, quod ὤφειλε græcum, idem eſſe ſtatuat, quod *contigit* latinis eſt. *RITTER.*

COMMENTARIVS.

DE FIDE INSTRVMENTORVM eſt hæc Ioliani Imp. conſtitutio: Quæ ob Græca eius verba inemendata obſcura videri poſſit: Quare ante omnia emendatio eius præſtenda nobis eſt. Igitur verba eius extrema ita conſtituo ὤφειλε βεβαιοῦσθαι i. e. *contigit firmari.* Nam quod pro τηνικαῦτα ibi quidam ſubſtituit τὰ ἕκαστα, id admittendum non eſt: vt nec quod *ſine legis* ſubſtituit, ὤφειλε λαβεσθαι. Senſus enim huius loci hic eſt τηνικαῦτα, ideſt, *Tunc* Inſtrumenta magnam vim habere, ſi de his inſtrumentis, non dubitationem aliquam aliunde contingat iuuari, firmari, ideſt, niſi eorum fides *aliunde*, ἐξ ἄλλων, vacillet, & ſuſpecta ſit. *Aliunde*, ideſt, ex aliis tabulis, inſtrumentis, & ſcripturis: ὤφειλε pro *contigit*: ἀμφισβήτησις βεβαιοῦσθαι, *dubitatio oriri, firmari.* Non eſt igitur (quod quidam opinentur) *huius legis* hic ſenſus, dubiam ſeu ſuſpectam ſcripturam in Iudicio prolatam aliis probationibus iuueri oportere, & ἀμφισβήτησιν eius tollendam, aliarum ſcripturarum collatione, de quo ſane eſt *lex 2. fupr. ad leg. Corn de falſo*, vbi dixi. Denique eſt hæc *lex* de diuerſis ſcripturis fidem ſibi inuicem derogantibus, de quibus fuit quoque *lex 2. ſupr.* Atque hactenus de ipſa *leg.* ſententia.

Eſt vero ea ſingularis admodum, non vno nomine.
P. 325. Primo quidem, quod ea dicitur eſſe *Pars Actorum habitorum apud Imperatorem Iulianum in Conſiſtorio:* vbi ſcil. Iulianus hanc *huius l.* ſententiam dixit, de quodam negotio cognoſcens. Eſt hæc ſcil. conſtitutio, de numero Cognitionalium, id eſt, quam Iulianus expreſſit, pronunciauit, de quodam negotio ſuo in conſiſtorio, in medio Conſiſtorianorum ſuorum cognoſcens, & cum Conſilio collocutus, vt dicitur *l. 6. C. Iuſt. de vſucap. pro empt.* Id enim ſibi volunt illa. Cuiuſmodi ſimiles inſcriptiones vel præfationes, denique Cognitionales huiuſmodi conſtitutiones, ſeu ſententiæ Imperatorum occurrunt *hoc codice* quatuor aliæ: pute *l. 8. inf. hoc ipſo titulo: l. 3. ſup. de off. Iudicum omnium: l. 2. (ſeu l. 6. Cod. Iuſt.) ſup. qui bonis ex l. Iulia cedere: l. 1. ſup. de his qua adminiſtrantib.* Et duæ aliæ præterea *Cod. Iuſt.* puta *l. 2. de excuſat. mun. l. 12. de pœnis:* Hæ ſcil. *leges* ſunt partes Actorum ſeu rerum geſtarum, dictarum, in Conſiſtorio Principis, eo ipſo cognoſcente in medio Conſiſtorianorum. Quomodo & cæteroquin *Acta* ſunt commentaria, ὑπομνήματα rerum geſtarum, quæ rei geſtæ fidem faciunt. *Conſiſtorium* vero θεῖον συνέδριον, locus vbi cum Conſilio ſuo colloquitur Princeps, de quo alibi plene: vbicunque id ſit, etiam in theatro, vt forte in ſp. *d. l 12. Cod. Iuſt. de pœnis:* vbi cum Imperator in Conſiſtorio dixiſſet, *Decurionum filios beſtiis non debere ſubiici*, e populo exclamatum dicitur, ideſt populus proclamaſſe, vt quidam de quo agebatur, beſtiis ſubiiceretur: ſed Principem iterum dixiſſe, *vanas populi voces non eſſe audiendas* &c. Haud aliter atque *Ius* dicitur locus, vbi Magiſtratus iuris dicendi gratia conſiſtit, vel ſi domi, vel ſi in itinere hoc agat: *l. 11. D. de iuſtitia & iure: l. 4. in f. D. de interrog. in iure fac.* Itaque error eſt eorum, qui in *d. l. 12.* Imperatorem pro Tribunali id decreuiſſe aiunt. Haud abſimilis quoque eſt *lex 2. ſup. de veteranis*, quæ & ipſa Actorum in Principiis pars eſt, & vbi Conſtantinus quoque conſtitutionem cognitione habita addit.

Secundo notetur Conſiſtorii Principis forma, quæ *hac l.* indicatur: vbi notandæ ſunt Dignitates, quæ in Conſiſtorio Principis aderant, ſeu Conſiſtorianæ Dignitates: & vero tres hic deſignantur, *Quæſtor, Magiſter officiorum, & Comes S. L.* procul dubio etiam aliæ proximæ his & ſimiles dignitates, quod voce *&c.* intelligimus: cuiuſmodi eſt *Comes R. P.* Nempe hæ dignitates Conſiſtorianæ erant, & hi proprie *Comites Conſiſtoriani* vocabantur, & participare Auguſti pectoris curas, *l. 3. ſup. de Metatis*, vbi dixi; vt & ad *l. 1. ſup. de Quæſtoribus, Magiſtris officiorum, Comit. S. L. & R. P.* De quibus Conſiſtorianis non vnus locus occurrit apud Marcellinum.

Tertio notetur Ordo harum dignitatum: *Quæſtor, Magiſter officiorum, & Comes S. L.* de quo dixi, ad eam *l. 1.*

Quarto obſeruetur dici hos Conſiſtorianos adſtitiſſe

tiſſe Imperatori in Conſiſtorio: ADSTANTE, inquit, *Iouio* &c. Nempe Conſiſtoriani ſedente Imperatore aſtabant. Ac multo magis partes ipſæ & Aduocati. Quomodo *l. 2. Cod. Iuſt. de excuſat. munerum. Pars actorum Diocletiani & Maximiani A A. & CC. inductis Firmino & Apollinaria & cateris Principalibus Antiochenſium adſtantibus, Sabinus dixit &c.* Et ſunt tamen exempla alia: vbi hæ ferme Dignitates, Conſiſtorianique adeo, Principi adſedere. Sic apud Vopiſcum *in Aureliano cap. 13. Adſidentibus Memmio Fuſco Conſule ordinario, & Bebio Macro Præfecto Prætorii.* Imo ipſimet Iuliano, cuius hæc *lex* eſt, apud Amm. Marcellinum *lib. 22. cap. 9. in fin. Mandauitque aſſidenti Præfecto, ne audiretur eorum negotium, antequam &c.* de Quæſtore etiam id teſtatur Procopius *lib. 1. Perſicor. cap. 24.* & *lib. 1. Gothicor. cap. 14.* vbi de Fidelio Athalarici Quæſtore. Vide huc nonnulla apud Valeſ. *in Amm. Marcell. lib. 22. cap 9.*

Quinto obſeruentur ſub Iuliano, Iouius Quæſtor, Anatolius Magiſter Officiorum, Felix Comes S. L. de quibus plene *in Proſopogr.* ex Am. Marcellino, Zoſimo, Scriptoribus Eccleſiaſticis, & in his, *Philoſtorgio*, ad quem iam *notauimus.*

Sexto obſeruetur ſententia a Iuliano Græce dicta, ſeu conſtitutio Græca: Alioquin enim Imperatores cognitione ſuſcepta in Conſiſtorio ſententiam Græce haud dixiſſe reperio: Adeo quidem, vt Partibus vel aduocatis quamlibet Græce interloquentibus, Imperator ſententiam Latine diceret: quod oſtendit Conſtantini M. *lex 1. ſupr. de iis quæ adminiſtr.* & (ſi vera eſt Cuiacii coniectura) Diocletiani *l. 2. Cod. Iuſt. de excuſat. munerum.* Illud igitur Iuliani Imp. vanitati adſcribendum fuerit, quem olim merito *loquacem Talpam, & literionem Græculum* carpebant, teſte Amm. Marcellino *lib. 17. cap. 11.* Ab eodem Iuliani genio & ingenio ſunt Græcæ voces, ſtudio ab eo conſtitutionibus ſuis inſertæ: veluti *l. 2. infr. de ponderatoribus. Ideoque placet, quem ſermo Græcus appellat, per ſingulas ciuitates conſtitui, Zygoſtatem.* Et *l. 1. ſup. de domeſt. & protectorib. ad pleromos ſuos ac terminos redire*, vbi dixi. Et hæc de cognitionalibus ſententiis. Alias enim Reſcripta Legesque nonnunquam vtraque lingua proponebantur, veluti a Theodoſio Iun. factum, *lege 4. ſupr. de his qui ad Eccleſ. conf.* Reique cauſam reddit Iuſtinianus *Nouella 66. cap. 1. §. 2.* Græce ſcilicet διὰ τὸ τῷ πλήθει κατάλληλον, *propter multitudinis frequentiam:* Latine vero, διὰ τὸ τῆς πολιτείας σχῆμα, *propter reipublicæ figuram.* In publicis ſane conuentibus Romana quoque lingua perorauere: quomodo Conſtantinus M. in Concilio Niceno, licet Græce noſſet: ſic tamen, vt eſſet qui eadem ibi interpretaretur, vt ſcribit Auctor *vitæ Conſtantini, lib. 3. c. 13.* Marcianus certe Imp. in Concilio Chalcedonenſi primum latine, & poſtmodum græce perorauit. *Vid. Tom. II. Concilior. pag. 463. 464. Edit. Harduin.* Et ſic paulatim in Oriente Romanæ linguæ maieſtas euiluit.

Poſtremo notetur mos, annotandi in *Actis* Conſiſtorialibus Principum, eorumque legibus, & Interlocutionibus, nomina eorum, qui præſentes fuerant & adſtiterant. Quomodo & in *Actis* cognitionis Carthaginenſis addita videmus.

VI. (a) Impp. VALENTINIANVS & Valens AA. ad Olybrium P. V. (b)

CVM res agatur (c) ex ſcripto, aut infirmari ſcripturam conuenit, aut probari: Infirmari autem quæ poteſt, niſi falſa doceatur? falſa porro a quibus aliis demonſtranda eſt, quam ab illis, qui negant ei eſſe credendum? Dat. Prid. Id. Mart. Treu. Valentiniano NB. P. & Victore Coss. [369.]

P. 316.

NOTAE.

(a) Abeſt hæc *lex* a *Cod. Iuſt.* GOTHOFR.

(b) *Olybrius* P. V. Romæ ſub Valentiniano Sen. de quo in *Proſopog.* plene: etiam ex Am. Marcellino. *ID.*

(c) In negotio videl. illo, de quo ad me ſcripſiſti; alioquin reſcribendum foret; *agitur.* *ID.*

COMMENTARIVS.

DE FALSÆ ſcripturæ probatione eſt hæc Valentiniani Senioris conſtitutio. Qua cauetur, vt ſi falſa ſcriptura dicatur, quæ in Iudicio prolata fuit, quaque cauſa nititur, ſeu, vt *hac l.* dicitur, *ex qua res agitur*, id eſt, lis agitatur, is probatione oneretur, qui eam falſam eſſe dicit, alioquin credendum ei, quamdiu falſi non arguitur. Hæc inquam *huius l.* ſententia eſt, contraria *legi 4. ſupr.* qua cauetur, etiam eum qui ſcriptura vtitur, veritate ſubnixam eam probare cogi: & *legi 7. prox. infr.* vt vulgo creditur.

Suam porro ſententiam vt adſtruat Valentinianus, & Euthymemate & Sorite quodam vtitur: Cuius hæc tandem vis eſt; pro ſcriptura præſumi, quod & docet *lex 18. Cod. Iuſt. de probat.* contra falſitatis allegationem: ideo allegantem probatione onerari, *dict. l. 18.* Denique tam diu veram ſcripturam credi, quamdiu falſa ab aduerſario non demonſtratur. Hæc Valentiniani ratiocinatio eſt.

VII. (a) Imppp. Valens, GRATIANVS & Valentinianus AAA. ad Antonium PF.P. (b) poſt alia. (c)

IVBEMVS omnes deinceps (d) qui ſcribturas nefarias (e) comminiſcuntur, cum quid in Iudicio promiſerint, (f) niſi ipſi (g) adſtruxerint veritatem, vt ſuſpectæ (h) ſcributuræ & falſæ (i) reos eſſe detinendos. (k) Dat. prid. Id. Ian. Treu. (l) Valente VI. (m) & Valentiniano II. AA. Coss. [378.]

INTERPRETATIO. (n) *Quicumque ſcripturam in audientiam protulerit, veritatem eius probare iubeatur: quia hoc in omnibus cauſis ſtatutum eſt, Vt ſcripturam prolator adſirmet. Nam ſi is qui ſcripturam protulit,* (o) *eius non adſtruxit veritatem, vt falſitatis reum eſſe retinendum.*

NOTAE.

(a) *Lex penult. Cod. Iuſt. de probat.* & Iungenda *huic* eſt *lex vn. ſup. victum ciuiliter agere & criminaliter poſſe.* GOTHOFR.

(b) *Antonius* ſub Gratiano PP. *Italiæ* ſcil. vt docet hoc Anno *lex 12. ſup. de pœnis*: vid. *Proſopogr. ID.*

(c) Quæ etiam continentur *d. l. vn. ID.*

(d) *Deinceps* abeſt a *Cod. Iuſt. RITTER.*

(e) *Suſpectas*: ita *Tribon. d. l. pen.* viceuerſa *ſine leg.* pro *ſuſpectæ*, repoſuit *nefariæ*. De quo mox. GOTHOFR.

(f) *Promptſerint,* in *Cod. Iuſt.* de quo mox. *ID.* *In iudicium commiſerint,* Sichard, *in iudicium propoſuerint,* MS. G. *RITTER.*

(g) *Ipſa veritate,* Sichard. *ID.*

(h) *Nefariæ* Cod. Iuſt. *GOTHOFR.*

(i) *Et quaſi falſarios eſſe* &c. ita *C. Iuſt. d. l. pen. ID.*

(k) De hac voce *detinendi*, mox dicam. *ID.*

(l) In *C. Iuſt.* male *Tiberiade. ID.*

(m) *V. & Valent. Iun.* ita *Cod. Iuſt.* male. *ID.*

(n) Falſa: mox vt oſtendam. *ID.*

(o) *Protulerit,* & mox, *adſtruxerit,* MS. G. *RITTER.*

COMMENTARIVS.

NEFARIAS ſcripturas qui in iudicio promittunt, ipſi earum veritatem adſtruere & niſi id fecerint, vt ſuſpectæ & falſæ ſcripturæ rei, puniri *hac l.* a Gratiano iubentur A. D. 378.

Hæc quidem breuis *huiusce legis* eſt ſententia: Cui alioquin iungenda eſt *lex unica, ſupr. victum ciuiliter agere & criminaliter poſſe*: Et ea tamen hanc ad diem non intelligitur, ac præſertim ob Triboniani facinus, ſeu interpolationem, qua factum, vt eodem ſpectare videatur, quo *l. 4 5. 6. ſupr.* Tota difficultas, imo totum arcanum verſatur in tribus his vocibus, *Nefarias, Comminiſcuntur,* & *promiſerint.*

Nefariæ igitur *ſcripturæ* hac *lege,* non ſunt, *falſæ ſuſpectæ,* (quas tamen voces Tribonianus commiſcuit in interpolanda *h. l.*) Ecquis enim vnquam *nefarias* ſcripturas, pro falſis extulit? Verum *nefariæ* ſunt nefandæ, ſceleſtæ, nefarias artes continentes, maleficii ſeu Magiæ crimine inuolutæ, & de Principis etiam forte ſalute conſultoriæ. Cuiusmodi ſunt *ſecretiores chartæ,* & *commonitoria,* quæ memorat Ammianus Marcellinus *libr. 28. cap. 1.* itemque *Codices* noxiarum Artium *lib. eod. cap. 1.* Neque abſimili ſenſu *nefaria licentia ſacrificiorum nocturnorum* dicitur, *l. 5. infr. de paganis.* Nempe hoc illud tempus eſt, quo Maleficii & Magiæ crimen, & Romæ quidem, etiam de Senatoribus quam plurimis, inteutatum legimus: auide arreptum ab iis, qui inimicos ſuos omni perditos opere vellent, ſummaque acerbitate exercitum quamdiu Valentinianus Gratiani, (*huius legis* Auctoris) pater, ad annum vsque 376. vixit. De quo plene dictum eſt ad *l. 1. ſupr. de quæſtionibus.* Atenim vt Gratianus imperio poſt patrem potitus, procurrenti licentiæ huic, & acerbitati, modum illico adhibuit: quod teſtantur *l. 13. ſupr. de accuſationibus.* & *l. 1. 2. ſupr. ne præter crimen Maieſtatis* & *l. 3. ſupr. de quæſtionibus*: inter quas obſeruanda ſummopere *dict. l. 1. ne præter crimen Maieſtatis*: vbi p. [illegible]
in argumento *nefaria delatio* dicitur, & *nefariæ delationis indicia.* Quin imo in eodem argumento in *dict. l. 2. ne præter crimen Maieſt.* harum ipſarum *ſcripturarum nefandarum* mentio fit. *Cum ipſis,* inquit, *delationum libellis, cum omni ſcripturarum & meditati criminis apparatu, nefandarum accuſationum crementur auctores.* Neque etiam aliud ſenſiſſe videtur idem Gratianus *l. vlt. ſupr. de falſo,* illis verbis, *vel ſi quid prolatum aliud inſimulare conabitur.*

Igitur cum inter cæteras artes conficiendis inimicis ſuis, temere delatores, accuſatores in iudiciis comminiſcerentur *nefarias* huiusmodi ſcripturas, id eſt dicerent, ſcire ſe huiusmodi ſcripturas, huiusmodi commonitoria, ſecreta mandata (vt vocantur etiam *l. vlt. ſupr. de accuſat.*) iactarent, atque ea facile ſibi fore, depromere: denique ea *promitterent,* Gratianus *huiusce legis* Auctor, huiusce-

modi promiſſionibus in iudicio factis, *hac l.* occurſum voluit: vti ſcirent, neque huiusmodi commenta, huiusmodi iactationes, promiſſiones, impune ſibi ceſſuras: Quin imo impoſitam ſibi probandi neceſſitatem, & ſi in probatione deficerent, vt falſi reos detinendos.

Ex his iam ſequitur, non agi *h. l.* de ſcriptura falſi ſuſpecta: Non agi, de ſcriptura in iudicio prolata: quod tamen etiam Tribonianus credere nos vult: Non agi de probationibus hinc inde requiſitis: quod alioqoin, vbi falſi ſuſpecta ſcriptura producitur, vſurpari *leges* ſuperiores oſtendunt, idque duplici iudicio ciuili vel criminali, quod eiusdem Gratiani conſtitutio oſtendit, *l. 4. ſupr. de falſis:* Quinimo & *dict. l. vn. ſupr. Victum ciuiliter* &c. quæ *huic* noſtræ coniungenda eſt: verum agi *hac lege*, de ſcriptura *nefaria*, ideſt, commonitorin, & mandatis ſecretis, quibus criminis alicuius, puta maleficii criminis probatio cootineri dieitur. Rurſum agi, de ſcriptora oeſaria, oon prolata; verum quam io iudicio qois commentus eſt, & *promiſit;* Promiſit inqoam, id eſt iactauit: quod Tribonianus io *prompſerint* mutauit: Ita in ficta *l. 1. infr. de Epiſcop. iudicio: repromittere teſtimonium*, eſt, teſtem aliquem in iudicio laudare, allegare, iactare: *nec alius*, inquit, *audiatur, cum teſtimonium Epiſcopi a qualibet parte fuerit repromiſſum:* quem alioquin locum Viri docti non capiunt. Neque tamen abnuo, mutata ſpecie, poſſe hic legi *prompſerint*, ſi modo fides Mssrum adſit. Nam & eo caſu idem dicendum, quod *h. l.* continetur.

Quæ cum ita ſint, faceſſant hinc porro, atque vna litura expongantur, quæ *Cod. Iuſt.* ad *hanc legem* ab Interpretationibus notari ſolent: ad vocem *comminiſcuntur*, & de ſuſpectis ſcripturis.

Illud ſaltem (vt de poſtremis nunc *leg.* verbis agamus) retineatur, quod DD. ootant (quod tamen qui ſubtiliores eſſe volunt damnant) in ſpecie *huius legis* falſi eum damnari, & quidem ſine accuſature, ſine aduerſarii conuictione: id inquam eſt veriſſimum. Neque enim aliud ſibi volunt hæc verba, *niſi ipſi adſtruxerint veritatem, vt ſuſpectæ ſcripturæ & falſæ reos eſſe detinendos:* Neque alius ſenſus eorum, vt in *Cod. Iuſt.* legitur, *& quaſi falſarios.* Et ridiculi ſunt, qui vocem *detinendos* aliter accipiunt, quaſi non quicunque rei detinentur, etiam condemnentur, ſed ſæpe abſoluantur. *Reum* enim *detineri* omnino eſt, reum haberi pro conuicto, atque exinde damnari: ſic obnoxios detineri *l. 3. ſupr. de iuriſdict.* alia vide in *Gloſſ.* eo denique ſenſu *retinendi* vox paſſim accipitur, vt *l. 9. ſupr. de famoſis libellis*: & infinitis locis, quæ vid. in *Gloſſ.* Neque etiam quicquam contra obſtat *d. lex vn. ſupr. Victum ciuiliter* &c. quæ *huic legi* coniungenda eſt: Ea quippe *legis* pars & regulam continet, & de falſa ſcriptura prolata agit: hic autem ſingularis caſus eſt, & a Iure communi excipiendus.

Quare cum hæc ita ſint, ſingularia Tria hæc ex *hac lege* obſeruentur. Primo nudam Nefariæ ſcripturæ in iudicio iactatiooem, promiſſionem, eum qui iactauit ſeu promiſit, probationi adſtringere. Secundo, ita adſtringere, vt ei ſoli probandi onus incumbat, neque quidquam aduerſarius præſtare cogatur: cum alias in crimioe falſi vterque probare debeat. Tertio, niſi veritatem adſtruxerit, vt falſarium eſſe damnandum, citra vllam legitimam accuſatiooem, mero Iudicis officio: Quod ita a Gratiano conſtitutum, iis, quas *initio* dixi, de cauſis: Cohibendæ, inquam, nonnullorum temeritati, acerbitatique.

EPISCOPVM *neque neceſſarium neque voluntarium teſtem eſſe poſſe in cauſis criminalibus.*

VIII. (a) PARS (b) Actorum habitorum in Conſiſtorio apud Imperatores Gratianum Valentinianum, & THEODOSIVM: CONS. (c) Syagri & Eucheri, (d) die III. Kalen. Iul. (e) Conſtantinop. In conſiſtorio *Imp. Theod. A dixit:* Epiſcopus nec honore, nec legibus ad teſtimonium (f) flagitatur. (g) *Item dixit:* Epiſcopum ad teſtimonium dicendum admitti (h) non decet: Nam & perſona dehonoratur, (i) & dignitas Sacerdotis (k) excepta (l) confunditur. (m) [381.]

NOTAE.

(a) *L. 7. Cod. Iuſt. de Epiſcop & Clericis:* Omiſit *hanc leg.* Baronius in *Annalib. ſuis* Eccleſiaſticis, quæ tamen eo pertinet. *GOTHOFR.*

(b) V. quæ de his *Actis Conſiſtorialibus* dixi iam ad *leg. 5. ſup. ID.*

(c) Id eſt *Conſulatu*, vt expreſſum in Cod. Iuſt. *ID.*

(d) *Virorum Clariſſimorum*, additum Cod. Iuſt. *RITTER.*

(e) *Ianuar.* d. l. 7. *Cod. Iuſt.* Male. *GOTHOFR.*

(f) *Dicendum:* hoc additum *d l. 7.* etſi in *quibusdam MSS. Codicib. Iuſt.* quoque deſit. *ID.*

(g) *Flagitetur* vulgat. Cod. Iuſt. *RITTER.*

(h) *Addici*, legit Azo, & MSS. alii libri habent, *adduci*, vt notat Contius. *GOTHOFR.*

(i) Ita quoque in MSS. nonnullis *Cod. Iuſtin.* vulgo male, *oneratur. ID.*

(k) Ideſt, Epiſcopi, *Sacerdos* pro Epiſcopo (quod & Accurſius & Contius notarunt) vt *hac l.* ita & l. 3, 4. *infra de fide Cathol. l.* 35. 43. *infr. de Epiſcopis.* Poſſis & *hic* legere *Sacerdotii. ID.*

P. 318. (l) *Exempta*, Cod. Iuſt. vulgat. *RITTER.*

(m) De hac voce mox. *GOTHOFR.*

COMMEN-

COMMENTARIVS.

EPISCOPVM ad teſtimonium dicendum flagitari, admittiue vetat Theodoſius M. hac, in Conſiſtorio ſuo, cum ſuper quodam negotio cognoſceret, interlocutione; eaque gemina ſeu iterata A. D. 381. Nempe, cum Epiſcopus procul dubio quidam, in cauſa quadam, de qua mox, ad teſtimonium flagitaretur, Theodoſius primum interlocutus eſt, *Epiſcopum nec honore nec legibus ad teſtimonium FLAGITARI poſſe.* Cum contra aliquid exceptum fuiſſet, iterum interlocutus eſt, *Non decere Epiſcopum ad teſtimonium ADMITTI.* Eſt ſcil. hæc lex, quod & inſcriptio eius teſtatur, *pars Actorum, habitorum in Conſiſtorio apud Theodoſium Imp.* id eſt pars cognitionis cuiusdam Theodoſii, adſtantibus Conſiſtorialib. ſuper quodam negotio cognoſcentis, cuiusmodi *leges* aliæ plures *hoc Codice* occurrunt; Actorum, inquam, huiuscemodi Conſiſtorialium partes: puta *lex 5. ſupra hoc ipſo tit. lex 3. ſupra de officio Iud. omnium; lex 2. ſupra qui bonis ex Leg. Iul. cedere: lex 1. ſupra de his quæ adminiſtr.* de quo ad *d. l. 5. ſup.*

Sententia *huius l.* nunc accuratius expendenda venit, quæ non parum obſcuritatis habet, cuius ideo tres hactenus interpretationes mihi occurrunt. *Prima* eſt, qua vulgo creditur, Epiſcopum, vt toto Iure *Codicis*, ita & *hac l.* generaliter *In omnibus omnino cauſis* teſtimonium perhibere non potuiſſe: Et vero id ipſum *hac l.* indicare Theodoſium. Quod ego in animum inducere vix vnquam potui. Non vtar nunc argumento Conſtitutionis, quæ ſub Conſtantini M. nomine extat *l. 1. infr. de Epiſcopali iudicio*, qua is ſanxiſſe dicitur teſtimonium ab vno licet Epiſcopo perhibitum, omnes Iudices indubitanter accipere oportere, neque alium audiri, cum teſtimonium Epiſcopi a qualibet parte fuerit repromiſſum: hac rationis prærogatiua etiam addita; *Illud eſt enim veritatis auctoritate firmatum, illud incorruptum, quod a ſacroſancto homine conſcientia mentis illibata protulerit.* Quid igitur? Huic interpretationi omnino refragatur *huius legis* ratio, quæ *honori dignitatis Sacerdotalis* hoc priuilegium, de quo agitur tributum ait. Atquin inteſtabilem eſſe, nemo puto honori ſibi duxerit. Scio equidem, quoſdam *propter reuerentiam perſonarum* ad teſtimonii fidem non admitti, *l. 3. §. 5. D. de teſtib.* Verum alio ſenſu, non, inquam, propter ſuæ perſonæ reuerentiam, verum propter eam, quam aliis debent, quibus videl. ſummo beneficio ſunt obſtricti, veluti liberti Patronis, quod exemplum *ea ipſa lege* apponitur.

Secunda interpretatio eſt, diſtinguentium, inter *Inuitum* & *Volentem* Epiſcopum; Non cogi ſcil. inuitum teſtimonium dicere, etſi poſſit, ſi velit. Nam & ſic *lege Iulia Iudiciorum publicorum*, & in vniuerſum *legibus*, quædam perſonæ excipiuntur, quibus inuitis teſtimonium denunciari non poteſt, vt teſtimonium litis dicant, *l. 4. 5. 8. 19. D. de teſtib.* Verum & hanc interpretationem aperte refellit poſterior Theodoſii M. *hac l.* interlocutio, quæ vtique ne volentem quidem Epiſcopum admitti indicat. Recta enim eſt Hugolini ſententia prioris interlocutionis hanc eſſe ſententiam, Epiſcopum inuitum ad teſtimonium dicendum non cogendum; poſterioris vero nec ſponte ſeu volentem teſtificari admittendum. *Flagitare* ſcil. ad teſtimonium, eſt teſtimonium inuito *denunciare*, & vt erat in XII. *tab. 2. obuagulari*, & apud Plautum *Aulular. Act. III. Scen. 2. v. 32. pipulo differre.* Nam quod & in XII. erat *obuagulatum ire*, per *flagitandi* vocem expreſſere. *Flagito*, eſt βιαίως ἀπαιτῶ, vt in *Gloſſis*, & ibidem *flagitauerit*, μετὰ βίας ἀπαιτήσῃ. Plautus *Pſeudolo Act. 1. ſcen. 5. v 143. Clamore magno & multum flagitabere;* quod idem in *Curcul. Act. 5. ſcen. 3. v. 5.* ſic effert: *Poſtquam nihil fit, clamore hominum poſco: ille in ius me vocat.* Hinc & *flagitatores*, qui nomine tumultuoſius & inſtantius appellant, & *flagitium* appellatio clamoſa & cum verborum contumelia. Plautus *Moſtellar. Act. 3. ſcen. 2. v. 80. 81. A mane vsque ad veſperum, quaſi flagitator aſtans vsque ad oſtium.* Vid. idem *Caſin. Prolog. v. 24.* & Donatus in *Eunuchum Act. 2. ſcen. 3. v. 90.* Denique flagitari eſt, poſtulari, *l. vlt. infra*, peti, *l. 10. infra*, vocari in iudicium inuitum *l. 4. ſup. ne præter crimen Maieſt.* Græci proprie κλητεύεσθαι obteſtari vocarunt, vt docet Pollux *l. 8. c. 6. pag. 875. Edit. Hemſterhuiſ.* qui liber octauus totus eſt iuridicus, περὶ δικαστικῶν ὀνομάτων. *Admitti* vero dicitur, qui vltro neque inuitus auditur, Donatus in *Eunuchum Act. 4. ſcen. 6. v. 23. Admittere, fieri, ſinere eſt*, Ita *l. 6. C. Iuſt. de teſtibus: Parentes & liberi inuicem aduerſus ſe nec volentes ad teſtimonium admittendi ſunt.*

Tertia interpretatio eſt, quaſi *hac lege* diſtinctio fiat *locorum;* Nempe non cogi Epiſcopum venire in iudicium teſtimonii dicendi cauſa, ſed domum ad eum mitti oportere; Quod ſane a Iuſtiniano poſtea nominatim cautum fuit *Nou. 123. cap. 7.* vnde etiam Irnerius Authenticam ſuam, *ſed Iudex mittat*, huic *legi Cod. Iuſt.* ſubiecit, quaſi interpretatoriam ex ſuo ſenſu, quod malim; vel correctoriam, quod Accurſio placet. Verum neque hæc placet interpretatio, ſi de originali *huius l.* ſenſu quærimus: nam de Triboniani mente non ambigimus. Nam etſi vt veteri, ita & noua prudentia iurandi cauſa ad egregias perſonas domum mitti oportuerit, *l. 15. D. de iureiur. l. 2. §. 1. Cod. Iuſt. de iureiur. propt. calumn.* Item etſi apud Tacitum *lib. 2. Annal. cap. 34.* legamus, Ad Vrgulaniam, quam amicitia Auguſtæ mirum in modum extulerat, miſſum eſſe Prætorem, qui teſtem eam in cauſa quadam domi interrogaret: Nihil tamen *hac l.* tale occurrit, vnde hæc Interpretatio colligi poſſit: Sed & inſolens hoc ipſum circa Vrgulaniam factum, & a moribus iureque Romano alienum; & quia domum miſſum, & quia Prætor miſſus: In tantum, vt Sacerdotes quoque Veſtales (priuilegiis alioquin ſummis decoratæ) in foro & iudicio ipſo teſtimonium dicerent. Verba Taciti hæc ſunt: *Cæterum Vrgulania potentia adeo nimia ciuitati erat, vt teſtis in cauſa quadam, quæ apud Senatum tractabatur, venire dedignaretur; miſſus eſt Prætor, qui domi interrogaret: cum Virgines Veſtales in foro & iudicio audiri, quoties teſtimonium dicerent, vetus mos fuerit.* Et ſane magnum eſt hac parte Iuriſiurandi, & teſtimonii diſcrimen: Ad iurandum equidem, ſi ad perſonas quaſdam mittatur, nullum exinde veritati vel fidei præiudicium fit. Atenim ſi de teſtimonio quæritur, notum

tum illud Hadriani *leg. 3. §. 3. D. de teſtib.* *teſtibus ſe, non teſtimoniis crediturum.* Item, *teſtimoniis apud ſe locum non eſſe: nam ipſos,* inquit, *interrogare ſoleo.* Item illud eiusdem *d. leg. 3. §. 4.* *Alia eſt authoritas præſentium teſtium, alia teſtimoniorum, quæ recitari ſolent.* Et ſi Quintilianus *lib. 5. c. 7.* teſtimonia dici ſcripto ait, per tabulas, aut a præſentibus, Qui ta-
P. 319. men idem de primis ita ait: *Simplicior, contra tabulas pugna: nam & minus obſtitiſſe videtur pudor inter paucos ſignatores, & pro diffidentia premitur abſentia.* Et ratio ſatis aperta, cur teſtes αὐτοπροσώπως, incoram in iudicio audiri oporteat non etiam domi: quamlibet forte publica perſona eo mitteretur; Nam ipſum Prætorem ſeu Magiſtratum domum ire Maieſtas imperii non patitur, etſi id factum, ſed inſolenter, in Vrgulania. Vt fallatur omnino Ræuardus, qui IV. *var. 15.* ſolemni more Prætorem ipſam domum miſſum ad egregias perſonas ſcribit. Neque etiam, quod Cuiacio in mentem venit, Epiſcopos hac parte comparari velim cum iis Sacerdotibus, qui propter loci religionem inde ſe mouere ſeu diſcedere a Sacerdotio ſine religione non poterant: de quibus agitur tribus locis *Digeſtorum* puta *leg. 2. D. de in ius voc. leg. penult. in princip. D. de vacation. muner. leg. 36. D. de fideicommiſſ. libertat.* ad quos non dubito, vbi caſus tuliſſet, resque moram non pateretur, ad locum ſeu ad Templum mitti ſolitum teſtimonii ergo. Hoc enim Sacerdotii genus, ἐφημερίας & ſtationis ſuæ tempore, ita Sacerdotio ſeu loco, & ædi adſcripti, deuoti, dicati erant, vt inde omnino diſcedere ſeque mouere ſine piaculo non poſſent; de quibus & Seneca 1. *de tranquillitate cap. 10.* *Quosdam exilia, vno loco tenent; quosdam Sacerdotia.* Neque dubito haud abſimile id Sacerdotii genus fuiſſe ἐφημερίαις φυλακαῖς, ſtationibus hebdomadicis 24. quæ in orbem recurrebant apud Iudæos. Et ex quibus peculiaris poſtea ſortitio fiebat, quis immolaret, quis libaret, quis cinere lauaret altare inter ſuffitum: quorum frequens mentio apud Lactantium, & Ioſephum, *lib. 7. cap. 11.* & Theophylactum.

Eo quippe hebdomadis, ſeu ἱερατικῆς ἐφημερίας totius tempore, in Templo deſeruiebant ſeu operabantur: de quibus Scaliger *lib. 3. canon. Iſagogicor. pag. 207.* & Collector *Exercitation. Euangelicarum, libro 1. cap. 7. 8.* Verum ad rem.

Mihi itaque placet hoc Theodoſii priuilegium ad *Criminales* & *mutuas* quidem *in ſpecie huius legis* Epiſcoporum accuſationes, teſtificationes, omnino referendum eſſe. Nempe cum & cæteroquin Epiſcoporum teſtimonio quenquam Reum peragi ſanctitas loci vix patitur, quibus, (vt loquitur *lex 31. infra, de Epiſcop.*) ſola ignoſcendi gloria relicta eſt. Et ſane, quod primum mihi argumentum eſt, cum *huius legis*, æram attendo, ea in id omnino tempus incidit, quo ſecunda Synodus Oecumenica Conſtantinopolitana habita fuit (menſe inquam Maio, Iunio, & ex parte Iulio huius Anni 381.) adeo vt hæc *lex* paolo ante finitam Synodum lata ſit; Quare omnino eam pertinere exiſtimem, ad eum tumultum qui in ea Synodo exortus occaſione Flauiani, qui Epiſcopus Antiochenus electus fuit, cum iam alius eſſet, puta Paulinus: item Gregorii Nazianzeni, qui & ideo Sedi Conſtantinopolitanæ concordiæ ergo renunciare coactus fuit, ſuffecto in eius locum Nectario, qui & Synodo ipſi ſubſcripſit *VII. Idus Iulias*, cuius etiam eodem menſe Iulio (& ſic vno menſe poſt *hanc legem*) mentio fit a Theodoſio *leg. 3. infra de fide Catholica.*

Et hanc quidem primam habeo huius coniecturæ cauſam, ex ipſa temporum ratione petitam. Et vero, quod ſecundum, ipſemet Gregorius Nazianzenus in hac Synodo flagitia Epiſcoporum, prius obſcura atque incognita ab inimicis in lucem prolata haud obſcure indicat *in carmin. 10. de diuerſis vitæ generibus. pag. 81. Tom. II. Oper. Edit. Colon. ſiu. Lipſ. apud Weidman.* Vt omnino credibile ſit, Theodoſium hæc crimina ad ſe perlata, & in Conſiſtorium ſuum inducta audiuiſſe, teſtimonio Epiſcoporum non admiſſo.

Tertio, huic quoque rei fidem facit ipſius Synodi Conſtantinopolitanæ *Canon ſextus pag. 811. Tom. I. Concil. Edit Harduin.* prolixus de Epiſcoporum accuſationibus, de priuatis & Eccleſiaſticis criminibus; quinam videlicet admittendi ſint ad Epiſcoporum accuſationem, qua forma, quo ordine; vbi & ſub finem aduerſus eos diſerte agitur, *qui contempto eo ordine, qui ibi præſcribitur, auſus fuerit vel* IMPERATORIS AVRES *moleſtia afficere, vel ſecularium Magiſtratuum tribunalia, vel Synodum Oecumenicam perturbare contemptis Epiſcopis diœceſeos.* Et initio eiusdem canonis cauſam indicat, *Quoniam*, inquit, *multi Eccleſiaſticum Ordinem* CONFVNDERE (συγχεῖν) *& euertere volentes, odioſe & calumnioſe aduerſus Epiſcopos Orthodoxos, qui Eccleſias adminiſtrant, accuſationes quasdam confingunt, nihil aliud conantes, quam vt Sacerdotum bonam exiſtimationem contaminent, (ἢ χραίνειν τὰς τῶν ἱερέων ὑπολήψεις,) & tumultus populorum in pace degentium excitent; hac de cauſa placuit, &c.* Ex *hoc Canone* iam apparet, mutuas illas Epiſcoporum in Synodo accuſationes ad Imperatoris Theodoſii aures perlatas, ſeu in Conſiſtorium eius inductas, cuius rei occaſione iam hæ Theodoſii interlocutiones proceſſere. Neque omittere poſſum hanc in rem ipſam decretum Concilii Carthaginienſis, quod habitum Anno Domini 399. (vt alibi prolixe oſtendo) quod continetur *canone 59.* Codicis Africani *pag. 898. Tom. I. Concil. Edit. Harduin.* *Petendum etiam*, inquiunt Patres, ab Imperator. *vt ſtatuere dignentur, Vt ſi qui forte in Eccleſia quamlibet cauſam (iure Apoſtolico Eccleſiis impoſito) agere voluerint, & fortaſſe deciſum Clericorum vni parti diſplicuerit, non liceat Clericum in iudicium ad* TESTIMONIVM *deuocari eum, qui cognitor vel præſens fuerit: & nulla ad teſtimonium dicendum Eccleſiaſtici cuiuslibet perſona pulſetur:* de quo Canone dixi ad *legem 1. infr. de religione.* Ex his *duob. canon.* iam liquet, id hac tempeſtate enixe actum, vt ne acta in præſentis Eccleſiaſticorum, vel dum arbitri ſedent, eorundem Clericorum teſtimonio poſtea reuelarentur.

tur. Mens igitur eadem nunc Theodoſio his interlocutionibus.

Et rationes addit, vtrique Interlocutioni proprias. Ad *Priorem*, ait, *Nec honore nec legibus Epiſcopum ad teſtimonium flagitari. Nec honore*, inquit bonus Accurſius, *id eſt, iure Prætorio, quaſi diceret, aliquis honor eſt ei ſi veritatem aperiat; vel dic honore ſcil. iudicis vocantis, qui reputat ſibi honorem.* Idemque vocem *legibus* interpretatur, *id eſt, Iure ciuili*, quaſi Ius ciuile cogat homines ad teſtimonium perhibendum: Quæ ſuauia ſunt omnia: & melius hic illud vſurpaſſet, *vel dic, Neſcio.* Ea igitur ſic accipio: Neque honorem Epiſcopali Dignitati debitum, etſi *leges* nullæ eſſent, hoc ferre, vt inuitus Epiſcopus ad teſtimonium dicendum in huiuſcemodi cauſis cogatur: ſed & expreſſis inſuper *Legibus* hoc contineri, & vt mox loquitur, *exceptam* eſſe dignitatem ſacerdotalem: *Exceptam*, id eſt, priuilegiatam. Quærendum tantum fuerit, quænam *Leges* illæ eſſe potuerunt, quas ego nondum *eruo.* Et hæ quidem rationes prioris interlocutionis ſunt de inuito Epiſcopo ad teſtificandum non cogendo.

P. 330. Poſterioris, de volente quoque Epiſcopo teſte non admittendo, duplicem rurſum rationem reddit: *Nam & perſona*, inquit, *dehonoratur, & dignitas Sacerdotis excepta confunditur.* In quibus interpretandis Accurſius ludos rurſum facit. Rationes ſunt ab honeſto; quod & verbis illis oſtendit, *Non decet.* Nempe & ipſius Epiſcopi teſtificari volentis *perſonam dehonorandam*, ſi videl. eius teſtimonio alius caderet; & inuidioſum ipſi etiam maxime futurum, ſi rerum capitalium iudiciis adſtitiſſet, (quomodo Sulpitius loquitur in ſimili re, *libro 2. ſacræ hiſt. cap. vltim. init.*) Neque tantum ipſius Epiſcopi teſtimonium perhibentis perſonam hoc admiſſo dehonorandam, verum toti inſuper ſacerdotali Ordini iniuriæ notam inurendam: *Et dignitas*, inquit, *Sacerdotis excepta confunditur;* Ac ſi diceret, non eſſe permittendum, vt vnus forte Epiſcopus huic priuilegio, quod toti Ordini datum eſt, renunciet: cui ſi renunciaret & næuum toti Ordini inuidiamque conciliaret. Cui non abſimilem rationem vrgent Canoniſtæ, vt negent renunciare poſſe fori præſcriptioni, *cap. 12. X. de foro competenti:* Aliter atque Ius Ciuile in *l. 51. C. Iuſt. de Epiſcopis:* & *leg. 29. C. eod. de pactis:* & *l. 13. §. vlt. D. de vacat. excuſ. mun.* cuius ratio, quod renunciatio huiuſmodi nullo næuo, nulla inuidia Ordinem Clericalem perfundat; quæ vtique perfundit in ſpecie quam tractamus, & (vt *h. lex* loquitur) *confundit. Confundere* hic non eſt, quod Accurſius voluit, Epiſcopalem dignitatem in Ordinem, ſeu ad inſtar cæterorum Clericorum, quibus hoc priuilegii datum non eſt, cogere: ſed *Confundere* eſt fœdare, inuidiæ publicæ obiectare, & næuum impingere: pariter vt *l. 4. infr. ne Chriſtianum mancip. Iud.* (collata *l. 22. infr. de Iudæis*:) & *l. 13. ſupr. de re militari.* aliiſque locis, quæ in *Gloſſis noſtris* occurrunt. In *Gloſſis* etiam Philoxeni: *Confunditur*, δυσωπεῖται: *confundebar*, ᾐσχυνόμην, *confundo*, συγχέω. Canon *Sextus Conſtantinop.* de quo *ſupr.* pariter συγχέειν verbo vtitur.

His interlocutionibus, earumque rationibus ita expenſis, exinde quoque clare quarto iam argumento conficitur, hanc *legem* ad criminales omnino teſtificationes pertinere. Nam neque de inuito ad teſtimonium flagitando, *toto iure* vnquam agitur, quam in criminalibus cauſis, vt docet *lex 4. 5. 8. 19 D. de teſtibus.* Quintilianus *lib. 5. cap. 7. de teſtib.* Plinius *lib. 6. ep. 5. ad Vrſum.* Et teſtimonium in ciuilibus cauſis proprie hoc ſæculo *repromitti* dicitur: *d. l. 1. infr. de Epiſcopali iudicio.* Neque video (quod ſextum argumentum) quomodo per teſtimonium in ciuili cauſa, aut perſona Epiſcopi teſtificantis dehonoretur, aut dignitas Sacerdotii confundatur, id eſt, inuidiæ aut famæ obiectetur.

Tres tandem (quod & ſeptimo argumento eſſe poteſt) Clericorum gradus, & ſecundum eos tria & diuerſa iura ex *hac leg.* & *leg. 10. infr.* in negotio teſtimonii in cauſis criminalibus obſeruentur: Nempe I. *Epiſcopi* in his teſtimonii dicendi ius non habent, ſeu Dignitas *Sacerdotis* excepta eſt, id eſt, Epiſcopi, *h. l.* II. Presbyteri, qui Epiſcopis proximi, teſtimonii ius habent, a quæſtione tamen immunes ſunt. III. *Cæteri Clerici* etiam teſtimonii cauſa quæſtioni ſubiici poſſunt, *d. l. 10.*

Poſtremo igitur loco id obſeruandum, hanc conſtitutionem vnam eſſe e tribus quæ *hoc Codice* occurrunt ad hiſtoriam Concilii Conſtantinopolitani pertinentes: duæ reliquæ ſunt *lex 8. infr. de hæreticis*, & *l. 3. infr. de fide Catholica.* Atque ita non hiſtoria tantum Eccleſiaſtica in commune *hac l.* augeri poteſt, quam Baronius diligentiſſimus alioquin omiſit, verum ſpeciatim hiſtoria Concilii Conſtantinopolitani.

Illud adhuc hoc loco addendum, quod Chryſoſtomus notat, Epiſcopis ſeu *Sacerdotio* illud tributum, vt & teſtes producti non iurarent *homilia 9. in 3. caput Actorum in fin. Commel. edit. p. 519.* Sauil. *pag. 663.* De Clericis iurare prohibitis v. *Nou. Iuſt. 123. cap. 21. §. 2.* Photium *Nomocanone tit. 9. cap. 1. pag. 959.* & *cap. 27. p. 993. Tom. II. Biblioth. Iur. Can. Henr. Iuſtelli.* Vid. & *ibi* Balſamonem *pag. 994.*

ABSENS, *non ilico damnandus.*

IX. (a) Imppp. Gratianus (b) Valentinianus & THEOD. AAA. ad Florentium PF. (c) Auguſt.

NON oportet in abſentem, quaſi in præſentem atque conuictum, verum ſtatim putari, quidquid ab eo ſolo dicitur, qui accuſat. Dat. XIII. Kal. Ian. (d) Richomere, & Clearcho. Coss. [384.]

INTERPRETATIO. *Quotiens* (c) *quilibet accuſator aliquid de aduerſario ſuo eo abſente ſuggeſſerit, ante diſcuſſionem vtriusque* (f) *partis penitus non credatur.*

NOTAE.

(a) Abeſt & hæc *lex* a *Cod. Iuſt.* Iungenda illi *lex vnic. ſupr. de his qui plebem aud.* Ad eam alluſit Auctor *Epiſtol. 2. cap. 5 Calixti I. Papæ, pag. 112. Tom. I. Concil. Edit. Harduin.* Eſt autem ab *hoc titulo* fugitiua. *GOTHOFR.*

(b) *Valentiniani* THEODOSII *& Arcadii* nomina *hic*, & *d. l. vn.* ſunt ſubſtituenda, expuncto *Gratiani* nomine; vtpote iam ſuperiore Anno extincti: de quo vid. *Chronolog.* Quod etiam Blondellus *de Primatu in Eccl. pag. 234.* recte obſeruauit. *ID.*

(c) *Florentius* Præf. Auguſtalis ſub Theodoſio M. v. *Proſopogr. ID.*

(d) *Ian.* in *An. Reg.* & *MS. G. ID.*

(e) Hinc deſumpta eſt ſententia quædam *epiſtolæ* 2. Iulii I. PP. *cap. 9. pag. 564. Tom. I. Concil. Ed. Hard.* & Teleſphori PP. *Ep. cap. 4. init. pag. 92. Tom. I. Concil. Ed. cit.* & exinde in *Decreto cap. 1. Cauſ. 3. Qu. 9. ID.*

(f) Alluſit Auctor *Epiſt. 2. c. 9. Calixti I. PP. pag. 112. T. I. Concil. Edit. cit. ID.*

COMMENTARIVS.

P. 331. ABSENS accuſatoris ſolius delatione, ſeu indicio prægrauatus, pro conuicto non ideo ſtatim habendus eſt. Quid igitur? *Conuinci* quoque eum oportet legitimis ſcil. probationibus, teſtibus vel ſcriptura. Hæc huiusce legis Theodoſii M. ſententia eſt: quæ apertum alias ſenſum habet, quæque alioqnin etiam inculcatur. *l. 1. D. de requir. vel abſentibus damnandis*, & *l. 5. D. de pœnis*, de Abſente videl. non damnando, quæque eius occaſione Interpretes notant ad *l. 6. Cod. I. de accuſat.* ſimiliter plane Theodoretus *Ep. ad Florentium Patricium 89.* ἄτοπον γὰρ εἶμαι τοῖς κατὰ τῶν ἀπόντων λεγομένοις ὡς ἀληθέσι πιϛεύειν: ἔννομον δὲ καὶ δίκαιον, τοὺς βουλομένους διώκειν παρεῖναι κατηγορεῖν τῶν Φευγόντων, καὶ τοὺς ἐλέγχους παράγειν: οὕτω γὰρ οἱ δικάζοντες εὑρεῖν τἀληθὲς ῥᾳδίως δυνήσονται. *Abſurdum namque opinor fuerit, iis, quæ contra abſentes dicuntur fidem tanquam veris adhibere: iuſtum autem & legibus conſentaneum, eos, qui criminis actionem perſequi velint, præſentibus reis accuſare, probationesque adferre. Sic enim verum iudices facile poterunt inuenire.* Id tamen in *h. l.* peculiariter internoſcere mihi videor, de abſente nominatim *contumace* accuſato in ea actum, atque adeo Florentium PF. Auguſtalem increpari videri, quod tam cito in abſentem quamlibet contumacem, accuſatoris ſolius dicto fidem habuerit, vt putaret accuſati contumacia accedente, accuſatoris ſolius & vnius dicto credendum eſſe. At enim Theodoſius id ſufficere *h. l.* negat: verum requiri præterea vt legitime *conuictus* ſit. Contumax abſens non quaſi plene conuictus habendus eſt, vt non præterea legitima rem probari, & reum peragi oporteat. Idque eſt etiam, quod non tantum Iuſtin. in *l. 13. §. 2. 3. C. Iuſt. de iudiciis*: verum iam antea Iurisconſultus *lib. 4. de omnibus Tribun. in l. 73. D. de iudiciis* voluit; *poſt edictum peremptorium abſente citato, ſiue reſponderit, ſiue non reſponderit, agi cauſam & pronunciari: ſed non vtique*, (id eſt, non ſemper, non abſolute, vel vt *l. 1. C. Iuſt. quomodo & quando Iudex*: non ſemper, non omnino) *ſecundum præſentem: ſed interdum vel abſentem, ſi bonam cauſam habuit, vincere.* Ait, *non vtique*: id eſt, vt *h. l. non ſtatim*: Contumaciæ ſcilicet ſeu abſentis pœna hactenus ea eſt; vt eo abſente cauſa agi, definiri μονομερῶς poſſit, *l. vlt. D. ad Trebellianum.* Item, vt præſumptiu aduarſus eum faciat: vnde *Iura omnia clamare contra contumaces* dicuntur; quinimo condemnationem ſumptuum nullam obtineat; At enim vt ex ea cauſa illico litis iacturam faciat, non item. Antonini Caracallæ elegans hanc in rem eſt *lex 1. C. Iuſt. quomodo & quand. Iudex*: *Non* SEMPER *compelleris, vt aduerſus abſentem pronunties, propter ſubſcriptionem Patris Mei, qua ſignificauit, etiam contra abſentes ſententiam dari ſolere. Id enim eo pertinet, vt etiam abſentem damnare poſſis, non vt* OMNIMODO *neceſſe habeas*: Hinc & *l. vlt. D. ad Trebell.* exemplum occurrit actoris præſentis damnati, abſentis vero rei abſoluti.

Porro cum *huic l.* coniungenda ſit *lex vn. ſup. de his qui plebem aud. contra publ. coll. diſcipl.* ex hac coniunctione colligere mihi videor, in ſp. *huius l. ſeditionis* accuſatum abſentem aliquem: quaſi is ſuſcipere plebem Alexandrinam & aduerſus publicam diſciplinam defendere ſolitus fuerit. Vnde iam notetur, *hanc l.* obtinere quoque in atrociſſimis criminibus etiam pacis publicæ turbatæ, & *ſeditionis*.

De PRESBYTERIS & CLERICIS *teſtibus torquendis vel non: & falſis puniendis.*

X. (a) Idem AAA. (b) Paulino (c) PF. Auguſt.

PRESBYTERI citra iniuriam quæſtionis teſtimonium dicant: ita tamen, vt falſa non ſimulent (d): Ceteri vero Clerici, qui eorum (e) gradum, vel ordinem ſubſecuntur (f), ſi ad teſtimonium dicendum petiti (g) fuerint, prout Leges † præcipiunt, audiantur. Salua (h) tamen ſit litigatoribus falſi actio, ſi forte Presbyteri, qui ſub (i) nomine ſuperioris

rioris (k) loci teſtimonium dicere citra aliquam corporalem iniuriam (l) ſunt recepti, (m) hoc ipſo quod nihil metuant, vera ſuppreſſerint. *Multo magis* (n) etenim (o) *pœna ſunt digni, quibus cum plurimum* (p) *per noſtram iuſſionem delatum fuerit*, (q) *occulto inueniuntur in crimine.* Dat. VIII, Kal. Auguſt. Arcadio I. & Bautone Coss. [385.]

INTERPRETATIO. *Presbyteri citra iniuriam quæſtionis*, (r) *id eſt, ſine ſupplicio corporali, poſſunt teſtimonium dicere: alii vero clerici, qui eorum ordinem ſubſequuntur, ſi ad teſtimonium dicendum adhibiti fuerint, ſicut Leges præcipiunt, audiantur: ita vt ſalua ſit contra Presbyteros falſi actio, ſi in aliquo docebuntur fuiſſe mentiti; quia* magis pœna digni ſunt, quibus cum lex reuerentiam præſtat, ſuæ profeſſionis immemores, in mendacii crimine deteguntur.

NOTAE.

(a) *L. 8. Cod. Iuſt. de Epiſcopis.* Omiſit & *hanc l.* Baronius in *Annales ſuos* referre. GOTHOFR.
(b) Qui & *l. ſuperiori* præſcribendi *Valentinianus, Theodoſius, Arcadius.* ID.
(c) De hoc *Paulino* Præf. Auguſtali ſub Theodoſio M. v. *Proſopog* ID.
(d) *Simulent*, id eſt dicant, mentiantur, fingant. ID.
(e) *Qui eum deinde gradum*, ita *Cod. Iuſt. Eorum*, id eſt, presbyterorum. ID.
(f) *Sequuntur* C. Iuſt. *conſequuntur*, Edit. in 4. & prima Cuiac. ID.
(g) Flagitati, *L. 8. ſup* ID.
† Id eſt ſic, vt quæſtioni ſubiici poſſint. ID.
(h) *Vt ſalua tamen*, Ita *Cod. Iuſtin.* ID.
P. 332. (i) In *Cod Iuſt.* male *ſuo nomine.* ID.
(k) V. quæ mox dicam. ID.
(l) Citra iniuriam quæſtionis, vt *initio leg.* ID.
(m) *Præcepti* Cod. Iuſt. Edit. in 4. prim. Cuiac. Sichard. & MS. G. ID.
(n) Concordat huic ſententiæ ſuppoſititia *lex 2. inf. de Epiſcopali iudicio:* Nouell. *Valentinian. 5. de ſepulcbris.* Chryſoſtomus *περὶ ἱερωσύνης lib. 3 num. 14 pag 391. & lib. 4. num. 2. pag. 403. Tom. I. Oper. Edit. Benedictin.* Saluianus *duob. locis lib 4. de Gubernat. Dei cap. 12. & lib. 2. aduerſ. auaritiam cap. 9. l. 1. C. Iuſt. vbi Senatores:* dixi plenius in *Commentar. ad d. l. 2.* ID.
(o) *Enim*, Cod. Iuſt. RITTER.
(p) *Honoris*, hæc vox addita *Cod. Iuſtin.* GOTHOFR.
(q) *Eſt, Cod. Iuſt. Fuit*, MS. G. & Sichard. ID.
(r) *Quæſtionum*, MS. G. Sichard, prim. Cuiac. & illa in 4. RITTER.

COMMENTARIVS.

QVÆSTIONI quoque teſtes olim ſubiiciebantur, legibus ſeu iure Romano: quod præter *hanc l.* docet *lex vlt. ſup. de abolition.* quæ *legi vlt. huius tit.* coniungenda eſt: Imo & Clerici quoque ipſi teſtes, ex conſtitutionibus Imperatorum Chriſtianorum: ſoli inter Clericos PRESBYTERI hac Theodoſii M. conſtitutione excipiuntur: De quo accipienda foret, quæ ſub eiusdem nomine proponitur conſtitutio, ſi γνήσιος ea foret, ad Præfectum Auguſtalem pariter data, *lex vlt. infr. de Epiſcop. iudic.* in illis: *vexatos etiam nonnullos Orthodoxorum Clericos, quorum ætas huic iniuria ac* SACERDOTIVM (ita enim ibi reponendum) *repugnabat, flagitatos itineribus, Quæſtionariis deditos.*

Nempe ſingulare hoc Priuilegium inter Clericos Presbyteris Theodoſii M. iuſſione delatum fuit, quod & *fin. leg.* expreſſe dicitur, quod & voce *recepti* indicatur, quæ in *Cod. Iuſt.* mutatur in *præcepti.* Idque *ſub nomine ſuperioris loci*, ait hæc *lex: ſuperiorem* ſcil. *locum* inter Clericos Presbyteri tenent, primi Clericorum, poſt Epiſcopos, Primates ſic vt dicam, & Principales: ipſique Epiſcopi in ordine ſecundo. Hinc & Presbyteri faſtigium *l. 121. infr. de decurionib.* Presbyterorum nomen proximum nomen Epiſcoporum, *l. 5. infr. de hæreticis:* vbi vid. quæ dicam plura. *Antiſtites in ſecundo ordine*, vocantur apud Sidonium *lib. 4. ep. 11. v. 18.* & apud Fridegodum Monachum Benedictin. *in Vita S. Wilfridi* Epiſcopi Eboracenſ. qui de *S. Wilfrido*, quando Presbyter factus eſt, *num. 8. pag. 176. in Actis Sanct. Ordin. S. Benedict. Secul. III. Part. I. Edit. Mabillon.* ita canit:

Ordinis aptatur cælebs in honore ſecundi.

Parte altera ſicut priuilegium hoc, quod dixi, Presbyteris *h. l.* tribuitur, ita ne hoc obtentu *ſub nomine ſuperioris loci* (non vt *Codex Iuſt.* habet *ſuo*,) *quod nihil* ſcil. *metuant*, id eſt a quæſtione ſint immunes, *vera ſupprimant:* hac eadem *leg.* falſi actio in eos litigatoribus datur, ſi vera, inquam, ſuppreſſerint, ſeu falſa ſimulauerint.

Tria iam igitur hinc obſeruentur ad ſecularem in Eccleſiaſticos iuriſdictionem in commune pertinentia. Primo, Clericos ad teſtimonium in iudicio flagitatos, etiam Presbyteros (ſolis quandoque Epiſcopis exceptis *l. 8. ſup.*) Secundo, Clericos teſtes quæſtioni ſubiectos, ſolis presbyteris exceptis *h. l.* haud aliter atque laicos: *prout leges*, inquit, *præcipiunt, audiantur.* Tertio, falſi actionem in Presbyteros quoque datam, ſi falſa in iudicio teſtes exciti

citi, protulerint, veraque diſſimulauerint.

Illud a Doctoribus iam recte ex *h. l.* colligitur; Teſtem falſum admittere, ſeu *ſimulare*, deque falſo teneri, qui vera ſupprimit: quod hæc lex apertiſſime oſtendit: cum promiſcue ponat, *initio l falſa ſimulare*: mox, *vera ſupprimere.* Et vero id in teſtibus veriſſimum eſt: de quo v. & quæ dixi *ad l. 3 ſup.* Denique verum ſupprimitur, vel poſitiue falſa ſimulando: vel priuatiue, verum reticendo. Secundo ex *h. l.* colligunt Doctores, in vno releuatum, in alio prægrauari.

Ratio tandem elegans *fine l.* notetur, quæ alio vtiliter traduci poteſt, *multo magis pœna dignos eſſe, qui cum plurimum his per leges deferatur*, (vel vt Interpres, *quibus lex reuerentiam præſtat*, *profeſſionis ſuæ immemores*, quod ab interprete non male adiicitur) *occulto inueniuntur in crimine*, id eſt, vt Interpres noſter, *in mendacii crimine deteguntur.* A quo non abludit illud Iuuenalis *Satyr. VIII. v. 140. 141.*

Omne animi vitium tanto conſpectius in ſe
Crimen habet, quanto maior, qui peccat, habetur.

Vnde perperam nonnulli colligunt, grauius puniendos qui in occulto, vt impunitate potiantur, crimen committunt: *Occultum* enim crimen hic non eſt, quod in occulto admittitur, ſed *mendacii* crimen, quo veritas occultatur: nempe *Occulti* vox hoc ſenſu, vt & *occulendi*, mendacio propria; vt apud Græcos κεύθειν apud *Homerum*, *Menandrum*, *Phocylidem.*

APOSTATAS, *teſtes eſſe non poſſe.*

XI. (a) Imppp. VALENTINIANVS, Theod. & Arcad. AAA. Flauiano PF. P. (b)

HI qui ſanctam fidem prodiderint, & ſacrum (c) baptisma profanatint, (d) a conſortio omnium ſegregati, ſint a teſtimoniis alieni, &c. Dat. V. Id. Maii Concordiæ, (c) Tatiano & Symmacho Coss. [391.]

NOTAE.

(a) Deſumpta hæc *lex* eſt ex ampliore *l. 4. inf. de Apoſtatis*: quæ eſt *lex 3. Cod. Iuſt. eod. tit.* Iungenda & *lex 5. d. t. inf. de Apoſtatis. GOTHOFR.*

(b) *Flauianus* PP. Illyrici & Italiæ v. hoc ipſo Anno *l. 2. ſup. de conſtitut. Princip.* & *l. 6. ſup. de contrah. empt.* & *l. 13. ſup. de fœnis. ID.*

(c) *Sanctum, d l. 4.* & *d. l. 3.* Cod. Iuſt. *ID.*

(d) *Profanauerint d. l. 4. ID.*

(e) Ibidem ſcil. datæ *d. l. 4.* & *5. inf. de Apoſtatis. ID.*

P. 333. COMMENTARIVS.

APOSTATÆ inteſtabiles *h. l.* eſſe iubentur a Valentiniano Iun. quæ cum ex ampliore *l 4. de Apoſtatis* deſumpta ſit, inde quoque lux petatur.

Illud ſaltem obſeruetur, eos qui a conſortio hominum pœnæ loco ſegregantur, per conſequens a teſtimoniis alienos eſſe: Nempe vt commercii humani pars, neque infima, teſtimonii dictio eſt, ita neque infima pœna, inteſtabilem fieri: Quæ vtique iure in Apoſtatas decernitur: ne rerum videl. geſtarum fides ſeu veritas per hos probetur, qui Fidem ipſi prodidere.

PETITORI, *non* POSSESSORI *probationis onus incumbere.*

XII. (a) Impp. ARCAD. & Honor. AA. Æternali Proc. Aſiæ. (b)

COGI poſſeſſorem ab eo qui expetit, (c) titulum ſuæ poſſeſſionis edicere, (d) quæ tanta erit amentia, vt, (e) ratione præpoſtera, petitor (f) ab eo quem pulſat, (g) informari ſuas poſtulet actiones: cum omnem probationem exigi oporteat ab eo, qui vindicare (h) nititur, non ab eo qui *Se iuſte tenere* contendit? Intentanti namque non ſuſcipienti, (i) probationum neceſſitas inponenda eſt; Præter eum, qui edicere (k) cogitur, vtrum *Pro poſſeſſore*, an *Pro herede* poſſideat. Dat. XII. Kal. April. (l) Arcadio VII. (m) & Honorio III. AA. Coss. [396.]

INTER-

INTERPRETATIO. (n) *Lex iſta hoc præcipit, vt probatio non a poſſeſſore, ſed a petitoris partibus requiratur: quia omnem probationem ab eo quæri debere dicit, qui petitam rem deſiderat obtinere, non ab illo, qui ſe iuſte tenere contendit: præter illum tantum caſum, vbi interrogari neceſſe eſt poſsidentem, vtrum ex ſua perſona, an ex* (o) *ſucceſsione cœperit poſsidere.*

NOTAE.

(a) *L. 11. C. Iuſt. de petit. hæredit.* Iungenda autem huic, *lex 3. ſup. de teſtamentis.* Concordat *lex 1. ſup. h. t.* GOTHOFR.

(b) *Æternalis* Proconſul Aſiæ ſub Arcadio. V. *Proſopogr.* ID.

(c) Et experitur, intentat. *Expetit petitor*, qui vindicare nititur. ID.

(d) Dilutius & *hic*, & *fine l.* in C. Iuſt. *dicere: mox inciuile eſt:* ſuppreſſis omnibus vſque ad ea, *præter eum.* ID.

(e) Sic vt ID.

(f) Abeſt *petitor* a Sichardin. RITTER.

(g) *Pulſandi* verbum hic proprium. V. *Gloſſ.* GOTHOFR.

(h) *Indicare* male præferunt prim. Cuiac. & illa in 4. quod factum ex mutua verborum iſtorum, *iudicare*, *indicare*, *vindicare* commutatione, vti obſeruauit iam olim FORNERIVS *ad Caſſiodor. Var. II. 6.* RITTER.

(i) *Suſcipiens*, oppoſite ad intentantem: id eſt reus excipiens alienam actionem GOTHOFR.

(k) V. quæ iam *ſupr. initio leg.* notaui. ID.

(l) *Conſtantinopoli*, recte additum in MS. G. & Sichard. RITTER.

(m) *vg. IV.* vti habet *d. l. 3. ſupr.* & MS. G. & Sichard. GOTHOFR.

(n) Falſa circa finem, vti indicat Commentarius. RITTER.

(o) *Per ſucceſſionem*, prim. Cuiac & Edit. in 4. ID.

COMMENTARIVS.

CVI probationis neceſſitas in rei vindicatione incumbat: Ad hanc inquam quæſtionem pertinet hæc Arcadii conſtitutio (pariter vt *lex 1. ſup. h. t.*) longe plenior, quam vt habetur *Codice Iuſtinianeo*, famoſa *l. cogi 11. de petit. hæreditat.* cui iungenda quoque eſt, *lex 3. ſup. de teſtamentis.* Scilicet petitori, non poſſeſſori, Actori, non Reo, omnis probationum neceſſitas incumbit. Quare *cogi non poteſt* poſſeſſor, vt titulum poſſeſſionis ſuæ *edicat*; & *præpoſtera ratio* eſt, imo *magna amentia*, ſi petitor ab eo, *quem pulſat*, i. e. a reo, informari ſuas poſtulet actiones. Nempe ſuis quemque probationibus actionem ſuam informare addecet, non exacta a reo probatione tituli ſui. Eaque ipſa ratio eſt, qua Alex. conſtituit *l. vlt. C. Iuſt. de edendo*: *Non oportere originem petitionis ex inſtrumentis eius, qui conuenitur, fundari.* Eodemque pertinet *h. l.* *Edicendi* vox, duobus locis: quæ *Cod. Iuſt.* mutata haud adeo bene in *dicendi.* *Edicere* eſt, *initio rei prædicere* (qua voce vtitur quoque *d. lex 3 de teſtamentis*, quæ huic, vt dixi, coniungenda eſt, & de alio, ſic vt dicam, *prædicendi* genere agit) ad informandam actionem. Denique eodem pertinet, quod ait *lex 1. ſup. h. t. in primordio petitorem debere probare*, non poſſeſſorem. *In primordio probare*, *Edicere*, *Actionem informare*, idem ſunt; vel quod quartum, in *d. l. vlt. Cod. I. de edend. originem petitionis fundare.* Quare ex his iam patet, male *hac l.* emendatam putari *legem 1. ſup.* cuius eadem eſt omnino ſententia. Neque finis *eius leg.* quidquam obſtat, qua non agitur de probatione præſtanda, in primordio, ſeu ad informandam actionem petitoris.

Quæ *fine huius leg.* Exceptio additur, eam perperam intellexit Interpres, cum ita eam expreſſit, *vtrum ex ſua perſona, an ex ſucceſſione cœperit poſſidere.* Apertum enim ea habet ſenſum: & vero firmatur *leg. 12. D. de petit. hæredit. l. 36. D. de rei vindic. l. 4. 20. D. de interrog. action.* Neque tam ad Probationes pertinet, quam ad Interrogationes.

De hac tandem Regula, vid. plenius adhuc Socinum *in Regulis Iur.*

De SVMPTIBVS *dandis, teſtibus.*

XIII. (a) Impp. HONOR. & Theod. AA. Cæciliano PF. P. (b) Poſt alia.

QVONIAM Ingenui (c) teſtes ad cauſas poſtulantur alienas, ſi ſocii & participes criminis non dicantur, ſed fides ab his notitiæ poſtuletur: in exhibitione (d) neceſſariarum (e) perſonarum, hoc eſt, teſtium, talis debet eſſe cautio Iudicantis, vt his venturis ad iudicium, per accuſatorem, aut (f) ab his, per quos fuerint (g) poſtulari, ſumptus
p. 334. competentes dari præcipiat, &c. (h) Dat. XII. Kal. Feb. Rauennæ, Honorio VIII. & Theodoſio IV. (i) AA. Coss. [409.]

INTERPRETATIO. *Quicunque teſtes neceſſarios habet, dummodo idoneos* (k) *qui non*

ſint cauſæ aut culpæ participes, ſtudeat qualiter eos ſuo ſumptu, vbi cauſa dicenda eſt, debeat exhibere.

NOTAE.

(a) *L. 11. Cod. Iuſt. de teſtibus.* Gratianus etiam *banc leg. e Cod. Iuſt.* retulit in *Decretum can.* 3. §. 40. *cauſ.* 4. *qu.* 3. Quæ autem huic *Leges* iungendæ ſint? mox dicam. *GOTHOFR.*

(b) *Cæcilianus* ſub Honorio PP. Italiæ: vid. Zoſimum *lib.* 5. *cap.* 44. vid. *Proſopogr. ID.*

(c) *Liberi:* ita *Cod. Iuſt.* & ex eo Gratianus: de cuius mutationis cauſa mox. *ID.*

(d) *Exhibitio,* id eſt, adductio: quo ipſo quoque ſenſu *exhibitio* reorum dicitur *leg* 4. *ſupr. de exhibend. reis. ID.*

(e) *Neceſſariæ* perſonæ hic pro teſtibus, qui ad cauſas & fidem notitiæ neceſſarii. *ID.*

(f) *Vel,* C. Iuſt. & Gratianus. *ID.*

(g) *Fuerunt,* C. Iuſt. *ID.*

(h) *Idem iuris eſt; & ſi in pecuniaria cauſa teſtes ab alterutra parte producendi ſunt.* Hoc additum a *Trib. d. L.* 11. præter Honorii mentem: cuius integra conſtitutio, vnde hæc deſumpta, eſt de proceſſu criminali. *ID.*

(i) *γρ. III.* vti & habent MS. G. & Sichard. & *l.* 5. *ſupr. de exhib. reis l.* 2. *ſupr. vt intr. an.* & aliæ. *RITTER.*

(k) Alluſit ad locum Auctor Ep. Teleſphori Papæ *cap.* 4. *pag.* 92. *Tom. I. Concil. Edit. Harduin.* & Iulii Papæ I, *Ep.* 2. *cap.* 9. *pag.* 564. *Tom. eod. Concil. GOTHOFRED.*

COMMENTARIVS.

SVMPTVS competentes teſtibus ad iudicium poſtulatis pet accuſatorem vel a quocumque fuerint poſtulati, *cautione* ſen præcepto Iudicis dari oportere definit Honorius Imp.

Hæc huiusce conſtitutionis ſententia eſt: quæ emplioris Honorianæ Conſtitutionis portio eſt: pariter vt aliæ prxteres ſeptem *hoc Codice* Conſtitutiones, puta *lex* 5. & *vlt. ſup. de exbib. reis. lex* 2. *ſupr. vt intra annum: l. vn. ſup. ne paſtorib. l.* 3. *ſup. de ſuperexact.* Neque improbabiliter *lex vlt. ſup. de maleficiis, lex vlt. ſup. de abolitionib.* quæ & *huic l.* argumento conuenit: & *l.* 8. *C. Iuſt. de defenſ. ciuit. lex vlt. ſup. de cuſtod. reor.* & in his nominatim *d. lex vlt. ſup. de abolitionib.* quæ huic argnmento quoqne ex parte reſpondet. Quæ quidem conſtitutio Honoriana tota occupata fuit circa proceſſum criminalem, & quidem accuratiſſima. Neque alia ſententia eſt *legis* 3. §. 4. *D. de teſtibus. legis* 6. § 2. *Cod. Iuſt. de appellat.*

Singularia tantum hic ſectemur: e quibus duo priora ſtatum & conditionem teſtium ſpectant, ſeu duas limitationes continent, quibus videlicet teſtibus ſumptus præbendi ſunt, vel non. Primum igitur *ingenui* teſtes vt ſint requiritut. Quibus vtique verbis non ſerui tantum, quod promptiſſimum, excluduntut; (qnibus teſtimonii dictio non eſt, etiam Terentio teſte *Phorm. Actu* 2. *ſcen.* 1. *v.* 63. præter *l.* 20. §. 7. *D. qui teſtam. Nouellam* 90. *c.* 6.) verum & libertini. Quod tamen Tribonianus immutauit, cum pro *ingenui*, hic ſuppoſuit *liberi*, propter *l.* 16. §. 1. *C. Iuſt. de teſtibus.* Libertinis ſcil. quoque, horum temporum Iuriſprudentia, teſtimonii dictio in criminalibus ſaltem non fuit. Quo pertinent pariter illa *d. legis vlt. ſup. de abolitionib.* (quam inter cæteras *huic* coniungendam docui) Si *vero* INGENVOS *aliquos, velut teſtes criminis petitos, ab accuſatore deductos eſſe conſtiterit, ſolam cuſtodia iniuriam toleraſſe, qui teſtes dicantur eſſe non conſcii, eorum ab accuſatore ſumptibus conſulendum eſt. Quod ſi* INGENVORVM, *licet plebeiorum, corpora fuerint læſa verberibus, tormentisque vexata, abolitionem etiam duarum partium conſenſu petitam, iubemus vigore Iudicum denegari* &c. Atqne ex his apparet, quænam ſit iſtius ratiocinationis vis. *Quoniam Ingenui teſtes ad cauſas poſtulantur alienas,* &c. *his ſumptus competentes dari.* Nempe collectio hæc eſt, (quod etiam Accurſius ex parte vidit) ſi ſerui & liberti teſtes admitterentur, vtique aliqua dubitandi ratio eſſet, num ſumptus eis præbendi eſſent; & vero his iure negarentur: ſeruis inquam, quia hi pro nullis habentur: mortuis, de quorum exhibitione *leges* ſollicitæ non ſunt, niſi hactenus, vt iuſta eis impendia a dominis præbeantur: rurſum libertis ideo, quia neque de horum facultatibus & cenſu *leges* ſolicitæ ſunt; Ingenuorum tantum cenſum ad curam ſuam reuocant *leges* Romanæ.

Secunda ſequitur limitatio, ſeu caſus quo Ingenuis quoque teſtibus ſumptus non dantur: puta ſi ipſi ſocii & participes criminis ſint; Quod & ipſum repetitur *d. l. vlt. ſup. de abolition.* quam *huic* coniungendam docui, ibi: *qui teſtes dicuntur eſſe non conſcii, eorum ab accuſatore ſumptibus conſulendum eſt.* Cuius rei ratio hæc eſt, quia hi non iam teſtes ſunt, non interrogantut de eo, quod norunt in cauſa aliena, quod vtiqne taſtem facit: *teſtes* inquit lex, *ad cauſas alienas poſtulantur*: verum de proprio crimine magis interrogatitur: denique teſtes improprie ſunt: & tales ſunt (quod Accutſius recte dixit) vt alendi non ſint, cum magis ad excuſationem ſui veniant. Et hæc de perſonis teſtium. Nunc de forma ſolntionis, a quo ſumptns teſtibus dari debeant.

Tertium igitur ſingulare *h. l.* eſt, *Prorogari* ſumptus teſtibus: ait enim *lex, venturis his ad iudicium.*

Quartum, ſumptus ab eo, qui teſtes poſtulauit, laudauit, flagitauit, præſtari: ait enim lex, *per accuſatorem, aut ab his per quos fuerint poſtulati.* Quibns verbis intelligunt Interpretes reum ipſum, ſi ad innocentiam ſuam teſtes laudauerit, vt & Iudicem, ſi ex officio nemine accuſante, in delictum inquirat. De Iudice in *huius l.* ſpecie falluntut: ait enim lex, *cautio Iudicantis, ab his per quos fuerint poſtulati, ſumptus dari præcipiat.* Ergo alii a Iudice poſtularunt in *huius l.* ſpecie. Quid igitur? Recte Accurſius hæc verba accepit de non ſolemni accuſatore, verum de *Stationariis, Irenarchis,* & ſimilibus, qui videlicet reos ex officio nunciantes, *notoriis ſuis adſiſtere coguntur.* De quo genere accuſatorum, eſt *lex* 7. & *l.* 14 *Cod. Iuſt. de accuſationibus: l.* 6. §. 3. *D. ad SC. Turpil.* vt contra, *accuſatoris* appellatione, hic intelligendus venit ſolemnis accuſator.

CODICIS THEODOSIANI LIBER DVODECIMVS. p. 331.

QVI TOTVS EST

DE

MVNERIBVS ET HONORIBVS MVNICIPALIBVS.

HVIVS LIBRI TITVLI.

I. DE *decurionibus.*
II. *De præbendo ſalario*
III. *De prædiis, & mancipiis curialium ſine decreto non alienandis.*
IV. *De imponenda lucratiuis deſcriptione.*
V. *Quemadmodum munera ciuilia indicantur.*
VI. *De ſuſceptoribus, præpoſitis & arcariis.*
VII. *De ponderatoribus & auri inlatione.*
VIII. *De auri publici proſecutoribus.*
IX. *De his, quæ ex publica conlatione inlata ſunt, non vſurpandis.*
X. *Ne Præfectianus exactoris vel curioſi, vel horreorum cuſtodis fungatur officio.*
XI. *De curatoribus Kalendarii & fideiuſſoribus eorum.*
XII. *De legatis, & decretis legationum.*
XIII. *De auro coronario.*
XIV. *De hirenarchis.*
XV. *De centurionibus.*
XVI. *De mancipibus.*
XVII. *De his, qui numero liberorum, vel paupertate excuſationem meruerint.*
XVIII. *Si curialis relicta ciuitate rus habitare maluerit.*
XIX. *De his, qui conditionem propriam reliquerunt.*

D E

P.116.

DE DECVRIONIBVS.

TITVLVS I.

Ad ECCLESIASTICAM Hiſtoriam pertinent *hoc titulo* duodecim Conſtitutiones: puta CONSTANTII *lex* 49. IVLIANI *lex* 50. VALENTINIANI SEN. *lex* 59. VALENTIS *lex* 63. VALENTINIANI IVN. *lex* 99. THEODOSII M. *lex* 104. 112. 115. 121. 123. ARCADII *lex* 163. 172.

Ex *hoc Titulo* Tribonianus in *titulum* Codicis Iuſtinianei de *Decurionibus*, quadraginta ſex tantum retulit, & ſic ne quartam quidem partem. Nonnullas tamen ex *his* alios in *titulos* reiecit, puta quatuordecim, neque adhuc integras.

PARATITLON.

CIVITATES, *l.* 6. 10. 12. 19. 143. 144. 149. 158. 174. *h. t.* ſeu vrbes *l.* 162. 170 *h. t. l.* 13. *ſup. de deſertor.* Oppida, *l.* 53. 119. *h. t.* Municipia *l.* 3. *de collat. donat. ar. l.* 16. *de Epiſcopis.* quin & Vici, *d. l.* 13. *ſupr. de deſertor. l. vlt. ſup. de patrocin. vicor.* (qua *leg.* 13. Primates Vicorum memorantur) Saluianus *de Gubernat. Dei lib.* 5. *cap.* 4. Manſiones etiam quædam, *l.* 119. *h. t.* Item Caſtella, *d. l.* 13 *ſupr. de deſertor.* non tantum plebem habuere (cui Decuriones opponuntur, *l.* 2. *de defenſorib. ciuit.* & *l.* 133. *h. t.*) verum etiam ſuum quendam Senatum habuere, qui CVRIA dicebatur, *l.* 1. 5. 10. 11 13. 17. 18 19. 21. 22. 23. 24. 29. 31. 32, 33. 35. 38. 43. 45. 46. 49. 50. 53. 54. 55. 56. 59. 66. 71. 72. 73. 74. 78. 79. 82. 83. 85. 91. 101. 102. 105. 107. 108. 114. 115. 118. 122. 123. 124. 127. 128. 129. 130. 136. 139. 142. 143. 144 149. 154. 157. 158. 159 160. 161. 162. 163. 164. 165. 168. 171. 172. 176. 177. 178. 179. 181. 182. 187. 188. 189. 190. *h. t.* Adde *l.* 3. *de teſtimon. l.* 5. *de re milit. l. vlt. de exhib. reis. l.* 1. *quid prob. deb. l.* 2. *de comitib. rei mil. l. vn. de bon. decur. l.* 1 *ne comitib. & Trib.* (Vnde Curiæ Ciuitatum, *l.* 124. *h. t.* Item dicebatur Ordo, *l.* 6. 14. 37. 42. 47. 66. 68. 75 84. 95. 110. 120 142 173 175 177. 190 *h. t.* Adde *l.* 2. *de actorib. procurat. l.* 2. *ſupr. de quæſtionib. l.* 2. *ſup quid probare deb. l.* 9. *infr. de ſuſceptorib.* Apud Amm. Marcellinum *lib.* 14. *cap.* 7. *lib.* 22. *cap.* 9. (vnde Ordines Ciuitatum, *l.* 29. 50 65 110 133. 158. 168. 175. *h. t.* & *l.* 4. *infr. de luſtrali: l.* 16. *de Agentibus: l.* 5. *de fil. mil. appar.* & *l.* 33. 37. *infr. de operib. publ. l.* 15. *ſupr quorum appellat. l.* 32. *de appellat.* Apud Amm. Marcellinum *lib.* 18. *cap.* 6. Ordines Curiarum, *l.* 66. 149. *h. t.* Curiales, *l.* 80. 121. *h. t.* & *l.* 4 *de patroc vicor.* Municipales Ordines, *l.* 180. *h. t.* & *l* 2. *ſupr. de quæſtionib.* Oppidanei, *l.* 47 *h. t.* Patriæ *l.* 79. *h. t.* Vrbium, *l.* 2. *ſupr. quid probare deb. l.* 34. *de operib. pub.* Dicebantur & Cœtus *l.* 42. 66. *h. t.* (vnde Cœtus Curiarum, *l.* 23. *h. t.*) Item Collegia (vnde Collegia Ordinum, *l.* 94. *h. t.*) Conſortia Curiæ, *l.* 19. 177. *h. t.* Curialia, *l.* 33. 175. *h. t.* Ordinum, *l.* 41. 42. *h. t.* Corpora, *l.* 70. *h. t.* Curialium, *l.* 21. *h. t.* Conſilia etiam, ni fallor, in *l.* 1. *infr. de Legatis:* (vt Galli nos, *Conſeil de Ville.*) Sane in conſilium cogi dicuntur, *l.* 4 *h. t.* Horumque, ordinis, ſeu Decurionum decreta memorantur *l.* 2. *de actor. & proc. l.* 15. *ſupr. de accuſat.*

Huius Curiæ Senatores (nam ita quoque vocantur *l.* 85. *h. tit.* & Senatores Ciuitatis Alexandrinæ, *l.* 19. *ſup. de petition.*) erant, qui DECVRIONES dicuntur, *Rubr.* & *l.* 3. 5. 6. 7. 8. 9. 14 18. 37. 43. 48. 50. 52. 53 54. 55 62. 64. 85. 93 97. 113. 116, 117. 118. 124 147. 153. 181. 187. 188. *h. t.* Adde *l.* 1. *de tironib. l.* 12. *de veteranis: l.* 6. *de re militari: l.* 2. *de filiis mil. app.* (vnde & Decurionatus, *l.* 1. *ſupr. ad leg. Cornel. de falſo*) ſingularum ciuitatum Decuriones, *l* 2. *de fil. milit. appar.* Item Curiales *l.* 1. 21. 27 30. 33. 39. 40. 47. 49. 51. 52 59. 60. 65. 74. 79. 80. 88. 91. 92. 96. 104. 105 106. 107. 109 110. 111. 114. 119 122. 123. 128. 129. 132. 134. 135 138. 146. 149. 150. 159. 167. 170. 173. 174. 177. 179. 181. 184. 186. *h. t.* Adde *l.* 2. *ſupr. de quæſtion. l.* 16. *de Palatinis l.* 16. *de Agentib. l.* 14. *de priuil. eorum qui in ſ. pal. l.* 7. *de Cohortalib. leg.* 2. *de poſtlimin. l.* 11. *de Curioſis: l.* 2. *de exp. ludor.* (vnde Curiales Ciuitatum, *l.* 19. 30. *h. t.* & *l.* 2. *de poſtliminio:*) Municipes etiam,

iam, *l.* 4.8.9.101.105.110.130.137.143.144.147.154. *h.t.* & *l.* 41. *infr. de operib. publ. l.* 2. *ſupr. p.* 337. *quid probare deb. l.* 17. *infr. de luſtrali. l. omnis* 5. *ſupr. de his quæ adminiſtrantibus: l. vlt. de exactionib. l.* 16. *de Palatinis. l.* 3. *de teſtimon. l.* 8. *de cohortalib.* ſeu Municipales, *leg.* 62. *h. t.* Munifici item, *leg. vltim. hoc tit.* tandem Curiæ debiti, *l.* 136.139.

Hi *Senatores* quidam, vt dixi, Curiæ ſuæ erant: Ideoque In vrbibus Eminentes dicuntur, *l.* 3. *in fin. ne quid publ. lat.* & Honoratis iunguntur, & gradus honore, & in conlationibus honeſtate functionis finitimi his erant, *d. l.* 3. & *l.* 1. *eodem tit. ne quid publ. lat.* Horum alii Originales erant, *leg.* 13.96. *hoc tit.* ſeu origine Curiales, *l.* 38.58 *h.t.* Origine Curiali, *l.* 56.74.76 81. *h.t.* qui origine, *l.* 5.12.77.88 113.149 *hoc tit.* originali Conditione, *l.* 184. *h.t.* Originalibus vinculis, *l.* 82. *h.t.* Originis gratia *l.* 5 & 12 *in fin. h.t.* Sorte, *l.* 58. *h.t.* nexu, *l.* 64. & 181. *h.t.* per originem obnoxii Curiis, *l.* 13. *h.t.* ciuico nomine obligati, *l.* 46. *h.t.* vtpote ex origine Curialium deſcendentes, *leg* 14 & 100. *h.t.* originem trahentes Decurionum, *leg.* 62. *h.t.* de Curialium numero, *leg.* 42 *h.t.* (vnde & Originaria ciuitas, *leg* 147. *h.t.* Originales ac debiti Curiæ, *leg.* 159 *h.t.*) ſeu qui de genere Decurionum erant, *l* 10. *h.t.* ex genere Curialium, *leg.* 14. *h.t.* genere Curiali *l.* 90. *h.t.* (vnde generis nexus, *l.* 45. *h.t.* & cauſa, *leg.* 56. *h.t.*) qui fortunam eam naſcendo meruere, *leg.* 118 *h.t.* qui ſtatim vt nati ſunt, Curiales eſſe cœperunt, *leg.* 122. *h.t.* qui Ciuitati, Ordini, Patriæ, Curiæ alicui nati ſunt, *l.* 95. 116.129 167. *h.t.* (vnde natiuæ Curiæ, *leg.* 122. *h.t.* genitalis Curia, *l.* 161. *h.t.* genitale ſolum, *leg.* 1. *ſupra de falſ. mon.* parens Curia, *l.* 149. *h.t.* ingenita officia, *l.* 108. *h.t.* naturale nomen, *l.* 123. *h.t.*) Qui neceſſitudinis fœdere Curiæ tenentur, *l.* 122 *h.t.* qui Proſapiæ Curialis *l.* 74. 177. *h.t.* qui familia Curiali orti, *l.* 58. *h.t.* qui ſorte naſcendi municipalibus muneribus obligati, *l.* 172 *h.t.* qui ex Curiali ſtirpe deſcendunt, *l.* 98. *h.t.* qui ſanguinis nexu Curiæ tenentur, *l.* 122. *h.t.* qui ſanguine Curiali obſtricti, *l.* 134. *h.t.* Breuiter, quos paterna obſequia municipes fecerunt, *leg.* 89 *h.t* qui patre maioribusue Decuriones ſunt, *l.* 147. *h.t.* Nati ſcilicet genitiue patre Curiali, *l.* 125. 164. *h.t.* Patris originem ſequebantur, *l.* 101. *h.t.* Non etiam pro materno genere, *l.* 51. *h.t.* ſeu matris origine, *d. l* 101. *h.t.* ſoliſque materni ſanguinis vinculis Curiæ quis inligabatur, *l.* 137. *h.t.* excepta Curia, Antiochenæ vrbis, quæ ſpeciali Principum indulto ſibi vindicabat, matre decurionis filia, patre non decurione, natum: *l.* 51. *hoc tit.* Excepto etiam caſu *l.* 178. 179. *h.t.* Cæterum *Filii* Decurionum octodecim annorum, licet non patria poteſtate ſolui, muneribus ſtatim Ciuicis adſtringebantur, *l.* 7. *h.t.*

Alii Decuriones Nominati ad Curiam vocabantur, *l.* 10. 13. *h.t.* Lato videlicet inter Patres iudicio, *leg.* 102. *h.t.* nominatione *leg* 10.13.72.84 *h.t.* Adde *leg.* 8. *ſupr. de cohortalibus.* Ordinatione *leg.* 118. *h.t.* Conſilio publico, *leg* 53. *de appellat.* publico tractatu *l.* 148. *hoc titul.* deſignabantur ab ipſo Ordine, nominabantur, eligebantur, *leg.* 66. *h.t.* Plebeii ciues, *l.* 53. *h.t.* Qui decimum octauum annum ætatis fuiſſent ingreſſi, *l.* 19. *h.t.* Quo tempore vero hæ nominationes factæ fuerint, v. *d. l.* 53. *hoc tit.* De Appellatione item ab his nominationibus, v. *l.* 2. *h.t.* & *leg.* 10. *ſupr. de appellat.* Ab hac nominatione immunes erant nonnulli, puta Clerici *l.* 1. 7. *infr. de Epiſcop.* at non & Iudæi, *l.* 3. *infr. de Iudæis.* exceptis qui Synagogis deſeruiebant; v. *l.* 2. 4.13. *infr. eod. tit. de Iudæis.*

Nominatio autem hæc fiebat non vna ratione.

I. Incolatvs, ſeu incolonatus vinculo ſeu ratione, iureque, *l.* 5. *in fin. l* 12.46.52. 137. 141. *h.t.* laris conlocatione, *d. l.* 52. *h.t.* domicilii iure *l.* 77. *h.t.* patriæ ratione *l.* 140. *h.t.*

II. Plebeii item, cuiusque oppidi ciues, quos ſplendidior fortuna ſubuexerat, *l.* 53. *h.t.* digniſſimi & meritis & facultatibus, *l.* 140. *h.t.* Glebæ ratione, *l.* 72. *h.t.* qui muneribus ſubſtantiam aptam poſſidebant, *l.* 13. *h.t.* qui e plebe idonei, facultate locupletes, *l.* 96. *h.t.* qui aliquorum poſſeſſores prædiorum, *d. l.* 72. *h.t.* qui ex numero plebeiorum agro vel pecunia idonei erant, *l.* 133. *h.t.* qui vltra viginti quinque iugera priuato dominio poſſidebant, *l.* 33. *h.t.* ad Curiam vocari poterant. Et hi ſunt qui *Poſſeſſores* paſſim vocantur.

III. Sola Possidendi quoque Curialium bona Conditione nonnulli ad Curiam vocabantur *l.* 5. *in f. h.t.* qui ſcil. Decurionum fundos, patrimonia, ſibi præſumpſerant, *l.* 134. *h.t.* Non etiam qui Curialis heredes vel legitimi, vel teſtamentarii, legatarii, fideicommiſſarii, donatarii extiterant, *l.* 107. 123. *h.t.* (ad denariſmi enim hi deſcriptionem tantum pro qua parte ſucceſſerant, tenebantur: *dd. ll.* & quidem ad quaternas ſiliquas annuas pro ſin-

gulis iugis & capitibus, *l. vn. infr. de imponenda lucrat. deſcript.*) Exceptis maritis, qui coniugibus Curiali ſtirpe deſcendentibus ex teſtamento ſucceſſerunt, *l.* 124. *h. t.*

IV. Ex VACANTIBVS quandoque, nullaque corporis ſocietate coniunctis, *l.* 179. *h. t.* idonei, *l.* 137. *h. t.* Curiis vrbium adſtringebantur, ſubiugabantur: *dd. ll.*

V. Ex CORPORIBVS etiam certis & lege deſignatis idonei quandoque (neceſſitate maxima exigente, ob penuriam Decurionum, *l.* 105. *h. t.*) Curiis adſtringebantur, *l.* 53. 119. *h. t.* vt puta Conditionales ciuitatum, Subſcribendarii, Tabularii, Diurnarii, Logographi, Cenſuales poſt emenſum munus, *l.* 2. *ſupr. de Tabular. l.* 8. *de Cohortalib.* Militarium & veteranorum filii armis non idonei, vel militiam patris detrectantes, militiæ & armis non habiles, vel torpore mentis otio ſe donantes. Breuiter, militaris proſapiæ viri bellico operi inconuenientes, *l.* 15. 18. 19. 32. 58. 78. 83. 89. *h. t.* & *l.* 1. 2. 4. 5. 7. 11. *ſup. de fil. mil. apparit.* & *l.* 5. *ſup. de re militari.* Item Tabelliones idonei ad Decurionatum vocari poterant, *l.* 3. *h. t.* Primipilares etiam ſeu Officii Præſidis Oſdroenæ Principes quotcumque liberos haberent, vnum Ædeſenæ Curiæ propter municipum penuriam tradere aliquando iuſſi ſunt, *l.* 79. & 105 *h. t.* Denique, vt ex his, qui in officio Præfecti Prætorio Orientis militiam peregiſſent, in locum fugacium Curialium per Bithyniam ſubrogari iuſſi a Theodoſio Magno, *l.* 119 *h. t.* Cohortales ſane Syriæ inuiti Curialibus cœtibus adſcribi non potuere: *l.* 1. *de cohortalib.*

VI. Alii POENÆ ſpecie atque æſtimatione, *l.* 108. *h. t.* ob culpam, *l.* 66. *h. t.* loco ſupplicii, *l.* 108. *h. t.* Curiæ debebantur. Verum id pœnæ genus Valentiniano diſplicuit ſimpliciter & indiſtincte, *dict. l.* 66. *h. t.* vt & Theodoſio Magno, in Officialibus nominatim, *dict. l.* 108. *h. t.*

VII. Alii SVCCESSIONIS iure, V. *l.* 124. *h. t.*

Alii SPONTANEI munifici erant, *l. vlt. h. t.* ſeu Decuriones; de quibus ſunt quatuor leges, *lex* 54 172. 177. & *d. l. vlt. h. t.* id eſt, qui vltro ſeſe Curiarum cœtibus inſerebant, *l.* 172. & 177. *h. t.* nomina ſua Curiis addebant, *l.* 54. *h. t.* ſoli genitalis amore, *l.* 177. *h. t.* Quibus recedendi poſtea licentia non erat, *d. l.* 172. *h. t.* niſi cautione ea obſeruata, quam Theodoſius Iun. induxit, *d. l.* 177. *h. t.* De hoc Decurionum genere eſt quoque Theodoſii *lex* 1. *in Nouella XI. de bonis Decurion.* &c. & *tit. Cod. Iuſtinian.* 43. *lib.* 10. *de his, qui ſponte publ. munera ſubeunt.* Quidam tamen Decuriones fieri non poterant, veluti Tabularii in ſp. *l.* 2. *de Tabular.*

Erant iſtiusmodi Decuriones per vniuerſum Imperium Romanum tam in partibus Orientis quam Occidentis, *l.* 158. *h. t.* ORIENTIS, puta per vtramque Præfecturam Orientis & Illyrici, *l.* 188. *h. t.* nempe (1.) Per ÆGYPTVM & Ægyptiacam Diœceſin, *l.* 80. 112. 126. *h. t.* (Alexandriæ nominatim, *l.* 189. 190 191. 192. *h. t.*) (2.) Per ASIANAM Diœceſin, *l.* 69. *h. t.* per Aſiam, *l.* 125 *h. t.* (3.) Per Syriam, *l.* 103. 169. *h. t.* (Antiochiæ nominatim, *l.* 51. 53. 131. 169. *h. t.* de quorum cenſu Vid. *d. l.* 169. *h. t.*) (4.) Per Bithyniam, *l.* 5. 119. *h. t.* (5.) Per Fœnicen, *l.* 52. 54. 63 83. *h. t.* (6.) Per ORIENTIS Diœceſin, *l.* 12. 33 51. 54 90. 103 175 *h. t.* (7.) Per Auguſtamnicam, *l.* 34 *h. t.* (8.) Per Oſdroënam, *l.* 79 105. *h. t.* & *l.* 2. *infr. de prædiis & mancip. Curial.* (Ædeſenæ Ciuitatis nominatim, *dd. ll.* 79 & 105 *h. t.*) (9.) Per Palæſtinam, *l.* 55. *h. t.* (10.) Per PONTICAM diœceſin, *l.* 94 *h. t.* (11.) Per Illyrici Præfecturam, *l.* 172. 177 188. *h. t.* & *l.* 4 *infr. de ſpectaculis:* (& Delphorum curiæ nominatim *d. l.* 4.) (12.) Per THRACIAS, *l.* 12. *h. t.*

In OCCIDENTIS Imperio pariter fuere, veluti per Præfecturam Italiæ; in Africa tam diœceſi, quam prouincia; *l.* 7 9 21. 24. 26. 27. 28. 44. 45. 46. 73. 84. 95 141. 142. 142 143. 144. 145. 149. 166. 174 176. 185 186 *h. t.* & *l.* 25. *infr. de nauicul.* (Karthagine nominatim, *l.* 27. 41. 176. *h. t.* (Hinc ordo Ciuitatis Karthaginis ſeu Karthaginienſium, cui inſcribitur, *d. l.* 41. & *l.* 32. *de appellat. l.* 15. *quorum appellat.*) In Byzacena, *l.* 59. 60. *h. t.* In Mauritania Sitifenſi, *l.* 64. *h. t.* in Tripolitana *l.* 133. *h. t.* in Numidia & Conſtantina Cirtenſium nominatim, *l.* 29. *h. t.* In Apulia, Calabria, *l.* 158 *h. t.* in Campania, *l.* 71. *h. t.* [in Flaminia] apud Ceſænates, *l.* 42. *h. t.* & *l.* 6. *ſupr. de annona & tribut.* in Lucania & Brittiis, *l.* 3. *h. t.* in Piceno, *l.* 71. *h. t.* per Vrbis Romæ Præfecturam, & Vicariam, *l.* 67 68 77. *h. t.* (Auellinatium vrbe nominatim, *d. l.* 68. *h. t.*) in Tuſcia, *l.* 61. 65 72. *h. t.* (Vulſinienſium Ciuitate nominatim, *d. l.* 61. *h. t.*) In Myſia *l.* 96. *h. t.* Per Præfecturam pariter Galliarum, *l.* 2. *ſupr. de quæſtionib.* & *l.* 140. 148. *h. t.* in Galliis, *l.* 171. *h. t.* (Agrippinæ nominatim, *l.* 3. *infr. de Iudæis.*) in Hiſpaniis, *l. l.* 4. & 151 *h. t.*

MVNE-

Mvnera & Officia Decurionum varia & grauia admodum erant: quæ quidem etiam variis appellationibus deſignantur; vocantur ſcilicet ea Commuda Curiarum oppidanea, *l.* 43. *b. t.* Patriæ debita, *l.* 99. *b. t.* Functiones, *l.* 29 87. 129. 134. 137. *in fin.* 140. *in fin.* 180. 182. & *l. vlt. b. t.* (Functiones Curiæ, *l.* 72. 74. 83. *b. t. l.* 7. *de fil. mil. app.* Curiales *l.* 96. *b. t.* Curialium munerum, *l.* 155. *b. t.* Officiorum *l.* 77. *b. t.* debitæ, *l.* 134 148. 154. *b. t.* Municipales, *l.* 172. *b. t.* patriæ, *l.* 74. *b. t.* patriæ debitæ, *l.* 91. 116. *b. t.* publicæ, *l.* 63. 119. 140. 183. *l. vlt b. t.* publicorum munerum, *l.* 76. *b. t.*) Honores, *l.* 41. 49. *in fin. b. t.* honores vel munera, *l.* 71. *b. t.* (ſplendidi honores & munera, *l.* 28. *b. t.* honores ciuici, *l.* 4. 29. *b. t.* Ciuiles, *l.* 5. *b. t.* patriæ, *l.* 69. *b. t.*) Labor Curialis officii, *l.* 86. *b. t.* Miniſterium patriæ neceſſarium, *l.* 94. *b. t.* Munera, *l.* 17. 28. 57. 82. 94. 98. 123. 129. 137. 143. 144. 158. 179. *b. t.* (Ciuica, *l.* 7. 27. *b. t.* Ciuilia, *l.* 15. 17. 25. 36. 37. 46. 78. 175. 191. *b. t.* Ciuitatum, *l.* 30. 63. 81. 143. 147. *b. t.* & *l.* 8. *ſupr. de contrab. empt.* Curiarum, *l.* 49. 74. 139. *b. t. l.* 1. *de cohortalib.* Curialia, *l.* 34. 99. 177. 187. *b. t. l.* 1. 2. *de fil. mil. appar. l.* 5. *de re. mil.* Curialium, *l.* 2. *de protoſtaſia:* Debita, *l.* 67. 172. 181. *b. t.* debita patriæ, *l.* 163. *b. t.* Decurionum, *l.* 53. *b. t.* Decurionatus, *l.* 2. *de fil. mil. appar.* Municipalia, *l.* 57. 172. *b. t.* Oppidanea, *l.* 46. *b. t.* patriæ *l.* 5. 20. 58. 111. 139. 140. 148. 161. 167. *b. t.* publica, *l.* 115. *b. t.* publicarum functionum, *l.* 63. *b. t.*) Munia, *l.* 44. 48. 50. 65. 130. 134 157. *b. t.* (Munia ciuilia, *l.* 147. *b. t.* Ciuitatum *l.* 158. 161. 181. *b. t.* Curialia, *l.* 15. 133. 155. *b. t.* Decurionatus *l.* 96. *b. t.* Decurionum, *l.* 187. *b. t.* Oppidanea, *l.* 45. *b. t.* patriæ, *l.* 63. *b. t.*) Neceſſitates, *l.* 65. 171. *b. t.* (neceſſitates ciuitatis, *l. vlt de exactionib.* Ciuiles, *l.* 17. *b. t.* Curiales, *l.* 46. *b. t.* Curiarum, *l.* 89. 177. *b. t. l.* 1. *ſupr. de cohortalib.* Municipales, *l.* 57. *b. t. l.* 1. *ſupr. ad Leg. Cornel. de falſo.* Oppidaneæ, *l.* 46. *b. t.*) Nexus curiæ, *l.* 89. 161. 168. 178. *b. t.* (Curialis, *l.* 121. *b. t. l.* 6. *de re milit.* Ordinis municipalis, *l.* 180. *b. t.*) Obſequia, *l.* 21. 33. 49. *b. t.* (obſequia ciuitatum, *l.* 79 94. *b. t.* Curiarum *l.* 24. 79. *b. t.* Curialia, *l.* 49. 87. *b. t.* functionum, *l.* 19. *b. t.* munerum publicorum, *l.* 16. *b. t.* municipalia, *l.* 19. *b. t.* oppidanea, *l.* 38. 168. *b. t.*) Obſequela, *l.* 49. *b. t.* Officia, *l.* 108 *b. t.* (officia ciuilia, *l.* 37. *b. t.* Curialia, *l.* 42. *b. t.* vid. & *l.* 1. 2. *de fil. mil. app. l.* 8. *de cohortalib.* debita *l.* 155. *in fin. b. t.* municipalia, *l.* 31. *b. t.* publice neceſſaria, *l.* 15. *b. t.*) Onera, *l.* 41. 143. 144. 155. *b. t.* (onera ciuilia, *l.* 36. *b. t.* ciuica, *l.* 26. *b. t.* Curialia *l.* 98. 155. *b. t.* Decurionatus, *l.* 12 *b. t.* quæ ratio municipalis expoſcit, *l.* 41. *b. t.* oppidanea, *l.* 40. *b. t* publica, Interpres ad *leg.* 1. *b. t.*) Præſtatio debita, *l.* 146. *b. t.* Sollicitudo, *l.* 49. *in fin. b. t. l.* 5. *de re milit.* (officiorum, *l.* 37. *b t.*) Vincula Curialia, *l.* 19. 155. *b. t.* (Ordinis, *l.* 95. *b. t.*) Vtilitates publicæ, *l.* 34 *b. t.*

Et grauia hæc omnino erant Curialium munera: vnde factum paſſim, vt Curiales Curias fugerent, non vna ratione, neque vno fugæ genere, alio ſe ſe conferentes: vt ex ſequentibus patebit. Fidem faciunt & plures *Libanii* epiſtolæ, & *Syneſii*.

Inter alia munera, hæc erant, (1.) *Curæ* publicæ iis committebantur, *l.* 189. *b. t.* (2.) Ad proſecutiones deſtinabantur, *l.* 161. *b. t.* & *l.* 2. *infr. de Iudæis.* (3.) Pecuniarum ciuitatis publicarum adminiſtratio eis committebatur, *l.* 14 *in fin.* 48. 117. *b. t. l.* 33. *de operib. publ.* (4) Exactio item Annonarum, *l* 8. (vbi ſemel dico) *l.* 14. & *d l.* 117 185. 186 *b. t. l.* 11. 20. *de extraord. l.* 3. *ſupr. de honor. codicill. l.* 12. *de appellat. l.* 12. 16. *ſupr. de exaction. l. vn. de priuil. dom. Aug.* Curiales exigebant, *l.* 12. *de exact.* at non Senatoriarum functionum, *l.* 2. 3. *de præd. Senator.* (5.) Adſcriptio, *d. l.* 117. *b. t.* (6) Suſceptores in aliis prouinciis creabantur, *l.* 49. 54. *b. t.* & *l.* 24. 31. *de ſuſceptorib. l.* 14 *de exact. l.* 2. *de quæſtionib.* Compulſores, *l.* 4. *ne conlat. translatio.* (7.) Suſceptores ſuo periculo nominabant, *l.* 54. *b. t.* & *l.* 9 20. *infr. de ſuſcept.* (8.) Iudicum præcepta exequebantur, *l.* 39. *b. t* (9) Geſta municipalia coram his fiebant, *l.* 151. *b. t.* & *l. pen.* & *l. vlt. ſupr. de exhib. reis.* (10) Manſiones, horrea, pagi his committebantur. (11) Præpoſiti manſionum, horreorum, pagis, creabantur, *l.* 21. 49. *b. t.* (12.) Procuratores metallorum ex his fiebant, *l.* 4 *C. Iuſt. de metallariis.* (13) Deſcriptionibus, contributionibus, facultates eorum ſubiectæ erant, *l.* 123. & 173. *b. t.* (14.) Calefaciendis thermis apud Antiochiam aliquid præſtabant, *l.* 131. *b. t.* (15) Adde & alia munera, de quibus, *poſtremis huius libri titulis:* veluti Legationis, &c. (16.) Vt poſtliminio reuerſi ſuis ſedibus redderentur, auxilium ſuum deferre debebant, *l.* 2. *de poſtliminio.* (17.) Palatiorum a tranſeuntium iniuriis & a ſenio vindicandorum cura ad eos quoque pertinebat, *l.* 1. *ne quis in Palatiis;* operum publicorum curam gerere, & Reipubl. pecuniæ, *l.* 33. *de operib. publ.* (18) Periculo Ordinis complurima erant, *l.* 41. *de oper. publ.* Aurum coronarium ab his præſtabatur: vid. *tit. de auro coron.* (19.) Curſus publici mancipatus ad hos aliquando pertinuit, *l.* 26. 51. *de curſ. publ.* aliquando non; *l.* 34 *de curſu:* (20.) Non ſufficientibus his, qui ad Curſus clabularis procu-

rationem eligendi erant, Curiales ad hoc munus vocati, *l. 26. d. tit. de curſu:* (21) Prouidebant quo pacto paſtui militarium animalium ſine læſione prouincialium conſuleretur, *l. 3. de paſcuis:* (22) Curialium munera inferiora fuere Prototypiæ, & exactiones, *l. 2. de Protoſtaſia:* Scribæ & Logographi Curiarum munera, *l. 3. de Tabular.*

Vt varia Decurionum munera erant, quibus omnibus eos fungi oportebat, *l.* 41. 57. 61. 65. 130. 155. *hoc tit.* Iiſque functorum habita ratio, qui emenſi eſſent Curialia onera, *l. 55. h. t.* omnibus officiis perfuncti, *l. 130. h. t.* qui munia vniuerſa percurriſſent, *l. 65. h. t.* vniuerſis tranſactis, patriæ ſtipendia emenſi, *l. 57. h. t.* ita & varii inter eos GRADVS, *l. 4. h. t.* Alii quippe altiores honores erant, *l. 182. h. t.* ſummi gradus, *l. 189. h. t.* honores primi, *l. 77. h. t.* maioris meriti & gradus, *l. 21. h. t.* Summus Gradus erat DVVMVIRATVS, *l. 16. 77. h. t. l. 1. ſup. de honor. codicill. l. 19. ſupr. de appellat.* ſeu Duum-virorum, *l. 1. infr. quemadmodum munera ciuil.* qui & *Magiſtratus* ſimpliciter dicuntur, *l.* 8. 16 21. 29. 39. 77. 151. 169. *h. t. l. 12. ſup. de appell.* (quæ coniungenda cum *d. l. 8. h. t.*) *l. 2. inf. de Can. frument. V. R. l vn. de frum. Carthag. l. 1. 3. 5. de repar. appell. l. 1. de ſpectaculis: l. 2. de Salgamo: l. vlt. de ſuperexact. l. 31. de Epiſcop. l. 3. 5. ſup. de exhib. reis: l 1. infr. de Medic. & Profeſſ. l. 1. in f. de donat.* Magiſtratus municipales, *l. 1. ſup. de curſu publico.*

Hi poteſtatem intra metas propriæ ciuitatis exercebant *l. 174. h. t.* Inſignia, *l. 21. h. t.* faſceſque habebant, *d. l. 174. h. t.* Annalis porro Magiſtratus hic erat, vt docet *l. 16. h. t.*
8.140. & *l. 1. inf. quemadm. mun. ciuil.* Eligebanturque ſeu nominabantur Kal. Mart. *l. 28. h. t.* a Magiſtratib. ſuo periculo, quamlibet populi ſuffragio nominati, *d. l. 1. inf. quemadm. mun. ciuil.* duob. vel trib. menſib. antequam munus gerendum eſſet, intra quos nominato appellare licebat, *d. l. 1. inf. quemadm. mun ciuil. l. 10. 12. 19. ſupr. de appell. l. 8. ſupr. de repar. appellat. & l. 2. h. t.* Nominati ſi aufugerent, eorum bona in eorum locum ſuffectis cedebant; & reperti poſtea biennio Integro onera duumuiratus agnoſcere cogebantur; *l. 16. h. t.* ſi deſererent, expenſas pro ſe factas reſtituere cogebantur, *l 29. h. t.* Expenſis etiam quibusdam faciendis obnoxii erant Duumuiri, *l. 29. h. t.* puta ludis exhibendis, *l. 29. 169. h. t. l. 1. 4. inf. de ſpectacul.* verum in patria ſua tantum, *dict. leg. 1. 4. de ſpectacul.* Karthagine nominatim & ipſi Magiſtratus ad annui frumenti penſitationem tenebantur, *l. vn. inf. de frument. Carth.* Duumuiratus Curis, qui prouinciæ nomine ad Principem Legationem ſuſceperant, immunes erant, *l. 1. de bon. codic.* Denique Duumuiratu functi priuilegiis nonnullis fruebantur: a Præpoſitura quippe manſionum, annonarum, inferioribusque muneribus immunes erant, *l. 21 h. t. & l. 2. infr. quemadm. mun. ciuil.* Hique ſunt qui *Duumuirales* dicuntur *d. l. 2. quemadm. mun.* In quibusdam ciuitatibus etiam Quinquennales erant, de quibus *l. 1 de Medicis & Profeſſor* Inter primos Curiæ honores (v. *l. 77. h. t.*) erant, & SACERDOTES FLAMINESQVE de quibus *titulo de Paganis infr.* Præter hos, ſummus quidam erat inter Curiales gradus, *l. 189. h. t.* ſeu in Curiis erat, qui *primum* obtinebat locum, ſequentibus cæteris omnibus, *l. 127. h. t.* qui ſummum obtinebat gradum, *l. 189. h. t.* primus Curiam regere & gubernacula vrbis adminiſtrare, *l. 171. h. t.* cui Comitiuæ dignitas tribuebatur, *l. 127. 189. h. t.* Hunc ſequebatur ſecundus locus, *l. 171. h. t.* Aliique primum locum in Curia obtinentes: qui a Municipibus aliis appellatione ſeparabantur, & PRIMATES vocabantur, pariterque a Curialibus hoc nomine diſtinguuntur, *l. 4. h. t. & l. 13. ſupr. de deſertorib.* De his v. & *l. 13. de paganis: l. vlt. de admin. & per. tutor.* Primates Ordinis ſui quoque vocat Ammianus Marcellinus *lib. 28. cap. 6.* & Ordinis vertices *lib. 14. cap 7.* Item Primarii Curiarum, *l. 39. h. t.* Primates Viri, *l. 3. inf. de ſcænicis:* PRINCIPALES, qui etiam a Curialibus ſeu Decurionibus hac appellatione diſtinguuntur, *l.* 5. 61. 75. 77. 79. 85 117. 124. 126. 128. 171. 189. *hoc tit. & l. 52. infr. de hæreticis: l. 1. ſupr. de milit. veſte. l 7 de tironib. l. 59. de curſu: l. 4. & l. vlt. inf. de ſuſcept. l. 9. inf. de cenſit. l. 4. de extraord l. 5. ſup. de his quæ admin. l. vn ſup. de priu. dom. Aug. l. 2. ſup de Act. Proc. l. 4. ne ſanctum Baptiſma: l. 2. de expenſ. lud.* Principales ciuitatum, *l. 59. de curſ.* Iul. Firmicus Matern. *Matheſ. lib. 5. c. 2.* Principales Vrbium ſingularium, *l. 12. & 40. inf. de hær.* (vnde Principalitatis honor, *l. 6. de quæſtionib.*) Principalis honor, *l. 75. h. t.* Summos Municipum Proceres vocauit Auſon. *in Moſell. v.* 402. & Eunapius Sard. *in Vit. Maxim. pag. 96. edit. Commelin.* τὸ κρεῖττον τῶν βουλευτηρίων, *Senatus primores.* Πρωτεύοντες, vocant Baſilius *Ep.* 321. ſiu. 266. *Edit. Benedictin.* Theodoretus *Ep.* 15. & 33. Optimates Symm. *lib. 10. ep. 41. circ. med.* Inter hos vero Principales præcipuo iure alicubi fuere Primates aliquot, vt Alexandriæ, *l. 190. h. t.* pro quib. Summates Tribon. dixit in *l. 57. Cod. Inſt. de Decur.* quæ alioquin deſumpta eſt ex *d. l.* 190. Quomodo Symm. *lib. 10. ep.* 63. Summates Aricinæ vrbis: Summates Ciuitatis Cæſarienſis, Idem *lib. 1. ep.* 58. Imo & Primus Curiæ qui principalem locum obtinebat eximio iure habitus *l. 127. 171. 189. h. t.* (de quo ſupra) qui gubernacula vrbis adminiſtrare curiamque regere dicitur *d. l. 171. h. t.*

Hi

Hi autem principales ſeu primarii, Primates, eximio iure præ cæteris Curialib. vario numero fuere. In quibusdam ciuitatibus 10. inde Decemprimi Ordinis Curialis, *l.2. de quæſt.* iidem qui Principales: vnde qui Principales in *l.52. de haret.* vocantur, ii Decemprimi Curiales *in l.54. eod t.* & *l.39. de Epiſc.* dicuntur: de Decemprimis vid. *Corpus Inſcript. Gruteri* LXXXIX. 4. CCCXLVIII. 7. & Firmicus *Matheſ. lib.3. cap. 12. duobus locis.* Ad hunc porro *Principalis* honorem, gradatim & per ordinem munerib. omnib. expeditis perueniebant, *l.5.75.77. h.t.* & *l.6. in f. ſup. de quæſt.* Eligebanturque Principales ſine Ordinis præiudicio, conſenſu Curiæ probatiſſimi, *l.171. h.t.* adde *l.140 148. h.t.* poſt multorum munerum teſtimonia, *l. 6. de quæſt.* His curæ publicæ commiſſæ, *l.189. h.t.* Hi pro patria aduocatione functi, *l.190. h. t.* Ab his adſcriptiones fiebant *l.117. h.t* ab his diſtributionum omnium forma procedebat, *d. l.5. ſup. de his quæ admin.* (excepta diſtributione munerum extraordinariorum *l. 4. ſupr. de extr. ſiue ſordid. mun.*) Ideo iugorum numerus coram iis & Cenſualibus exponi ſolebat, quod eos imminutionis onera premebant: *l. vn. ſup. de priu. dom. Aug.* Adſcriptiones faciebant & exactiones, *l.117. h.t.* Diſciplinæ publicæ præerant, *l. 59. ſup. de curſu publ.* Ne quis curſum publicum non oſtenſa euectione vſurparet, obſeruare debebant, *d. l.59.* Hæreticor. cœtus, vimque impedire, *l. 4. inf. ne ſ. bapt. l. 40. de hær.* v. & *l. 45. eod.* & viceuerſa, ne Iudæis & Paganis in quiete degentib. vis fieret. Ex Principalium numero quandoque Suſceptor veſtium creabatur, *l. 1. de militari veſte:* Ab his vt a Decurionib. Tyrones vel aurum Tyronicum exactum, *l. 7. de Tyron.* Horum domus a Iudicib. ſæpe ad inconſultam plauſorum inſaniam in ludis exhauriebantur, *l.2. de expenſ. lud.* Quindecennium in Ordinis ſui adminiſtratione complere (per Gallias nominatim) Honorii conſtitutione iubentur, *l.171. h.t.* Ex his Principalibus quidam *Patronorum* dignitatem adipiſcebantur, *l.61. hoc tit.* de his qui per ſuffragium ad Curiarum honorarium patronatum adſpirabant, vid. *l.46. ſup. de curſ. publ.*

Priuilegia etiam his non pauca competebant, 1. Plumbatarum enim ictibus ſub qualibet culpæ aut erroris offenſa ſubdi non poterant, corporaliumque moleſtiarum & iniuriarum nihil patiebantur, *l.39 h.t.* ſeu corpus eorum ab iniuriis liberum erat, ſicut Honoratorum; *l.61 85. 126. 190. h.t.* & *l.6. ſup. de quæſt.* deuori ſcil. nihilque debentes: quam exceptionem
e.31. Theodoſius M. addidit *l.117. 126. h.t.* (2) Principalitatis honore defuncti immunes ab omnibus muneribus habebantur, *l.75. h.t.* His ſplendoris & honoris ornamenta ſuccedebant, *l. 171. h.t.* (3) Honorem *ex-Comitibus* conſequebantur, *l.75. h.t.* Hi ludos propria authoritate edere poterant, non inuiti: *l.3. infr. de Scenic.*

Sequentis poſt hos meriti & Gradus qui erant, *l.21. h.t.* ſpecialiter DECVRIONES, ſeu Curiales appellantur & a Principalibus diſtinguuntur: *l.5.85.117.124.128. h.t.* & *in l.52. infr. de hæreticis.* Itaque *Album Curiæ* erat, quo nomina Decurionum ordine continebantur, *l.48.142. h.t.* Memorantur & Procuratores Curiarum, *l.1. de honor. codicill. l.31.32. de erogat. mil. ann. l.20. h.t.* Cautum ne his ciuitates ſpoliarentur *l.16. de agent. Adſtricti* porro ita Curiæ erant, vt conditionem ſuam regulariter euitare non poſſent, alio vitæ genere, factoque *l. 28. de Cohortalib.* de quo mox plura; Ad Comitatum Principis proficiſci, niſi Commeatu a Iudice impetrato; peregrinari, euagari, *l.143.144. h.t.* Relicta ciuitate, rus habitare, *inf. hoc libr. tit. 18.* fugere, *l.8. ſup. de contrah. empt.* Quod tamen paſſim eueniebat, vt Curiales, inquam, Curiam velut grauem fugerent, aliaque conditione & profeſſione mutarent: Quod frequentibus *legib.* vetitum. Non poterant Procurationem alienarum facultatum ſuſcipere, *l.92. h.t.* ad vectigalium quorumcunque ſuſceptionem conductores accedere, *l. 97. h.t.* ad Reipubl. prædiorum ac ſaltuum conductionem, *l.2. ſup. de locat. fundor. iur. Reip.* Tabelliones fieri, *l.3. h.t.* vid. & *l.1. ſup. ad leg. Cornel. de falſ. Gradatim* etiam atque per ordinem omnia Curiæ munia decurrere debebant, neque ante ad aliam militiam vel dignitatem tranſire poterant, *l.4. 71.75.77. h.t.* etſi Aduocati, *d.l.77. h.t.* non a Iudicibus extra Ciuitates ſuas pertrahi, *l.60. h.t.* verum qui Curiali nexu tenebantur, ſublato omni priuilegio ad ſuam Ciuitatem & Curiam reuocabantur: Qua in re formam proceſſus aliquam vid. *l.175. h.t.* reuocabantur inquam, etſi inter Actuarios reperirentur, *l.125. h.t.* etſi inter Aduocatos, *l.46.77.87.98.116.152.188.189. h.t.* vid. & *Nouell.* Valentiniani 10. *de confirmand. iis quæ adminiſtrant. c. in diuerſis:* etſi in Centonariorum corpore, *l.162. h.t.* ſi ad aliam Ciuitatem ſeſe contuliſſent decuriones, *l.15.52. h.t.* Si dignitatem, adminiſtrationem, imaginariam, honorariam, vmbratilem ſuffragio adeptam, vel pretio emptam præferrent, *l.4.5.24.25.26.27.34.36.41.42.44.65.86.87.94.106.109. 110. 122. 123. verſ. eos vero,* 134. 135. 159. 160. 187. *h.t.* Si Domeſticorum ſeu Protectorum conſortio ſeſe copulaſſent, *l.38.88. in f.* 153. *h.t.* Si domus ſeu rei priuatæ Principis (colonatus iure pura) ſe defenderent, *l.33. 114. h.t.* Si ad Potentium domos confugiſſent. *l. 50. 146. h.t.* Si ad Eccleſias ſeſe ſeu Clericatum contuliſſent; in quo verſantur ſexdecim *leges;* puta CONSTANTINI M. *lex. 3. 6. inf. de Epiſcop.*

CONSTANTII *lex* 49 *h. t. lex* 7. *ſup. de Cohortalib.* quæ *illi* iungenda eſt; IVLIANI *lex* 50. *h. t.* VALENTINIANI SEN. *lex* 59. *h. t.* & *lex* 21. *inf. de Epiſc.* VALENTIS *lex* 19 *infr. de Epiſcop.* VALENTINIANI Iun. *lex* 99. *h. t.* THEODOSII M. *lex* 104 115. 121. 123. *h. t.* ARCADII *lex* 163. & *l.* 3. *de his qui ad Eccleſ.* THEODOSII Iun. *lex* 172. *h. t.* Qua parte tamen varie hoc ius ab Imperatoribus habitum, perque tempora mutatum atque innouatum. CONSTANTINVS quippe Curiæ obnoxios ad Clericatum ſe conferentes omnino retrahi voluit; *l.* 3. 6. *infr. de Epiſc.* CONSTANTIVS vero Epiſcopos ſaluo etiam eis indiſtincte patrimonio, ad Curiam retrahi noluit: Cæteros cedere facultatibus ſuis liberis: his deficientibus, propinquis, vel Curiæ duas portiones voluit, niſi vita inſignes eſſent, & totius populi vocibus expeterentur, *l.* 49. *h. t.* & *l.* 7. *ſup de Cohort.* (quæ *dict. l.* 49 coniungenda eſt:) IVLIANVS omnes Clericos ad Curiam reuocauit, *l.* 50 *h. t.* & ipſius Iuliani *epiſtola XI. ad Byzantios.* VALENTINIAN. Clericum ad Curiam reuocari niſi ſubſtitutum daret, eidemque facultates ſuas, vel niſi facultatibus ſuis Curiæ cederet, iuſſit: *l.* 59. *h. t.* niſi ante ortum Imperii ſui: *l.* 21. *inf de Epiſcopis.* VALENS ſi intra decennium a Curia reuocaretur cum ſubſtantia ſua Curiæ reddi voluit, non etiam ſi poſt: *l.* 19. *inf. de Epiſc.* VALENTINIAN. Iun. non ante Clericos fieri, quam omnibus muneribus expletis; *l.* 99. *h. t.* vel ſubſtituto idoneo dato, cui facultatibus ceſſerint, *d. l.* 99. *h. t.* THEODOS. M. vel facultatibus ſuis Curiæ ceſſis, *l.* 104 121. 123. *h. t.* (& Ambr. *lib* 2 *contra relat Symm p* 325. *ad calcem Edit. Symmachi, Paris* 1604. *in* 4. & *pag.* 200. *Tom V. Opp. Ambroſ. Edit. Paris.* 1614. v. & Ambroſium rurſum *ep.* 29. ſiu. *lib.* 2. *epiſt.* 17. *in fin pag* 215 *Edit. cit.*) vel ſubſtituto dato, *l.* 115 *h. t.* ARCADIVS, Epiſcopos, Presbyteros Diaconos, vel ſubſtitutum pro ſe, vel facultates Curiæ offerre: reſiduos Clericos omnes ad Curiam retrahi conſtituit, *l.* 163 *h. t.* THEODOSIVS Iun. pro temporis conſideratione & gradu, quem in Eccleſia obtinerent, vel ad Curiam reuocari, vel etiam patrimonia Curiis conſignari voluit, *l.* 172. *h. t.* Quæ VALENTINIANI III. mens fuerit? docet eius *Nouella* inter *Theodoſianas* 38 *de ſucceſſione Curialium.* vbi veteres *leges* laudat. Quæ MAIORIANI *Nouella* eius 1. *c.* & *quoniam.* vide & *leg* 1. & 2 *ſup quid probare deb.* & *leg.* 1. *ſupr. de tiron.* vbi retro fugiens quis e militia ad Curiam reuocatur. Atque e Fabricenſium quoque corpore Curiales ad Curiam retrahebantur, *l.* 37. 81. *h. t.* & *l. vlt. ſup. de Fabricenſib.* e Fabrorum collegio, *l.* 62 *h. t.* e Calcarienſibus & Argentariis, *l.* 37 *h. t.* e quacunque Militia, *l.* 88 *h. t.* Armata, *l.* 10. 11. 13. 37. 38 40. 43. 45 56. 68, 64 87. 94 95. 113. 125. 129. 137. 139 143. 144. 147. 154 158 179 181 *h. t l.* 12 *de veteranis:* ſic vt nullo quandoque tempore, nullo gradu defenderentur, *l.* 10. 11. 37. 40. 58. 113. *h. t. d. l.* 1 *ſup quid probare deb.* etiam veterani iam *l.* 45. *h. t.* Verum exceptiones hæ a nonnullis additæ. 1. niſi Primipilo, id eſt Annonæ militari adminiſtrandæ obnoxii iam eſſent, *l.* 11. *h. t.* Item poſt certum ſtipendiorum numerum retrahi Curiales e militia quandoque vetiti, veluti poſt viginti ſtipendia, *l.* 13. *h. t.* poſt quindecim *l.* 95 *h. t.* poſt decem, *l.* 56. *hoc tit.* & *l.* 28 *ſupr. de cohortalib.* Imo
p. 342. poſt quinque *l.* 38. 64. 88. *h. t.* & *l.* 6. *ſupr. de re militari.* Principales qui curſum exhibebant, 10. annorum militia liberantur, *l.* 6. *de diuerſ. offic.* Chartularii item Magiſtrorum Equitum & Peditum 25 annorum militia, *l.* 5 *de diuerſ. offic.* Item ad Curiam reuocari non poterant Comites rei militaris primi ordinis, ſi videlicet reipſa e militari corpore eſſent, *l.* 1. *de Comitib. rei milit.* E Monazonton quoque [id eſt Monachorum] cœtu Valens eos ad Curiam reuocari, vel rebus familiaribus Curiæ cedere voluit, *l.* 63. *h. t.* E Nauiculariorum quoque corpore retrahebantur, *l.* 149. *h. t.* Ex Officiis Iudicum, in quibus militare prohibebantur, *l.* 31. 42. *in fin. l.* 82. 96. 113 134. 137. 147. 175. 181. *h. t.* adde *l.* 1. *de Tabular.* Ex militia ſeu officio quocunque ciuili, *l.* 13. 22 *h. t.* Ex officio Illuſtrium Magiſtratuum militarium, *l.* 5. 6. *de diuerſ. offic.* niſi 25 annorum militia, *l.* 6. *de re milit. l.* 1 *de cohortal.* ſic & Officiales Com. S. L. Rationalis R. P. Vicariorum P. V. 25. annorum militia Curia liberabantur, *l.* 6. *de diuerſ. offic.* E Palatina Militia: quod tamen ius varie habitum, *l.* 22. *in fin. l.* 31. 38. 67. 88. 100. 147. 154 *h. tit.* & *l.* 12. *ſupr de priuileg eor. qui in ſacr. palat l.* 5. *de diuerſ. offic.* E ſacris Scriniis, niſi in his ſemiliter quindecim annis militaſſent, *l.* 1. 7. *de prox. Com diſp. l.* 14 *de priuileg. eor qui in ſacr. pal.* antea, 20 *l.* 1. *de Agentib.* Miniſteriales, Pædagogiani, Silentiarii, 5. annorum militia Curia liberabantur: Principatus Agentium in rebus Curia liberabat *l.* 16. *de Agentib.* Agentes in rebus 15. *l.* 14. *de priuileg. eor. qui in ſacr Pal.* aliquando 20 annis, aliquando triennio liberabantur, *l.* 1. 2. *de agentib.* A procurationibus vel curis Ciuitatum, *l.* 20. *h. t.* E Scholari militia, *l.* 38 120. *h. t.* E Senatu reuocantur: Curiales enim, eorumque filii, Senatores, niſi expletis muneribus omnibus, fieri prohibebantur: Qua parte tamen ius ſæpe variauit; de eo vero ſunt 27. *leges:* CONSTANTINI M. *lex* 14. & 18. *h. t.* CONSTANTIS

lex

Digitized by Google

lex 29. *h.t.* CONSTANTII *l.* 42.48 *h.t.* VALENTINIANI *lex* 57.58.65.73. *h.t.* VALENTIS *lex* 69.& 74 *h.t.* THEODOSII M. *lex* 82.90 93.111.118.122.123.129.130. *h.t.* VALENTINIANI IVN. *lex* 110. *h.t.* ARCADII *lex* 159.160. *h.t.* THEODOSII IVN. *lex* 180.182.183.187. *h.t.* Imo Curiales adeo Curia, niſi expletis muneribus ſolui non poterant, vt nec Curia conniuente, declinare poſſent, *l.* 17.65. *in f.* 71.77.110. *in f.* 113 *h.t.* neque Principis beneficio *l.* 10.13.102. 137.139.156.167. *h.t.* niſi ad certum temporis ſpatium, *l.* 1. & 135. *h.t.* neque Iudicis ſententia, ſeu Iudice vacationem præſtante, *l.* 1.68.71.77.89.172. *h.t.* neque ſubſtituto alio, *l.* 111. 118.167. *h.t.* (excepto Clerico in ſp. *l.* 59.99.115 162. *h.t.* & ad dignitates ſubuecto, in ſp. *l.* 115. 160.187. *h.t.*) & niſi omnibus muneribus defunctis *l.* 91.98. *h.t.*

Certe apud Cognitorem reperi ii debebant, *l.* 110.161. *h.t.* Pœnæque latentibus ipſis Curialibus, *l.* 16.23.119.161. *h.t.* eorumque occultatoribus imminebant, *l.* 76.146.162. ob ſenectutem tamen a muneribus excuſabantur *l.* 118.134. *h.t.*

Filii quoque eorum Curiali nexu obſtricti erant: *l.* 7.22.26.31.37.43.49.53.57.58.69. 74.86.93 98 122.123.132 155.174 184. *h. tit.* *l.* 19. *de diuerſ. offic.* *l.* 28. *de cohortalib.* *l.* 1. *de falſ. monet.* *l.* 6. *de re milit* *l.* 1.2. *quid probare deb.* etiam Magiſtrorum, *d. l.* 98. *h.t.* (non ſpontaneorum, *l.* 172. *h.t.*) ab octodecim annis, *l.* 7. *h.t.* etiam duo ex tribus maribus, *l.* 132. *h.t.* & retrahebantur, *l.* 22.26.31.37.43.49. *h.t.* patre licet Senatore poſtea facto, *l.* 57.58.69.74.93. 122.123. *verſ. ſuper filiis.* 155 184. *h.t.* Verum de hoc *ſup.* plenius, vbi de *Originalibus:* de Filiabus quoque vid. *leg.* 124. *h.t.*

Aliis etiam modis pluribus id actum, ne Curiæ deſolarentur. Hinc adeo milites militiæ ſe offerentes, vel in aliam ſcholam recipiendi, non ante admittebantur quam fide generis facta ſe Curiales non eſſe, *l.* 1.2. *quid probare deb.* *l.* 4. *de agentib. in reb.* *l.* 15. *in f.* & *l.* 16. *de Palat. S. L.* Hinc in ſcholam aliquam receptorum nomina in matricula, patria, & prouincia adſcripta, *d. l.* 16.

Res item ſeu facultates & poſſeſſiones bonaque eorum Curiæ tenebantur, *l.* 5.49.59.63. 145.144. *h.t.* his adde & *titulum* 3. *inf. de prædiis & mancipiis Curialium.* Imo qui poſſeſſiones eorum ex lucratiua cauſa detinebant, ad certam deſcriptionem tenebantur, *l.* 107.123.173. *h.t.* *l.* 16. *in f. ſupr. de Agentib. in reb.* & *tit.* 4. *inf. de imponenda lucratiuis deſcriptione.* Sed & bona Decurionum ab inteſtato ſine hæredibus decedentium ad Curiam pertinebant, de quo *ſupr. tit. & l. vn. de bonis decurionum:* de Decurionis proſcripti bonis, vid. *l. vlt. de bon. proſcript.* Prædia eorum ſine decreto alienari non poterant.

Priuilegia viciſſim quædam omnibus in commune Curialibus a ſummo vſque ad infimum ordinem, *l.* 2. *ſupra de quæſtionib.* & *l.* 80. *h.t.* conceſſa erant. (1.) Ab iniuriis ſcilicet corporalib. immunes erant; de quo priuilegio agitur, *l.* 39.47.61 75.80.85.117.126.127. 153.190. *hoc tit.* id eſt a tormentis & fidiculis, *l.* 80. *h.t.* & *l.* 2. *ſup. de quæſtion.* *l.* 1. *ſup. ad leg. Cornel. de falſ.* qui Decurionatus honor dicitur, *d. l.* 1. *ad leg. Corn. de falſ.* dignitas Ordinis, *l.* 4. *ſup. de Tabular.* & *l.* 47. *h. tit.* & Plumbatarum ictibus, *d. l.* 80.85. antea non. *dict.* *l.* 2. *de quæſtion.* Cui tamen priuilegio derogatum quodammodo, *l.* 117.126.153. *in f.* 190. *h.t.* *Nouella Maioriani* 1. *verſ. inter quæ:* vid. & *l.* 15. *de accuſat.* Sane Decuriones Cenſuales ſponte facti, quæſtioni ſubiici poterant, *l.* 4. *de Tabular.* (2.) Certus etiam in eos condemnationis mo- p. 349
dus Iudicibus præſcriptus erat, *l.* 47. *h.t.* (3.) Ab oneribus item extraordinariis ſeu muneribus pro re priuata immunes erant: *l.* 30 *h. tit.* & *l.* 31. *infr. de ſuſceptorib.* non etiam a luſtrali collatione, negotiantes; *l.* 50. *h.t.* quæ repetitur *l.* 4. *infr. de luſtrali:* (4.) Item vltra terminos propriæ ciuitatis præſentiam ſui exhibere non cogebantur *l.* 61. *h.t.* His vt & plebi ab omni improborum inſolentia vindicandis conſtituti defenſores: *l.* 2. *de defenſor. ciuit.* Alius item pro alio decurione conueniri non poterat, *l.* 2. *de exactionib.* Equorum vſus ad itineris neceſſitatem his conceſſus fuit: *l.* 1. *quib. equ. vſus conceſſ.* Ædificia publica, & iuris templorum quædam his, vt & collegiatis Reſcripto conceſſa, vt & areæ vacantes *l.* 41 *de oper. publ.* Curiis etiam aliquando in commune remiſſus, releuatus capitationis modus, *l. vlt. de conlat. donatar. verſ. illis ſolis.* Pœnis inuicem grauibus ſubiacebant, *l.* 117. *h.t.* Iudices eorum erant Rectores prouinciarum, *l.* 39.47.80.87.110.117.118.150.164.175.181. *h.t.* non etiam Iudices militares, *l.* 128. *h.t.* *Liberabantur* curia certis modis: Regulariter cunctis honoribus & munerib. expletis, *l.* 45.74.77. *h.t.* Quandoque etiam excuſabantur certis priuilegiis. Ætate *l.* 20.118 *h.t.* Meritis, *d. l.* 20. *h.t.* ob liberos, *l.* 55. *h.t.* v. & *tit.* 17. *hoc libr.* ob militiam Palatinam quandoque *l.* 22. *in f.* *l.* 67.73. *h.t.* ob militiam armatam, caſibus quos *ſupra* recenſui: vide & *titulum ſupr. lib.* 7. *de re militari:* ob Adminiſtrationem vel dignitatem, ſi merito non ſuffragio eam adepti fuiſſent, *l.* 5.25.36.73. *h.t.* Item Legatione, *l.* 25.36. *h.t.*

h. t. Officialis quoque XXV. annorum militia: *l.* 31. 96. *h. t.* & *l.* 6. *ſup. de re milit. l.* 5. 6. *ſup. de diuerſ. offic. l.* 14. *ſup. de priuil. eorum, qui in S. Palat.*

Perfunctorum omnibus Patriæ muneribus & ſtipendiis Priuilegia hæc erant: Præſidatus honor ſeu prærogatiua his conferebatur: ideoque in conſilio ciuitatis ſtantibus aliis ſedebant, *l.* 4. *h. t.* Ad honeſtas promotiones perueniebant *l.* 14. *h. t.* Immunes habebantur, otioque fruebantur, *l.* 75. *h. t.* Honor ex Comitibus ſeu Comitiua eis addebatur *d. l.* 75. & 109. & 150. *h. t.* ſeu Comitiua primi Ordinis per quinquennium, *l.* 189. *h. t.* ab iniuriis corporalibus immunes erant, *d. l.* 75. *h. t.* Oſculum his in Prouincia Iudicantum & conſeſſus indultus erat *l.* 109. *h. t.* Ab equorum præſtatione immunes erant & a Gleba Senatoria, *l.* 138. *h. t.* aliisque ſenatoriis functionibus *l.* 189. *h. t.* Eos etiam qui 30. Annos Alexandriæ ciuilibus muneribus inhæſerunt, corporalibus muniis, Theodoſius Iun. excuſari voluit, *l. penult. h. t.*

VACATIONEM *curialium munerum ſolus Princeps tribuere poteſt, non Rector prouinciæ.*

I. (a) Imp. CONSTANTINVS A. ad Euagrium. .... (b)

NEMO (c) Iudex (d) ciuilium (e) munerum vacationem cuiquam præſtare Curiali conetur, vel aliquem ſuo arbitrio de Curia liberet: Nam ſi quis fuerit eiuſmodi (f) infortunio deprauatus (g), vt debeat ſubleuari, de eius nomine ad Noſtram Scientiam referri oportet, vt certo temporis ſpatio ciuilium munerum ei vacatio porrigatur (h). PP. Id. Mart. Conſtantino A. III. & Licinio III. Coſs [313.]

INTERPRETATIO. (i) *Nullus Iudex vacationem indebitam tribuat Curiali, nec eum de ſuo officio ſtudeat liberare: Nam ſi ita tenuis cuiuscunque Curialis & exhauſta facultas eſt, vt ei publici oneris* (k) *neceſſitas non* (l) *credatur, ad Principis iuſſit* (m) *referri notitiam.*

NOTAE.

(a) *Lex* 14. *Cod. Iuſt. eod. tit.* Concordat in ſummam *lex* 68. 89. 135. 172. *inf* GOTHOFR.

(b) *Euagrius* ſub Conſtantino M. Eidem inſcribitur Anno 315. *lex* 1. *inf de Iudæis: lex* 1. *inf. de centonar. & dendroph.* vbi *Præfectus Prætorio* dicitur; *ID.*

(c) *Nullus*, Cod. G. quod ex interpretatione eſt. *RITTER.*

(d) *Iudex*, id eſt, Rector prouinciæ: v. *Gl. Theod.* GOTHOF.

(e) Abſunt hæc, vsque ad *aliquem*, a *Cod. Iuſt.* Rationem mox indicabo. *ID.*

(f) *In huiusmodi*, Cod. G. *RITTER.*

(g) *Deprauatus infortunio;* id eſt inhabilis redditus, inutilis factus quacumque de cauſa ſontica. Interpres non male interpretatur, *cui tenuis & exhauſta facultas eſt:* Et certe *Infortunii*, ἀτυχίας vox id proprie ſignificat. GOTHOF.

(h) *Porrigatur*, id eſt, præbeatur. *ID.*

(i) Supple: *Lex iſta hoc dicit. ID.*

(k) *Publici honoris*, Cod. G. & Sichard. *RITTER.*

(l) Id eſt, remitti debeat, vel, committi non debeat. GOTHOFR.

(m) *rg. Iuſſit:* Quanquam iſtud ſuſtineri poteſt; *iuſſit*, hæc *lex* ſcil. *ID.*

COMMENTARIVS.

CONSTANTINI M. viginti duæ conſtitutiones hic occurrunt ordine *de Decurionibus:* ex quibus apparet quis tum Curiarum ſtatus fuerit; quo item quantoque ſtudio Princeps hic tum Curiarum, tum Curialium ſeu Decurionum, atque adeo ſingularum Rerum publicarum ſeu municipiorum, vtilitati conſultum voluerit. Quarum omnium ſententiam exhibere oportuit eos, qui Conſtantini M. genium ex eius potiſſimum conſtitutionibus efferre voluerunt, ac non etiam vnius tantum aut alterius, quod Balduinus fecit; cuius vt ſemel dicam Commentarii *de Conſtantino M.* σκιαγραφίαν potius iuſti alicuius operis continent, quam ἀποτέλεσμα aliquod: quod iam olim quoque notarunt Viri Clari.

Ergo ad quinque potiſſimum fines ſeu capita, vt aliorum Imperatorum, ita Conſtantini M. conſtitutiones omnes refero. P. 344. Nempe id egit illis: *Primo*, vt ne Curiæ vacuarentur, deſolarentur, honoris alicuius aut officii vel militiæ obtentu, veluti Præſidatus, *l.* 4. 14. Perfectiſſimatus &c. *l.* 5. Militiæ armatæ, *l.* 10. 11. 13. Incolatus alienæ ciuitatis, *l.* 12. Officii & militiæ cuiuscunque ciuilis, *l.* 13. 22. Scoatoriæ dignitatis, *l.* 18. (excepto ſolo Primipilatu, *l.* 11. & Palatina militia, *l.* 22.) Item neque vacatione munerum impetrata a Iudice, *l.* 1. imo ne Reſcripto qui-

quidem Principie aut ciuium conſenſu, *l. 17.* Adda-
mus & ex aliis Conſtantini M. *legibus*, ne quidem
Clericatus obtentu, *l. 3. 6. infr. de Epiſcop. Eccleſ. &
Cleric*, quas *leges* hunc in *titulum* quoque referri
oportuit. *Secundo*, vt munere ſuo Decuriones re-
ctè defungerentur: Prohibito in id decurione Ta-
bellionis officio fungi, *l. 3.* ad Procurationes & Curas
Ciuitatum accedere; *l. 20.* ad Comitetum proficiſci,
ſine commeatu Rectoris Prouinciæ, *l. 9.* latentibus et-
iam nominatis ed Duumuiratum pœna indicta, *l. 16.*
Tertio, vt noui Decuriones ſubſtituerentur. Hinc
filios Decurionum 18 annorum Curiæ mancipari
iubet, *l. 7. & 19.* vt & Veteranorum & militarium fi-
lios, *l. 15 18. 19.* Et hæc quidem ad ipſarum Curia-
rum vtilitatem.

Ipſis viciſſim Curialibus idem Princeps conſul-
tum iuit. Primum, tributo ſpatio appellandi nomi-
natis ad munus aliquod, *l. 2. 8. h. t.* Item Munerum
diſtinctione facta, ad quæ maiores decuriones vocari
non poſſent, *l. 21.* Item vacatione temporaria data
infortunio deprauatis, *h. l.* tandem & honeſtati De-
curionum, & Curiarum conſultum iuit Conſtanti-
nus M. prohibito Decurione ancillam vxorem duce-
re, *l. 6. h. t.*

Hac igitur *lege* Conſtantinus M. Vacatio-
nem munerum Curialium cuiquam Decurioni a Iu-
dice (id eſt Rectore prouinciæ) præberi, vel curia
eum liberari, proprio arbitrio, id eſt per modum gra-
tiæ, vetat: Quod & ipſum ſtatuitur *l. 68. 89. 135.* vt &
de Præfecto Prætorio, *l. 172.* quamlibet is *infortunio
deprauatus*, id eſt, quamlibet tenues & exhauſtæ eius
facultates ſint, vt *Interpretatio* recte habet: quam-
libet denique iuſte vacationis dandæ cauſa ſubeſſe
videatur. Quid igitur? de huiuſmodi Decurione
ad ſe *Principem* referri iubet Conſtantinus M. vt ſuo
videlicet arbitrio certi temporis vacationem præ-
beat. Ergo Princeps ſolus veris & probatis de cauſis
vacationem Decurioni, & quidem temporariam
hactenus, tribuere poteſt ex hac Conſtantini M. con-
ſtitutione, & altera Theodoſii M. *d. l. 135. infr. hoc
tit.* Nam curia in totum liberari Decurio, ne Prin-
cipis quidem beneficio poteſt. *l. 10. 13. 17. 102. 137. 139.
156. 167. infr. h. t.* Contra, duo *hac l.* Iudicibus æque
interdicuntur: nam ne temporariam quidem im-
munitatem ſeu *Vacationem*, vt *h. l.* vocatur proprie,
quo etiam pertinet titulus *in D. & Cod. Iuſt. de vacat.
muner.* a curialibus muneribus concedere poſſunt:
multo minus, in totum curia liberare, ob infortu-
nium ſeu fortunarum lacunam & diſpendium. Quo-
rum prius tamen a Triboniano omiſſum fuit: pro-
culdubio, quod Iudicibus licentiam non denegaret
certi temporis ſpatio ciuilium munerum immunita-
tis concedendæ: Quod vtique congruit *legi* proxi-
me præcedenti, *13. C. Iuſt. eod. tit.*

De APPELLATIONVM *temporibus, quæ nominatis ad munus curiale, competunt.*

II. (a) Idem A. ad Criſpinum..... (b)

Qvoniam dubitaſti, vtrum ex numero dierum, (c) an ex nominatione Kalendarum, computari duum (d) menſum (e) ſpatia debeant, forma publici † iuris obſeruanda eſt, quæ manifeſte declarat, quid pro dierum (f) diuerſitate præceperit comprehendi. (g) Dat. Kal. Octob. Conſtantino A. IV. & Licinio IV. Coſs. [315.]

NOTAE.

(a) Abeſt hæc *lex* a *Cod. Iuſt.* vt quæ nihil definiat. *GOTHOFR.*

(b) *Criſpino* pariter inſcribitur quinquennio poſt, Anno 320. *lex* 10. *ſupr. de appellat.* quæ in eodem argumento verſatur. *ID.*

(c) *XXX.* ſcil. de quo mox. *ID.*

(d) Intra quos nominatus ad munus publicum (Duum viratum puta) appellare poteſt. *ID.*

(e) *Menſum:* ſic quoque *l. 101. D. de R. I.* apud Cenſorinum, Ciceronem, & alibi. *ID.*

† *Publicum* ius hic quodnam? Nempe veteris iuris definitio. *ID.*

(f) Forte *rerum*. *ID.*

(g) *Comprehendi*, id eſt, intelligi, exaudiri, accipi. *ID.*

COMMENTARIVS.

De Appellatione, ſeu de Tempore & ſpatio,
quod *Nominatis* ad Duumuiratum vel munus
aliquod publicum ad appellationem exequendam
dabatur, eſt hæc Conſtantini M. Conſtitutio. Quod
quidem etſi ex legis verbis diſerte colligere non li-
cet, attamen ſitus *huius legis*, vtpote quæ poſita eſt
ſub *tit. de decurion.* manifeſte id oſtendit; nempe de
appellationibus hic egi a nominationibus ad Curiale
munus; pariter vt ſecunda eiuſdem *leg. 10. ſup. de
appellationibus*, quæque eidem Criſpino inſcribitur.
Et tertia, puta *leg. 8. h. t.* quæque legem 1. *Cod. Iuſt.
de magiſtr. municip.* conſtituit. Et quarta, puta,
leg. 12. ſupr. de appellationib. quæ cum *dicta l. 8.*
coniungenda eſt. Quinta Conſtantii, puta *leg. 19.
d. t. de appellat.* Sexta, Theodoſii M. *leg. 8. ſupr.
de repar. appellat.* Septima, Theodoſii *leg. 53. P. 145.
ſupr. de appellat.*

Scilicet, *Nominatis* ad Curiam vel Duumuira-
tum, duorum menſium ſpatium dabatur, ad appel-
landum: vt præter *hanc leg.* docet *d. lex 10. & 19.
ſupr. de appellat.* In eumque finem nominationes
ante tres menſes, quam munera ſubiri oportebat,
fiebant, vt docet *lex 8. infr. hoc t.* Atque hæc
illa

illa ſunt *duum menſium ſpatia*, de quibus *hac l.* agitur.

De his vero duobus menſibus dubitatum ſub Conſtantino Magno, & quidem a Criſpino, vt hæc *lex* aperte teſtatur, *Quoniam dubitaſti*, inquit, (cui ipſi vt dixi inſcribitur *dict. l. 10. ſupra, de appellat.* quæ in hoc eodem argumento verſatur) qui procul dubio alicuius prouinciæ Rector erat, (nam ad eum cura muneris iniungendi ſpectabat) vtrum hæc ſpatia duorum menſium computari deberent ex numero dierum, an vero ex nominatione Kalendarum. Quæ quidem quæſtio, ſeu dubitatio, obſcurum ſenſum habet: ſed multo obſcurior adhuc reſcripti Conſtantinianei ſententia eſt: Ad hanc quippe Criſpini dubitationem reſcribit hactenus Conſtantinus: *Formam publici iuris obſeruandam eſſe, qua manifeſte declarat, quid pro dierum diuerſitate praeceperit comprehendi.* Quæ enim illa *forma publici iuris* eſt? Quæ illa *dierum diuerſitas?* Et quidem eo obſcurior, quod poſtrema verba nullum ſatis commodum ſenſum præbere videntur, & vix ad ἔπος reſpondere: quandoquidem cum de menſibus quæreretur; de diebus tamen reſpondeatur? Denique quid ſibi volunt illa verba, *praeceperit comprehendi?* Nos videamus quid in hanc partem ſtatui poſſit, *dubiumque* adeo quod hic non reſoluitur, definiri. Putet igitur quis, cum in aliis *Rebus* & negotiis menſes aliter atque aliter computentur, formaque publici iuris, hac parte diuerſa eſſet, in hoc appellationum & Nominationum argumento, menſes *XXX. diebus* conſtare ſeu cenſeri, non vero ex Kalendarum nominatione æſtimari. Finge nominatum quem Kalendis Martiis ad Duumuiratum, qui dies huic rei ſolemnis, *leg. 28. hoc titulo* (vbi vide quæ dixi) aliudue munus. Sane a Kalendis Martiis LX. dies computabuntur nominato, ad ſe excuſandum ſeu appellandum: & ſic intra *29 Maii* excuſare ſe ſe neceſſe habebit. Hæc ſcilicet *forma publici iuris* videtur: qua vulgariter menſes tricenis diebus ſinguli æſtimantur apud Romanos: quod docet etiam *lex 28. 31. § 22. D. de ædilit. Edicto: lex 3. §. vltim. D. de ſuis; leg. vltim. Cod. Iuſt. §. 2. de iure deliber.* more Mathematicorum, Græcorum, & Ægyptiorum: nempe quia, & antiquo hæc fuit Numæ menſium computatio exemplo Ægyptiorum, teſte Liuio *lib. 1. c. 19.* & Plutercho *in Vit. Num.* Et ita certe in publicis quoque muneribus duorum menſium ſpatia computari debent: Vt nihilominus (vt & hoc adiiciam,) audiatur adhuc qui 61. die venerit; ſcilicet, *Vbi lex duorum menſium mentionem facit, & qui ſexageſimo, & primo die venerit, audiendus eſt:* ait *lex 101. D. de Reg. Iur.* Quam *legem* obſeruandum eſt, deſumptam eſſe ex Pauli *libro ſingulari de cognitionibus:* quo Paulus Iuriſconſultus prolixe egerat de cognitione Magiſtratuum, de honoribus, & muneribus publicis gerendis, & de excuſationibus ab iis, vt oſtendunt omnes *Leges*, quæ ex eo *libro* ſuperſunt: puta *lex 9. D. de confirmand. tutor. lex 42 & vltim. D. de excuſationibus: lex 29 D de tutoribus, & curatorib dat lex 5. D. de Veteranis:* & *lex 228. D. de V. S.* qua *lege* definitio *Municipum* proponitur, ideo ſcilicet vt ſciatur, quibus munera, & honores conferantur. Quæ quidem addere libuit, ad intellectum *dictæ legis 101. D. de Reg. Iur.* & ad eam vindicandam a prauis partim interpretationibus: partim & emendationibus. Nunc ad *hanc l.* redeamus.

Ergo in argumento appellationum a nominationibus, triceni dies pro ſingulis menſibus comparandi videntur, non habita ratione ad principium vel finem ipſius menſis, vt loquuntur Interpretes, vel vt hic dicitur, *nominationibus Kalendarum:* Cum alias *pro* Rervm (nam ita reponendum exiſtimo) *diuerſitate*, aliter atque aliter obſeruaretur: *formaque publici iuris* aliter atque aliter *declararet*, quid pro rerum diuerſitate per menſes *comprehendi*, id eſt, exaudiri, accipi vellet. De quo dicam plenius ad *eam legem 101 de Reg Iur.* In hoc certe argumento verſatur peculiaris Menochii tractatus *libro 2. de Arbitr. capite* 50. vbi hæc *lex* tamen præteritur. Putet tamen quis, imo in hoc argumento appellationum a nominationibus, duorum menſium ſpatium numerari oportere a nominatione Kalendarum, ſecundum communem curſum menſium: ſic vt nominatus Kalendis Martiis intra totum menſem Maii ſe ſe excuſare poſſit: ideo quia principium nominationis a Kalendis fit. Atque hæc eſt doctrina Interpretum, cum menſis fit mentio, habita relatione ad principium menſis in quo actus aliquis ſolemni more fit, totidem dies computari, quot dierum menſes ſunt. Vide Menochium *dicto cap 50. numer 21.* Et certe hæc mihi probabilior videtur in *huius legis* ſpecie definitio: Alioquin, vbi non ex Kalendis ipſis aliquis ſolemni more procedit, verum prout ſe ſe res dant, tum proculdubio vbi lex duorum menſium facit mentionem, 30. dies in ſingulos menſes computandi ſunt. Finge, 23. Auguſti actum aliquem proceſſiſſe, & intra menſem dilationem dari vel facultatem aliquam ſane intra 22. diem Septembris facultas illa includitur, id eſt, 30. diebus.

P. 346. TABELLIO *qui decurio eſt fieri non poteſt: at ex Tabellione decurio, quis fieri poteſt.*

III. (a) Idem A. Mechilio (b) Hilariano Correctori Lucaniæ, & Brittiorum. (c)

Vniversos Decuriones volumus a Tabellionum officiis temperare. (d) Nemo autem ad Decurionatum vocatus excuſare ſe poterit, eo quod fuerit Tabellio, cum & huiusmodi homines, ſi ſint idonei, vocari ad Decurionatum oporteat: Lex † enim, quæ decuriones a Tabellionum officiis voluit ſubmouere, ad Decurionatum Tabelliones vocari non prohibet. Dat III. Kalend. Febr. (e) Sabino & Ruffino Coss. [316.]

NOTAE.

(a) *Lex* 13. *Cod. Iuſt. eod. tit.* hinc deſumpta eſt, vbi tamen prima tantum *huius leg.* ſententia continetur, cæteris inde a voce *Nemo*, reſecatis. Iungenda autem illi *lex* 1, *ſupr. ad leg. Cornel. de falſo*: ſeu *lex* 21. *Cod. Iuſt. eod. tit.* GOTHOFR.

(b) Forte *Mecilio*: de hoc vero Hilariano vid. *Proſopogr.* ID.

(c) *Bruttiorum.* ID.

(d) *Temperare*, ideſt, abſtinere in totum. ID.

† Quænam & cuius ea lex? ID.

(e) *Acc. Kal. Aug.* hoc additum de *l.* 1. ID.

COMMENTARIVS.

TABELLIONIS officio Decuriones, iuxta anteriorem quandam de eo *legem*, hac rurſum Conſtantini M. *lege*, fungi prohibentur. Nos diceremus, *que ces deux Offices ſont incompatibles*: quomodo & aliis multis actibus Decuriones interdicti: de quo ad *leg* 92. *infr.* Et retro tamen, Tabellionem ad Decurionatum nominatum excuſare ſe non ideo poſſe, *hac leg.* definitur: Non ideo ſcilicet, quia qui Decurio eſt, Tabellio eſſe per *leges* non poteſt, ideo & ex Tabellione ad Decurionatum vocari non poteſt: Quæ *huius legis*, ferendæ occaſio fuit, vt videlicet oſtenderetur argumentum ab vno ad aliud non procedere, non valere. Quod a Triboniano hic omiſſum eſt. Et hæc quidem eſt *huius legis* ſententia; quam notandum eſt partem eſſe prolixioris Conſtantinianeæ conſtitutionis, vnde deſumpta eſt quoque *lex* 1. *ſupr. ad leg. Corn. de falſo.* quæque proinde *huic* coaſſanda venit: quod Cuiacius iam, & poſt eum Couarruuias, aliique deinceps recte notarunt. Neque tamen omnes, quid ex hac coniunctione effici poſſet ad plenum viderunt: Imo collidi eas inter ſe nonnulli exiſtimarunt. Ea *Lege* id definitur: Decurionem, Tabellionis munere fungentem, ſi poſtea de veritate inſtrumenti ab eo conſcripti agatur, quæſtioni ſubiici poſſe: vt & ſi ex Tabellione eo Decurione facto, eadem de inſtrumento dubitatio oriatur: Nullam enim vtroque caſu Decurionatus ſiue coniuncti, ſiue ſuperuenientis, & ſic priuilegii Decurionum, immunitatis a quæſtione rationem haberi, vbi recte ex parte Gloſſa vidit, ita de facto eueniſſe: vt ita ad facti ſpeciem reſcripſerit *ea lege*, ſeu eo capite Conſtantinus Magnus: Verum in poſterum iam hoc *huius legis*, capite idem cauet, Decurionem Tabellionatu fungi non poſſe. Neque adeo etiam diſplicet illorum ſententia, qui ita cenſent, hoc caſu inſtrumentum nihilominus valere: de quo Bartolus *hic*, & poſt eum multi alii: de quo v. hic Amayam *n.* 24. 25.

Nunc, vt de ratione *huius legis* liquere poſſit deque tota *huius legis* mente, videndum nobis eſt, quinam *Tabelliones* iſti fuerint. *Tabellionum* iſtorum mentio fit præter *hanc l.* & *dict. l.* 1. *ſupr. ad l. Cornel. de falſo*, in *l.* 1. *Cod. Iuſt vt nemo ad ſuum patrocinium*, *leg.* 2. *Cod. eod. de Eunuchis*: *l.* 17. *Cod. eod. de fide inſtrum. l.* 24 *C. eod. de teſtamentis. leg.* 9. §. 4. *D. de pœnis*: *leg.* 14. §. 3. *Cod. Iuſt. de ſacroſanct. Eccleſ.* meminit & Firmicus *Matheſ. lib.* 4. *cap.* 5. & *lib.* 8. *cap.* 28. Fuere autem Tabelliones qui contractuum & teſtamentorum inſtrumenta conſcribebant, vt diſerte teſtatur *dicta lex* 1. *ſupra ad leg. Cornel. de falſ. dicta lex* 14. §. 3. *dicta lex* 1. *Cod. Iuſt. vt nemo ad ſuum patrocin. dicta lex* 2. *Cod eod. de Eunuchis*: *dict. lex* 17. & *dict. lex* 24 Vnde & inter eos qui forenſibus negotiis ſe accommodabant, numerantur in *d. l.* 9. §. 4. quomodo & inſtrumenta forenſia dicta *leg.* 20. *Cod. Iuſt. de fide inſtrum* ἀγοραῖα paſſim in *Iuſtiniani Nouellis*. De his eſt & expreſſa *Nouella Iuſtiniani* 44. Interpres ad *dictam leg.* 1. *de falſo*, æuo ſuo Tabelliones, *Amanuenſes*, *vel Cancellarios* dictos ſcribit. Ii recte deſcribuntur apud Suidam *voce* Πιστικὸς Ἐμισηνός. ἐπὶ τῆς ἀγορᾶς καθήμενος, δόξαν τε πολλὴν ἐπί τε ἀληθείᾳ καὶ ἀρετῇ ἔχων, ἅπαντα ἐπετέλει τὰ τῶν πολιτῶν γραμματεῖα, ἕκαστον αὐτῶν ἐπισφραγίζων αὐτὸς ἰδίοις γράμμασιν, ὅνπερ ταβελλίωνα καλοῦσι Ῥωμαῖοι. *Forenſis vir, fide & virtute conſpicuus, qui omnes ciuibus tabulas conficiebat, ſua manu vnamquamque earum obſignans, quem tabellionem romani vocant.* Idem in voce Ταβελλίων (vnde habent & *Gloſſæ Nomicæ*) Ταβελλίων, ὁ τὰ τῆς πόλεως γράφων συμβόλαια, ὁ παρὰ τοῖς πολλοῖς νομικὸς λεγόμενος. *Tabellio, qui ciuitatis contractus ſcribit, vulgo* Νομικὸς *dictus.* Deſcribit & Libanius *Epiſtola ad Priſcianum, inter Regias* 147. & *in edit. Clariſſ. Wolffii* 152. τέχνη δὲ αὐτοῖν ἡ αὐτή, προσθήσω δὲ, ὅτι καὶ γνώμη, τὰ περὶ τῶν συνθηκῶν γράμματα τοῖς ἀνθρώποις γράφειν, ἄνευ τοῦ κέρδους κατὰ τῆς ἀληθείας τιμᾷν. *Ars ipſis eadem: addo, eundem etiam eſſe vtrique animum, nempe contractuum inſtrumenta ſcribere, ita tamen, vt corrupta veritate lucrum non ſectentur.* In his vero præter fidem & veritatem vt ex ſuperioribus iam teſtimoniis liquet, aliqua ſaltem Legum peritia deſiderabatur, *Nouella Iuſtiniani* 66. *capite* 1. *in princip.* Vnde, & Iuris ſtudioſis, Aduocatis, & Pragma- p. 347.
ticis iunguntur, *d. l.* 9. §. 4. *D. de pœnis*: Indeque & vt ex Suida diximus νομικοί; ſed tamen a Iuris ſtudioſis diuerſi, etſi vicini, de quibus *d. l* 9. §. 4. Suetonius, *in Neron. Claud. c.* 32. nam hi & dictabant & ſcribebant ea, in quibus accurata iuris peritia deſideratur. Male igitur *Tabularii* cum his a multis confunduntur, deque illis conſtituta huc perperam ſeu ad Tabelliones trahunt. Erant enim *Tabularii*, qui ciuitatum & prouinciarum rationes tractabant: de quibus ſuo peculiari *titulo ſupr. lib.* 8. *tit.* 2. Alii item ſunt a *Scribis* publicis, qui acta publica ſcribebant, quorumque fidei tabulæ publicæ periculaque Magiſtratuum committebantur, teſte vel Cicerone, *lib.* 3. *in Verrem cap.* 79. & Caſſiodoro *XII. Var.* 21. qui eorum officium graphice deſcribit: in cuius tamen lemmate male de Scribarum ſeu Tabellionum officio: nam verus titulus habet, *Scribæ Rauennati.* Verum de his Scribis iam ad *l.* 1. *ſupr. de lucris officiorum.* Denique perperam commiſcentur Tabelliones hi cum *Notariis*, qui priuatorum ſerui erant, ſcribendi operam dominis ſuis nauantes, vt videre eſt vel ex *l.* 40. *D. de teſtam. mil.* Hodie iidem Tabelliones & Notarii dicuntur.

His ita iam diſtinctis, ratio *huius legis* & *Interdictionis* indaganda venit; cur, inquam, Decuriones Tabellionis officio fungi vetentur? & vt *hac leg.* dicitur, iubeantur ab hoc officio TEMPERARE; ſeu vt eadem loquitur, cur *Lex* Decuriones a Tabellionum officiis voluerit SVBMOVERE.

Ratio hæc vulgo redditur, ne Tabellionis ſtatione, & vt ipſi loquuntur, geſtibus implicitus, conſecutiue a publicis Curiæ negotiis abſtrahatur, atque adeo ne vtroque munere non bene fungatur, ſeu vt ille ait, bona fide; qua ratione & aliis duobus quis officiis ſimul fungi non vna *lege* prohibetur: & ſpeciatim etiam Sacerdotes hoc ipſum Tabellionis officium exercere *cap. 8 X. ne Clerici vel monachi*: quia, *qui Deo militat, non debet ſecularibus negotiis implicari, can. 3. C 20. Quæſt. 3.* & *can 2. 3. 4. Cauſ. 21. Qu. 3.* Verum hæc mihi generalis hic nimium ratio videtur. Alii hanc reddunt rationem, quod Tabellionis officium vile ſit, imo & infame actusque ſeruilis: atque adeo quæ de ſeruis publicis dicuntur, huc aptant: Vnde iam peſſime Bartolus dicitur aliique tenuiſſe, quod infamis poſſit eſſe Tabellio. Itane vero vile & ſeruile aut infame Tabellionum officium, e quo ad Decurionatum adſpirare licet? in quibus velut publicis teſtibus publica fides conſiſtit? in quo tantum *ἀληθείας καὶ ἀρετῆς* ſtudium, imo & aliqua ſaltem iuris peritia requiritur? a quibus inſtrumenta confecta publicam merentur fidem? qui denique Iuris ſtudioſis & Aduocatis ſociantur, & Pragmaticis iunguntur? Hæc inquam, rationem illam deſtruunt, non quæ Amaya congerit *hic, numero 6. 7. 8. 9. 10. vſque ad 17.* ea enim ad Scribas pertinent, vel ad Tabularios. Ratio & hæc redditur, ne Decurio idemque Tabellio his duobus officiis fieret potentior, & ob id grauius onerarentur Municipales: laudato eam in rem Symmacho, *lib. 9 epiſtol. 10.* qui loquens tamen eſt de Tabulariis, quibus videlicet in re tributaria liberum erat alios a diſpendio vindicare, aliis indebitum munus imponere.

Addit Amaya, ne occaſione dignitatis Decurionatus, inſtrumenta a ſe conſcripta derelinquant, quod innuere videatur *lex 2. ſupr. de Tabular.* Verum & ratio hæc obſcura eſt, & *dicta lex 2.* eſt de Tabulariis: & perperam ex *ea lege* colligitur, Tabelliones tum non fuiſſe excluſos a Decurionatu. An propior igitur vero ratio, qua licet aſcendere non deſcendere in honoribus capeſſendis: quodque inferior ſit Decurionatus honore & dignitate Tabellionis officium?

Veriſſima ratio iſthæc mihi videtur, tum argument. *dict. leg. 1 ſupr. de falſo*, quæ *huic* coaſſanda eſt, tum eorum præiudicio, quæ ſupra dicta ſunt de veritate deque fide, quæ in Tabellionibus requiſita, id ita conſtitutum, vt præcideretur falſi materia: quæ vtique facile præberetur, ſi Decurionibus Tabellionis officio fungi liceret: cum & alias Tabelliones falſi haud raro arguerentur, vel ſuſpecti eſſent; v. exemplum apud Suidam, *in voce Περιττικός*: Qua cauſa his tam enixe, vt dixi, fides & *ἀλήθεια* inculcatur. Eo denique etiam pertinent voces *Temperandi*, & *ſubmouendi hac l.*

PRÆSIDATVS *honos Decurioni delatus* EMERITIS *tantum prodeſt.*

IV. (a) Idem A. ad Octabianum (b) Com. Hiſpaniarum.

Hi qui honoris (c) indebiti arripere (d) inſignia voluerunt, cum in conſilium (e) Primates (f) Municipesque (g) coguntur, adſiſtunt, (h) ſedentibus his, quibus emeritis, omnis honor iure meritoque debetur. Ideoque Sublimitas Tua nullum omnino faciet Præſidatus prærogatiua lætari, niſi qui cunctos in patria gradus (i) egreſſus (k) ordinem (l) venerit: ita vt illi etiam qui Præſidatum ante tempus reportarunt, poſt expletos honores ciuicos honeſtamentis (m) præſtitis potiantur, PP. (n) XIV. Kal. Feb. Gallicano & Baſſo Coss. [317.]

NOTAE.

(a) Abeſt hæc *lex* a *Cod. Iuſt.* GOTHOFR.

(b) *Octauianus* Comes Hiſpaniarum ſub *Conſtantino M.* cui eidem inſcribitur hoc ipſo Anno *lex 1. ſupr. de accuſationib. v. Proſopogr.* ID.

(c) Præſidatus *infr.* ID.

(d) Ante tempus ſcil. & antequam cunctos in patria gradus emenſi fuiſſent, per ſuffragia. ID.

(e) Et *Concilium, v. infr. Commentar. ad leg. 1. de Legatis.* ID.

(f) De *Primatibus* his dixi ad *l. 13 ſupr. de deſertorib.* ID.

(g) *Municipes* ideſt, Decuriones *h. l.* & *multis aliis*, quas *Paratitlon* exhibet. ID.

(h) *γρ. Adſiſtant*, ideſt, ſtent. ID.

E. 348. (i) Honores ciuicos *infr.* ID.

(k) Et emenſus ID.

(l) *γρ. Ordine*, addita etiam forte voce, *eo.* ID.

(m) Honeſtamenta, *h. l.* & *l 74. infr. hoc tit.* ſunt honorum prærogatiuæ, *πρωτεῖα, πρεσβεῖα τῆς τιμῆς.* vide *Gloſſar.* ID.

(n) Cordubæ, vt *d. l. 1. ſup. de accuſat.* Corduba quippe ſedes Comitis Hiſpaniarum fuit. ID.

COMMEN-

COMMENTARIVS.

DE HONORE ſeu Prærogatiua & quidem PRÆSIDATVS, qui Decurionibus hac tempeſtate conferebatur (vti deinceps poſt Comitum gradus a Conſtantino Magno adinuentos, Comitiua, *leg. 26. 36. 41. 44. 75. 109. 189. infr. hoc tit.*) eſt hæc Conſtantini Magui conſtitutio: Qua *definitur*, quinam eo honore potiri poſſint inter cæteros Decuriones: vbi & obiter oſtenditur, in quo honoris iſtius prærogatiua ſteterit. De quo prius agendum nobis eſt.

Prærogatiua igitur iſthæc, Præſidatus Decurioni collati, erat hoc honeſtamentum, vt cum in Conſilium cogerentur (quod vtique factum a Duumuiris: Duumuiri, inquam, Decuriones ſolemniter, id eſt, Curiam conuocabant, *l. 2. Cod. Iuſtin. eod. tit.* & quidem Primates Curiæ, de quibus vide & *leg. 13. ſupr de deſertoribus*, aliique Municipes: vid. plene *infr. titul. de Legatis:*) Decuriones hoc honore decorati ſederent, adſiſtentibus ſeu ſtantibus aliis Decurionibus. Qui honos obſeruandus eſt. Vti viceuerſa hinc notandum, Decuriones de more in conſilio ſtetiſſe, proculdubio ſolis Duumuiris ſedentibus. Sic ſane & in prouinciis, & Iudicialis dignitatis prærogatiua iſthæc erat, vt & pauci, quibus hoc pro priuilegio datum erat, in ſecretario reſidere cum Iudicibus poſſent, de quo vide *l. vnic. ſupr. de Offic. Iudicum ciuil. l. 2. ſupr. de Præfectis Prætoris: & l. vlt. C. Iuſt. de Offic. diuerſ. Iud. l. 5. 7. 16. ſupr. de proximis*: etiam ipſi decuriones, poſteaquam patriæ cuncta præſtitiſſent, Comitiua ornati, *d. l. 109. infr. h. t.* Et hæc quidem de hoc *Sedendi* honore. Nunc *de Legis* ſententia.

Hoc igitur honore potiri eos tantum vult Conſtantinus Magnus *hac leg.* quibus *emeritis* Præſidatus honor collatus eſſet, ideſt, qui ad hanc dignitatem, ſeu ad hunc honorem ordine ſeu gradatim venirent, poſt expletos honores ciuicos, ſeu poſteaquam cunctos in patria gradus egreſſi eſſent: Emeritis ſcilicet tantum hanc prærogatiuam prodeſſe voluit: Quod & ipſum poſtea ſtatutum de Comitiua in ſpecie *dict. l. 109.* vbi plenius. Non vero, qui aliter Præſidatus honorem nacti fuiſſent. Nempe minus decorum viſum, eum præ cæteris ſedendi prærogatiua lætari, qui pari cum cæteris conditione nexuque Curiæ adhuc teneretur. Vbi obiter notandum omnibus honoribus in Curia functis varios olim honores tributos, *Præſidatum*, *Comitiuam*. Equeſtris olim quoque dignitas collata, vt ex *veterib. Inſcript.* diſcere eſt: & ex Cenſorino, *de die Natali, c. 15.*

Ad rem. Sed finge, quo pertinet vltimus *huius legis* verſiculus; ante tempus aliquem hunc honorem indebitum reportaſſe, ſeu a Principe impetraſſe per ſuffragia forte, (vt *leg. 5. prox.*) ſane, qui in præſens ei honor inutilis eſt, poſt honores demum ciuicos expletos, ei proderit, quod *fine legis* ſtatuitur. Et ſic hoc caſu ab initio inutilis & infructuoſus honor, temporis tractu iam conualeſcet. Cui ſimilis eſt conſtitutio Valentiniani Sen. *leg. 57. 58. 65. infr.* nam & ibi pariter Senatoris dignitas in ſuſpenſo eſt. Alia vero aliquando Conſtantio mens fuit, *leg. 41. 42. infra*: nempe & dignitatum titulis eos frui vult, & nihilominus teneri ad explenda patriæ munera.

Et hæc quidem ita Conſtantinus Magnus, ne alioquin quæſitis vmbraculis dignitatum, & honorariis ante tempus codicillis, patriæ munera deſererentur: Quam in rem complurimas *Leges* alias exhibet *Paratitlon.*

Duo igitur iam *πορίσματα* ex *hac lege* in vſum educamus: Primum, vbi de Dignitatum prærogatiua agitur, ac proinde de iure ſedendi & præcedendi, ſpectandum aliquando qua ratione quis eam Dignitatem emeruerit. Secundum Axioma, Indeptas dignitates non ilico ſemper, verum poſt aliquod tantum tempus aliquando prodeſſe.

Et hæc quidem ita in ſpecie *huius legis* nempe (quæ taxatiua *huius legis*) vbi ad Curiæ conſilium proceditur. Alioquin extra id impetrata quomodocunque a Principe dignitas, in aliis locis prodeſſe ſolet, & ſtatim quidem. Vnde Tertium Axioma conficitur. Pro diuerſitate locorum prærogatiuas honorum & dignitatum quandoque variare: de quo v. *diatribam de Iure præcedentiæ.*

Quibus OFFICIIS *ſeu militiis, quibus* DIGNITATIBVS, *& quando, Curialis vel Curiæ debitus, Curia liberetur.*

V. (a) Idem A. ad Bithynos. (b)

EOs qui in Palatio militarunt, & eos quibus Prouinciæ commiſſæ ſunt, quique merito (c) Ampliſſimarum adminiſtrationum honorem Perfectiſſimatus, vel Egregiatus adepti ſunt: Necnon & illos, qui Deeuriones, vel Principales (d) conſtituti cuncta ſuæ patriæ munera impleuerunt, frui oportet dignitate indulta. Si vero Decurio ſuffragio comparato, Perfectiſſimatus, vel Ducenæ, vel Centenæ vel Egregiatus meruerit dignitatem, declinare ſuam Curiam cupiens, codicillis amiſſis, ſuæ condicioni reddatur: vt (e) omnium honorum & munerum ciuilium diſcuſſione (f) perfunctus iuxta Legem municipalem aliquam prærogatiuam obtineat. Eum quoque qui originis gratia (g) vel inco- v. 20.
latus, (h) vel ex poſſidendi (i) condicione vocatur ad Curiam, Perfectiſſimatus ſuffragio impetrati dignitas non defendit: Qua remota tradi eum Curiæ oportebit. Dat. XII. Kal. Aug. Gallicano & Baſſo (k) Coss. [317.]

NOTAE.

(a) Abeſt & hæc *lex* a *Cod. Iuſt.* Iungenda autem ei *lex 3. ſupr. de cobortal. lex 1. ſupr. de Cæſarianis: lex 1. ſup. de murilegulis. GOTHOFR.*

(b) Nota *legem* hanc inter alias ad integram prouinciam emiſſam, ſeu ad Concilium totius alicuius prouinciæ, *ID.*

(c) Ita ſcribendum, non *meritò*, vt habent *Editiones* ſuperiores, *ID.*

(d) De *Principalibus* his vide *Paratitlon*, qui diſtincti a Decurionibus (etſi & ipſi Curiales) vel ab *ordine*: vt in *veteri Inſcriptione apud Gruterum CCCLXIII. num. 2.* V. de his & Iuretum *in Symmach. p. 227. 228. 229. Edit. Pariſ.* 1604. *in* 4. Tertullianum de *Corona militis cap.* 13. Firmicum *lib.* 5. *c.* 2. Symmachum *lib.* 9. *ep.* 10. *l.* 2. *Cod. Iuſt. de excuſ. mun.* Saluianum *de Gubernat. Dei lib.* 5. *cap.* 4. & baſin citatæ Inſcriptionis. Iidem & *Principes ciuitatum*, Vopiſcus *in Aureliano cap.* 33. *in fin. Palmyreni principes ciuitatis.* Talis *princeps ciuitatis* Palmyrenæ fuit Odenatus, priusquam imperium arriperet, quem ideo Pollio *in Vit. Odenati init.* vocat, *principem Palmyrenorum*, & eadem ex cauſa Feſtus *in Breuiar. cap.* 23. *decurionem Palmyrenum. ID.*

(e) *vy. At. ID.*

(f) Vide de hac voce *Gloſſar. ID.*

(g) Obſerua tres cauſas, ex quibus quis ad Curiam tenetur: originis gratia, incolatus, ex poſſidendi conditione: de quo v. late *Paratitlon. ID.*

(h) V. & *l.* 12. *inf. ID.*

(i) V. & *l.* 13. *in f. infr. ID.*

(k) Acute Gothofredus *in Chronol.* colligit, ad *Gallicanum & Symmachum*, i. e. an. 330, forte hanc legem referendam eſſe, cum hoc anno *Licinius* adhuc Bithynia potitus ſit. *RITTER.*

COMMENTARIVS.

DIGNITATIBVS quatuor, quæ *hac l.* exprimuntur (puta *Perfectiſſimatus, Ducenæ, Centenæ, Egregiatus*) Decurio; Decuriæue debitus, a Curia vel Curiali nexu quando liberetur vel non, definit Conſtantinus M. *hac l.* Quæ pars eſt prolixioris Conſtantiniani Edicti ad Bithynos emiſſi: cuius tres præterea partes *hoc Codice* continentur, *huic* proinde *legi* coaſſandæ veniunt: puta *lex 1. ſupr. de Cæſarianis: lex 1. ſupr. de murilegulis & monetar. lex 3. ſupr. de cohortalibus*: quo Edicto Conſtantinus M. ad Bithynos emiſſo, id egit, vt definiret, quando quis quatuor illis Dignitatibus a conditione aliqua, cui nexus eſt, liberari poſſit.

Enimuero definit Primo, *Monetarios* nunquam per eas dignitates a conditione ſua liberari poſſe, *d. l. 1. ſupr. de Murilegul. & monetar.* Secundo, *Cæſarianos*, poſt officium demum inculpate completum, *d. l. 1. de Cæſarianis.* Tertio, *Primipilares*, poſt emeritam pariter militiam, *d. l. 3. de cohortalib.* Quarto tandem & *Decuriones hac l.* nonniſi tribus ex cauſis: puta I. Si Decuriones in *Palatio* militarint: de quo ad alias *Leges*: Concordat inter cætera eiusdem Conſtantini *lex 1 ſupr. de honor. codic.* II. Si *Prouinciæ* his commiſſæ ſint, iique merito ampliſſimarum adminiſtrationum honorem Perfectiſſimatus vel Egregiatus adepti ſunt. Nempe, prouinciæ adminiſtratione Curialem Curialibus muneribus liberari vult *hac l* Conſtantinus M. pariter vt idem Conſtantinus *d. l. 1. de honor. Codic.* Conſtantius *l. 36. 41. infr.* (Contrarium vero ſtatuit Theodoſius M. *l. 106* (vbi de hoc dicam adhuc) & *l. 122. 134. infr.* Arcadius, *l. 159. 160.* Theodoſius Iun, *l. 187. infr.*) Id quod de Perfectiſſimatus nominatim dignitate, rurſum conſtituitur ab eodem Conſtantino M. *l. 15. infr.* & tribus aliis Conſtantii, nempe *l. 26. 42. 44. infr.* de quo dicam ad *d. l. 26.* De aliis etiam dignitatibus idem ſtatuitur compluribus aliis *legibus*. Tertius caſus, quo Decuriones Curia liberari poſſunt, atque dignitates his impetratæ prodeſſe valent, eſt: ſi Decuriones vel Principales cunctæ ſuæ patriæ munera impleuerint. Emeritis ſcilicet hæ dignitates prodeſſe poſſunt. Aliud ſi ſuffragio has dignitates Decurio meruerit: aduerſus quas dignitates ſuffragio quæſitas plures aliæ *hoc titulo* occurrunt conſtitutiones; & *tit. de honor. codicill.*

In tantum vero hæ dignitates, ac nominatim Perfectiſſimatus, ſuffragio impetratæ Decurionem a nexu Curiali non defendunt, vt non tantum circa eos qui Curiæ iam addicti ſunt, id obtineat; verum etiam circa nondum Curiales, ſed tamen qui ad Curiam vocari poſſunt: ſiue Originis gratia, ſiue incolatus (de quo v. & *l. 12. 46 52. 137. 141.*) aut ex poſſidendi conditione: His enim tribus de cauſis, (quod primo loco in *hac l.* obiter obſeruandum) quis ad Curiam vocari poteſt: de quo v. *Paratitlon.*

Secundo notandæ ſunt quatuor illæ dignitates ſub Conſtantino M. vſurpatæ, quarum *h. l.* vt & tribus illis, quas illi coaſſandas oſtendi, mentio fit. Perfectiſſimatus (de qua *ſuo titulo ſupr.* puta *vlt. libri 6.*) Ducenæ, Centenæ, de quibus ad *l. 3. ſupr. de cobortalib.* Egregiatus, de qua ad *l. 1. ſupr. de honor. codicil.*

Tertio obſeruandum, hanc conſtitutionem datam ad Bithynos, ſeu ad Bithyniam pertinere, quo etiam pertinet *lex 119. inf.* ſic etiam vt fine *l.* indicetur Bithyniæ, eiusque ciuitatibus & Curiis *ſuas quasdam fuiſſe leges municipales*, & quidem in decernendis prærogatiuis iis Decurionibus, qui omnibus patriæ muneribus perfuncti eſſent: ſic ſane etiam Plinius, iam olim, ſub Traiano Imp. Bithyniæ huius Proconſul, non vna epiſtola *libr 10.* apertiſſime teſtatur, ſuas *leges* quasdam iis fuiſſe, & quidem ex lege *Pompeia:* & quidem Quatuor has. *Primo*, vt adſcribere ſibi quos vellent ciues, id eſt in Curiam allegere Decuriones βουλευτὰς his liceret, dummodo non alienæ ciuitatis: quod ſane etiam optime reſpondet extremis *huius l.* verbis: vbi definitur tribus illis

lis ex cauſis, quas dixi, vocari quem ad Curiam poſſe. *Secundo*, retro vt certis ex cauſis Decuriones Curia a Cenſoribus eiicerentur. *Tertio*, ne quis Magiſtratum caperet, neue in Senatu eſſet ſeu in Curia minor annis 30. *Quarto*, vt in exigendis pecuniis quæ Bithynis debentur protopraxiam haberent. Quare iam & hæc *lex* notetur, velut *titulo ad municipalem* ſocianda. De lege municipali, quæ alibi alia atque alia fuit: v. quæ Cuiacius IX. *Obſ.* 37. Fornerius I. *Selection* 12. *pag.* 20.21.22. *Tom. II. Theſaur. Iur.* obſeruarunt.

Quarto obſeruanda *h. l.* prærogatiua, quæ Curiali omnibus in notitia muneribus functo, decernebatur, nempe Præſidatus ſeu prouinciæ adminiſtrationis: de quo etiam dictum *ad l.* 4 *ſupr.* dicetur & ad *l.* 60. *infr.*

Poſtremo obſeruetur Perfectiſſimatus dignitas, qua Præſides hoc Conſtantini æuo decorabantur; quod etiam præter *hanc leg.* docuit quoque inſcriptio *ſupr. leg* 4. *de pœnis.* plura v. in *Paratitlo de Perfectiſſ. dignit.* Iuuat & ad hanc leg. illuſtrandam, ſimul & plures alias, Caſſiodori locum hic ſemel apponere II. *Var.* 18. *Priſcarum* LEGVM *reuerenda dictat antiquitas, (auctoritas) vt naſcendo Curialis, nullo modo poſſit ab originis ſuæ muniis diſcrepare, nec in aliud Reipubl. officium trahi, qui tali praeuentus fuerit ſorte naſcendi. Quod ſi eos vel ad honores tranſire* IVRA *vetuerunt, quam videtur eſſe contrarium, Curialem Reipubl. amiſſa turpiter libertate ſeruire?* p. 350.

Illud etiam *hac l.* notandum, in tantum dignitates Curialibus non prodeſſe ad Curiam euitandam, vt etiam *Codicillis* priuari iubeantur; ſeu auferri illi iubeantur, & dignitates nequicquam prodeſſe, pariter vt *leg.* 24.25. 26.27 44. *infr. h. tit.* cum tamen ſaluis codicillis ſeu dignitate Curiæ mancipari eos aliæ leges voluerint: *l.* 41 42.69. *infr.*

De CONNVBIO *Decurionum cum fœminis ſeruilibus probibito.*

VI. (a) Idem A. Patroclo.... (b)

NVLLA (c) præditos dignitate ad ſordida deſcendere connubia ſeruularum, etſi videtur indignum (d), minime tamen Legibus † prohibetur: Sed (e) neque connubium cum perſonis poteſt eſſe ſeruilibus, & ex huiusmodi contubernio ſerui naſcuntur. Præcipimus (f) itaque, ne Decuriones in gremia potentiſſimarum domorum libidine (g) ducente confugiant. Si enim Decurio clam Actoribus atque (h) Procuratoribus neſcientibus alienæ fuerit ſeruæ coniunctus, & mulierem in metallum trudi (i) ſententia (k) Iudicis iubemus, & ipſum Decurionem in inſulam deportari, bonis (l) eius mobilibus & vrbanis mancipiis confiſcandis. Prædiis vero & ruſticis mancipiis ciuitati, cuius Curialis fuerat, mancipandis, ſi patria poteſtate fuerit liberatus, nulloſque habeat liberos, vel parentes, vel etiam propinquos, qui ſecundum Legum ordinem ad eius ſucceſſionem vocantur. Quod ſi Actores, vel Procuratores loci in quo flagitium admiſſum eſt, fuerunt (m) conſcii, vel compertum facinus prodere (n) noluerunt, metallo eos conuenit inplicari. Si vero Dominus (o) hoc fieri permiſit, vel poſtea cognitum celauit, ſi quidem in agro id factum eſt, fundus cum mancipiis & pecoribus ceteriſque rebus, quæ cultui ruſtico ſuſtinentur (p), fiſci viribus (q) vindicetur: Si vero in ciuitate id factum eſt, dimidiam bonorum omnium partem præcipimus confiſcari: pœnam augentes, *quoniam intra domeſticos parietes ſcelus admiſſum eſt*, quod noluit mox cognitum publicare. Igitur (r) ſi Legis latæ die repperietur quiſquam patrimonium ſuum alienaſſe, atque in dominum ſeruulæ contuliſſe, Ordini liceat diligenter inquirere, vt ita Reipublicæ ciuitatis quod de facultatibus ſupradicti fuerit deminutum, in pecunia ſarciatur. Dat. Kal. Iul. Aquil. (s) Conſtantino A. V. & Licinio Cæſ. Coss. [319.]

NOTAE.

(a) *L.* 3. *Cod. Iuſt. de inceſtis nuptiis.* GOTHOFR.

(b) *Patroclus* ſub Conſtantino M. de cuius dignitate mox viderimus. *ID.*

(c) Reciſum hoc *legis* illius principium a *Cod. Iuſt.* vsque ad *ſed neque*: quod & ipſum immutatum. *ID.*

(d) Conuerſo more melius, *etſi minime legibus prohibetur, tamen videtur indignum.* Quanquam & hoc defendi poteſt. *ID.*

† Iulia & Papia. *ID.*

(e) *Cum ancillis non poteſt eſſe connubium, nam ex &c.* ita *Cod. Iuſt. ID.*

(f) *Ideoque præcipimus*, Cod. Iuſt. *ID.*

(g) *Seruarum*, additum *Cod. Iuſt. ID.*

(h) *Et*, Cod. I. *ID.*

(i) *Detrudi*, Cod. I. *ID.*

(k) *Per ſententiam*, Cod. I. & anteriores Cod. Th. editiones omnes. *ID.*

(l) Omni.

(l) *Omnibus bonis eius ciuitati* &c. ita *Cod. Iuſt.* de quo mox, *ID.*
(m) *Fuerint*, Cod. I. & mox, *voluerint*. *ID.*
(n) *Promere*, Cod, Iuſt. *ID.*
(o) *Loci* additum, *Cod. Iuſt. ID.*
(p) Et quibus cultus ruſticus ſuſtinetur. *Suſtinentur* hic forte pro deſtinatur. *ID.*
(q) *Inrib.* male. *C. Iuſt. ID.*
(r) Reliqua reſecta a *C. Iuſt. ID.*
(s) Ibidem data, ſuperiore menſe *lex 9. ſup. de appellat.* *Lex 1.* etiam *de matern. bon. ſupr.* hoc ipſo anno *Aquileia* data dicitur, cuius tamen ſubſcriptio falſa videtur. *ID.*

COMMENTARIVS.

CONNVBIO cum ancillis alienis tanquem flagitio & facinore (quæ cauſa eſt cur hæc *lex* poſita ſit *C. Iuſt.* ſub *tit. de inceſtis nupt.*) decurionibus interdicit *hac l.* Conſtantinus M. pariter vt Maiorianus *Nouella 1. de Curialib.* Dupliei ratione: Etſi nimirum Decuriones nulla præditi ſint dignitate (non eſt ſcilicet proprie dignitas Decurionatus, id quod tamen aliis *legibus* nonnullis ſtatuitur:) item etſi hoc connubium minime legibus (Iulia & Papia) prohibeatur, nullæque *leges* ſint quibus huiusmodi connubio nuncupatis & diſertis verbis interdictum ſit, atque adeo licere videatur: attamen ſordida ſunt hæc connubia, & indignum eſt ad huiusmodi connubia Curiales deſcendere: ac ſi diceret (quod vulgeto dicto circumſertur) *non omne quod licet, honeſtum eſt*: ſemperque in coniunctionibus, non tam quid liceat, quam quid honeſtum ſit obſeruandum eſt. Et hæc quidem honeſtatis ratio hic a Conſtantino M. vrgetur, quæ tamen e Triboniano
p. 31. omiſſa fuit, proculdubio quia inuerſa hic oratio eſt. Secunda ratio (quam ſolam retinuit Τρίβων.) eſt ciuilis ratio: nempe quod cum perſonis ſeruilibus connubium eſſe non poſſit, & ex huiusmodi *contubernio* (proprio vocabulo, vt vel iuris elementa docent) ſerui naſcantur. Pari ratione, qua & Senatoribus quarundam mulierum connubio *Lege Iulia & Papia* interdictum fuit. Quæ quidem ſumma ratio (quæ & ipſa initio *huius l.* indicatur) prohibitionis huius eſt: nempe quia huiusmodi connubium fit in fraudem Reipub. nam cum Decurionum filii Curiæ quoque teneantur, ſane ex huiusmodi contubernio nati, pares Curiæ ſeu munerib. publicis eſſe non poſſunt, vtpote, qui ſerui naſcuntur.

Igitur connubio huiusmodi decurionibus interdicit Conſtantinus magnus cæteroquin honeſtatis cuſtos: Eo quod paſſim *libidine ducente Decuriones in gremia potentiſſimarum Domorum confugerent*, id eſt ancillas potentium connubio ſibi iungerent: quaſi ea re ſatis iam tuti futuri, potentium inquam patrocinio, quod paſſim iam hoc ſeculo aliis illicitis artibus obtendebatur. Quod & ipſum iudicat Maiorianus *d. Nouella 1.* *Illud quoque ſibi dedecoris addentes, vt dum vti volunt patrociniis potentum, Colonarum ſe ancillarumque coniunctione polluerint.* Quanquam fatendum eſt, quod & ipſum *d. Nou.* indicat, adeo Curiales hac tempeſtate attritos fuiſſe iniquitate Iudicum & Exactorum, vt eo confugere neceſſe haberent.

Pœnas porro grauiſſimas huiusmodi connubio contracto imponit Conſtantinus: ſub hac triplici diſtinctione.

1 Vel Actoribus & procuratoribus prædiorum neſcientibus, hæc connubia contracta ſunt: & hoc caſu ancillæ pœnam imponit metalli; decurioni, vero deportationis, & bonorum proſcriptionis, & hac quidem ratione, vt (quæ diuiſio notanda eſt) bona mobilia & vrbana ſerui huius Decurionis, fiſco adquirantur: prædia vero & ruſtica mancipia (quæ etiam alias cum fundis ambulant) ciuitati cuius Decurio fuit, mancipentur; ſi modo Decurio neque patriæ poteſtati ſuppoſitus ſit, neque liberos aut parentes aut propinquos ſeu legitimos ſucceſſores habeat; Nempe horum potior ratio eſt, quam fiſci aut ciuitatis: vsque adeo bona Decurionis quamlibet deportati relinquuntur.

2. Vel Actoribus aut procuratoribus prædiorum conſciis id factum eſt, & tum metalli pœnam illis indicit

3. Et Poſtremo, ſi Dominus loci ſeu fundi, hoc fieri permiſit vel etiam poſtea cognitum, celauit, & ſic ſilentio ſuo ratum habuit, pœna quoque imponitur.: ſcilicet hac diſtinctione: vel in agro id factum eſt, & tum hæc ei pœna imponitur, qua fundus cum mancipiis & pecoribus & cæteris rebus, quæ cultui ruſtico ſuſtinentur, id eſt, omni inſtructo & inſtrumento ruſtico, confiſcetur: vel in ciuitate id domino loci conſcio factum eſt, & tum dimidiæ partis bonorum confiſcationem imponit. Quæ altera differentia ſingularis notanda eſt: cuius etiam rationem reddit Conſtantinus; nempe ideo grauiorem pœnam eſe imponi, facinore hoc admiſſo in vrbe, quam in agro, *Quoniam intra domeſticos parietes ſcelus admiſſum eſt*, quod facilius e Domino prohiberi, ſcirique potuit. Nempe, quod alio vtiliter traduci poteſt, eo maiore quisque perfundetur inuidia, ſeu crimine, quo ſcelus intra parietes domeſticos in ciuitate admiſſum eſt: vbi diſciplina maior habenda, & prohibendi ſceleris occaſio opportunior eſt.

Fraudi tandem cuidem occultæ poſtrema *huius l.* parte occurrit Conſtantinus (quod & ipſum Tribonianus recidit.) Nempe, Decuriones huiusmodi potentum ancillas connubio ſibi iungentes in dominum ancillæ patrimonia ſua alienabant. Igitur iubet Conſtantinus tantundem in pecunia Ciuitati, cuius decurio eſt ſarciri.

FILII

FILII *Decurionum a qua ætate Curiis ſociari poſſunt.*

VII. (a) Idem A. ad Edictum. (b)

FILIOS Decurionum, qui decem & octo annorum ætate vegetantur (c), per prouinciam (d) Karthaginem muneribus ciuicis adgregari præcipimus: Neque enim (e) opperiendum (f) eſt, vt ſoluantur familia, & ſacris (g) explicentur (h): cum *Voluntates patrum præiudicare non debeant vtilitatibus Ciuitatum.* PP. Kal. Mart. Conſtantino A. VI. & Conſtantio Cæſ. Coss. [320.]

NOTAE.

(a) Abeſt & hæc *lex* a *Cod. Iuſt. GOTHOFR.*

(b) *Ad Edictum* pariter emiſſa alia duo Conſtantini reſcripta: puta *lex* 3. *ſup. de extraordin.* vbi plene dixi, & *l.* 1. *inf. de ſuſceptoribus. ID.*

(c) *Vegetandi* vox propria adoleſcentiæ. *ID.*

(d) *Prouincia Karthago:* quæ alias *Karthaginenſis*, ſeu *Proconſularis*, nempe de Metropolitana vrbe, quæ in orbe Africano quaſi Roma erat, ipſa prouincia Karthago dicta. Ita quoque Sextus Rufus in *Breuiario cap.* 4. *Per omnem Africam ſex prouinciæ factæ ſunt: ipſa vrbs* (vbi) *Karthago eſt proconſularis. ID.*

(e) Siue *etiam* De quo mox. *ID.*

(f) Expectandum. *ID.*

(g) *Sacra* patriæ poteſtatis: quænam illa? iam notum. *ID.*

(h) *Explicentur*, ſoluantur. *ID.*

COMMENTARIVS.

P. 350.

DE FILIIS Decurionum in Curiam allegendis, eſt hoc Conſtantini M. reſcriptum, ſeu conſtitutio; de quo ſunt complures *leges*, *hoc titulo* quas in *Paratitl.* repetere licet. Scilicet Decurionum filii & ipſi Curiali nexu tenebantur originis iure ſeu gratia, v. & *l. 6. ſupr.* ſuoque tempore in Curiam allegebantur, & quidem ex *hac* Conſtantini M. *lege* (quæ duo *hac l.* capita continentur) iam inde ab octano-decimo ætatis anno, & quamlibet in patris poteſtate poſiti. Primo *Ætas* ſcilicet certa quædam vt in Senatore legendo olim, ita & in Decurionibus (qui minores Senatores erant) ſpectabatur. Eſt quidem alibi, alioque tempore ſubinde alia: ſcilicet Pompeia *lege*, quæ Bithynis data erat (poſt bellum Mithridaticum) cautum fuerat, ne quis in Senatu ſeu *Curia* eſſet minor annorum 30. Et ſeruata *hæc lex*, & ætas adhuc ſub Traiano, (teſte Plinio *lib.* 10. *ep.* 83.) Mox tamen Iuriſconſultorum noſtrorum ætate, ætas 25. annorum ſtatuta, *l. 6. §. 1. l. 11. l. pen. §. 1. D. de Decurion. l. 8. D. de muner. b. & honor. l. 1. Cod. Iuſt. qui, & aduerſus quos in integr. reſt. l. 1. 2. Cod. eod. qui ætate vel profeſſ. ſe exc.* Quas *leges* Iuſtinianus prætulit; *hac* protrita & omiſſa. Certe hoc ipſum & in Veteranorum filiis, ſi non militarent, in Curiam allegendis Conſtantius M. primum ſtatuit, *l. 2. ſup. de fil. mil. app.* ſic tamen etiam vt extra ordinem & ex cauſa minores 25 annis quandoque allegerentur, *d. l. 6. §. 1. d. l. 11. & d. l. pen. § 1. D. de decurion.* Conſtantius tandem *hac l.* plenam pubertatem, ἀκροτάτην ἥβην, octauum decimum, inquam, annum ſufficere putauit (quod deinceps etiam probauit Valentinianus Sen. *l. 58.*) Et rationem tacite indicat, *qui decem*, inquit, *& octo annorum ætate* VEGETANTVR. Nempe vegetam hanc iam ſatis & firmatam ætatem eſſe: Qua cauſa tot illa quæ paſſim iam obſeruantur, huic ætati olim tributa: Quanquam & veteranorum filios, idem Conſtantinus poſtea inchoato 18. anno allegi in Curiam voluit, *l. 19. h. t. infr.* Tandem & poſt ſedecim annos *l. 4. ſupr. de fil. milit. appar.* quod etiam Conſtantius ſecutus eſt. Sane (quod ad *l. 19 infr.* facit magis) Seruius quoque Tullius teſte Tuberone apud Gellium *libr. 10. c. 28.* cum quinque claſſes iuniorum, cenſus faciendi gratia inſtitueret, ab anno 17. quos idoneos iam Reipubl. arbitrabatur, milites ſcripſit.

Illud diligenter obſeruandum per Prouinciam Karthaginem nominatim *hac l.* ætatem hanc a Conſtantino ſtatutam: nempe forte etiam quod Afri a natura calidiores, ſolertes, & ſagaces ingenioſique forent, & maturius *vegetarentur*, etiam in prauum: de quo vide præter alia teſtimonia, huius æui Scriptorem Orbisque deſcriptorem ſub Conſtantio & Conſtante, quem ipſe edidi *cap. 53.* ſiu. *pag. 269. edit. Gronou.* & Firmicum *Aſtronomic. lib. 1. c. vlt.* ſic vt ab ea ætate eos ad Rempubl. admitti periculo vacuum eſſet. Sane ſub Valente Imp. inſignis extat hac de re ipſa locus apud Baſilium Cæſareæ in Cappadocia Epiſcopum *Ep. 389.* ſiu. *84. edit. Benedictin.* ἡγεμόνι, non vt perperam alioquin fuerat verſum, *Duci*, verum ad Rectorem prouinciæ quidem: vbi excuſato a Curia patre, propter ſenectutem (de quo ad *l. 118. infr.*) *filium eius vix quadriennem*, ὅπω τέταρτον ἔτος ἀπὸ γενέσεως ἄγοντα, *in Curiam adſcribi*, ab eo Rectore, *iuſſum*, κελεύσας τοῦ βουλευτηρίου μετέχειν *aduerſus leges*, *liberari poſtulat*; δὸς ἣν χάριν καὶ τοῖς νόμοις ἀκόλουθον: *eique parci poſtulat, donec in virum euaſerit:* τοῦ μὲν προσάξαι μέχρι τῆς τῶν ἀνδρῶν ἡλικίας συγχωρηθῆναι. Et rationem addit, quod inutiliter Curiæ adſcriberetur, qui neque reuera Curialium numero haberi, neque munus Curialium obire poſſet, puta tributa exigere, & annonas militibus præbere (quæ duo ſane inter alia Curialium munera fuerunt, de quo ad *l. 8. prox. inf.* & *l. 11. ſup. de erogat. mil. ann.*) οὐ γὰρ δή πω τὸ παιδίον εἰς βουλευτὰς συντελέσει, ἢ ἐκλέξει τὰς εἰσφο-

διαφορὰς, ἢ στρατιώταις χορηγήσει τὸ σιτηρέσιον: non enim pueruluſ in curialium album adſcribetur, aut tributa colliget, aut militibus annonam ſuppeditabit. Sic ſane & olim iam infantes decurionibus adſcripti, ſic tamen, vt interea onera municipalia eis mandari non poſſent, *l. 21 § 6 D. ad municipal. l. 1. Cod Iuſt. de munerib. & honor.* Et hæc de ætate.

Secundo, Conſtantinus Filios Decurionum, quamlibet in patria poteſtate conſtitutos & patre inuito allegi vult. Quod etiam iam olim obtinuit (ſic tamen vt hoc caſu pater ex filii actu non teneretur, *l. 2. 21. § 2. D. ad municip. l. 5. Cod. Iuſt. de Decurion.*) Et rationem elegantem Conſtantinus addit, quæ alio recte traduci poteſt, *voluntates patrum præiudicare non debere vtilitatibus ciuitatum.* Cui concinit germana illa Hermogeniani ratio, *l. 14. D. ad Sc. Trebell. Nam quod ad ius publicum attinet, non ſequimur ius poteſtatis*: addatur & *lex 9. D. de his qui ſui.*

Et hæc quidem eſt *huius l.* ſententia: vbi tamen nexus ſeu vinculum duarum *huius l.* ſententiarum ſpectandum venit: *neque* ENIM *opperiendum eſt* &c. vbi ſi vox enim recte habet, tum colligi ex *hac l.* poſſe videatur, filios familias in prouincia Karthagine ferme a patribus ſolutos & patria poteſtate liberatos, vbi ad maiorem ætatem perueniſſent.

De NOMINATIONVM *tempore ad munus publicum, & de* APPELLATIONE *quæ nominatis competit.*

VIII. (a) Idem A. ad Florentium.....(b)

DECVRIONES ad Magiſtratum, vel Exactionem annonarum (c) ante tres menſes, vel amplius, nominari debent: vt ſi Querimonia (d) eorum iuſta videatur, ſine impedimento in abſoluendi locum alius ſubrogetur. Dat. Id. April. Conſtantinop. (e) Seuero & Rufino COSS. [323]

P. 353. NOTAE.

(a) *Lex 1. Cod. Iuſt. de Magiſtr. munic.* Iungenda huic *lex 12. ſup. de appellat.* GOTHOFR.

(b) An Rationalem: vt anno 320. *l. 1. ſup. de cuſtod. reor.* quod ſuadet exactionis annonarum mentio *hac l.* & *d. l. 12.* Florentinus porro vocatur is *d. l. 12.* & *dict. l. 1. Cod. I.* Florentinus PP. *ID.*

(c) Annonariam, *d. l. 12.* *ID.*

(d) *Querimonia* propriè, non appellatio: *d. l. 12.* vbi de eo expreſſe. *ID.*

(e) Ridicula vox hæc, & *hic*, & *d. l. 12.* vt & *l. 3. ſup. de veteranis* aliisque *locis*. Neque dum enim Conſtantinopolis erat. Nam quod hanc leg. nonnulli Licinio tribuunt, & ſubſtitutum hic Conſtantinopoleos nomen loco Byzantii ab *huius Codicis* Conditoribus aiunt, erroneum eſt. *ID.*

COMMENTARIVS.

DE NOMINATIONE Decurionis ad Duumuiratum, intra quod TEMPVS ſeu ſpatium facienda ſit, eſt hæc Conſtantini M. conſtitutio, ſed tamen in effectu, de APPELLATIONE, quæ nominatis ad munus aliquod competebat; ſic vt in hoc Appellationis argumento hæc vna e quatuor Conſtantinianeis conſtitutionibus ſit. Prima enim fuit *l. 2. ſupr.* Secunda eſt *lex 10. ſupr. de appellat.* Tertia, *lex 12. d. t. de appellat.* (quæ cum *hac* coniungenda eſt;) Et hæc nominatim eſt de Decurione nominato ad *Magiſtratum*, (pariter vt *lex 16. inf.* eiuſdem Conſtantini) id eſt, *Duumuiratum*, & Exactionem Annonarum, pariter vt *dict. l. 12. ſupra de appellat.*

Igitur iubet Conſtantinus, vt Decurio ad duo illa munia (ad Duumuiratum, inquam, & exactionem annonarum) nominetur tribus ante menſibus vel amplius, antequam ſcilicet munera illa obeunda ſint, vt ita ſi nominatus iure appellauerit in eius locum ſine impedimento alius ſubrogetur. Quod iuſti ſpatii ſeu temporis præſcriptionis genus notandum eſt: vt ita muneribus publicis ſuo tempore conſultum eſſe poſſit, ſuasque retro Nominati excuſationes proponere queant. De ſpatio ſane quod ad appellandum in hac re datur, dictum eſt ad *d. l. 2. ſupra.*

Ex *hac* interim quoque *lege*, & *d. l. 12.* (huic coniungende) apparet, ex Decurionibus, tributorum ſeu annonarum Exactores ſumptos: quod etiam oſtendunt *lex 14. infr.* & *l. 117.* & *185. infr.* & *lex 3. ſupr. de honor. codicillis*: *lex 12. 16. ſupr. de exactionib. lex vn. de priuil. dom. Auguſtæ.* Nouella Maioriani *de curialib. 1. verſ. compulſor.* Quin & Libanius *Orat. περὶ προστασιῶν, num. 3. pag. 8. edit. Gothofr.* & *pag. 366. inter Opuſcul. Gothofred. Cl. Trotz.* ad quem locum iam ſcripſi. Tandem & Baſilius *Epiſt. 389.* ſiu. *84. edit. Benedictin.* cuius verba retuli iam ad *leg. 7. prox. ſupra*, & *Ep. 421.* ſiu. *311. edit. Benedictin.* ad *πρωτεύοντα*, id eſt, ad *Principalem.*

PROFI-

PROFICISCI *ad Principem Curialis quocumque nomine ſine Rectoris commeatu non poteſt.*

IX. (a) Idem A. ad Hilarianum (b) Proc. Afric.

SI quis decurio, vel propriæ rei cauſa, vel Reipublicæ, cogatur noſtrum adire Comitatum (c), is non ante diſcedat, quam, inſinuató Iudici (d) deſiderio, proficiſcendi licentiam conſequatur. Quod ſi, pro ſua audacia, parui aliquis hanc fecerit iuſſionem, deportationis (e) exitum (f) ſortiatur. PP. VII. Id. Iul. Karthag. Criſpo III. & Conſtantino III. Coss. [324.]

NOTAE.

(a) *Lex* 16. *Cod. Iuſt. eod. tit.* GOTHOFR.

(b) *Hilarianus* Proconſul Africæ ſub Conſtantino M. Proculdubio hic idem ille eſt, qui ante octennium A. 316. Corrector Lucaniæ & Brittiorum fuit: cuique inſcribitur *lex* 3. *ſup.* vid. *Proſopogr.* ID.

(c) *Comitatus* eſt, vbi rerum domini ſunt, vt Interpres recte *ad l.* 10. *h. t.* notat; de quo plura in *Gloſſar. Theod.* ID.

(d) *Iudici*, id eſt rectori prouinciæ. v. *Gloſſ.* Gloſſa, *Iudicem terræ ſuæ* dixit, & diuinauit. ID

(e) *Indignationem Competentem*: ita *Cod. Iuſt.* Arbitrariam ſcil. pœnam Tribonianus impoſitam voluit. ID.

(f) Et *exitium*, vel *exilium*. Sane & *exilium deportationis* dicitur: *l.* 1. *ad l. Iul. de ambitu.* ID.

COMMENTARIVS.

PROFICISCI Decurio ad *Comitatum*, ſeu ad Aulam Principis, abſque commeatu, ſeu licentia Iudicis, id eſt Rectoris Prouinciæ prohibetur *hac l.* a Conſtantino M. idque ſub deportationis pœna. Ac nominatim in ſp. *huius l.* Decurio Karthaginienſis, ſine licentia Proconſulis Africæ. Cuius rei *Ratio* non ea magis eſt, ne promiſcuis peregrinationibus Curiæ deſularentur, quam ne hoc obtentu Principi Decuriones paſſim obſtreperent. Id quod ad curam ſuam Conſtantinus ſummopere reuocauit, non tantum facinus hoc *Audaciæ* nomine perſtringendo, verum etiam ſeuera deportationis pœna impoſita perſequendo. Alia vero iam in genere ratio eſt *legis 9. Cod. Iuſt. de offic. Rect. prouinc.* nam & ibi Principis iuſſus requiritur, & prouinciæ tutius ratio
P.354. vertitur. Vt & alia ratio & generalior Epiſcoporum & Beneficiariorum omniumque qui abſentare ſe non poſſunt ſine licentia. Alia item ratio litigatorum, quibus poſt appellationem non niſi poſt certum tempus ad Comitatum proficiſci licet: Et interim tamen hæ tres diuerſæ ſpecies notandæ ſunt, & inter ſe accurate diſtinguendæ: hic enim ad Comitatum Principis proficiſci ſignate vetantur decuriones.

Diſſimile etiam eſt quod olim Senatoribus interdictum Imperatorum ſcitis, vt ne inexquiſita Principis iuſſione peregrinarentur: de quo Suetonii locus eſt *Iulio, c. 42. Caligula, c. 29. Claudio, c. 23.* Taciti *lib. 12. Annal. cap. 23.* Dionis *lib. 52. extremo.* Suidæ in *V.* Κλαύδιος: & *l. 22. §. 6. D. ad Municipal.* Id enim ceu arcanum Imperii primum adinuentum, firmando Imperio, ne quis videlicet Senatorum hac occaſione conciliare ſibi milites aut prouinciales poſſet. Non eadem igitur de cauſa, qua Decurionibus id *hac l.* interdictum, *ne Roma terrarum opimatiſſima ſubtractis incolis rareſceret*, vt ait Caſſiodor. III. *Var. 21.*

Et hæc quidem prohibitio, (quæ *Ampliatio* notanda eſt) non tantum pertinet ad Decuriones profecturos ad Comitatum ſuæ rei cauſa, verum etiam ad *Legatos* Reipubl. cauſa; veluti ſi quis Decurio Ciuitatis Carthaginenſis decreto in Ambaſciatam, vt loquuntur, ad Principem mittatur: de quo peregrinationis onere & Legationis genere quod Decurionibus incumbebat, *ſuo tit. infr. de Legatis.* & *l. 189. inf. h. tit.*

Neque tamen hæc *lex* eſt de omni Decurionum peregrinatione, verum (quæ *Limitatio* notanda videtur) de ea quæ fit ad Comitatum ſeu ad Principem. Voluit ſcilicet Conſtantinus a *Proconſule Africæ* peti hanc licentiam: ne eo inſcio quiſquam Decurionum ad Principem proficiſceretur, qui ſuperflua peregrinatione ei obſtreperet. De quo plene *tit. de legatis inf.*

Notandus igitur, honos hic qui Proconſuli Africæ delatus, vt ab eo videlicet licentia poſtularetur, etiam ſi Reipubl. cauſa quis ad Principem mitteretur. Qui idem honos eſt, qui Præfectis Prætorio alibi tributus ab eodem Conſtantino M. vt docet *lex 4. infr. de legatis.* An vero ipſa deſideria ſeu decreta, ad eius cognitionem & examen perferenda ſint, dicetur de eo *ad d. leg. 4.*

Ex *hac* interim quoque *lege* diſcimus Legatos a ciuitatibus ad Principem, e Decurionibus ſumptos, ἄνδρας τῶν τῇδε πολιτευομένων, vt Libanius teſtatur etiam, *ep. 797. ad Photium.* v. & Amm. Marcellinum *lib. 28. c. 6.* Idemque colligere licet ex *l. 189. infr. hoc tit.* Sic vt onus id curialium eſſet, idque obire cogerentur vt hæc *lex* docet, & *dict. lex* 189. Itaque *peregrinationis onus* id, incumbere dicitur *eadem leg.* & pro ſingulari beneficio quidam excepti *eadem l.*

Ex hac iam l. colligunt interpretes, cogi quem poſſe ſuſcipere Legationem ſeu Ambaſciatam: Quod *hac* ſane *l.* recte de Legationibus prouincialium ad Principem, deque Curialibus definitur, quia Curialium Corpus huic oneri obnoxium erat.

MILITIA *Curialem Curia non liberat.*

X. (a) Idem A. ad Maximum..... (b)

QVONIAM diuerſis præſtitimus, vt Legionibus, vel Cohortibus deputentur, vel Militiæ reſtituantur (c), quisquis huiusmodi beneficium (d) proferat, requiratur, vtrum ex genere Decurionum ſit, vel ante nominatus (e) ad Curiam, vt ſi quid tale probetur, Curiæ ſuæ & ciuitati reddatur. Quam formam circa omnes, qui iam dudum probati in Militaribus officiis agunt, vel reſtitui militiæ ſacramento muniantur (f) vel poſtea per ſuffragia probabuntur (g), obſeruari conueniet. PP. V. Id. Iul. Antiochiæ (h) Paulino & Iuliano Coss. [325.]

NOTAE.

(a) Abeſt & hæc *lex* a *Cod. Inſt.* ceu horum temporum propria: Iungendaque *huic* videtur *lex* 4. *ſup. de Veteranis.* GOTHOFR.

(b) *Maximus* hic erat Vicarius Orientis; vt docet *lex* 12. *inf.* & *lex* 1. *Cod. Inſt. in quibus cauſis coloni cap. conſ.* & ſubſcriptio *huius l.* & *d. l.* 4. *PP. Antiochia.* ID.

(c) Ita fine legis, *reſtituti militiæ.* ID.

(d) Reſcriptum Principis ſeu indulgentiam. ID.

(e) V. & *l.* 13. *inf.* ID.

(f) Suſtineri poſſit, ſed tamen melius *muniuntur.* ID.

(g) Vt ſupra, *probati in militaribus officiis agunt.* De hac voce v. *leg.* 1. *ſupr. de Tyron. leg.* 2. & 5. *ſupr. de fil. mil. appar.* ID.

(h) *Antiochia* vertex Orientis. ID.

P. 119. ## MILITIA, *Curialis Curia non liberatur, niſi* PRIMIPILO *iam obnoxius ſit.*

XI. (a) Idem A. ad Conſtantium PF. P. (b)

QVONIAM relictis Curiis nonnulli ad Militiæ præſidia confugiunt, omnes, qui nondum primipilo (c) inueniuntur obnoxii, ſolutos militia ad eandem Curiam reuerti præcipimus: his ſolis in militia permanſuris, qui pro loco (d), adque ordine iam pars tui (e) adtinentur. Dat. Non. Octob. Paulino & Iuliano Coss. [325.]

NOTAE.

(a) Abeſt hæc *lex* e *Codice Inſt.* GOTHOFR.

(b) *Conſtantius PP.* ſub Conſtantino M. Eidem inſcribitur Anno ſuperiore 324. *lex* 2. *infr. de infirmand. his quæ ſub Tyr.* vbi remouentur *Licinii* conſtitutiones & leges, & anno 327. *lex* 2. *ſup. de famil. hercisc.* Imo & Anno 315. *lex* 1. *ſup. de cohort* & *lex* 1. *ſup. de curſ. publ* vbi dicitur *Accepta Caralis.* Inſcribitur eidem & *lex* 1. *Cod Inſt. de agricolis & mancipiis:* quæ & ipſa eſt de Curiis, & forte *huic* iungenda. Neque dubito, quin hic Conſtantius Conſtantini M. ex patre frater, Galli & Iuliani pater ſit: quique poſtea a Conſtantio Imp. (cuius patruus erat) occiſus fuit. ID.

(c) *Primipilo*, id eſt *paſtui* (vt mox vocatur) *militari:* de quo Primipilo, *ſup. leg.* 6. *de cohortalib.* Theodori Hermopolitæ locus inter alios notetur *lib.* 9. *tit.* 19. [illegible] *Primipilum eſt annona, quæ datur primipili centurionibus, vt inter milites diſtribuatur.* ID. Locum adduxit ex Schedis Theodori ineditis iam olim CVIACIVS *ad leg.* 3. *Cod. Inſt. de cohortalib.* & poſt hunc CL. DV FRESNE *Gloſſ. græc. voc.* [illegible]. Quem conſule. RITTER.

(d) *Loci* vox propria. v. *Gloſſ Theod.* GOTHOFR.

(e) *γρ. Paſtui.* Nimis enim remotum, quod Ranconnetus tentauerat, & ad ſuperiorum *Cod. Theod.* editionum oras adnotatum, *Primipilatui.* *Paſtus* vox hac in re propria, *h. l.* & *l* 18 *ſup de extraordinariis.* Hinc & coniunctim, *paſtus primipili, l* 8. 10. 11. 16. *ſup de cohortalib.* paſtio primipili, *l.* 6. *ſup. de diuerſ. offic.* ipſique Primipilares ad paſcendos milites ſolemniter ad limitem deſtinari dicantur, *l.* 6. *ſup. de Cohortalib.* De quo *lib.* 7. *tit. de erogat. mil. ann.* ID.

COMMENTARIVS.

MILITIÆ armatæ, vel etiam Officialis obtentu, ne Curiæ deſolarentur ſeu vacuarentur, tribus conſtitutionibus *hoc titulo* Conſtantinus M. cauendum ſibi putauit: puta *his duabus legibus*, & *tertia* inſuper *l.* 13. *inf. h. t.* & quidem intra vnius anni metas, qui incidit in annum Domini 325. & 326. Rurſum intra Orientem ferme: nam & Maximus, cui prior hæc *lex* inſcribitur, Vicarius Orientis fuit; quod docet *lex* 12. *ſequens.* Imo & huius *legis deciſma* ſubſcriptio, *PP. Antiochiæ;* pariter vt *legis* 4. *ſupr.*

ſupr. de Veteranis, quæ etiam *huic decima l.* coniungenda videri poſſit: quæque inſuper argumento non diſconuenit: nam & ea pariter Conſtantinus M. cauet, ne rei tributoriæ, militiæ obtentu nimia fraus fieret. Superioribus ſcilicet annis, *Licinio* adhuc in Oriente rerum potiente, vel vltro Curialium nonnulli ad Militiam confugerant, ſiue pro Conſtantini, ſiue pro Licinii partibus: vel etiam ipſe Conſtantinus (quod profitetur ipſe *l. 10 ſupr.* & *l. 13. infr.*) diuerſis ſupplicantibus pro *beneficio* præſtiterat, vt legionibus, ſeu militiæ Legionariæ, vel Cohortibus, id eſt, militiæ cohortali (niſi malimus hoc accipere de cohortibus militaribus, arg. *l. 13. infr.*) deputarentur, militiæ reſtituerentur. At nunc Conſtantinus, Licinio haud ita pridem, & recenter deuicto, totiusque Orbis iam Dominus, atque ad pacis ſtudia conuerſus, militumque haud adeo egens, Ciuitatum commodis conſulturus, omnes ad Curiam reuocari iubet: Neque eos tantum qui Curiali genere eſſent, verum etiam eos, qui iam ad Curiam nominati ad militiam confugerant: & ſic, quod pariter *ait l. 13.* vel originem defugerant, vel ſpreta nominatione militiæ ſeſe inſeruerant (hæc ſcilicet duo decurionum genera fuerunt) alii inquam originales erant, ſeu origine Curiales, alii nominatione qui ad Curiam nominati lato inter Patres iudicio, quia ſcilicet, vt eadem *lex* ait, ſubſtantiam muneribus aptam poſſidebant, de quo & *l. 5. ſupr.* & plene *Paratitlon.* Et hæc quidem ita abſolute Conſtantinus *l. 10.* & *d. l. 13. inf.* Atenim poſtea duæ ab eo exceptiones additæ, quarum prior continetur *l. 11.* puta eos ad Curiam non reuocandos, qui primipilo inueniuntur obnoxii, ſeu qui pro loco & ordine iam paſtui (militari ſcilicet) attinentur, de quo *tit. de erogat. mil. annon.* Altera, quæ continetur *l. 13.* & in præteritum, nempe eos e militia non reuocandos, qui viginti iam ſtipendia meruiſſent: & ſic ante Imperii ſui exortum (qui incidit in extrema Anni Domini 306.) ad militiam confugerant. Sane aliorum poſtea Imperatorum Conſtitutionibus eſt vbi nullius omnino temporis militia, vt Conſtantii *l. 45. infr. h. t.* eſt vbi breuior militia a Curiali conditione liberare cœpit, veluti quindecim annorum, ſcilicet trium luſtrorum, ex Valentiniani Iun. conſtitutione *l. 95. h. t.* decem annorum ex Iuliani *l. 56. inf. h. t.* & Theodoſ. Iun. *l. 28 ſup. de Cohortalib.* quinque ex Conſtantis *l. 1. ſup de Tabalariis:* Conſtantii *l. 38. inf. h. t.* Valentiniani Sen. *l 64. inf. h t* & *l. 6 ſup. de re militari*, cuius mentio fit, *l. 16 ſupr. de agentib. in reb.* & *leg 28. ſup. de cohortalib.* & Valentiniani Iun. *l. 88. inf. h. t.* Tandem, viginti annis, Conſtantini noſtri *l. 13. inf.*

Notentur itaque quatuor hæc διαστήματα & interualla, per ſingula ſcilicet quinquennia: Quinquennalis, Decennalis, Quindecennalis ſeu trium luſtrorum, & ſic Indictionis integræ, Vicennalis tandem militiæ. Quæ omnia proculdubio ita varie ſtatuta, prout militis tum vſus eſſet.

p. 356. **INCOLATVS** *in alia ciuitate obtentu, originali curia nemo liberatur.*

XII. (a) Idem A. ad Maximum (b) Vic. Orient. (c)

SI qui vel (d) ex maiore, vel ex minore Ciuitate originem ducit, ſi, eandem euitare ſtudens, ad alienam ſe ciuitatem incolatus occaſione contulerit, & ſuper hoc vel preces dare temptauerit, vel qualibet fraude niti, vt originem propriæ ciuitatis eludat, duarum ciuitatum Decurionatus onera ſuſtineat, in vna voluntatis, (e) in altera originis gratia. PP. VIII. (f) Kal. Ian. Paulino & Iuliano Coss. [325.]

INTERPRETATIO. *Si quicunque Curialis de ea in qua natus eſt ciuitate ad aliam* (g) *tranſire voluerit, condicionem curiæ debitam nullatenus poſſit euadere, nec ſi hoc ipſum meriti* (h) *interpoſita ſupplicatione tentauerit, nec vllo argumento neceſſitatis aut* (i) *ſeruitia ciuitatis ſuæ, pro eo quod habitationem mutare voluit, poſſit euadere. Nam quicunque hoc fecerit, & ſe in aliam ciuitatem tranſtulerit, hoc iubet, vt in vtraque ſeruiat ciuitate, hoc eſt, in vna pro condicione naſcendi, & in alia pro habitandi voluntate deſeruiat.*

NOTAE.

(a) *Lex 5. ſeu vltim. Cod. Iuſtin. de municipibus & originariis.* GOTHOFR.

(b) Eidem *Maximo Vicario Orientis* inſcribitur Cod. Iuſtin. *lex 1. in quibus cauſis coloni cenſiti dominos accuſare poſſint lib. 11. tit. 49.* Sed & dignitate omiſſa, *lex 10. ſupra hoc tit.* & *lex 4. ſupr. de Veteranis.* Quanquam & ſubſcriptio *dictæ legis* 10. etiam argumentum aliquod dignitatis in Oriente geſtæ, præbet, hæc videlicet *PP. Antiochiæ.* Antiochia enim apex Orientis erat: de quo *ſuo loco.* Inſcribitur ei & hoc ipſo Anno, dignitate addita *lex 1. infr. de gladiatoribus*, ita *Maximo PP.* id eſt, Propræfecto: vbi etiam in ſubſcriptione dicitur lex *PP. Beryto.* Errauit vero nuper Geographiæ ſacræ Auctor, cum Vicarium & Comitem eundem fecit *p. 276. Edit. Amſtelod.* 1704. *in f. ID.*

(c) Hinc & ex *d. lex 1.* notandum Orienti *Vicarium* hac tempeſtate præfuiſſe, cui tamen poſtea *Comes* præfuit. *ID.*

(d) *Si quis cum* &c. *eandem* &c. omiſſo altero *ſi*, Cod. Iuſt. *ID.* *Si quis vel ex mai.* &c. Cod G. & Sichard. *RITTER.*

(e) *Et in altera*, Cod. Iuſt. *in vna voluntatis, vna originis gratia*, Cod. G. *in vna voluntatis, in alia origin.* Sichard. *vna voluntatis, in vna origin.* prima Cuiac. & Edit. in 4. *ID.*

 (f) *V. Kal.*

(f) *V. Kal Ian.* Cod. G. *ID.*

(g) *Ciuitatem* additur in Cod. G. *ID.*

(h) *Nec ſi hoc ipſo mereri,* Cod. G. *nec ſi hoc ipſum mereri,* Sichard. *ID.*

(i) *Aut* abeſt a Cod. Goth. *ID.*

COMMENTARIVS.

INCOLATV alienæ ciuitatis, ius originis & Decurionatus onus euitari non poſſe definit *hac lege* Conſtantinus Magnus, quin contra, duarum ciuitatum onera ab eodem ſuſtineri iubet: quod & ipſum iam olim cautum *leg. 1. Cod. Iuſt. de municip. & origin.* quæ & ipſa ad Syriam Phœnicen, *Orientis* prouinciam pertinet: quo ſpectat *hac lex.*

Peculiare vero illud habet *hac lex,* Primo, quod etiam *Reſcripto* a Principe impetrato hac in re locum eſſe nolit: vt cæteroquin Reſcripta aduerſus vtilitatem publicam non valent: de quo vide *Paratitl. de diuerſ. reſcript.* aliasque plures *leges* in id ipſum *hoc tit.* Huiusmodi vero Reſcripta a Licinio impetrata antea fuiſſe videntur.

Secundo, peculiare id habet *h. l.* quod id obtinere nolit, ſiue ex maiore ciuitate quis ad minorem confugerit, quod ſane euitandi maioris ſumptus & oneris gratia quidam faciebant: cuius facti quoque exemplum extat *in l. 101. infr. hoc tit.* ſiue ex minore ad maiorem; quod maioris honoris captandi cauſa alii moliebantur: Non ſunt ſcil. ſuis defraudandi Curialibus minores Ciuitates, maiorum obtentu, vt nec ſuis voluptatibus aut ornamentis, de quo vid. *infr. de operib. publ. & tit. de ſcænicis.*

Vtrobique igitur Conſtantinus *hac leg.* Decurionatus onera ſuſtinere eos iubet, & in loco originis, originis gratia; in altero, voluntatis ſeu incolatus ratione: quomodo & *leg. 5. ſupr.* ſeu pro habitandi voluntate, vt Interpres ad *hanc leg.* Quod & ipſum diſerte cauetur *d. l. 1. Cod. Iuſt. de municip. & orig.* & poſtea Iulianus probauit *leg 52. infr.* & quidem per eandem Phœnicen, Orientis prouinciam. De Decurione per Incolatus ius, vid. fuſius in *Paratitlo.* De eo ſunt & hæ Inſcriptiones: vna in Hiſpania, apud Gruterum CCCC XXXII. 7.

L. LVCRETIO. SEVERO. PA
TRICIENSI. ET. IN. MVNICI
PIO. FLAVIO. AXATITANO
EX. INCOLATV. DECVRIONI
QVAM. TESTAMENTO. S.
PONI. SIBI. IVSSIT, DATIS. SPOR
TVLIS. DECVRIONIB.........
M. F. AXATITANI. † SIMVS. XII

Altera Diæ Vocontiorum, quæ olim Dea Auguſta, apud Gruter. CCCC LXXXIIII. 2.

SEX. VENCIO.
IVVENTIANO
FLAMINI. DIVI. AVG
ITEM. FLAMINI. ET. CVRA-
TORI. MVNERIS. GLADI
ATORI. VILLIANI. ADLEC
TO. IN. CVRIAM. LVGDV
NENSIVM. NOMINE
INCOLATVS. A. SPLEN
DIDISSIMO. ORDINE
EORVM
ORDO. VOCONTIOR
EX. CONSENSV. ET. POS
TVLATIONE. POPVLI
OB. PRAECIPVAM
EIVS. IN. EDENDIS
SPECTACVLIS. LI
BERALITATEM

P.357. ## MILITIA *Curialis vt & ſuſtantiam muneribus aptam poſſidens, Curia non liberatur.*

XIII. (a) Idem A. ad Euagrium PF. P. (b)

QVONIAM Curias deſolari cognouimus, his qui per orginem obnoxii ſunt Militiam ſibi per ſupplicationem poſcentibus, & ad Legiones, vel diuerſa Officia currentibus, iubemus, omnes Curias admoneri, vt quos intra viginti ſtipendia in Officiis deprehenderit, (c) vel originem defugiſſe, vel ſpreta nominatione, (d) militiæ ſe inſeruiſſe, hos ad Curiam retrahant; & de cetero ſciant eſſe ſeruandum: & (e) qui * derelicta Curia militauerit (f), reuocetur ad Curiam: non ſolum ſi originalis ſit, ſed & ſi ſubſtantiam (g) muneribus aptam poſſidens ad militiam confugerit, vel beneficio noſtro fuerit liberatus. Dat. XVI. Kalend. Iun. Conſtantino A. VII. & Conſtantio Cæſ. Coſs. [326.]

NOTAE.

(a) Potiſſima *huius l.* pars a *Cod. Iuſt.* reciſa eſt. *GOTHOFR.*

(b) *Euagrio PP.* huic inſcribitur hoc ipſo Anno *lex 1. ſupr. de Cuſtod. reorum,* (omiſſa dignitate) *lex 2. ſupr. ad leg. Iul. de Adulter. lex 11. Cod. Iuſt. de his quæ vi metuſue cauſa:* De eo vide *Indicem Perſonarum. ID.*

(c) *γρ. deprehenderint,* Curiæ ſcilicet. *ID.*

(d) Vid. & *l. 10. ſupr. ID.*

(e) *yy. Vt.* ID.

* *Lege 17. C. Iuſt. eod. tit.* hæc vnica ſententia continetur cæteris reſecatis. *ID.*

(f) In *Legione* ſeu militia Armata, vel in *Officialium* militia. *ID.*

(g) De hoc vide quæ noto ad *l. 53. infr. ID.*

COMMENTARIVS.

HÆc *lex* iam ſatis explicata eſt ad *d. l. 10. 11. ſupr.*

De FILIIS COMITVM, *Præſidum, Rationalium, Magiſtrorum rei priuatæ, Curiali origine deſcendentibus: deque* SENATORIBVS *ad Curiam reuocandis, vel non.*

XIV. (a) Idem A. ad PF. P. (b)

DVDVM (c) Lege † promulgata ſanxit Noſtra Clementia, *Vt filii Comitum* (d) *& Præſidum, & Rationalium, Magiſtrorumque priuatæ,* (e) *qui tamen ex origine Curialium deſcendunt, Ordinibus nectterentur*, nunc præcipimus, Vt qui (f) perfuncti muneribus idonei reperti ſint (g), iudicio Clementiæ Noſtræ accedere ad honores præcepti, ad honeſtas promotiones perueniant: Eos vero quos neſcit Principalis auctoritas, iudicio Præfecturæ commiſimus, vti eos qui ex genere videntur (h) eſſe Curialium, & minus apti iudicio Principali, Ordinibus propriis reſtituent: (i) Illos vero quos iudicio noſtro proueximus, intactos eſſe perficiant: Ita tamen vt hæredes eorum Curiis mancipentur. Si quis ſane Decurio euertens fiſcalia (k) commoda, fugiens Curiam, ambitu ad Senatum Orbis inclytum (l) peruenerit: minime admittatur. Dat. VIII. Kalend. Decembr. Conſtantiuo A. VII. & Conſtantio Cæſ. Coss. [326.]

NOTAE.

(a) Abeſt hæc *lex* a *Cod. Iuſt.* GOTHOFR.

(b) Intercidit hic nomen Præfecti Prætorio: vel ſane ad omnes Præfectos Prætorio hæc *lex* data fuit, pariter vt *lex* 18. *infra. ID.*

(c) Quando? *ID.*

† *Lex* hæc Conſtantini M. non extat. *ID.*

(d) Rei militaris. *ID.*

(e) Scilicet *rei.* De his *Magiſtris rei priuatæ*, dixi plene ad *leg. 2. ſupr. de iure fiſci:* vid. & *leg. 1. ſupr. de collat. fund. patrimon. ID.*

(f) Hæc vox ſuſpecta videatur: & malit quis, *quiqui*, id eſt, quicunque: vel *ſinguli:* vel denique *illi. ID.*

(g) Melius, *ſunt:* locusque ita interpungendus, *præcipimus, vt quiqui perfuncti muneribus, idonei reperti ſint, iudicio Clementiæ noſtræ accedere ad honores: præcepti* (iuſſi vel excepti) *ad honeſtas promotiones perueniant. ID.*

(h) Id eſt, *ſunt. ID.*

(i) *Reſtituant*, vt habent Editt. prim. Cuiac. & illa in 4. *ID.*

(k) *Fiſcalia commoda. ID.*

(l) *Senatus orbis inclytus*, Senatus Vrbis Romæ. *ID.*

COMMENTARIVS.

P. 318. DE FILIIS Decuriooom, ſi modo *lex* hæc vitio caret, eſt hæc altera *hoc tit.* Conſtantini M. conſtitutio (prima quippe fuit *lex 7. ſup.*) ſupplendis Curiis maxime intenti. Atque vt illa id voluit Conſtantinus, vt filii Decurionum ab octauodecimo anno, quamlibet in patria poteſtate poſiti, ad Curialia ſeu ciuica munera vocarentur: ita *ea lege*, quam hic a ſe antea promulgatam memorat, quæque *huic* occaſionem præbuit, id voloerat, Vt filii Decurionum, quamlibet parentibus ad Dignitates ſuboectis, Ordinibus ſeu Curiis necterentur: veluti ad *Comitis, Præſidis, Rationalis, Magiſtri rei priuatæ* dignitatem: Quæ quatuor dignitates hoc Conſtantini æuo ordinariæ fuere, ciuiles ſcilic. militares, fiſcales: E quibus etiam vltima, *Magiſtri* ſcil. *rei priuatæ*, vltra Conſtantini, eiusque liberorum imperium non ſtetit, quod oſtendi ad *l. 2. ſupr. de iure fiſci.* Ad quas dignitates e Curialibus nonoulli promouebantur; de *Præſidatu*, vide quoque *legem 45. ſupr.*

Hæc qoidem ita Conſtantinus Magnus anteriore illa *lege* ſua: Atenim eam nunc temperare ei ita viſum. Nempe, Comitum, Præſidum &c. filios ex origine Curiali deſcendentes, ad Curiam reuocari vult: Niſi & ipſi ſuo (Principis) iudicio iam ad honores aliquos & honeſtas promotiones euecti ſint (ſic tamen vt eorom hæredes Curiis mancipentur) & hæc de primo *huius l.* capite. Vbi obiter notandum, Decuriones ad honores, dignitates & adminiſtrationes euectos ſub Conſtantioo M. & iure quidem. Non item honorarios codicillos ab his iure impe-

impetrari potuiſſe: de quo etiam *l. 1. 2. 3. ſupr. de bon. Cod.*

Secundo capite *huius legis* Conſtantinus M. vetat quemquam Decurionem SENATOREM fieri, vel factum admitti, qui fiſcalia commoda euerterit, atque ideo Curiam fugerit, vbi tria obſeruanda ſunt. I. *Ad Senatum* & Senatoriam dignitatem Decurionem aſpirare potuiſſe hoc tempore, dummodo non fiſcales rationes laceraſſet. Atenim poſtea id abſciſſe ferme prohibitum vel ſaltem niſi poſt functiones omnes, & omnia patriæ munera expleta, permiſſum. Quo pertinent viginti ſex præterea *huius tituli leges*, quas repete ex *Paratitl*, & *Nouella* Theodoſii in id expreſſa, *Ne Decurio ad Senatoriam dignitatem aſpiret*. 8. II. Decuriones fiſcalia commoda tractaſſe, quod de exactionibus annonarum accipio: de quo dixi ad *l. 8. ſupr.* III. Ad Senatoriam dignitatem adſpiraſſe e Decurionibus nonnullos ideo, vt ratiociniis fiſcalibus ſe ſe ſubducerent, cui fraudi *hac l.* occurritur.

De VETERANORVM *filiis ad Curiam vocandis.*

XV. (a) Idem A. ad Annium Tiberianum (b) Com.

VNIVERSIS prouinciarum (c) Rectoribus intimato, Noſtram Clementiam ſtatuiſſe, Veteranorum filios Curialibus muniis innectendos: ita vt, & hii qui Perfectiſſimatus (d) ſibi honore blandiuntur, truſi in Curiam, neceſſariis officiis publicis inſeruiant. PP. XI. Kal. Mai, Karthag. Conſtantio & Maximo Coss. [327]

NOTAE.

(a) Abeſt & hæc *lex* a *Cod. Inſt.* *GOTHOFR.*

(b) Eidem *Annio Tiberiano* Comiti, inſcribitur anno ſuperiore 326. *lex 1. infr. quemadm. mun. ciuil. ID.*

(c) Hinc apparet, totam Africam omnesque Africæ prouincias, earumque Rectores Comitis Africæ diſpoſitioni ſuppoſitas fuiſſe. *ID.*

(d) De hac dignitate *ſuo tit. ſupr. lib.* 6. & in hoc argumento, *l.* 5. *ſupr.* & *l.* 26. 42. 44. *infr. ID.*

COMMENTARIVS.

VETERANORVM (ſeu militarium) filios ad Curias vocari iubet Conſtantinus M. *hac l.* pariter vt ſex aliis: puta *l. 18. 19. infr. hoc tit.* & *l. 1. 2. 4. 5. ſupr. de fil. mil. appar.* vt & Conſtantius *leg. 32. & 35. hoc tit.* Valentinianus *l. 58. hoc tit. l. 6. 8. ſupr. de re milit.* nec non & in ſpecie *l. 78. infr.* Valens *l. 7. ſupr. de fil. mil. app* Gratianus & Valentinianus Iunior *leg. 89. infr. hoc tit.* Theodoſius M. *l. 83. hoc tit. l. 11. ſupr. de fil. mil. apparit.* Et ſic ſeptendecim in vniuerſum hac de re conſtitutiones *hoc Codice* occurrunt. Ex quibus omnibus id efficitur Veteranorum ſeu militarium filios partim indiſtincte re militari non vrgente, ad Curiam vocatos, vel electionem his datam militandi, vel ad Curiam ſeſe applicandi, vel tandem frequentisſime inutiles tantum ad militiam, membris debiles, inualidos, vel torpore mentis ſe ſe donantes, ad Curiam vocatos.

In tantum vero veteranorum filii ad Curiam vocari iubentur hac Conſtantini M. lege vt etſi Perfectisſimatus honorem (de quo *ſuo tit. ſup.*) adepti ſint, in Curiam trudi velit. Quod & ipſum de aliis honorariis Perfectisſimis ſtatuitur *l. 5. ſupr.* & *l. 26. 42. 44. infr.* A qua vero ætate, id docebit *lex 18. 19. 35. 58. infr. hoc tit.* docuit etiam *lex 2. 4. 11. ſupr. de fil. mil. apparit.*

De DVVMVIRATVS *refugarum pœna.*

P. 339.

XVI. (a) Idem A......

SI ad Magiſtratum (b) nominati aufugerint, requirantur: & ſi pertinaci animo (c) latere patuerint, (d) his ipſorum bona permittantur, qui præſenti tempore in locum eorum ad Duumuiratus munera vocabuntur: ita vt ſi poſtea repperti fuerint, biennio integro onera Duumuiratus cogantur agnoſcere: Omnes enim, qui obſequia publicorum munerum declinare temptauerint, ſimili condicione teneri oportet. Dat. III. Kalend. Octobr. Serdicæ, Conſtantino A. IX. (e) & Conſtantio IV. Coss. [329.]

NOTAE.

(a) *Lex 11. Cod. Inſt. eod. tit.* *GOTHOFR.*

(b) *Magiſtratum*, id eſt, Duumuiratum: vt mox *infr.* v. plene *Paratitlon. ID.*

(c) Vox *eos* hic addita, *Cod. Inſt. ID.*

(d) In

(d) In *Cod. Iuſt. patuerit*: Et iſtud tamen hic retinendum. *ID.*
(e) *vſ.* VIII. vt duabus proximis legib. *ID.*

COMMENTARIVS.

REFVGAS decuriones, qui ad Magiſtratum, municipalem ſcilicet, id eſt, ad DVVMVIRATVM nominati ſunt, & latent, primo requiri; dein non repertorum bona iis, qui in eorum locum ſufficiuntur permitti: Tandem repertos poſtea biennio integro Duumuiratum ſuſtinere iubet *hac leg.* Conſtantinus M. vbi quatuor notanda veniunt.

Primo, ad Duumuiratum nominatos ſæpe non modo a Nominatione appellaſſe; quod docuit *lex 8. ſupr.* verum etiam aufugiſſe: Idque ipſum fecere & alii Curiales ſubinde: Nempe propter immenſa onera, quæ Duumuiris & Curialibus incumbebant: Quod ipſum oſtendet rurſum *lex 29. infr. hoc tit.* Et inter alia, ob ſumptuoſum maxime editionum ſeu ludorum edendorum onus, quod præter *d. l. 29.* (vbi prolixius) oſtendit quoque *lex 169. infr.* & *lex 1. & 4. infr de ſpectaculis*: & Libanius *de vita ſua p. 2. Edit. Morelli.* καὶ χορηγίαις, inquit, καὶ ἀγῶσι, καὶ λόγοις, ὅσοι φορεῦς (vel πορφύρεις) ἀρχόντων ἀπαντῶσιν: quod vertit Morell. *& ſuppeditationibus ac certaminibus, & ſermonibus, quibus magiſtratuum purpuræ excipiuntur.*

Secundo, notanda pœna bonorum addictionis ei, qui in locum refugæ Duumuir ſuffectus eſt: vt ſcilicet ea parte plectatur qua admiſit; nempe in bonis, quæ eum ex parte erogare in patriæ, ſiue vtilitates, ſiue voluptates oportuit. Quæ cauſa ſane fuit, cur Decuriones opibus præditos eligi atque haberi oportuerit, qui ſcil. huiusmodi *legitimos ſumptus*, νενομισμένα δαπανήματα ſuſtinerent, vt loquitur Dion. *orat. 38. initio, pag. 468. Edit. Morell.* Ceterum quod hic definitur, ſuffectis bona refugarum *permitti*: id non accipiendum eſt, quaſi in perpetuum his ea bona addicantur, verum interim, & ad vſum: vt recte Gloſſa: Et ſane *permittendi* vox id proprie ſignificat: Neque ad id quidquam facit, quod Gloſſa putauit ad *leg. 14 ſupr. de murilegulis*: vbi v. quæ dixi.

Tertio, obſeruanda pœna, duplicandi temporis & Magiſtratus, quem quis euitare voluit: vt ſcilicet duplo tempore munus ſuſtinere cogatur, qui id ſuo tempore defugit: Quomodo & pœnæ refugis duplicari ſolent tempora: *leg. 8. §. 7. D. de pœnis.* De qua *duplicationis pœna* hic interpretes, & Baldus nominatim.

Quarto, ex *hac l.* aperte diſcimus, Duumuiratum annuum Magiſtratum fuiſſe: quod etiam docet *lex 1. infr. quemadm. mun. ciuil. lex 13. D. ad municip.* & *Canon. 56 Concilii Eliberitani pag. 258. Tom. 1. Concil. Ed. Harduin. Magiſtratum vero, inquit, vno anno, quo agit Duumuiratum, prohibendum placuit, vt ſe ab Eccleſia cohibeat.* Vetus quoque *lapis* Patrono cuiuſdam coloniæ poſitus, apud Gruterum CCCCXXI. 1.

EO. ANNO. QVO. ET. OPTIMVS
IMP. HADRIANVS. ETIAM
DVVMVIRATVS. HONOREM
SVSCEPIT.

Quod autem Dio Chryſoſtomus *Corinthiaca orat. 37 pag. 462. Edit Morelli.* ſcribit, περὶ ἀρχόντων τῶν εἰς ἐνιαυτὸν αἱρουμένων, *de iis, qui in annuum magiſtratum eliguntur*, id ad Rectores Prouinciarum pertinet, non ad Duumuiros. Eſt tamen vbi Duumuiri Quinquennales dicti fuerunt de quibus ad *l. 6. infr. de Med & Profeſſ.* qui DVOVIRI QVINQVENNALES *in veterib. Inſcriptionibus.* Meminit & Apuleius *lib. 10. pag. 202 edit. Lugdun. Bat. apud Ioan. Maire; gradatim permenſis honoribus, quinquennali Magiſtratui fuerat deſtinatus* Quos ita dictos vulgo creditur, quod quinquennio id munus ſuſtinerent. Et tamen vetus Inſcriptio Piſauri in Flaminia, quam habet Gruterus CCCXXII. 8. annuum quoque huic Magiſtratum fuiſſe docet.

ALBIAE. C. F. BALBINAE.
FLAMINICAE. PISAVRI. ET
ARIMINI, PATRONAE. MVNICIPI
PITINATIVM. PISAVRIENSIVM
HVIC. ANNO. QVINQVENNAL. PETINII
PRISCI. MARITI. EIVS. PLEBS. VRBANA
OB. MERITA. EORVM . . . .
. . . . CVI. IMP. . . . .
. . . .
. . . .
IVS. COMMVNE. LIBERORVM. CONCESSIT
L. D. D.

Ecce *annum Quinquennalium*: quo Quinquennalis munus gerebat: Vt proinde *Quinquennales* dicti fuerint quinque, qui quinto quoque anno recurrente id munus ſuſtinebant.

P. 160. VACATIO *vel* IMMVNITAS *munerum ciuilium neque Reſcripto Principis, neque Curiæ conſenſu data valet.*

XVII. (a) Idem A. ad Lucretium Paternum......(b)

VACATIS Reſcriptis, † per quæ munerum ciuilium nonnullis eſt Vacatio præſtituta, (c) omnes ciuilibus neceſſitatibus adgregentur: ita vt nec conſenſu Ciuium vel Curiæ, præſtita cuiquam Immunitas valeat, ſed omnes ad munerum ſocietatem conueniantur. Dat. VIII. Kal. Nouembr. Heracleæ, Conſtantino A. VIII. & Conſtantio IV. Coss. [329.]

NOTAE.

(a) *Lex 19. Cod. Iuſt. eod. tit.* GOTHOFR.

(b) An hic *Paternus*, Præfect. Ægypti, qui Paterius in *oratione* Conſtantini *ad S. Cœtum*; (apud Auctorem *vitæ Conſtantini lib. 2. c. 17.*) *ID.*

† Veluti Licinii. *ID.*

(c) *Præſtita* Cod. Iuſt. *ID.*

COMMENTARIVS.

IMMVNITATEM ſeu VACATIONEM a muneribus ciuilibus ſeu Curialibus, ne Reſcripto quidem Principis, imo nequidem Ciuium ſeu Curiæ conſenſu cuiquam dari poſſe, vel datam valere, definit *hac l.* Conſtantius M. Neque Reſcripto, inquam Principis: quod plures aliæ *leges* quoque docent; de quo iam ad *leg. ſup.* Neque Ciuium ſeu Curiæ decreto ſeu conſenſu: quod comprobat etiam *lex 65. in fin. 71. 77. 110. in fin. 113. hoc tit.* & *lex 2. ſupr. quid probare deb.* Ambitioſa ſcilicet hæc, ideſt, gratioſa decreta in perniciem Reipublicæ Ordinis ſeu Decurionum *leges* improbant; *l. 2. Cod. Iuſt. de decretis Decur. ſuper immun. quibusd. conced.* & arg. *l. 4. D. de decretis ab Ord. fac.* Scilicet, neque Curiæ aduerſus propria commoda laboranti locus eſſe debet, neque Principis poteſtas eo trahenda, vti ius ſuum Curiæ detrahatur: Vt cæteroquin boni Principes Reſcriptis ſuis deferri noluerunt, quæ in commoda publica peccarent: de quo pleue *Paratitlo de diuerſ. reſcript.* Et Libanius tamen *Ep. 248.* ad Eutherium hac defenſione quoque vtitur pro Carterio, qui ab Areæ Curialibus ad Curiam vocatus fuerat: *καὶ τὸ μέγιστον, ὑπ' αὐτῆς τῆς βυλῆς τὴν οἰκίαν ἀφειμένον*: & *quod maximum eſt, talem, qui propter Senatum domum ſuam reliquerit.*

Excipienda tantum vacatio temporaria, eaque a Principe ſolo impetrata, ex fontica aliqua cauſa, vt *l. 1. ſupr. h. tit. l. 135. infr. h. t. ſeu l. vn. Cod. Iuſt. de his qui a Principe vacationem accep.*

De SENATORIBVS *Curialibus: & de Filiis* MILITARIVM *ad Curiam reuocandis.*

XVIII. (a) Idem A. ad VV. CC. PF. P. (b) Poſt alia.

AD *Senatum* Decurio non adſpiret, manentibus athuc (c) his, qui eandem dignitatem conſecuti ſunt. Filios ſane *Militarium* (d) iuxta prius præceptum † aut patris militiam adſequi (e) volumus, aut ſi detrectauerint militare, & triginta (f) quinque annos impleuerint, Curiis mancipari. Dat. VII. Kalend. Decembr. Conſtantino A. VIII. & Conſtantio IV. Coss. [329.]

NOTAE.

(a) Abeſt hæc *lex a Cod. Iuſt.* GOTHOFR.

(b) Id eſt ad *Viros Clariſſimos Præfectos Prætorio*: non vt alii opinati, *ad Viros Clariſſimos Præſides prouinciarum.* *ID.*

(c) Tamen, *ID.*

(d) *Militares* ſunt veterani. *ID.*

† Tres, ante hanc, Conſtantini M, *leges* ſuper hac re occurrunt: Omnium Prima data An. 319. *lex 1. ſupr. de fil. mil. Apparit.* Secunda, *l. 2. eod. tit.* Tertia, A. 327. *lex 15. ſupr. hoc tit.* *ID.*

(e) *Adſequi*, pro ſimplici *ſequi.* *ID.*

(f) *Viginti quinque?* *ID.*

COMMENTARIVS.

P. 361.

CVRIARVM ſtatui, duplici cautione ſeu remedio conſulit *hac leg.* Conſtantinus M. idque per vniuerſum orbem Romanum: quam ideo ad Præfectos Prætorio amiſit: cuius procuIdubio & alia plura capita fuiſſe, verba illa Inſcriptionis oſtendunt, *Poſt alia*: ſcilicet, cum Curiæ hac tempeſtate variis rationibus deſolarentur; ſiue qua qui Decuriones iam erant, dignitatibus quæſitis Curias euitabant: ſiue quia deficientibus aliis Decurionum numerus non conſtaret, vtrique malo Conſtantinus occurrendum putauit: Nempe, vetito in futurum Decurione ad SENATORIAM dignitatem adſpirare, quo in argumento verſantur viginti ſex præterea *huius tituli* Leges; quas repetere licet ex *Paratitlo.* Item FILIIS MILITARIVM, ideſt veteranorum, militiam patris detrectantibus, Curiis mancipari iuſſis, iuxta priorem *Legem* ſuam: Quo in argumento quoque verſantur quindecim præterea *hoc Codice* leges: & quidam ipſius Conſtantini M. ſeptem in vniuerſum: & ex his tres *hac leg.* anteriores: puta *lex 1. 2. ſupr. de fil. militar. apparit.* & *l. 15. ſupr. h. t.*

Milita-

Militares hae *leg.* dicuntur (pariter vt *l.32. infr. hoc tit.* in eodem argumento) qui aliis *legibus* vt *d. l 15. ſupr.* Veterani. Ammianus Marcellinus, *lib.14. cap. 5.* ſi *quis enim militarium vel honoratorum* &c. de quo dixi ad *l. 1. ſupr. de off. Iud. ciuilium.* Ita & in *Gloſſis* Iſidori: *Militaris opinatus, id eſt, vetus miles:* vbi tamen neſcio num non reponendum ſit, *militaris opinatus, non verus miles:* vel *militaris, id eſt, opinator & vetus miles.* *Militares* ſcilicet, non Veterani modo dicuntur, qui in militia non vere militant neque aduerſus hoſtem pugnant; verum qui alias *rei militari* inſeruiunt, vt erant 1. *Opinatores*, ideſt, annonæ militaris exactores: & 2. *Primipilares*, annonæ diſtributores; de quibus *l. 11. ſupr. de fil. mil. app. 3.* vt & *Actuarii*: nam & hoc ſenſu *Militarem* vocat, atque a milite ſeparat Pollio *in Victorino Sen.* quem Victor *de Cæſar. cap. 33.* exerte *Actuarium* vocat.

Cæterum Conſtantinus M. Ætatem 35. annorum impletam hic præſtituit filiis militarium Curiæ mancipandis, qua parte variatum ſæpe, & quidem a Conſtantino Magno ipſomet. Primo enim cum Decurionum filiis in curiam allegendis decimum octauum annum Conſtantinus M. iam inde ab A. 320. præſtituerit, *l. 7. ſupr. h. t.* Inde Anno 326. ætas 25. annorum veteri iure ſtatuta curialibus in veteranorum filiis in curiam allegendis, de quo ad *leg. 2. ſupr. de filiis militar. apparitor.* Deinde ingreſſus Anni decimi & octaui Anno Dom. 331. *l. 19. prox. hoc tit.* Tandem poſt ſexdecim annos, A. D. 332. *l. 4. d. t. de fil. mil. apparitorum*: (Quæ omnes *leges* Conſtantinum Magnum auctorem habent:) Hancque vltimam diſpoſitionem ſecutus etiam Conſtantius filius eius, *l. 35. infr. hoc tit.* Quid igitur eſt, quod *hac leg.* quæ data eſt Ann. 329. triginta quinque annos impletos deſiderat Conſtantinus Magnus. Mihi mens ea, vitium hic ſubeſſe, & reſcribendum *viginti quinque*, quod omnino congruit *d. legi 2. ſup. de fil. milit. apparit.* Ergo ætas hac parte a Conſtantino primum definita, annus 25. expletus, *hac lege*, & *dicta leg. 2.* mox ingreſſus anni 18. *leg. 19. infr.* Tandem annus decimus ſextus expletus, *d. l. 4.* quod & poſtea ſtetit *dict. leg. 35. infr. hoc tit.* (Excepto caſu *legis 58. infr. hoc tit.* vbi dicam) Et ſic ſerius primum, mox maturius ad Curiam vocati Veteranorum filii: Curiarum commodo id depoſcente, & Curiis id agentibus, qui etiam ſeptenos & octennes ad Curiam allegi volebant. Cui rei fibulam imponit Conſtantinus M. *lege prox 19.*

Qua ÆTATE *quis ad Curiam vocari poſſit.*

XIX. (a) Idem A. ad Euagrium,..... (b)

QVONIAM nonnulli diuerſarum Ciuitatum Curiales intemperanter (c) minores, (d) quibus publica tutela debetur, ad Curiæ conſortium deuocarunt, vt ſeptem, vel octo annorum conſtitutos nonnullos nominaſſe (e) firmentur, (f) decernimus, vt omnino nullus in Curiam nominationibus deuocetur, nec functionum obſequia ſubire cogatur, niſi qui decimum & octauum annum ætatis fuerit ingreſſus. Quod & in futurum arceri volumus & eos eximi, qui infra eius ætatis terminos conſtituti iam nominati ſunt, Curialibus vt (g) vinculis abſoluantur: Cum enim decimum & octauum annum ætatis intrauerint, (h) ſi Militiæ (i) nomen inſerere iuxta Legem † datam non potuerint, vel ſuperſederint, Municipali poterunt dari obſequio. Dat. prid. Non. (k) Aug. Baſſo & Ablauio Coss. [331.]

INTERPRETATIO. *Minores decem* (l) *& octo annorum ætate, Curiales nec nominari a quibuscunque, nec ad ſeruitia applicari debere: quia hoc lex ſufficere credit, vt ab decem & octo annis neceſſitati publicæ, ſi neceſſe fuerit, applicentur, ita vt ſi qui infra hanc ætatem ante nominati iam fuerint, abſoluantur.*

P. 362. NOTAE.

(a) Abeſt hæc *lex* a *Cod. Inſt.* & iungenda ei *lex 3. ſupr. de filiis militarium apparitorum, & veteranorum*: & forte etiam *lex 20. infr. prox. GOTHOFR.*

(b) PP. vt *d. l.* 20. *prox. ID.*

(c) *Intemperanter*, citra modum aut diſtinctionem ætatis &c. *ID.*

(d) Veteranorum filios. *ID.*

(e) *Nominarint, firmiter decernimus*, Sichard. *RITTER.*

(f) Ideſt, *affirmentur. GOTHOFR.*

(g) *Vt* abeſt a MS. G. & Sichard *RITTER.*

(h) *Fuerit ingreſſus*, MS. G. & mox *potuerit. ID.*

(i) Hinc apparet, hanc *leg.* eſſe de *Veteranorum filiis* ad Curiam allegendis: quod etiam colligi poſſit quadamtenus ex coniunctione *d. l. 3. GOTHOFR.*

† An aliquam *legem* [illegible] indicat? an vero formam quibuscunque *legibus* ante datam, veluti *l. 1. 2. ſupr. de fil. mil. appar* & *l. 15. 18. ſupr. hoc tit. ID.*

(k) *Prid. Id.* ita *d. l.* 20. *infr. prox. ID.* *Dat. III. Non. April.* MS. G. *RITTER.*
(l) Dicam mox. *GOTHOFR.*

COMMENTARIVS.

DE VETERANORVM filiis in Curiam allegendis, deque ÆTATE hac in re requiſita, eſt hæc quoque Conſtantini M. Conſtitutio: de Veteranorum inquam, filiis; vt colligitur ex vltima *huius leg.* ſententia: & ex parte etiam ex *lege 3. ſupr. de fil. mil. apparit.* quæ *huic* coniungenda venit, ceu vnius eiusdemque Conſtantinianeæ Conſtitutionis pars. Nempe ea Conſtitutione integre Conſtantinus Magnus replendis tum Curiis, tum Officiis Iudicum, (quæ duo corpora in prouinciis erant opinatiſſima, publicæque vtilitati ſeruientia) conſultum iuit, vt videlicet ea integro ſufficienteque numero haberentur. Quare & filios officialium in parentum locum procedere, ſeu eorum militiam ſubire iuſſit *d. l. 3.* Et filios Veteranorum vel paternam militiam ſubire, vel *ſi militia nomen inſerere non poſſent:* vt *hac leg.* dicitur, Curiæ addici. Quo pertinet hæc *lex.* Sic tamen inter alia, ne hoc etiam obtentu priuatorum vtilitas penitus negligeretur. Quod tamen hactenus fiebat: Curialibus videlicet Veteranorum filios etiam ſeptennes vel octennes in Curiam allegentibus. Quod & alias factum oſtendimus ad *leg. 7. ſupra.* Quare vt aliis compluribus *legibus*, ita & *hac* quoque Ætatem deſignatam iuit: a qua Veteranorum filii ad Curiam vocari poſſent: nempe ingreſſum anni octaui decimi: de quo ad *d. l. 7. & 18. prox. ſupr.* paulo plenius. Huc etiam quadamtenus aptari poſſit *lex 57. D. de re iudic.* Certe *hac l.* ingreſſum anni 18. requirit diſerte Conſtantinus. *Niſi qui decimum & octauum annum ætatis fuerit* INGRESSVS. Et mox rurſum: *Cum enim decimum & octauum annum ætatis* INTRAVERINT. Et interpres tamen minus penſe de octodecim annis completis id accepiſſe videtur. Illud etiam notandum, non tantum minores octodecim annis *h. l.* deinceps in Curiam allegi vetari, verum etiam nominatos iam eximi. Et ſic in præteritum quoque vim *huius leg.* porrigi, cum alias futuris ferme *leges* ponantur: & difficilius quis Curiæ liberetur in eam iam allectus: de quo ad *l. 51. infr.*

Et rationem addit Conſtantinus, *quod minoribus publica tutela debeatur.*

PROCVRATOR *vel* CVRATOR *ciuitatis decurio fieri non poteſt, niſi omnibus patriæ muneribus expletis.*

XX. (a) Idem A. ad Euagrium PF. P. (b)

NVLLVS Decurionum ad Procurationes, vel Curas ciuitatum accedat, niſi omnibus omnino muneribus ſatisfecerit patriæ, vel ætate vel meritis. Qui vero per ſuffragium ad hoc peruenerit, Adminiſtrare (c) deſiderans, non modo ab expetito officio (d) repellatur, ſed Epiſtula (e) quoque, vel codicilli, (f) ab eo protinus auferantur, & ad Comitatum (g) deſtinetur. Dat. prid. Id. Aug. Baſſo & Ablauio Coss. [331.]

INTERPRETATIO. *Iſta lex hoc iubet, nullum Curialem, niſi omnibus Curiæ officiis per ordinem actis, aut Curatoris, aut Defenſoris officium debere ſuſcipere; niſi omnibus, vt dictum eſt, ante muneribus ſatisfecerit, quæ patriæ ordine debentur: nam ſi præfatus contra hanc præceptionem, quolibet ſuffragio, aut ſub quocunque obtentu honoris ſe munire voluerit, & obtentis careat, & vbi rerum* (h) *domini fuerint dirigantur.* (i)

NOTAE.

(a) Abeſt & hæc *lex* a *Cod. Iuſtin.* iungenda ei forte *lex* ſuperior 19. & *lex* 3. *ſupr. de fil. mil. appar.* GOTHOFR.
(b) *Euagrius* PP. ſub Conſtantino M. v. *Proſopogr. ID.*
(c) Procurationes vel Curas Ciuitatum. *ID.*
(d) Procuratoris vel Curatoris *ID.*
(e) Principis, per quem factus eſt Procurator &c. *ID.*
(f) *Codicilli* adminiſtrationum. v. *Gloſſ. Theod. ID.*
(g) *Comitatus*, ideſt, vbi rerum Domini fuerint: ita *Comitatum*, hic recte deſcribit Interpres: de quo plura in *Gloſſ.* vid. & Iur. in *Symmach. lib.* 3. *ep.* 80. *pag.* 108. 109. *Edit Pariſ.* 1604 *in* 4 *ID.*
p. 363. (h) *Rerum domini* pro *Impp.* Huius locutionis infinita teſtimonia, vide apud eundem Iuretum, in *Symmach. lib.* 10. *Ep.* 36 *pag.* 280. *Edit. cit. ID.*
(i) *Dirigatur. ID.*

COMMENTARIVS.

AD Procvrationem vel Cvram ciuitatis, Decurio, niſi omnibus muneribus patriæ functus, adſpirare vetatur *hac l.* a Conſtantioo M. nequidem per ſuffragium; Epiſtola vel Codicillis a Principe impetratis, *Procurationes* ſcil. vel *Curæ ciuitatum* talia officia ſeu adminiſtrationes ſunt, vt ea nemo expetere ſeu adminiſtrare poſſit, niſi qui omnibus prius muneribus patriæ ſatisfecerit, vel ætate, inquam, vel meritis: Nempe hac duplici ratione quis patriæ muneribus liberabatur, vel ætate ſeu ſenectute *l. 118. infr.* vbi dicam ex Baſilii quoque *Ep. 389.* ſiu. *84. Edit. Benedictin.* (de quo vid. & *l. vn. Cod. Iuſt. qui ætate:*) & aliis: vel meritis: *Meritis*, inquam, ſiue quia reuera quis omnibus honoribus in Republ. ſua per gradus functus eſt; quod variæ etiam Inſcriptiones veteres Decurionibus poſitæ præferunt; quia propter inſignia merita in patriam, omnibus honoribus donatus eſt.

Procurationis vel *procuratoris ciuitatis* fit quoque mentio, *l. 1. ſupr. de honor. Codicillis*: *l. 1. & 32. ſupr. de erog. milit. ann.* Cæterum παραλλήλως hæc poſita hoc loco, *Procurationes vel Curas ciuitatum*: Iidem ſcil. Procuratores & Curatores ciuitatum vel Reipublicæ. Curatorum fit diſerte mentio *acto legibus* hoc Codice, *l. 3. 8. ſupr. de donat. l. 5. ſupr. de exhib. reis: l. 3. ſeu vlt ſupr. de ſuperexactionib l omnis 5. ſupr. de iis quæ adminiſtr. l. 31. infr. de Epiſcopis l. 2. de canon. frum. V. R. l. 1. infr. de ſcanicis:* in *Gloſſis* Curator Φροντιςὴς καὶ λογιςής. Curatoris quoque ciuitatis Antiochenæ meminit Ammianus Marcellinus *lib. 14. cap. 7. Luſcus*, inquit, *quidam Curator Vrbis ſubito viſus*. De hoc eodem Curatore accipio, & quod Capitolinus ſcribit *in Marco Anton. Phil. cap. 11 Marcum Curatores multis ciuitatibus e Senatu dediſſe, quo latius Senatorias tenderet dignitates.* Vnde patet, vt ex *hac l. in fin.* ibi, *epiſtula vel codicillis*, a Principe hos Curatores creatos: quod & vetus Inſcriptio docet Brixiæ, *apud Gruterum CCCXCII. 7.*

P. CLODIO. P. F
FAB. SVRAE
Q. FLAMINI. DIVI
TRAIANI. PONTIF
II. VIR. QVINQ. TRIB. LEG
II. ADIVTRIC. PIAE. FID
CVRAT. REIP. BERGOM
DAT. AB. IMP. TRAIANO
CVRAT. REIP. COMENS. DAT
AB. IMP. HADRIANO
COLLEGIA
FABR. ET. CENT.

Procopius *lib. 3. de bell. Goth. cap. 6.* ἐπίτροπον βασιλεὺς αὐτὸν Νεαπόλεως κατεςήσατο. *Vt ipſum Neapolis Procuratorem Imperator creauerit.* In Actis quoque Collationis Karthaginienſ. *initio prim. cognit. pag. 1049. Tom. I. Concil. Edit. Harduin.* dicitur *Ruſinianus Scriba viri Clariſſimi Curatoris celſæ Karthaginis.* Et in Edicto Marcellini *in ead. Collat. Karthag. cognit. prim. c. 8. pag. 1052.* fit mentio horum *Curatorum*: *Vniuerſos etiam cunctarum prouinciarum Curatores, Magiſtratus, & Ordinis viros, nec non & Actores, Procuratores, vel Seniores ſingulorum locorum.* Dignitas vero eorum media in municipiis fuiſſe videri poſſet, inter Defenſores Ciuitatum, & Magiſtratus ſeu Duumuiros: & ſic ſecunda, argumento ordinis literæ *d. l. 5. ſupr. de exhibend. reis*: Quod tamen non ita eſt: Nam imo viliores eos fuiſſe aperte docet *l. 8. ſupr. de donat.* *Adminiſtrationis* porro genus id ſuit, vt hæc *lex* docet. Ad officium eorum ſcilicet pertinuit pax & ſecuritas prouincialium in vrbibus, tam ſecularium quam Eccleſiaſticorum. Ideo querelæ Prouincialium ad eos perſerebantur (ſi quid eis denegaretur qood iuſtum videretur, vel iniuſtum quid aduerſus eos admitteretur, & ideo iniurias ſuas cupientibus conteſtari apud eos Acta conficiebantur) vt docet *lex 1. infr. de ſcanicis: l. vlt. ſupr. de ſuperexact.* Nautici apud eorum acta quoque profitebantur incorruptas ſe ſpecies accepiſſe: *l. 2. infr. de Canon. frum. V. R.* Donationes quoque apud hos inſinuabantur, *l. 3. ſupr. de donat.* quod eis poſtea ademptum *l. 8. eod. tit.* Horum literis iniuriæ Eccleſiis factæ & Eccleſiaſticis in notitiam Iudicum perſerebantur, *l. 31. infr. de Epiſcop.* Rei his offerebantur, qnos mox ad Iudices dirigebant, *leg. 5 ſupr. de exhib. reis.* Talis fuit & Antiochiæ Theotecnus apud Euſebium *lib. 9. c. 2.* ἀδέκας καὶ λογιςεύων τὰ κατὰ τὴν πόλιν, qui emendis & perſequendis Chriſtianis incubuit. Prohibiti iidem quicquam comparare dum Curatores eſſent, *leg. 5. de iis quæ adminiſtr.* De his tandem multa Pancirolus, *de magiſtr. municip. cap. 11.* & Doctiſſimus Valeſius, *in Marcellin. lib. 14. cap. 7.* & hæc de Curis ſeu Curatoribus ciuitatum.

Procuratorum Ciuitatum frequens quoque mentio in *veterib. Inſcript.* Interpretis certe ad *hanc leg.* error eſt, qui Defenſorem *Procuratorem* interpretatur. De *Curatorib. Reipubl.* ſingularem librum *Vlpianus* olim ſcripſerat, de quo quinque tantum per Pandectas *fragmenta* ſuperſunt: ex quibus vel illud colligitur, collocatam ab his fœnori pecuniam publicam, vſuras Reip. debitas ab his exactas, *l. 33. D. de Vſuris.* operum publicorum curam iis incubuiſſe: *l. 5. D. de operib. publ. l. 1. D. de pollicit.* proinde diſcuſſores pecuniæ publicæ & operum publicorum fuiſſe: breuiter, ne quod detrimentum Respubl. caperet, attendiſſe: *l. 4. D. de decr. ab ordine fac.* quæ *leges* omnes ex eo libro deſumptæ ſunt. Hi ſunt qui & *Patres ciuitatum* vocantur: hinc adeo Græci ad *l. 46. D. de damno infect.* & *l. 1. Cod. Iuſt. de ſolut. & liber. debitor. ciuitat.* Curatorem Reip. patrem Ciuitatis interpretantur: ὁ πατὴρ τῆς πόλεως ἀναγκάζει τοὺς δεσπότας τῶν καταπεσόντων οἴκων ἀνανεοῦν αὐτούς: *ad curatoris reipubl. officium ſpectat, vt dirutæ domus a dominis extruantur.* Hoc igitur inter alia Curatores & Patres fuere, quod Romæ Ædiles, & apud Græcos ἀςυνόμοι. Vlpianus *ad Demoſthenis oration. contra Timocratem, pag. 819. edit. Wolfii,* notat: ἀςυνόμος δὲ, ὁ ἐπὶ τῷ εἶναι καθαρὰν τὴν πό-

λιν ἀσχολούμενος, ὁ παρ' ἡμῶν πατὴς: ἀστυνόμος, qui in eo occupatur, vt vrbs munda ſit, qui apud nos πατὴς appellatur. Meminit & Patris Arrianus *in Epictet. lib. 2. c. 10.* & Leo *l. 3. Cod. Iuſt. de his qui ſponte mun.* Ex dicto Marcellini & Arriani loco, & *l. 3. ſup. de donation.* & *l. vlt. de ſuperexactionib.* liquet, præcipuum hunc honorem t. .ſſe, & e Decurionibus creatum. Quod & ipſum hæc *lex* teſtatur.

P. 364. *Ad* PRAEPOSITVRAM *manſionum compelli non poſſunt Curiales, poſt Flaminii & Sacerdotii, vel Duumuiratus honorem.*

XXI. (a) Idem A. ad Felicem PF. P. (b)

QVONIAM Afri Curiales conqueſti (c) ſunt, quoſdam in (d) ſuo corpore, poſt Flaminii (e) honorem & Sacerdotii, (f) vel Magiſtratus (g) decurſa inſignia, (h) Præpoſitos compelli fieri manſionum, (i) quod in ſingulis Curiis ſequentis meriti & gradus homines implere conſuerunt, iubemus, nullum prædictis honoribus ſplendentem, ad memoratum cogi obſequium: ne noſtro fieri iudicio iniuria videatur. Dat. prid. Non. Aug. Viminacio, (k) Conſtantio & Albino Coss. [335.]

NOTAE.

(a) Abeſt hæc *lex* a *Cod. Iuſtin.* *GOTHOFR.*

(b) *Felici* huic ipſi variæ aliæ Conſtitutiones inſcribuntur: ac nominatim *l. 1. infr. de excuſ. artif. lex 6. infr. de nauicul. l. 5. infr. de Iudæis: l. 1. infr. ne Chriſtianum mancipium:* quæ omnes dicuntur *PP. Karthagine*; vnde apparet, Africam ſub Felicis PP. diſpoſitione fuiſſe. Quod hæc *lex* aperto teſtatur, quæ agit de *Afris Curialibus.* *ID.*

(c) Legatione procul dubio miſſa, de quibus Legationibus *ſuo titulo infr. ID.*

(d) *γρ. E ſuo. ID.*

(e) *Flaminium* ſeu *Flamonium* municipii vnius fuit. *ID.*

(f) *Sacerdotium* totius prouinciæ fuit, v. *Paratitl. de Paganis. ID.*

(g) *Magiſtratus*, Duumuiratus: v. *Paratitlon*, & *l. 16. ſupr. ID.*

(h) De his *Inſignibus* Duumuiratus, dicam *infr. ad l. 174. ID.*

(i) Seu annonarum, vt vocantur *l. 2. infr. quemadm. mun. ciuil. ID.*

(k) Conſtantinus hoc anno 335. egit in Myſia Viminacii, vnde mox Conſtantinopolim regreſſus eſt: vide *Chronologiam. ID.* Non prætermittendus hic error Gothofredi in *Chronolog. Cod. Theodoſ.* (ad quam hic prouocat) qui ait, hoc Anno Conſtantinum M. *menſe Auguſto* in Myſia *Viminacii* egiſſe, vbi data ab eo *hæc lex* 21. Sed cum Conſtantinus *die 25. Iulii* Conſtantinopoli fuerit, (qui dies Natalis fuit Conſtantini) ibique per aliquot dies ob *Tricennaliorum* ſolennitatem, commorari neceſſe habuerit: fieri non potuit, vt *die quarta Auguſti*, Viminacii, quæ vrbs eſt ad Danubium in Seruia ſita, fuerit. Nimia, enim inter Conſtantinopolim & Viminacium diſtantia, quam vt intra tam paucos dies, ex vna vrbe in alteram perueniri poſſit. *Dat.* itaque eo in loco accipi debet pro *Redd.* id eſt *Reddita.* Ex quibus intelligis, ſubſcriptiones legum Codicis Theodoſiani facile lectores in errorem inducere poſſe. *PAGIVS in Prolegom. ad diſſert. hypat. num. 24.* Recte iudicat V. C. nam & ipſe inductus eſt in maximum errorem, medelam hic facturus. Legem certe non attendit, quæ, cum ad *Afros Curiales* pertinet, in Africa *Reddi* debuit, non in Seruia. Mendum igitur non in *Dat.* hæret, vti Pagius male coniicit, ſed in *Viminacio*, quod vrbis nomen a librariis forte corruptum eſt. *RITTER.*

COMMENTARIVS.

DE PRAEPOSITIS MANSIONVM eſt hæc Conſtantini Magni Conſtitutio, qui ex Decurionibus ciuitatum ſub quibus manſiones erant, præponebantur: quod præter *hanc leg.* etiam ex Hieronymo in *Vita Hilarionis pag. 159. Tom. I. Oper. Edit. Francf. apud Chriſt. Genſch.* colligimus: vbi Conſtantii candidatus in profectione ſua Decurionibus commendatur. Hac vero *leg.* definitur. Quinam e Corpore Decurionum Præpoſiti manſionum fieri non debeant; propter honorum videlicet ſplendorem: Nempe vt cæteroquin non omnia munera omnibus Curialibus indici poterant, verum inferioris meriti & gradus Curiales ea implere cogebantur: ita & de hoc numero fuit *Præpoſitura manſionum*: non quidem vt infimi gradus, & meriti Curialibus ea imponi poſſet; verum vt ne ſummis in Curia honoribus functis: Cuiusmodi ſane tres erant, & vero *hac l.* memorantur: & duo quidem, ſicut dicam, ſacri, tertius profanus: nempe functis *Flaminii*, honore, vel *Sacerdotii*, vel *Magiſtratu*: de Magiſtratu ſeu Duumuiratu iam dictum ſæpe, etiam ad *l. 16. ſup.* De *Flaminio* & *Sacerdotio*,

rio, quæcunque *hoc Codice* occurrunt exhibet plene *Paratitlon tit. de paganis.* Et de his tamen hic aliquid dicendum, vbi de Præpoſitura manſionum prius dixero.

Præpoſitura igitur *manſionum* infra horum trium dignitatem fuit: vel etiam Præpoſitura annonarum: De qua eſt gemina germana ferme eiusdem Conſtantini M. ad eandem Africam pertinens Conſtitutio biennio poſterior, *leg. 2. infr. quemadm. mun. ciuil.*

Idem A. ad Concilium prouinciæ Afric.

Sacerdotales, & Flamines perpetuos, atque etiam Duumuirales, ab Annonarum præpoſituris, inferioribusque muneribus immunes eſſe præcipimus. Quod vt perpetua obſeruatione firmetur, legem hanc inciſam aneis tabulis iuſſimus publicari. PP. XII. Kalend. Iun. Karthagini Feliciano & Tatiano COSS. (id eſt, Ann. 337.)

Hoc tamen diſcrimen inter *hanc legem*, & *noſtram* intercedit, quod Flaminibus perpetuis tantum hæc a Præpoſitura annonarum immunitas datur: cum tamen Flaminiis in vniuerſum (temporario proinde quoque functis, ſeu *poſt Flaminii honorem*) hæc a præpoſitura manſionum immunitas *hac leg.* tribuatur. Denique immunes erant Sacerdotes & Flamines, etiam poſt Sacerdotium & Flaminium, a muneribus ciuilibus omnibus, etiam Præpoſitura annonarum & manſionum *hac lege*, & *dicta leg. 2.* & *leg. 75. hoc titulo.* Imo & filii eorum immunes erant a Curia & ciuilibus muneribus, ſi credimus Libanio *Epiſtola 248. ad Eutherium: τί οὖν*, inquit, αἰτοῦμεν; καὶ σκόπει γε, ὡς οὐκ ἔξω τῶν νόμων, οἱ τῆς ἀρχῆς βουλευταὶ Καρτέριον εἰς αὑτοὺς ἐγγεγράφασιν, ᾧ τὸ μὲν λειτουργεῖν οὐδαμόθεν προσήκει, παρ' ἡμῖν δὲ ἐπὶ λόγοις διατρίβει. ὅ τε γὰρ πατὴρ ἱερεὺς αὐτῷ, τόν τε πάππον εἰ ζητεῖς, ἄρχοντα εὑρήσεις, καὶ τὸ μέγιστον ὑπ' αὐτῆς βουλῆς τὴν οἰκίαν ἀφειμένον, ὡς δηλοῖ ταυτὶ τὰ γράμματα. κέλευε δὲ ἀναγνώσκειν, καὶ μὴ τοσοῦτον παρίδῃς δίκαιον, μηδὲ ἐπὶ τοῖς ἄρχουσιν ὁμοῦ τῶν αὐτῶν ἀφίστασθαί τε, καὶ πάλιν λαμβάνεσθαι, ἀλλ' ἴστωσαν ὡς ὁμοίως ἄδικον, τά τε αὑτῶν μὴ κομίζεσθε, τά τε οὐκ αὑτῶν, αὑτῶν ποιεῖν. ἀλλ' ἐκεῖνοι μὲν μηδὲν ὀκνούντων, ἡμῖν δέ γε διὰ σοῦ γενέσθω τὰ παρὰ τῶν νόμων ἰσχυρά. τῶν μὲν γὰρ οὐκ αἰσχυνομένων ἐστὶ ἐθέλειν πλεονεκτεῖν, δικαστοῦ δὲ μηδένα εἶναι δυνατώτερον νόμου. καὶ εἰ μὲν ἔγνωμεν ὕπνῳ Καρτέριος, εἰ μὴ ἔμελλεν ἐν ῥητόρων φαίνεσθαι χορῷ, βραχὺς ἄν ἦν μοι λόγος τῶν νῦν ἐπ' αὐτῷ πραττομένων. βλάστην δ' οὕτω γενναίαν διαφθεῖραι,
P. 365 καὶ τὸ ἤδη συνειλεγμένον ἐκβαλεῖν τῆς διανοίας, ὃ πέφυκε ποιεῖν ὁ τῶν πραγμάτων θόρυβος, οὔθ' ὅσιον, οὔτ' εὐσεβές. καὶ σύ τοι τὸ ἄρχειν ἔχεις ἀπὸ τοῦ δύνασθαι λέγειν. εἰκὸς δή σε βοηθεῖν τοῖς περὶ τὸν Ἑρμῆν, καὶ φαίνεσθαι τιμῶντα τὰς ἀφορμάς, ἀφ' ὧν ἐνταῦθα ἥκεις. *Quid igitur petimus? Vide, nihil peti contra leges. Arca Senatores Carterium inter ſuos adſciuerunt, cui publico munere fungi minime conuenit, cum apud nos literarum cauſa verſatur. Pater enim eius ſacerdos eſt, de auo vero, ſi quæras, imperantem illum inuenieris, &, quod maximum eſt, talem, qui propter Senatum domum ſuam reliquerit, quod præſentes literæ oſtendunt. Has velim legi iubeas, neque ius & fas adeo negligas: multo minus Arcæ incolis integrum eſto, ab iisdem abſtinere, & eadem iterum ſibi vindicare. Imo vero, ſciant illi, æque nefas eſſe ea, quæ ſua ſunt, non referre, atque ea, quæ ſua non ſunt, ſua facere. At illi quidem nihil non audeant, nobis vero per te ea, quæ leges iubent, rata ſint. Qui enim nullo pudore ducuntur, illorum eſt, aliena conſectari. Iudicis autem curare, ne quis lege ſit potentior. Et ſane ſi Carterius ſomno indulgeret, ſi non inter Rhetores aliquando locum eſſet tuiturus, exiguam admodum eorum, quæ de ipſo aguntur, rationem eſſem habiturus; ſurculum vero tam nobilem perdere, & quæ iam collecta ſunt, ex animo eiicere, quod negotiorum turba facere conſueuit, id quidem nec ſanctum, nec pium eſt. Tu vero etiam magiſtratum tuum a dicendi arte habes. Te itaque iuuare decet eos, qui Mercurio operantur, & oſtendere, quod magni facias illa, quæ occaſionem tibi fecerunt, eo adſpirandi.*

Quid porro *Manſiones* fuerint, iam notum eſt ex dictis ad *l. 4. ſup. de off. Rectoris prouinciæ:* Nempe loca & quodammodo ſtabula ſeu ſtatius, quæ commeantibus publico nomine, vel indulto, hoſpitia & neceſſaria præbebant, in quibus proinde pabula & annonæ erant: Ergo præpoſiti Manſionum, qui curabant, vt parata omnia in manſionibus eſſent. Cum quibus miſceri non oportet Præpoſitos horreorum: de quibus *l. 49. infr. h. t.* & *l. 8. 24. infr. de ſuſcept. præp.* hi enim erant qui præerant horreis publicis annonam publicam continentibus: & quidem alicubi in Africa, horreis, vbi annona populi Romani vſibus deſtinata adſeruabatur: de quibus *infr. tit. de Suſcept. Præpoſ. & Arcariis.* Item miſceri nolo Præpoſitos annonarum, de quibus *d. l. 2.*

Nunc de *Flaminio* & *Sacerdotio* pauca: In id tantum, vti liqueat, quid fuerint, & in quo differrent. In commune certe *hac l.* indicatur, *ſplendidos hos honores* fuiſſe: quod & ſequentia loca quoque Cenſorini, Firmici, Marcellini, Pacati, docent. Quomodo vero hi inter ſe differebant? Nempe Flamines ſingulorum municipiorum erant, Sacerdotes vero ſolidarum prouinciarum. Hinc adeo prouinciæ Sacerdotes *lege 38. infr. de Epiſcopis, lege 46. 148. infr. h. t.* prouinciæ, ſeu prouinciarum ſacerdotium *l. 75. 174. inf.* & *Nouella Martiani de matrimon. ſenator. 4.* Firmicus hac ipſa tempeſtate *Matheſ. lib. 4. cap. 15. Faciet quoque Nobili poteſtate Sacerdotes Prouinciarum, Charos ſemper ac Nobiles.* Horum meminit iam antea Cenſorinus *de die Natali c. 15. Tu tamen officiis municipalibus functus, honore ſacerdotii in Principalibus tuæ ciuitatis conſpicuus.* Am. Marcellinus *libr. 28. cap. 6. Occiſis Decurionibus multis, inter quos Ruſticianus ſacerdotalis, & Nicaſius enitebat Ædilis.* De horum priuilegiis & immunitate dicam *inf. l. 75.* Hinc adeo Flamen municipalis, *Nouella Martiani 4.* Hinc illud Sidonii *lib. 5. ep. 7. Hi ſunt qui inuident prædia prouincialibus, Flamonia municipibus.* Latinus Pacatus in *Panegyrico cap. 37. Reuerendos municipali purpura Flamines, inſignes apicibus Sacerdotes.* Hinc igitur paſſim iunguntur Flamen & Sacerdos,

d. No-

d. Nouella Mart. 4. Sacerdotales & Flamines, *d. l. 2. inf. quemad. mun. ciuil.* Flaminii honor & Sacerdotii *hac l.* ipſum porro munus *Flaminium* hac *leg.* vocatur, & a Tertulliano *de ſpectaculis*, *c. 12.* quomodo & *Flaminio abire* dixit Valerius Maximus *lib. 1. c. 1. num. 4.* & *decedere* Gellius *lib. 10. cap. 15.* Quanquam *Flamonium* apud Sidonium *d. loco:* Iſidorus Gloſſ. *Flamonium honor, qui datur Flaminibus*, & in *duabus veterib. Inſcriptionib.* apud Gruterum CXCV. 5.

L. FL. VALENS
OB. HONOREM
FLAMONII
B. P. D.

Et apud eundem CCLIV. 5.

M. VLP. HAD. F. DIVI. TRAI. NEPOT
DIVI. NERVAE. PRONEP. AEL. HAD
ANTONINO. AVG. PIO. PONT. MAX
TRIB. POT. V. COS. IIII. P. P
Q. AVRELIVS. Q. F. PAP. TERTIVS
DEC. COL. SARM. OB. HONOR
FLAMONI. . . . . ET
H-S. LXXX. N. AD. ANNONAM
DEDIT
L. D. D. D.

Denique *Sacerdotium* fuit ἀρχιερωσύνη, *Flaminium* ἱερωσύνη, vt recte Valeſius *ad Marcellin lib. 28 c. 6.* Idque primum de Flaminibus & de Sacerdotibus notandum eſt.

De iisdem ſecundo obſeruandum, & quidem ex *d. l. 2. inf. quemadm. mun. ciuil.* Flamines alios perpetuos fuiſſe, alios temporarios, de illis ad *eam l.* Sic occurrit FLAMEN QVINQVEN. in veteri inſcript. *apud Gruterum* CCLXI. 4. & ideo quoque *bis flamen* numeratur *apud eundem* CCCXV. 17.

. . . .
. . . .
FLAMINI. BIS
D. D.

Notandum tertio, eos ex Curialium corpore fuiſſe, & ex his electos: quod præterea *l. 46. 75. 77. 102. 112. 145. 148. 166. 174. 176. inf. h. t.* Ammianus quoque Marcellinus *d. lib 28. cap 6. Occiſis*, inquit, *Decurionibus multis, inter quos Ruſticianus Sacerdotalis, & Nicaſius eniteba t Ædilis.*

Quarto notandum ex *fine l. ne noſtro fieri iudicio iniuria videatur*, colligi, Sacerdotes Flamines, Duumuiros, etſi publico prouinciæ & ciuitatum tractatu habito crearentur, Principis tamen iudicio firmatos. Quod rationem ipſam attinet, ei vicinum eſt, quod Symmachus ſcribit, *lib. 10. ep. 34 Qui ſummi loci Iudices decolorant, Sacri teſtimonii facilitatem videntur inceſſere:* & *lex 3. Cod. Iuſt. de crimine ſacrilegii.*

Tandem ex *hac* quoque *lege* diſcimus, Conſtantinum ſub extremis etiam Imperii ſui temporibus (triennio enim eius mortem *hac lex* antevertit) gentilium ſacerdotibus ſua priuilegia ſeruaſſe, & quidem per Africam nominatim.

Ex OFFICIIS *quibuscunque Curiales Curiæ reddendos, exceptis Palatinis.*

XXII. (a) Idem A. ad Euagrium PF. P. (b)

CVm Decuriones Decurionumque filii, deque his geniti, ad diuerſas Militias (c) confugiant, iubemus, eos in quibuscunque Officiis militantes, exemptos militia, reſtitui Curiæ: exceptis his qui in Palatii noſtri iam habentur Officiis. Dat. XI. Kal. Septemb. Conſtantinop. Nepotiano & Facundo. Coss. [336.]

NOTAE.

(a) Abeſt hæc *lex* a *Cod. Iuſt.* GOTHOFR.

(b) *Euagrius* PP. ſub Conſtantino M. Eidem inſcribitur *lex* 13. 19, 20. *ſup.* ID.

(c) *Officia, inf.* etiam Palatii, *in fine leg.* ID.

COMMENTARIVS.

P. 366. E MILITIA, ſeu OFFICIO quocunque ciuili, Decuriones filiosque Decurionum, & ex his genitos, ad Curiam reuocari iubet *hac l.* Conſtantinus M. excepta ſola PALATINA militia; qua Curialem tutum & ſecurum eſſe iubet, & quidem ſimpliciter & abſolute: pariter vt idem *l. 1. 3. ſup. de priuil. eorum qui in S. Palatio:* Cum tamen *Conſtantius* tum demum Curialem ad Curiam a Palatio retrahi vetuerit, ſi quinquennium in eo impleſſet, *l. 31. & 38. inf. h. t.* Contra, *Valentiniano Sen.* eadem cum Conſtantino mens ſtetit, *l. 67. inf. h. t.* & *l. 6. ſup. de priuil. eorum qui in S. palatio* &c. Valentinianus Iun. quoque certum ſtipendiorum numerum præfixit *l. 100.* triginta ſcilicet annorum, *l. 88. inf. h. t.*

Itemque Theodoſius M. decennii, *l. 12. ſup. de priuil. eorum qui in ſ. palat.* Honorius ad Curiam retrahi ſimpliciter voluit, *l 147. 154. inf. h. t.* Tandem *Theodoſius Iun.* quindecim annorum numerum præfixit, *l. 14. ſup. de priuil. eorum qui in ſ. palat* ad hoc ſane quoque argumentum pertinet Symmachi locus, *lib. 10. ep 51. Cum Venantii Stratoris illicitam vſurpatamque militiam Marcellus argueret, quod decurionum adſcriptus albo, vt Geſta docuerunt, aduerſum leges ad Palatina caſtra tranſiſſet, non debui obiecta reticere: vt in ea re quæ modum mei egrediebatur examinis, Æternitas veſtra ipſis legibus, quas tuetur, auguſtior iudicaret.*

ABSEN-

ABSENTIBVS, *ad Curiam nominatis, poſt tertium Edictum 30. adhuc dierum laxamentum ad ſui defenſionem tribuit.*

XXIII. (a) Imp. CONSTANTIVS (b) A. ad Iulianum.... (c)

QVAMVIS *eos, qui tertio Edicto vocati minime reſpondere voluerunt,* Legum (d) ſeueritas *obnoxios faciat cœtibus Curiarum,* tamen humaniorem placuit ſequi viam, & eos admonere Edicto, *Vt intra triginta dies ſui præſentiam faciant:* Quod ſi intra hoc tempus neglexerit (e) vel ſui præſentiam facere, vel defenſorem (f) ad iudicia mittere, qui abſentiæ eorum iuſtas allegationes deponat, ſententia ſuper his lata ſine aliquo cunctamine (g) conualeſcat (h). Dat. V. Id. Octob. Antiochiæ, (i) Vrſo & Polemio Coss. [338.]

NOTAE.

(a) Abeſt & hæc *lex* a *Cod. Iuſt.* velut temporaria *GOTHOFR.*

(b) Eſt quidem hæc lex *Conſtantio* tribuenda: ſed tamen pro more tum recepto addi oportuit *Conſtantini* & *Conſtantis* (fratrum) nomina. Verum obſeruo, toto hoc *Codice* nullam *legem* occurrere, quæ trium horum fratrum nomina inſcripta habeat, ſed vel *Conſtantii* ſolius, vel *Conſtantini* & *Conſtantis* (vt *l. 3. de dilat.*) vel *Conſtantii* & *Conſtantis.* At in *Codice Iuſtinianeo* duæ *leges* occurrunt, quæ trium fratrum nomina inſcripta habent, puta *l. 11. de Legatis,* quæ data eſt ad populum: & *lex 6 de dilat.* quæ eadem eſt cum *d. l 3. ID.*

(c) Non dubito, quin *Iulianus* hic Rector alicuius prouinciæ fuerit, ſane ante quadriennium Iuliano Præſidi inſcribitur *l. 3. ſup. de fide teſtium. ID.*

(d) *Leges* hæ ſunt non modo generales, quæ in abſentem, qui tertio Edicto vocatus non comparuit, ſententiam pronunciari volunt: ſed & ſpeciales, de Decurionibus abſentibus. *ID.*

(e) *ℽ. Neglexerint. ID.*

(f) De *Defenſore,* hic locus eſt; abſentiæ cauſas pro alio allegante, de quo multa in iure noſtro. *ID.*

(g) *Cunctamen.* vid. *Gloſſ. Theod.* id eſt, mora. *ID.*

(h) De hac voce mox. *ID.*

(i) Conſtantius ex Pannonia, Imperio cum fratribus diuiſo aduerſus Perſas repente in Syriam profectus eſt. Iulianus *orat. 1. p. 19. Edit. Spanhem Lipſ.* Hinc igitur *Antiochiæ* data hæc *lex:* & mox hoc eodem menſe, *Emeſæ,* (quo Antiochia digreſſus Conſtantius) *lex 27. inf. h. t.* vid. *Chronologiam. ID.*

COMMENTARIVS.

CONSTANTII Imp. viginti ſeptem conſtitutiones ſequuntur, de Decurionibus: Ex quibus appareat, quis tum Curiarum & Curialium ſtatus fuerit: & retro quibus ipſe Conſtantius rationibus Curiarum Decurionumque vtilitati conſultum iuerit: easque erigere ſategerit. Cæterum ad quinque pariter fines hæ Conſtantii conſtitutiones referendæ veniunt. Primus reſpicit *Nominationum formam & ordinem,* quo pertinet *lex 23. 28. & 46.* Secundus eo, *ne Curiæ vacuentur ſeu deſolentur,* Dignitatis alicuius aut honoris empti præſertim & honorarii, obtentu: *l. 24 25 26. 27.* (quanquam 24. 26. 27. potius Conſtantino fratri tribuendæ videntur) 34. 36. 42. 44. (excepto caſu *l. 25. inf. l. 36. in fin.*) ne Senatoriæ dignitatis *l. 29. infr. l. 42. 48.* ne officio, vel militia quacunque etiam Palatina, *l. 31. 37. 38. 42.* (niſi quinquennio impleto, *d. l. 31. 38.*) etiam armata, *l. 40. 43.* eaque quantumlibet expleta, *l. 45.* ne Aduocatione, *l. 46.* ne colonatu rei priuatæ, *l. 33.* ſolo Clericatu excepto, in ſp. *l. 49.* Tertius finis Conſtantii *legum, hoc titulo, vt Decuriones & Magiſtratus muneribus ſibi iniunctis ſedulo fungantur:* hinc adeo deſertoribus pœna impoſita *l. 29.* Quartus, *vt nouis ſubinde ſupplementis, & ſubſtitutis aliis in deficientium locum, Curiæ replerentur.* Hinc adeo Veteranorum filios in Curiam allegi vult *l 32 35.* Poſtremo & *Curialibus ſua quadam priuilegia firmat* Conſtantius. Immunitatis videlicet ab extraordinariis muneribus rei priuatæ nomine *l. 30.* ab iniuria corporis, *l 39. 47.* Item vt condemnationibus tantum certis ſubiacerent, *dict. l. 47.*

Hæc prima omnium Conſtantii *hoc titulo* lex, ad p. 361. NOMINATIONVM formam & ordinem pertinet, eſtque de ABSENTE & REFVGA ad Curiam per Edictum citato: ſcilicet hac tempeſtate, cum Curiarum refugæ multi eſſent, eos citari Edicto contigit & tertio quidem; quæ citationum forma eſt. Quo caſu ſane eo, qui tertio Edicto vocatus fuerat, minime reſpondente, ſententia ſuper eo lata valere debeat, & Curiæ addici, ex Generali Notiſſimaque iuris *legumque ſeueritate* (vt *hac l.* expreſſe dicitur) de quo trinæ per edictum citationis more & effectu videndæ ſunt *leges Decemuirales,* & *l. 68. 69. &c. D. de iudiciis.* aliaque iam ab Interpretibus occupata. Et in ſpecie tamen *huius l.* Conſtantius tertio Edicto vocatis Triginta adhuc dierum, ſeu menſis vnius laxamentum tribuit, *humaniorem* (vt ipſemet ait) *viam inſequens.* Nempe etſi ſummo iure poſt tertium Edictum vocatus, ſui præſentiam facere, vel defenſorem, iuſtas abſentiæ ſuæ cauſas allegaturum, ad iudicium mittere negligens, ſententiam in ſe latam ſufferre teneatur, & ſic in propoſito caſo, Curialia munera ſubire: attameo cum de ſtatu perſonæ, nexuque & vinculo perſonali ageretur, vtique humanius viſum Conſtantio iuſtos adhuc 30. dies ei tribuere quibus demum a lapſis ſententiam latam valere iubet, ſeu vt proprie loquitur *Conualeſcere:* Conualeſcere hic ſententia dicitur vel pro ſimplici valere, vel quæ

antea lata, verum legitimo aliquo tempore ſuſpenſa, hodie demum vires & effectum ſortitur. Non continet igitur *lex* iſta ordinarium ſeu perpetuum aliquod ius, quaſi tertio Edicto citatis XXX. adhuc de more dies tribuendi ſint: Verum laxamentum tantum quoddam, quod hoc tempore *legum ſeueritate* excluſis Conſtantius ex humanitate tribuendum credidit: eoſque in id *Edicto* adhuc commoneri voluit, vt intra dies 30. ſui præſentiam facerent ad ſeſe defendendos: alioquin fore, vt ſententia ſuper his lata effectum ſortiatur. Vbi Edicti monitorii genus iſtud poſt trinum Edictum ſeu trinam ſententiam notandum eſt. Itemque exemplo triginta dierum præſcriptionis χρονικοῦ διαστήματος & laxamenti tituli, quod & aliis caſibus tributum: vid. ſaltem *ſup. tit. de exhib. reis.* & *l. 13. ſup. de pœnis.*

DIGNITATES *affectantium ad Curiam euitandam pœna.*

XXIV. (a) Idem (b) A. Aconio Catullino (c) Vic. Afric.

QVICVMQVE fugientes obſequia Curiarum, affectauerint adumbratæ nomina Dignitatis, etſi eos ſpes falſi honoris inluſerit, triginta argenti libras inferre cogantur. Acc. Karthag. (d) Prid. Id. Decemb. Vrſo & Polemio Coss. [338.]

NOTAE.

(a) Abeſt hæc *lex* a *Codice Iuſt.* Ei omnino concordat, & plane ſimilis eſt, hoc Anno altera eiuſdem Conſtantis *lex* 1. *ſup. de honor. Codicillis* GOTHOFR.

(b) *Conſtantino*, vel *Conſtanti* hæc *lex* tribuenda eſt: neque enim Africa Conſtantio in Imperii cum fratribus diuiſione obtigerat. *ID.*

(c) *Aconius Catullinus* Vic. Africæ. Eidem inſcribuntur Anno prox. 339. *lex 4. ſup. quorum appellat.* & hoc Anno tres aliæ puta *lex 26 inf. h. t. lex 2. ſup. de honorar. Codicill. lex 5. infr. de operib. publ.* Verum hoc vnico loco integro nomine & dignitate, *Aconius Catullinus Vicarius Africæ* dicitur. Atenim in *l.* 26. *inf.* Catullinus Vic. Afric. *in l. 2. ſupr. de honor. Codicill.* Aconius Vic. Afric. in *l. 5. de operib. publ.* & *l. 4. quorum appellat.* Catullinus ſimpliciter. *ID.*

(d) *Karthago* ſedes Vicarii Africæ erat: quare ibi Accepta lex. *ID.*

DIGNITATES *quæſitæ ad Curiam euitandam quibus proſint vel non.*

XXV. (a) Idem A..... (b)

QVONIAM emptæ dignitatis obtentu Curias vacuefactas eſſe non dubium eſt, placuit, vt cuncti qui ſuffragiis Dignitatum inſignia conſecuti ſunt, inmeriti honoris ſplendore priuati, ciuilium munerum ſolemnitate fungantur. Eorum ſane intemeratas inconcuſſaſque Dignitates volumus permanere, qui vel iudicio Prouinciarum in officium Legationis electi ſunt, vel honeſtis teſtimoniis (c) adminiculis enitentes talium Dignitatum priuilegia inſigniaque meruerunt. Dat. V. Kal. Nouemb. Emeſa (d), Vrſo & Polemio Coss. [338.]

NOTAE.

(a) Abeſt & hæc *lex* a *Cod. Iuſt.* Eam forte intelligit ipſe Conſtantius *l. 34. inf.* GOTHOFR.

(b) *Conſtantio* hæc *lex* tribuenda. Sed non liquet, ad quem emiſſa, ſeu data ſit. *ID.*

(c) *γρ. Teſtimonii. ID.*

p. 388. (d) Conſtantius in Syria conſiſtens, vt teſtatur Iulianus *orat.* 1. *pag* 10. *Edit. Lipſ. Spanhem.* & ſubſcriptio *legis* 13. *ſup.* inter alia quæ in Perſas molitus eſt, latrones Arabum in Syria graſſantes per Legatos in Perſas commouit, *dict. orat.* 1. *pag.* 21. nempe ipſe Emeſæ in Syria, mox Laodiceæ & Heliopoli conſtitutus vrbe Syriæ Phœnices, Arabiæ vicina. Hinc igitur *Emeſæ* hæc *lex* ab eo data: cuius etiam Epiſcopum Euſebium Emiſenum ſecum poſtea idem in Perſas duxit, teſte Sozomeno, *lib.* 3. *c.* 5. Ad hanc Emeſæ moram pertinere videtur, quod memorat Libanius, *Orat. ad Theodoſium* 13. *p.* 413. *Edit. Morell.* Verum malo ibi legere *Edeſſæ*: de quo ad *l.* 8. *inf. de Paganis. ID.*

DIGNI-

DIGNITATES *emptæ & honorariæ ad Curiam euitandam nil proſunt.*

XXVI. (a) Impp. Conſtantius (b) & CONSTANS AA. ad Catullinum, (c) Vic. Afric.

CVNCTOS ex Comite cuiuslibet (d) ordinis, & ex Præſidibus, & Rationalibus, & Magiſtris ſtudiorum (e), denique ex Perfectiſſimis (f) honorariis, vel (g) affectus (h) eorum ad ciuica onera conſtringes: ſiquidem rectius patriæ, vel honoribus, vel Magiſtratibus expendere debuiſſent, quæcunque ab his, fœdantibus (i) honores, conſumpta ſunt. Dat. Kal. Nouemb. Vrſo & Polemio Coss. [338.]

NOTAE.

(a) Abeſt & hæc *lex a Cod. Iuſt.* GOTHOFR.

(b) Inſcribendi erant *Imppp. Conſtantinus, Conſtantius, & Conſtans. ID.*

(c) De hoc *Catullino* dixi ad *l.* 24. *ſup. ID.*

(d) Siue primi, ſiue ſecundi, ſiue tertii ordinis: de qua triplici comitiua *ſup. lib.* 6. *ID.*

(e) Videri queat non poſſe hanc vocem ſtare: reponendumque *Magiſtris Sacrarum*: argumento *l.* 14. *ſup.* verum de eo mox plenius. *ID.*

(f) De his *ſuo tit. ſup.* & in hoc ipſo argumento *l.* 5, 15. *ſup. l.* 42. & 44. *inf. ID.*

(g) *Vel* pro *&*: vid. *Gloſſ. Theod. ID.*

(h) *Affectus*, liberi: vide *Gloſſar.* & Iul. Capitolinum *in M. Anton. Philoſoph. cap.* 24. & *in Gordianis cap.* 6. affectiones, *l.* 3. *inf. de naufragiis. ID.*

(i) Data pecunia; ſic *inf. l. prox.* fœda familiaris rei vexatione. *ID.*

DIGNITATES *emptæ ad Curiam euitandam nil proſunt: idque nominatim Karthagine perque vniuerſam Africam.*

XXVII. (a) Idem AA. (b) Haue Celſine (c) K. NB.

RARVM (d) Karthaginis ſplendidiſſimæ (e) Senatum, & exiguos admodum Curiales reſidere conqueſtus es, dum vniuerſi indebitæ Dignitatis infulas fœda familiaris rei vexatione, (f) mercantur: Igitur iſtiusmodi viri, demptis honoribus imaginariis, huiuscemodi (g) illi (h) erunt, quos fuerant conſecuti, ciuicis muneribus ſubiugentur. Quod quidem per omnem (i) Africam ſollertiſſime ſeruari oportet. Dat. VI. Id. Ian. Treu. (k) Conſtantio II. & Conſtante AA. Coss. [339.]

NOTAE.

(a) Abeſt hæc *lex a Cod. Iuſt.* velut hiſtorica, localis & temporaria. GOTHOFR.

(b) Et huic legi inſcribendi erant *Conſtantinus, Conſtantius & Conſtans. ID.*

(c) *Celſino* PP. inſcribitur Anno ſuperiore 338. *l.* 4. *ſup. de petit.* & A. 341. ſine vlla pariter dignitate *lex* 6. *ſup. de donat.* quo ſane tempore P. V. fuit, vt diſcimus ex *veteri Notitia Præfectorum vrbis.* Ex *hac l.* conſtat, ſub eius diſpoſitione fuiſſe *Karthaginem*, & omnem *Africam.* Quare Præfectus Prætoria Italiæ hic accipiendus. *ID.*

(d) *Rarum* id eſt, Infrequentem. *ID.*

(e) *Karthago* ſplendidiſſima. Vetus orbis Deſcriptor ſub hoc eodem Imp. Conſtante decennio ferme poſt *hanc legem* de Africa agens *pag.* 263. *in Geographicis Antiqu. Iacob. Gronou. Quæ multas & differentes ciuitates poſſidens, vnam præcipuam & admirabilem omnium habet, quæ ſic vocatur Karthago.* Alia elogia ex Himerio, Auſonio, Auguſtino, Saluiano, iam notata aliis, *alibi. ID.*

(f) *Vexatio fœda familiaris rei*, erogatio, profuſio: Ita *l.* 7. *inf. de operib. publ. ne Senatoriæ facultates harum rerum contemplatione vexentur. ID.*

(g) *Cuiusmodi illi erunt*: id eſt quicunque ſint honores: Ita enim hic locus reſtituendus eſt; & vt feci interpungendus, non vero parentheſi hæc includenda (*huiuscemodi illi erunt quos fuerant conſecuti*:) vt quidam volunt; ſic *l.* 134. *inf. h. t.* & *l.* 9. *de ſcænicis*: huiusmodi, pro *cuiusmodi*, vel *cuiuscunque. ID.*

(h) Honores. *ID.*

(i) *Africa* omnis, quæ ſub diſpoſitione Præfecti Prætorio erat. *ID.*

(k) *Treuiris* Conſtantinus Imp. hoc tempore, *ID.*

COMMENTARIVS.

DIGNITATIBVS honorariis, imaginariis, adumbratis, ſen honoribus per ſuffragia, fœdamque familiaris rei vexationem (vt loquitur *lex* 27. vnde & fœdare honores *l.* 26. dicuntur,) coëmptis, Curias euitari, quod paſſim Curiales hac tempeſtate affectabant, vetant his quatuor legibus Conſtantinus Iunior *l.* 24.26.27. Conſtantius *l.* 25. pariter vt *l.* 34.36. 41. 42. 44. quæ omnes intra bimeſtre ferma latæ, oſtendunt, quam late malum hoc tum graſſaretur, tum in Oriente, quo ſpectat *lex* 25. tum in Occidente, ac præſertim in Africa, ac nominatim Karthagine, p.369. quo ſpectant tres Conſtantini & Conſtantis *leges* 24. 26.27. ſic vt exinde contigerit Curias vacuefieri, quod diſerte teſtatur *d. l.* 25. & 27. deque eo querelæ ad Principes perlatæ fuerint, vti docet *d. l.* 27. Scilicet vt cæteroquin fœda honorum & dignitatum uundinatione hoc ſeculum infame fuit: de quo dixi prolixe ad *leg.* 1. & 2. *ſupr. de honorar. codicill.* & *leg.* 4. *ſupr. de accuſat.* ita etiam per eam Curiæ nominatim vacuefactæ fuerant, Curialibus paſſim dignitatis adumbratæ nomina affectantibus ſeu dignitates ementibus & emercantibus. Quod factum Conſtantinus & Conſtantius atrocibus verbis inſequuntur, cum non tantum *falſum honorem* eum vocant, *l.* 24. immeritum honorem, *l.* 25. imaginarios honores, *l.* 27. verum etiam aiunt *fœdari honores* hac ratione, *l.* 26. fœdamque hanc familiaris rei vexationem, id eſt profuſionem, erogationem, conſumptionem vocant, *l.* 27.

Porro quænam hæ dignitates fuerint, oſtendit *lex* 26. Nempe eæ ferme ipſæ, quæ Conſtantini M. *lege* 14. *ſupr.* Comitiua excepta recenſentur, & ex his duæ, *lege* Conſtantii 36.41.42.44. *inf.* Hæc prima omnium eſt de *Comitiua* de qua agitur *l.* 36. 41. 44.75. 109. 127. 150. 189. eaque varii ordinis, *l.* 26. id eſt, ſiue primi, ſiue ſecundi, ſiue tertii (de qua triplici Comitiua a Conſtantino M. inſtituta, dixi plene *lib.* 6. *ſup.*) v. & *dict. l.* 127. 189 *inf.* (2.) *Præſides*, item *Rationales*, *Magiſtri ſtudiorum*: vbi proculdubio reſcribendum, *Magiſtri Sacrarum*: (quod ad ſcripturam propius, quam quod Doct. Valeſius in *Amm. Marcell. lib.* 15. *c.* 5. *Priuatæ.*) nam & ita *d. l.* 14. quarto loco *Magiſtrorum priuatæ* (rei ſcil.) dignitas memoratur: tribusque aliis ſociatur, & vero pariter proxime Rationalibus: quibus vtique & re ipſa vicini erant, de quo dixi ad *d. l.* 14. & ad *l.* 2. *ſup. de iure fiſci.* Nam quid quæſo hic faciant *Magiſtri ſtudiorum?* imo nulla talis dignitas fuit *Magiſtri ſtudiorum*, quam alii ambire potuerint. Naque huc proinde facit, quod de Magiſtrorum filiis ſtatuitur, *l.* 98. *inf.*

Exprimitur & *dicta lege* 26. honoraria *Perfectiſſimatus* dignitas: de qua agitur in hac ipſa re *l.* 5. 15. *ſupr.* & *l.* 42. 44. *inf.* De qua etſi *ſuo titulo* iam fuſe; attamen & hic quædam notanda veniunt, quæ ad Conſtantii *huius leg.* auctoris ſæculum faciunt: & quidem non aliunde ferme petita, quam ex his ipſis *huiuſce tituli* legibus, quæ de Perfectiſſimatu agunt: quarum duæ Conſtantini M. ſunt, puta *lex* 5. & 15. *ſup.* tres Conſtantii puta *hæc*, & *lex* 42 44. *inf.* Igitur notandum ex illis: Primo, Perfectiſſimatus dignitatem ſeu titulum pro magno tributum, & vero *adminiſtrationibus ampliſſimis*: quod docet *dict. l.* 5. *ſupra.* *Eos*, inquit, *qui in Palatio militarunt, & eos quibus prouinciæ commiſſæ ſunt, quique, merita Ampliſſimarum adminiſtrationum honorem Perfectiſſimatus vel Egregiatus adepti ſunt.* Item *lex* 15. *Ita vt* Et *hi, qui Perfectiſſimatus ſibi honore blandiuntur, truſi in Curiam neceſſariis officiis publicis inſeruiant.* Et hæc ſub Conſtantino M. Conſtantii quoque *legibus*, puta *hac l.* & *l.* 42 *inf.* etſi Perfectiſſimatus & Perfectiſſimi, a Præſidibus ſecernuntur, attamen tanquam genus & ſpecies ſeparantur, quia & alii Perfectiſſimi, quam Præſides fuere, veluti Rationales, qui & ipſi *hac l.* memorantur, vt docet *lex* Conſtantini M. 1. *ſupr. de bon. vac.* vbi plura. Itam Duces ſub hoc ipſo Conſtantio; teſte Ammiano Marcellino *libr.* 21. *cap.* 16. *Nec ſub eo*, inquit, *Dux quiſquam cum Clariſſimatu prouectus eſt: Erant enim, vt nos quoque meminimus, Perfectiſſimi.* Secundo obſeruandum a Perfectiſſimis & Perfectiſſimatu ſecerni Comites ſeu Comitiuam, & *hac l.* & *l.* 44. *infra*, Tertio item ſecerni tanquam inferiores dignitate a Clariſſimatu, ſeu Clariſſimis: *l.* 42. *infra h. t.* & ſuperiore Ammiani Marcellini *loco.* Nunc ad rem.

Quid igitur ad hæc Conſtantinus & Conſtantius? nempe detrahi Curialibus hos honores iubent, *l.* 25. & 27. eosque ciuicis oneribus ſeu muneribus e Curialibus adſtringi, *l.* 25. 26 27. Sed & multam præterea his imponit Conſtantinus Iun. Imp. *l.* 24. vt & *l.* 2. *ſupra de honor. Codicill.* (quæ eundem Auctorem eodem tempore habet & in eandem ſententiam, & pariter ad Africam pertinet) viginti videlicet argenti librarum: Idque (vt docet *dict. l.* 2.) præter multam aurariam, quæ in commune omnibus aliis dignitatum mercatoribus præſtituta fuerat. Atque adeo duplici multæ Curiales ſubiicit honores ementes, emendicantes; quod ea in Curiali longe turpior & exitioſior in perniciem ciuitatum & Curiarum cederet, in quibus Ciuitatum decus conſiſtebat: de quo elegans locus eſt inter alios Libanii *Orat.* περὶ προςασιῶν *num.* 3. *pag.* 9. 10. *Edit. Gothofred.* & *pag.* 366. *Edit. Oper. min. Gothofr. Cl. Trotz.* ſic vt Curiæ, ciuitatum anima eſſent; ἡ τῆς βουλῆς ἰσχὺς, ψυχὴ πόλεώς ἐςιν, ait idem Libanius *Orat. in Iuliani necem*, *p.* 297. *edit. Morell.* Qua cauſa & Curiales nerui Reipubl. & viſcera vocantur ciuitatum, *Nouella Maioriani* 1. & exinde apud Caſſiodorum non *vno loco.*

Et hæc quidem de dignitatibus emptis, vel per ſuffragia & ambitum quæſitis. Aliam rationem eſſe iubet Conſtantius dignitatum honorariarum, quas ſequentes Decuriones aſſecuti ſunt 1. *Legati* prouinciales: qui ſcilicet indicio prouinciarum in officium Legationis electi ad Comitatum Principis, quæ vtique magna dignitas fuit. Hi ſcilicet honorariis Codicillis aucti, munerum immunitate gaudebant; vt docet *lex* 25. & *l.* 36. *inf.* & *l.* 1 *ſup. de honor. Codicill.* & *l.* 23. *ſup. de curſu publ.* de quibus *Legatis* erit *inf. titulus peculiaris hoc ipſo libro.* Ad hanc vero immunitatis ſpeciem referenda videri poſſit Syneſii *Ep.* 90. in qua publici muneris immunitate frui ſe poſtulat, qua ab Imperatore donatus fuerat, τῆς λειτουργίας ἀνειμένῳ τῆς καταράτου, ἧς τὸ μὲν ἐπὶ βασιλεῖ γέγονα ἐκτός, *ſi deteſtanda publici muneris*

neris functione liberer, a qua quantum in imperatore erat immunis factus ſum, Moxque de Legatione a ſe habita aliquid adiicit. II. Si qui honorarios Codicillos meruerunt a Principe honaſtis teſtimonii adminiculis anitentes.

Ex *legis 27.* interim, quæ de Africa & Karthagine agit, ſubſcriptione hac *Dat. Tren.* apparet liquido, *Karthaginem vt & Africam Proconſularem* Conſtantino Iun. Arelatenſi, eius *leg.* auctori ceſſiſſe, non autem Conſtanti, vt Victor *in Epitom. cap. 41.* & Zonaras *Annal. Tom. II. lib. 13. cap 5. pag. 9. Edit. Venet. inter Script. R.B.* prodiderunt. Sane poſtea de ea inter Conſtantinum & Conſtantem diſſenſum, quæ diſſenſio tandem fatalis Conſtantino extitit; vt diſerte docet Victor *d. loco*, & Zoſimus *lib. 2. cap. 41.* Numidiam vero Conſtanti ceſſiſſe docebit *lex 29. inf.*

P.320.

NOMINATIONES *ad honores & munera Kalendis Martiis fieri debere.*

XXVIII. (a) Idem AA. (b) ad Anatolium Vicarium Afric. (c)

CONSTITVTIONIBVS † perſpicue definitum eſt, Kalendis Martiis Nominationes fieri, vt ſplendidorum honorum munerumque principia primo tempore procurentur: &c. Dat. VI. Kalend. Decemb. Conſtantio II. & Conſtante AA. Coss [339.]

NOTAE.

(a) Abeſt *hac lex* a *Cod. Iuſt.* & iungenda ei *lex 19. ſup. de appellat.* GOTHOFR.

(b) Conſtantio ſol. tribuitur *d. l. 19.* Imo trium Imppp. *Conſtantini, Conſtantii & Conſtantis* nomina inſcribenda erant. *ID.*

(c) Aſiæ *d. l. 19.* verum verius? Mox dicam. *ID.*

† *Conſtitutiones* hæ nuſpiam extant. *ID.*

COMMENTARIVS.

DE NOMINATIONIBVS ad *Honores ſplendidos*, id eſt Duumuiratum & ſimiles, & Munera, eſt hæc Conſtantii Imp. Conſtitutio: non de nominatione ſimplici ad Curiam; vt quidam male: quæ pars eſt prolixioris Conſtitutionis Conſtantianæ: qua partim tempora Nominationibus faciandis præſtitutum iuit, quo pertinet *hac lex:* partim vero Tempora Appellationum a Nominationibus, quo ſpectat *lex 19. ſup. de appell.* quæ, ceu eiusdem Conſtitutionis pars, huic coaſſanda venit. Scilicet & *hac* quoque *lege* id conſtituitur, quod ſuperioribus perſpicua definitum iam fuiſſe ait (e quarum tamen numero nulla ſupereſt) Kalendis Martiis Nominationes fieri debere. Qua cauſa forte *lex 2. ſup. de veteranis*, qua immunitas a muneribus tribuitur, *data* dicitur *Kalendis Martiis.* Sed & appetente Nominationum tempore *lex 84. inf. h. t.* quæ formam Nominationibus præſtituit, dicitur *PP. XV. Kal. Martii.*

Et rationem addit Imp. *Vt ſplendidorum honorum munerumque principia primo tempore procurentur. Primum tempus* ſcil. vocat Ver: ſicut primum Ver in veteri commeatus militaris formola: *ſi quis veſtrum ſuos inuiſere vult, commeatum do: Primo Vere edico, adſitis: vt Diis bene iuuantibus bellum ingentis gloria prædaque futurum incipiamus*, apud Liuium *libr 21. cap. 21* Nos ſane vocem retinuimus, *Primtemps* pro *Vere* & alicubi inde, *Primeuere.* Notiſſima porro ſunt iam ea quæ de menſe Martio, qui olim apud Romanos menſis primus erat, notata: Nota & *Matronalia*, quæ ao agitata, vt & munuſcula, quæ Kaleudis Martiis miſſitata.

Illud notandum ſupereſt, hanc conſtitutionem eſſe Conſtantii Imp. *Anatolius* quippe, cui hæc *lex* inſcribitur, erat *Vicarius Aſiæ*, vt recte præfert *d. l. 19. ſupr. de appellat.* quæ *huic*, vt dixi, coaſſanda venit, non vero Africæ, vt hæc *lex* præfert. Anatolius ſcilicet hic Syrus Beryto oriundus, præſtantiſſimusque Iuriſconſultus, Beryto io Ponticam translatus, primum Conſularis Galatiæ factus aſt teſte Libanio, *Ep 577.* deinde in proximam Aſiam translatus, Vicariusque Aſiæ factus eſt: Exinde Illyricum translatus, *PP. Illyrico* factus: de eo plura in *Proſopogr.*

DVVMVIRORVM *deſertorum pœna: vetitique Curiales* SENATORES *fieri, niſi cunctis honorib. expletis.*

XXIX. (a) Idem AA. (b) Ordini ciuitatis Conſtantinæ (c) Circenſium. (d)

MAGISTRATVS (e) deſertores ad eam Grauitas Tua faciat neceſſitatem conditionis vrgueri, vt quascunque pro his expenſas ciuitas prærogauit (f), refundere protinus, ac repræ-

repræſente cogantur. Et * deinceps tenaciter obſeruabit, ne qui derelicta Curia in ordinem veniant Senatorium, priusquam cunctas functiones ciuicis honoribus penſitauerint. Dat. XIV. Kalend. Feb. Naiſſo (g), Acyndino & Proculo Coss. [340.]

NOTAE.

(a) *Lex 20. Cod. Iuſt. eod. tit.* GOTHOFR.

(b) Inſcribenda quoque huic legi *Conſtantini, Conſtantii, Conſtantis*, nomina. *ID.*

(c) Ita quoque habuit *Cod. Iuſt.* Cuiacius in *Ædeſſenæ* mutauit, ex vetuſtiſſimo libro, vt ipſe quidem ait, de quo mox. Veteres quidam etiam legerunt *Sironenſium*. *ID.*

(d) Hæc vox *Cod. Iuſt.* retracta ad initium *legis*; ita, *Circenſium Magiſtratus deſertores*. Quod erroneum eſt. Vindicanda enim hæc vox Inſcriptioni, & reponendum *Cirtenſium*. *ID.*

(e) *Magiſtratus*, id eſt Duumuiratus. v. *Paratitlon*. *ID.*

(f) *Prærogauerit*, vel *prorogauerit*, Cod. Iuſt. *ID.*

* Sequentia reſecata a *Cod. Iuſt.* *ID.*

(g) *Naiſſo* pariter data menſe proximo *lex 5. ſup. de petition.* ad Callepium Rationalem trium prouinciarum (id eſt Siciliæ, Sardiniæ, Corſicæ) Ex quo apparet hanc legem *Conſtanti* tribuendam: ac proinde etiam ad *Oſdroenam* non pertinere, quæ Conſtantio parebat. *ID.*

COMMENTARIVS.

P. 371. DE DVVMVIRIS DESERTORIBVS eſt hæc Conſtantis Imp. conſtitutio: qui ſcilicet Duumuiratum gerentes, Magiſtratum & ſolemnia, ſeu χορηγίας, quæ Magiſtratibus incumbebant, defugiebant, deſerebant. Id ſcilicet intereſt, inter *legem 16. ſup. & hanc noſtram*: Illa eſt, de Nominatis refugis & latentibus, ne Duumuiratum capeſſant: Hæc vero de iis, qui Duumuiratum gerentes, vbi ſolemnium expenſarum tempus aduenit, ſeſe e medio ſubducunt, & Magiſtratum *iam ſuſceptum* deſerunt, expenſarum lucri-faciendarum gratia. Notum ſcilicet, Duumuiris ſeu Magiſtratibus magna onera incubuiſſe, ac nominatim, ne de ſportulis dicam, quas Magiſtratum ineuntes erogare ſolebant, (quod Plinius teſtatur *libr. 10. ep. antepen.*) aliiſque χορηγίαις, ſpectaculorum, ἀγώνων edendorum onus: quod teſtatur diſerte *lex 1. 4. infr. de ſpectaculis* & *lex 169. infr. h. t.* ſed & Tertullianus *de ſpectaculis, cap. 12.* vbi de Muneribus; *Licet*, inquit, *tranſierit hoc genus editionis ab honoribus mortuorum, ad honores viuentium. Quæſturas dico, & Magiſtratus, & Flaminia, & Sacerdotia; cum tamen nominis dignitas idololatriæ crimine teneatur, neceſſe eſt quidquid dignitatis nomine adminiſtratur, communicet etiam maculas eius a qua habet cauſas.* Et Libanius, *pro Ariſtophane ad Iulianum p. 212. edit. Morell.* καὶ προῆλθεν, δαπανῶν εἰς τὴν καλουμένην στρατηγοῦ λειτουργίαν. Quem locum non cepit Interpres Morellus, dum vertit, *deinde perrexit ſuppeditans ad officium eius qui Strategus nominatur.* Item *de vita ſua p. 2. edit cit.* καὶ χορηγίαις, καὶ ἀγῶσι, καὶ λόγοις, ὅσοι φοραῖς (πορφύραις) ἀρχόντων ἀπαντῶσιν, quem locum itidem non cepit Morellus, vertens: *& ſuppeditationibus ac certaminibus, & ſermonibus, quibus magiſtratuum purpuræ excipiuntur.* Idque etiam diſcimus ex *variis* eiuſdem *Epiſtolis*. Porro hæc ſpectacula erant varii generis, & expenſæ magnæ. Igitur Duumuiri ſæpe vt has expenſas euitarent, Magiſtratum deſerere nitebantur, *Senatoria* forte dignitate impetrata: vt docet extrema pars *huius legis* (de qua dignitate Senatoria ambita a decurionibus ad euitandam videlicet Curiam Curiæque munera, cum ſint 26. præterea *leges hoc titulo*, quas repetere licet ex *Paratitlo*, (inter alias duæ Conſtantini M. puta *lex 14 & l. 18.* Conſtantii totidem, puta *lex 42. 48. infr.* vbi dixi) vnica hæc eſt diſerte de *Duumuiris* ad Senatoriam dignitatem confugientibus, euitandorum onerum Duumuiratus cauſa. Huic igitur fraudi occurrit *hac l.* Conſtans Imp. ne quid ciuitatum voluptati detrahatur. Quare iubet, expenſas quas Duumuirum facere oportuit, Ciuitatem prorogare, quas Duumuir poſtea refundere cogatur; bonis eius forte captis, ſi is abſit. Cui ſimilis eſt prorſus altera Conſtantii Imp. conſtitutio in Prætores pariter editionis ſuæ tempore abſentes, puta *lex 6. ſupr. de Prætoribus*: puta, vt pro eo, quem abſentem tempus editionis inuenerit, erogationem debitam fiſcus expendat: poſt aduentum, cuncta quæ prærogata fuerint, ſoluturo: videatur & Symmachus *libr. 4. ep. 8.* Etſi poſtea pœna inſuper abſentibus indicta: *l. 13. & 20. eod. tit. de prætorib.*

Nunc de *Legis* Inſcriptione veraque lectione. Inſcribitur ea ſcilicet *Ordini Ciuitatis Conſtantinæ Cirtenſium*, ita enim reſcribendum eſt. *Conſtantinæ*, inquam: Quomodo etiam habet *Codex Iuſtinianeus*: vbi tamen ex vetuſtiſſimo *libro* Cuiacius reponebat *Ædeſena*, quæ vrbs Oſdroenæ eſt; qui idem ſcribit videri *hanc l.* ſcriptam fuiſſe ad *Præſidem Oſdroënæ*. Quod non admitto, nam vt omittam *huius Codicis* lectionem, & aliorum omnium Codicum *Cod. Iuſtiniani*, ſane hic *Ædeſenæ* ſtare non poſſe, vel eo quoque conuincitur; quod hæc *lex* non Conſtantium Auctorem habet, cui Oriens, & ſic Oſdroëna, parebat, verum Conſtantem, vt oſtendit ſubſcriptio legis *Dat.* NAISSO, cui ſimilis eſt altera in *l. 5. ſup. de petit.* menſe proximo data ad Rationalem trium prouinciarum, id eſt, Siciliæ, Sardiniæ, Corſicæ: Nam & hæ tres prouinciæ Conſtanti in Imperii diuiſione ceſſerant: & ipſa *Naiſſus*, quæ Mœſiæ vrbs fuit; itemque Numidia, vt exinde diſcere licet, cum Africa Proconſularis Conſtantino ceſſiſſet: de quo ad *l. 27. ſupr.* Ergo maneat, retinendam hic vocem *Conſtantinæ*. Neque etiam Conſtantina Phœniciæ hic accipienda, quod Cuiacius putauit, ad *hanc leg.* ſed indicatur apertiſſime *Conſtantina Cirtenſium*, quæ ciuitas *Numidiæ* erat, cuique *Conſtantinæ* nomen haud ita pridem inditum fuerat,

fuerat, de Conſtaotini Imp. nomine Sex. Aurelius Victor Schotti *c. 40. Maxentii nece vix credibile quantum lætitia, gaudioque Senatus ac plebes exultauerint.* Et mox: *Tum per Africam ſacerdotium decretum Flauiæ genti: Cirtaque oppido, quod obſidione Alexandri* (Vicarii Africæ) *ceciderat, repoſito exornatoque, nomen* CONSTANTINA *inditum: adeo acceptius præſtantiusque Tyrannorum depulſoribus nil eſt.* Cirtæ igitur (cuius multa mentio apud veteres, Liuium, *lib. 30. cap. 12.* Salluſtium, *in Iugurtha c. 21.* Strabonem, *lib. 17 pag. 1188 Edit. Almeloueen.* Hirtium *de bell. Africano, cap. 25.* Melam, *lib. 1. c. 6.* Ptolemæum, *lib. 4. cap. 3.* Æthicum, *pag. 722. Edit. Gronou. ad calcem Melæ.* Auguſtinum &c. (quæque poſtea Concilio A. D. 412. habito, quod *Cirtenſe* ideo dictum, famoſa extitit: de quo Auguſtinus *Ep. 152.* (ſiu. *141. edit. Benedictin.*) & *ep. 158.* (ſiu. *139. edit. Benedictin.*) in qua & *Principalis Cirtenſis* mentio fit) Conſtantinæ nomen inditum, & *Conſtantina Cirtenſium* dicta, ad diſcrimen aliarum vrbium, quæ *Conſtantinæ* pariter dicebantur. Quanquam & abſolute quandoque *Conſtantina* vocatur: veluti in ſubſcriptione *legis 9 inf. de ſuſceptorib. legis 15. de nauicular.* & in *Nouella Valentiniani*, inter *Theodoſianas*, 23. & apud Æthicum, *in Coſmogr. pag. cit.* Auguſtinus *lib. 2. contra Petilian. c. 99. Inter Conſtantinam,* inquit, *vbi tu es, & Hipponem vbi ego ſum, Calama, vbi ille eſt, vicinior quidem nobis; ſed tamen interpoſita eſt.* Erat ſcilicet Petilianus Conſtantinienſis in Numidia Epiſcopus, quod diſerte Auguſtinus teſtatur, *titulo libri tertii contra libr. Petil.* idemque Cirtenſis. Inde Auguſtino alibi in Inſcriptione *Commentariorum* in eius literas editorum, & exordio *libri primi* contra Creſconium, *Petilianus Cirtenſis* nominatur. Hæc cum Baronius minus attenderet, A. 398. n. 31. emendandum Auguſtinum putauit, ne duos Petilianos opus eſſet aſſerere.

Hæc cum ita ſint, iam & illud apparet, vocem *Circenſium* non eſſe hic retinendam; quod etiam bonus Accurſius recte vidit; qui ciuitatis nomen hic contineri recte diuinauit, multominus retrahendam eam vocem ad *initium legis*, quomodo *Codex Iuſtinianeus* habet ita: *Circenſium Magiſtratus deſertores:* quaſi hic deſignentur, qui ludis Circenſibus præerant: & deſignatores: quod inter alia tentabat Alciatus hic (etſi *Circitorum* vocem quoque hic tentet) & tuetur quoque Iuretus *in Symmachum libr. 4. epiſtol. 8.* Quaſi vero Duumuiri nonniſi Circenſes ediderint, ac non etiam alia ludorum genera: puta Munerum ſiue ferarum, de quibus frequens quoque mentio in epiſtolis Libanii; ſiue Gladiatoriorum, & quidem in Africa (quo *hac lex* pertinet) vbi Gladiatorum ludi hac tempeſtate ſtetere: quod pluribus oſtendo ad *l. 1. infr. de gladiator.* & vero diſerte docet vetus Orbis Deſcriptor ſub Conſtantio & Conſtante, octennio ferme poſt hanc *legem cap. 54 pag. 269. in Geographicis antiqu. Iacob. Gronou.* Item Gymnicos ludos: quod docet Libanius *in Antiochico, p. 358. edit. Morell.* P. 573.

His ita conſtitutis, apparet ſimul, quam nihil, imo quam male *huius leg.* interpretatione defunguntur *Codicis Iuſtin.* Interpretes; etiam nuperus Commentator Hiſpanus ad *hanc leg. libr. 10. Codicis*, qui ibi omnia alia tractat, quam oportuit.

Tandem quod *h. l.* dicitur *Grauitas Tua*, ex eo colligat quis, hanc *legem* non tantum Ordini ciuitatis inſcriptam, verum inſuper *Prouinciæ Rectori*; (Conſulari, inquam, Numidiæ.) quod & ipſum recte vidit *Gloſſa.*

Ab EXTRAORDINARIIS *muneribus, veluti pro re priuata, Curiales immunes eſſe.*

XXX. (a) Idem AA. (b) Nemeſiano Com. (c)

CVRIALES omnium ciuitatum nullam pro re priuata noſtra debent inquietudinem ſuſtinere, nec huiusmodi oneribus, veluti extraordinariis, occupari: quoniam ſatis eſt, ſi ciuitatum munera per eos congrua (d) conpellantur, (e) &c. Dat. prid. Id. Aug. Beſſæ, (f) Acyndino & Proculo Coss. [340.]

NOTAE.

(a) *Lex 21. Cod. Iuſt. eod. tit.* GOTHOFR.

(b) Recte: tribuenda hæc lex, *Conſtantio & Conſtanti*, iam enim *Conſtantinus Iun.* obierat. *ID.*

(c) *Largitionum:* vt docet *lex 5. ſup. de exact.* (vnde id Cuiacius *huic legi* in *Cod. Iuſt.* addidit) ſed & argumentum *huius ipſius legis* id ingerit, ibi, *pro re priuata noſtra.* Quæ ipſa verba oſtendunt eum largitionum priuatarum Comitem fuiſſe. *ID.*

(d) *Congrue*, C. Iuſt. quod magis congruere videtur: quanquam & iſtud ſuſtineri poteſt; Obſequia congrua; *l. 49. infr. in fin. ID.*

(e) *gg.* Inuerſis literis *compleantur*, vt etiam habet *Cod. Iuſt. ID.*

(f) *Beſſa* in Thracia prope Philippopolim, cuius meminit quoque Itinerarium Antonini *pag. 136. edit. Weſſeling.* (in quo tamen *Beſſapara* legitur) vnde *Beſſi*, metallarii. Aliam *Beſſam* quoque memorat in Locris, Strabo *lib. 9. pag. 652. Edit. Almeloueen.* & Stephanus *voc. Βῆσσα*, *ID.*

COMMEN-

COMMENTARIVS.

IMMVNES eb extraordinariis muneribus, id eſt a muneribus, quæ aliena ſunt a ciuitatum muneribus, pronunciantur Decuriones, hac Conſtantii conſtitutione: pariter vt ab Honorio, *l. 31. inf. de ſuſceptorib.* Ac nominatim a muneribus, quæ pro re priuata Principis ſuſtinentur: velnti ſi rei priuatæ Principis adminiſtratio vel exactio his iniungitur. Quod quidem Ciuitatum quoque vtilitati oſtum: *Quoniam*, inquit Conſtantius, *ſatis eſt, ſi ciuitatum munera per eos congrua compleantur. Ne publica*, inquit, Honorius *d. l. 31. vacillet vtilitas.* Quomodo etiam id, quod cauetur *l. 97. inf. ne Curiales ad conductionem vectigalium accedant*, ciuitatum vtilitatem reſpicit, pariter vt e conuerſo, ne conductores vectigalium munera municipalia ſubeant, *l. 5. §. 10. D. de iure immunit.* Alioquin (quod *huic l.* opponi poſſet) ſuſceptio ſeu exactio annonarum & tributorum Curialibus imminebat: de quo *l. 8.* & *14. ſup.*

Ex omnibus OFFICIIS, *etiam Palatinis, intra quinquennium Curiales retrahendos.*

XXXI. (a) Idem AA. ad Catullinum. PF. P.

NVLLVS omnino ex Tabulariis, vel Scribis, vel Decurionibus, eorumque filiis, in quocumque Officio militet; ſed ex omnibus Officiis, necnon etſi intra noſtrum Palatium militent, nec dum impleto quinquennio, repperti & retracti, protinus Curiis Officiisque municipalibus reddantur. Dat. VIII. Kal. Iul. Lauriaco, Marcellino & Probino Coss. [341.]

NOTAE.

(a) *Lex 1 Cod. Iuſt. de Tabulariis, Scribis, Logographis* &c. Repetita ea totidem verbis *l. 1. ſupr. de Tabulariis, Logographis* &c. *GOTHOFR.*

COMMENTARIVS.

Hæc Conſtantis *lex* explicata eſt *l. 1. ſup. de Tabulariis*, vbi ea totidem verbis repetita extat.

P. 573.

De VETERANORVM *filiis in Curiam allegendis.*

XXXII. (a) Idem AA. ad Hilarianum..... (b)

MILITARIVM (c) filios, qui geſtandis armis idonei non eſſe dicuntur, Curiis iamiamque tradi oportet: Nam Reipublicæ incommodum (d) eſt, Curias hominum paucitate langueſcere. Dat. XVI. Kalend. Septemb. Marcellino & Probino Coss. [341.]

NOTAE.

(a) Abeſt hæc *lex* a *Cod. Iuſt.* Eam firmat rurſum Conſtantius *l. 35. infr. GOTHOFR.*

(b) Hic procul dubio idem eſt cum *Mecilio Hilariano*, cui Anno 339. inſcribitur *lex* 3. & 4. *ſupr. de Prætorib.* De eo v. plura in *Proſopogr. ID.*

(c) *Militarium*, ideſt, Veteranorum; pariter vt *l. 18. ſupr.* vbi dixi. *ID.*

(d) *Incommodum*, pro damnoſum, noxium. *ID.*

COMMENTARIVS.

VETERANORVM filios in Curiam, & ſtatim quidem, allegi, ſi armis idonei non ſint, iubet *hac leg.* Conſtans Imp. pariter vt Conſtantinus M. *leg. 15. 18. 19. ſupr.* Conſtantius *leg. 35. infr. hoc tit.* Et duodecim præterea aliis *hoc Codice* conſtitutionibus: de quibus ſemel & ſub vnum obtutum & in *Paratitlo*, & ad *l. 15. ſupr.* quæ & ipſa vt dixi, de earum numero eſt. Eſt inquam hæc *lex* Conſtantis, non Conſtantii.

Ratio tantum hic expendenda venit. Ait, Conſtans, *Reipublicæ incommodum eſſe*, ideſt, damnoſum, noxium, *Curias hominum paucitate langueſcere:* Quo pertinent, quæ iam notaui ad *l. 27. ſupr.* de Curiarum vtilitate & præſtantia: ex Libanio,

Maio-

Maioriani *Nouell.* 1. & Caſſiodoro. Gemious certe germanus eſt Vlpiani locus in *leg.* 3. §. 2. *D. de Decur. cum*, inquit, *ex eius vtilitate ſit, ſemper Ordinem plenum habere.*

De POSSESSORIBVS *idoneis ad Curiam vocandis: quisque hac in re poſſeſſionis modus: tandem variis hac in ipſa re eluſionibus occurritur.*

XXXIII. (a) Idem AA. Rufino (b) Com. Orient.

QVONIAM Sublimitas (c) Tua ſuggeſſit, multos declinantes obſequia, machinari, vt priuilegia rei Priuatæ noſtræ Colonatus iure ſectantes, Curialium Nominationes declinent, ſancimus, vt quicumque vltra vigintiquinque iugera priuato dominio poſſidens, ampliorem (d) ex re Priuata noſtra iugerationis (e) modum cultura & ſollicitudine propria gubernauerit, omni priuilegiorum, vel originis, vel cuiuslibet excuſationis alterius fruſtratione ſubmota, Curiali conſortio vindicetur. Illo etiam Curiæ ſimiliter deputando, qui minus quidem quam vigintiquinque iugerorum proprietatem habeat, ex rebus vero noſtris, vel paruum, (f) vel minorem iugerationis modum ſtudio cultionis (g) exercet. Ita vt omni fraude ſubmota, ſi qui venditione ſimulata præſcribtas Legi minuat facultates, omne quod ſimulata venditione ad alium tranſtulit, fiſci noſtri viribus vindicetur. Quam pœnam illi etiam ſuſtinebunt, qui ceptioſa ſupplicatione delata, ſpeciale Reſcribtum in fraudem ſanctionis extorſerint. Dat. Non. April. Antiochiæ, Conſtantio III. & Conſtante II. AA. Coss. [342.]

NOTAE.

(a) Abeſt & hæc *lex* a *Cod. Iuſt.* quæ tamen ſingularis eſt, & vtilis. *GOTHOFR.*

(b) *Rufinus* Comes Orientis ſub Conſtantio: Meminit quoque Libanius *ep. ad nepotem eius Rufinum* 737. *ID.*

(c) *Sublimitatis* titulus tributus Comiti Orientis. *ID.*

(d) Aliquem non ampliorem quam 25. iugerum, ſed *ampliorem*, ideſt, præter & vltra 25. iugera, quæ iam habet. *ID.*

(e) *Iugeratio* hic, & paulo poſt, quæ alibi *iugatio*. v. *Gloſſ.* *ID.*

(f) Forte, *parem.* *ID.*

(g) *Cultio*, ſupt. *cultura.* *ID.*

COMMENTARIVS.

p. 374. DE PLEBEIIS POSSESSORIBVS fundorum ad Curiam nominandis per diœceſim Orientis (cuius caput Antiochia erat, vbi hæc *lex* data) eſt hæc *ſingularis* admodum Conſtantii Imp. conſtitutio: Scilicet, quod & aliæ *leges* docent, puta *l.* 5. 13. *ſupr. l.* 53. 72. 96. 133. 140. *infr. hoc tit.* vbi opus erat, plebeii cuiusque oppidi ciues, quos ſplendidior fortuna ſubuexerat, glebæ ratione, qui muneribus ſubſtantiam aptam poſſidebant, qui aliquorum prædiorum poſſeſſores erant, qui ex numero plebeiorum agro idonei erant, denique poſſidendi conditione (quæ omnia habes in *Paratitlo*) ad Curiam vocari potuere.

Quis autem cenſus & poſſidendi hac parte Modus præſtitutus fuerit? nulla *lex hoc Cod.* præter *hanc* edocet; quæ ſane huic rei modum ponit: neque enim aut æquum aut vtile erat, (& vt in eadem re loquuntur apud Vlpianum *l.* 6. *D. de muneribus*, Diui Fratres, *minus vtile, & nequaquam honeſtum*,) vocari paſſim omnes etiam tenuium fundorum poſſeſſores. Quomodo & *d. l.* 6. *D. de munerib.* ad Magiſtratum compelli Decuriones non voluerunt Principes, etſi ordo eos tangeret, *ſi tenues & exhauſti eſſent.* Igitur præſcriptus *hac lege*, facultatum modus, vt quis ad Curiam vocari poſſet: Nempe, ſi quis vltra 25. iugera poſſideret: non vero ſi hunc modum non poſſideret: ſi inquam 25. tantum iugera, vel minorem adhuc modum: Vnde apparet, eum qui non vltra 25. iugera poſſideret, hac parte pro inidoneo *paupere* habitum: cum alioquin *paupertatis* modus aliter atque aliter æſtimetur: de quo Menochius 2. *de arbitr. c.* 65. ad cuius diligentiam accedere deinceps poterit hæc ſingularis lex, quam ipſe non vidit. Pariter vt *Nouella Valentiniani* inter Theodoſianas *de ſucceſſione curialium* 28. qua 300. ſolidorum quantitas hac parte præſtituitur. Ergo hic cenſus legi hanc ad rem ſufficere viſus, partim ipſorum qui ad Curiam vocarentur contemplatu, ne alioquin a neceſſariis ſibi operis tenuiores abducerentur: partim ne Curiæ ſatis conſultum non eſſet, ſi tenuioris fortunæ poſſeſſores adſciſcerentur. Hic proinde *hac leg.* præſcriptus modus: nam de veteri Decurionum cenſu, vide Plinium *lib.* 1. *ep.* 19. & dicam ad *l.* 169. *inf.*

Circa hunc vero modum variæ adhuc quæſtiones enatæ, quia ſcil. & legi varias machinationes, fraudes, captiones (quibus vocibus *hac lex* vtitur) nonnulli facere tentarent.

Primum igitur quæſitum, Vtrum ſi poſſeſſor fundorum ſuorum vltra 25. ingera: Colonus ſimul fundorum *rei priuatæ ſeu domus Principis* eſſet, a curia ideo liberaretur? Quod ſane quidam obtendebant, & ideo etiam ne ad curiam nominarentur, Coloni rei priuatæ fiebant: quandoquidem Colonis rei priuatæ, quemcunque tandem agri modum colerent, hoc priuilegii datum erat, vt eis immunitas a Curia competeret: quomodo & immunitas competebat, ab extraordinariis & ſordidis muneribus, *l. 5. ſup. de extraord.* de quo vt & de Colonis in genere, & quidem rei priuatæ conſule *Paratitlon de fugitiuis colonis.* Verum huic priuæ *machinationi* ſeu fraudi occurrit *hac leg.* Conſtantius, & definit, ſatis eſſe, ſi ſuo ipſe & priuato dominio præſcriptas *lege* facultates poſſideat, neque adſcito alienæ, priuatæ puta rei, colonatu, legis vim eludi poſſe. Priuilegium ſcilicet rei priuatæ his demum prodeſt, qui rem tantum priuatam gubernant, ſeu ſtudio cultionis exercent. Et ſic hoc caſu nominationibus Curialibus, ille quoque plebeius obnoxius erat, qui in domo Principis erat *ex hac leg.* Quomodo etiam qui Curialis iam erat domus Principis obtentu Curia non liberabatur, *l. 114. infr.* vbi v. quæ dicam.

Imo, quod *ſecundo iam capite huius leg.* continetur *verſ. Illo etiam*, etſi non integrum legeque præſcriptum modum ſuo proprio dominio quis poſſideat vltra 25. ingera inquam; ſi tamen rei priuatæ fundos excolat, ad Curiam vocari eum poſſe definit *h. l.* Conſtantius. Tantum ſcil. abeſt, vt colonatu rei priuatæ idoneus poſſeſſor a Curia liberetur, vt contra colonatu rei priuatæ id efficiatur, vt qui ex perſona ſua, modoque poſſeſſionis ſuæ non omnino ad curiam ipſe vocari poſſet, vtpote non integrum cenſum Curialem poſſidens, iam poſſit, contributione (quæ ἐπιβολῆς quædam ſpecies notanda eſt) fundorum in vnum facta. Quod & ipſum ſingulare eſt.

Tertio *capite, verſ Ita vt*, fraudi eorum occurritur, qui ſimulata *venditione* rem ſuam infringere, legeque præſcriptas facultates, ne ad Curiam vocarentur, imminuere ſolebant: propoſita pœna confiſcationis bonorum alienatorum in fraudem Curialis nominationis. Quæ tralatitia alioquin pœna eſt, rem ſuam imminuentis, frangentis in fraudem publicam.

Poſtremo *capite verſ. Quam pœnam*, eadem pœna proponitur aduerſus eos qui *Reſcriptum* obreptitie, ſeu, vt hæc *lex* loquitur, *captioſa ſupplicatione* impetrauerint, vt a Curia excularentur, quamlibet præſcriptum lege modum poſſidentes: vt cæteroquin Reſcripta in fraudem vtilitatis publicæ impetranti non tantum non prodeſſe, verum etiam fraudi eſſe ſolent, de quo *ſupr. tit. de diuerſ. reſcriptis.*

Et hæc quidem ſingularis admodum huiusce legis, quæque in praxim vtiliter deduci poteſt, quotiescunque agitur, de onere certo poſſeſſionis modo impoſito, ſententia eſt: quæ ad Orientis diœceſim pertinet (vt docet inſcriptio *legis*) & nominatim ad Curiam *Antiochenam*, vt ex eadem colligere eſt, collata cum ſubſcriptione. *Dat. Antiochiæ.* Vnde apparet, exhauſtam hoc tempore fuiſſe Curiam Antiochenam, eamque euitaſſe plures, modo omnibus, qui ad eam vocari poſſent. Cui etiam ſupplendæ deinceps Iulianus poſt Conſtantinum tam enixe incubuit: de quo ad *l. 51. infr* vbi & de Antiochenæ Curiæ dignitate plura. Cum tamen, ſi Libanio credimus, *in Antiochico, p. 358. 359. edit Morell.* poſtea ſub Theodoſio M. certatim quique eam appeterent.

p. 375.

DIGNITATIBVS *honorariis Curiam non euitari.*

XXXIV. (a) Idem AA. ad Auxentium Præſid. Aug. Tamnice. (b)

EOs qui Curialibus muneribus obnoxii honorariis dignitatibus gaudent, iuxta Legem † noſtram, remoto hoc patrocinio, publicis vtilitatibus obedire, ac ſatisfacere prudentia (c) Tua decernat. Dat. VI. Id. April. Antiochiæ, Conſtantio III. & Conſtante II. AA. Coss. [342.]

NOTAE.

(a) Abeſt & hæc *lex* a *Cod. Iuſtin.* GOTHOFR.

(b) De hoc mox in *commentario:* vbi inter cæteras vrbes, & præcipua, *Peluſium. ID.*

† Quam legem intelligit? *ID.*

(c) *Prudentia Tua* ad Præſidem. *ID.*

COMMENTARIVS.

DIGNITATIBVS honorariis curias euitari non poſſe rurſum definit Conſtantius *hac leg.* pariter vt anteriore aliqua *lege* id a ſe conſtitutum indicat. Quod ſane ab eo factum *l. 25. ſupr.* ante quadriennium, vbi plura. Et deinceps variis conſtitutionibus *l. 36. 41. 42. 44. infr.*

In Inſcriptione tantum *huius legis* notandum datam illam eſſe *ad Auxentium Præſidem Aug Tamnice*, ideſt, *Auguſtamnicæ*, quæ Ægyptiacæ diœceſeos prouincia erat; de qua accipienda quoque *lex 9. Cod. Iuſt. de vectigal. & comm.* quæque ſub diſpoſitione Præfecti Auguſtalis ſeu Ægypti fuit, vt docet

Noti-

Notitia Imperii fol. 76. Athanaſius *Apol. 2. pag. 774. Tom. I. Oper. Edit. Colon. ſiu. Lipſ. apud Weidm.* memorat eiusdem Conſtantii Epiſtolam de immunitate Clericorum Athanaſii, ad Neſtorium, eodemque exemplo ad Rectorem Auguſtamnicæ, Thebaidis, & Libyæ A. D. 348. Meminit eius & Ammianus Marcellinus *lib. 22. cap. 16. init. Tres*, inquit, *prouincias Ægyptus fertur habuiſſe temporibus priſcis, Ægyptum ipſam, & Thebaidam, & Libyam: quibus duas adiecit poſteritas: ab Ægypto, Auguſtamnicam & Pentapolim, a Lybia ſicciore diſſociatam &c. In Auguſtamnica oppidum Peluſium eſt nobile, &c. & Caſſium, vbi Pompeii ſepulchrum eſt Magni, & Oſtracine, & Rhinocolura.* Meminit & vetus *Notitia* prouinciarum Schonhouiana ſub Theodoſio M. conſcripta *pag. 85. ad calcem Breuiar. Feſti edit Cellar.* Ex *hac* interim *lege* collata cum *canone 6. Concilii Nicæni pag. 325. Tom. I. Concil. Edit Harduin.* quo inter Ægypti prouincias *Auguſtamnica* non connumeratur, apparet Auguſtamnicam prouinciam factam poſt Concilium Nicænum: hoc medio ſpatio ab A. D. 325. ad A. 342. quo hæc *lex* (qua antiquiſſima eius mentio continetur) lata eſt.

Illud adhuc obſeruandum *Præſidem Auguſtamnicæ* præfuiſſe ſub Conſtantio vt hæc *lex* docet: verum *Correctorem* ei poſtea præfuiſſe docet *Notitia Imperii fol. 3.* Eaque etiam poſtea in duas ſubdiuiſa, quarum prima Conſularem habuit, altera Correctorem, vt docet *Nouella Iuſtinian. 8.* & *Notitia*.

Tandem notandum cum varie hoc nomen efferatur, *Auguſtamnicam* hic vocari pariter, vt & apud Athanaſium, & Ammianum Marcellinum: *Auguſtanica*, modo *Auguſtamnica*, in *Notitia Imp. fol. 3. 76. 86.* & *d. Nouell. 8.* Auguſtanea *d. l. 9.* Auguſtanis vel Auguſtamnis, in *Indice Schonhouiano*.

De VETERANORVM *filiis ad Curiam vocandis.*

XXXV. (a) Idem AA. Leontio PF. P. (b)

ITERATA † lege ſancimus, vt Veteranorum filii, ſi poſt ſedecim annos militiæ munus ſubire non poſſint, vel armis geſtandis habiles non exiſtant, Curiis mancipentur. Dat. V. Kal. Iul. Hierapoli, (c) Placido & Romulo (d) Coss. [343.]

NOTAE.

(a) Abeſt hæc *lex* a *Cod. Iuſt.* Eam Conſtantius exſcripſit verbotenus ex *l. 4. ſupr. de fil. mil. apparit.* quam & initio indicat. *GOTHOFR.*

(b) *Leontius* PP. Orientis ſub Conſtantio. v. *Proſopogr. ID.*

† Poſt Patris Conſtantini legem, puta *d. l. 4. ID.*

(c) Hanc ſubſcriptionem loci mox expendo. *ID.*

(d) Ita quoque *l. prox.* alias *Romulo*, Sæpe v. & y. commiſcentur in veteribus libris, & lapidibus: vt monuit iam Iuretus in *Symmachum*, *lib. 1. ep. 57. ID.*

COMMENTARIVS.

P. 376

VETERANORVM filios in Curiam allegi poſt decimum-ſextum ætatis annum, ſi militiam ſubire vel nolint vel non poſſint, iubet *hac l.* Conſtantius: *Iterata lege*, id eſt, exemplo patris ſui, non tantum *l. 2. in fin. ſupr. de Veteranis*, vt ipſe reſtituo: verum etiam eiusdem *l. 4. ſupr. de fil. milit. appar.* totidemque pene verbis tranſcripta: Id enim ſibi vult cum ait, *Iterata lege ſancimus*. Neque enim anteriorem aliquam ſuam Conſtitutionem indicat, verum paternam illam, quæ & ipſa ad *Leontium PP.* data eſt. Nam quod ad *l. 32. ſupr.* attinet, eſt ea non Conſtantii, verum Conſtantis. Quod rem ipſam attinet, de eo iam ſemel dixi ad *l. 15. ſupr.*

Obſeruandum autem *hanc legem* datam a Conſtantio *Hierapoli*, pariter vt hoc ipſo anno ibidem data *lex 1. infr. de lenonibus.* vbi tum ſcilicet verſabatur Conſtantius *bello Perſico* illigatus; qui ideo Veteranorum filios ad militiam exciendos putauit, *h. l.* & quidem propoſito metu nexus Curialis, niſi nomina ſua militiæ darent: pariter vt Conſtantinum legem illam ſimili occaſione & fine tuliſſe, ſuſpicor, in apparatu *belli Gothici*.

DIGNITATIBVS *honorariis non euitari curialia munera neque capitationem plebeiam.*

XXXVI. (a) Idem AA. ad Titianum...... (b)

VNIVERSI omnino ex Comitibus, vel ex Præſidibus, qui ſuffragio perceperint dignitates, ciuilibus oneribus muneribuſque teneantur adſtricti: plebeiam (c) quoque ſuſtineant capitationem, *ne commoda publica ſub* (d) *vmbratili ſuffragiorum pactione lacerentur.* Eos tamen a prædictis oneribus excipi oportebit, qui (e) vel in Adminiſtratione, vel in Legationibus publicis verſati ſunt: Ita vt ſi quis contra interdictum Legis noſtræ precationem obtulerit, eius patrimonium fiſci noſtri viribus protinus vindicetur. Dat. prid. Kalend. Iul. Triueris, Placido & Romylo (f) Coss. [343.]

NOTAE.

(a) *Lex 4. Cod. Iuſtin. de legationibus. GOTHOFR.*

(b) Eidem *Titiano* PP. inſcribitur *lex 3. ſupr. de re milit.* A. 349. Hic eſt, de quo Hieronymus *in Chronico*, Anno Conſtantis octauo, ideſt, Anno 344 *Titianus vir eloquens Præfecturam Prætorianam apud Gallias adminiſtrat.* Verum de eo plura *ad d. l. 3. Tiberius Fabius Titianus* dictus integro nomine, vt ex Faſtis Conſularibus diſcere eſt. *ID.*

(c) Verba hæc, *plebeiam quoque ſuſtineant capitationem*, abſunt a *Cod. Iuſt. ID.*

(d) *Cum*: Cod. Iuſt. male. *ID.*

(e) *Qui in Legationibus publicis verſati ſunt*: ita *Cod. Iuſt.* reſecatis cæteris omnibus; accommodate ad *titulum de Legationib.* in quem *hanc leg.* coniecit. *ID.*

(f) Pro *Romulo*, pariter vt *l. 35. ſup. ID.*

COMMENTARIVS.

DIGNITATIBVS honorariis ciuilia onera muneraque curialia, imo & plebeiam capitationem euitari non poſſe definit *hac l.* Conſtantius, pariter vt de Curialibus muneribus definit Conſtantinus Iun. *l. 24. 26. 27. ſup.* Conſtantius *l. 25. 34. ſupr. l. 41. 42. 44. infr. h. t.* Dignitatibus, inquam, honorariis: veluti ex Comitibus, & ex-Præſidibus: quæ & ipſæ Dignitates in hoc argumento memorantur aliis compluribus legibus Conſtantini M. *l. 14. ſupr.* Conſtantini Iun. *l. 26. ſupr.* Conſtantii *h. l.* & *l. 41. 42. 44. infr.* aliorum Imperatorum *l. 75. 109. 138. 150. 189.*

Eſt autem hæc *lex* proprie de honorariis dignitatibus, quæ hac ætate *per ſuffragia ſub vmbratili ſuffragiorum pactione* impetratæ ſunt: Quæ huius æui labes fuit, & ſæpe repreſſa: de quo alibi.

Exceptio tamen additur *hac eadem leg.* duobus caſibus, quæ & Conſtantii *d. l. 25.* & *l. 1. ſup. de hon. codicill.* nempe dignitatibus honorariis quem Ciuicis muneribus liberari, ſi adminiſtrationem aliquam prouinciæ geſſerit. Quod & ipſum placuit Conſtantino M. *l. 5. ſupr.* Conſtantio in ſua *leg. 41. infr.* Theodoſio M. *l. 106. infr.* de quo ad *d. l. 5. ſupr.* & *l. 106 infr.* vel ſi Legatus ad Principem ciuitatis nomine miſſus fuerit: de quo poſteriore agitur quoque *l. 25. ſupr. h. t. l. 23. ſupr. de cur.* & *l. 1. ſupr. de honor. codicill.*

Peculiaria tamen multa habet hæc *lex*: nam vt omittam *hanc l.* pertinere ad *Gallias* (cuius PP. Titiano hæc *lex* inſcribitur) Primum *hac lex* non eſt tantum de Decurionibus, deque Curia non euitande, verum etiam de plebeia capitatione, quæ ab aliis, quam Curialibus, ſeu e plebe præſtabatur: id eſt, de cenſu; de quo *ſuo titulo.* de qua Capitationis voce dixi plene ad *l. 15. ſupr. de annon. & trib.* Notanda elegans ratio, *ne commoda publica ſub vmbratili ſuffragiorum pactione lacerentur*: id eſt, ne deſtruatur publica vtilitas obtentu honorum vmbraticorum, honorariorum, per ſuffragia & pecunias redemptorum. Tandem, neque reſcripto Principis immunitatem hanc honorariis Dignitatibus tribui, vindicari patitur Conſtantius; imo ſupplicantis bona confiſcari iubet: ſimili ratione qua in ſp. *l. 33. ſupr.*

P. 377

MILITIA *[armata] cuiuscunque temporis: itemque Calcarienſi, Fabricenſi Argentaria militia, Curiam euitari non poſſe.*

XXXVII. (a) Idem AA. ad Placidum PF. P. (b)

CAVTVM † eſt, vt quicumque orti ex Decurionibus ſeſe ad Militiam contuliſſent, in quibuscumque ſtipendiis deprehenſi nulla abſolui prærogatiua temporis poſſint, ſed Ordinibus

nibus quos reliquerant, traderentur. Hoc & in Calcarienſibus & Fabricenſibus & Argentariis obſeruetur, vt quicumque obnoxii officiis, vel muneribus ciuilibus ex (c) ſupradictis fabricis fuerint, Curiæ reſtituti nec impetrato Reſcribto liberentur. Dat. V. Kal. Iul. Leontio, & Salluſtio Coss. [344.]

NOTAE.

(a) Abeſt hæc *lex* a *Cod. Iuſt. GOTHOFR.*

(b) *Placidus* PP. qui ſuperiore Anno 343. cum Romulo Conſul fuerat, Fuit idem An. D. 346. & 347. Præfectus Vrbi t vt teſtatur *vetus Notitia Præfectorum Vrbis. ID.*

† Quænam illa *lex*? Sane tale aliquid a Conſtantino M. conſtitutum *l.* 10. & 13. *ſupr. ID.*

(c) In. *ID.*

COMMENTARIVS.

MILITIA armata ſcil. cuiuscunque temporis ſeu quotcunque tandem ſtipendiorum, eum qui Curiali origine eſſet, Curia non liberari antea cautum fuerat (de quo iam ſatis ad *l.* 10. 11 *ſup. h. t.*) Id vero nunc ad tres FABRICAS porrigitur, extenditur: vt videlicet neque harum Fabricarum militia, quemquam Curia liberet: Quæ & ipſa mens poſtea fuit Theodoſio M. *l.* 81. *inf. h. t.* & Theodoſio Iun. *l. vlt. ſup. de fabricenſibus.* ac nominatim circa fabricas armorum: vt maxime ſcilicet Fabricenſium militia, ac maxime eorum, qui arma Reipubl. fabricarent cum maxime vilis ſit, imo neceſſaria, de quo videnda Nouella Theodoſii *de bonis Fabricenſ.* 13. non ideo tamen Rerum publicarum commodis quidquam detrahi Principes voluerunt: quo tamen Curiales ipſi vel præcipuo velamento tutos ſeſe fore putabant.

Cæterum tres huiusmodi fabricæ hic memorantur: Calcarienſium, Fabricenſium, Argentariorum: *Fabricenſes* ſunt qui arma fabricabant, de quibus *lib.* 10. *ſuo titulo de fabricenſibus*: *Argentarii*, qui argento potiſſimum, ſed & auro arma tegebant & ornabant, qui ideo fabricenſibus hic iunguntur, iidemque *Barbaricarii* dicebantur: de quibus *l.* 1. *ſup. de fabricenſibus*, vbi dixi, & *Notitia Imperii fol.* 42 141. Superſunt *Calcarienſes*, qui ſcilicet obſequio ſeu ſollicitudini excoquendæ calcis ſeu excoctioni calcis in opera publica obſtricti erant. De qua alioquin calcis excoctione in genere agitur *l.* 3. 4 *ſup. de decur.* & *ſilent. l* 15. 18. *ſup. de extraord.* de ipſis Calcis coctorib. vrbis Romæ eſt peculiaris *inf. tit.* 6. *lib.* 14. De calce reparandis mœnibus vrbis Romæ deſtinata ex quatuor regionibus ſuburbicariis, eſt *lex* 1. *eo tit. de calcis coctorib.* de Terracinenſibus nominatim (qui in Campania) calcem reparandis mœnibus ſubminiſtrantibus, teſtis eſt *l.* 3. *eo tit.* & Symmachus *lib.* 10. *ep.* 53. Itemque de Tuſcia ſuburbicaria teſtis eadem *lex* 3. Ergo & *Regiones* quædam calci ſubminiſtrandæ, & *perſona* ei coquendæ deſtinatæ erant. Imo & certa quædam *prædia* deſtinata. Hinc adeo Ceſpes calcarius in *Nouella Valentiniani*, inter *Theodoſianas de Pantapolis* 40.

MILITIA *armata Palatina, veluti Domeſticorum, Protectorum, Scholarium &c. Curiam regulariter euitari non poſſe.*

XXXVIII. (a) Idem AA. ad Anatolium PF. P. (b)

QVONIAM nonnulli, Curiis derelictis, Domeſticorum (c) ſeu Protectorum ſe conſortio copularunt, Scholarii (d) etiam quidam nomen dederunt militiæ, aut Palatinis (e) ſunt officiis adgregati, cunctos iubemus, omni fruſtratione (f) ſubmota, ad Curias reuocari. Ne tamen diuturnitatis ratio videatur eſſe neglecta, quicumque ſub armis militiæ munus Comitatenſe ſubierunt, ſi necdum quinque ſtipendia compleuerunt, nec pro publica defenſione prœliis adfuerunt, reddantur. (g) Qui vero Palatini nominis præferunt dignitatem, ſi Curialem trahunt originem, infra (h) tot annos militiæ nudati præſidiis, oppidaneis reſtituantur obſequiis. De qua re Magiſtros (i) Equitum, ac Peditum, & v. c. Comitem (k) Domeſticorum, nec non etiam Sacrarum Largitionum Comitem, (l) & Magiſtrum Officiorum, (m) & Caſtrenſem (n) (ſub quibus cuncti (o) eſſe noſcuntur) credidimus commonendos, vt Tua inſiſtente Prudentia, & ſcribente de nominibus ſingulorum, vnusquisque propriæ conditioni reddatur. Dat. X. Kalend. Iun. Cæſenæ (p) Conſtantio IV.
P. 371. & Conſtante III. AA. Coss. [346.]

NOTAE.

(a) Abeſt hæc *lex* a *Cod. Iuſt. GOTHOFR.*

(b) *Anatolio* huic PP. inſcribitur A. D. 349. *lex prox.* 39. *inf. h. t.* Cæterum Amm. Marcellinus, qui eius meminit A. 359. *Illyrici Præfectum Prætorio* fuiſſe aperte docet *lib.* 19. *cap.* 11. & *lib.* 21. *cap.* 6. in Geſtis anni 360. Vt & Sext.

Aurel. Victor Schotti *in Traiano cap.* 13. Conſtantii temporum æqualis. Imo & Eunapius *in Proæreſio p.* 149. 150. *edit. Commelin.* qui docet eum Berytienſem fuiſſe, & magnum Iuriſconſultum, & ad Præfecturam Prætorianam Illyrici perueniſſe. Vide & de eo Himerium *apud Photium Cod. CCXLIII. pag.* 1139. *Edit. Schott.* qui in eum orationem habuit. Extant & Libanii ad Anatolium hunc epiſtolæ plures 18. 78. 79. 211. 298. 306. 312. 314. 317. 336. 342. 351. 365. 366. 394. 413. 426. 436. 449. 463. 466. 478. 490. 494. 498. 551. 555. 556. 566. 587. 596. 651. 846. 920. 925. & plures, & inter Franciſci Zambicarii latinas *lib.* 2. *ep.* 1. 2. *lib.* 3. *ep.* 258. 259. 261. ex quarum nonnullis etiam diſcimus, eum PP. Illyrici fuiſſe. *ID.*

(c) De *Domeſticis, & Protectoribus* ſuo titulo *lib.* 6. *ſup. tit.* 14. hi ſub Comite domeſticorum erant. *ID.*

(d) *γρ. Scholari:* vel *ſcholarum:* & intelligit ſcholas, quæ ſub Magiſtro Officiorum fuerunt, vel ſub Caſtrenſi S. P. *ID.*

(e) Comiti S. L. & R. P. qui ſub Comite S. L. vel R. P. fuerunt, de quibus *ſuo titulo lib.* 6. *ID.*

(f) Ita pariter *l.* 33. *ſup. ID.*

(g) Curiis. *ID.*

(h) An *Supra?* an *intra totidem*, mox dicam. *ID.*

(i) Sub quibus Milites erant: *ID.*

(k) Sub quo Domeſtici & Protectores fuerunt. *ID.*

(l) Sub quo Palatini erant. *ID.*

(m) Sub quo Scholæ Scutariorum, armaturarum &c. Agentium in rebus, Fabricenſium, & ſimiles. *ID.*

(n) Sub quo Caſtrenſiani. *ID.*

(o) Palatini. *ID.*

(p) *Caſenæ* hæc *lex* data: pariter vt *lex* 42. *Ordini Caſenatium* inſcribitur, quæque ei coniungenda eſt *lex* 6. *ſup. de annona & trib.* Mentio eius & in *Tabula Itinerar.* & *in Antonin. Itin. pag.* 286. *Edit. Weſſeling.* & vtrobique *Curua Caſena* vocatur. De ea vid. Cluuerii *Italiam. ID.*

COMMENTARIVS.

MILITIA tum Armata, tum Palatina (Domeſticorum ſcil. Protectorum, Scholarium, Palatinorum) Curialem Curia liberari vetat *hac l.* Conſtantius Imp. pariter vt Theodoſius M. *l.* 120. *inf.* Conſtantius inquam: Ei ſcilicet *hanc leg.* tribuendam eſſe oſtendit inſcriptio *ad Anatolium PP.* qui cum PP. Illyrici fuerit, teſte Ammiano Marcellino, *lib.* 19. *c.* 11. & *lib.* 21. *c.* 6. & Sexto Aurelio Victore Schotti *in v. Traiani, c.* 13. & Libanio, *non vna epiſt.* neceſſe eſt hanc *legem* Conſtantio accepto ferri, vtpote cui Illyricum ceſſit. Et ſane *lex* 39. *prox inf.* id ipſum oſtendit: quæ cum eidem Anatolio PP. inſcribatur, data dicitur *Antiochiæ*, quæ vtique ſedes Conſtantii fuit.

Neque obſtat *huius leg.* ſubſcriptio, qua dicitur hæc *lex* data *Caſenæ:* referenda enim proculdubio hæc *lex* ad A. D. 353. quo Conſtantius Rauennæ aliquando conſtitit, vt docet *lex* 40. *inf. h. t.* a quo haud adeo remota eſt Cæſena.

Ergo Conſtantius illis Militiæ generibus Curia quem liberari vetat: Excepto ſi quis quinque ſtipendia compleuerit, de quo iam dictum plene ad *l.* 10. 11. *ſup.* & *ad l.* 5. *ſup. de diu. officiis.* Pariter vt Conſtans *l.* 31. *ſup.* ſeu *l.* 1. *ſup. de Tabulariis:* vel etiam ſi de milite armato Comitatenſi agitur, ſi pro publica defenſione præliis adfuit. Quid ſint *Comitatenſes milites?* iam dictum ad *l. vlt. ſupr. de re militar.* Ergo militia hac quinquennali armata, curia liberari voluit Conſtantius *h. l.* qui aliis poſſent legibus abſciſſa militia armata, quam liberari noluit: *l.* 40. 43. 45. *inf.*

Eſt porro hæc *lex* hoc nomine ſingularis, quod vt militum, ita & Palatinorum genera diſtincte proponit, & ſub quorum Magiſtratuum (ad quos ideo hac ipſa de re Conſtantius ſcripſiſſe ſe ait) diſpoſitione, quique fuerint docet: nempe fuere *Milites* (quod clarum) ſub Magiſtris Equitum & Peditum: *Domeſtici & Protectores*, ſub Comite Domeſticorum: *Palatini*, ſub Comite S. L. *Scholares* partim ſub Magiſtro officiorum, partim ſub Caſtrenſi: ſub Officiorum ſcil. ſcholæ Scutariorum, Armaturarum, Agentium in rebus, Fabricenſium: ſub Caſtrenſi S. P. Caſtrenſiani, Pædagogiani, Miniſteriales &c. (de quibus vide quoque *d. l.* 5. *ſup. de diu. offic.* in eodem argumento:) de quibus omnibus ſuis *titulis lib.* 6. Proinde & illud ex *hac leg.* apparet *ſcholaris* militiæ appellatione comprehendi omnes qui ſub Magiſtro Officiorum vel ſub Caſtrenſi S. P. fuerunt: Nempe in *ſcholas* diuiſi fuere qui ſub his egere. Quod vt ex *Notitia Imperii*, ita ex variis *huius Codicis* locis apparet, & ex Ammiano quoque Marcellino non uno loco: vbi & ſcholæ Agentium, Scutariorum, Gentilium Scholæ Palatinæ paſſim memorantur. Imo & ſcholæ Domeſticorum, Protectorum: qui tamen a *ſcholaribus* hic ſeparantur.

In *huius* interim *leg. fine*, exemplum illuſtre habemus, eiuſdem conſtitutionis ad varios Magiſtratus ſcriptæ, prout ad eorum diſpoſitionem illi de quibus agebatur pertinerent; de quo *alibi* ſemel. Habemus & id notandum, Præfectum Prætorio inſtitiſſe apud ſingulos Magiſtratus executioni legum, & in hac re nomina refugarum requirendorum ad eos ſcripſiſſe.

De immunitate Curialium a CORPORALIBVS *iniuriis & pœnis ſeu quæſtionibus:* & EXHORTATIO *ad eos, vt Iudicum præcepta exequantur.*

XXXIX. (a) Idem AA. ad Anatolium PF. P. (b)

IN perpetuum obſeruandum eſſe ſancimus, Vt citra iniuriam (c) corporis (quod in ſeruis (d) etiam probroſum atque poſtremum eſt) cuncti Primarii (e) & Curiales præcepta a Iudi-

Iudicibus exſequantur. Frequenti ergo monitione atque hortatu tam Primarios Curiarum, quam hos qui Magiſtratus gerunt atque geſſerunt, ſinceritas Tua incitare debebit, vt promptius præcepta ſuſcipiant (f), omni corporalis contumeliæ timore ſublato. Dat. Kalend. April. Antiochiæ, Limenio & Catullino Coss. [349.] P. 79.

NOTAE.

(a) Abeſt & hæc *lex a Cod. Iuſt.* Eam indicat ipſe Conſtantius *l.47. inf.* & vt exiſtimo Libanius *Orat. περὶ ἀγγαρειῶν num. 7. p. 36. Edit. Gothofr.* & *pag.* 386 *Oper. minor. Gothofr. edent. Cl. Trotz.* GOTHOFR.

(b) De hoc *Anatolio* PP. Illyrici dixi ad *leg. ſuper. prox.* 38. *ID.*

(c) Contumelia corporalis, *inf. fine leg. ID.*

(d) Similiter Gratianus *l. 2 ſup. de quæſtionib.* in hoc ipſo argumento, *Plumbatarum vero ictus, quos in Ingenuis corporibus non probamus. ID.*

(e) *Curiarum;* vt paulo poſt. Et forte hic inducta voce *&*, legendum quis putet *primi Curiales*, Quanquam & poſtea quoque duo hominum genera deſignantur, *tam primarios Curiarum, quam hos qui Magiſtratus gerunt, atque geſſerunt. ID.*

(f) Id eſt exequantur, vt *ſup. ID.*

COMMENTARIVS.

DE Immunitate Curialium a POENIS CORPORALIBVS, id eſt TORMENTIS ſeu QVÆSTIONE, & ICTIBVS Plumbatarum eſt hæc Conſtantii Imp. conſtitutio ad Anatolium PP. Illyrici, *hoc titulo* Prima, in hoc argumento. Scil. *iniuria corporis*, & *corporalis contumelia*, eſt tormentorum & quæſtionis cruciatus: quo eodem ſenſu accipitur *l. 47.* (qua *huius l.* mentio fit) *61. 75. 80. 127. 190. inf. h. t.* & *l. 10. ſup. de fide teſt. l. 6. ſup. de quæſtion. l. 4. inf. de Decuriis V. R.* & *l. 2. ſup. de abolitionib.* de hac ipſa vero re & priuilegio Decurionum, ne ad altiora adſurgant, (vbi occurrit Diocletiani *lex 11. Cod. Iuſt. de quæſt.*) eſt Conſtantini M. *lex 1. ſup. ad leg. Corn. de falſo:* Conſtantii altera conſtitutio puta *lex 47. inf. h. t.* Valentiniani Senioris *lex 61.* & *75. inf.* Gratiani *lex 2. ſup. de quæſtionib.* Theodoſii M. *lex 80. 85. 117. 126. 127. inf h. t.* & *lex 15. ſup. de accuſationibus: lex 4. ſup. de Tabulariis.* Honorii *lex 153. inf.* & *l. 6. ſup. de quæſtionibus*, Theodoſii Iunioris *lex 190. inf. h. t.* Quarum omnium non vna eademque ſententia eſt, etſi ſuper eadem immunitate: quæ modo aucta, modo coërcita. Scilicet Conſtantini M. *l. 1. ſup. ad leg. Corn. de falſo:* honor hic Decurionatus, in commune dicitur, ne quæſtioni ſubderentur Decuriones, excepto ſi Scriba, Tabularius, Decurio falſæ ſcripturæ argueretur. Conſtantii pariter *l. 47. inf.* cuncti decuriales ab iniuriis corporalibus tuti pronunciantur: At Valentiniani *l. 61.* & *75.* Principales tantum: & *hac* quidem *priore*, tantum qui patronorum dignitatem adepti in vrbe Vulſinienſium Tuſciæ, ab iniuriis his vindicantur. Gratiani *l. 2. ſup. de quæſtionibus*, Decuriones a ſummo ad infimum exortes a pœnis fidicularum & tormentorum pronunciantur, excepto Maieſtatis & altero adhuc crimine: Decemprimi etiam a Plumbatis. Theodoſii M. *l. 80. 85.* omnes Curiales a tormentis reorum & plumbatis immunes definiuntur (Excepto *l. 117.* decoctore, qui plumbatarum ictibus ſubiicitur.) Item *l. 15. ſup. de accuſat.* innoxii Decuriones cædi vetantur. Tandem *l. 126.* deuotos Principales nihil debentes, nihil corporalium pati oportere, decidit. Honorii *l. 153.* Decuriones a verberibus non excuſantur, niſi quibusdam exceptis: & Principalibus tantum non inferendas iniurias corporales ſtatuitur *l. 6. de quæſtionibus.* Theodoſii Iun. *l. 190. infra*, Quinque primates Alexandrini a corporalibus iniuriis immunes redduntur. Et ſic varie admodum hoc ius habitum, ſub quadruplici diſcrimine: Modo enim eadem ratio habita quæſtionis, & plumbatarum, modo peculiaris horum ratio habita, de quo ad *l. 85 inf.* Modo Decurionibus immunitas hæc data, modo principalibus tantum: Modo vno in loco, idque ſub quadam limitatione data, modo in alio non: Modo in omnibus cauſis, modo tributorum ratio excepta: & crimina nonnulla. Hac ſane noſtra Conſtantii *lege* cuncti, non Primarii Curiarum tantum, quique Magiſtratus gerunt, vel geſſerunt, verum etiam Curiales cœteri citra iniuriam corporis præcepta Iudicum exequi iubentur: Et ſic omnes Curiales immunes *h. l.* pronunciantur: quod etiam probat *l. 47. inf. qua huius* ſententia repetitur. Nam quod de Primariis & Magiſtratibus hic nominatim agitur, ideo fit, quia in hos potiſſimum Iudices ſæuiebant, vt quos præceptorum ſuorum executores ſibi deligebant: Sane & apud alios huius ſeculi ſcriptores varia de hac immunitate teſtimonia occurrunt. Solemnis iam Prudentii locus eſt *Periſtephanon, de Romano, hymno 10. v. 108. ſeqq.* qui ad Galerii tempora pertinet.

Incenſus hic Aſclepiades, iuſſerat
Euiſcerandum corpus eculeo eminus
Pendere, & vncis vngulisque creſcere.
Apparitores ſed furenti ſuggerunt,
Illum vetuſta genitum (nobilem) *proſapia*
Meritisque multis eſſe PRIMVM CIVIVM.
Iubet amoueri noxialem ſtipitem
Plebeia CLARVM *pœna ne damnet Virum.*
Tundatur, inquit, terga crebris ICTIBVS
PLVMBOQVE *ceruix verberata extuberet:*
Perſona quæque competenter plectitur
Magnique refert, vilis an ſit nobilis:
GRADV *reorum forma tormentis datur;*
Pulſatur ergo Martyr illa GRANDINE:
Poſtquam inter ictus dixit hymnum plumbeos,
Erectus inſit. Abſit vt me Nobilem
Sanguis parentum præſtet, aut LEX CVRIÆ:
Generoſa Chriſti ſecta nobilitat Viros.

Et quidem, quæ ad Conſtantini M. ſeculum pertinent: ea quæ de Ingentio Decurione ſcriba memorantur

rantur apud Optatum Mileuitanum *lib 1. cap penult.* & in Conſtantini M. Epiſtola apud Auguſtinum *ep.68* (ſiu. *88. num. 4 Edit Benedictin*) & *lib. 3. contra Creſconium cap. 70.* & in Actis Felicis Aptungitani *inter monumenta veter. ad Donatiſt. hiſtor. pertinent. pag. 164 165 Edit. Optati Mileuitan. Lud. El. du Pin.* Quorum omnium verba iam protuli ad *l. 1. ſup. ad leg. Cornel. de falſo.* Apud Libanium quoque quatuor loca occurrunt: vnus ſub Iuliano Imperat. *orat. pro Ariſtophane p. 214. & 215 Edit. Morell.* vbi agit de Ariſtophane Curiali, Pauli illius Catenæ (de quo tam multa Ammianus Marcellinus) iuſſu, plagis ſubiecto, denudatoque ad quæſtionem: multaque addit de ignominia & iniuria iſtius rei, (quomodo *hac l. probroſum id atque poſtremum* dicitur) & quod qui hæc perpeſſi eſſent, non poſſent, *ἐν τῷ βουλευτηρίῳ περὶ κοινῶν φθέγγεσθαι πραγμά-*
P 380. *των, in Curia locum obtinere ſententiamque dicere.* Secundus locus eſt *Orat. aduerſus Icarium pag. 464. Edit. cit. καὶ πληγαῖς,* inquit, *τὴν βουλὴν οὐχ ὕβρισε, atque ictibus curiam nulla dedecorauit inſolentia.* Quo loco etiam nominatim *legis* meminit recenter ſuper eo latæ, & vt quidem cenſeo intelligit *legem* Theodoſii M. 85. Tertius eſt ſub Theodoſio M. *orat. περὶ τῶν ἀγγαρειῶν, num 7 pag. 36 Edit. Gothofr. & pag. 386. Oper. minor Gothofr. Edit. Trotz.* vbi memorat conſtitutionem anterioris alicuius Imp. qui verbera Decurionum, quæ in vſum venerant, ſuſtulerit; *αἱ κατὰ βουλευόντων πληγαί, διὰ κακίαν ἀρχόντων εἰς ἔθος ἧκον, ταῦτ' αὐτὸς ἀνῄρηκε νόμῳ: verbera Decurionum per malitiam magiſtratuum, in conſuetudinem venerant, hoc idem ille lege ſuſtulit.* Quod quidem de Conſtantio Imp. *huius l.* auctore, imo de hac ipſa *lege* accipio. Additur & quartus *orat. adhuc inedita κατὰ Ἰκαρίου.* Eſt de eadem re ejusdem *ep. 718. ad Maximum:* & *ep. 913. ad Cyrum.*

Ex *hac* interim quoque *lege* apparet, immunitatem hanc Decurionum ab impotenti Iudicum animo ſæpe labefactatam, quod etiam oſtendit *l. 47. 80. 85. inf. & l. 2. ſup. de Quæſtionib.* imo & tertius ille Libanii locus, *διὰ κακίαν,* inquit, *ἀρχόντων*: Quare neceſſe ſubinde fuit, huic rei modum imponi, impotenti videl. Iudicum animo in Ordinum & Curiarum ignominiam tendentium: Quod etiam apud Ammianum Marcellinum & Libanium non vno loco videre eſt.

De *Primariis* Curiarum effatim monuit *Paratitlon,* qui iidem & Primates & Principales: *ſummos Municipum Proceres* vocat Auſonius *Moſella v. 402.*

——Quos Curia ſummos
Municipum vidit Proceres propriumque Senatum.

Eunapius *Maximo, p. 96 Edit. Commelin. τὸ κρεῖττον τῶν βουλευτηρίων, Senatus primores.* Summates, Symmachus *lib. 10. ep. 63.* & Tribon. *l. 57. C. Iuſt. de Decurion.* Vertices Ordinis, Ammianus Marcellinus *lib. 14. cap 7. τὰ πρωτεῖα ἔχοντες,* Procop. *in anecdotis cap. 29.*

Ex *hac* interim quoque *leg.* apparet (pariter vt *ex l 32. de appellat. & l. 15. quor. appell.* Curialibus id inter cætera incubuiſſe, vt Iudicum ſeu Rectorum prouinciarum iuſſa executioni mandarent. Et Ammianus Marcellinus *lib. 27. c. 7. Ob executionem a Iudice recte maturari præceptam, trium oppidorum Ordines mactari iuſſiſſet.* Et hæc quidem de priore *huius l* ſententia.

At enim, quæ ſecunda ſententia *huius l.* eſt, ne huius Immunitatis obtentu Curiales officio ſuo deeſſent, imo, vt eo promptius fungerentur, præceptisque Iudicum parerent, Primarios Curiarum &c. frequenti nominatione & hortatu eo incitare Præfectus Prætorio iubetur. Quæ ſane ſententioſa ſunt. Nam & promiſſa ſæpe pœnæ immunitate pleriquo inſ laſcere ſolent: Contra, probroſi ſupplicii, vel *corporalis contumeliæ metu ſublato,* tanto magis parendi voluntatem acui par eſt, *promptiusque* adeo præceptis legum Iudicumque obſequentium. Quarum ſententiarum vſus alibi eſſe poteſt.

MILITIA *armata, neminem Curia liberari.*

XL. (a) Idem AA. (b) ad Taurum PF. P. (c)

CVRIALES plerique ad inane vocabulum militiæ cucurrerunt, ac tanta arte rem gerunt, vt nec muniis militaribus obſequantur, nec oneribus oppidaneis proſint. Igitur vniuerſi nulla prærogatiua de vocabulo dignitatis in militia conquiſitæ, nulloque ſtipendiorum numero ſuffragante, reſtituantur Ciuitatibus. Dat. XII. Kal. Aug. Rau. Conſtantio VI. & Conſtante II. AA. Coss. [3 3.]

NOTAE.

(a) Abeſt hæc *lex a Cod. Iuſt.* Hanc *leg.* ſuam intelligit Conſtantius *l 43. inf.* quæ & ipſa ad *Taurum PP.* data eſt. *GOTHOFR.*

(b) Imo Imp. *Conſtantius A.* & *Conſtans C.* (id eſt Gallus) huic *legi* & *l. proxima* 41. inſcribendi ſunt: iam enim Conſtans Imp. mortuus erat, & Gallus mutato nomine Conſtans Cæſar adſcitus. Et deinceps emendanda Inſcriptio ſequentium omnium *legum* vsque ad 50. quarum 41. 43. vni Conſtantio A. tribuendæ ſunt, cæteræ *Conſtantio A. & Iuliano C. ID.*

(c) Italiæ: Nouennio integro PP. Italiæ fuit: vid. *Indicem Perſonarum,* & Ammianum *lib. 21. cap. 6.* Meminit & Sulpitius Seuerus *lib. 2. ſacra hiſt. cap. 41.* v. plura in *Proſop. ID.*

COMMENTARIVS.

MILITIÆ armatæ titulo inani Curialem liberari Curia vetat Conſtantius *hac leg.* imo e militia retrahi ad Curiam iubet, pariter vt *duabus aliis legib. 43. & 45. infr.* quarum 43. huic quam ſimillima eſt: Vtrobique ſcil. fraus ea perſtringitur qua plerique Curiales vt commodis Curiarum inluderent in ſpeciem tantum, non vero adfectu, militare nomen obibant, cum tamen muniis militaribus reuera non obſequerentur, vel ſane poſt exiguum tempus miſſionem ſuffragio impetrarent. Quare cum hoc frequentiſſime fieret & quidem *magna arte res gereretur*, in commune Curialibus militia armata arcere Conſtantio viſum; *hac l.* paulo obſcurius; clarius iam & explicatius *d. l. 43.* vt cæteroquin Curiales militia in commune prohibiti aliis conſtitutionibus: vt docent innumeræ *leges hoc tit.* & *l. 1. 2. ſup. Quid prob. deb.* & *lex 1. de Tyronibus*, quæ hoc ipſo Anno data eſt. Quod tamen hac Conſtantii tempeſtate toleratum aliquandiu & aliquatenus fuerat, propter varia videlicet bella, ad quæ Conſtantio Imp. multo milite opus erat: ac nominatim hoc ipſo Anno, quo vltimum Magnentius Tyrannus ex Italia fugatus, in Gallia oppreſſus eſt. Quare cum nec quidquam tolerantiam illam rei militari proficere videret Conſtantius, atque interea Curiæ desererentur, ius antiquum & tralatitium ab eo repetitum, quo Curiales militare etiam vero affectu, vt loquitur *d. l. 43.* vetiti: Et quidem nullo ſtipendiorum numero ſuffragante. Quod poſtremum & ipſum aliis Imperatoribus placuit, Conſtantino M. *l. 10. 11. ſup.* Valentiniano Sen. *l. 58. inf.* Theodoſio M. *l. 113. inf.* Imo Conſtantio ipſi, in tantum, vt etiam Veteranos retrahi voluerit, *l. 45. inf.* Breuiter ergo, *militia ſiue ficta, conſtante, ſiue finita*, Curialem Curia liberari noluit Conſtantius. Et tamen Libanius *Ep. ad Ariſtænetum 991.* de Pelagii cuiusdam filio agens, ait, eum vltro Curiam non fugiſſe, cum alii fugerent; imo Curialem nexum fugere potuiſſe, eo quod arma pro patria gereret. Τὸν μόνον οὐ φυγόντα τὴν βουλὴν, τῶν ἄλλων τοῦτο πεποιηκότων, ἀλλ' ὅτι τιθέμενον ὑπὲρ τῆς πατρίδος τὰ ὅπλα: *quique non ſolum auerſatus eſt conſilium aliorum, id facientium, ſed & arma patria cauſa poſuit.* Et *Epiſtol 994. ad Braſidam:* Ἔχων γὰρ εἴπερ ἐβούλετο μὴ βουλεύειν, βουλεύει τε καὶ δαπανᾷ, καὶ τέρπεται δαπανώμενος. Ἀπὸ ταύτης τῆς γνώμης, καὶ νῦν πρεσβευτὴς πορεύεται: *cum enim ſi voluiſſet, a Senatu abſtinere potuiſſet, & Senatorem agit & ſumptus facit, ac ſumptibus illis delectatur. Hac eadem mente nunc etiam legatum agit.*

P. 381.

DIGNITATIBVS *honorariis, neminem Curia liberari.*

XLI. (a) Idem AA. (b) Ordini Carthaginienſium (c).

EX-Comitibus & ex-Præſidibus vniuerſi, ceterique qui ſine Adminiſtratione adumbratarum dignitatum codicillos honorarios meruerint, ſi ex veſtro eosdem numero fuiſſe claruerit, in veſtro conſortio perſeuerent: Fungantur oneribus & honoribus vniuerſis, quos ratio municipalis expoſcit; permanentibus Dignitatum titulis, quas eisdem conſtat indultas. Dat. X. Kal. Aug. Conſtantino (d) A. VI. & Conſtantio II. Coss. [353.]

NOTAE.

(a) Abeſt & hæc *lex a Cod. Iuſt.* GOTHOFR.

(b) Tribuenda & hæc *lex* vt ſuperior *Conſtantio A. & Conſtanti C.* ID.

(c) Eidem *Ordini Karthaginienſium* inſcribitur & *lex 32. ſupr. de appellat.* & *lex 15. quor. appell.* ID.

(d) *Al. Conſtantio*, vt etiam *l. prox. infr.* ID.

COMMENTARIVS.

DIGNITATIBVS honorariis ſine adminiſtratione, veluti ex-Comitibus, ex-Præſidibus, Perfectiſſimatus *(l. prox.)* Curiales Curiam euitare vetat *hac lege* Conſtantius (in fauorem Curiæ Carthaginienſis) pariter vt *l. 25. 26. 36. ſup.* & *l. 42. 44. infr.* (vt omittam aliorum Imperatorum *leges.*) Igitur qui huiusmodi dignitates impetrauerint, fungi omnibus oneribus & honoribus municipalibus iubet: ſic tamen vt titulos dignitatum gerere poſſint: hactenus ſc. dignitates eis prodeſſe concedit ſeu indulget *h. l.* & *d. l. prox. 42.* quomodo & Valens Senatoriam dignitatem hactenus quoque prodeſſe & conſtare vult, *l. 69. infr.* cum aliis conſtitutionibus Imperatores codicillos dignitatum Curialibus auferri voluerint, *l. 5. 24. 26. 27. ſupr.* (& ipſe Conſtantius *l. 25. ſupr.* & *l. 44.*) &c. At autem *ſine adminiſtratione*; quia ſcil. Curiales adminiſtratione prouinciæ functos ad Curiam reuocari noluit, vt *hac leg.* ita & *leg. 36. ſupr.* aliique Principes, de quibus ad *legem 5. ſupra, l. 106. infr.*

Cæterum inſcribitur *hac lex 41.* Ordini ſeu Curiæ Carthaginienſium, pariter vt *lex 32. ſupr. de appellat.* & *lex 15. ſupr. quorum appell.* (quæ inter ſe coniungendæ ſunt.) Cuius ſane vt & Ciuitatis ipſius, de quo alibi, magna dignitas fuit: vt apparet etiam ex *epiſtola* Senatus Romani ad Curiam Carthaginenſem apud Vopiſcum *in vita Floriani cap. 5.* De eadem eſt *lex 27. ſupr.* & *leg. 176. infr.*

Neque illud omittendum, hoc ferme tempore Conſtantium, deuicto in Pannonie Magnentio, (qui cis paucos dies poſt *hanc leg.* plene deuictus fuit) vt ei omnia perfugia clauderet, etiam in Siciliam & Africam Carthaginem claſſem miſiſſe: quo nomine Iulianus Conſtantium commendat *orat. 1. pag. 40.* & *orat. 2. p. 74. Edit. Lipſ. Spanhemii.*

DIGNITATIBVS *honorariis, vt &* SENATORIA, *niſi certo caſu,* OFFICIALI *denique militia neminem Curia liberari.*

XLII. (a) Idem AA. (b) Ordini Cæſenatium (c) Salutem dicit.

SI qui ex-Præſidibus, vel Perfectiſſimatus (d) acceſſione cumulati eſſe noſcuntur, manentibus dignitatibus quas ſuffragio meruerunt, nihilominus in ſui ordinis conſortio perſeuerent: fungantur officiis Curialibus, ac municipalium munerum cura, partita (e) Vobiſcum obſequio, capiantur (f). Si quis autem Clariſſimæ (g) meruerit infulas dignitatis, nec indulti muneris gratiam Codicillorum allegatione percepit, imperratæ fructum dignitatis amittat. Et cuncti, qui per Officia diuerſa, nomina dederunt militiæ, ſi de Curialium numero originem trahunt, ſoluti ſacramentis, Veſtris Cœtibus adgregentur. Dat, XI. Kalend. Iun. (h) Med. Conſtantino (i) A. VII. & Conſtantio III. Cæſ. Coss. [354.]

N O T A E.

(a) Abeſt hæc *lex a Cod. Iuſt.* & iungenda ei eſt *lex 6. ſupr. de annon & tribut.* GOTHOFR.

(b) Tribuenda *hæc lex* uni *Conſtantio A.* quanquam *d. l. 6.* præferat diſerte *Conſtantium* & *Conſtantem AA.* vide quæ *ibi* notata. *ID.*

P. 382. (c) Cæſinatium *d. l. 6.* (Alii ſunt Caſinates a Caſino, *in duabus veteribus Inſcript.* apud Gruterum *CCCCXXXI. 7.* & CCCCLXII. 4.) Cæſenates a Cæſena (Vrbe Flaminiæ in qua & Rauenna) vbi etiam data a Conſtantio ante octennium *lex 38. ſupr.* de qua ad *d. l. 6.* plenius. *ID.*

(d) De hac ipſa dignitate in hac ipſa re *l. 5. 15. 26.* (vbi prolixe) *ſupr.* & *l. 44. infr.* Ex *hac* ſane *lege* liquet Perfectiſſimatum a Clariſſimatu ſeu Senatoria dignitate ſecerni, & hanc illa maiorem fuiſſe: de quo mox. *ID.*

(e) *γϱ. Partito. ID.*

(f) *Capi Cura* eleganter dictum. *ID.*

(g) Senatoriæ. *ID.*

(h) *γϱ. Ian.* vt habet Edit. in 4. ſiquidem ad hyberna demum his COSS. Mediolanum (vbi data hæc *lex*) Conſtantius icto fœdere cum Alamannis diſceſſit, quod ſcribit Ammianus Marcellinus *lib. 14. cap. 10. in fin. ID.*

(i) *γϱ Conſtantio,* pariter vt *l. ſuper.* & vt *d. l. 6.* diſerte habetur. *ID.*

C O M M E N T A R I V S.

CÆSENATIVM ordini ſeu Curiæ hoc tempore Curialibus exhauſtæ conſulit enixe hac epiſtola Conſtantius Imp. Tribus videlicet hominum generibus ad eam reuocari iuſſis. Primo, iis qui DIGNITATES honorarias ſine adminiſtratione ex-Præſidibus vel Perfectiſſimatus conſecuti fuerant, vt dignitatis titulum eis conſeruet pariter vt *l. ſuper 41.* vbi plura iam diximus.

Secundo reuocari iubet Conſtantius eos, qui SENATORIAM dignitatem adepti fuerant niſi Codicillis eam impetraſſent: Senatoriæ ſcil. dignitate Codicillis impetrata hoc tempore quis Curia liberabatur (vt exinde conſtat) quod alias & frequentius non ita obtinuit. Certe hac parte, quantopere Ius variauerit, oſtendunt *viginti ſex* præterea *leges hoc tit.* quas repetere licet ex *Paratitlo*: de eo Iure, quod ſub Conſtantio *huius legis* authore obtinuit, plura ad *leg. 58. infr.* Hac certe *leg.* Conſtantius Curialem, Senatorem factum, liberari vult, ſi modo Codicillis quis commonſtrare poſſet eam dignitatem ſibi collatam: nempe vel ſuperna codicillorum impreſſione, vel ſcriptura interiore, vt docet *lex 1. ſupr. de honor. Codicill.* vbi plene dixi. Non ſi verbo tantum id a Principe impetraſſe diceret. Vnde apparet, duplicem fuiſſe conferendæ dignitatis a Principe rationem, vel per Codicillos δέλτοις, vel verbotenus. Quæ diſtinctio interea notanda, etiam ad vſum fori.

Ex hoc interim loco duo diſcimus. Primo, Senatoriam ſeu Clariſſimatus Dignitatem maiorem fuiſſe Perfectiſſimatus dignitate. Quod & ipſum clare teſtatur de his ipſis Conſtantii temporibus Ammianus Marcellinus *lib. 21. c. 16.* Oſtenſurus quippe, Conſtantium nunquam erexiſſe cornua militaria: *Nec ſub eo,* inquit, *Dux quiſquam cum Clariſſimatu prouectus eſt: Erant enim, vt nos quoque meminimus, Perfectiſſimi.*

Secundo, hinc diſcimus, Præſides ſeu Rectores prouinciarum, hoc æuo nondum Clariſſimos fuiſſe, ſeu Senatorios, verum & ipſos Perfectiſſimos tantum. Et certe ita paſſim hoc æuo vocabantur Re-

ctores

ſtores prouinciarum, *viri perfectiſſimi*: de quo plene *ſuo titulo, lib.6. de perfectiſſ. dignitate.*

Tertio, Conſtantius, *hac lege* eos qui ad OFFICIA diuerſa confugerant ſeu ad officialium militiam, Ordini Cæſenatium, reddi, militiaque ſolui iubet, ſi curiali origine ſint.

Tandem obſeruandum, hanc *legem*, partem eſſe prolixioris Conſtantii Imp. Conſtitutionis, ad Ordinem Cæſenatium emiſſæ. Vnde alterum adhuc fragmentum ſupereſt in *l. 6. ſupr. de annona & tribut.* quæ proinde *huic legi* coniungenda venit. Nempe Conſtantius in Italia conſiſtens, & Mediolani quidem, peculiarem Italiæ ciuitatum & Ordinum rationem habuit, vnde ipſi etiam ſubſidia annonaria & cellarienſia proueniebant, vt docet *d. lex 6.*

MILITIA *armata quacumque Curialem Curia non liberari.*

XLIII. (a) Idem AA. (b) ad Taurum PF. P. (c)

INLVDERE commodis Curiarum, Decurionibus, ac Decurionum filiis, cautum † eſt non licere, etſi vero adfectu militiæ ſe obſequiis traderent: Tum (d) vero idcirco tantummodo ad militiæ ſacramenta confugiunt, vt commodis oppidaneis obſequium denegetur. Fraudis huius commenta facile comprimentur: comperimus namque plurimos prædictorum nomen militiæ tradidiſſe, vel ad ſuffragia cucurriſſe, ita vt poſt tempus exiguum honeſta miſſione donentur, & muneribus patriæ perferendis curam ſedulæ mentis intendant. Dat. XVI. Kalend. Aug. Med. Arbitione & Lolliano Coss. [355.]

NOTAE.

(a) Abeſt hæc *lex* a *Cod. Iuſt.* Ei concordat omnino eiuſdem Conſtantii *lex* 40. *ſup.* quam & hic indicat. *GOTHOFR.*

(b) Tribuenda & *hæc lex* vni *Conſtantio. ID.*

(c) Italiæ. *ID.*

† *Lege* 40. *ſupr. ID.*

(d) Forte, *Enim vero.* Vel hæc verba *Tum vero,* ſunt *huius Codicis* Conditorum; ac ſi dicerent, *Et poſt alia*, vel *Et mox. ID.*

COMMENTARIVS.

MILITIA Armata ſiue vera, ſiue ficta, quia plerumque ficta ea, curialem Curia liberari rurſum vetat Conſtantius, confirmata & explicata anteriore *lege* ſua 40 *ſupr.* quæ ad eundem *Tau-*
P. 383. *rum P.P* data, paulo obſcurior nonnullis cauillatoribus viſa fuerat: Quandoquidem cum *ea lege*, dicatur in narratiua, *Curiales pleroſque ad inane vocabulum militiæ cucurriſſe*: diſpoſitiua videbatur illos quoque tantum complecti, qui vel omnino non militaſſent, vel pauca tantum ſtipendia feciſſent. Quorum tamen ſubtilitatem ipſa *legis* illius verba aperte reſpuebant: nam etſi narratiua de illis tantum ſit, diſpoſitiua tamen vniuerſos complectitur: & quidem NVLLO ſtipendiorum NVMERO ſuffragante. Ergo apertius iam mentem ſuam explicat Conſtantius. Et tamen confuſa omnia *hac l.* ſic vt periodis ſuus tenor non conſtet. Errore forte Conditorum *huius Codicis*, qui prolixiorem Conſtitutionem in pauciora contractam voluerunt: Niſi ita omnia conſtituamus: *Inludere Commodis Curiarum Decurionibus ac Decurionum filiis cautum eſt non licere, etſi vero adfectu militiæ ſe obſequiis traderent: Enimuero idcirco tantummodo ad militiæ ſacramenta confugiunt, vt commodis oppidaneis obſequium denegetur; comperimus namque plurimos prædictorum nomen militiæ tradidiſſe, vel ad ſuffragia cucurriſſe, ita vt poſt tempus exiguum honeſta miſſione donentur. Fraudis igitur huius commenta facile comprimentur, ſi muneribus patriæ perferendis curam ſedulæ mentis intendant.*

DIGNITATIBVS *honorariis Palatinis neminem Curia liberari.*

XLIV. (a) Idem AA. (b) ad Martinianum (c) Vicarium Africæ.

QVICVMQVE intra Palatium Perfectiſſimus (d), aut Comes (e) prouectus ſuffragio eſt, ſpolietur honoris indebiti dignitate: & ſi intra prouinciam reppertus fuerit otioſus, cuius (f) munia vitare ſtudebat, obſequiis competentibus ſubiugetur. Dat. XI. Kal. Iun. (g) Sirmio, Datiano & Cereale Coss. [358.]

NOTAE.

(a) Abeſt hæc *lex* a *Cod. Iuſt.* *GOTHOFR.*

(b) Inſcriptos oportuit *huic legi & ſequentib.* vſque ad 50. *Conſtantium A. & Iulianum C.* *ID.*

(c) Eidem *Martiniano* Vicario Africæ inſcribuntur duæ *leges* proximæ 45. & 46. *ID.*

(d) De hac ipſa *Perfectiſſimatus* dignitate in hac ipſa re v. *leg.* 5. 15. 26. 42. *ſupr.* *ID.*

(e) De hac ipſa *Comitis* dignitate in hac ipſa re, v *l.* 14. 26. 41. *ſupr.* *ID.*

(f) *Cuius*, Curiæ ſcil. vel etiam, officii, vel corporis. *ID.*

(g) *X. Kal. Iul. l. prox.* 45. *ID.*

COMMENTARIVS.

DIGNITATE honoraria Perfectiſſimatus, vel Comitis, Curialem neceſſitatem vitari non poſſe definit rurſum Conſtantius *hac l.* vt *l. 41. 42. ſup.* vt omittam aliorum Impp. ſimiles conſtitutiones. Et hæc quidem ad Africæ Curiales pertinet, pariter vt duæ proximæ *45. 46.* quæ ad eundem *Martinianum Vic. Africæ* datæ ſunt, & quidem intra paucos dies. Vnde apparet, enixam reparandarum per Africam Curiarum curam hoc tempore Conſtantium geſſiſſe: cum Quadorum interea & Sarmatarum motibus compeſcendis ipſe *Sirmii* (vbi *hæc lex & ſeq. 45.* data eſt) vel Murſæ: (vbi data *lex 46.*) conſtitutus, intentus eſſet: de quo vid. *Chronol. Theodoſianam.*

MILITES & VETERANOS *Curiales, ad Curias reuocandos.*

XLV. (a) Idem AA. (b) ad Martinianum Vic. Afric. (c)

PARVI habito generis & originis nexu plerique, muniis oppidaneis improbe deſtitutis, ad Militiam confugiſſe dicuntur: Ideoque, non eos tantum qui etiamnunc in militia perſeuerent, (d) ſed Veteranos etiam ſtatuimus euocari, executuros proprias allegationes in iudiciis competentibus, Æquum eſt namque nullum ſe nomine honeſtæ miſſionis tueri; Vt etiamnunc in militia permanentes, vel iam otium conſecutos, recipiant Curiæ, ſi ſibi obnoxios eſſe monſtrauerint. Elicitas quoque Epiſtulas (e) adimi volumus Veteranis, Curiæ decernentes eſſe reddendos, quos obnoxios eſſe claruerit. Dat. X. Kalend. Iul. Sirmio, Datiano & Cereale Coss. [358.]

NOTAE.

(a) Abeſt hæc *lex* a *Cod. Iuſt.* *GOTHOFR.*

(b) Inſcriptos huic quoque legi oportuit *Conſtantium A. & Iulianum C.* *ID.*

(c) Eidem inſcribitur *lex ſuper.* 44. & *inſr. prox.* 46. *ID.*

(d) *Perſeuerant.* *ID.*

(e) Veluti Protectoriæ dignitatis. *ID.*

COMMENTARIVS.

P. 384. MILITIAM Armatam, etiam veram, Curia non liberare definit Conſtantius, pariter vt iam definiuit *l. 40. & 43. ſupr.* (vt aliorum Impp. concordantes *leges* omittam) in tantum vt non modo adhuc militantes, verum etiam VETERANOS iam, honeſteque miſſos ad Curiam reuocari iubeat: de quo iam ad *d. l. 40. ſup.* In quo Iulianus diuerſus fuit; nam is honeſte a ſe miſſos, Curia liberari voluit, *leg. 2 ſupr. de Agentib.* In tantum vero Conſtantius id de Veteranis ſtatuit, vt etiam *Epiſtolas* miſſionis, quibus ferme Veteranis dignitas ex Tribunis, vel *Protectoribus* pro præmio addita, nequicquam prodeſſe velit. Breuiter, militia non tantum conſtans, ſed etiam finita quamlibet, impetratis etiam ex Tribunis & Protectoribus epiſtolis, nequicquam prodeſt ad Curiam euitandam, *h. l.* & *l. 153. 156. inſr. h. t.* De quibus *Epiſtolis* ſuo *titulo, ſupr. de teſtimonial. ex-Trib. & Protector. lib. 7. tit. 21.* *Epiſtolæ* ſcilicet hoc ſenſu accipiendæ, *hac l.* & *l. 1. ſup. de teſtim.* quæ emeritæ miſſionis epiſtola, *l. 4. ſupr. de Veteranis.* Alioquin & *Epiſtolæ* dimiſſionis generales fuere, de quibus *l. 2. ſupr. de Veteranis.*

De ADVOCATIS *Curialibus: deque* SACERDOTIBVS *ex his creandis.*

XLVI. (a) Idem AA. (b) ad Martinianum Vic. Afric. (c)

A (d) Solis præcipimus Aduocatis eorumque conſortio dari prouinciæ Sacerdotem. Nec aliquis arbitretur, ita eſſe Aduocationis (e) neceſſitatem impoſitam Sacerdotio,

tio, vt & ab eo munerum oppidaneorum functio ſecernatur: cum nulla vnquam iura Patronis forenſium quæſtionum vacationem ciuilium munerum præſtituerint. Nullum igitur Aduocatum a Curia, cui tenetur obnoxius, patimur excuſari: videlicet, ſi ciuico (f) nomine, aut vinculo incolatus, oppidanea neceſſitas eum detinet obligatum. Itaque aput alios (g) etiam Iudices operam dantes negotiis perorandis, obnoxios eſſe decernimus Sacerdotio: ſic videlicet, & (h) vt intra eam prouinciam huiusmodi (i) honoribus mancipentur, vbi eos neceſſitas Curialis detinet obligatos. Dat. V. Kalend. Iul. Murſæ (k), Datiano & Cereale Coss. [358.]

NOTAE.

(a) Abeſt *hæc lex* a *Cod Iuſt.* ***GOTHOFR.***

(h) Et *huic l* inſcribendus *Imp. Conſtantius A. & Iulianus C. ID.*

(c) Eidem inſcribitur hoc ipſo Anno *lex* 45.46. *ſupr. ID.*

(d) *E ſolis aduocatis:* ita Vetranius Maurus *de iure lib. cap.* 37. *pag.* 1c61. *Tom. III. Theſaur. Iur.* Quo nil opus. *ID.*

(e) Malim, inuerſo modo: *Aduocationi neceſſitatem impoſitam Sacerdotii. ID.*

(f) De his duabus cauſis ex quibus quis Curialibus & Ciuilibus muneribus tenetur, Vide *Paratitl. ID.*

(g) Quam ſuæ ciuitatis & prouinciæ. *ID.*

(h) *77.* Inuerſe, *vt &. ID.*

(i) *Cuiusmodi. ID.*

(k) *Murſa*, quæ vrbs Pannoniæ, data *hæc lex:* vbi tum Conſtantius Sirmio digreſſus, conſiſtebat, quo tempore ei cum Sarmatis & Quadis res erat, Marcellinus *lib.* 17. *cap.* 12. Frequens eius mentio in *Itin Anton.* In *Peutingeriano* duplex *Murſa*, maior & minor. Ante hoc ſeptennium A. 351. ad Murſam prælium conſeruit Conſtantius cum Magnentio, conſumptis ingentibus Romani Imperii viribus, victorque tandem euaſit: de quo Murſenſi prælio Iulianus *orat.* 1. *pag.* 36. 39. & *orat.* 2. *pag.* 60. & 97. *Edit. Lipſ. Spanhem.* Victor, Eutropius, Zoſimus, Hieronymus *Chronico*, Socrates *lib.* 2. *cap.* 32. Idacius *Chronico;* Seuerus *lib.* 2. *ſacr. hiſtor. cap.* 38. *ID.*

COMMENTARIVS.

P. 815.

DE ADVOCATIS (qui & *Patroni forenſium quæſtionum*, ſeu *operam dantes negotiis perorandis apud Iudices*, dicuntur de quibus *ſupr. lib.* 2. *tit.* 10. vbi v. Paratitlon) eſt hæc Conſtantii *lex*, ad Africam pertinens: ac proinde eſt hæc *lex* de *Aduocatis Africa:* pariter vt *lex* 2. *ſupr. de concuſſ. Aduoc.* quæ iam olim, vt Poëta ait, *nutricula Cauſidicorum* erat: de quo ad *l.* 1. *infr. de ſtudiis lib. V. R.* Vnde etiam certatim præclariſſimi Chriſtianæ pietatis Oratores & Defenſores ſuperiore & hoc ſæculo prodiere.

De his igitur duo *hac l.* ſtatuuntur. Primum, SACERDOTEM prouinciæ ex Aduocatorum conſortio, & ab ipſis dari oportere; denique Aduocationi impoſitam eſſe neceſſitatem Sacerdotii. De Sacerdotibus prouinciarum, de quibus alioquin agitur compluribus aliis *huius tituli* legibus: puta *l.* 21. 75. 77. 103. 112. 145. 148. 166. 174. 176. *infr. hoc tit.* & aliis *huius Codicis legibus*, dicetur plene *Paratitlo de Paganis, infr.* ad quorum ſane curam Templa Templorumque ſolemnia pertinebant. Hi igitur Sacerdotes cum ex Curialium Corpore crearentur, quod docent *dictæ leges:* ſane per Africam a ſolis *Aduocatis*, ſeu ex Aduocatorum corpore Sacerdotem dari voluit *hac l.* Conſtantius: nam & ipſi ferme Aduocati de Curialium numero fuere: vt docent aliæ complures *leges*, quas mox dicam. Non alia, vt puto ratione, quam quia cum Cauſidicinam Gentiles ferme profiterentur, Afrique ſua ſibi ſolemnia ſeruari cuperent, non alii melius Templorum ſolemnia tueri poſſe viderentur, quam Aduocati, & vero Aduocatis & defenſoribus hac tempeſtate Gentilibus opus eſſet. Et vero hanc coniecturam firmat apertiſſime *Canon* 97. *Concilii Africani pag.* 919. 920 921. *Codic. Can. Eccleſ. African. Tom. I. Concil. Edit. Harduin.* qui ſcriptus eſt Anno D. 407. *Placuit etiam, vt petant ex nomine prouinciarum Legati perrecturi, a Glorioſiſſimis Impp. vt dent facultatem defenſores conſtituendi ſcholaſticos, qui in actu ſunt, vel in munere defenſionis cauſarum, vt* MORE SACERDOTVM PROVINCIÆ, *iidem ipſi, qui defenſionem Eccleſiarum ſuſceperint, habeant facultatem pro negotiis Eccleſiarum, quoties neceſſitas flagitauerit, vel ad obſiſtendum obrepentibus, vel ad neceſſaria ſuggerenda, ingredi Iudicum ſecretaria.* Ad quam ſane Patrum Africanorum petitionem promulgata eſt ab Honorio *lex* 38. *infr. de Epiſcopis:* qua id indulgetur.

Secundo capite Conſtantius definit, ADVOCATOS, Curiales non ideo, quia his Sacerdotii neceſſitas impoſita eſſet, ciuilium ſeu Curialium munerum vacationem habere, ſi Curiales ſint: Nempe enim nulla iura hanc Aduocatis vacationem dedere: Quod poſtremum ipſum cauetur quoque *leg.* 77. 87. 98. 116. 152. 188. 189. *inf. hoc titulo.* Igitur tandem definit, poſſe Aduocatum in alio etiam loco quam in patria ſua cauſis orandis operam nauantem, ibi Sacerdotem prouinciæ fieri, & nihilominus tamen in patria ſua Curialibus muneribus obligari. Quod vtique ſingulare, & Aduocatis ſatis graue: alibi Sacerdotio fungi, & alibi nihilominus Curialia munera obire.

De IMMVNITATE *Curialium a* CORPORALIBVS *iniuriis deque modo* MVLTARVM *quæ his imponi poſſunt.*

XLVII. (a) Idem (b) AA. (c)

OPPIDANEIS Ordinibus conſulentes, dudum iuſſimus †, ab iniuriis corporalibus tutam eſſe debere Ordinis dignitatem. (d) Condemnationibus (e) etiam modum inpoſuimus, qui Legibus ‡ deſignatur. Ideoque ſancimus, vt ſi Iudex (f), vel in condemnationibus exprimendis, vel in (g) corporalibus iniuriis vltra licitum contra Curialem exarſerit, ipſe quidem auri pondo quinque, Officium vero eius decem fiſco inferat. Dat. XVIII. Kalend. Iul. Euſebio & Hypatio Coss. [359.]

INTERPRETATIO. *In correptione Curialium certam patientiam Iudices debent retinere, vt in corpore vel in ſanguine Curialium non facile audeant deſæuire: nam ſi qui contra hoc fecerit, ipſe quidem Iudex quinque libras auri, & officium eius decem auri libras fiſco cogantur inferre.*

NOTAE.

(a) Abeſt & hæc *lex* a *Cod. Iuſt.* *GOTHOFR.*

(b) Et *huic l.* præſcribendus *Imp. Conſtantius A. & Iulianus C. ID.* *Conſtantinus* & *Conſtans,* MS. G. & Sichard. male. *RITTER.*

(c) Sola *Pariſienſis vlt. Editio,* & *Chronologia* ei addita, & exinde aliis *Editionibus* ſubtexta, ſupplent *Caciliano PP.* Vnde id ſuppletum, neſcio. Nam ſuperiores omnes Editiones, *Tiliana, Cuiaciana,* nil tale habent: Neque etiam Sichardi *Codex Anianus,* neque eius *Manuſcripti,* quos viderim. Et ſane *Cæcilianus P.P.* diu poſt fuit, A. 409. vt docent complures *Leges,* hoc *Codice:* & Zoſimus, *lib.* 5. *cap.* 44. *GOTHOFR.*

† *Lege* 19. ante decennium. *ID.*

(d) *Dignitatis* voce in eadem re vtitur *lex* 4. *ſupr. de Tabular.* Honorii, *l.* 1. *ſupr. ad Leg. Corn. de falſo. ID.*

(e) *Condemnationibus,* id eſt, multis pecuniariis: de quo mox. *ID.* *Condemnationis* MS. G. *RITTER.*

‡ Non extant hæ *Leges. GOTHOF.*

(f) *Iudex,* id eſt, Rector prouinciæ: v. *Gloſſ. Theod. ID.*

(g) *In* abeſt a MS. G. *RITTER.*

COMMENTARIVS.

A QVÆSTIONE ſeu TORMENTIS, & Ictibus, denique ab Iniuria corporali, *hac* rurſum *leg.* Curiales omnes immunes pronunciantur, a Conſtantio Imp. confirmata anteriore quadam *leg.* ſua puta *l.* 39. *ſupr.* quam hic indicat; & ad quam dicta etiam ex *Libanio* huc arceſſi poſſunt. Itemque ſecundo capita, quod hic omiſit Interpres, CONDEMNATIONIBVS, id eſt, MVLTIS Curialium modum impoſitum anterioribus ſuis *Legibus* (quæ nuſpiam comparent) confirmat. Nempe duplici hoc priuilegio *oppidaneis Ordinibus,* vt ipſa præfatur, id eſt, Curiis ciuitatum ſeu oppidorum, conſultum it *hac leg.* Conſtantius: tum ratione perſonarum ſeu corporum, tum ratione bonorum: *perſonarum,* ab iniuriis, videl. corporalibus Curiales vindicando (quæ ſane ad totius Ordinis infamiam non poſſunt non pertinere, eiuſque dignitatem imminuere.) Ratione item bonorum; condemnationibus ſcil. eorum, id eſt, multis (*condemnatio* enim eſt multa, *h. l. l.* 8. 9. *de Iuriſd. l.* 13. *de Prætorib.* & *l.* 38. 48. *ſupr. de appell. l.* 2. *ſup. de milit. veſte. leg.* 1. *ſupr. ne quis in palat. l.* 16. *ſupr. de re mil. l.* 3. *infr. de ponderator. l.* 5. *de Epiſcop.* & *l. vlt. Cod. Iuſt. de modo multar.* de quo plura ad *l.* 12. *ſupr. de re milit.*) ſeu pœnis pecuniariis modum imponendo: ne alioquin immodicis multis Curialium bona in damnum Curiarum imminuantur: quæ Curialibus ſeruari Curiarum intereſt. Hac igitur duplici fibula Iudicibus, id eſt Rectoribus prouinciarum immodica ſæuientibus, *exardeſcentibus,* qua voce hæc lex vtitur in Curiales in damna Curiarum *h. l.* occurrit Conſtantius: nempe & dignitati eorum conſulendo & vtilitati. Quomodo pariter Honorius eadem conſtitutione Iudicum nimietati occurrit circa quæſtiones Curialium & modum multarum, vt docet *l.* 6. *ſupr. de Quæſtion.* & *l. vlt. C Iuſt. de modo multarum:* quæ ex *ead. l.* deſumptæ, & inter ſe coniungendæ coaſſandæ veniunt *Legi* 161. *infr. hoc tit.* & *legi* 8. *ſupr. de contrah. empt.* Scilicet hæc duo fuerant in quibus ferme Iudices erga miſeros potiſſimum Decuriones, nimio plus indulgebant, & P. 181.
vt loquitur hæc *lex, vltra licitum exardeſcebant.* Et ſic notetur quoque iam *huius leg.* exemplum, de *Modo multarum:* qui deſumitur non ex Iudicis tantum dignitate, vt cæteroquin modi multarum, de quibus *tot. Cod.* verum ex obiecto ſeu ſubiectæ perſonæ ratione: de quo vid. Paratitlon *de Pœnis.*

SENA-

SENATORIA *dignitate nuda Curialem Curia non liberari, ſed* PRÆTORVM *tantum honore perfunctos.*

XLVIII. (a) Idem AA. (b) ad Senatum. (c)

SI qui forte Decuriones munia detrectantes; ad Senatus Noſtri ſeſe conſortium contulerunt, exempti albo (d) Curiæ (e) propriis vrbibus mancipandi ſunt. Qui vero Prætorum honore perfuncti ſunt, reſidentes in Senatu, redhibere debebunt quæ ex rationibus fiſci, aut vrbium viſceribus abſtulerunt, ita vt omnibus deinceps adipiſcendi honoris huiuſce aditus obſtruatur. Dat. V. Non. Mai. Tauro & Florentio Coss. [361.]

NOTAE.

(a) Abeſt hæc *lex* a *Codice Iuſt.* Iungendæ autem *huic* ſunt octo *leges*, quas mox recenſebo. *GOTHOFR.*

(b) Vel ſolius *Conſtantii* nomen præſcribendum, vt aliis *legibus* ferme fit, quæ *huic* coniungendæ ſunt; vel *Conſtantii A. & Iuliani C. ID.*

(c) Id eſt, Senatus Conſtantinopol. *ID.*

(d) *Album* Curiæ, ſeu Senatus Conſtantinopolitani. De Albo Decurionum in genere v. & *l.* 1. & 2. *tit. D. de albo ſcribendo: τῶν αἴλων λευκώματα. Latereulum* vocat Cedrenus *Compend. hiſtor. pag.* 135. *inter ſcript. R B Edit. Venet.* & *pag.* 169. *Edit. Pariſ.* 10° ἐν ᾧ βουλευτῶν ὀνόματα ἀπεγράφετο, *in quo Senatorum nomina inſcribebantur.* Τὰ βουλευτηρία κατάλογον dixit Iulianus in *Miſopog. pag.* 367. *Edit. Lipſ. Spanhem.* Extat huiuſmodi album in priſco marmore, quod Lipſius vidit, & legitur apud Gruterum CCCII 1. *ID.*

(e) *Curia*, id eſt, Senatus. *ID.*

COMMENTARIVS.

DE SENATORIA & PRÆTORIA dignitate a Curiali quæſita eſt hæc Conſtantii *lex*; quæ pars eſt prolixæ admodum Orationis Conſtantii Imp. ad Senatum vrbis Conſtantinopol. emiſſæ, *ſuper Senatorum priuilegiis & Prætorum deſignatione*, vt patet ex illis omnibus legibus, quæ exinde deſumptæ *huic* coaſſandæ veniunt, quaſque mox in vnam lineam coniiciam, ex argumenti paritate. Igitur, vt de Senatoria dignitate primum agemus: Cum ea oratione Conſtantius Senatoribus immunitatem tribuat a luſtrali collatione *l. 3. infr. de luſtrali collat.* a collatione ad opera publica, *l. 7. infr. de operib. publ.* a tributis ſoluendis pro colonis ſuis profugis, *l. 7. ſupr. de annona & tributis:* a Metati onere, *l. 1. ſupr. de metatis:* a Synoneto per prouincias, *l. 1. ſupr. de publ. compar.* non tamen Senatoribus tribuit immunitatem a munere protoſtaſiæ: *l. 1. ſupr. de protoſtaſia* (quæ ſex *leges* omnes ex eadem ratione deſumptæ *huic* coniungendæ ſunt:) ſed neque e Curiali nexu ſeu obſequio, quæ *huius legis* ſententia eſt: cum tamen ſub ipſomet Conſtantio aliquando Curiales Senatoriam dignitatem conſequi potuerint, & Senatoriæ dignitate indepta Curia liberari, quod docuit *lex 42. ſupr.* Verum nunc mutat Conſtantius: cui plures aliorum Impp. leges *hoc tit.* concordant: Et in vniuerſum, viginti ſeptem *hoc tit.* in hoc argumento occupatæ ſunt, quas repetere licet ex *Paratitlo.* Igitur Curialem, Senatorem antea factum Albo Curiæ ſeu Senatorum numero expungi, Curiæque ſuæ reſtitui iubet: Prætoribus tantum in præteritum exceptis (de quorum deſignationis forma agitur *l. 12. 13. ſupr. de Prætoribus*, quæ & ipſæ ex eadem oratione petitæ *huic* coaſſandæ ſunt:) ſcilicet ſi Curialis Senator factus, mox Prætor deſignatus: Praeturam, id eſt ludos Prætorios ediderit, eum non amplius in Curiam retrahi vult: verum in Senatu remanere: ſic tamen, vt ſi quid, cum Curia migraret, ex rationibus fiſci, vel vrbium viſceribus abſtulit, (ex Decurionibus enim Exactores, Suſceptores, Curatores Rerum publicarum creabantur, de quo alibi ſæpe, & iam *ſupra*,) id redhibere, id eſt, reſtituere debeat. Quod Præturæ priuilegium notandum eſt: de qua alioquin in vniuerſum *ſuo titulo* prolixe *lib. 6. de Prætorib.* & *Nouella Theodoſii 8. ne decurio ad Senatoriam dignitatem aſpiret.*

Quicquid tamen Conſtantius hanc in partem *hac l.* cauerit, nihilominus poſt eius obitum conqueri pergit Libanius, *Orat. in Iuliani Imp. necem p. 296. 297. Edit. Morelli.* Curias ſub Conſtantio exhauſtas fuiſſe, aliis ad Militiam confugientibus, aliis ad *Senatum*, aliis torpori ſe dantibus, aliis Eccleſiaſtici nominis obtentu munia declinantibus: nam id omnino vult; ſcil. Iuliani laudes perſequens; ἐπεδείξατε δὲ, inquit, τὴν αὐτὴν πρόνοιαν (Iulianus). καὶ περὶ ταῖς ἐν ταῖς πόλεσι βουλαῖς· αἳ πάλαι μὲν πλήθεσί τε καὶ πλούτοις ἔθαλλον, ἔπειτα ἦσαν οὐδὲν, μετερρυηκότων πάλαι ὀλίγων χαμαιδῆ τινῶν, τῶν μὲν εἰς τὰ στρατιωτῶν, τῶν δ' εἰς τὸ ΜΕΓΑ ΣΥΝΕΔΡΙΟΝ, τοὺς δὲ ἦν ἕτερόν τι τὸ δεξόμενον· καὶ οἱ μὲν ἐκάθευδόν τε καὶ ἐχαρίζοντο τῷ σώματι, καὶ τῶν εἰς τὴν αὐτὴν αὐτοῖς ἐλθόντων κατεγέλων. τὸ δὲ ὑπολελειμμένον ὀλίγον ὄν, ἐξεπτίζετο, καὶ τὰ λειτουργῶν τοὺς πλείστους εἰς τὸ προσαιτεῖν ἐτελεύτα. καὶ τοί τις οὐκ οἶδεν, ὡς ἡ τῆς βουλῆς ἰσχὺς, ψυχὴ πόλεώς ἐστιν· ἀλλὰ Κωνστάντιος μὲν λόγῳ ταῖς ψυχαῖς βοηθῶν, ἔργοις ἦν ἐχθρὸς, μετατιθεὶς ἐστέρησε τοὺς ἐκείνας φεύγοντας, καὶ διδοὺς ἀτελείας παρανόμως (vel παρανόμους:) ἐῴκεσαν οὖν ἤδη γραιδίοις ἠσθημένοις ῥάκια, καὶ ὠδύροντο μὲν οἱ σεσυλημένοι βουλευταὶ, δεινὰ δὲ αὐτοὺς ὡμολόγουν πεπονθέναι τε καὶ πάσχειν οἱ δικάζοντες, βοηθεῖν δὲ ὄντες ἕτοιμοι, βοηθεῖν οὐκ εἶχον. ἀλλ' ἔδει ποτὲ καὶ ταῦτα τὴν αὐτῶν ῥώμην ἀπολαβεῖν. τὸ γὰρ δὴ πολλῶν ἐπαίνων ἄξιον ἐκεῖνο γράμμα, τὸ δεῖν πάντα ἄνδρα πρὸς βουλὴν καλεῖν, καὶ

μηδὲν

p.387 *μηδὲν ἔχοντα ἰσχυρὸν, εἰς ἄφεσιν ἐγγράφειν* id eſt, *Oſtendit vero* (Iulianus) *hanc eandem prouidentiam circa Curias ciuitatum: quæ olim certe cum & multitudine & opibus floruiſſent, in nihilum poſtea redactæ ſunt, translatis rurſum paucis in militiam, aliis in* SENATVM; *alios vero quid aliud cepit: & hi quidem ſopori dediti corpori indulgebant, eosque qui iisdem d.liciis non vtebantur, deridebant: Cæteri paruo numero relicti fluctuabant anxii: & muneris publici functio plerisque in mendicandi neceſſitatem vertit. Et quis tamen neſcit, Curiæ vim* (ſen numerum) *ciuitatis animam eſſe? Verum Conſtantius verbo quidem his animabus ſuccurrens, rebus ipſis inimicus erat, alio transferens, qui eas fugiebant, & Immunitates tribuens iniuſtas.* (vel ſceleratis) *Igitur ſimiles factæ ſunt vetulis, quæ pannis obſitæ: & mærebant quidem ſpoliati Decuriones: neque diffitebantur Iudices grauia eos perpeſſos patique, verum cum ad auxiliandum parati eſſent, iuuare non potuerunt: ſed oportuit tandem, & hæc robur ſuum recipere: Hoc enim Edictum* (Iuliani) *profecto magna laude dignum eſt. Quod omnem virum ad Curiam vocari oporteat, eumque qui nullam iuſtam vacationis cauſam habeat, ei adſcribi.* Eſt hic locus Libanii ſingularis, cuius vſus deinceps haud ſemel nobis erit ad Iuliani conſtitutiones, imo etiam ad *l. prox.* Huc etiam pertinet eiusdem Libanii *epiſtola, ad Andronicum 145.* in *MS. Regio,* & *150. Edit. Cl. Wolffii.* vbi tamen ſibi contrarius ob Senatoriam dignitatem, Phœnicem quendam a Curialibus patriæ muneribus liberari poſtulat. Μέτρον ἄριστον, ἔφη τις, καὶ ὁ λόγος ἀνάθημα γίνεται τῷ πυθίῳ. σὺ δ' ὅτι μὲν τῇ τε ἄλλῃ καὶ τῷ πλήθει τῶν βουλευτῶν μείζους ποιεῖς τὰς πόλεις, καλῶς ποιεῖς· ὅστις δὲ εἰς μείζω βουλὴν καλεῖται, καὶ γέγονεν ἀντὶ Φοίνικος ἄλλο τι σεμνότερον, μήτοι τοῦτον ἀποστέρει τῆς τύχης, μηδ' οὕτω φίλει τοὺς ἀρχομένους, ὥστε τὴν σαυτοῦ μισεῖν. ἔστω δὴ καὶ Φρατέρνῳ τῶν ἐν Φοινίκῃ λειτουργιῶν ἄφεσις, ὃν αὐτίκα δεήσει δαπανᾶν ἐν τῇ μεγάλῃ πόλει: *Modum tenere optimum eſt, dixit aliquis & dictum hoc Apollini Pythio conſecratum eſt. Tu vero quod cum in aliis rebus, tum in Senatorum numero amplificando, vrbes facis maiores, recte facis. Sed qui maiorem ad curiam vocatur, atque ex Phœnicia ad auguſtius quiddam euaſit, eum ſua felicitate ne fraudaueris, neue ita ſubiectos ames, vt patriam tuam auerſeris. Sit vtique & Fraterno eorum munerum, quæ in Phœnicia habet, vacatio, quem ſtatim oportebit in magna vrbe ſumptus facere.*

Quod nominatim Libanius ſcribit, & hæc *lex* cum *leg. 42. ſupr.* fidem faciunt, multos Curiales ad Senatoriam dignitatem ſub Conſtantio ſeſe contuliſſe: Ei rei fidem quoque egregie facit *lex 74.* & *90.* & *96. infr.* quibus *legibus* Valens & Theodoſius Magnus Imperatores, reuocari e Senatu vel ex officialibus, ad Curiam Curiales iubent, qui Senatoriam dignitatem impetraſſent a *Conſulatu Conſtantii 10.* & *Iuliani 3.* id eſt, ab Anno proxime *huius legis* noſtram præcedente, puta Anno Dom. 360. ſeu a Iuliani tempore. Anterius a Conſtantio factis, intactis.

De CLERICATV, *an & quando per eum Curialis Curia liberari poſſit.*

XLIX. (a) Idem AA. (b) ad Taurum PF. P. (c)

SOLVM Epiſcopum facultates ſuas Curiæ, ſicut ante fuerat conſtitutum, † nullus adigat mancipare, ſed Antiſtes (d) maneat, nec faciat ſubſtantiæ ceſſionem: Sane, ſi qui ad Presbyterorum gradus, Diaconum (e) etiam, ſeu Subdiaconum, ceterorumque peruenerint, adſiſtente Curia, ac ſub obtutibus Iudicis promente (f) conſenſum (eum eorum vitam inſignem, atque innocentem eſſe omni probitate conſtiterit) habere debet patrimonium probabilis (g) inſtituti, vt retineat proprias facultates: maxime ſi totius populi vocibus expetatur. Quod * ſi qui forte, non Curialibus apud Iudicem profitentibus, non denique expetente populo, ad eos (quos diximus) gradus adſpirent, aut ſtudio fraudulentæ (h) artis irrepſerint, patrimonium ſuum liberis tradant ad Curialia obſequia ſubrogatis. Quod ſi ſuboles defuerit, propinquis ſuis (quos tamen (*i*) gradus poterant legitimæ ſucceſſionis adtingere) duas tradat propriæ ſubſtantiæ portiones, ſibi tertiam reſeruaturus: ſcilicet, vt per propinquos (ſi tamen Curiales ſunt, aut etiam, ſi Curiæ nunquam antea obſequium præbuerunt) præbeatur, ſuſceptis facultatibus, obſequela: (k) Quod ſi filios aut propinquos non habuerint hii, qui derelicta Curia ad cultum (l) diuinæ reuerentiæ exiſtimauerint tranſeundum, duas portiones Curia debebit accipere, relicta penes eum tertia, quem ante diximus ad Eccleſiaſticorum conſortium inſidioſis artibus adſpiraſſe. Ea vero quæ ad Curiam ex eorum iure tranſierint, Curiæ eſſe oportet, nec ex eius iure transferri. Sed quoniam verendum fuerit, ne alienatis facultatibus, aut in aliorum iura ante tranſcribtis, nulla ex parte poſſit Curiæ vtilitatibus conſuli, obſeruari oportet, vt ſi patefacta fuerint fraudulenta conſilia, qui qualibet neceſſitudine copulatus eſt, cum id potuerit demonſtrare, easdem percipiat facultates, Curiæ muneribus præbiturus obſequia: Vel ſi propinquorum ceſſet indago, cuncta ad Curiam transferantur, quæ quolibet titulo alienata probabuntur, ex eo tempore, ex quo Curiæ munia cœperit detrectare,

trectare, qui viam (m) diuinæ cultionis affectat. * Si Præpoſiti horreorum, (n) hiique qui ſuſcepruri ſunt Magiſtratum, (o) Præpoſiti etiam pacis, (p) ſeu Suſceptores diuerſarum ſpecierum, ad Eccleſiam crediderint adſpirandum poſtquam officia impoſitæ ſollicitudinis aut honoris adgreſſi ſunt, ipſos primum Antiſtites ſupernæ legis conueniet reluctari, ipſiſque primum adnitentibus, eosdem ad obſequia congrua reuocari; aut ſi hoc neglexerint a Curialibus, Iudiciali Officio ſuffragante, retrahendi ſunt, &c. Dat. IV. Kal. Sept. Tauro, & Florentió Coss. [361.]

P.381. NOTAE.

(a) Abeſt *hæc lex a Cod. Iuſt.* Omiſit eam quoque Baronius, quæ tamen elegans eſt & ad hiſtoriam Eccleſiaſticam pertinet Iungenda autem ei *lex 7. ſupr. de cobortalibus.* GOTHOFR.

(b) Et huic legi, *Conſtantii* tantum nomen præſcribendum eſt, vel certe *Conſtantii A. & Iuliani C. ID.*

(c) *Taurus* PP. Italiæ ſub Conſtantio: v. *Proſopogr. ID.*

† Conſtitutio hæc non extat: Sed & quid ea conſtitutum fuerit, non ſatis clarum eſt. Duplicem enim hæc verba, *ſicut antè fuerat conſtitutum.* ſenſum admittunt. Verum de eo mox. *ID.*

(d) *Antiſtes*, id eſt, Epiſcopus: ſic in *fin. legis*, *Antiſtites ſupernæ legis.* Hac ipſa voce vtitur Ammianus Marcellinus in Conſtantii ipſius rebus *lib. 21. in fin. & lib. 22. cap. 5.* & ſub Valentiniano *lib. 27. cap. 3. ID.*

(e) *Diaconorum, Subdiaconorum.* Quanquam etiam huius æui Latinitas, *Diacon, Diaconis*, & in plurali *Diacones* dixit: Quomodo etiam reponendum *l 163. infr* ac proinde in Genitiuo *diaconum.* Sic etiam Cyprianus *ep. 5. Cyprianus Presbyteris & Diaconibus, fratribus cariſſimis.* Synodi Sardicenſis (quæ ante hos 20. & amplius annos habita) Epiſtola ad Eccleſ. *in fragm. a Pithæo edit., pag. 9. & p. 663. Tom. I. Concil. Edit. Harduin. Qui tunc ipſius Theogniti Diacones fuerunt.* Pontius *in paſſione Cypriani pag. 13. Oper. Cyprian. Edit. Ioann. Felli Epiſcop. Oxon. Dalmaticam vero tradidit Diaconibus.* Subdiacones, apud S. Auguſtinum. Omitto ſequioris æui exempla. *ID.*

(f) Promere conſenſum. *ID.*

(g) Ita *d. l. 7. ſi id probabilis uitæ ſtudium poſtularit.* Hinc & *probabilis ſaeculo diſciplina*, pro Clericatu, *leg. 44. infr. de Epiſcopis. ID.*

* SECVNDVM caput *huius legis. ID.*

(h) Clandeſtinis artibus *d. l. 7.* & *infr. h. l.* inſidioſis artibus. *ID.*

(i) Taxatio hæc quo pertinet? *ID.*

(k) *Obſequela*, pro obſequio. *ID.*

(l) *Cultum diuinæ reuerentiæ*; mox vocat infr. *uiam diuinæ cultionis*: id eſt, Clericatum. Eodem ſenſu in *Valentiniani leg.* in eodem argumento, *Cultus legis noſtræ*: *leg. 21. infr. de Epiſcop.* in epiſtola Conſtantini ad Ælafium (ſiue Ablauium, vti habent editiones variæ) *pag. 259. Tom. I. Concil, edit. Hard. quod minus dignus idem Cæcilianus cultu ſanctiſſimæ Religionis habeatur. ID.*

(m) Id eſt, *Clericatum*: ſic *ſup. cultus diuinæ reuerentiæ. ID.*

* TERTIVM caput *huius leg. ID.*

(n) De Præpoſitis horreorum vid. infr. *Paratit. de Suſceptor.* & *leg. 3. 8. 16. 24. eod. tit. ID.*

(o) *Magiſtratum*, id eſt, Duum-viratum. *ID.*

(p) Ita quoque *l. 1. ſupr de pignoribus*: *Præfectus pacis, vel Decurio.* Sed tamen reſcribendum *pagis*, quorum mentio fit præterea *d. l. 1. ſupr. de pignoribus*: *l. 1 de his quæ adminiſtr. l. 1. de erog. mil. ann. l. 8. infr. de ſuſceptoribus.* de quo ad *dict. l. 1. ſupr. de erog. milit. annon. ID.*

COMMENTARIVS.

CLERICATV, an & quomodo Curialis conditio euitari poſſit, definitur a Conſtantio *h. l.* (quæ hoc in argumento prima omnium hoc titulo occurrit, cum duæ tamen anteriores ſuper eo Conſtantini M. *leges* occurrant, *l. 3. & 6. infr. de Epiſcopis*:) quæ etiam vltima eſt omnium quæ reperiuntur *hoc Codice* Conſtantii Conſtitutionum, ſi modo menſis in ea ſubſcriptus recte habet. Quæ de re alioquin ſunt in vniuerſum *hoc Codice* quindecim conſtitutiones; puta duæ Conſtantini M. *d. lex 3 & 6 infr. de Epiſcop. Eccleſ. & Cler.* Conſtantii hæc *lex*, cui ſocianda & *lex 7. ſupr de cobortal.* de quo mox: Iuliani *lex* proxima *50. infr.* Valentiniani Sen. *lex 59. inf. hoc t.* & *lex 21. infr de Epiſcopis.* Valentis *lex 19. infr. de Epiſcopis.* Valentiniani Iun. *l. 99. infr.* Theodoſii M. *lex 104. 115. 121. 123. infr hoc tit.* Arcadii *lex 163.* Theodoſii Iun. *lex 172. infr. hoc tit.* & *l. 21. Cod. Iuſt. de Epiſcopis.* Conſtantini M. mens fuerat abſciſſe, ne Decuriones ad Clericatum ſeſe conferre poſſent, verum vt inde exempti Ciuitati Curiæque redderentur, *d. l. 3. & 6.* (quarum vltima data eſt A. D. 326. poſt Concilium Nicænum, triginta quinque ante hanc Conſtantii *legem* ferme annis.) Exinde conſtitutum fuerat (ita enim initium *huius legis* accipio) & quidem, vt Decurio Clericus fieri poſſet, dummodo facultates ſuas Curiæ manciparet, ſeu ſubſtantiæ ſuæ ceſſionem faceret: Qua ſane ratione Curiarum indemnitati conſultum videbatur. Verum Clericatus fauore in dies magiſque inualeſcente, magis adhuc Clericis fautum, euitandæ Curiali conditioni: ſic vt per Clericatum plena ſub Conſtantio immunitas a Curiali conditione quæſita fuerit. Quo pertinet etiam Libanii locus ille, quem ad *l. ſuperiorem* protuli; vbi etiam ſi *παρανόμοις* legendum eſt, ea voce proculdubio Chriſtiani nominis oſor, Clericos indicare voluerit, *καὶ δι᾽ οὓς*, inquit,

αἰτελείας παρανόμοις. Eodemque pertinet, & ad id, quod a Conſtantio hac parte factum fuerat, reuocandum, famoſa Iuliani conſtitutio, *l. 50 prox.* cuius alii meminere, & ad quam plura.

Sententia certe Conſtantii *hac l.* eſt, Epiſcopum ex Curiali, etiam retentis bonis, Epiſcopum manere, neque bonis ſuis Curiæ cedere oportere, (quod & ipſum præſupponitur Theodoſii M. *l. 121. infr.*) Cæteros quoque Clericos, puta Presbyteros, Diaconos, & reliquos, ſi in eorum Clericatum Curia in præſentia Iudicis conſenſerit, maxime ſi totius populi vocibus expetiti fuerint, pariter bona ſua retinere. Quod quidem ipſum idem Conſtantius ſtatuit, circa Beneficiarios vel Officiales Rationalis, vt ſi ſub notione Iudicum Officiis conſentientibus Clerici facti fuiſſent, bonis retentis Clerici manerent, *l. 7. ſupr. de Cohortalib.* quæ *huic* coniungenda eſt, ceu vnius & eiusdem conſtitutionis pars. Et hæc de his, quos retentis quoque bonis in Clericatu manere voluit Conſtantius. Qua parte plura notanda veniunt.

Primo, quod Epiſcopi eam rationem habeat Conſtantius, vt ad Curialem nexum euitandum, bonaque retinenda, nihil præterea ſpectari velit, ſed ſolius Epiſcopatus gradum ſufficere vult: Quæ ſane reuerentia tributa Epiſcopatus apici.

Secundo notandum ex *hac l.* & *d. l. 7.* Curiæ conſenſum accedentem ad Clericatum Decurionis, Beneficiarii, & Officialis Rationalis id effeciſſe, vt ne poſtea is bona ſua Curiæ cedere cogeretur: quaſi Curia ipſa hoc facto iuri ſuo renunciaſſet.

Tertio obſeruanda ex *hac l.* & *dict. leg. 7.* triplex ſolemnitas Clericorum eligendorum hac ætate: 1. Conſentiente videlicet Corpore, ex quo quis erat. 2 Iudice notionem adhibente. 3. Tandem ſæpe totius populi vocibus aliquo expetito: ſcilicet etſi Synodi Laodicenæ *Canone 13. pag 784. Tom I. Conc Edit. Hard.* Electiones populo permiſſæ non fuerint, *μὴ τοῖς ὄχλοις ἐπιτρέπειν τὰς ἐκλογὰς ποιεῖσθαι τῶν μελλόντων καθίστασθαι εἰς ἱερατεῖον*: *quod non ſit populis concedendum, electionem facere eorum, qui altaris miniſterio ſunt applicandi*: attamen populi Votorum ratio ſemper habita, vt docet
P. 389. quoque ſingularis apud Lampridium *in Alexandro Seuero locus, cap. 45. in fin.* & alter apud Cyprianum *Ep. 34.* ſed & *Ep Synodica Concilii Niceni* apud Theodoretum *lib. 1. c. 8. μόνον εἰ ἄξιοι φαίνοιντο, καὶ ὁ λαὸς αἱροῖτο*: *modo idonei videantur, & populus eligat.* Chryſoſtomi homilia, *ὅτε πρεσβύτερος ἐχειροτονήθη*: *cum presbyter fuit ordinatur.* ad quam v. Habertum *Obſ 2.* & eiusdem Chryſoſt. *Homilia 14. in Act. Apoſtol pag. 550. 551. Edit. Commelin* S. Gregor. Nazianzenus *Orat 21. de S. Athanaſio, pag. 377. Edit Colon.* ſiu. *Lipſ. Weidm.* Auguſtinus *Epiſt. 224 ad Alypium* (ſiu. *125 Edit. Benedict.*) & *Epiſtol. 240 ad Seuerum,* (ſiu. *ep. 63. Edit Benedictin.*) Syneſius quoque *Ep. 76.* eum Antonium quendam ab Olbiatis Epiſcopum electum a Theophilo Alexandrino Ep. confirmari petit, ait, *ἐφ' ὃν ἡ πάνδημος ψῆφος ἠνέχθη*: id eſt, *in eum vniuerſa populi ſuffragia delata ſunt.* vide etiam Hieronymum *libr. 2. aduerſ. Iouinian. in fin.* & *canon. 78. Cod. Canon. Eccleſ. African. pag. 906. Tom. I. Concil. Edit. Harduin.* Leonis I. *Ep. 87 ſeu 89. ad Epiſcopos Viennenſis prouinc.* & Cæleſtini I. *Epiſtol. 2. ad Epiſcop. Galliæ cap. 5. pag. 1260 Tom. I. Concil. Ed. Harduin.* Et ſtetit diu poſtea mos hic in Gallia, vt conſtat ex pluribus Gregorii Turon. locis *libr. 4. cap. 26. lib. 8 c. 22. & initio lib. 10.* & ex Concilio Aurelianenſ. V. *Can. 11. pag 1445. Tom. II. Concil. Ed. Harduin.* eiusque conſenſionis ciuium, & ad Regem relationis formula extat apud Marculphum 1. *formul. 7.* Cæterum, ſicut Clerici ex Decurionibus ſeu Curialibus ex poſtulatione populi, facti; ita & retro Curatores & Duumuiri decreto Curiæ deſignati, POSTVLANTE POPVLO, ſeu EX POSTVLATIONE POPVLI: de quo ſunt duæ Inſcriptiones apud Gruterum CCCCXXXI. 1. & CCCCLXXXIII. 9.

Sequuntur Clerici ex Curialibus, quos vel in totum, vel pro parte bonis ſuis cedere voluit Conſtantius: nempe ii qui non a populo expetiti, non a Curia probati, verum inſidioſis artibus, ſeu ſtudio fraudulentæ artis ad Clericatum ſeſe contulerunt. Igitur, hoſce ſi liberos habeant, patrimonium ſuum totum liberis ſuis ad Curialia obſequia ſubrogatis tradere iubet: ſi propinquos tantum, ſeu legitimos ſucceſſores habeant, duas partes, tertia ipſis Clericis ſeruata, ſub eadem conditione tradere vult: ſi neutros habeant, duabus pariter facultatum ſuarum partibus Curiæ cedere vult, tertia ſibimetipſis retenta. Quæ quidem omnia & circa Beneficiarios ſeu Officiales Rationalis ſimiliter conſtituit Conſtantius *d. l. 7.* quæ huic coniungenda eſt. Interea euitandæ Curialis conditionis per clericatum modi duo notemus, per facultatum ſuarum ceſſionem, vel omnium vel pro parte, vel in curiam, vel in ſubrogatum. De quibus multæ occurrunt *leges hoc titulo.* De ſubrogatis alioquin ſeu rogatis, præterea *lex 59 98 99. 111. 115. 118. 155. 160. 163. 167. 187.*

Cæterum quia in fraudem Curiæ iidem clerici poterant bona ſua quocumque titulo, ſtatim vt clerici facti fuerant, alienaſſe, ideo Conſtantius vult, propinquum eius, ſi id detexerit, bona ea ad ſe trahere poſſe, Curiæ obſequia redditurum; propinquis vero ceſſantibus, Curiam ea reuocare poſſe. Quæ ſpecies notetur, reuocandæ alienationis in fraudem ſuam factæ a Clericis.

Tertio capite iam Conſtantius eos Clericos deſignat, qui ad Curiam reuocari ipſi poſſunt; nempe eos, qui vel Magiſtratum deſeruerunt, vel ratiocinia Ciuitatum, qui, inquam, cum ratiocinia quædam in Curia poſiti adminiſtrarent, adminiſtratione non expleta ad Eccleſiam & Clericatum confugerunt, nempe ad rationes detrectandas, vel Duumuiratum iam ingreſſi eum deſtituerint. Id quod ipſum Conſtantius ſtatuit circa Beneficiarios & Officiales Rationalis, ſi ad Clericatum confugerint, neglecta curſus exhibitione, vel primipili neceſſitate, vel interuerſa ratione fiſcali, *d. l. 7. de cohortalib.* quæ huic, vt dixi, coniungenda eſt. Illorum tria genera ſeu exempla *hac l.* proponuntur, puta ſi Præpoſiti horreorum, ſi Præpoſiti Pagis (nam ita ſcribendum, de quo plene *ad l. 1. ſup. de erogat. milit. ann.*) vel ſuſceptores diuerſarum ſpecierum iam creati & impoſita ſibi officia adgreſſi ſunt: Scilicet ex Curialibus Præpoſiti horreorum, Præpoſiti Pagis, & Suſceptores creati, quod vt ex *hac l.* ita ex pluribus *aliis* diſcere eſt.

Cæte-

Cœtera de Curialibus Clericis factis, & bonorum ceſſione ab eis Curiæ facienda, *aliæ* deinceps *legibus*: ac nominatim ad *l.59.*& *104. infr.* vbi & Ambroſii loca ſtarnantur. Caſſiodori inter hæc locus non omittendus II. *Var.* 18.

Tandem hæc illa Conſtantii *lex* videatur, quam memorat Socrates, *libr. 2. cap. 41. pag. 153. Edit. Valeſ. Paris.* de qua dixi ad *d. l. 7. de cohortalib.* Niſi potius hæc noſtra cum *d. l. 7.* moderandæ & temperandæ illi lata fuerit.

1. *De* CLERICIS *Decurionibus ad Curiam reuocandis.* 2. *de* LVSTRALI *collatione a Curiis aliena.* 3. *de Curialibus qui ad* POTENTIVM *domos confugerant, retrahendis, Iuliani Imp. lex.*

L. (a) Imp. IVLIANVS A. Secundo (b) PF. P.

Poſt alia.

DECVRIONES, qui vt Chriſtiani (c) declinant munia (d), reuocentur. Et ab auri atque argenti præſtatione, (e) quod negotiatoribus indicitur, Curiæ immunes ſint: niſi forte Decurionem aliquid mercari conſtiterit, ita vt Ordines ciuitatum ex huiuſmodi reliquis (f) ſarcinarum (vt iam diximus) amoueantur. Et quoniam ad Potentium domus confugiſſe quosdam relatum eſt Curiales, vt tam fœda perfugia prohibeantur, multam ſtatuimus, vt per (g) ſingula capita ſingulos ſolidos dependat, qui ad Potentis domum confugerit, & tantundem qui receperit multæ nomine inferat: Nam ſi ſeruus inſcio domino ſuſceperit, capite punietur, & ingenuus qui inuito patrono (h) hoc fecerit, deportabitur. PP. III. Id. Mar. Conſtantinop. Mamertino, & Neuitta Coss. [362.]

P. 390.

NOTAE.

(a) Abeſt hæc *lex* a *Cod. Iuſt.* Repetitæ extant huiuſce *legis* duæ priores ſententiæ: *l. 4. inf. de luſtrali collat.* Meminit *huius l.* Baronius *A. 362. n. 280.* Et iungendæ *huic* ſunt tres *leges*: puta *lex 10. ſup. de extraordinariis*: *lex 2. ſup. de Protoſtaſia*: *lex 1. ſup. de locat. fundor.* proculdubio, & *lex 1. infr. de auro coronario.* GOTHOFR.

(b) Ita quoque *dictis legibus*: vna *lex 2. ſup. de Protoſtaſia* excepta, vbi ſcriptum *Salluſtio PP.* verum idem ſemper eſt. Ammianus Marcellinus *lib. 22. cap. 3. Breui deinde Secundo Salluſtio promoto Præfecto prætorio.* v. plura *in Proſop.* An vero idem cum Saturnino Secundo? *ID.*

(c) *Chriſtiani*, id eſt clerici: de quo mox. *ID.*

(d) Curialia ſcil. *ID.*

(e) Id eſt, a luſtrali collatione: de qua *lib. 13. t. 1.* *ID.*

(f) *Reliqua* λοιπάδες: vide *Gloſſar. Theodoſ.* *ID.*

(g) Verba hæc *per ſingula capita*, melius ſtarent infra, ita: *& tantundem per ſingula capita, qui receperit multæ nomine, inferat.* *ID.*

(h) *Patronus*, reſpectu colonorum ingenuorum, *h. l.* & *l. 1. ſup. de ſalgamo. l. 1. ne colonus &c.* *ID.*

COMMENTARIVS.

IVLIANI Apoſtatæ Imperatoris ſex deque Decurionibus, conſtitutiones ordine ſequuntur, quibus addenda eiusdem ſeptima, puta *lex 1. ſup. de proximis Comitib. diſpoſ.* (vbi quædam dixi:) & octaua inſuper *lex 2. ſupr. de Agentib. in rebus*: Ex quibus omnibus apparet inde quam enixe Iulianus Curiarum commodis conſultum iuerit. Imo, eum nimio plus Curiis fauiſſe additis iniuſte Curiarum conſortio quamplurimis, diſerte ſcribit quatuor locis Ammianus Marcellinus. Primo quidam *lib. 21. cap. 12.* vbi de eius Næſſi mora. *Nec priuatorum vtilitates in tempore afflagranti deſpiciens, litesque audiens controuerſas maxime municipalium ordinum, ad quorum fauorem propenſior, iniuſte plures muneribus publicis adnectebat.* Secundus Ammiani Marcellini locus eſt *lib. 22. cap. 9. Ancyram redit: cumque exinde progredientem vlterius multitudo inquietabat, pars violenter erepta reddi ſibi poſcentium, alii querentes conſortiis ſe Curiarum addictos iniuſte.* Et mox: *Illud amarum & notabile fuit, quod ægre ſub eo a Curialibus quiſquam appetitus, licet priuilegiis & ſtipendiorum numero & originis penitus alienæ firmitudine communitus, obtinebat æquiſſimum: adeo vt plerique territi emerearentur moleſtias pretiis clandeſtinis.* Et iterum, *lib 25. cap. 5. Illud quoque itidem parum ferendum, quod Municipalium ordinum cœtibus patiebatur iniuſte quosdam adnecti, vel peregrinos, vel ab iis conſortiis, priuilegiis, aut origine, longe diſcretos.* Hæc ita libere Ammianus Marcellinus. At Libanius, *Orat. in Iuliani necem, p. 296. 297. Edit. Morell.* Iulianum vel eo maxime nomine commendat, quod Curias ſub Conſtantio exhauſtas, repleuerit: cuius verba iam protuli ad *l. 48. ſup.*

Hæc ſunt Veterum in genere teſtimonia. Ex ipſius quoque Iuliani ſcriptis & Epiſtolis id ipſum videre eſt; ſtudium inquam eius erga Curias, & ad Decurionum numerum augendum; puta, ex *ep. 11. ad Byzantios*: & ex *Miſopogone p. 367. 368. 370. Edit. Lipſ. Spanhem.* Nos quid eius *leges* præferant, videamus.

Primum igitur Curiales ad Curiam quampluri-

moſ reuocauit: puta Chriſtianos *hac l. 50.* (quæ repetita extat hac parte, *l. 4. inf. de luſtrali collat.*) item eos qui ad Potentium domos confugerant, *hac ipſa l. 50.* rurſum eos qui ex materno genere Curiales Antiochiæ eſſent, *l. 51 h. t.* incolas, item, etſi alibi Decuriones eſſent, *l. 52. h. t.* Deſignata item ab ipſo Corpora plura, ex quibus Curiales nominari poſſent, *l. 53. h. t.* Item Curias a luſtrali collatione immunes reddidit *hac ipſa l.* Et contra tamen videre eſt ex nonnullis *legibus*, multa quoque in Curialium gratiam ab eo ſancita, quæ prima fronte ferme in Curiarum damna ceſſura viderentur. Nam & nouos Decuriones præteritis Suſceptorum debitis onerari noluit, *l. 54. h. tit.* Et Curialis conditionis euitandæ modos nonnullos admiſit: veluti numerum 13. liberorum *l. 55. h. t.* Militiam in ſcriniis quindecennalem, *l. 1. ſup. de prox. Comitib. diſpoſ.* cum antea Conſtantii *leg.* vicennalis militia requireretur, *l. 1. ſup. de agentib in rebus:* agentium item in rebus triennalem, *l. 2. ſupr. de agentib. in rebus:* Et hæc quidem interim ſumma eſt omnium Iuliani conſtitutionum, quæ *hoc Codice* occurrunt ſuper Curiis & Decurionibus. Quæ quidem etiam omnes ferme ad Curias Orientis pertinent: vt ipſæ docent: ac nominatim ad Curias Orientalis diœceſeos, & Syriæ, tum *Cœles* (vbi Antiochia) tum *Phœnices:* vt oſtendunt *lex 51. 52. 53. 54. 55. 56.* Nam & ibi maxime hoc tempore hæſit Iulianus. Hæc vero noſtra ad Byzantinam ſeu Conſtantinopol. vt puto, pertinet: quo ſpectat ipſius Iuliani *epiſtola 11.* quam mox ſubiiciam: cui vel maxime fauit. Quæ cauſa cur Zoſimus crederet *lib. 3. cap. 11.* Iulianum dediſſe Vrbi Byzantinæ ius Senatus, vt in vrbe Roma.

De *hac l.* nunc videamus, quæ tribus capitibus conſtat, quibus tria ſub Conſtantio ſiue vſurpata, ſiue ſancita circa Curias & Curiales abrogatum it. Quorum primum quidem omnium celebratiſſimum eſt: CHRISTIANOS ſcilicet, qui Curialia munera declinauerant, reuocari iubet: Decuriones, inquit, *qui vt Chriſtiani declinant munia, reuocentur.* An ait: ſub Conſtantio, eo ipſo quod quis Chriſtianam fidem ſequeretur, Curialem conditionem euitare poterat? Id vero hæc verba ſonare videntur. Quin & ratio ipſa ſuadere; quandoquidem Curialia munera quamplurima cum Chriſtianæ Religionis iniuria coniuncta erant, cum a Curialibus & in Curia, multa Gentilitiæ ſuperſtitionis exercerentur: qua cauſa certe poſtea Theodoſius M. Chriſtianis Curialibus *Archieroſynam*, id eſt Templorum curam & Templorum ſolemnia, imponi vetuit *l. 112. inf.* ac præſertim cum potiſſima Curialium pars Gentiles eſſent: ſic vt Chriſtiano tot inter Gentiles non poſſet eſſe conſultum. Sed & ipſe Iulianus, *ep. 11. ad Byzantios*, id ſuadet. Ἰυλιανὸς Βυζαντίοις. Τὺς βυλευτὰς πάντας ὑμῖν ἀποδεδώκαμεν, καὶ τὺς πατροκόλυς, εἴ τε τῇ Γαλιλαίων ἑαυτὺς ἔδοσαν θρησκείᾳ, εἴ τε ὅπως ἄλλως πραγματεύσαντο, διαδρᾶναι τὸ βυλευτήριον, ἔξω τῶν ἐν τῇ μητροπόλει λελειτυργηκότων. *Iulianus Byzantiis. Senatores omnes vobis reddidimus, & Decuriones patricios, ſiue in Galilæorum religionem ſe dederint, ſiue aliud quiduis geſſerint, vt curiam effugiant, extra eos, qui in vrbe primaria publico muneri præfuerunt.* Vbi βυλευταὶ Decuriones ipſi: πατρόκολοι vero ſunt, qui a patre ſeu paterna origine deſcendunt. Κολᾶν enim eſt ἐλθεῖν teſte Heſychio. Vt proinde huiuſce vocis loco τὺς πατροβόλυς ſubſtituere non debuerit Petauius, *in notis ad hanc Epiſtolam:* qui in eo in vniuerſum errat, quod hanc epiſtolam Iuliani ad Senatoriam glebam, ſeu glebalem collationem p. 316. retulerit: cum ea ſit de Decurionibus, & Decurionum filiis, ad Curiam reuocandis.

Quod exceptionem vero attinet, quam Iulianus *ea ep.* addit, eius ſenſus hic eſt, eos Decuriones non eſſe reuocandos ad Curiam qui in vrbe Roma muneribus functi eſſent, quod etiam Petauius alibi perperam traduxit. εἴ τε Γαλιλαίων, inquit, ἑαυτὺς ἔδοσαν θρησκείᾳ, *etſi*, inquit, *ad Galilæorum* (id eſt Chriſtianorum) *religionem ſe dediſſent.* Et putet quis etiam, hoc præmii & illicii loco datum a Conſtantio Decurionibus Gentilibus, ad amplexandam Religionem Chriſtianam, vt Curialem nexum euitare poſſent: atque hunc eſſe huius loci ſenſum. Vt vice verſa olim perſecutionis tempore pœnæ loco, Chriſtiani Curiis addici ſoliti, βυλευτηρίοις ἐναριθμεῖσθαι, μὴ βυλευταὶ ὄντες πρότερον: *curiis mancipati, cum antea curiales non eſſent.* Quod Conſtantinus M. poſtea revocauit, teſte Sozomeno *lib. 1. c. 8.* de quo pœnæ genere *l. 66. & l. 108 infr.* Et tamen non de omnibus Chriſtianis hæc accipienda puto, verum de iis tantum qui ad *Clericatum* ſeſe contulerant, quique vt Clerici, curialia munia declinabant. Id enim potiſſimum Iulianus egit, idque ei vitio verſum a Chriſtianis Scriptoribus. Teſtis Philoſtorgius, *Eccleſ. hiſtor. lib. 7. cap. 4.* καὶ ἀλλὰ δὲ τῆς αὐτῆς κακοτεχνίας συνέπηγε· τύς τε γὰρ ἐν κλήρῳ κατειλεγμένυς εἰς τὴν τῶν βυλευτῶν ἀνέστρεφε λειτυργίαν, &c. *alia quoque his adiecit, non diſſimilis malignitatis. Eos enim, qui clero adſcripti erant, ad publicas decurionum functiones retraxit.* Sozomenus, *lib 5. c. 5.* κληρικὺς μέντοι, πᾶσαν ἀτέλειαν καὶ τιμὴν καὶ τὰ σιτηρέσια ἀφείλετο, καὶ τὺς ὑπὲρ αὐτῶν κειμένυς νόμυς ἀνεῖλε. καὶ τοῖς βυλευτηρίοις ἀπέδωκε: *& clericis quidem immunitatem omnem atque honorem, & annonas ademit, legesque in eorum gratiam latas abrogauit.* Quare Chriſtianorum appellatione Iulianus Apoſtata Clericos hic deſignauit: Nempe vt Chriſtianos generali *Galilæorum* appellatione notauit, ita & *Chriſtianorum* appellatione Clericos indicare voluit Iulianus: ſimili ratione qua ipſemet Theodoſius M. in hoc ipſo argumento, *l. 123. inf.* ſed & Valentinianus Sen. in ſimili argumento, *l. 11. infr. de piſtoribus:* piſtorum conſortium declinari vetat ad Eccleſias ſe conferendo, ſeu *Chriſtianitatis priuilegio.* Tandem ita etiam *Chriſtiani proximorum locorum*, pro Eccleſiaſticis accipiendi ſunt in Honorii *l. 2. ſup. de poſtliminio.* Et hæc quidem de primo *huius l.* capite. Vbi ſi quis ſcire aueat, & quando decurionatus per clericatum euitari potuerit, conſulat is *quatuordecim* præterea *leges*, quas cumulaui in *Paratitlo*, vbi & ſingularum ſententiam expreſſi.

Secundo capite pariter Iulianus aliquid quod circa *Curias* ſub Conſtantio vſurpatum fuerat circa Luſtralem collationem allegatum it: quod iam diſcuſſum ad hanc *huius l.* partem, quæ pariter vt ſupe-

ſuperior repetita extat *l. 4. inf. de luſtrali collat.* erit enim proprius de illa dicendi locus, & iterum *l. 72. inf. h. t.*

Tertio capite, Iulianus Curiales, qui ad *Potentium* domos confugerunt, reuocari iubet, multa propoſita tum ipſis fugitiuis, tum receptatoribus, ſiue dominis ipſis, & Patronis ſiue ſeruis & colonis eorum.

Atque hæc eſt *huius l.* ſententia, quæ quidem pars eſt prolixioris Iulianeæ conſtitutionis, qua in vniuerſum Iulianus indicto Chriſtiano nomine & Conſtantinianis, ac Conſtantio potiſſimum odio, vetera iura, abolitis Conſtantineis, reſtitutum iuit, ac nominatim circa Curias & Ciuitates, & circa Senatores. Hinc adeo voluit is poſſeſſiones publicas Ciuitatum iis reſtitui, *l. 1. ſup. de locat. fundorum*, a Senatoriis domibus prototypias & exactiones plebeiæ capitationis ſubmoueri, *l. 2. ſup. de Protoſtaſia*. Extraordinariorum munerum a Principe indictorum immunitatibus reuocatis, cunctos poſſeſſores ea implere pariter compelli *l. 10. ſup. de extraordinar.* Quomodo & aurum coronarium Senatoribus vel aliis indici vetat; *l. 1. inf. de auro Coronario*: Quæ *leges* omnes veluti ex eadem conſtitutione deſumptæ, *huic noſtræ* coaſſandæ veniunt, atque hoc vinculo optime inter ſe omnes cohærent.

De Curia ANTIOCHENA *& de Curialibus, ex* MATERNO *genere illi adſcribendis; Iuliani Imp. lex.*

LI. (a) Idem A. Iuliano (b) Com. OR.

EOs, † indulſerunt Veteres Principes, qui (c) materno genere, Curialibus Antiochenis adſcribi, quos (d) patris dignitas (e) nullius vindicaret iure (f) ciuitatis. Dat. V. Kal. Septemb. Antiochiæ, Mamertino & Neuitta Coss. [362.]

NOTAE.

(a) *Lex 12. Cod. Iuſt. eod. tit.* iuris quod *hac l.* continetur meminit quoque Zoſimus *lib. 3. cap. 11.* Et Leo Imp. *l. 61. Cod. Iuſt. de Decur.* GOTHOFR.

(b) *Iuliano* huic ipſi Com. Orientis inſcribitur hoc ipſo Anno *lex 3. ſup. de contrah. empt.* & *lex 54. inf. h. t.* Eiusdem meminit Iulianus Imp. (quem Auunculum ſuum fuiſſe ait) *in Miſopogone pag. 340. 365. Edit. Lipſ. Spanhem.* &c. & Ammianus Marcellinus *lib. 23. cap. 1.* qui etiam eum Auunculum Iuliani Imp. fuiſſe teſtatur: & Chryſoſtomus *libro in S. Babylam contra Iulianum & gentiles num. 17. pag. 564.* & *Homil. 4. de laudibus S. Pauli Apoſt. pag. 492. Tom II. Oper. Edit. Benedictin.* Et Theodoretus *lib. 3. c. 7. 8. 9.* qui & ipſe Auunculum Iuliani fuiſſe ſcribit. Itemque Sozomenus *lib. 5. cap. 7.* & Philoſtorgius *lib. 7. cap. 10. & 12.* Hic antea Præfectus Ægypti fuerat, teſte Iuliano *ep. 10. ad Alexandrinum populum.* vid. plura in *Proſopogr.* & ad *Philoſtorgium.* *ID.*

† *Eos* (etiam ſcil. ſeu) *quoque indulſerunt.* Conſtitutiones porro hæ veterum Principum non extant. *ID.*

(c) *Ex*, Cod. Iuſt. Forte hic legendum *pro*. Niſi ita hunc locum emendandum putemus: *Eos indulſerunt veteres Principes, qui materno genere Curiales ſunt, Antiochenis adſcribi*: vel ita: *qui materno genere Curiales, Curialibus Antiochenis adſcribi*: orto errore ex repetitione eiusdem vocis. *ID.*

(d) Quorum pater nullius alterius ciuitatis muniis debetur, *l. 61. Cod. Iuſt. de Decurionib.* propter dignitatem. *ID.*

(e) *Conditio*, Cod. Iuſt. *Dignitas*, de Curiali: v. quæ dico ad *l. 92. inf.* *ID.*

(f) *Iuri.* Cod. Iuſt. *ID.*

COMMENTARIVS.

P. 391.

MATRE Curiali Antiochena natum Curiæ Antiochenæ adſcribi voluiſſe veteres Principes refert Iulianus Imp. hac conſtitutione: Idemque priuilegium iſtud determinat: Quæ quidem conſtitutio etiam ab ipſo Iuliano Antiochiæ data eſt. Huius vero *iuris*, quod alii iam notarunt, meminit quoque Zoſimus *lib. 3. cap. 11. in fin.* de mora quippe Iuliani Antiochiæ agens: ὁ δὲ βασιλεὺς, inquit, βοηθήσας τὰ εἰκότα τῇ πόλει, (Ἀντιοχείᾳ) καὶ πλῆθος πολὺ παραδοὺς βουλευτῶν, ἐκ πατρὸς εἰς τοῦτο καταγομένων. καὶ ἔτι ὅσοις ἔτυχον τεκοῦσαι βουλευτῶν θυγατέρες. ὅπερ ὀλίγαις δεδόμενον ἔγνωμεν πόλεσιν: *imperator autem, vrbe ſubleuata, vbi quidem hoc poſceret æquitas, eique magno conceſſo decurionum numero, qui paterna ſucceſſione munus hoc conſequerentur, admiſſis & illis quotquot decurionum filiæ progenuiſſent, quod ſane perpaucis municipiis datum ſcimus.* Meminit diſerte quoque Leo Imp. in *l. 61. Cod. Iuſt. de Decurion.* qua eius gratiam certis perſonis *ea l.* comprehenſis facit: *Lege*, inquit *Diuæ memoriæ Iuliani, quæ de materno Curialium Antiochenæ ciuitatis genere promulgata eſt, nihil in perſona* &c. *iuris habitura*: Et mox: *circa alias ſane vniuerſas perſonas, de materno genere ad memoratæ Antiochenæ ciuitatis tantummodo curiam pertinentes, eandem legem præcipimus obtinere propriam firmitatem.* Huius ipſius denique priuilegii, Iuliano tamen authore non laudato, meminit idem Leo *l. 62. Cod. Iuſt. eod. tit.*

Neque tamen huius inſtituti ſeu priuilegii, ſeſe primum Auctorem facit *hac l.* Iulianus, ſed veteres Principes: Cum tamen Zoſimus *dicto loco*, & Leo Imp. *d. l. 61.* vltra Iulianum non aſſurgant, hocque ius Iuliano acceptum ferant: ſane neque ipſe Iulianus, *in Miſopogone ſuo pag. 367. Edit. Lipſ. Spanhem.* id ſibi vindicat, cum tamen alias Antiochenis expro-

exprobret, auctum e ſe Decurionum numerum, deſignatis etiam vnde eum auxerit, ἔπειτα τοῦ βουλευτηρίου τὸν κατάλογον διακοσίοις βουλευταῖς ἀναπληρώσας, φεισάμενος οὐδενός· ἐσκόπουν γάρ, ὅπως ἡ πόλις ὑμῶν ἔσται μείζων καὶ δυνατωτέρα· δέδωκα δὲ ὑμῖν καὶ ἀπὸ τῶν ἐπιτροπευσάντων τοὺς θησαυροὺς τοὺς ἐμούς, καὶ ἀπὸ τῶν ἐργασαμένων τὸ νόμισμα, τοὺς πλουσιωτάτους ἑλομένους ἔχειν: *Praterea ſenatorum numerum ad ducentos auxi, neque ulli rei peperci: id enim vnum ſpectabam, vt maiorem potentioremque ciuitatem veſtram redderem. Itaque dedi vobis ex iis, qui theſauros meos procurauerant, & qui nummum fecerant, locupletiſſimos, vt eis vteremini.* Neque Libanius, cum *oratione in Iuliani necem, p. 296 297. ed. Morelli.* Iuliani merita in Curias commemorat, huius rei vllam mentionem facit. Ergo huius priuilegii Iulianus auctor non fuit, verum antetius & vetuſtius id priuilegium extitit: *Indulſerunt*, inquit ipſe Iulianus, *veteres Principes:* Putet autem quis de eiſdem Principibus id accipiendum, qui Ilienſibus, Delphicis, Ponticis ſimile quoddam priuilegium tribuerunt vel conſeruarunt, de quo Vlpianus, *in l. 1. §. 2 D. ad municipal.* de quo poſtea. Quid igitur? Iulianus *hac l.* vetus priuilegium iſtud Antiochenæ vrbi datum, memorat ſimul & explicat: nempe veteres Principes hoc priuilegium indulſiſſe, puta vt matre Curiali Antiochena natus Curiæ Antiochenæ obnoxius eſſet, ſi patrem liberum, vel alii Curiæ obnoxium non haberet. Non igitur id priuilegium datum Vrbi Antiochenæ, ſi quis vtroque parente Curiali natus eſſet: Finge enim, patrem Laodicenæ Curiæ obnoxium, matrem Curiali ſtirpe Antiochena editam; Hoc caſu priuilegium ceſſabit: quia *patris dignitas, alterius iam eum vindicaret iuri ciuitatis.* In concurſu ſcilicet duarum Curiarum, ea vincere debet, quæ patris Curia eſt: at enim vbi vel vnius parens Antiochenæ Curiæ obnoxius eſt, alter vero liber eſt a nexu Curiali, ſatis id eſt ad vindicandum eum Curiæ Antiochenæ. Hic inquam *huius leg.* ſenſus eſt, quem expreſſa verba legis ingerunt. Imo & *lex 62. Cod. Iuſt. de Decurionib. Si ille*, inquit, *qui ex filia Decurionis Antiochena ſplendidiſſima ciuitatis, & patre, qui* NVLLIVS *alterius ciuitatis muniis debebatur procreatus eſt: &c.* Quare diuerſum ab hoc priuilegium eſt, quod datum olim fuit *Ilienſibus, Delphicis, & Ponticis:* tum eo, quod illud ſit de filiis natis ex diuerſarum ciuitatum parentibus, tum iſto, quod priuilegium id non reſpicit Curias & Curiali nexu ſeu origine obligatos: verum eſt de nudo municipii iure, ſeu de municipibus (etſi lata ſignificatione & ipſi Curiales *municipes* vocantur,) id eſt, *Ciuibus*, πολίτας, cuiusque municipii *d. l. 1. §. 1.* Inter quæ duo magnum adhuc diſcrimen eſt. Nampe, cum de cuiusque ciuitatis *ciuibus*, eorumque domicilio agitur, deque iure quo municipem *Natiuitas* facere quæritur; regulariter paterna *origo* inſpicitur. Et tamen ſingulari priuilegio tribus illis id olim datum, vt matris origo, quo ad municipii ius, ſpectaretur. Et certe, vt diſtincti ſunt tituli *Ad municipalem, & de Decurionibus, & filiis eorum:* ita notandum, *dictam legem primam* deſumptam ex Vlpiani *lib. 2. ad Edictum*, quo is *de Modo Iuriſdictionis;* & ſic de iure domicilii & municipii, egerat, vt docent præterea ex eo libro *lex 3. D. de off P. V l. 16. D. de off. Proconſulis: l. 1. D. de Iudiciis: l 10. D. de Tutelis: lex 27. D. eod. tit. ad municipalem.* Quare idem neceſſario tractauit, vbi quis municeps cenſeretur: Quod & ipſum tractauit Caius, *lib. 1. ad Edictam*, vt teſtatur *lex 29. D. eod. tit. ad municipalem.* Breuiter igitur, priuilegium hoc noſtrum eſt de *Curiali* parente; illud de Municipe tantum: hoc noſtrum de vno tantum parente Curiali, matre inquam; illud vero de vtroque parente municipe vtrobique tamen, quod vtrique priuilegio commune eſt, matris *origo* præualet.

Vtriusque priuilegii cauſas eruere nunc iuuat. Ego non dubito Ilienſibus id datum propter Venerem, a qua Iulii oriundi ſunt, Svetonius in *Iulia cap 6.* vel & propter Mineruam, maxime Ilienſem, cuius præcipua ibi ratio fuit, quod & ex Liuio diſcimus *lib 35 cap. 43. lib. 37 cap. 9.* Strabone *lib. 13 p. 886. Edit. Almeloueen.* Philoſtrato *de vit. Apollon. lib. 7. cap. 3.* nam ea hæres inſtitui potuit iure Romano, teſte Vlpiano *in fragm. tit. 22. §. 6.* & quia Ilienſes Romanos ab ſe oriundos præferebant, Liuius *lib 37. c. 37.* ſeu Ilium parens, (id eſt mater) vrbis Romæ habita: vt Ilienſes apud Tacitum memorant *lib. 4. Ann c. 56.* indicat idem *lib. 12. c 58.* Ilienſes denique Romanæ gentis auctores, Sueton. *Claudio c. 25.* & conſanguinei Romanorum, *eod. cap 25.* indeque Iulii Cæſaris origo, cumque his συγγένεια, de quo Strabo quoque *lib. 13 pag. 888. Edit. Almelouen.* Propter antiquam igitur coniunctionem originis Romanæ, vt Iuris Conſultus *l. 17. § 1. D. de excuſat.* ob quam Ilienſibus quoque pleniſſima Senatusconſultis & conſtitutionibus Principum data immunitas, & excuſatio a tutelis eorum pupillorum, qui Ilienſes non eſſent, *d. l. 17 §. 1. D. de excuſationibus:* quod etiam ex Liuio diſcimus *lib. 38. cap. 39.* & Plinio *lib. 5. c. 30.* imo, omni publico munere ſoluti, Tacitus *d. lib. 12. cap. 58.* his tributa in perpetuum remiſſa. Sveton. *Claudio c. 25.* ἐλευθερίαν καὶ ἀλειτουργησίαν αὐτοῖς συνεφύλαξε, *libertatem publicarumque operarum immunitatem eis ſeruauit*, de Iulio Cæſare, Strabo *lib 13. p. 889. Edit. Almelouen.*

Quod *Delphicos* attinet, veriſimile eſt, obtendiſſe eos fœminam apud ſe non virum ſacerdotem: quod & Tacitus teſtatur, *lib. 2. Annal. c. 54.* cuius etiam προμαντίδος Delphicæ meminit Pauſanias, *in Laconicis cap. 4. p. 212. 213 Edit Kuhn.* Et Diodorus Siculus pleniſſime, *lib. 16. p. 524 Edit. Henr. Stephan.* ait, eam olim ibi a virginibus ſortes ederentur, quæ ſeruendis oraculorum ſecretis magis idoneæ viderentur, lege poſtea ſancitum, ne virguncula amplius, ſed *fœmina quinquagenaria maior, virgineo tamen ornatu Dei reſponſis præſideret*, μηκέτι παρθένον χρηστηριάζειν, ἀλλὰ γυναῖκα πρεσβυτέραν πεντήκοντα ἐτῶν χρησμολογεῖν, κοσμεῖσθαι δ' αὐ- p. 393
τὴν παρθενικῇ σκευῇ. Denique de Pythia res nota eſt.

Igitur priuilegium hoc datum & conſeruatum tribus illis ciuitatibus & prouinciis, eo quo dixi obtentu. Diuerſum igitur id, vt iam ſupra dixi, a noſtro erat etiam fine. Nempe illa ad replendas, municipum numero in genere ciuitates: hoc noſtrum, ad replendas nominatim Curias. Et ita partim aduerſus Cuiacium, partim aduerſus Ameyam ſentio.

Vnde

Vnde vero ſeu cur *Antiochenæ* ciuitati id olim veteres Principes indulſerint? Nempe non noua aliqua origine vel ratione ducti: verum vt etiam hoc modo inter alia Curia Antiochena repleretur, frequentaretur Curialium & fœminarum liberis, & ſic curiales haberet. Curiæ ſcil. Antiochenæ hoc tempore, & quidem a Iuliano peculiaris ratio habita, tanquam vrbis, quæ totius Orientis curia & vertex erat; de quo iam alibi ſæpe. De qua alioquin Curia Antiochena ſunt & aliæ leges; puta *lex 131. & 169. inf. h. t.* De eadem eſt & Ammiani Marcellini locus *lib. 14 cap. 7.* Multus eſt & Libanius *in Antiochico p. 357. 358. 359. 360. 361. edit. Morell.* in aſſerenda Curia Antiochena: vbi etiam eam vocat *μόνην μεγίστην τῶν ἁπανταχοῦ, καὶ ἀρίστην, maximam ex iis, quæ vbicunque ſunt, & optimam.* Et alibi *μέγιστον, μέγα συνέδριον, μεγάλην βουλήν, Orat. 13. ad Theodoſium, pag. 416.* & *Orat. inuectiu. in Lucianum pag. 433. Edit. Morell.* & *Orat. περὶ δεσμωτῶν pag. 53. Edit Gothofr.* & *pag. 399. Edit. Oper. minor Gothofr. Cl. Trotz.* vbi iam quoque dictum. Idem Libanius *Epiſtol. 722. ad Iulianum* Alexandrum Syriæ Rectorem commendat, quod Curiam Antiochenam in maius auxerit. Et de eadem agit & Zoſimus *lib 3. c. 11.* Leo in *l. 61. 62. Cod. Iuſt. de Decurionib.* Ipſe tandem Iulianus *huius l.* auctor in *Miſopogone*, memorat ſimul & Antiochenis exprobrat, quæ in eorum & Curiæ Antiochenæ gratiam fecerat, *pag. 367. 368. 370. Edit Lipſ. Spanhem* Quo ſane in numero eſt quoque illud quod *h. l.* firmat: ita tamen vt priuilegium id ad ſuum caſum reſtringat, vbi videl. *patris dignitas liberos nullius ciuitatis iuri vindicaret*, id eſt, vbi pater ipſe non alterius ciuitatis Curialis eſſet. Quare hæc Iuliani *lex* eſt reſtringentis vetus Antiochenorum priuilegium ad ſuum caſum, quo id olim indultum fuerat. Ergo notandi iam hi caſus ſingulares; quibus matris origo, non & patris attenditur: ſiue ad frequentandas municipibus ciuitates augendamque magiſtratuum municipalium Iuriſdictionem, quo tria illa exempla pertinent; ſiue ad frequentandas Curias, vt nominatim Antiochenam, de quo eſt hæc *l.* Antiochenæ alioquin huic Cœle Syriæ Ciuitati alia priuilegia *Lege ſua* ab antiquo competiere: Quale illud eſt quod memorat Papinianus *l. 37. D. de reb. auct. iud. poſſid.* nempe, ius taciti pignoris ſeu hypothecæ in bonis defuncti debitoris. Vbi quod dicitur, *lege ſua priuilegium* ACCEPISSE, accipi poteſt, imo debet ex *veteri* Principum conceſſione; *ſimile enim priuilegium nulla ciuitas habet, niſi nominatim id ei a Principe datum eſſet: l. 10. D. ad municipalem.* ſeu niſi beneficio conceſſum id ei fuiſſet *l. 2. C. Iuſt. de iure Reip.* Etſi non negem, *lege ſua* & conſuetudine antiqua ius iſtud quoque, vt alia multa, competere potuiſſe. Ad quas leges ſæpe in iure prouocatur, & apud Plinium *Epiſtolarum lib. 10.*

Proximus vero huic tractatus eſt de *Nobilitate*, vt ſtatuto vel conſuetudine effici poſſit, vt filius quoad matris nobilitatem, matris conditionem ſequatur. De quo poſt alios hic Amaya: apud quem exempla Hiſpanica reperies: & Gallica notata ab aliis, v. c. Campanus matre nobili nobilis eſt. Quæ de *Lyciis* olim prodita, notiſſima ſunt ex Plutarcho, *de claris mulier. c. 9.* Herodoto, *lib 1. c. 31.* De Locrenſibus Polybius *lib. 12 p. 656. 657. Edit. Caſaubon. Paris. 1609. in f.* vbi & illud ſingulare, quod addit de centum virginibus mittendis quotannis ad Ilium: quod addi velim ad ea, quæ ſupra de Ilienſibus notabamus.

Quod *Ponticos* attinet, putem id ego tributum Amazonum, quibus ſeſe illi eſſe..bant, commendatione, vt ferme ſabulas præferebant ciuitatum Curiæ, ad quid impetrandum v. vel Tacitum *Annal. lib. 3. c. 60. & ſeq.* & *d. lib. 4. c. 55.* vbi ciuitates Aſiæ certantes proponuntur pro aſyli iure ſibi vindicando & pro Templo apud ſe ſtatuendo. Quis etiam neſcit Sauromatas Amazonum *γυναικοκρατουμένους* memorari? Notanda & Strabonis narratio, *lib. 11. pag. 770. Edit. Almeloveen.* de Gargarenſium cum Amazonibus coitu, e quo ſi *fœminam* parerent, ipſæ enutriebant; ſi marem illis educandum mittebant. Denique qui res geſtas a Pompeio ſcripſere, omnes auctores ſunt de eius cum Amazonib. pugna: Plutarchus, Appianus, Alii: Inde igitur priuilegium iſtud Ponticis ex beneficio eiusdem Pompeii Magni, vt Celſus refert apud Vlpianum *d. l. 1. §. 2. D. ad municip.* Quomodo fuerunt & aliæ peculiares Ponticis ex *lege* pariter *Pompeia*, leges, ſuper Curiis & Decurionibus, de quibus Plinius, *lib 10. ep. 113. 114. 115. 116.*

De INCOLIS *quoque, etſi alibi decurionibus, ad Curiam vocandis Iuliani lex.*

LII. (a) Idem A. ad Iulianum (b) Conſ. (c) Fœnicis.

NON obſtat Curialium petitioni, quod hii quos *incolas* (d) dixerunt, alibi Decuriones eſſe dicuntur: Poterunt enim & aput eos detineri, ſi eorum patitur ſubſtantia, & ante conuentionem incolatui renuntiare noluerunt. Sola vero poſſeſſione ſine laris conlocatione prædictos onerari iuris ratio non patitur: quamuis res Decurionum comparaſſe dicantur. Sane Incolonatus (e) iure tunc detinendi ſunt, ſi non aut arma geſſerunt, aut expeditioni militari præfuerunt, aut ſub præcone (f) adminiſtrationis facti ſunt Senatores. Dat. III. Non. Septemb. Antiochiæ, Acc. Id. Octob. Tyro (g), Mamertino & Neuitta COSS. [362.]

NOTAE.

NOTAE.

(a) Abeſt hæc *lex* a *Cod. Iuſt.* Eique iungenda *lex* 1. *ſup. de dominio rei quæ poſcitur.* etſi Inſcriptio variet. *GOTHOFR.*

(b) Ad *Iulianum* hunc Libanius ſcripſit *in MS Regio, ep.* 214. vt ibi notatur; ſed quæ reuera eſt, 218. & *Ep.* 638. (in Editione Cl Wolffii ſunt *Epiſtol.* 224. & 652.) quibus eum Phœniciæ præfuiſſe aperte teſtatur. v. *Proſop. ID.*

(c) Quid ſi legas, *Comiti Orientis*, vt *l.* 54. *inf ID.*

(d) Apud ſe, ob laris conlocationem: vt mox *inf. ID.*

(e *Incolonatus* hic, *incolatus, l.* 5. 12 46. *ſup.* & *l.* 141. *inf. ID.*

(f) *γρ. Præconio:* de quo mox. *ID.*

(g) *Tyrus* ſedes conſularis Phœnices: nempe quia metropolis erat prouinciæ Phœnices. Hinc & diſerte data Tyro metropoli, propoſita vero Byrito, dicitur *lex* 11. *ſup. de Tyronibus.* Hinc & *PP.* Tyro dicitur *lex* 4. *ſup de famoſis lib.* quæ data ad Dionyſium Comitem, qui in Tyria Synodo Conſtantini iuſſu præſedit. Vide Epiſtolas duas apud Athanaſ. *Apol* 2. *pag* 797. 798. *Edit Lipſ Weidm.* Auctorem vitæ Conſtantini, *lib.* 4. *cap.* 42. Theodoretum *lib.* 1. *c.* 29. Idem ex Libanii *epiſtola non vna* colligo. *ID.*

COMMENTARIVS.

P. 394. INCOLATVS ratione, id eſt, ſi quis alicubi larem conlocauerit, vt *h l.* mox dicitur, ſeu domicilium ſuum contulerit, *l.* 239. *D. de V. S.* πάροικος, μέτοικος Græcis, ad Curiam vocari poſſe (quod etiam oſtendit *lex* 5. 12. 46. *ſup.* & *l.* 137. 141. *inf.*) definit *hac l.* Iulianus Imp. ſub quadruplici, qua ampliatione, qua limitatione, ſeu exceptione.

Prima *Ampliatio* hæc eſt: Nempe in tantum Incolatus ratione quem ad Curiam eius loci quem incolit, vocari poſſe definit, vt etſi alibi iam Decurio ſit, forte originis ratione, attamen adhuc in altero loco Incolatus ratione ad Curiam peti poſſit. Et ſic hoc caſu duobus locis ad Curiam vocari queat; in vno originis nexu; in altero, Incolatus forte, ſeu laris conlocatione: vel, vt dicitur *d. l.* 12. *ſup.* in vna ciuitate voluntatis, in altera originis gratia. Et iſtud quoque inter alia, argumento eſt, quantopere Iulianus Curiis fauerit. Quo etiam reſpexit forte Ammianus, *lib.* 22. *cap.* 9. cum ſcribit, ægre ſubeo, *a Curialibus* quenquam *appetitum* (quæ verba etiam reſpondent initio huius l.) *licet Originis penitus alienæ firmitudine communitum, æquum obtinuiſſe:* ſeu vt loquitur *lib.* 25. *cap.* 5 *municipalium ordinum cœtibus paſſum Iulianum iniuſte adnecti quosdam, ab his conſortiis origine longe diſcretes.* Et *Limitationes* tamen & exceptiones plures hac parte addit Iulianus, quæ ſingulares omnino ſunt, & alio vtiliter traduci poſſunt. Prima eſt quæ ſimul oſtendit, quid proprie per Incolatum intelligendum ſit. Nempe ait, ſolam *poſſidendi* rationem, etſi Decurionum quoque res comparauerit, hic non ſufficere, ſed laris collocationem ſpectandam: quæ incolonatum conſtituat. Ergo vt maxime quis poſſideat fundos in ciuitate aliqua, ſi tamen inde oriundus non ſit, neque ibi larem conlocauerit, ad eius ciuitatis Curiam vocari non poteſt ex Iuliani mente: Imo & ex veteri iuriſprudentia Papinianea *leg* 17. §. 5. & 13. *D. ad municipalem.* Quia ſcil. hic incola non eſt *l.* 3. 4. 6. *Cod. Iuſt. de incolis: l.* 239. §. 2. *D. de V. S. l.* 35. *D. ad municip* Et tamen Conſtantino M. aliquando aliter viſum videtur *l.* 5. *in fin. ſup. h. t.* ſed & priuilegium hoc ſpecialiter quibusdam datum ciuitatibus, vt poſſeſſores nudi fundorum ciuilibus muneribus adſtringerentur *d. l.* 17. §. 5. & *l.* 6. *C. Iuſt. de incolis* & *l. vlt.* §. 25. *D. de munerib.* ſed & decurionum nominatim bona poſſidentes Curialibus functionibus obnoxii aliquando fuere ex Theodoſii M. *l.* 134. *inf.*

Secunda exceptio eſt, incolatus ratione quem ad Curiam non vocari, ſi ante conuentionem, id eſt, ante nominationem ad Curiam, incolatui renunciauerit. Tempeſtiuæ ſcil. renunciationi hac parte locus eſt, id eſt ſi renunciatio nominationem præceſſerit. Sera alioquin renunciatio foret poſt nominationem.

Tertia *Exceptio hac l.* additur a Iuliano: nempe incolas Incolonatus iure ad Curiam vocari non poſſe, ſi arma geſſerint vel expeditioni militari præfuerint, (quod Militiæ priuilegium hac parte notandum eſt) vel ſi ſub præconio Adminiſtrationis facti ſint Senatores: *ſub præconio*, ita enim legendum eſt, id eſt teſtimonio, vt vocatur *l.* 1. *ſup. de honor. codicillis:* & *l.* 25. *ſup.* denique ſi honore adminiſtrationis Senatores fulti ſint, *l.* 73. 74. *inf.* ſcilicet non nudam Senatoriam dignitatem immunitatem a Curiali tribuere vult, in hac ſpecie Iulianus, verum ſi ea quæſita ſit, ſub honore & præconiis adminiſtrationis, id eſt, prouinciam aliquam reuera ἐμπράκτως adminiſtrando. Nam quod de *præconum* iure, ſeu de præconibus Magiſtratuum ex *hac l.* notatur, ineptum eſt: quos & ipſi Rectores prouinciarum non habuere, verum Maiores tantum Magiſtratus, veluti PP. vide Chryſoſtomum *Homil. de vtilit. Lect. Scriptur. S. in princip. Actor. III. pag.* 77. *Tom. III. Oper. Edit. Benedictin.* & Hieronymum *Epiſt.* 4. *ad Ruſticum monachum, pag.* 30. *b. Tom. I. Oper. Edit. Francf. apud Chriſt. Genſchium.*

Et hæc quidem ſententia eſt ſingularis admodum conſtitutionis Iulianeæ, in argumento *de Incolis.*

De

De NOMINATIONIBVS *quibuſdam Curialium reuocandis: deque* DECVRIONVM FILIIS *&* PLEBEIIS *locupletibus ad Curiam nominandis; Iuliani lex.*

LIII. (a) Idem A. ad Salluſtium PF. P. (b)

QVONIAM ex paucis plurima commiſſa (c) non abſurde ſuſpicamur, ex die Kal. Septembrium omnes omnino, præter ſolemnes, Nominationes, factas a Curiis (d) in irritum deuocamus. De præcedentibus porro iuſtum agitabis examen. Placuit etiam deſignare, quæ Corpora ſunt, (e) in quibus Nominationis iuſte ſollemnitas exercetur: Decurionum enim (f) filios necdum Curiæ mancipatos, & Plebeios eiusdem oppidi ciues, quos ad Decurionum ſubeunda munera ſplendidior fortuna ſubuexit, licet nominare ſollemniter. Dat. XIV. Kalend. Octob. Antiochiæ, Mamertino & Neuitta Coss. [362.]

NOTAE.

(a) Abeſt hæc *lex* a *Cod. Iuſt.* velut temporaria. *GOTHOFR.*

(b) *Salluſt us* PP. ſub Iuliano Orientis: v. *Proſop.* Idem qui *Secundus*, cui inſcribitur *lex* 50. *ſup. ID.*

(c) V. locum Iuliani *in Miſopog.* de quo mox. *ID.*

(d) A Curia Antiochena potiſſimum. *ID.*

(e) *Sint. ID.*

(f) Enimuero. *ID.*

COMMENTARIVS.

P. 395. NOMINATIONES Decurionum perperam factas ex Kal. Septembribus, id eſt ſedecim abhinc diebus, omnes, ſolemnibus exceptis, irritas eſſe iubet Iulianus Antiochiæ poſitus, *hac leg.* quæ data eſt medio, paulo plus, menſe Septembri, XIV. Kal. Octobris: commiſſo examine de anterioribus Salluſtio PP. Orientis. Hoc primum. Contra, *ſecundo capite* Iulianus, quia in Nominationibus peccatum fuerat, deſignatum it, vnde Curiales & adfatim & idonee adſciri nominarique poſſint. Primo quidem Corpora quædam deſignare ſe ait, ex quibus Decuriones iuſte nominarentur. Secundo, Decurionum filios (quos ipſe πατροκόλους vocat *ep. ad Byzantios* 11.) Tandem & Plebeios ſplendidioris fortunæ ad Curiam vocari poſſe definit. Ad cuius *legis* hiſtoriam & ſententiam pertinet omnino, quod ipſemet Iulianus *in Miſopogone p.* 367. *Ed. Lipſ. Spanhem.* Antiochenis exprobat, nominatos ab iis ad Curiam quosdam non rite, tenuisque fortunæ & abiectos homines: Contra *ibidem* deſignat, vnde in Decuriones Antiochenis dederat: δέδωκα δὲ ὑμῖν καὶ ἀπὸ τῶν ἐπιτροπευσάντων τοὺς θησαυροὺς τοὺς ἐμοὺς, καὶ ἀπὸ τῶν ἐργασαμένων τὸ νόμισμα τοὺς πλουσιωτάτους ἑλομένους ἔχειν. ὑμεῖς δὲ ἐκείνων μὲν οὐ τοὺς δυναμένους εἵλεσθε, λαβόμενοι δὲ τῆς ἀφορμῆς, εἰργάσασθε παραπλήσια, πόλει μὲν οὐδαμῶς εὐνομουμένῃ πρέποντα, δι' ὑμῶν ἄλλως (ἀλλ' ὡς) τῷ τρόπῳ. Βούλεσθε ἑνὸς ὑμᾶς ὑπομνήσω; βουλευτὴν ὀνομάσαντες, πρὶν προσγραφῆναι τῷ καταλόγῳ, μετεώρου τῆς δίκης οὔσης, ὑπολάβετε καὶ (ὑπεβάλλετε, ita Petauius) λειτουργίᾳ τῶν ἀνθρώπων ἄλλων (τὸν ἄνθρωπον: ἄλλοι ita Petauius) ἐπ' (ἴσως ἀπ') ἀγορᾶς εἱλκύσατε πένητα: καὶ ἐκ τῶν ἁπανταχοῦ μὲν ἀπολελειμμένων, παρ' ὑμῖν δὲ διὰ περιττὴν φρόνησιν ἀμειβομένων, πρὸς χρυσίον συρφετῶν ἀπορρήτων, μετρίας οὐσίας εἵλεσθε κοινωνόν. Πολλὰ τοιαῦτα περὶ τὰς Ὀνομασίας κακουργούντων ὑμῶν, ἐπειδὴ μὴ πρὸς ἅπαντας συνεχωρήσαμεν, ὧν τε εὖ εἰργασάμεθα τὴν χάριν ἀπεστερήθημεν. Quem locum ita interpretor: *Itaque dedi vobis etiam ex iis qui theſauros meos procurarant, & moneta artificum locupletiſſimos, vt eos adſciſceretis: vos vero non ex iis idoneos accepiſtis, ſed occaſione ſumpta ea feciſtis, quæ neque a male inſtituta ciuitate, neque a veſtris moribus aliena erant: vultis vnum ex iis vobis commemorem? cum decurionem quendam* NOMINASSETIS, *antequam albo adſcriberetur, cauſa adhuc pendente, hominem ſumpſiſtis, & miniſterio aliorum hominum a foro traxiſtis inopem: & ex eorum numero qui vndique destituti, apud vos ob ſuperuacaneam quandam ſolertiam auro commutant verborum colluuiem, nullos reditus habentem, tenuisque fortunæ, vobis ſociaſtis. Atque eiusmodi alia multa circa Nominationes cum peccaretis, neque omnia ipſi probaremus, benefactorum gratiam perdidimus.* Ita inquam hunc locum interpretor alicubi corruptum & intricatum: Quod de iis ait qui theſauros Principis procurauerant: id accipiam de Largitionibus ciuitatum, de quibus dixi ad *l. vn. de præb. ſalar.* non vero, quod Petauius credidit, de Præfectis Theſaurorum & Comitibus. Quis enim putet Iulianum, ex his Decuriones adſciſci voluiſſe, qui maioris dignitatis erant? Quod reliqua Iuliani verba attinet, vnum tantum, non duo licentiæ, non popularium, ſed Curialium exempla ibi memorat Iulianus: nempe quendam nominatum ad Curiam, appellantemque a nominatione, pendente iudicio, vi abſtractum aliorumque miniſterio a foro pertractum inopem. Berterii enim error eſt 1. *Pithanon.* 10 *p.* 850. *Tom. IV. Theſaur. Iur.* verba illa, καὶ λειτουργίᾳ τῶν ἀνθρώπων ἄλλων ita accipientis, *cum vice eius alii ſe muneribus ciuilibus obligaſſent*, aut fideiuſſores acceſſiſſent, vt de patre dicitur in *l.* 1. *Cod. Iuſt. de Decurionib.* Cuius Berterii & alter hic error eſt *pag.* 849. *in fin.* quod *Filios* Decurionum, licet paternam conditionem retinerent, *eligi* ſolitos *h. l.* argumento ſcribit: Nominati enim, id eſt ad Curiam vocati, non electi, niſi quod inidonei non nominati. Mox pergit Iulianus, in deſcribendo homine illo, qui e foro pertractus fuerat inops: nempe ait, eum fuiſſe ex eorum numero qui vndique deſtituti ſunt, ἐκ τῶν ἁπανταχοῦ ἀπολελειμμένων: verum qui ob ſuperuacaneam ſolertiam, auro commutaret verborum colluuiem ſeu fæcem. Quibus verbis *circumforaneum*, *circulatorem*, *agyrtam* in foro, deque vico, vt ille

ait *Auſpicem*, indicat, qoi verbis aures alienas diuitabat, quod ille ait, ſuam vt vero domum repleret, ſaltem vt aurum colligeret. Tum addit, eum nullos reditus alios habuiſſe, tenuiſſimæque fortunæ fuiſſe, *ἀπορῦντα, μετρίας ὐσίας*: Quibus omnibus duo perſtringit, quod & facultatibus inidoneum, & viliſſimæ conditionis hominem nominaſſent ad Curiam: Contra igitur, Iulianus Aotiochenis iam *hac leg.* proponit, nominandos 1. ex Corporibus quæ ipſe deſignauit. 2. & filios Decurionum, 3. & e plebeiis idoneos ſplendidiorisque fortunæ & meriti, qui Decurionum munera ſubire ſeu ſuſtinere poſſint. Quod & ipſum cauetur *l. 13. 33. 52. ſup. l. 72. 96. 133. 140. inf. h. t.* Huc vero pertinent variæ Libanii *epiſtolæ*, quibus id apud magiſtratus agit vt facultatibus inidonei ad Curiam nominati liberentur: inter alias *Epiſtol. 339. ad Gaianum Phœniciæ Rectorem* (quomodo & eodem ſpectat *lex prox. 52. ſup.* data ad Iulianum Conſularem Phœnices) *Δόμνος πένης ὢν, ἀπειρία τε πραγμάτων καὶ συνηγόρων ἐρημίᾳ γίγνεται βυλευτὴς, δεῦρο δὲ ἐλθὼν, ὡς ἀναμαχέσατο, δίκαιος ὢν ἀπαλλαγῆς τυχεῖν, ἀναβολὴν εὕρατο, καὶ μέλλων ἐπανιέναι, δεῖταί με γράψαι πρὸς σὲ βοηθεῖν αὐτῷ. Domnus vſu rerum & patronorum inopia ad incitas redactus Senator conſtituitur. Cum itaque huc veniret, vt ſe opponeret, iuſtumque videretur, vt onere hoc liberaretur, dilationem eſt conſecutus. Domum itaque reuerſurus petit a me, vt ad te ſcribam de ope illi præſtanda.* & mox. *ἀλλά σε παρακαλῶ καὶ νῦν καὶ εἰσαῦθις εἶναι Δόμνῳ λιμένα. καὶ πείθειν τὺς ἀγαθὺς Τυρίυς, ὅτι τῶν ἀπόρων ἔχεσθαι τῆς πόλεως ἐςὶ πολίτας ἐξελαύνειν, ὐ χορηγὺς παρέχειν τῇ πόλει: te vero nunc obteſtor, vt & nunc & in poſterum Domno portus inſtar ſis, & bonos illos Tyrios doceas, quod indigis inhærere idem ſit atque ciues ex ciuitate expellere, non autem ductores conciliare ciuitati*, vbi ratio notanda eſt. Vide & *Epiſtolam* 377. ad *Ariſtanetum Bithyniæ Rectorem*, & *Epiſtol.* 378. *ad Alcimum*, & *Epiſt.* 379 *ad Themiſtium*

Nouos *Decuriones, qui ſuſceptores non nominarunt, periculo nominationis præcedentis, illorum nomine non ſubiacere.*

LIV. (a) Idem (b) A. ad Iulianum (c) Com. OR. (d)

PROVIDENDVM (e) eſt eorum nouitati (f) Decurionum, qui nuper (g) nomen Curiis addiderunt, (h) ne præteritis (i) debitis (k) Suſceptorum (l) onerentur; ſed conuentis propter hæc debita, qui (m) ea præcedentibus (n) delegationibus (o) contraxerunt (p) nullam (q) moleſtiam pro ſarcina (r) nominationis alienæ ſuſtinere patiaris. PP. (s) Byritho, (t) Kalend. Nouemb. Mamertino, & Neuita Coss. [362.]

NOTAE.

(a) *Lex 23 Cod. Iuſt. eod. tit.* **GOTHOFR.**

(b) IVLIANVS Imp. de cuius enixo & nimio circa Curias ſtudio dixi iam ſemel ad *l. 50. ſupr.* & dicam tamen adhuc mox. *ID.*

(c) *Iuliano* C. Iuſt. Eidem porro Comiti Orientis, Iuliani Imperatoris auunculo, inſcribuntur duæ præterea eiuſdem Iuliani conſtitutiones: puta *lex 3 ſupr de contrah. empt.* & *lex 51. ſupr. hoc tit.* De eodem vero vide & Iulianum rurſum *ep.* 10 *ad Alexandrinos*, & *Miſopogone edit. in 8 p.* 40. & 127. & *edit in 4 p.* 103. & *Edit. Lipſ. Spanhem. p.* 365. &c. Ammianum Marcellinum *lib.* 23. *cap.* 1. Philoſtorgium *lib.* 7. *c.* 10. & 12. Theodoretum *lib.* 3 *hiſt. Eccleſ c.* 7. 8. 9. Sozomenum *lib.* 5. *cap.* 7. Chryſoſtomum *de laudibus S. Pauli Apoſtol. homil.* 4 *pag.* 492. *in fin.* & *homil. in S. Babylam contra Iulian & Gentiles num.* 22. *pag.* 573. *Tom. II. Oper. Edit. Benedictin.* An vero is idem Iulianus, cui inſcribitur *lex 52 ſupra*? vt ſic idem Comes Orientis & Conſul Phœnices fuerit? *ID.*

(d) Comes Orientis, de hoc vide *Notitiam Theodoſianam* *ID.*

(e) Hac voce *Prouidendum*, quid indicetur, mox dicam. *ID.*

(f) *Nouitati Decurionum*, id eſt nouis Decurionibus, metonymice. *ID.*

(g) *Nuper*, ideſt, recenter, nouiter. *ID.*

(h) *Addiderunt*: hanc vocem mox vrgebo: ſunt qui legunt in *Cod Iuſt. indiderunt.* *ID.*

(i) *Præteritis*, ideſt, quæ tempore præterito, & antequam noui iſti Decuriones adſciſcerentur, contracta fuerunt. *ID.*

(k) *Debitis*, ideſt, reliquis tributorum. vide *Gloſſ* ſuper hac voce *Debitorum*. *ID.*

(l) De *Suſceptoribus* his eſt *infr. titulus* 6. *huius libri*. *ID.*

(m) *His qui*, Cod, Iuſt inſerta voce, *his*: quæ tamen ipſa abeſt a nonnullis MSS *ID.*

(n) Ideſt, ex præcedentibus, ſeu propter præcedentes. *ID.*

(o) *Delegationibus*, ideſt, iuſſionibus, commiſſionibus, & ſic nominationibus, vt mox vocantur, ibi, pro *ſarcina nominationis*, ad ſuſcipiendas videlicet ſpecies ſeu tributa: de quo mox plenius. Male Gloſſa interpretatur, *id eſt, officiis ſibi delegatis*: *Delegationibus* porro ſupple, *a ſe factis*. *ID.*

(p) *Contrahere* debita, v. *Gloſſ. l hoc.* *ID.*

(q) *Nullam eos*, Cod. Iuſt. inſerta voce *eos*: eos autem, nouos ſcil Decuriones. *ID.*

(r) *Sarcina*, vide in *Gloſſ.* ſimilia. & quidem vt hic, in re *Tributaria*. *ID.*

(s) Data procul dubio hæc *lex* Antiochiæ, vbi Iulianus erat hoc tempore, vide *Chronolog. Theodoſ.* vide vel *legem* 52. *ſup.* & *l.* 8. 9. *de operib publ. d. l.* 3 *ſupr. de contrab. empt.* *ID.*

(t) PP. ideſt, propoſita: non vt aliæ editiones habent *PP.* puncto inſerto. Et *Berythi* propoſita hæc Conſtitutio, pariter vt duodecim aliæ *huius Codicis*: puta *lex* 2 *ſupr. de agentib in reb. l.* 11 *de Tironibus l.* 7 *de filiis mil appar. l* 41. *de curſu publico*: *l.* 3. *de his qui cum diſpenſatore*: *l* 19. *de ann. & trib. l.* 4. *trib in ipſis ſpec. l.* 2. *de publ. comparat. l.* 63. *infr. h. t. lex* 9 *de luſtrali collat. l.* 1. *de naufragiis*: *l.* 1. *de Gladiatoribus*: quæ omnes datæ ſunt, vel ad Præfectos Prætorio Orientis, vel ad Comites Orientis, vel ad Conſularem Phœnices, vel ad Magiſtrum officiorum, *v. Geogr. Theodoſ.* *ID.*

COMMENTARIVS.

NOvos Decuriones, id eſt, nouiter in Curiam allectos adgregatos, & vt Iulianus hic loquitur, *qui nuper nomina ſua Curiis addiderunt*, vel, vt loquitur Symmachus in ſimili re *lib. 10. ep. 59. quos Senatui rectus ortus adiecit*: pro Suſceptorum, anterius, ſeu antequam ipſi Decuriones fierent, nominatorum, creatorum debitis, ſeu reliquis, non teneri oportere, definit *hac l.* Iulianus Imperator.

Quod vt intelligatur, tria prænoſcenda ſunt: de Suſceptoribus.

Primo tenendum, *Suſceptores* de quibus *hac leg.* agitur, eſſe, non vt Bartolus voluit, qui alios in ordinem Decurionum ſuſceperunt, verum annonarum, ſeu ſpecierum & tributorum publicorum Suſceptores (de quibus eſt hoc ipſo libro *titulus peculiaris infr. 6.*) Quod cum non intelligerent e Veteribus quamplurimi, pars ludos hic egregios fecerunt, pars vocem *ſuperiorem* ſubſtituerunt: vid. Pyrrhum ad *hanc leg.*

Secundo ſciendum, *Suſceptores* iſtos e Decurionum ſeu Curialium numero, ſeu ordine, in quibusdam prouinciis creari, ſeu nominari ſolitos; vt, præter *hanc l.* docet inſuper *l. 49. ſup. h. t. & l 24. 31. infr. t. de Suſceptorib. & l. 2. ſup. de Quæſtionib.* Quomodo & Exactores e Curia ſumpti, de quo *ſuo tit.*

Tertio notandum, Suſceptores iſtos creari ſeu nominari ſolitos, periculo aliorum Decurionum ſeu Ordinis, qui eos creaſſet; vt præter *hanc leg.* docet quoque *infr. tit. de ſuſceptoribus*: at non etiam *lex 9. Cod. Iuſt. de iure fiſci*: quod credidit Accurſius. Et ſic ſi Suſceptores aliquid vel negligentia vel fraude decoxiſſent, ſeu reliquati fuiſſent, ad *redintegrationem* (id eſt ſolutionem) ſpecierum, creatores ſeu nominatores ipſos de more conueniri potuiſſe: ſeu vt hæc *lex* quadrifariam loquitur 1. *Suſceptorum debitis oneratos.* 2. *propter eorum debita conuentos.* 3. *Sarcinam nominationis eorum ſuſtinere oportuiſſe.* 4. *vt qui eorum debita delegationibus contraxiſſent.* Quod quidem interim *quaſi contractus genus* obſeruandum eſt, *ex delegationibus*, id eſt, propter delegationes a ſe factas, ſeu propter nominationem & negligentiam in ea adhibitam: pariter vt in tutelæ iudicio non exactæ penitus cautionis, vel non idoneæ, periculum pertinet ad Magiſtratus nominatores ſubſidiaria actione: *toto tit. D. & C. Iuſt. de Magiſtratib. conueniendis.* His ita præſuppoſitis iam ad hiſtoriam *huius l.* accedamus.

Quarto igitur obſeruandum, hactempeſtate, Iulianum Imp. Curias, in quibus ciuitatum decus conſiſtebat (vt docet Libanius, non vno loco, *Oratione περὶ προστατιῶν p. 9. 10. Edit. Gothofr. & p. 366. Oper. minor. Gothofred. Ed. Trotz & orat. in Iuliani necem, p 297.* & in *Antiochico, p. 357. edit. Morell.* Maiorianus Imp. *Nouell. 1.* & Caſſiodorus *VII. Variar. vlt.* aliiſque locis.) Sub Conſtantio Imp. exhauſtas variis rationibus expletum iuiſſe, atque in id euixe, ad reprehenſionem vsque nimio ſtudio incubuiſſe; vt teſtatur idem Libanius *dicta orat. in Iuliani necem, p. 296 297. Edit. Morell.* Ammianus Marcellinus *quatuor locis lib. 21. c. 12. & lib. 22. c. 9. & lib 25. c. 4.* Cui rei fidem pleniſſimam faciunt ipſiusmet Iuliani conſtitutiones: & ſex quidem *hoc ipſo titulo*, puta, præter hanc *legem* noſtram, *lex 50. 51. 52. 54. 55.* & duæ inſuper aliæ, puta *lex 1. ſupr. de prox. comitib. diſpoſ. lex 2. ſup. de Agentib. in reb.* quarum omnium conſtitutionum *ſummam*, ſeu breuiarium ſemel exhibui ad *d. l 50. ſupr.* Inter alia vero hanc in rem a Iuliano actitata. (1.) Reuocati ad Curias Chriſtiani, *d. l. 50. ſup.* (quæ quantum ad hoc repetita extat *l. 4. infr. de luſtrali collat.*) Chriſtiani, id eſt Clerici (de quo & Iulianus ipſemet *ep. 11. ad Byzantios*, & Sozomenus *lib. 5. c. 5.* (2.) Reuocati item, qui ad potentiorum domos confugerant *d. l. 50.* (3.) Addicti ab eodem Curiis qui ex materno genere Antiochiæ Curiales eſſent *d. l. 51. ſup.* cuius *leg.* meminit quoque Zoſimus *lib. 3. cap. 11.* & Leo Imp. *l. 61. Cod Iuſt. de Decurionib.* (4) vt & incolæ, etſi alibi p. 197. iam Decuriones eſſent, *d. l. 52.* (5.) Deſignata tandem plura Corpora, e quibus Curiales nominari poſſent, *d l 53.* (6) His adde, quod quinto loco hic iam obſeruandum eſt, & Volones, ſeu *Voluntarios*, Vltroneos, ſpontaneos quosdam Decuriones ſub Iuliano fuiſſe, id eſt nonnullos, qui vltro nomina ſua Curiis *addiderunt* (vt hic dicitur) vti & alias, ſeu ſub aliis Imperatoribus, ſpontanei quidam munifici erant, ſeu vltro ſeſe Curiarum cœtibus ſoli genitalis amore inſerebant, vel munera quædam Curialia obibant: vt docent tres præterea *leges*, puta *lex 172. 177. & lex vlt. infr. hoc tit.* Et de his quidam propria hanc *legem* accipiendam docent hæc verba, *nomen Curiis addiderunt.* Et ſane ſi de πατρωβούλοις, id eſt, filiis Decurionum, originis ratione ad Curiam vocatis quæratur, proculdubio & hos periculo præcedentis nominationis obnoxios fuiſſe certum eſt. Error enim eſt ſcribentis, id indiceri, nominatos ad Curiam ſolitos ſubſcribere nominationi ſuæ, & ita in album relatos. Tandem ſexto loco obſeruandum, pertinere hanc *legem* proprie ad Curias Syriæ Phœnices, quæ ſub Comite Orientis erat: & in qua præcipua vrbs fuit *Berythus*, vbi hæc *lex* propoſita dicitur: pariter vt propoſitæ ibi duodecim præterea *leges*, quas in *Notis* memoraui: in quibus aliquam multæ ſunt, quæ ad Comitem Orientis datæ ſunt.

Nunc ad rem, & ad Quæſtionem Deciſionemque *huius leg.* Igitur cum tot noui homines nuper nomina ſua Curiis addidiſſent, hinc iam agitari ſeu quæri cœpit, vtrum *noui* quoque iſti Decuriones ſeu Curiales, & ipſi periculum præcedentis creationis ſeu nominationis & delegationis Suſceptoris alicuius agnoſcere tenerentur, eorum videlicet Suſceptorum nomine, qui antequam ipſi Curiæ nomina ſua adderent, nominati, electi, creati, delegati ad id munus fuerant, decoxerant? Id quod *hac l.* negat Iulianus; quin contra definit, ſolos eos eo nomine conueniendos, ſolos indemnitati fiſci conſulere oportere, qui Suſceptores nominaſſent: ſeu, vt *lex*, ait, *qui hæc debita delegationibus ſuis contraxiſſent.* Quæ verba nonnulli perperam ita accipiunt, quaſi id indicetur, prius, ſeu primo Suſceptores, tanquam principaliter obligatos conueniendos, quam nominatores. Quod & ab *huius legis* ſcopo alienum eſt, quorum de ſubſidiariis actionibus quæritur, & a verbis, quæ nominatores reſpiciunt; denique non per-

tinent hæc verba ad nominatores ſeu ſuſceptores. Igitur Iulianus Comiti Orientis Iuliano Auunculo ſuo, mandat, vti nullam noui iſti Decuriones moleſtiam pro ſarcina nominationis alienæ patiantur. Æquitate quoque eius rei indicata his verbis: *Prouidendum eſt eorum nouitati Decurionum, qui nuper nomen Curiis addiderunt.* PROVIDENDVM ait: qua voce æquitas rei indicatur, aduerſus iniquitatem vel indignitatem rei alicuius; vt *hac l.* ita & *l. 10. C. Iuſt. de Decurion.* & *l 7. C. eod. de poſtul. l. 23. §. 1. C. eod. de agric. & cenſit. l 5. Cod. eod. vt in poſſ. l. vn. Cod. eod. ſumptus iniuncti mun l. 2. C. eod. de veter.* Nempe vt generali æquitate nemo moleſtiam pro ſarcina aliena ſuſtinere debet (quam in rem occurrunt infinitæ *Leges* & ſententiæ: vide vel *l. vn. Cod. Iuſt vt nullus ex Vicaneis*, ſed & Symmachi locus non abludit *lib. 10. ep 10.* Pariter *Ad præſentem Iudicem veteris Curiæ culpa non peruenit*, id eſt, non pertinet.) Ita ſpeciatim Decuriones quoque, ac maxime qui nomina ſua Curiis (vltro) addidiſſent: vt ita hoc quoque iure noui Decuriones ad Curiam prolectarentur. Sui igitur quiſque temporis, ſuæ nominationis *ſarcinam* (vt loquitur *lex*) ſeu periculum ſuſtinere debet, non moleſtiam pro ſarcina alienæ nominationis ſuſtinere: ſatis ſcilic. eſt, ſui quemque temporis periculum præſtare, *l 3. §. 1. D. de admin. rer. ad ciuitat.* Quare conueniendi ſunt pro Suſceptoris debitis, ſeu reliquis, ii tantum Decuriones, qui Suſceptorum debita præcedentibus delegationibus ſeu nominationibus in ſe deriuarunt, ſpecie quadam, vt antea dixi, quaſi contractus. *Delegationibus*, ait *lex*, id eſt nominationibus, Delegatio *hac l.* & *l. 8. ſupr. de extraord. l. vn ſupr. ne conlat. per logogr. l. 2. 3. 4. de indictionib. l. 7. Cod. Iuſt. de off. Rector. prouinc. l. vltim. Cod. eod. de can. larg. tit.* eſt, non ipſa deſcriptio, verum ἐνταγὴ, iuſſio, mandatum, ſeu (vt nos hodie loquimur) *Commiſſio* alicuius rei exequendæ, ſeu muneris obeundi: ac nominatim *Delegatio* eſt iuſſio, vt ad inferendas, ita & ad exigendas ſpecies annonarias & tributa. Suidas: δηλεγατίων κατὰ Ῥωμαίοις ἡ ἐνταγὴ τῆ σιτοπομπείω, καὶ ἡ ἀννωνῶν μετακομιδή: *Delegatio. Sic apud Romanos vocatur procuratio rei frumentariæ, & annonæ transportatio.* Sic *delegari annonæ* dicuntur *l. 35. ſupr. de erogat. milit. annon.* ſeu *ſpecies*, *l. 1. ſupr de excoctione vel transl. annon.* (pariter vt mandari, *l 1. ſup. de domeſt. & protectorib.*) ſic eadem delegari militi ſeu Opinatoribus (qui annonæ militaris Exactores erant) *l. 16. ſupr. de exactionib dict. l. 1. de excoctione: l. 34. ſupr. de annon. & trib.* ſic nauicularii delegatas ſpecies transferre dicuntur, *l. 9. infr. de nauicular.* Hinc & Delegatoriæ *l. 20. ſupr. de erogat. mil. ann.* & *l. 16 ſupr. de exactionib.* Principia epiſtolæ iuſſiones, quibus prouinciæ ſpecies inſerri, iubentur: Leo Imp. in *l. vlt. Cod. Iuſt. de canone largition. tit.* *Delegatio ab ampliſſima Præfectura in diuerſas prouincias ex more quotannis emittitur.* Διατύπωσις *Nouella 128. c. 1.* Haloander *delegationem* recte vertit.

Et hæc quidem genuina eſt *huiuſce legis* interpretatio, quæ iam ſolemnis euaſit, non in ſcholis tantum, ſed & in foro: Et tamen, vt multæ aliæ, haud recte vbique hactenus intellecta fuit. 1. Pars quippe (vt Interpretum errores hic admiſſos perſtringam) id inde colligunt, Eos qui de nouo in Collegium veniunt, pro debito quod antea a collegio contractum eſt, non teneri: vt & Ciues nouiter receptos ſeu nouos incolas ad collectas, quæ pro debitis veteribus aduentum ſuum præcedentibus imponuntur, non obligari: Quod vt a ratione iuris alienum eſt; ita ex *hac l.* male educitur. Eſt enim hæc *lex*, non de pecunia *mutuatitia*, ſeu de debito contracto ex neceſſitate vel vtilitate aliqua totius Collegii, Corporis, Vniuerſitatis; verum de periculo ob negligentiam adhibitam in nominatione ſeu delegatione officii vni ex Corpore ſuo impoſiti. Debita ſcilicet contracta ex mutuatitia pecunia ob neceſſitatem aliquam vel vtilitatem totius alicuius Collegii, Corporis, Communitatis, Vniuerſitatis, ad omnes ex æquo *Sanates*, *forctes* (vt in veteri eſt) veteres, nouos, collegas, incolas, allectos pertinent: arg. *l. 7. in fin. D. quod cuiuſcunque Vniuerſit.* & recepta vbique praxi: quomodo etiam iudicatum placito Pariſienſi A 1596. referente V. C. Brettio *oratione 43.* (vbi recte *hanc leg.* pro contraria ſententia male referri notat *p. 248.* etſi verum ipſe *huius legis* ſenſum aſſecutus non ſit) & Curiæ Montiſpelienſis Anno 1590. referente Philippi *Arr. 146.* Atenim periculi ob malam nominationem ſeu delegationem de Corpore ſuo factam, alia ratio eſt, quia ibi culpæ ſuæ nomine nominatores ſoli tenentur: cuius vtique periculo nouos Decuriones qui nihil admiſerunt, teneri æquum non eſt: *pœna* denique ſeu ſarcina ſuos Actores tenere debet & caput noxa ſequitur: Onus vero æs que alienum Corporis & Collegii, omnes ex æquo ſubire oportet: Quique Vniuerſitatem, vt alicubi loquuntur, deſpondet, & debita deſpondet, ſeu creditoribus eo ipſo momento obligatur. P.198. Sed & hic tamen, vt eo concordiam diſſentientes reuocem, diſtinguendum puto, inter cauſas mutui contrahendi; ſi enim mutuum contractum fuerit ob defectum tributorum ſoluendorum, certe nouos incolas obligari, æquum non eſt; ſi pro vtilitate perpetua loci, obligari eos æquum eſt. Et hæc de primo errore, qui ad hanc *leg.* admittitur.

Secundus error eſt, quod alii hanc *legem* quoque trahunt ad *Succeſſores* in Officio ſeu dignitate, ſeu Officiales nouos; vbi quæri ſolet, an & quatenus ii pro deceſſoribus ſuis quoque mutuo ab iis contracto obligentur; (de qua alioquin quæſtione præter alios fuſe Lucas de Penna, ad *l. 2. C. Iuſt. de fundis rei priuat.*) Quod & ipſum erroneum eſt. Neque enim hæc *lex* eſt de debito ab Anteceſſoribus in Dignitate aliqua conſtitutis contracto, neque de Succeſſoribus eorum, ſeu in eorum locum ſuffectis; verum de nouiter in Corpus ſeu Collegium aliquod adgregatis, quique *ad priores* nouiter nomina ſua Curiis addiderunt, vt hæc *lex* diſerte loquitur, id eſt, qui aliis & prioribus ſiue mortuis ſiue deficientibus, vel forte etiam ſuperſtitibus inſuper deque nouo additi & adgregati.

Tertius; alia itam quæſtio eſt, & aliena ab *hac l.* de onere ſeu reliquis poſſeſſionum nomine fiſco debitis, vtrum videlicet Noui poſſeſſores qui per ἐπιβολὴν ſorte (de qua agitur *ſupra l. 4. de annon. & trib.*) eas nacti ſunt, eo nomine teneantur. Et ſi idem quoque eo caſu caueatur, nempe vt ne ad decoctoris relicta, ſeu debita, qui nouus accedit

per

Digitized by Google

per ἐπιϐολὴν poſſeſſor teneatur: *l. 2. in fin. C. Iuſt. de omni agro deſerto.*

Quartus: imo & Quartom quoque illud ab *hac l.* aliennm eſt, quod ſtatuitur *l. 2. ſupr. ſine cenſu:* non poſſe ſc. fundum a priuato emi ſine reliquis tributorum; Nouum enim fundi emptorem obnoxium teneri pro reliquis eius poſſeſſionis: cuius & hæc ratio eſt, quod tributa fundi nomine fiſco debita, ſint fundi onera, & ſic cum fundo ambulent neceſſario, nouumque domioum & poſſeſſorem ſequantur. Qua parte notanda interim differentia inter nouum poſſeſſorem ſeu ſucceſſorem in dominio fundi ex cauſa ἐπιϐολῆς, & ex titulo emptionis voluntariæ: Ille ad reliqua fiſco oon tenetur, hic tenetur.

Quintus: ab hoc tractatu alienus adhuc magis eſt tractatus de non conueniendo vno Decurione pro altero Decurione, etiam tributorum oomine: de quo eſt *lex 31. ſupr. de annon. & tribut. l. 2. ſupr. de exactionib. lex vlt. ſupr. de executorib. l. 186. infr. h. tit.* vt & de vno ex Vicaoeis, pro aliorum Vicaneurum debitis non conueniendis, de quo peculiaris *titulus* eſt *Cod. Iuſt. Vt nullus ex Vicaneis &c.* quem Titulum ad *hanc l. Codicis Iuſt.* Interpretes tanquam hic fundameotalem allegant: perperam; Quandoquidem illis caſibus noo quæritur de nouiter adgregato in Corpus aliquod, vtrum is ex præcedenti cauſa obligetur; verum de concorporali, vtrum ſcil. maoente eodem ſtatu Corporis alicuius, vel Vniuerſitatis, vnus ex eo Corpore pro alicuius concorporati ſui debito cooueniri poſſit, & quidem ex tributorum cauſa: quod illis legibus oegatur: addita ea in *d. l. vn.* ratione, ex generali regula, ſcilicet *eſſe, non ſolum legibus, verum naturali æquitati contrarium, pro alienis debitis alios moleſtari.*

Sextus: denique ab *hac l.* alienus eſt tractatus de *Repreſſaliis;* vt & de *Italiæ ſtatutis*, quibus cauetur vt ſi quid damni datum ſit viatori, proximi pagani id ſarcire teneaotur.

Ergo maneat, huiusce *legis* hunc ſenſum eſſe: *pro culpa malæ nominationis* teneri taotum eos, qui ex Collegio illo puta Curiæ, perperam aliquem ad munus publicum *Suſceptionis* forte nominarunt: noo vero qui non nominarunt, & ſic nouos Decuriones, vel etiam abſentes: Quomodo & ſubſidiaria actione illa, de qua *ſupr.* quamque eum *hac* componо; in Magiſtratus Municipales, propter culpam eorum, actio datur, non in Ordinem Municipalem: Imo & ſi Ordo in ſe periculum receperit, ii tantum qui præſentes fuerunt, tenentur: *l. 1. in pr. D. de Magiſtratib. conuen.* quia ſc. æquom non eſt, ex vnius facto alios prægrauari, & nocere factum alicuius ei, qui nihil admiſit. Quæ cum ita ſint, & Pragmaticis & Iuris ſtudioſis iam compertum erit, quomodo hæc *lex* io vſum tuto deriuanda ſit, expunctis ferme omnibus Interpretum ad *hanc leg.* commentariis; quamque vnus ferme Cuiacius intellexit.

LIBERORVM XIII. *numero a Curiali conditione, Curiaque quem liberari.*

LV. (a) Idem A. Leontio (b) Conſul. (c) Palæſtinæ. (d)

QVI (e) pater ſit XIII. liberorum, non modo ad Curiam non vocetur, verumetiam ſi ſit (f) Decurio, honoratiſſima quiete (g) donetur. Dat. Kal. Mart. (h) Antiochiæ, Iuliano A. IV. & Salluſtio Coss. [363.]

INTERPRETATIO. *Lex iſta hoc dicit,* (i) *eum qui pater eſſe probatur tredecim filiorum, non ſolum ad Curiæ ſeruitia non detinendum,* (k) *verum etiam ſi Curialis ſit, honoratiſſima quiete donandum.*

NOTAE.

(a) *L. 24. Cod Iuſt. eod. tit.* GOTHOFR.

(b) *Leontius* hic idem ille Palæſtinæ Rector videtur, cui hoc ipſo tempore, vna cum Alypio Templi Hieroſolymitani inſtaurandi negotium Iulianus irrito mox ſucceſſu, dediſſe dicitur ab Ammiano Marcellino (vt omittam alios) *initio lib. 23.* Ad eundem extant plures Libanii *epiſtolæ. ID.*

(c) Proconſul poſtea ſub Theodoſio M. Palæſtinam rexit: v. *l. 42. ſupr. de appellat. l. 28. quorum appell. l. vlt. de fiſci debit.*

(d) *Palæſtina* adhuc indiuiſa erat hac tempeſtate: imo & ſub Theodoſio M. vni adhuc Rectori parebat, teſte Zoſimo *lib. 4. cap. 41* (vbi de Hilario) & veteri Indice *Schonhouiano pag. 83. Edit. Cellar. ad calcem Feſti,* qui ſub Theodoſio M. conſcriptus. Dixi plura ad *l. 30. ſupr. de erogat. mil. ann. l. 3. ſupr. de protoſt.*

(e) *Si quis Decurio pater ſit duodecim liberorum, honeſtiſſima Munerum quiete donetur:* Ita tum mutata, tum contracta hæc *lex Cod. Iuſt. ID.*

(f) Iam. *ID.*

(g) *Honoratiſſimæ quieti* hic, & in interpret. legit, MS. G. RITTER.

(h) *April.* MS. G. *ID.*

(i) *Hæc lex hoc præcipit,* MS. G. *ID.*

(k) Id eſt, vocandum: vt in *ipſa leg.* GOTHOFR. *Tenendum,* MS. G. RITTER.

p. 399.

COMMENTARIVS.

TREDECIM LIBERORVM numero, ſeu priuilegio, patrem a Curia ſeu Curiali conditione functioneque, non ſubeunda tantum excuſari; verum etiam impacta ſeu iniuncta iam, liberari definit *hac conſtitutione* Iuliani Imp. Quæ quidem conſtitutio toto iure ſingularis in *Codicem* quoque *Iuſt.* translata eſt; puta in *l. 24 cod. t. de Decur.* verum interpolata, contractiorque multo hunc in modum: *Si quis Decuriæ pater ſit duodecim liberorum, honoratiſſima munerum quiete donetur.* Et eſt ea quoque de vexatiſſimis: de qua multa Interpretes, & in his Vertranius Maurus, *lib. ſingulari de iure liberorum*, expreſſo *c. 41.* Ac maxime ideo vexata, quia cum Pertinacis reſcripto ſeu Calliſtrati *l. 5. §. 2. D. de iure immunit.* pugnare vulgo creditur. Quare neque tralatitia eius interpretatione nobis defungendum erit. Mitto quæ ad Auctorem eius pertinent, puta *Iulianum* Apoſtat. Imp. (quanquam & mox quædam de eo ad rem neceſſaria notabuntur.) Mitto quæ de *Palæſtina, eiusque Conſulari*, & quidem *Leontio*, iam in *Scholiis* monuimus. Mitto diem *Kalendarum Martiarum* huic *legi*, (vt & *legi 2. ſupr. de Agentib.* de qua mox:) ſubnotatum, de quo ad *leg. 28. ſupr.* Mitto *legem* hanc *Antiochiæ* datam; de quo tamen mox aliquid. Sex igitur viſionibus *huius leg.* explicatione defungemur. Primum erit de hoc Tredecim liberorum *priuilegio.* (2. ſequentur tres *Ampliationes.* (3.) vt & *Limitatio* vnica quæ *h. l.* vel aperte, vel vi ipſa continetur. (4.) Quantopere ſpecies *huius leg.* aliena ſit a ſpecie *d. l. 5. §. 2.* oſtendemus. (5) Sparſimque videbimus, in quibus *hac lex* in *Cod. Iuſt.* vulgato poſita, ab *hac* abeat, & ſic collationem earum inſtituemus. Poſtremum alienas Interpretum quæſtiones ab *hac leg.* ſemouebimus.

Prima igitur princepsque quæſtio ſeu controuerſia eſt de numero iſto *Tredecim* liberorum: Quandoquidem vulgati receptique hactenus *Codices Iuſt.* habent, *duodecim*: & Pertinacis reſcripto, quod continetur *d. l. 5 § 2.* agitur de *ſexdecim* liberorum priuilegio: Qua cauſa emendandum hic numerum XIII. multi iam ſibi perſuadent, Verum tuenda omnino eſt *huius l. h. C.* lectio. Quod etiam probat Gothica interpretatio, *huic l.* ſubiecta: vbi expanſis etiam literis ſcriptum exſtat, *Eum qui pater eſſe probatur* TREDECIM *filiorum &c.* Quinimo & tertio loco eum ipſum numerum ſeruant libri quidam *Iuſtinianei*, quod Cuiacius quoque monuit, etſi vulgati habeant *duodecim.* Quare admittenda non eſt eiusdem Cuiacii emendatio, quaſi & *hic*, & *ibi* reponendum ſit XVI. arg. *d. l. 5. §. 2.* ceu errore nato, ex notarum illarum VI. diductione: ſic vt pro ea hic XIII. ſuſtitutum fuerit, ibi XII. Namque id omne mere diuinatorium eſt. Imo, ſi Cuiacii exemplo *hanc l.* emendare liberet, probabilius reponeret quis XV. arg. eius, quod Apuleius *in Apologia pag. 283. Edit. Lugd. B. apud Ioan. Maire. 1623.* ait, *Quindecim homines liberos populum eſſe: totidem ſeruos familiam: totidem vinctos ergaſtulum.* Verum nil mutandum, ſeruandaque adeo eſt *huius C.* lectio: & auctoritas ſequenda: illis inſuper quæ dixi argumentis. Et Apage mihi ſis præceps iudicium Amayæ, qui tranſmiſſa propria, ſuaque ordine, *huius l.* expoſitione in *l. 2. n. 67. C. de Decur.* pronunciat auctoritatem *vulgatorum Codicum* apud ſe maiorem eſſe, quam *Cod. Theod.* e latebris & tineis poſt multa ſæcula in lucem extracti. Quod ſummæ imperitiæ eſt: Et quis etiam non eadem ratione *C. Iuſt.* omnem auctoritatem detrahat? nam & ipſe ni fallor e latebris & tineis poſt multa ſæcula in lucem extractus aliquando fuit. Et procul dubio Authentici *huius Codic.* fides maior eſſe debet, quam *Iuſtinianei*:

Os, humerosque adeo laceri, naſuque minoris.

Secundo loco videndum eſt, Quomodo hæc *lex* cum aliis concilianda ſit, ſimul & eruenda *Ratio* huius numeri Tertiodecimani; *XIII.* inquam *liberorum.* Hactenus enim nos de iure ſeu priuilegio vnius quandoque etiam duorum, trium, quatuor, quinque liberorum, leges, Scriptoresq; alios loquentes audiuimus, & quidem non in *lege Papia* tantum Decimaria, verum etiam in argumento vacationis a muneribus publicis. Qua parte ſane ita ius fuit, vt a perſonalibus muneribus quinque liberorum numerus excuſaret: de quo *inf. peculiari t. 17. de his qui numero liber.* ab oneribus vero patrimonialibus nullus liberorum numerus excuſaret: *l. 2. §. 1. l. 11. D. de vacat. mun. l. 6. §. 4 D. de muner. l. 5. C Iuſt. de muner. patrim. l. 1. C. eod. de his qui numero liber. l 1. C. eod. de ſumptuum recuperat.* Imo ne ab omnibus quidem muneribus perſonalibus numerus liberorum excuſabat vt in *d. l. 5. §. 2.* Calliſtratus diſerte ait, colligere ſe ex Pertinacis reſcripto, varie nec *abſciſe*, numerum liberorum ad excuſationem munerum municipalium prodeſſe, ſolumque iam cum ita ex facto contigiſſet, ſedecim liberorum numerum; & ſic fœcunditas hæc ſeu *πολυπαιδία* Pertinaci æqua viſa, ad immunitatem omnium λειτουργιῶν tribuendam in *d. l. 5 §. 2. D. de iure immunit.* Addita hac ratione: *οὐκ ἔςιν ἄλογον, ὥςε συγχωρῆσαι σχολάζειν τῇ παιδοτροφίᾳ καὶ ἀπέχεσθαι τῶν λειτουργιῶν*: *non eſt irrationabile, vt concedamus filiorum educatione remitti tibi munera* Quomodo etiam Chryſoſtomus *homil. 3. in acta Apoſtol. pag. 473 Edit. Commelin.* Epiſcopatus difficultatem pro omnibus excubantis repræſentans, ſimilis ſollicitudinis exemplum apponit in patre decem filios habente, *δέκα*, inquit, *παῖδας ἔχων ὑποχειρίους συνοικοῦντας αὐτῷ διαπαντὸς*, *qui decem habet filios ſubditos, aſſidue cum ipſo viuentes.* qui cogitur ſine intermiſſione illorum curam gerere; *ἀδιαλείπτως αὐτῶν ἀναγκάζεται φροντίζειν.* Quomodo & Apuleius 7 *Metamorphoſ. pag. 125. Edit. Lugd. Bat. apud Ioan. Maire 1623.* Plotinæ meminit, *quæ decimo partus ſtipendio viri familiam fundauerat.* Et ſic quidem Pertinacis reſcriptum accipiendum eſt de *Perſonalibus tantum muneribus*, non de patrimonialibus & realibus: quod hactenus ferme creditur, λειτουργιῶν ſcil. appellatione ibi munera & miniſteria perſonalia indicantur. Ad rem. Prædictæ igitur *leges* omnes vt & Pertinacis reſcriptum, cum *h. l.* nil commune habent. Ibi quippe agitur de muneribus, quæ municipibus quibuscunque iniungebantur ſeu imponebantur, etiam non

Decu-

Decurionibus. Hæc *lex* noſtra eſt de priuilegio ſeu immunitate a Curiali fortuna nexuque: puta vt tredecim liberorum numerus patrem a Curia liberet: cum hactenus nulla *lex* occurrat, qua definitum ſit numero liberorum patrem a nexu Curiali liberari; niſi quod pater trium incolumium liberorum legationibus publicis liberabatur: *l. 1. C. Iuſt. de Legation.* Etſi modi alii quamplures extent, inductique fuerint *Legib.* ad euitandam eam, de quo fidem faciunt tot *leges* vel *huius t.* quas cumulauimus in *Parat.* Et ita quidem *h. l.* ab illa *l. 5. §. 2.* ſeparanda cumque ea conciliandа venit: non vt Accurſius & ſequaces, qui volunt hanc *l.* vti poſita eſt *C. Iuſt.* pertinere ad intributiones municipum & ciuitatis: neque enim *h l.* eſt de intributionibus: ſed de functionibus Curialibus; & illæ cum onere ſumptuque fere conjunctæ erant.

Eoque pertinent illa *honoratiſſima* QVIETE *donetur:* Vox enim hæc, *Quietis*, pertinet non ad intributiones, verum ad perſonales & Curiales functiones & immunitates. Quo ipſo quoque ſenſu OTII vox effertur *l 75. infr.* ibi: *habeantur immunes, otio fruituri.* Et Græci verbo ἡσυχάζειν id exprimunt, ἀφέσεως, ἀτελείας. Rectaque omni-
P.400. no ſententia eſt Couarruuiæ *in epitome de ſponſalibus parte 2. c. 8.* & Rebuffi ad *hanc leg.* & poſt eos Ferrerii ad *deciſ.* 401. *Guidonis Papæ*, numerum liberorum quemcunque a muneribus patrimonialibus ex hoc iure, & ex *hac l.* non excuſari: quod quinque *legib.* ſupra comprobatum eſt. Quanquam in praxi alicubi aliter obſeruari notant, veluti Romæ, Mediolani. Inanis etiam Baldi diſtinctio eſt: aut pater, inquit, Decurio eſt, & nati duodecim ei proſunt: aut Decurio non eſt, & ei ad omnium munerum excuſationem, ſedecim opus eſt. Nam ſi ei *Codicis* huius videndi copia fuiſſet, vidiſſet idem ſtatui de patre iam Decurione, & nondum Decurione: de quo mox plura. Tandem mera diuinatio eſt Vertranii Mauri, qui ita diſtinguit & conciliat: Pertinacem ſcil. in *d. l. 5. §* 2. de muneribus tantum perſonalibus cauiſſe: deinceps ſub ipſo forte Pertinace, aliiſque Principibus hanc immunitatem ob ſedecim liberos ad omnia munera tractam: Tandem Iulianum *hac l.* voluiſſe tredecim liberos ſufficere fœcundis patribus non ſolum a muneribus, ſed etiam ab honoribus: & ſic Iulianum e veteri obſeruantia aliquid remiſiſſe. Quæ omnia gratis dicuntur.

His ita compoſitis, *Ratio* nunc quærenda nobis eſt huius numeri tertiodecimani, ſeu tredecim liberorum. An igitur dicendum, non aliam eius reddi poſſe rationem, quam aliorum multorum in iure, quorum ſane non alia ratio reddi poteſt, quam quod ita ius conſtitutum fuerit θέσει, ſeu iure poſititio: ac nominatim in his quæ circa arithmeticam verſantur, numeroſque *legibus* præſcriptos? (2) An vero dicendum ex facti contingentia, iſtud ita conſtitutum, pariter vt in ſpecie illa *Pertinacis?* Verum, neque iſtud placet: quandoquidem video, hanc conſtitutionem non ad ſingularem alicuius facti contingentiam aptari ſeu coarctari, verum ius certum & perpetuum ea contineri. (3) Putet igitur tertio quis, arcanam aliquam rationem repetendam ex prouincia *Palaſtina*, quæ vna ex Syriis prouinciis erat, & ad cuius Conſularem hæc *lex* emiſſa eſt; ſic ſane etiam eiuſdem Iuliani *lege 2 ſupr. de Agentibus in rebus*, quæ dicitur *PP. Berytho*, Syriæ-Phœnices ſcil. eodem etiam die, quo hæc data iiſdem Coss. alius quidem modus euitandæ Curiæ proponitur. Et vtrumque iſtud Iulianus ipſe in Tertia Syria, puta Syria Cœle, *Antiochiæ* conſtitutus: (nam & ibi hæc *lex* data eſt) cui alioquin Syriæ in commune Iulianus in plurimis commodauit. Sane ita quoque olim, cum pro prouinciarum diuerſitate immunitas a tributo capitis diuerſimode competeret, in Syriis nominatim ea competebat maſculis ad 14. annos, fœminis ad 12. vt teſtatur Vlpianus in *l. 3. D. de cenſibus.* Denique Leges cuiuſque loci in immunitatibus ſemper reſpici oportuit, *d. l. 5. §. 1. D. de iure immun.* pariter vt conſuetudines loci cuiuſque, *l. 11. D. de Decurionib.* Nam & circa Decuriones, muneraque Curialia conſuetudines variæ fuere, ſuaque cuique Curiæ *lex* fuit & conſuetudo: præter *d. l. 11. l. 5. ſupr. l. 60. 68. 101 infr. hoc tit. l. 22. inf. de ſuſceptorib.* pariter, vt ſua nonnullis Curiis priuilegia fuere, quale eſt illud Curiæ Antiochenæ priuilegium, quod memorat & firmat idem Iulianus Imp. in *l. 51. ſup.* Verum nihil horum hic placet: Vt neque Quarta Amayæ ſententia, qui id ex *lege Iulia & Papia* profectum vult: nullo teſte vel authore: & quaſi ſola illa *lex* de iure ſeu priuilegio liberorum egerit.

Quare cum omnia vndique circumſpicio, arcanam ſeu occultam & Pythagoricam Tertiodecimani imparis numeri rationem, Iulianus, totus de Philoſophia, Philoſophiſque circumfuſus, iſtud captaſſe mihi videtur. Notum in vulgo quam ſtudioſe Pythagoras & Pythagoræi τὴν περὶ τῶν ἀριθμῶν πραγματείαν excoluerint; vnde Cicero 4. *Academ. cap. 37. Pythagoræi ex numeris, & mathematicorum initiis proficiſci volunt omnia.* Apuleius *Florid.* 1. *pag.* 501. *Edit. Lugd. Bat. apud Ioan Maire. Pythagoram ſponte petiiſſe Ægyptias diſciplinas, atque ibi a Sacerdotibus cerimoniarum incredundas potentias, numerorum admirandas vices, Geometriæ ſolertiſſimas formulas didiciſſe.* Tertullianus *de Anima cap. 32.* Numeros Pythagoræ ſic tribuit, vt Epicuro Atomos, Ideas Platoni, Entelechias Ariſtoteli. Inter alios vero Numeros, ſumma Ternarii, Septenarii, Denariique ſeu Decumani, apud eos Numeri ratio præcipue fuit: ſic vt illos τελείους vocarent: Septenarium etiam Pythagoras Religionibus aptiſſimum prodiderit (teſte Apuleio *initio libri vlt. Metamorphoſ.*) hanc vero δεκάδα ſcilicet, quaſi δεχάδα perfectiſſimum omnium, μᾶλλον τελειότατον ἁπάντων, vtpote qui omnem numerorum differentiam, omnem rationem, omnes ſpecies atque proportiones in ſe contineret: eoque etiam *Primam quadraturam* eum appellabant: propterea quod ex prioribus quatuor Numeris conſtaret, vno, duobus, tribus, & quatuor: de quo videndus vel Porphyrius *in V. Pythagoræ;* Chalcidius *in Timæum Platonis.* Tertullianus quoque *de Anima c. 37. Qui Numeros ratiocinantur, & DECVRIALEM numerum, vt exinde reliquorum parentem colunt, denique perfectorem natiuitatis humanæ.* Sane & circa partus humani dimenſionem, peculiarem quoque numerorum rationem Pythagoræis placuiſſe, teſtis eſt Paulus

Digitized by Google

Paulus *in ſententiis lib. 4. tit. 9. §. 5.* Laertius *in Pythag. lib. 8. Segment 29. pag. 511. Edit Wetſten.* Cenſorinus, *de die Natali cap. 9. & 11.* Ergo Tertiodecimano fœtui partuique velut perfectiſſimo, ex duobus inquam Numeris perfectis compoſito, priuilegium iſtud quod *hac l.* continetur, Iulianus tribuiſſe videtur, totus quantus, vt dixi Philoſophus, Philoſophiaque circumfuſus: quod etiam nonnullæ aliæ eiusdem conſtitutiones ſpirant. Ipſe certe *ep. ad Serapionem 24. pag. 394. Edit. Lipſ Spanhem* de Numero pari, impari, Ternario, & Centenario aliquammulta habet; ſed tamen pleraque ὑποθέσεις ἀνδρῶν. Decumanus porro numerus, alias pro maximo habitus & vſurpatus, vt videre eſt in *fluctibus Decumanis* apud Feſtum. *Accipenſere Decumano* apud Ciceronem *de fin. lib. 2. cap 8.* *Ouis Decumanis* apud eundem Feſtum, & aliis ſimilibus. *Tertium* præterea ſupra *Decimum* numerum ideo Iulianus elegit potius quam binarium, & ſic Duodecimum; Primo quidem velut perfectum & imparem, quem Pythagoras velut perfectum laudabat, teſte quoque Cenſorino *de die Natali, c. 11. in fin.* & Seruio *ad Virgil. Eclog 8. v. 75.* qui & veteri ex ſuperſtitione magis FAVSTVS habebatur, eodem Cenſorino præter alios teſte, *cap 20* vbi ait, *credere ſe ex eadem ſuperſtitione vnum diem abundaſſe in dierum Anni computatione a Numa vel Tarquinio inducti.* Eundemque Pythagoræi dignati *Iuſtitiæ* titulo.

Secundo quia & alias Ternarius hic numerus olim ad *confirmationem* accedere ſolebat, ad incipientem maturitatem, ad menſes & annos, eodem Cenſorino teſte, *cap. 7.* Ergo & hac ratione Iulianus Ternarium numerum *accedere* voluit ad perfectam rei & priuilegii maturitatem.

In Summam alioquin, Iulianus numeroſa haetantum ſobole Curiam euitari poſſe voluit, non deductiore aliquo ſeu minore: peculiari ſcil. genio ſuo atque effuſiſſimo in Curias affectu: de quo late *ſupra, ad l. 50.* ex ipſiusmet Iuliani ſcriptis, eiusdemque conſtitutionibus: ex Libanio, item & Am. Marcellino: cuius inter alia duo loca, hic repetenda ſunt.
P. 481. Primus locus extat, *lib. 22. cap. 9* *Ægre* inquit, *ſub eo a Curialibus quiſquam appetitus, licet* PRIVILEGIIS *& ſtipendiorum numero & originis penitus aliena firmitudine communitus, obtinebat æquisſimum.* Alter *lib. 25. cap 4.* *Municipalium Ordinum cœtibus patiebatur iniuſte quosdam adnecti, vel peregrinos, vel ab his conſortiis,* PRIVILEGIIS, *aut origine longe diſcretos.* Iulianus igitur pauca admodum priuilegia ad Curiam euitandam admiſit: eaque ipſa prolixi nonniſi numeri ſtipendiique, & imparis equidem ſemper numeri: ſic enim & Curialem liberari voluit *Quindecennali* in ſcriniis militia, *l. 1. ſup. de proximis Comitib. diſpoſ.* Sic & poſt *Tertium annum* militiæ in ſchola Agentium in rebus *l. 2. de Agentib. in reb.* quæ, vt iam dixi, eodem die iisdemque CoSS. *PP. Berytho* dicitur: atque adeo *huic* coniungenda videri poſſit, licet ad alium Magiſtratum data ſit, & alibi propoſita.

Faceſſat proinde iam Vertranii Mauri ſententia, æquius multo, benigniusque Iuſtiniani ius eſſe, qui e tredecim liberis vnum dempſit, & in duodecim liberis fœcunditatem parentum probans, antiquam Iuliani ſcil. rigiditatem leniit, & ſeueriorem remiſit. Nam præterquam quod de Iuſtiniani mente minus liquet propter *Codicum* Manuſcriptorum varietatem, totum iſtud ex Iuliani Imperatoris genio profectum eſt. Quin & ſi de Iuſtiniani mente liqueret, non alio tamen id fine feciſſet, quam vt rotundum Numerum poneret, Aſſeos ſcilicet liberorum, non ex aliqua maioris æquitatis ſpecie.

Sequuntur nunc tres *Ampliationes* huius priuilegii, quæ *hac* eadem *lege*, partim diſertim exprimuntur, partim vero indicantur.

Prima Ampliatio, ſeu amplitudo *huius leg.* ſeu priuilegii, continetur voce *Liberorum: Qui pater* inquit, *XIII. liberorum:* Scilicet non maſculos tantum, ſed & fœminas, ſeu filias in hoc numero prodeſſe voluit Iulianus: de qua *liberorum* ſignificatione in aliis iuris articulis noti ſunt textus iuris. Interpretatio *huic l.* ſubdita, non ita perſpicue, *filiorum*, vocem ſubdidit. Et certe nulla hac parte filiorum prærogatiua præ filiab. eſſe debuit: quandoquidem vnica τῆς φροντίδος, σχολῆς hac parte ratio habita eſt. Cum alias aliquando potior maſculorum ratio habita ſæpe fuerit & habeatur.

Secunda Ampliatio eſt, ratione ipſorum *Patrum:* Nempe definit Iulianus patrem XIII. liberorum *non modo ad Curiam non vocandum, verum etiam ſi ſit iam Decurio, quiete donandum*: vel vt Interpretatio habet, *non ſolum ad Curiæ ſeruitia non detinendum, verum etiam ſi Curialis ſit, quiete donandum.* Quod poſterius tamen non tam facile admittendum, ſuperueniensque adeo cauſa ſeu excuſatio minus prodeſſe debere videbatur. Sic ſane enim ſuperueniens excuſatio non admittitur, in ſpecie *d. l. 5 §. 7. D. de iure Immunitatis.* Sic priuilegium fori quæſitum poſt vocationem in ius non prodeſt *l 7. D. de Iudiciis:* Sic a tutela ſuſcipienda facilius quis quandoque excuſatur, quam a ſuſcepta: de quo vid. vel §. 2. 3. *Inſt. de excuſat. tutor. l. 2 §. 8 D. eod. tit.* Quo pertinet etiam vulgata iuris *Regula, Non eſt nouum, vt quæ ſemel vtiliter conſtituta ſunt, durent: licet ille caſus extiterit a quo initium capere non potuerunt, l. 85. §. 1. D. de Regulis Iur.* Sed enim, vt hic, ita & in eodem excuſationis a tutela argumento, excuſatio ſæpe datur ex cauſa ſuperueniente poſt ſuſceptam tutelam: vt in ſpecie *l. 11. 12. §. 1. l. 15. §. 3. l. 40. D. de excuſat.* Ergo par hic ratio eſt, deferendæ & delatæ functionis Curialis.

Et Tribonianus tamen iſtud in *d. l. 24. Cod Inſt. eod. tit.* quæ hinc interpolata eſt, immutauit: & ad eum ſignate, qui iam Decurio eſſet, hanc *leg.* aptauit: inſerta voce *Decurionis* initio *leg.* ita; *ſi quis Decurio pater ſit* &c. cæteris, de eo qui nondum Decurio eſſet, reſecatis. Quod quidem a Triboniano factum, quod quædam aliæ *leges* illi occurrerent, quibus a muneribus iniungendis aliqui facilius liberarentur: etſi verum ſit non de Curiali nexu & functione ibi agi. Neque adſentiendum Vertranio Mauro, qui ait, *concinnatores Codicis Iuſtinianei, creari & in conſortium adlegi non vetuiſſe patrem 12. liberorum, forte vt ex animi ſententia liberum eſſet patri in ordine ſcribi, & honoris cauſa inter Decuriones præſidere.* Neque enim *hac l.*

quæri-

quæritur, vtrum pater tot filiorum Decurio eſſe *poſſit* ſi velit? vt multi ſpontanei, & voluntarii, vltronei Decuriones eſſe poſſunt; de quibus ſunt aliquot *leges huius tituli*, neque priuilegia huiuſmodi inuitis dantur; verum, vtrum vocatus ad Decurionatum excuſare ſe poſſit. Quod autem de patre nondum Decurione ad Curiam vocato *h. l.* dicitur, id intelligendum eſt de omnibus, qui quacunque ratione ad Curiam vocari poſſunt, ſiue πατρέκολοι illi ſint, vt Iulianus ipſe eos vocabat; id eſt Originales, & originis ratione, ſiue incolatus poſſidendiue ratione: (nam & plebeii re familiari inter ſuos conſpicui ſeu ſplendidioris fortunæ in Curiam allegi poterant:) ſiue denique ex certis Corporibus eſſent, huic rei deſtinatis: de quibus omnibus eſt eiuſdem Iuliani *lex 53 ſupr.* deque eo plene in *Paratitlo.* Similis vero Ampliatio continetur & *l. 19. ſupr.*

Poſtrema Ampliatio continetur his verbis *honoratiſſima quiete donetur.* Nempe hoc caſu equidem Iulianus patrem a muneribus Curialibus exenſari, otioque eum & immunitate frui, ἡσυχάζειν: non vero Curialibus ideo priuilegiis exui; verum ei *honorifica* Curialium iura porro conſtare, Curialesque *honores* prodeſſe: non igitur tanquam expunctum vel proiectum haberi voluit, ſed vt miſſione donatum: de cuiuſmodi miſſione donato agitur quoque in *dicta* eiuſdem Iuliani *l. 2. de Agentib. in reb.* Et vero hac quoque de cauſa videtur Tribonianus, *munerum* vocem hic inſeruiſſe: ita, *honoratiſſima munerum quiete donetur.* Quam *munerum* tamen vocem, ſunt qui hinc expungant, & in his Vertranius Maurus ope Manuſcriptorum. Hoc etiam argumento, quod ita alioquin munerum & honorum diſcrimen indicetur; quod tamen Iuliani propoſitum non fuit. Quod MSS. attinet, id in medio relinquimus. Verum quod poſterius iſtud ſpectat, fallitur Vertranius, homonymia vocis *honorum.* Verum eſt, Iulianum non minus honorum *gerendorum*, quam munerum ſubeundorum patri 13. liberorum, vacationem tribuere; ſed enim *honores*, id eſt, priuilegia Curialium ei ſeruauit: neque *munerum* vox ideo ibi minus ſtare poſſit: quandoquidem ea voce & munera proprie dicta, & honores municipales ſignificantur. Et hæc de Ampliationibus.

Limitatio quoque hic quædam tacite continetur, verbo, SIT. *Qui pater*, inquit, *ſit 13. liberorum:* vel, vt Interpres habet, *qui pater eſſe probatur.* Nempe is demum pater Curiali nexu & functione liberatur, cui *ſunt* 13. liberi, nati ſuperſtiteſque: neque enim amiſſi proderant in *lege Papia*, & in Excuſatione a *Tutela* tribuenda.

Formant & hic Interpretes quæſtionem, an, ſi pater 13. liberorum pingue habeat patrimonium, hoc priuilegio potiatur? Quod quidem adeo quærunt, quia *hanc l.* ad onera patrimonialia referunt. Verum, ei hoc priuilegium conſtare ſemper dicendum eſt, vtpote quod ob liberorum numerum & p. 402. ſollicitudinem tributum eſt, nulla patrimonii ratione. Omitto & eam quæſtionem, vtrum mortuis poſtea filiis, vel ſaltem aliquibus ex his, hæc immunitas duret: quam quæſtionem late tractat Ioannes Andreas in *regula decet.* Omitto & eam quæſtionem vtrum nepotes in locum liberorum hic ſuccedant, ſic vt & ipſi proſint ad Curiam euitandam.

Hæc cum ita perſpicue expoſita ſint, faceſſant iam hinc Accurſianorum conciliationes *huius leg.* cum *d. l. 5. §. 2.* & in vniuerſum *huius leg.* Interpretationes. In ſpongiam incumbat quidquid ferme Vertranius Maurus ad *hanc l.* tentauit. Ceſſet & Cuiaciana quam dixi *huius leg.* emendatio. Imo tandem ceſſent complures hinc alienæ quæſtiones, quæ hic ab Interpretibus cumulantur: Cuiuſmodi eſt illa, An poſt Honorii conſtitutionem, qua iuris liberorum impetrandi neceſſitas remiſſa eſt patri 12. vel 13. liberorum ad hanc immunitatem quærendam, diplomate Principis opus ſit, vel fuerit? Quod quidem etſi idem Vertranius recte neget, ſatis enim eſt in iure hanc excuſationem, vt alias omnes, quæ legibus tribuuntur, proponi; attamen in eo peccat quod ius liberorum ab Honorio tributum, cum hoc commiſcet: illud enim ius tributum liberos non habentibus, legibus Decimariis ſublatis: de quo *ſupr. tit. de iure liber.* Iſtud habentibus.

Secunda Quæſtio, quæ *huic legi* male aptatur, vt iam notaui, eſt, An Pater 13. vel 12. liberorum, vt eſt in *vulgatis Codicibus Iuſt.* ab omnibus muneribus tam patrimonialibus quam realibus & Gabellis & aliis contributionibus immunis ſit? ac nominatim etiam an a præteritis ſeu contractis a Ciuitate ante Immunitatem, ſeu ſuſceptos tot liberos debitis? De quibus vide inter alios Guidonem Papæ *deciſ. 401.* & *ibi* Ferrerium, Rolandum a Valle *vol. 2. conſil. 69.* Nos de *huius leg.* ſententia tantum laboramus: nam vt dixi in praxi, priuilegium hoc alicubi ad patrimonialia quoque extenſum fuit. Eſt enim hæc *lex* de Curiali tantum nexu & functione; non de illis.

Poſtrema Quæſtio, hinc alieniſſima eſt, Vtrum idem dicendum ſit de Matre 13. vel 12. liberorum. Namque enim fœminæ in Curialibus habebantur immunes, *l. 137. infr.* etſi ex illis proditi ſæpe nexu tenerentur, & ad Curiam vocari poſſent: & quidem inter alia Antiochiæ in Cœle-Syria, vt teſtatur eiuſdem Iuliani *lex 51. ſupr.* & in ſpecie *leg. 178. 179. infr.*

MILITIA ARMATA *decennali, Curialem Curia liberari.*

LVI. (a) Idem A...... (b)

QVI nati origine Curiali militare munus adamauerunt, vbi decem annorum ſtipendia confecta ſunt, iuſſionum noſtrarum auctoritate erunt Curia Immunes. Si vero intra decennium recens (c) adhuc erit ratio militiæ limitaneæ, cauſa generis præponderauerit (d) & ori-

& originis: Curiis enim adgregabuntur. Dat. XII. Kal. Ianuar. Antiochiæ, Iuliano A. IV. & Salluſtio Coss. [363.]

NOTAE.

(a) Abeſt hæc *lex* a *Cod. Iuſt. GOTHOFR.*

(b) IOVIANO tribuenda hæc *lex. ID.*

(c) *Recens* eſt in ſp. *huius leg.* quod intra decennium conſiſtit. *ID.*

(d) Præponderare debebit: *præponderabit. ID.*

COMMENTARIVS.

MILITIA armata cum regulariter nemo Curiali nexu liberetur: de quo fuſe in *Paratitlo*, decennali tamen eum militia liberari definit *hac leg.* non Iulianus, verum IOVIANVS Imp. Iam enim Iulianus bis COSS. media æſtate bello Perſico illigatus *VI. Kal. Iulii* mortuus fuerat: teſte Ammiano Marcellino *lib. 25. cap. 5.* Socrate *lib. 3. c. 18.* Conſularibus *Idacianis bis COSS.* & Chronico *Alexandrino pag. 693. Edit. Raderi.* Contra, Iouianus iam a. V. *Kal. Iulii* Imperator factus, paulo poſt pace cum Perſis facta Antiochiam venit, teſte Amm. Marcellino *lib. 25. cap. 10.* Zoſimo *lib. 3. cap 34.* vbi mox Ciliciam menſe Nouembri: tandem Antiochiam (vbi hæc *lex* data eſt) reuerſus menſe Decembri, quo hæc ipſa *lex* data eſt: de quo omni vide *Chronol.*

Cæterum *Limitanea* nominatim militia decennali Curiam euitari definit *hac l.* Iouianus: cur? Nempe quia tum miles oppoſitus erat Perſis, in limite Perſico, cum quibus hoc ſæculo Conſtantio, Iuliano, Iouiano res fuit: Non igitur alia militia? Imo per alias *leges*: nam & ita decennali militia Curialem Curia liberari definit *lex 28. ſupr. de cohortalib.* Imo quandoque quinque annorum ſtipendia hic ſuffecere, *l. 38.* (vbi dixi plene:) *64. 88. hoc tit.* & *l. 6. ſupr. de re militari.* Etſi vicennalis militia quandoque hic exacta, *l. 13. ſupr. hoc tit.* vel quindecennalis, *l. 95. infr. h. tit.*

Porro id hic monendum, ad hoc tempus pertinere, quod Libanius queritur, Iuliano ſublato, Curias exhauſtas, prauis immunitatibus: vt Oratione in *Iuliani necem p. 327. Edit. Morelli.* Βουλευταὶ δὲ τὴν δικαιοτάτην θεραπείαν ὑπὲρ τῶν πατρίδων ἀποδράντες, τὴν ἄδικον ἐλευθερίαν ἐδίωξαν: *Senatores vero cultum iuſtiſſimum pro patria euitantes, libertatem iniuſtam proſecuti ſunt.* v. & eiuſdem Orationem εἰς τοὺς βαρὺν αὐτὸν καλέσαντας. Sed & ex Ammiano Marcellino, *lib. 27. cap. 7.* videre eſt, quantopere exhauſtæ Curiæ ſub Valentiniano fuerint.

P. 403. SENATORIA *dignitate quando, quibusque conditionibus Curialis Curia liberetur.*

LVII. (a) Impp. VALENTINIANVS & Valens AA. ad Mamertinum PF. P. (b)

NEMO ad ordinem Senatorium ante functionem omnium munerum municipalium Senator accedat. Cum autem vniuerſis transactis, patriæ ſtipendia fuerit emenſus, tum eum ita ordinis Senatorii complexus excipiet, vt repoſcentium (c) Ciuium flagitatio non fatiget. Hii autem qui Legem noſtram neglexerint, exempti Senatorio albo, (d) quoad municipalibus neceſſitatibus ſatisfaciant, non capiant caſſi (e) honoris augmentum: nam qui cupiunt incrementum honoris adipiſci, *perfunctos ſe eſſe muneribus*, Actis debent Ordinarii (f) Iudicis adprobare, in locum ſuum ſcilicet filiis ſubrogatis, ſi eos (g) ſucceſſio (h) familiæ ad exſequendam vniuerſam Legis noſtræ mentem docebitur adiuuare. Dat. Non. Mai, (i) diuo Iouiano & Varroniano Coss. [364.]

NOTAE.

(a) Abeſt hæc *lex* a *Cod. Iuſt.* Concordant duæ eiuſdem Valentiniani *leges*: puta *lex 58. 65. infr. GOTHOFR.*

(b) *Mamertinus* PP. Italiæ, Illyrici, Africæ, vt diſerte docet hoc ipſo anno Ammianus *lib. 26. cap. 5.* Antea ſub Conſtantio, Illyrici tantum. Idem Ammianus *lib. 21. cap. 12. in fin. v. Proſopogr. ID.*

(c) Denuo, ad munera Curialia. *ID.*

(d) *Album* Senatorium: vt *ſupr. l. 48.* Album Decurionum. *ID.*

(e) *Caſſi* honoris, id eſt, inanis. *ID.*

(f) *Ordinarii Iudicis*, ideſt, Rectoris prouinciæ. *ID.*

(g) *Curiales* ſcil. qui ex Curialib. Senatores facti. *ID.*

(h) Id eſt, ſi filios ſucceſſores habeant. *ID.*

(i) *Hadrianopoli.* vt *lex prox. ID.*

COMMEN.

COMMENTARIVS.

VALENTINIANI Senioris conſtitutiones octodecim de Decurionibus ſequuntur; puta *lex 57. 58. 59. 60. 61. 62. 64. 65. 66. 67. 68. 70. 71. 72. 73. 75. 77. 78.* ex quibus apparet, quantum Imperatori iſti Curiæ Ciuitatum cordi fuerint: Quod & ipſe nuncupatis verbis profitetur *in d. l. 66. infr. Ordinib.* inquit, *Curiarum, quorum nobis ſplendor vel maxime cordi eſt* &c. Ita quidem, vt ne Curiæ ipſi conniuenti in damna ſua, accedat, *l. 71.* neque Iudicibus *l. 68. 71.* Primum igitur, quod ad Curialium Nominationem attinet, eos nonniſi ab ipſis Curiis electos adgregari vult, *l. 66.* non etiam pœnæ cauſa quenquam in Curiam damnari, *d. l. 66.* Non Tabularios, qui rationem fideliter adminiſtratarum chartularum ſuo tempore non dederint *l. 2. ſupr. de Tabulariis.* Item Negotiatores quoque, ſi prædiorum aliquorum poſſeſſores ſint, ad Curiam nominari poſſe definit, *l. 72.* Filios item militum (Curialium) Veteranorum, & militarium ad Curiam vocari iubet *hac leg. 57. in fin. & l. 58. in fin. 64. 78. hoc tit. & l. 5. ſupr. de re militari.* Et hæc de Nominatione. Munera item a Curialibus gradatim ſuſtineri, non autem a ſummo gradu incipi iubet, *l. 77.* Item dignitate nullum excuſari, *leg. 71.* ac nominatim, non ante Senatorem quenquam Curialem fieri, vel impetrata Senatoria dignitate frui; imo nec ante ad gubernacula prouinciæ admitti *l. 57. & 77. hoc tit.* quam omnibus muneribus decurſis, *dict. l. 57. 58. 65. 69. hoc tit.* niſi ſimul cum Senatoria dignitate Adminiſtrationis honore vel Palatino labore quis fulciatur, *leg. 67. & leg. 73.* Et id adhuc in locum ſuum filiis ſubſtitutis, *hac leg. 57. & ſeq. 58.* Non militia Curiam euitari: *dict. leg. 58.* niſi Quinquennali, *l. 6. ſupr. de re militari:* cui iungenda eſt *lex 64. hoc tit.* (Quo caſu tamen filios in Curiam allegi vult: *d. l. 64.*) Non Clericatu, niſi vel ceſſis facultatibus propinquo ſuccedaneo, vel Curiæ ipſi, *l. 59.* Non conuolando ad collegium Fabrorum, *l. 62.* Vt mirum pene videri poſſit, quod Libanius & Amm. Marcellinus de Curiarum poſt Iulianum deſolatione queruntur, teſtanturque locis, quæ ad *Iouiani l. ſuper.* protuli: ſic vt vnicus etiam vel tres tantum Curiales ſupereſſent in quibuſdam Curiis.

PRIVILEGIA etiam Curialium, ac maxime Sacerdotum & Principalium confirmatum fuit: Ac nominatim in Sacerdotibus creandis, *l. 60.* Item cætera priuilegia Sacerdotum & Principalium *d. l. 60. 75.* Inter alia ne grauibus iniuriis adficiantur, ſeu vt eorum corpus liberum ſit ab iniuriis, *l. 61. 75.* Ne denique Curiales, & Sacerdotes vltra terminos propriæ ciuitatis ſui præſentiam exhibere iubeantur, *l. 60.* De ſingulis ordine.

Hæc lex eſt de SENATORIA dignitate indepta a Curiali, an & quatenus ea quis Curia liberetur: quo in argumento verſantur *viginti ſeptem leges, hoc titulo*, quarum Synopſin habes *in Paratitlo.* Igitur Valentinianus *h. l. 57.* vetat Curialem quenquam, SENATOREM fieri, niſi omnibus Curiæ muneribus decurſis. Quod & ipſum *duabus* præterea *legibus* Idem cauet *l. prox. 58. 65.*

Hoc tamen ſenſu, quod Curialem ante munera patriæ expleta Senatorem factum, interim quidem Senatoria dignitate frui vetet, Senatorioque Albo expungi iubeat: atenim muneribus expletis, Senatoria dignitate ante impetrata eum hodie frui permittat; ac proinde in ſuſpenſo interim Senatoriam dignitatem eſſe velit. Cui ſimilis eſt Conſtantini M. *lex 14. ſupr.*

Igitur vt Curialis Senatoria dignitate impetrata frui poſſit, tria *hac l.* requirit. p. 40 6.

Primo, vt perfunctus ſit muneribus.

Secundo, vt id probet apud acta Rectoris prouinciæ.

Tertium additur, quod ſcil. in locum ſuum filios ſubrogare teneatur, ſi filios habeat: nempe mens hæc fuit in vniuerſum Valentiniano, vt Curias repleret. Et hæc quidem eſt extremorum *huius l.* verborum ſententia: *ſi eos ſucceſſio familiæ ad exequendam vniuerſam legis noſtræ mentem docebitur adiuuare.* De quibus autem filiis id accipiendum ſit, docebit *lex prox. 58.*

Atenim Valenti alia ſtetit ſententia: ſcil. Curialem impetrata Senatoria dignitate ſtatim frui vult, & tamen onera Curialia explere *leg. 69. infra.*

SENATORIA *dignitate, vel* MILITIA *quando & quomodo Curialis Curia liberetur.*

LVIII. (a) Idem AA. ad Mamertinum PF. P. (b)

QVI Curiali ortus familia, ante completa munera patriæ, *Senator* factus eſt, fructu (c) careat, quouſque muneribus abſoluatur: quibus expletis, ſi velit ſumptuoſum (d) ordinem Senatorium vitare, denuntiet (e) dignitati: ſi permanſerit, liberos quos poſt (f) ediderit, habeat Senatores, Prætores iam (g) Quæſtoreſque, non muneri Decurionum obnoxios. *Militia* vero (h) nullus gradus, nulla diuturnitas defendet eum, qui, vt Curialem contrahens originem, repetetur. Sed & qui nexum Curialem naſcendi opportunitate (i) vitauerit, niſi, cum duodeuiginti annos expleuerit, militiam exerceat, per quam parentibus eius immunitas (k) quæſita eſt, ſecurus eſſe non poterit, propter ſortem originis. (l) Dat. III. Id. Mai. Hadrianop. diuo Iouiano & Varroniano Coss. [364.]

NOTAE.

(a) Abeſt hæc *lex* a *Cod. Iuſt.* Iungenda autem ei *lex* 8. *ſupr. de cobortalib.* & *l.* 18. *ſupr. de curſu*: Imo & *lex* 5. *ſupr. de re militari.* GOTHOFR.

(b) Italiæ, Illyrici, Africæ: cui inſcribitur & *lex ſupr. prox.* ID.

(c) Senatoriæ dignitatis. ID.

(d) Cur *ſumptuoſus Ordo* Senatorius hic vocetur, mox dicam. ID.

(e) *γρ. Renuntiet.* ID.

(f) Non ante, & quamdiu muneribus Curialibus fungebatur, ſuſceptos. ID.

(g) Qui Prætores, & Quæſtores iam nominari poſſunt, de quibus *ſuo tit. ſup.* ID.

(h) Differentia hic conſtituitur inter Militiam & Senatoriam dignitatem. ID.

(i) Qui patre olim Curiali hodie Milite natus erit, quæ hic *naſcendi opportunitas* vocatur. ID.

(k) A Curia. ID.

(l) Quia patre, qui revera Curialis originis erat, natus eſt: ſcilicet hic opponitur *ſors originis*, & *naſcendi opportunitas.* ID.

COMMENTARIVS.

DE SENATORIA dignitate, & de MILITIA. vtrum ea Curialem necum Decuriones, eorumque liberi euitent, eſt hæc Secunde Valentiniani Sen. ad Mamertinum PP. *hoc tit.* Conſtitutio: Quæ quidem pars eſt prolixioris Valentinianeæ Conſtitutionis, qua is tum Curiis tum Officiis iudicum, ſpecierum fiſcalium tranſuectioni, curſuique publico, reique militari, prolixe conſultum iuit: vt apparet ex *h. l.* & *l.* 5. *ſupr. de re militari*, *l.* 8. *ſupr. de Cobortalib* *l.* 18. *ſupr. de curſu publ.* quæ velut eiuſdem Conſtitutionis partes, huic noſtræ coaſſandæ veniunt: ſic quidem vt pleræque de *Liberis* agent eorum, qui publico munere funguntur. Nam vt hæc *lex* eſt de Liberis Decurionum, ita *d. l.* 5. *ſupr. de re militari*, de Liberis Veteranorum: *Lex* vero 8. *ſupr. de cobortalib.* de Liberis Officialium. Igitur & Curiis tuendis, replendisque eo imum maxime intendit Valentinianus Sen. ea conſtitutione: Idque duplici ratione. Primom Curialibus vel Originem Curialem trahentibus non permiſſis aliquu dignitatis aut militiæ prætextu elabi: Quo pertinet *hac lex.*

Secundo, variis hominum generibus deſignatis, qui ad Curiam nominari ſeu vocari, atque adeo Curiæ repleri poſſint: Quo pertinet ſecunda pars *d. l.* 8. *ſup. de Cobort.* qua quatuor hominum genera deſignat, quæ ad Curiam nominari eique necti vult: Nempe 1. ſtatuit, Officiales Rectorum Prouinciarum ſi nondum 25 ſtipendia abſoluerint, ad Curiam nominari. 2. vt & Liberos eorum, ſi militiam detrectauerint. 3. Itemque Subſcribendarios, Tabularios, Logographos, Cenſuales poſt emenſum munus, ſi & cenſu opulenti ſint, & exercitatione quantulecunque eruditionis. 4. Tandem quoscunque alios nullis priuilegiis ſubnixos, qui in quibuslibet vrbibus, oppidis, municipiis utinſi, & vacantes reperiuntur. Et hæc de *d. l.* 8.

Huius vero *leg.* duo ſumme ſunt capita: Prius caput eſt de SENATORIA dignitate. Nempe Curialem, Senatorem factum, nondum expletis patriæ muneribus, fructu Senatoriæ dignitatis interim carere, & ſic explere munera patriæ debita oportere: quibus demum expletis Senatoria dignitate fruetur (de quo fuit iam quoque eiusdem Valentiniani Sen. *lex* 57. *ſupr.* erit adhuc *infr. lex* 65. Et in vniuerſum in hoc argumento occupatæ ſunt *leges viginti huius tituli* quas repetere licet ex *Paratitlo.*) In quo tamen Valenti alia ſtetit ſententia: is enim voluit Curialem ſtatim frui dignitate Senatoria; & tamen munera Curiali explere, ſi velit ſcil. P. 405. At Valentinianus interim Senatoriæ dignitatis fructum in ſuſpenſu eſſe vult, neque vbi dies fruendi venit inuito eam impingi vult: poteſt enim is die allapſu, ſi velit Senatoriæ dignitati renuntiare, quem *ſumptuoſum Ordinem Senatorium* vocat, propter onera non tantum glebalis præſtationis, verum ac maxime propter editiones ludorum Prætorias & Quæſtorias, quibus Senatores obnoxii erant: de quo *ſuo tit. ſup. libr.* 6. *de Prætorib.* & *Quæſtoribus*: quo pertinent etiam quæ mox *hac l.* ſubnciuntur *de Prætorib.* & *Quæſtoribus*: Cum alias Senator ſemel factus, Senatoriæ dignitatis onera euitare non poſſet. Qui caſus ſingularis obſeruandus eſt, quo quis renunciare poteſt dignitati impetratæ; & quidem Senatoriæ: qua de re ſunt quoque *lex* 4. & *vlt. ſupr. de Senatorib. l. vn. de Com. ord. primi artium diu.* Et hæc de ipſo Curiali, Senatore facto.

In *Liberis* eam hanc diſtinctionem inducit: nempe Liberos quoque ante diem Senatoriæ dignitate fruendi allapſum, ſeu ante expleta munera patriæ, Curiæ necti oportere: poſt munia demum expleta ſuſceptos, vt *Senatorum* filios haberi: Quod & alias tralatitium eſt, liberos ante Senatorum dignitatem patris ſuſceptos, Senatores non cenſeri, verum poſt tantum: de quo plene ad *l.* 1. *ſup. de Senator.* & *glebali collat.* Igitur paria ſunt, ſuſceptum fuiſſe quem, patre nondum Senatoriam dignitatem adepto, & inutiliter interim adepto, vt paria ſunt non fieri quid, & inutiliter fieri. Quod *ſecundum ſingulare* obiter ex *hac l.* notandum venit. Et Valens tamen vt *ſuperiore capite*, ita & *hac parte* voluit liberos hoc caſu ſtatim poſt patris dignitatem ſuſceptos, Senatorios cenſeri *d. l.* 69. Contra quam Theodoſius M. *l.* 93. Et hæc de Senatoria dignitate.

Secundum caput eſt de MILITIA armata: Igitur ea, cuiusque gradus, cuiusque temporis ſit, vitari Curiam vetat *hac leg.* Valentinianus ſen. In qua tamen ipſe ſententiam poſtea mutauit: indulſit enim is *l.* 16. *ſup. de re militari* (quæ iungenda eſt cum *l.* 64. *inf. h. t.*) vt Curialis quinquennali militia liberaretur. Et hæc de ipſo Curiali milite facto.

Quid de liberis eorum, qui patre Curiali, hodie milite ſuſcepti ſunt? Eos Valentinianus niſi expletis octodecim annis, militiam patris ſequantur, ad Curiam teneri iubet. Scilicet hanc ætatem octodecim

decim annorum expletorum liberis militum (re-uera Curialium) dedit, militiæ vel Curiæ eligendæ: De qua ætate iam *ſupra ad leg. 7. h. t.* Alias ſextus decimus annus a Conſtantino M. huic rei præſtitutus *l. 2. ſup. de veteranis:* & *l. 4. de fil. mil. appar.* & a Conſtantio *l. 35. ſup.*

CLERICATV, *quibus conditionibus Curialis Curia liberetur.*

LIX. (a) AA. Idem ad Byzacenos. (b)

QVI partes eligit Eccleſiæ (c), aut in propinquum bona propria conferendo eum pro ſe faciat Curialem, aut facultatibus Curiæ cedat quam reliquit; ex neceſſitate reuocando eo, qui neutrum fecit, cum Clericus eſſe cœpiſſet, & cetera. Dat. IV. Id. Septemb. Aquil. (d) diuo Iouiano & Varroniano Coss. [364.]

NOTAE.

(a) Abeſt hæc *lex* a *Cod. Iuſtin.* & ab *Annalibus* Baronii. Iungenda autem ei *lex 17. inf. de Epiſcopis:* videri poſſit eidem iungenda *lex 60. prox.* & *lex 9 ſup. de petit.* & *l. 3. ſup. de conlat. fundor. patr.* Quod temere non aſſero. In illo certe conueniunt omnes, quod ad Byzacenos datæ ſunt eodem anno & menſe. *GOTHOFR.*

(b) Africæ, quibus inſcribitur & *d. l. 60 prox.* aliæque quas ſiue huic, ſiue illi iungendas dixi. Ergo hæc lex *Valentiniani* eſt: Quare errant qui putant *l. 63. inf.* hanc *leg.* indicari: eſt enim ea *lex* Valentis, qui *ſuam* ibi functionem allegat, non fratris ſui Valentiniani. *ID.*

(c) Qui ex Curiali Clericus fieri vult: Pari ſenſu, *d. l. 17. ab Eccleſia ſuſcipi*, eſt clericum fieri. *ID.*

(d) Poſteaquam Valentinianus & Valens palatia ſua diuiſiſſent, Valentinianus Mediolanum, mox Aquileiam conceſſit hoc Anno: vid. *Conſularia Theodoſiana. ID.*

COMMENTARIVS.

CLERICATV an & quomodo Curialem conditionem euitare quis poſſit, tertia *hac* e Valentinianeis *hoc tit.* ſuper Decurionibus Conſtitutione definitur: quæ pars eſt prolixioris Valentinianeæ conſtitutionis ad *Byzacenos* emiſſæ, cuius alterum ἀπόμοιρον extat quoque *l. 17. inf. de Epiſcopis, Eccl. & clericis.* quod proinde *huic* coaſſandum venit. Nempe *ea lege* id egit Valentinianus, ne Immunitatis Eccleſiaſticæ obtentu, munia publica vel nerui Reipubl. conciderent, ad Clericatum confugientibus iis, a quibus munia publica per prouincias ſuſtinebantur: puta *Plebeiis*, & *Decurionib.* Quare in eum finem *ea leg. 17.* Valentinianus *Plebeios* diuites ab Eccleſia ſuſcipi, id eſt ad Clericatum admitti penitus vetuit. *Hac* vero, etſi Decuriones ad Clericatum admittat, ita tamen admittit, vt Curiarum interim commodis conſultum velit. Nam cum Conſtantinus M. abſciſe Decuriones ad Clericatum admitti vetuiſſet, *l. 3. & 6. infr. de Epiſcop. Eccl. & Cler.* Conſtantius vero ad Epiſcopatum admitti abſolute voluiſſet; bonis retentis; vt & cœteros Clericos, ſi Curiæ conſenſu ad Clericatum adlecti fuiſſent: ſi vero non, liberis, quos haberent, facultatibus ceſſis; liberis vero deficientibus, propinquis: his deficientibus, Curiæ duabus Tertiis bonorum ceſſis, Tertia retenta; *l. 49. ſup.* Iulianus vero Decuriones, qui vt Chriſtiani (id eſt Clerici) munia Curialia declinaſſent, reuocari iuſſiſſet, *l. 50. ſup.* Valentinianus Senior *hac leg.* non aliter Decurionem clericatu ſe tueri poſſe definit, quam ſi alterutrum ex his faceret, ſi inquam in propinquum Curiæ pro ſe ſubſtitutum, bona ſua transferret, vel bonis Curiæ cederet. p. 406. Quænam ſuper hoc inſecutis Principibus ſententia ſteterit, docebunt *leges* ſequentes: Valenti inquam, *lex 19. inf. de Epiſcopis:* Valentiniano Iun. *lex 99. inf.* Theodoſio M. *lex 104. 115. 121. 123. inf. h. t.* Arcadio *lex 163. inf.* & Theodoſio Iun. *l. 172.* Qui ab *huius leg.* diſpoſitione haud adeo abluſerunt. Idem ſane Valentinianus A. 371. (id eſt ſeptennio poſt *hanc leg.*) in Præfectura vrbis Romæ Clericos a Curiis haberi voluit immunes, ſi ante ortum Imperii ſui Clerici facti fuiſſent: cæteros vero qui poſt, reuocari: *l. 21. infr. de Epiſcopis:* pariter vt Valens decennii præſcriptioni locum eſſe voluit, *l. 19. infr. de Epiſcop.* quæ *lex* ſi ad Annum D. 373. referenda eſt (quod non puto) tum etiam decennii tempus ab ortu Imperii ſui in eum annum computandum fuerit.

De PRIVILEGIIS SACERDOTVM *&* CVRIALIVM, *deque* CREATIONIS *illorum more ſeruando.*

LX. (a) Idem AA. ad Byzacenos.

SACERDOTES (b) vel Curiales vltra terminos propriæ ciuitatis non iubeantur (c) ſui exhibere præſentiam: (d) In (e) Sacerdotibus creandis, & in priuilegiis quæ hisdem deferebantur, veteri more ſeruando. Dat. Prid. Id. Septemb. Aquil. diuo Iouiano & Varroniano Coss. [364.]

NOTAE.

(a) *L.* 15. *Cod. Iuſt. eod. tit.* Iungenda autem huic, *lex* 9. *ſup. de petit.* Et forte etiam *lex* 59. *ſup. prox.* & *lex* 17. *infr. de Epiſcopis:* & *lex* 3. *ſup. de conlat. fund. patrim.* Quod poſtremum non temere adſero. *GOTHOFR.*

(b) *Sacerdotes vel:* Hæc recidit Τριβων, tanquam antiquata, veteriſque moris Gentilitii: pariter vt vltimam *huius leg.* ſententiam. *ID.*

(c) *A Moderatoribus prouinciarum:* Quod ἐξηγητικῶς loco additum *Cod. Iuſt. ID.*

(d) *Niſi publica neceſſitas exegerit.* Exceptio hæc addita C. Iuſt. *ID.*

(e) Sequentia reciſa *Cod. Iuſt.* ea, quam dixi, ratione. *ID.*

COMMENTARIVS.

DE PRIVILEGIIS & IVRIBVS Curialium: deque SACERDOTVM creatione & priuilegiis, eſt hæc Valentiniani Sen. conſtitutio: quæ prolixioris Conſtitutionis Valentinianeæ *ad Byzacenos* emiſſæ pars eſt: cuius pars eſt quoque *lex* 9. *ſup. de petitionib. & delatoribus*, quæ proinde *huic* coaſſanda venit: Imo forte etiam *lex* 59. *ſup. prox.* (quæque ei iungenda eſt,) *lex* 17. *inf. de Epiſcopis:* & *lex* 3. *ſup. de conlat. fund. patrim.* Quod ſi ita eſt, tum ea integra Conſtitutione videtur Valentinianus Byzacenis prouincialibus, Sacerdotibus, Curialibus non vna ratione attritis, vexatis, opitulatum iuiſſe: ſiue mole tributorum, quo pertinet *d. lex* 3. *ſup. de conlat. fund. patrim.* ſiue petitorum inhiatione, quo ſpectat *d. l.* 9. *ſup. de petition.* ſiue quadam (obtentu Chriſtianæ Religionis) nimietate: quo ſpectat *d. l.* 59. *prox. ſup.* & *lex* 17. *inf. de Epiſcopis:* Tandem & *hac lex noſtra.* Scilicet & Plebeios diuites ab Eccleſia penitus ſuſcipi, ſeu Clericos fieri vetat, *d. l.* 59. *prox. ſup.* Denique & ſua Sacerdotibus & Curialibus vetera iura, priuilegiaque ſtare iubet, *hac l.* quæ multi Gentilitiæ ſuperſtitionis odio & Chriſtianæ Religionis obtentu turbatum ibant, triplici ratione: Primo, vltra terminos ciuitatis ſuæ vtroſque trahendo: Secundo Creationem Sacerdotum interturbando: Tandem priuilegia eorum infringendo. Id quod omne Valentinianus ſen. emendatum iuit: vtpote Religionis Libertate ſeu ἐθελοθρησκεία Gentilibus facta, quod ipſemet profitetur, *l.* 9 *ſup. de maleficiis:* & Ammianus indicat *lib.* 30. *cap.* 9. & Symmachus *teſtatur relat. ad fil. Valentiniani, lib.* 10. *Ep.* 54. *in fin.* de quo prolixe ad *l.* 7. *inf. de paganis ſacrific.*

Igitur tria *hac lege* ſtatuit Valentinianus: Primo ne Sacerdotes, de quibus vide *Paratitlon. de Paganis:* & Curiales, iubeantur ſui præſentiam facere vltra terminos propriæ Ciuitatis. Cuius Curialium priuilegii meminit & Iuſtinianus *Nouella* 45. ἐπειδήπερ οἱ νόμοι πολλὰ διδόασι τοῖς βουλευταῖς προνόμια, περί τε τὸ μὴ τύπτεσθαι, περί τε τὸ μὴ παρίστασθαι, μήτε εἰς ἑτέραν ἄγεσθαι χώραν, καὶ ἕτερα μυρία: *quoniam leges plurima curialibus prabent priuilegia, & vt non cadantur, neque ad aliam ducantur prouinciam, & alia plurima.* Scil. vt non minimæ moleſtiæ & vexationis eſt extra ciuitatem ſuam & prouinciam trahi, ſuique præſentiam exhibere cogi, tandem itineribus fatigari ſeu vexari; quod docent inſuper ſuppoſititia *lex vlt. inf. de Epiſcopali iudicio:* & *Nouella Martiani* 1. *neminem exhiberi.* Ita contra, multis id priuilegii loco datum, vt ne extra ciuitatem vel prouinciam ſuam traherentur; veluti pupillis, viduabus, & miſerabilibus perſonis; a Conſtantino M. *l.* 2. *ſup. de offic. Iudicum omnium:* itemque Nauicularius Orientis, *l.* 7. *inf. de Nauiculariis:* Sacerdotibus item & Curialibus. Quod *hac l.* a Valentiniano ſancitur, ſeu firmatur: Nempe, vt *ne vltra terminos propriæ ciuitatis iubeantur ſui exhibere præſentiam.* Iubeantur, inquam, *a Moderatoribus prouinciarum*, vt Τριβων. *C. Iuſt.* addidit: ſiue priuati negotii ergo, ſiue etiam edendorum ludorum gratia, quæ ſane ſententia eſt *Legis* 1. *inf. de ſpectaculis:* (quæ & ipſa Valentinianum authorem habet;) & *legis* 3. & 4. *eod tit.* quæ Theodoſium Iun. Auctorem habent: Quoque etiam pertinet Libanii querela ſub Theodoſio M. *Orat. contra Tiſamenum, p.* 449. 450. *Edit. Morell.* Sed tamen malim ipſe *hanc leg.* accipere de priore caſu, nempe vt propter priuatum negotium, quod iis cum aduerſario intercedit, vel criminis etiam cauſa, SVI præſentiam exhibere vetentur *hac l.* Sacerdotes & Curiales. Idque, quæ huius priuilegii ratio eſt, ob aſſiduam & conſtantem operam, quam Curiæ, vel Sacerdotio debent. Et hæc de primo P. 407.
huius l. capite: Cuius ea quam dixi ſententia eſt. Non vero, quod etiam Amaya putauit, accipiendum id de ſpontanea abſentia Decurionum: Quo nil ineptius. Exceptio, quam *hic* Tribonianus addidit, notanda & vera: nempe poſſe Decurionem ob publicam neceſſitatem vltra terminos propriæ ciuitatis iuberi, vt præſentiam ſui exhibeat.

Secundo capite Valentinianus in *Sacerdotibus creandis* veterem morem ſeruari indulget: quem proculdubio Chriſtiani noſtri interturbabant. Quiſnam vero mos ille fuerit, quo proprie Valentinianus hic reſpexit, non noſtrum eſt diuinare: neque enim liquet, quidnam hac parte Chriſtiani noſtri interturbauerint: Sane de ordinatione ſacerdotum publico de more, tractatum eſt quoque *leg.* 148. *inf.*

Tertio capite iubet Valentinianus *Priuilegia*, quæ his veteri more deferebantur, ſeruari, quæ Arcadius poſtea his per Orientem ademit, *l.* 14 *inf. de paganis ſacrific.* Quo numero fuit non tantum immunitas, qua poſt ſacerdotium fruebantur: de quo *l.* 75. *inf. h. t.* verum etiam conſtante ſacerdotio, puta immunitas ab omnibus muneribus ciuilibus ab Annonæ præpoſitura *l.* 2. *inf. quemad. mun. ciuil.* a præpoſitura manſionum, *l.* 21 *ſup. h. t.* & inferioribus muneribus, *d. l.* 2. Item immunitas a quæſtione, *l.* 76. *inf. h. t.*

Et hæc quidem ita Valentinianus *hac l.* quam Tribonianus non vna ratione interpolauit: detractis omnibus, quæ *Sacerdotes* reſpiciunt; vtpote his penitus abolitis, quos Valentinianus adhuc tulerat

lerat ſua ætate: Item expoſitione addita, *a moderatoribus prouinciarum.* Tandem & exceptione addita, *niſi publica neceſſitas exegerit.* Haud abſurde: propter ea, quæ *ſupra* iam diximus.

A CORPORALIBVS *iniuriis ſolos Principalium Patronos immunes eſſe.*

LXI. (a) Idem AA. ad Terentium Corr. Tuſc. (b)

VRBIS Vulſinienſium (c) Principales, qui tamen Patronorum adepti fuerint dignitatem, hanc prærogatiuam laborum atque officiorum ferant, ne interdum ad libidinem praue conſulentium, Iudicum grauibus (d) adficiantur iniuriis. Dat. V. Kal. Nouemb. diuo Iouiano & Varroniano Coss. [364.]

NOTAE.

(a) Abeſt hæc *lex* a *Cod. Iuſt.* velut temporaria & localis. *GOTHOFR.*

(b) De hoc Terentio Correctore Tuſciæ dicam mox plene. Eidem inſcribitur Anno proximo *lex* 65. *inf.* & hoc ipſo Anno *lex* 4. *ſup. de iurisdict.* Eiusdem meminit Ammianus Marcell. *lib.* 27. *cap.* 3. vid. *Proſopogr. ID.*

(c) De qua mox plene. *ID.*

(d) *Graues Iniuriæ* eodem ſenſu quo alias *corporis iniuria*, & *corporalis contumelia*, pro tormentorum & quæſtionis cruciatui, de quo plene *ad l.* 39. *ſup. ID.*

COMMENTARIVS.

A POENIS CORPORALIBVS, tormentis, ſeu quæſtione, plumbatisque Principales vrbis Vulſinienſium, ſi modo *Patronorum* adepti fuerint dignitatem, immunes eſſe iubet Valentinianus Sen. *hac lege.* Id enim eſt, quod *grauium Iniuriarum* appellatione indicatur; de quo, vt & hac ſiue Curialium ſiue Principalium tantum immunitate, plene dixi ad *l.* 39. *ſup.* quomodo & de Principalibus affatim monet *Paratitlon*, quibus addenda & quæ notaui ad *l.* 5. *ſup.* Sane & ita quinque Primates Ordinis Alexandrini Theodoſius Iunior immunes eſſe iubet a corporalibus iniuriis, *l.* 190. *inf.* Ex *hac* interim *leg.* diſcimus hoc Valentiniani iure & æuo, non omnes Decuriones a quæſtionibus immunes fuiſſe, ſed Principales tantum, quanquam & id Curialium dignitati datum a Valentiniano, ne torti ad Curiam admitterentur *l.* 8. *ſup. de cohortalib.*

Quæ hac lege ſingularia occurrunt, nunc diſcutiamus. Primo obſeruandum *Principalium* varias ſpecies fuiſſe, & in his Honoratisſimos, qui *Patronorum* adepti fuiſſent dignitatem: Quorum Patronorum (quod ſecundum) frequens mentio occurrit in *antiquis Inſcriptionibus:* vbi videre eſt, PATRONOS CIVITATVM, COLONIARVM, MVNICIPIORVM, PATRIÆ, REIPVBL. VICORVM dici: Fit quoque mentio *l.* 46. *ſup. de curſu publico*, Patronatus Curiarum honorarii. Qui procul dubio idem Patronatus eſt: Nempe tum Principales, tum alii, qui maxime grati Curiæ, meritis in Rempubl. veluti annonæ curatione accesſiſſent, pro *prærogatiua laborum atque officiorum*, vt *hac lex* diſerte ait, hac Patronorum dignitate honorari ſoliti: cuius magna prærogatiua fuit: ſic quidem etiam, vt & ex alio Ordine, alii quoque ad honorarium hunc Curiarum patronatum adſpirarent; quod docet *d. lex* 46. *ſup. de curſu publ.* Tertio obſeruandum, hanc leg. proprie pertinere ad vrbis Vulſinienſium Principales: quæ vrbs in Tuſcia fuit, vt vel Inſcriptio *legis* oſtendit; eſt enim ea data *ad Terentium Correct. Tuſciæ.* Ita quidem vt opulentisſima, validisſima, nobilis, & caput inter tria Tuſciæ Capita olim habita foret: teſte Liuio *lib.* 10. *cap* 37. Floro *lib.* 1. *c.* 21. & ex eo Iornande *de regn. ſucceſſ.* Victore *de Viris Illuſtr. c.* 36. deque ea videndi Strabo, *lib.* 5. *pag.* 345. *Edit. Almelou.* Plinius *lib.* 3. *c.* 5. Tacitus *lib.* 4. *Annal. c.* 1. Ptolemæus *lib.* 3. *c.* 1. Valerius Maximus *lib.* 9. *c.* 1. §. 2. *extern.* Mentio quoque eius in *vtroque Itinerario* Antonini, & Peutingeriano. Hodie *Bolſena* vocatur. Olim Nurſiæ Deæ cultu peculiari inſignis, teſte Tertulliano, cum Deos Decuriones ſeu Municipales recenſet, *lib.* 2. *adu. Nat. c.* 8. & Apolog. *cap.* 24. Diſtabat autem ea 72. tantum millibus paſſuum ab vrbe: vt ex Itinerario *Antonini* liquet *pag.* 286. *Edit. Weſſeling.* Ac proinde in Suburbicaria Tuſcia erat, cuius mentio fit *l.* 12. *ſup. de indulg. debit. Nouella* Maioriani *de adulteriis* 9. & apud Gaium & Theodoſium *inter Auctores Limitum: pag.* 253. *Ed. Goeſ.* Quæ intra centeſimum ab vrbe lapidem conſiſtebat.

Sed tragulam ſcrupulumque iniiciunt a latere nonnulli; & contendunt, Annonariæ Tuſciæ vrbem P. 408
fuiſſe Vulſiniam; vt ita conficiant Tuſciæ Annonariæ partem intra centeſimum fuiſſe: contra, vt conficiant, Suburbicarias regiones non occupaſſe totum id, quod intra centeſimum ab vrbe miliarium decurrebat, & ſic centeſimum miliarium, & ſuburbicarias regiones non iisdem finibus decurrere: (Quod tamen aliunde certiſſimum eſt) Contendunt autem id auctoritate Ammiani Marcellini, *lib.* 27. *c.* 3. *Hoc tempore*, inquit Ammianus, *vel paulo ante, noua portenti ſpecies per* ANNONARIAM *apparuit* TVSCIAM: *idque, quorſum euaderet prodigialium rerum periti penitus ignorarunt. In oppido enim Piſtorienſi, prope horam diei tertiam, ſpectantibus multis, Aſinus Tribunali aſcenſo audiebatur deſtinatius rugiens, & ſtupefactis omnibus qui aderant, quique didicerant referentibus aliis, nulloque coniectante ventura, poſtea quod portendebatur euenit.* TERENTIVS *enim humili genere in vrbe natus, & piſtor, ad vicem Præmii, quia peculatus reum detulerat Orfitum ex præfecto,* HANC EANDEM PROVINCIAM CORRECTORIS *adminiſtra-*

miniſtra,

miniſtrauerat poteſtate &c. Agnoſco equidem portentum illud per Ammianum Tuſciano Piſtorienſi oppido apparuiſſe: ſed nego primum, dicere Ammianum Marcellinum Annonariæ Tuſciæ tantum Correctorem Terentium fuiſſe: ſatis erat, pro ſubiectæ materiæ ratione dicere, Terentium Annonariæ Tuſciæ Correctorem fuiſſe: quia de portento in *ea*, Piſtorienſi oppido ſc. facto, diſerte agebatur: ſed non exinde conficitur, eum Annonariæ tantum Tuſciæ præfuiſſe. Quin & ſecundo loco verba illa, *hanc eandem prouinciam* ad Tuſciam in genere recte referas, non ad annonariam reſtringas. Et vero tertio, *Tuſciæ* Corrector indiſtincte & ſimpliciter hic Terentius vocatur *tribus huius Codicis legib.* puta *hac l.* & *l. 65. inf. hoc titulo:* & *l. 4 ſup. de iuriſdictione*, quæ generalis elocutio toti Tuſciæ Terentium præfuiſſe oſtendere videatur. Nam ſi annonariam tantum Tuſciam rexiſſet, id vtique expreſſum fuiſſet, ſaltem aliqua ex his *tribus legibus:* quomodo ſane cum Tuſcia Annonaria & Suburbicaria adminiſtratione diuiſæ poſtea fuerunt, *Rogatianus Conſularis Tuſciæ ſuburbicariæ* diſerte vocatur in ſimili Inſcriptione *Nouellæ Maioriani de Adulteriis 9.* Verum quia hac tempeſtate in vnam vtraque adminiſtrationem coaluerat (quomodo & Latium, quod & ipſum ſuburbicarium fuit cum Campania, vt docet *lex 12. ſup. de pœnis:*) ideo indiſtincte, *Corrector Tuſciæ* Terentius vocatur: quomodo paulo ante ſub Iuliano Imp. Auxonius, in *l. 6. ſup. de Numerariis:* poſt Terentium Maximinus, *l. 8. ſup. de accuſat.* & apud ipſummet Ammianum Marcellinum *lib 28. c. 1.* (*Is*, inquit, *poſt adminiſtratas Corſicam, itidemque Sardiniam, rexit deinde Tuſciam;* & mox, *etiam prouinciæ moderamina retinebat:* vbi nemo putu dicet Ammianum Marcellinum de *Annonaria* tantum ſenſiſſe.) Poſt Maximinum, Olybrius *in l. 72. inf hoc ipſo titulo.* vbi tamen non Corrector, verum *Conſularis Tuſciæ* dicitur: quomodo ſane ſub Theodoſio Iun. *Conſularis Tuſciæ & Vmbriæ* præfuit. Ergo iam tuto dicamus, Terentium vtrique Tuſciæ præfuiſſe: & de Vrbicaria id nominatim *hanc leg.* docere per vrbis Vulſinienſis mentionem: de Annonaria Ammianum, per Piſtorienſis oppidi memoriam.

Illud *h. l.* obſeruandum vrbis Vulſinienſium nominatim Principalibus, non omnibus, immunitatem a corporalibus iniuriis *hac l.* tribui, verum iis tantum qui *patronorum* adepti eſſent dignitatem: Quæ taxatio addita non fuiſſet, ſi Vrbs Vulſinienſium, metropolis fuiſſet hac ætate: ſane enim vero ſimile, metropoleon per Italiam Principalibus hanc immunitatem ſimpliciter datam: quomodo data per Orientem Alexandrinis, *l. 190. infr.*

F A B R O R V M *officio & Conſortio Curialem a Curia non liberari.*

LXII. (a) Idem AA. ad Symmachum P.V. (b)

MVNICIPALIS, (c) qui ad fabrorum collegium, alia (d) officia inluſurus, inrepſit, ſtatui priſtino reformetur; nec in poſterum Decurionum quis originem trahens ad hoc (e) officium aſpirare audeat. Dat. IV. Id. Decemb. Mediol. diuo Iouiano & Varroniano Coss. [364.]

N O T A E.

(a) Abeſt hæc *lex* a *Cod Iuſt.* *GOTHOFR.*

(b) *Symmachus* ſub Valentiniano Sen. P. V. Romæ: de quo alibi ſæpe. *ID.*

(c) Decurionum originem trahens, vt *inf.* explicatur, *Municipalis*, vt Curialis. Alioquin abſolute *Municipalis* aliquando, pro Magiſtratu municipali accipitur: vt *l. 3. ſup. de donat.* *ID.*

(d) Curialia, municipalia. *ID.*

(e) Fabrorum ſcil. *ID.*

C O M M E N T A R I V S.

FABRORVM collegio ſeu officio vt *h. l.* vocatur: (de quo v. & *l. 1. inf de Centonariis & Dendrophoris:*) Curialem originem trahens, Curiam euitare vetatur hac Valentiniani Sen. conſtitutione: imo exinde ad Curiam retrahi iubetur.

Scilicet cum grauis eſſet Curialium conditio, ad varia alia Officiorum ſeu Collegiorum genera multi ad euitandum nexum Curialem ſeſe conferebant: vt ex aliis multis *legibus* patet; veluti Fabricenſium *l. 37. ſup.* & *l. 51. inf.* & *l. vlt. ſup. de Fabricenſibus.* ad collegium Fabrorum *h. l.* & quidem illud quod Romæ erat, in ſpecie *huius l.* quibus ideo *Municipales* hac *leg.* opponuntur. *Fabrorum* ſcilicet collegia, & quidem in maximis vrbibus fuere, compeſcendis
P.409. incendiis: Quod *officium h. l.* notatur. Quo fine Plinius cum Bithyniæ præeſſet, de collegio Fabrorum Nicomediæ 150. hominum inſtituendo ad Traianum retulit *libr 10 epiſt. 42.* vbi etiam addit, ſeſe attenturum, *ne quis niſi faber in id collegium recipiatur:* proculdubio inter alia, pariter vt *hac l.* nequis municipalis, ſeu Decurionum originem trahens. Neque tamen id Traianus, hetæriis & Collegiis infeſtus tum admiſit: *epiſt. 43.* Quod poſtea paſſim admiſſum.

Cæterum Curiali origine nati multi; ideo ad Collegium fabrorum idque Romæ ſeſe conferebant, quaſi iam tuti proculdubio futuri, obtentu vtilitatis vrbicæ: cuius vtique intererat, (vtpote incendio obnoxiæ) hoc corpus frequentia hominum multiplicari. Quod certe diſerte etiam de fabrorum Corpore ait Conſtantinus M. *l. 1 infr. de Centonariis & Dendrophoris*, qua *leg.* iubentur in quibuscun-

buſcunque oppidis Dendrophori fuerint, Centonariorum atque Fabrorum Corpori adnecti ea, quam dixi, ratione ſubdita. Et tamen vtilitatem vrbis Romæ in diſpendium municipum *hac l.* cedere noluit Valentinianus.

De MONACHISMO *Valentis lex: eo Curialem Curia non liberari, niſi ceſſis facultatibus.*

LXIII. (a) Idem AA. ad Modeſtum PF. P. (b)

QVIDAM (c) ignauiæ (d) ſectatores, deſertis ciuitatum muneribus, captant ſolitudines (e) ac ſecreta, & ſpecie (f) religionis cum cœtibus Monazonton (g) congregantur. Hos igitur, atque huiusmodi, intra Ægyptum (h) deprehenſos, per (i) Comitem Orientis, erui e latebris conſulta præceptione mandauimus, (k) atque ad munia patriarum ſubeunda reuocari, aut pro tenore noſtræ Sanctionis † familiarium rerum carere inlecebris: quas per eos cenſuimus vindicandas, qui publicarum eſſent ſubituri munera functionum. PP. Byritho (l) Kalend. Ianuar. Valentiniano & Valente (m) AA. Coss.

NOTAE.

(a) *Lex* 16. *Cod. Iuſt. eod. tit.* Refutat *banc leg.* Baronius *An. D.* 375. *n.* 10. 11. *GOTHOFR.*

(b) *Modeſtus* PP. Orientis ſub Valente: ad quem extant plures Baſilii *epiſtolæ:* puta ſex, 274. 275. 276. 277. 278. 279. (ſiu. *Ep* 104. 110. 111. 279. 280. 281. *Edit. Benedictin.*) Marcellinus *lib.* 29. *cap.* 1. & *lib.* 30. *cap.* 4. *in Geſtis An* 370. & 374. Meminit eius & Gregorius Nazianzenus *in monod. in Baſilium* ſiu. *orat.* 20. *num.* 72. 73. *pag.* 348. 349 *Edit. Oper. Colonienſ. ſiu.* Lipſ. *apud Weidmann.* Idacius *An.* 369. vbi *Domitium Modeſtum* vocat. De eo plene in *Proſop. ID.*

(c) Curiales ſcil. *ID.*

(d) Officia Curialia declinantes. *ID.*

(e) *Solitudines:* vid. & *l.* 1. *inf. de Monach. ID.*

(f) *Sub ſpecie,* Cod. I, *ID.*

(g) *Μονάζοντων.* Ita paſſim *μονάζοντες,* etiam apud Chryſoſtomum, & Baſilium, vel *epiſt.* 383. *ſiu.* 23. *Edit. Benedictin.* Quod in *Monachorum* vocem male mutatur. Riſi, cum vidi ſcribentem nuper, Monazonton hic eſſe locum, in quo ſolitarie viuunt Monachi. *ID.*

(h) Omiſſa hæc, *intra Ægyptum,* velut hiſtorica, in *Cod. Iuſt. ID.*

(i) Et hæc eadem ratione ibidem omiſſa, *per Comitem Orientis. ID.*

(k) *Mandamus,* Cod. Iuſt. eadem ratione: ſic *infra,* Cenſuimus, *ID.*

† An huius ipſius ſanctionis, an vero alterius cuiuſdam quæ hanc præceſſerat? Iſtud puto: argumento vocis *mandauimus,* & *cenſuimus:* Certe non hic intelligi poteſt *lex* 59. *ſupr.* quod quidam cenſent: cum *ea* Valentinianum, non Valentem, vt *hæc*, auctorem habeat; ac præterea eſt ea de clericis; non de Monachis, *ID.*

(l) *Beryti* hæc, vt plures aliæ, propoſita: de cuius rei ratione mox. *ID.*

(m) Ad quem Valentiniani & Valentis Conſulatum hoc referendum ſit: cum nullus additus ſit, mox inquiram, *ID.*

COMMENTARIVS.

VALENTIS Imperatoris quinque *hoc titulo* conſtitutiones ſequuntur, de Decurionibus; etſi non continua ſerie: his enim Valentinianeæ nonnullæ, ſeruata ſcilicet annorum ſerie immixtæ ſunt. Ex iis vero apparet, quis tum in Oriente Curialium ſtatus fuerit, quis contra erga eas Valentis animus.

Hæc prima omnium, Valentis, (non Valentiniani etiam vt quidam allegant) conſtitutio, (vt apparet ex *Ægypti* & *Orientis* in *ipſa leg.* mentio, in Inſcriptione *Modeſto PP.* in Subſcriptione *Beryti:*) omnium quoque celebratiſſima eſt, & controuerſa maxime. Certe, ante *huius* potiſſimum *Codicis* editionem varias & ioculares Interpretationes nacta fuerat, quas ne memorare quidem libet. Eſt vero ea de MONACHISMO: & in ſummam ea definit Valens Imp. non poſſe omnino Curialem conditionem Monachismo euitari: ſed ſi qui e Curialibus ad monaſticam vitam ſeſe contulerint, erui eos oportere: & ad alterutrum adigendos, vel inquam ad Curiæ munia ſubeunde, vel bonis ſuis cedere oportere his, qui loco ſuo patriæ Curiæque munera ſubituri ſunt.

Hæc aperta eſt *huius l.* ſententia, quæ Valentem Imp. vt dixi auctorem habet, quamque Theodoſius Iun. 70. ferme poſt annis poſt eum, Iuſtinianus centum ſexaginta ferme poſt, velut ſibi quoque probatam, *Codicibus ſuis* inſeri voluere: & Iuſtinianus quidem, velut generalem & perpetui iuris, detractis vel mutatis ideo, quæ hiſtoricam & localem tantum non facere videbantur, iis tribus inquam, quæ *in Notis* iam ſignauimus. p. 410.

Nos, vt iuſtam *huius leg.* interpretationem præſtare poſſimus, ſingularia quædam prius, & quidem hiſtorica in ea ſectabimur, quæ apud Interpretes *Codicis Iuſtinianei* intacta ſunt: mox, quæ aduerſus eam dicuntur, & retro, quæ pro eius defenſione dici poſſunt, expenſuri.

Primo igitur notandum inſcribi *hanc leg. Modeſto PP.* de quo Modeſto PP. cum plene ſemel egerim *in Proſopographia*, tria tantum ad rem hic monenda ſunt. Primo hunc eſſe illum Modeſtum PP. (Orientis ſcil.) cui cum Baſilio, magno monaſticæ vitæ Patre & Præcone, res aliquando fuit, mox tamen amicitia coaluit, literæque adeo inter eos inuicem commearunt, vti liquet ex Baſilii ad eum *epiſtolis pluribus*.

Secundo notandum, hunc eſſe Modeſtum PP. cui Valens nonnulla in hoc aduerſus Eccleſias Catholicas, & Eccleſiaſticos, Monachosque bello, delegauit; & exequenda mandauit: vt videre eſt apud Theodoretum, *lib. 4. cap. 16.* Socratem *lib. 4. c. 16. & 18.*

Tertio de hoc ipſo Modeſto PP. obſeruandum, ad eundem tres alias e quinque eiusdem Valentis Imp. conſtitutionib. *hoc ipſo titulo*, in hoc ipſo de *Decurionibus*, argumento, occurrere; puta A. D. 371 *l. 74. & 76.* & A D 375. *l 79. h. t.* Vnde, ex his inquam quatuor *legibus* ad Modeſtum PP. datis, colligere eſt, quo quantoque ſtudio Modeſtus hic Curiarum commodis cautum voluerit: ſunt enim hæ *leges* ad eius ſuggeſtionem proculdubio datæ: Et hæc de Modeſto PP.

Quarto, notandum, hanc quoque inter alias fugiendæ euitandæque Curiæ rationes miſeros Curiales hac ætate adinueniſſe, vt ad monachiſmum concederent, quaſi ea re maxime tuti futuri, & latituri. Qua de re non alius nunc mihi occurrit locus. Videatur & de his ſenſiſſe Libanius *ep inter Regias 604. & in Edit. Cl. Wolfii 603* ad *Celſum Rectorem Ciliciæ*, vbi ob reductos ad Curias ſuas decuriones eum laudans ait: τοὺς μὲν ἐκ τῶν ὀρῶν κατήγαγες, τοὺς δὲ ὑπὸ κλίνας κρυπτομένους ἄπεισας, ὡς ἐπὶ κέρδος τὸ λειτουργεῖν ἐκπηδᾶν: *alios quidem ex montibus reduxiſti, alios vero, ſub lectis latitantes, adduxiſti, vt ad publica munera, tanquam ad lucrum proſilirent.* In montibus enim ferme Monachi degebant: v. quæ paſſim occurrunt de monachis in montibus ad Antiochiam.

Quinto notandum, pertinere *hanc leg.* ad Monachos *Ægypti:* cuius rei memoriam Tribonianus in *Codice ſuo* obliterauit: ex *hoc* vero *Codice* Docti Viri ſuppleuere. Scilicet, vt in Ægypto primi, ita & frequentiſſimi hoc æuo Monachi fuere: Quam in rem videndus inſignis Gregorii Nazianzeni locus, *Orat. 21. in Athanaſium, p. 384. Edit. Lipſ ſiu. Colon. apud Weidm.* Baſilius, *non vno loco*: Auctor vitæ Apollonii, *Quanti*, inquit, *populi habentur in vrbibus* (Ægypti) *tanta pene habentur in deſertis multitudines Monachorum.* Legantur & Vitæ *Patrum* hanc in rem, Palladii inter hos *Lauſiaca*: Imo & pagani huius æui Scriptores, Eunapius etiam, *in V. Ædeſii, p. 78. 81. Edit. Commelin.* Ac nominatim hac Valentis tempeſtate cumprimis celebres, maximaque copia, fuere Monachi, de quibus adeo Luzianæ ſub Valente hoc ipſo tempore in Monachos perſecutionis occaſione, expreſſis capitibus prolixe agunt Scriptores Eccleſiaſtici; Rufinus, *lib. 2 c. 3. & 4.* Socrates *lib. 4. c. 22. 23.* Theodoretus, *lib. 4. c. 19. 24. 25. 26.* Sozomenus, *lib. 6. c. 27. 28. 29. 30.* Hi vero μονάζοντες in Ægypto per ſolitudines & ſecreta diuiſi erant, ſingulis ſuas domunculas, cellas σποράδην habentibus: vnde certo tempore congregabantur cœtus μοναζόντων, vt hæc *lex* aperte teſtatur, & hiſtoriæ Eccl. Scriptores hoc æuo ſub Valente, in his Sozomen. *lib 6. c. 31.* Atque hi *Anachoretæ* dicti.

Sexto notetur, quod & ipſum omiſſum in *C. Iuſt.* iuberi *h. l.* Monachos e Curialibus intra Ægyptum deprehenſos, per *Comitem Orientis* (de quo vid. *Notitiam noſtram Dignitatum*) manu ſc. militari erui: quomodo & alias Iudiciali officio ſuffragante, retrahi ab Eccleſia Curiales ad priſtinam ſortem & Curiam, *l. 49. in fin ſup.* vigore & ſolertia Iudicantum: *l. 3. ſup. de his qui ad Eccleſ.* An igitur Comes Orientis in Ægypto quoque rem militarem accurauit? Minime. Putet quis hanc extraordinariam, vt loquuntur, *commiſſionem*, ſeu delegationem datam Comiti Orientis a Valente, rem militarem in Oriente, & quidem in Syria Phœnice quoque (vbi Propoſita hæc *lex*) adminiſtranti: velut in proximo conſtituto; cum alioquin Dux Ægypti, ϛρατηγὸς (cuiusmodi Dux Ægypti ſub eodem Valente memoratur, *l. 5. de Legatis*;) & ipſe in Aegypto cum manu militari eſſet, idemque non in Athanaſii tantum, ſed & in hoc ipſo contra Monachos negotio operam nauarit: vt teſtatur Socrates *lib. 4. cap. 24.* & Sozomenus *lib 6. c. 12.* vbi male Interpres τῶν τῇδε ϛρατευμάτων ἡγεμόνα, vertit, *Præfectum præſidiariorum militum.* Id quod factum fuerit, quia Curiales, in quos hæc *lex* lata eſt, in proximam Ægyptum, vt eo melius latere poſſent, ad Monachorum ſeſe cœtus contulerant, quos proinde Comes Orientis, velut notiores ſibi ſuisque, facilius internoſcere, eruere, reducere, *vigore & ſolertia ſua* (vt hac in re loquitur *d. lex 3. ſup. de his qui ad Eccleſ. conf.*) poſſet: in tanta præſertim monachorum per Ægyptum multitudine, validaque manu, quam vt antea dixi, deſcribunt Eccleſiaſticæ hiſtoriæ Scriptores: per Ægyptum, inquam, ne quid nunc dicam de ſimilibus Monachorum in Syria, & prope Antiochiam drungis, de quibus præter Eccleſiaſticos Scriptores, Libanius Antiochenus, aliique. Hæc inquam ita de Comite illo Orientis accipi hic poſſe videantur. Et tamen re penitius adhuc perpenſa, putem ego potius hic indicari *Comitem Largitionum Comitatenſium, Orientis ſimul & Ægypti:* qui male in Notitia Imperii *fol. 49. Comes Commerciorum per Orientem & Ægyptum* vocatur: nam pro Comitatenſium, quomodo a Comite, Officiales Comitis Orientis, *Comitiani* dicti *l. 18. ſup. de cohortalib.* ita Comitatiani, a Comitatu: *Comitatianorum* porro, id eſt largitionum Comitatenſium, per Orientem & Ægyptum, nam & ita Comites Italicanorum & Gallicanorum dicuntur, *l. vn ſup. de Conſularib. & Præſidib.* & in *Notitia Imperii:* vt ita hic omnino intelligendus videatur, *Magnus* ille ipſe, Comitatenſium Largitionum Comes, quo ſatellite præcipuo vſus in hac ipſa contra Catholicos & Monachos perſecutione Valens Imp. qui idem antea ſub Iuliano Imp. Eccleſiam Berythi (vbi hæc quoque *lex* propoſita dicitur) incenderat, mox Iouiano imperante ſuis expenſis inſtaurare coactus fuerat, vti memorant *hiſtoriæ Eccleſiaſticæ* Scriptores: Socrates, *lib 4. c. 21.* Theodoretus, *lib. 4. cap. 19.* Sozomenus, *lib. 6. c. 19.*

c. 18. In quibus Theodoretus, vel potius Petrus Ep. Alexandrinus Catholicus, apud eum *in epiſtola ſua*, eum Κομητατησίων λαργιτιόνων κόμητα vocat: Interpres male vertit *Comitem prouincialium largitionum:* Socrates, τὸν ἐπὶ τῶν βασιλικῶν θησαυρῶν, So-
P. 411. xomenus, ταμίαν τῶν θησαυρῶν, Interpres apud vtrumque, *Quaeſtorem* male vertit. Proinde *Comes Orientis* cui Valens Imp. *hac l.* negotii huius in eruendis per Ægyptum Monachis executionem committit, non fuerit ille, qui alias *Comes Orientis* dicitur, nempe Vir ſpectabilis, qui cum Præfecto Auguſtali ſeu Ægypti pari paſſu ambulabat, imo qui ordine, potior iſto erat, vt ex *Notitia Imperii fol. 71.* diſcere licet, & *l 3. de Primiceriis: l vlt. de Princip. agent. in reb.* Verum Comes largitionum Comitatenſium, Orientis ſimul & Ægypti, vtrique enim Diœceſi præfuiſſe eum, teſtatur *Notitia Imperii fol. 49.*

Huic proinde Comiti recte Valens huius negotii executionem commiſerit, vtpote cum non minus Ægypti, quam Orientis largitionibus Comitatenſibus præeſſet: & ſic intra Diœceſim ſuam: Quomodo & *Madeſto PP.* hoc idem negotium Valens commiſit (ſub cuius diſpoſitione erat quoque Ægyptus & Oriens,) vt ex *hac l.* ad eum ideo directa diſcere licet, & ex ſcriptoribus Eccleſiaſticis, vt iam ante monui: imo & tertio quoque, puta Præfecto Ægypti: vt fidem faciunt iidem Socrates *lib 4. c 21 22.* Theodoret. *lib 4. c. 19. & 25.* Sozomen. *lib. 6. c. 19 in fin. & 20. in pr.* de quo & Gregor. Nazianz. *orat in Heronem 23. pag. 417. Edit. Lipſ. VVeidm.* Et certe, quod & ipſum apprime congruit *huic l.* idem Petrus Alexandrinus *epiſtola ſua*, de qua *ſup* memorat, potiſſimam partem eorum, in quo a Magno iſto Comite ſæuitum fuit, fuiſſe *Monazontas:* οἱ πλείους γὰρ ἦσαν μονάζοντες ἔρημον οἰκοῦντες δι' ἄσκησιν. Sic omnia congruunt.

Septimo ſtabiliendus nobis venit characteriſmus temporis, ſeu Conſulatus *huic legi* ſubſcriptus, tum cauſis aliis, tum vt ita hæc conſtitutio ad ſuum annum in Annales Eccleſiaſticos referatur. Dicitur ergo hæc *lex* Propoſita Beryti *Valentiniano & Valente COSS.* Non adſcripto numero Conſulatus, quem vna quater geſſere Valentinianos & Valens: puta A. D. 365. 368. 370. 373. Et videatur cui ideo hæc *lex*, quod etiam hactenus creditur, atque ita credidit *Chronologiæ Theodoſianæ* Auctor, & Baronius, referenda ad Valentinianum & Valentem primum Coss. id eſt ad A. D. 365. ſic enim ſæpe abſolute, numero Conſulatus non addito, hic Annus deſignari ſolet. Verum huic renititur non vna ratio. Primo quidem, *Modeſti PP.* nomen in Inſcriptione *huius leg.* & ad quem *lex* hæc data eſt: Hic enim, quod ex *huius Codicis* conſtitutionibus diſcimus, poſt Auxonium demum, id eſt poſt A. D. 369. (eo quippe adhuc Anno Auxonius PP. Orientis erat:) vt & poſt pacem cum Gothis factam, teſte Zoſimo, *lib. 4. cap. 11.* Orientis Præfectus Prætorio factus eſt: eamque Præfecturam diuturno imperio ad annum vſque 378. tenuit. Secundo renititur & iſtud, quod Valens Imp. nondum inter initia Imperii, Anno. D. 364. & 365. Monachis & Ægyptiis aduerſum ſe oſtendit: quamdiu ſcilicet Athanaſius vixit, qui vtique deuixit A. D. 372. quod *hiſtoriæ Eccleſ.* Scriptores teſtantur. (a) Quare referenda hæc *lex* ad *Valentinianum & Valentem IV. COSS.* id eſt ad A. D. 373. qui quidem temporis characteriſmus biennio tantum anteuertit Annum, ad quem adnotata in Proſperi Aquitanici *Chronico* Valentis illa, de quo mox, *vt Monachi militarent.* Simili ſane etiam argumento *legem 39. infra de Epiſcopis:* quæ eidem Modeſto inſcribitur, ad verum conſulatum ſuum retraxi. Ergo referenda hæc *lex* ad Annum 373. cum ante octo menſes ferme anno ſuperiore 372. Athanaſius Ep. Alexandrinus obiiſſet (etſi ex Socratis ſententia A. 371.) cui a Catholicis *Petrus*, ab Arianis *Lucius* in ſede Alexandrina ſubſtitutus fuit: qui quidem Lucius, & vna cum ipſo Valens Imp. tempeſtatem illam Alexandriæ & in Ægypto in Catholicos & Monachos, velut ſolutis iam repagulis excitauere. Et certe diſerte Scriptores Eccleſiaſtici hanc in Monachos perſecutionem poſt Athanaſii mortem ſeu Annum 372. memorant.

His ita firmatis & præcognitis, de iſta *Valentis* conſtitutione videamus: quam quidem velut Catholicæ pietati aduerſam & Monaſticam vitam ſubuertentem multi proſcribunt, atque ea re non Valentem modo, Catholicæ Religionis alias infeſtiſſimum hoſtem, inſectantur, verum etiam Iuſtiniano & Triboniano, abſurdæ vt aiunt impietatis homini atheoque, dicam (quæ tamen his cum Theodoſio Iun. *huius Codicis* Auctore communis eſſe debuit) ſcribunt: Alii Interpretationibus quibusdam non recte emolliunt: Omnes diuerſam faciunt ab *ea* Valentis *lege*, quam memorant Hiſtorici, qua Monachi militare iuſſi coactique ſunt: Iniquitatis inquam hanc *legem* arguunt plerique, quæ tamen recte intellecta, ſuoque fini aptata, in ſe nullam meretur reprehenſionem: imo *conſulta* omnino *præceptio* eſt, vt *hac ipſa leg.* Valens eam vocat: ſi modo meminerimus, in quos ea lata fuerit: Non in Monachos ſcilicet in vniuerſum hæc *lex* ſcripta eſt, vt ad Curiam omnes retraherentur: quomodo apud Baſilium *epiſt. 264. ſiu. 237. num. 2. Edit Benedictin.* Vicarius quidam (Ponticæ ſcilicet) dicitur omnes Sacerdotalis Ordinis vna voce Curiæ mancipaſſe, πάντας μιᾷ φωνῇ τοὺς ἱερατικοὺς τῆς ἐν Καισαρείᾳ ἐκκλησίας παρέδωκε τῇ βουλῇ, vt cæteroquin Monachis Valens pertinaciter his infenſus odium indixerat, velut Catholicæ & Orthodoxæ fidei defenſoribus potiſſimis, & Pagani quoque Scriptores certatim, & in his Zoſimus, *libr. 5. cap. 23.* vbi ipſe Monachos in vniuerſum ait, οὔτε πρὸς πόλεμον, οὔτε πρὸς ἄλλην τινὰ χρείαν ἀναγκαίους: *neque ad bellum, neque alium reipubl. neceſſarium vſum idoneos.* Verum in Decuriones tantum, qui *deſertis* Curiæ patriæque ſuæ *muneribus*, atque in fraudem munerum ciuilium ad monaſticam ſeſe vitam in Ægypto contulerant: Quos & ideo, non propter monaſticam vitam, quaſi deſides fucosque, vt quidam male interpretantur, verum propter fugam munerum ciuilium & curialium patriæque, *ignauiæ ſectatores hac leg.*

(a) Vid. ANTON. PAGIVM *in Crit. ad Annal. Baron. ad an. 372. num.* 9. 10. qui Athanaſii mortem ad annum ſequentem 373. refert.

leg. vocat, ob deſerta videlicet ciuitatum munera: quia vt loquitur Libanius *in Iulian. necem Orat. funeb. p. 327. Edit. Morell.* τὴν δικαιοτάτην θεραπείαν ὑπὲρ τῶν πατρίδων ἀποδράντες, τὴν ἄδικον ἐλευθερίαν ἐδίωξαν, id eſt: *quia iuſtiſſimum miniſterium patriis* (ſuis) *dedignantes* Libertatem *ſeu immunitatem iniuſtam captarunt.* *Ignauia* hæc eſt, ἀπραγμοσύνη, vt Gregorius Nazianzenus de fictis Monachis ait, *carmine in eos ſcripto*, εἰς ἐπιπλάστους μονάζοντας *pag. 138. Tom. II. Oper. Edit. Lipſ. Weidm.* cum quis publicæ rei ac maxime peculiari vinculo nexuque perſonæ nexus, cui gnauiter ſtrenueque operam datam oportuit (nam & gnauus ſeu nauus eſt ἔμπρακτος) nequicquam commodat, ſed vt eam fruſtretur alio ſeſe confert, quocumque tandem obtentu, etſi probabilis cæteroquin ea profeſſio ſit. Alio vero ſenſu deſidiæ deditus dicitur in *l. 25. §. 1. D. de probation.* qui ſcilicet rei priuatæ ſuæ incurioſus, in re ſua negligens. Nam quod de Monachis pariter id Græci explicant, inane eſt. Non igitur *hac leg.* Mona-
P. 412. chismum *ignauia* nomine perſtringit, non Monazonton cœtus; verum eos tantum exinde erui, abduci, qui *ſpecie Religionis*, vt diſerte ait, ſeu obtentu Religioſæ profeſſionis, ciuitatum munera deſerebant, quibus peculiari perſonæ vinculo nexi erant, vt erant Curiales, quod ex *hoc titulo* pleniſſime diſcere eſt. Quod etiam Accurſius ex parte vidit. Neque dubito de his quoque ſenſiſſe Libanium Chriſtiani Nominis & Monachorum oſorem, cum *Orat. in Iuliani Imp. necem, p. 296. Edit. Morell.* cauſas, ex quibus Curiæ ſub Conſtantio vacuatæ fuerant, recenſens, & vitæ genera, ad quæ multi tranſierant, veluti Militiam, Senatoriam dignitatem, hanc quoque addidit, καὶ οἱ μὲν ἐκάθευδόν τε καὶ ἐχαρίζοντο τῷ σώματι: *cum quidam ſopori dediti iacerent, & corpori indulgerent.* Falſa igitur eſt eorum opinio, qui de omnibus Monachis indiſcretim hanc *leg.* accipiunt: ſimili errore, quo doctiſſimi Viri, & in his quoque Bertrius, *Pithanon diatrib. 1. cap. 10. pag. 848. Tom. IV. Theſ. Iur.* Clericos a Iuliano Imp. ad Curiam damnatos ſeu Curiis mancipatos pœnæ loco tradunt, cum tamen is ex Curialibus tantum Clericos factos, ad Curiam ſuam reuocari iuſſerit *leg. 50. ſupr. hoc titul.* ſimili rurſum errore, quo Ambroſii locum *epiſtol. 29.* eodem referunt; ad morem, inquam, alicuius pœnæ loco in Curiam dandi, ſeu damnandi; cum tamen is pariter ſit de Epiſcopis ex Curiali genere Curiæ reddendis. Verum de hoc plenius ad *l. 66. & 105. infr.*

Ad rem. Hæc cum ita ſint, non magis proinde reprehendi hæc *lex* poteſt, quam tot aliæ Principum Catholicorum etiam de Decurionibus, qui ad clericatum ſeſe contulerant, eorumque bonis ſimiliter ad Curiam reuocandis, quas quindecim numero in vnum collectas habes *in Paratitlo huius tituli:* vide præter alias eiuſdem Valentis, ad eundem Modeſtum PP. *legem 19. de Epiſcopis:* quæ referenda eſt ad An. D. 370. Eadem ratione Principum conſtitutionibus reuocati Militares viri ad militiam Armatam, qui ad Clericatum confugerant: vbi inter alias notanda, quam etiam notarunt alii iam, Honorii Imp. Orthodoxi *lex 12. ſup. de Veteranis: Et quoniam plurimos*, inquit, *vel ante militiam, vel poſt inchoatam vel peractam, latere* Obiectu Piæ Religionis (*ſpecie Religionis*, dixit Valens *hac l.*) *agnouimus: dum ſe quidam vocabulo Clericorum & infauſtis defunctorum obſequiis occupatos*, (*Copiatas* intelligit) *non tam obſeruatione cultus, quam* Otii Et Socordiæ Amore (*Ignauiæ ſectatores* dixit hic Valens) *defendunt, nulli omnino tali excuſari obiectione permittimus, niſi qui aut fractus ſenio, aut membris debilis, aut paruitate deformis indignus conſortio virorum fortium* (id eſt militarium) *reperitur.*

Eadem ratio, vel certe haud abſimilis, in Valentiniani *Lege*, ſed in Pſeudo philoſophis pariter ad Curiam reuocandis, *l. 7. infr. de Medicis & Profeſſorib.* (quæ & ipſa indita Codici Iuſtin. *l. 8. Cod. Iuſt. eod. tit.*) *Turpe enim eſt, vt* Patriæ Functiones *ferre non poſſint, qui etiam fortunæ vim ſe ferre profitentur.* Ad eundem quoque finem collineare videbitur Imp. Mauricii *lex*, de qua Gregorius M. *lib. 2. Regiſtr. ep. 100 & 103. Vt nullus qui actum publicum egit, qui officio vel manu ſignatus, vel inter milites fuit habitus, ei in monaſterio conuerti liceret, niſi forte ſi militia eius fuerit expleta.* Verum, cur ea Gregorio tum diſplicuerit, docent eius *epiſtolæ*.

Atque ita quidem retundendi ſunt variorum impetus aduerſus *hanc leg.* eiusque Auctorem, ſimul & eius approbatores Iuſtinianum & Tribonianum: Nam qui aliter eam vindicare nituntur, næ illi largiter falluntur.

Alciati primum inane ſuffugium eſt, qui cenſebat hanc *legem* in *Codicem Iuſtinianeum* relatam, aliam interpretationem accipere poſſe, quam cum Valens eam tulit: Non eo inquam hic confugiendum eſt, etſi verum ſit alias ſæpe ad hoc arcanum ſeu κρύφιον confugi oportere, alioque ſæpe ſenſu poſitas conſtitutiones in *Codice Iuſtinianeo*, quam in *hoc Codice*; quandoquidem tam planus tam apertus & perſpicuus eſt *huius leg.* ſenſus, neque ipſa probabilis, vt alio nouoque ſenſu eam donari nil opus ſit.

Neque Amayæ fulmenta pleraque placere debent, ad ſubmouendam ab *hac l.* inuidiam & reprehenſionem, etſi ipſe interea *legem* illam, qua Valens dicitur ſtatuiſſe, *vt Monachi militarent*, velut improbam iniquitatis arguat. Inter cætera ait, hanc legem quoque Auctorem habere Valentinianum fratrem Valentis Catholicum Imp. (quomodo etiam deinceps *hanc leg.* de vtriusque nomine deſignat) quem credendum non eſt, in re tam nefaria & abominanda voluiſſe fratri hæretico conſentire. Verum id erroneum eſt. Valentiniani quippe nomen *huic legi* inſcribitur, non tanquam in eam conſentientis, neque quod huic quoque ea accepto ferenda ſit, verum pro more tum accepto, quod Valentis in Imperio collega eſſet.

Eſt & eiusdem aliud argumentum deſumptum ex temporum ratione, nempe quod hæc *lex* lata ſit Valentiniano adhue ſuperſtite, altera vero & nefaria *lex, vt Monachi militarent*, poſt eius mortem, vt ex Hieronymi, ſi Deo placet, *Chronico*, & Oroſio, Pauloque Diacono & Iornande liquet. Verum paulo poſt oſtendetur, non aliam eſſe *legem* illam ab *hac* noſtra,

Ihane

Inane eſt & tertium eiusdem poſt alios Interpretes ſuffugium, cum ait, hanc *legem* non eſſe de veris monachis, ſed de pſeudomonachis, hypocritis, habitu tantum monachis, non vita; imo qui vita ſua monaſticam dehoneſtabant, qui ficto quæſitoque Religionis colore, ſegnitiei tantum cauſa dolo & fraude, falſo & furtiue Monachorum cœtui ſeſe adiungebant. Nam imo, vt iam antea oſtendi, verba *huius leg.* non pſeudomonachos reſpiciunt aut perſtringunt, in quos ſane eſt Gregorii Nazianzeni carmen illud, *εἰς ἐπιπλάςως μονάζοντας*, & huius generis Valentiniani conſtitutio in Pſeudophiloſophos, quam antea memorabamus, verum in Curiales qui reuera, non ficte Monachiſmo ſeſe & Monazontum cœtibus addiderant, deſertis patriæ muneribus, quamlibet integra probabilique profeſſione, attamen reuera in fraudem patriæ & Curiarum, quas integras haberi ſeruarique publice, non vero deſeri, vt hoc æuo ferme fiebat, non vna occaſione vel cauſa, intererat. Neque quidquam iuuat eum vox *captandi*, ibi, *captant ſolitudines ac ſecreta:* Ea enim vox hic vſurpatur de iis, qui alienum quid a conditione & profeſſione ſua appetunt, & affectant, ſectantur, (quomodo Libanius ſuperiore *loco*, *διώκοντας*,) & ad aliud vitæ genus tranſeunt: vti neque iuuant illa, *ſub ſpecie religionis:* neque enim illis verbis color tantum, & inanis obtentus ſimulatæ fictæque Religionis indicatur; ſed verus monaſticæ Profeſſionis obtentus, verus affectus: vt loquitur *lex 43 ſupr.* & vt in Honorii lege, de qua ſupra, *obiectum piæ religionis:* quo obiecto, qua ſpecie oppoſita, retrahi ſeſe ad Curias amplius
P.413. non poſſe ſibi perſuadebant. Idem addit, eo quoque probari, non agi hic de veris Monachis, verum de falſis fictis, quandoquidem veri Monachi nulla bona haberent, vt ex iure Iuſtinianeo nouiſſimo pateſcit, quæ tamen Monachis illis *hac l.* tribuuntur. Verum recte, etiam veris Monachis, & hoc quidem caſu, bona tribuuntur, vtpote quæ Curiam deſerentes ſibi retinebant ſolitudinibus captatis, retentisque *familiarium rerum inlecebris*, vt *hac l.* dicitur. Olimque, vt recte Cuiacius hic, Monachi capite minuti non cenſebantur, quin bona propria & teſtamenti factionem retinebant *l. 13. Cod. Iuſt. de ſacroſ. Eccl.* Et quid fiet alioquin hoc æuo *Legi vnica*, imo *titulo*, *ſupr. de bonis Clericorum*, & *Monachorum:* vbi palam agitur, de verorum ni fallor Monachorum bonis, eorum teſtamentis, & ſucceſſoribus? Quid fiet Baſilii *ep. 304. ſiu. 284. Edit. Benedictin.* *Κηνσίτορι περὶ μοναζόντων, ὥστε τῶν ἀυτοὺς συντελειῶν διαφεῖναι*: *ad cenſitorem, cauſa monachorum, vt ipſis tributa dimittantur*, ſi Monachi nulla bona haberent? Et addit tamen idem Amaya hanc rationem, quod *lex* hæc nihil de Militia ſtatuat. Verum & hæc *lex* eſt de militia Curiali, mox vt oſtendam. Reiicienda quoque cum Amaya *n. 15.* opinio Ceualli, qui exiſtimabat, Valentem voluiſſe *hac l.* Religionum multitudinem cohibere, eamque etiam videri Accurſii ſententiam. Neque enim Religionum multitudo hic cohibetur, quæ tum nondum talis erat, vt hodie; qua cauſa Romanum Pontificem ad eam cohibendam multi deinceps ſubinde hortati ſunt; videndum eſt quoque ea de re concilium Lateranenſe quod habitum ſub Innocentio III. quo fibula ei rei impoſita. Verum Religioſorum tantum ſeu Monachorum factum, in fraudem patriæ munerumque Curialium.

Sed iam tempus eſt, vt de illa Valentis *lege* dicam, qua Monachi iuſſi coactique ſunt militare, quæ hactenus alia ab *hac l.* creditur: & in quam vulgo transfertur inuidia omnis, quæ Valenti impingitur. Memorant equidem eam *legem* atque ita exprimunt Oroſius (& hic quidem primus omnium) *lib. 7. c. 33.* Proſper Aquitanicus *in Chronico*, poſt Hieronymi *Chronicon:* nam Hieronymo id falſo tribuitur. Paulus Diaconus, *lib. 12. p. 83. T. I. Script. Rer. Ital.* Iornandes *de regn. ſucceſſ. p. 238. T. eod. Script. Rer. Ital.* Verum altum de *illa l.* ſilentium apud *hiſtoriæ Eccleſiaſticæ* Scriptores omnes, contra quam quidam ſcripſere, etſi memorent illi Tribunos militesque ſubmiſſos in Monachos, & Monaſteriis eos eductos, cruciatos, interemptos: Etſi Socrates quoque *lib. 4. c. 21.* ſtatim poſt mortem Athanaſii Anno ſuperiore 372. memorat Edictum ſeu mandatum Valentis ad Palladium Præfectum Alexandrinum, vt copiis militaribus Euzoii inſtituto inſeruiretur in Lucio firmando in Epiſcopatu, contra in Petro deturbando: Etſi multa iidem ex profeſſo narrent, de perſecutione in Monachos ſub Valente, & quidem in Monachos Ægypti: Etſi idem quoque Socrates, *lib. 4. cap. 21.* & 22. Sozomenus *lib. 6. c. 19.* memoret Valentis *πρόσταγμα*, non diu poſt ſuperius illud, vt omnes qui fidem *Conſubſtantialitatis* tenebant, non Alexandria ſolum, verum ex vniuerſa etiam Ægypto penitus expellerentur, & ſic perſecutionem in eos qui Alexandriam & Ægyptum incolerent excitatam: Sic vt Præfecto Ægypti quoque imperatum fuerit: vt cum ingentibus copiis omnes vbique perſequeretur, quos Lucius indicaret. Etſi idem quoque addat, eodem tempore Monaſteria in ſolitudine (quomodo in *hac leg. ſolitudines* memorantur,) diuexata & expugnata. Quare, vt quod ſentio dicam, nulla alia mihi videtur in Monachos ab hac diuerſa de adigendis ad militiam Monachis conſtitutio a Valente promulgata: verum id ipſum eſſe quod *hac leg.* ſancitur. Nempe, vt *militiæ*, & *militandi* *στρατείας καὶ στρατεύεσθαι* voce, hoc æuo deſignabantur quæcunque tandem officia, muniaque publica: vnde Militia non tantum Armata, ſed etiam Togata Palatina, Officialium, Aduocatorum militia, *λειτουργία*, tandem omne publicum miniſterium, atque adeo Municipalia quoque ſeu Curialia officia muniaque pro patria. Sic inter alia Libanius de quodam Curiali agens, Legatione apud Imp. fungente pro Cyro Syriæ ciuitate, *epiſt. inter Regias 979. & in Edit. Cl. Wolfii 991.* *τιθέμενος ὑπὲρ τῆς πατρίδος τὰ ὅπλα*, quod vertit Cl. Wolfius: *ſed & arma patriæ cauſa poſuit.* Sed & *ſtipendia* patriæ emetiri dicti Curiales, *l. 57. ſupr. hoc tit.* Etſi alias Curiales Militaribus opponantur. Inde igitur iam error ex huius vocis homonymia, quaſi Monachi a Valente militare iuſſi fuerint, & quidem in Militia Armata, eoque adacti, & quidem indiſcretim; cum tamen Valens nonniſi Monachos ex Curialibus ad *Militiam Curialem* retrahi iuſſerit, quæ *huius leg.* eſt ſententia. Certe Oroſii quoque verba, qui primus illius *legis* meminit, hic non prætermittenda ſunt: *Valens*, inquit, *velut effrenatæ libertatis audacia,*

dacia, Legem dedit, vt Monachi, hoc eſt Chriſtiani, qui ad vnum fidei opus, DIMISSA SECVLARIVM RERVM MVLTIMODA ACTIONE *ſe redigunt, ad militiam cogerentur.* Et mox: *Huc Tribuni & milites miſſi, qui ſanctos & veros milites Dei alio nomine perſecutionis abſtraherent, interfecerunt ibi agmina multa Sanctorum.* Indeque breuius hæc Proſper, Diaconus, & Iornandes. Inde igitur quia in *hac noſtra* Valentis *lege* agitur, de *deſertis ciuitatum muneribus* a Monachis, & ſic vt Oroſius ait, de dimiſſa ab his ſecularium rerum actione: agiturque de his ad militiam (Curialem ſcil. adigendis, retrahendis, hinc enatus error, quaſi Valentis *Lege, Monachi militare*, in armata ſcil. militiã, *iuſſi fuerint.*

Quæ cum ita proculdubio ſint, ex his apparet neque Baronio adſentiendum, cum ait, Valentem *legi* ſuæ, qua Monachos militare iuſſit, & ad militiam adegit, Anno ſcil. 375. vt ipſe vult, *hac l. noſtra* præluſiſſe. Neque me contra etiam illud mouet, quod Valentiniano demum mortuo, *legem* hanc qua Monachi militare iuſſi dicuntur, a Valente latam, Scriptores, quos ſuperius memoraui, dicant. Hic enim lapſus eorum eſt, metachroniſmo tantum biennii vel triennii. Maneat igitur, *hanc legem* noſtram, eandem eſſe cum *altera illa*, neque aliam ab *hac* quærendam. Maneat, vt eo redeam, *hanc legem* Iniqnitatis non recte arceſſi, quæ in ſe nihil iniquitatis continet: Etſi non negarim, Valentem hac quoque inter alias ratione, Lucii Ariani pſeudoepiſcopi Alexandrini ſuaſu, hortatuque Orthodoxia & Monachis infeſtiſſimi (de quo vid. Socratem *lib. 4 c. 21. 22.* Sozomenum *lib. 6. cap. 19.*) Monachos vexare, turbareue voluiſſe, vti ſæpe euenit, vt per ſe alioquin æquæ, *conſultaque præceptiones*, iniquitatis tamen ſpeciem continere videantur, prout tempora ſunt, & prout iniquus animus eſt eius, qui ea ſtatuit, & ſic *ἐκ περιστάσεως*: Indeque atrocius forte ea *lex* confoſſa, expreſſaque in Valentis odium.

Vt ad *Legis* noſtræ ſententiam redeamus; adeoque magis magiſque oſtendamus, quam minime noua ea ſeu iniqua ſit; de diſpoſitione eius agamus: Nempe, Valens Imp. neque ſimpliciter adhuc Curiales e monaſtica vita retrahi iubet, quomodo ſæpe alias Curiales e Clericatu abſtrahi abſolute Imperatores voluere: ſed ſub alternatiua, vel retrahi, vel bonis ſuis cedere oportere eis, qui vice eorum munera functionum ſubituri eſſent. Id vero ipſum de Cle-
P. 414 ricis frequentibus conſtitutionibus ſtatutum, vt videl. bonorum iacturam facerent; ſic vt (exceptis quandoque ſolis Epiſcopis) modo vice ſua Curialia munera ſubituris extraneis, vel propinquis, modo etiam Curiæ ipſi, modo in totum, modo pro parte, cedere neceſſe haberent; *de quo vid. *l. 49. 59. 99. 104. 121. 123. 163. 172. infr. hoc tit. l. 7 ſupr. de cohortalibus: leg. 21. infr. de Epiſcop.* vid. & Ambroſium *epiſt. 2. aduerſ. Symmachum, p. 325. Ed. Paris. 1604.* Et nota hac in re elegantem *leg. 104. infr.* vnde explicantur illa *huius leg.* verba, *mandauimus familiarium rerum carere inlecebris.*

De Clericis ſane retractis poſt multos annos queſtus iure Ambroſius *ep. 29. in fin.* Et ſane ſæpe itaquoque temporis & diuturnitatis hac in re rationem habuere Principes, vt fidem facit *d. l. 19. & 21. infr. de Epiſcop. l. 172. infr. hoc tit.* aliæque *Cod. Iuſtin.*

Alias, vt hunc Commentarium abſoluam, vt hæc *lex* probabilis eſt, ita politicum hoc ius & ſcemma ex ea quoque conficitur: *Ita religioſæ profeſſioni faueri, fauendumque, vt nec a re Reipublicæ fraus fiat, damnumque inferatur;* quæ pars non vltima eſt imperatoriæ prudentiæ & poteſtatis, Iudicumque adeo ab Imperatoribus conſtitutorum. Ad quod Scemma innumeræ aliæ *huius Codicis*, vt & *Iuſtinianei* conſtitutiones ſpectant. Tandem, quidquid *hac leg.* caueatur, vt ne Curiales, Monachi fiant; exempla tamen deinceps extitere complurima Curialium, qui ad Monaſticam vitam conceſſera: cuiusmodi exemplum eſt apud Syneſium *ep. 66.* Valentem *lege* lata in Monachos Ægyptios perſecutionem concitaſſe ſcribit, ſed non dicit quamnam? Verum ſecundo, vt quod res eſt, dicam: Mihi mens ea eſt, non aliam Valentis *legem* quærendam, quam hanc ipſam noſtram; quam acerbius illi inſectati ſunt, errore admiſſo, quod Valentem Imp. Monachos lege lata ad *militiam* cogi, ſeu *militare* iuſſiſſe volunt: cum ex Curialibus inter Monachos verſantes tantum ad patriæ *militiam* non ad Armatam, & munera Curialia ſubeunda; idque non pœnæ loco, ſed pro ſtatus ſui originalis ratione, reuocari eos iuſſerit: quod & ipſum *στρατείας* appellatione deſignatum, pariter vt *Militiæ* appellatione hoc æuo omne officium & obſequium publicum dictum eſt. Cui ſimilis eſt error eorum, etiam doctiſſimorum, & in his Philippi Berterii *p. 848. Th. Iur.* qui Clericos a Iuliano ad Curiam damnatos, ſeu Curiis mancipatos pœnæ loco tredunt, cum is tantum ex CurialibusClericos factos ad Curiam ſuam reuocari iuſſerit, neque aliud quidquam *l. 50. ſupr. hoc tit.* Geminus rurſum eſt error eorum, qui Ambroſii locum *ep. 29.* eodem referunt, ad morem inquam pœnæ loco Curiæ dandi alicuius, cum tamen locus ille pariter ſit de Epiſcopis Curiali genere, retrahendis Curiæque redditis. Tantum veritati obſtrepit in ſcriptore affectus, accedente etiam haud plena vel perfecta Hiſtoriæ, vel etiam Iuris cognitione. Vnde haud ſatis bona fide conſtitutiones multas etiam a Veteribus memorari, deprehendere licet, de quo alibi: Exemplo quoque ſit vel Iouiani lex, *de raptu* vel matrimonio ſanctimonialium.

Hæc cum ita ſint; ceſſent aliæ *huius leg.* Interpretationes: ceſſent retro deinceps iniquæ de hac Valentis ceu Ariani conſtitutione, velut Catholicæ pietati aduerſa, querelæ, quæ & æquitate ipſa ſeu vtilitate publica commendatur, & Iuſtiniano poſtea probata fuit, & exemplis Chriſtianiſſimorum Principum ſimilibus firmatur; ceſſent inquam querelæ aduerſus ipſum Iuſtinianum vel etiam Tribonianum, quod *hanc leg.* Codici ſuo inſeruit: Errorem quoque deinceps ſuum agnoſcant Scriptores, qui Valentem Monachos lege lata ad *militiam* adigi voluiſſe ſcribunt. Neque Baronio adſentior, qui ait, Valentem *legi* ſuæ, qua Monachos ait ad militiam adigi iuſſos, Anno ſcil. 375. præluſiſſe *hac leg.* Eſt enim vnica tantum *lex* Valentis ſuper eadem re, de militia inquam Curiali, & Monachis ad eam reuocandis. Errorem ſuum agnoſcant, qui *pœnæ loco*

loco Clericos a Iuliano Monachos a Valente Curiis traditos volunt: Verum de hoc plenius ad *leg. 65. infr.* & ad *leg. 66. infr.* Quanquam *Tripartitæ* Author prodit multos Epiſcopos ſub Valente Curiæ traditos.

Nunc poſtremo loco de characteriſmo temporis *huiuſce leg.* Huic ſane conſtitutioni ſubſcribuntur *Valentinianus & Valens AA. COSS.* neque tamen numerus Conſulatus eorum adnotatur. Quare videatur hæc *lex* data A. D. 365. quo primus iſtorum Impp. Conſulatus ita ferme deſignari ſolet, numero non addito: quod Amaya etiam credidit: Verum huic renituntur multa. Primo *Modeſti PP.* nomen in inſcriptione *legis*, qui ſane vt ex conſtitutionibus *huius Codicis* apparet, poſt Auxonium demum, id eſt, poſt A. D. 369. (eo quippe Anno adhuc Auxonius PP. Orientis erat:) PP. Orientis factus eſt, eamque Præfecturam diuturno Imperio tenuit ad Annum vsque 378. Secundo renititur & iſtud, quod Valens nondum Ann. 365. Monachis odium & bellum indixerat. Ergo *hæc lex* ad Valentinianum & Valentem III. AA. COSS. id eſt, ad Annum Domini 370. referenda eſt vel ad Valentem IV. AA. COSS. id eſt, ad A D. 373. Qui quidem temporis characteriſmus proxime accedit ad eum, quem adnotatum reperio *commentitiæ illi* Valentis *legi*, *Vt Monachi Militarent.* Simili certe argumento *legem 39. infr. de Epiſcopis*, eidem Modeſto PP. inſcriptam, ad verum Conſulatum ſuum reduxi.

MILITIA ARMATA *Curiales, eorumque liberi Curia quando liberentur vel non.*

LXIV. (a) Idem AA. Mauris Sitifenſibus. (b)

PRIVILEGIO militiæ paternæ (c) ſe non vindicet, (d) quem auitus (e) Curiæ nexus adſtringit: & (f) patrem ſine dubio receptura Curia, ſi intra prædicti (g) temporis calcem ſuis partibus (h) adfuiſſet (i); Quod ſi militari auo, & patre Decurione naſcetur, paternæ erit ſuccedaneus functioni. Dat. IX. Kalend. Mai, (k) Treu. Valentiniano & Valente (l) AA. COSS.

P. 415. NOTAE.

(a) *Lex 27. Cod. Iuſtin. eod. tit.* Iungenda ei *lex 6. ſupr. de re militari*, quam indicat *lex 16. ſupr. de Agentib. in reb.* & *l. 28. ſupr. de cohortalibus.* GOTHOFR.

(b) De Sitifenſi Mauritania dixi ad *l. 6. ſupr. hoc tit.* ID.

(c) Qua pater Curialis quinquennali militia liberatur. ID.

(d) Liberum a Curia. ID.

(e) *Aſſuetus* Cod. Iuſt. pro quo veteres habent *habitus*, id eſt, *auitus*, veteri ſcriptura, quod Concius & Cuiacius ex MSS. Cod. I. recte tuiti ſunt. ID.

(f) Verſiculus hic reciſus a *Cod. Iuſt.* quia ad horum temporum rationem pertinet. ID.

(g) Quinquennii *d. l. 6.* ID.

(h) Curiæ muneribus. ID.

(i) *77. Abfuiſſet.* ID.

(k) *Mart*, Cod. I. ID.

(l) Adde IV. id eſt A. D. 373 neque enim Valentinianus Anno 365. Treueris (vbi hæc *lex* data eſt) conſtitit, vt ex *Chronol. Theod.* liquet, & firmabunt inſuper, quæ mox dicam de hiſtorica *huius leg.* occaſione. ID.

COMMENTARIVS.

DE MILITIA ARMATA, an Curiales, eorumque liberi a Curia per eam liberentur, definit *h. l.* Valentinianus Sen. MILITARES igitur ex Curialibus quinquennali equidem militia a Curia liberari vult: Quod diſerte ab eo ſtatuitur *l. 6. ſup. de re mil.* quæ huic iungenda eſt; quod *h. l.* verbis remiſſiuis & relatiuis ad *l. 6.* indicatur, ibi, *ſi ante prædicti temporis calcem* &c. *prædicti*, nempe *ea l. 6.* quæ *lex* ſi non extaret, non conſtaret nobis, de quonam temporis ſpatio Valentinianus hic ſenſiſſet: Vnde obiter iungendarum inter ſe *Legum* vtilitas apparet: & vice verſa hac parte ἀβλεψία *huius Codicis* Conditorum, cui ſimilem errorem notauimus *l. 70. infr.* Hoc vero ſpatium ita præſtitutum a Valentiniano, quod iam ſub Iouiano, & exordio Valentinianei Imperii, Barbaris Africam vexantibus & militari ſocordia accedente, multi Curialium ad prouinciam tutandam, ad militiam ſe conferrent. Quæ cauſa quoque eſt *legis 95. infr.* Valentiniani Iunioris. Hæc inquam ſtatuta de militaribus a Valentiniano Sen. pariter vt antea a Conſtantio *l. 38. ſup.* & poſtea a filio eius Valentiniano Iun. *l. 88. infr.* cum tamen aliis Principibus aliud tempus placuerit, & quidem eidem Valentiniano Iun. *l. 95. inf.* quindecim annorum ſeu trium luſtrorum. Hæc ita de militaribus ipſis, idque ſiue Auum ſiue Patrem habeat.

At enim *Liberorum* aliam rationem eſſe vult: nempe Liberi, etſi pater militaris ſit, Auus autem Decurio: & vice verſa, etſi Auus militaris ſit, pater Decurio; Auitam tamen & Paternam conditionem Curialem ſequi eos vult: Priuilegium ſcil. Aui, aut Patris, nequicquam liberis hac parte prodeſt, cum alteruter ex illis Decurio eſt: Quod vtique ſatis eſt ad liberos Curiali nexui vindicandos. Quod ipſum Valentiniano Iun. placet *l. 89.* vbi eleganter ait, *Auorum atque Maiorum ſtemmata* hic

nihil

nihil referre, aut prodeſſe. Quod quidem ad Brocardicum illud refertur: *Si id quod obeſt, fortius eſt eo, quod prodeſt, tunc id magis attenditur*, vid. Luc. de Penna *hic.* Nos dicamus, *Curiæ cauſam potiorem eſſe.* Quod Cuiacius recte dixit. Vide & quæ nos addimus ad *d. l. 89. infr.*

DIGNITATEM *Curialibus non prodeſſe: niſi expletis patriæ muneribus.*

LXV. (a) Idem AA. ad Terentium (b) Corr. Tuſc.

OMNES Curiales, qui, qualibet gratia, prius ad altiorem gradum properauerint, quam munia vniuerſa percurrerint, ad ordinem neceſſitatum ſuarum reuocentur; nec ante ad vſurpatam Dignitatem admittantur, quam quæ patriæ debentur, impleuerint. Non difficile autem intelligitur, id quod Senatorio Ordini conceſſum non eſt, concedi non poſſe Ordinibus ciuitatum. Dat. V. Kalend. Iun. Med. Valentiniano & Valente AA. Coss. [365.]

NOTAE.

(a) Abeſt hæc *lex* a *Cod. Iuſt.* *GOTHOFR.*

(b) De hoc *Terentio* Corr. Tuſciæ, iam dictum *l. 61. ſupr.* quæ eidem inſcribitur. *ID.*

COMMENTARIVS.

DIGNITATE, veluti SENATORIA (de ea enim hic agi colligo ex *fine l.*) Curialem Curia liberari quemquam vetat Valentinianus Sen. *hac l.* niſi prius expletis omnibus Curiæ muneribus. Quod & ipſum *duabus* præterea *legibus* ab eodem cautum eſt, *l. 57. 58. ſupr.* Et in vniuerſum in hoc argumento occupatæ ſunt *leges 27. huius titul.* quas repetere licet ex *Paratitlo.*

Vltima tantum *huius l.* ſententia obſcura eſt: cuius tamen hunc ſenſum puto: ſi Senatoria dignitas Curialem Curia non liberet, multo minus liberari quem poſſe conſenſu, vel per gratiam Ordinis ciuitatis: Quod ſane aperte cauetur *l. 17. ſupr. l. 71. 77. 110. in fin 113. infr. hoc tit.* & *l. 2. Supr. quid probare deb.* de quo *ad d. l. 17. ſupr.*

P.416. POENAE *loco Curiæ quem addici non debere.*

LXVI. (a) Idem AA. ad Rufinum PF. P. (b)

ORDINIBVS Curiarum, quorum nobis ſplendor vel maxime cordi eſt, non adgregentur, niſi nominati, niſi electi, quos ipſi Ordines cœtibus ſuis duxerint adgregandos, nec quis ob culpam ob quam eximi deberet ex Ordine, mittatur in Curiam. Dat. XI. Kal. Iul. Rauen. Valentiniano, & Valente AA. Coss. [365.]

NOTAE.

(a) Abeſt *hæc lex* a *Cod. Iuſt.* Iungenda forte huic *lex 3. ſupr quibus equorum vſus*; alterutrubi loci ſubſcriptione emendata: illa enim cum in temporis notis omnino conueniat, *Data* ſcil. *XI. Kal. Iul. Valentiniano & Valente AA. COSS. Mediolani* tamen data dicitur, hæc vero *Rauennæ* *GOTHOFR.*

(b) Integro nomine *Vulcatius Rufinus*: quem Mamercino in Præfectura Prætoriana ſucceſſiſſe, teſtis eſt Ammianus Marcellinus, *lib. 27. cap. 7.* At quo Anno, diſquiro ad *l. 3. ſupr. quib. equorum vſus*: v. de eo *Proſopogr.* *ID.*

COMMENTARIVS.

POENÆ ſpecie atque æſtimatione, ſeu *ob culpam* aliquam, denique ſupplicii loco, quemquam in Curiam adgregari, damnari, addici vetat *hac lege* Valentinianus Senior: pariter vt Theodoſius M. *leg. 108. infra*, (is enim eius *legis* Auctor eſt, non Gratianus, quod Berterius credidit, 1. *Pith. 10. pag. 848. Tom. IV. Theſaur. Iur.*) Cum tamen illud hactenus fieret: quod ex *hac lege* & *dict. leg. 108.* recte probatur. Non vero ex Conſtantini Magni, *leg. 1. ſupr. de curſu public.* nam quod ibi ſtatuitur, vt quis Magiſtratibus municipalibus tradatur, *eorumque obſequio tranſmittatur*, id non accipiendum eſt (vt nonnulli faciunt, & in his Fornerius 1. *Quæſt. 28.* idemque Berterius 1. *Pith. 10. d. pag. 848.*) de hoc pœnæ genere, quo quis Curiæ addicitur. Neque etiam, quod quis putaret, de alio haud abſimili pœnæ genere, ſed tamen deteriore, nempe vt non in dignitate aliqua conſtitutus obſequio Magiſtratus dederetur, ſcilicet inter eius apparitores & in cohorte eius deinceps futurus. Nihil inquam huius placere debet. Quid igitur? Magiſtratibus municipalibus *dedendum*, mox *eorum obſequio*, id eſt, eorum miniſterio ad Iudicem, id eſt, Rectorem prouinciæ, tranſmittendum, & ſic *obſequio*, auferendi caſu, non dandi: item *eorum*, non Curialium, ſed Magiſtratuum, ex vulgata iuris ſcientia, qua rei

a Ma-

a Magiſtratibus municipalibus detecti, prehenſi, ad Præſides, eorum opera & miniſterio transmittebantur, vt docet *lex 5. ſupr. de exhibend. reis*: Quin & Acta ſeu Paſſiones Martyrum, paſſim.

Igitur *duæ* tantum hoc Codice *leges* ſunt, quæ docent, pœnæ loco quosdam Curiis aliquando addictos ſeu mancipatos, nempe *hac lex*, & *lex 108. infr. hoc tit.* Hoc more olim Chriſtiani *μὴ βυλευταὶ ὄντες πρότερον, cum antea curiales non eſſent*, ſoliti *βυλευτηρίοις ἐναριθμεῖσθαι*, *curiis mancipari*, teſte Sozomeno, *lib. 1. cap. 8.* & ex eo Tripartita *lib. 1. cap. 9.* Hunc quoque morem ſeu hoc pœnæ genus probauit Iuſtinianus, in Presbytero & Diacono Ordinem Eccleſiaſticum deſerente, *Nouella 6 cap. 7.* Sed & Pontifices vſurpauere in Clericis, qui in Epiſcopos ſuos conſpiraſſent; que de re duo ſunt textus in *Decreto, canone 31. cauſ. 11. quæſt. 1.* At non illud admitto. Primum quod inter exemple pœnæ loco Curiis dandi memorant Clericos a Iuliano; Monachus a Valente, in Curiam pœnæ loco detruſos: quod reſutaui iam ad *legem 63. ſupra*. Rurſum non patior, eo quoque trahi *legem 39 infra*, *de Epiſcopis*: vbi Eccleſiaſtico munere deiecti, vel Eccleſiam deſerentes Curiæ tradi iubentur: Neque enim tam pœnæ loco Curiæ ibi tradi iubentur, quam ceu vacantes iam. Non patior eo trahi *locum* Ambroſii *epiſtola 29.* ſiu. 17. qui eſt de Epiſcopis, & miniſtris Eccleſiæ Curiali genere, ad Curiam retractis. Non patior eo trahi Iuonis *duas Epiſt. 53. & 66.* vbi Epiſcopis quibusdam obiicit quod Clericos tradi Curiæ fecerint. Id enim alio pertinere recte ibi oſtendit Iuretus.

Cæterum, pœnæ genus iſtud ideo olim viſum, *Curiis*, inquam, *mancipari*; quod grauiſſima his variaque munera incumberent, quodque ea deſeri non poſſent. Verum Curiarum ſplendori, ſimul & vtilitati conſulturo Valentiniano Sen. quod ſibi vel maxime cordi fuiſſe *hac leg.* diſerte teſtatur, (de quo iam dixi in ingreſſu conſtitutionum Valentinianearum *hoc tit.* puta ad *l. 57.* & *ad leg. 2. ſupr de Tabulariis*:) id vetare viſum *hac leg.* vt & Theodoſio *d. leg. 108.* Duplici ratione: Primum ideo, vt ſplendori Curiarum conſulerent, & vt electi tantum ab ipſomet ordine adgregarentur: quorum hac de re iudicium eſſe oportuit, vtpote cum de communi eorum vtilitate agatur. Secundo quia indignum viſum Curiæ quem addici pœnæ loco, & ſic Dignitate decorari, quem potius ſi Curialis eſſet, pœnæ loco Curia expungi oporteret: *cum vnumquemque* (vt ait eleganter Theodoſius *d. l. 108.*) *criminoſum non debeat dignitas, ſed pœna comitari.* Eadem ratione Valentinianus Tabularios &c. poſt emenſum munus Curiis adgregari vetuit, ſi cum in Officiis eſſent vilioribus aliqua eos ſuppliciorum macula turpauit: *l. 8. ſupr. de cohortalib.* Imo idem vel ratiociniis obnoxios ad Curias vocari vetuit, *l. 2. ſupr. de tabulariis.* Ex hac interim *lege* notetur, Curiales ab ipſomet Ordine nominatos & electos.

P. 417.

PALATINA *militia ſeu dignitate ſola Curialem Curia liberari.*

LXVII. (a) Idem AA. ad Voluſianum. P. V. (b)

NVLLVS, exceptis (c) Palatinis, qualibet prærogatiua fultus, a debitis muneribus habeatur immunis. Dat. IV. Kalend. Iul. Mediol. Valentiniano & Valente AA. Coss. [365.]

NOTAE.

(a) *L. 28 Cod. Iuſt. eod. tit.* Iungenda huic *lex 18. ſupr. de Prætoribus.* GOTHOFR.

(b) De hoc *Voluſiano* P. V. dixi ad *leg.* 18. *ſupr. de Prætor.* *ID.*

(c) *Exceptis Palatinis*: hæc reciſa e Tribon. *ID.*

COMMENTARIVS.

DIGNITATE vel militia nulla Curialem Curia liberari ſeu excuſari vult *hac l.* Valentinianus Sen. pariter vt multis aliis *legibus*, puta *leg. 57. 58. 65. ſupr. 69. 71. 73. 77. infr. hoc titulo.*

Excipiuntur tantum *hac l.* (quod Tribonianus omiſit) *Palatini*, id eſt, qui in ſacro palatio militant, inter Principes Palatinos. Quod & ipſum ab eodem Valentiniano conſtitutum in ſp. *l. 73. infr. leg. 6. ſupr. de priuil. eorum qui in S. palatio*: & *l. vn. ſupr. de priuil. apparit. magiſt. pot.* (quæ duæ *leges* inter ſe coniungendæ ſunt:) Pariter vt alii Principes nonnulli, Palatinos hac parte excepere, vel ſimpliciter, vel poſt certum ſaltem annorum decurſum vt docet *lex 1. 3. 12 14. ſupr. d. t. de priuil. eorum*: & de quo iam ſæpe *ſupr.*

Et ita quidem hæc *lex*: prout ſub *hoc tit.* poſita eſt, intelligenda eſt. Et tamen ex coniunctione *l. 18 ſupr. de Prætoribus*: alius ſenſus *huius leg.* fuiſſe primæ origine ſua videtur: nempe, nullum Senatorem a muneribus, id eſt, ludis immunem eſſe, exceptis Palatinis, qui in Palatio Principis, officio aliquo fungerentur.

RECTORIBVS *prouinciarum non licere quidquam contra veterem conſuetudinem in Curiarum perniciem gerere.*

LXVIII. (a) Idem AA. ad Seuerum P. V. (b)

QVÆ cum (c) in perniciem Ordinis Auellinatium, ſine auctoritate ac iudicio Principali (d), Ordinarii Iudicis (e) nimia arrogatione, geſta ſunt, neque vetuſtæ † conſuetudini præiudicare debebunt, neque in futurum quandam neceſſitatem Legis inponere. Dat. prid. Non. Octobr. Veronæ, Valentiniano & Valente AA. Coss. [365.]

NOTAE.

(a) Abeſt hæc *lex* a *Cod. Iuſt.* vt quæ nil definiat, & hiſtorica ſit. *GOTHOFR.*

(b) *Vic. Vrb.* Ita hoc ipſo Anno in Inſcriptione *legis 1. ſupr. de actoribus, procuratoribus & conductoribus rei priu.* Quod veriſimilius: hoc enim Anno *Symmachus* P. V. erat, *ID.*

(c) *γρ. Quæcumque. ID.*

(d) Id eſt, Principis ſeu Imperatoris. *ID.*

(e) Id eſt, Conſularis Campaniæ, in ſp. *huius leg. ID.*

COMMENTARIVS.

CONTRA CONSVETVDINEM veterem in perniciem Curiæ, Præſes prouinciæ, abſque Principis auctoritate, quidquam gerere vetatur *hac l.* a Valentiniano Sen. & cum de facto id alicubi contigiſſet circa ciuitatem *Auellinatium*, vetuſtæ conſuetudini ſtari iubet: factumque a Iudice (Conſulari videlicet *Campaniæ*) legis deinceps vim habere vetat. Quod quidem duplicem ſenſum accipere poſſe videatur.

Primo, quidem de conſuetis Curiarum & Curialium omnium priuilegiis iuribusque, veluti vt ne Curialis aliquis fidiculis & tormentis ſubiiciatur, quod ſane in perniciem ſeu in contumeliam Ordinis exitiumque refertur, vt diſerte ait *lex 2 ſupr de quæſtionib.* Verum hæc Interpretatio non placet: tale enim quid præſupponendum eſt, non quod libidini Iudicum & iniuriæ deinceps ſi quando locum faceret; verum tale factum, quod in NECESSITATIS legem tranſiret. Igitur accipi *hæc lex* debet de peculiari cuiusque Curiæ conſuetudine: ſua quippe cuique Curiæ non minus quam prouinciæ *lex municipalis*, ſuus *mos* fuit: *l. 8. 60. ſup. l. 101. inf* ſuæ conſuetudines, *h. l.* ſua priuilegia. Sana ea conſuetudo, de qua *h. l.* agitur, talis omnino accipienda eſt; quæ etſi non Rectoris arrogantia, Principis tamen auctoritate & iudicio mutari potuit. Quod cum
P.418. attendo, accipienda videtur *hæc lex* de operibus extraordinariis, quæ ſolius Principis auctoritate & iudicio indici potuera: eum tamen interea ſæpe ipſi Rectores prouinciarum in perniciem Ordinum, ſua auctoritate & iudicio, nimia arrogatione, hac parte aduerſus vetuſtam conſuetudinem ſeſe gererent. Vt cæteroquin (quod ex infinitis *huius tituli legibus* conſtat, aliisque) variæ de Iudicum vſurpationibus in perniciem Curiarum querelæ exortæ; quibus variis quoque conſtitutionibus occurſum; veluti *leg. 21. 39. 47 60. 61. ſupra*, & *leg. 85 infra hoc tit.* Imo & Mandatis hanc in partem prouiſum, quæ Rectoribus in prouincias proficiſcentibus de more dabantur, ne quid in Curiarum perniciem molirentur: de quo ad *l. 80. infr h. t.*

Putet quis Curiam Auellinatium Tributariis, ac nominatim frumenti functionibus a Rectore attritam fuiſſe: cum tamen moderatius cum ea agendum eſſet: vel ſane detractum aliquem frumentarii compendii modum, quem alioquin pauperibus ciuitatibus, & quidem Campaniæ Principes deſtinarint: quod exemplo Puteolanorum & Terracinenſium liquet ex Symmacho *libro 10. epiſtol 53.* Verum id admittendum non eſt: Nam & hanc *legem* ipſam intuentibus nobis, & *titulum*, ſub quo ea poſita eſt, non ciuitatis ipſius, verum *Ordinis* tantum, & Curiæ res in hoc caſu agebatur: Ergo (quod iam monui) accipienda eſt de aliquo, ad quod præſtandum a Rectore in præſens ita adigebatur, vt in futurum *legem* poneret: Eo quippe reſpicit *arrogantia nimia iudicis*, quæ *hac lege* carpitur; eo verba illa, *in perniciem Ordinis &c.* illa deuique, *neque in futurum quandam neceſſitatem legis imponere.*

Porro pertinet hæc *lex* proprie ex facti contingentia ad Curiam ciuitatis Auellinatium. Alia fuit *Abella*, ſeu *Auella*, quæ hodie *Auella Vecchia*: a qua Oppidani *Abellani*. Mentio eius apud Strabonem *lib. 5. pag. 382. Edit. Almeloueen.* Ptolomæum *lib. 3. cap. 1.* Iuſtinum *libro 20. cap 1.* Frontinum *de coloniis pag. 103 int. Script. Rei agrar. W. Goes.* & in *Itinerario Peutingeriano*: vbi ponitur inter *Beneuentum & Salernum* Virgil. *Æneid. 7. v. 740.* & *ibi* Seruius: Silius Italicus *lib. 8. v. 544.* eam pauperem Sulci Cerealis vocat:

—— & pauper ſulci Cerealis Auella.

Aliud *Abellinum* vel Auellinum oppidum ad Sabatum fluuium: Vulgus nunc *Auellino*, quod memorant etiam Ptolemæus *lib. 3. c. 1.* Frontinus *de Coloniis pag. 102. & 136. inter Script. Rei agrar W. Goes.* Oppidani *Abellinates*, Plinio *lib. 3 c. 11* Olim in Hirpinis cenſebantur, teſte eodem Plinio *loc. cit.* & Ptolemæo *l. c.* Iique non vni, ſed *Abellinates cognomine Protropi*, eodem Plinio teſte, & *Abellinates cognominati Marſi.* Atque hi ſunt *Auellinates*, de quibus *hoc tit.*

De his illud quoque obiter obſeruandum ex *hac leg.* Auellinates, & Conſularem Campaniæ ſub diſpoſitione fuiſſe Vicarii Vrbis, ita enim in ſubſcriptione

Digitized by Google

ptione *huius leg.* reponendum eſt, *ad Seuerum Vicar. Vrb.* vt *leg. 2. ſupra de Actor. Procuratorib. & Conductor. rei priu.* Neque enim vltra ſuburbicarias regiones, ſeu centeſimum miliarium, Præfecti Vrb. diœceſis ordinaria ſeſe porrexit: cum Vicarii Vrbis Diœceſis ſeſe vltra porrexerit: vt clarum ex *Notitia Imperii fol. 149.* Vicarii ſcilicet Vrbis diſpoſitio ſeu Diœceſis, quod ſummopere notandum, non ad inſtar Præfecturæ vrbanæ ſeu vrbicariæ Diœceſeos conſtituta hoc tempore fuit, verum aliter; quia ſcilicet Vicarius Præfecti Prætorio erat. Vt proinde Diœceſis Præfecti Vrbis & Vicarii vrbis nequiquam inter ſe componi poſſint. Ac proinde Vrbicariæ Diœceſeos modus minime petendus ſit ex Diœceſi Vicarii vrbis, verum ex Diœceſi Præfecti Vrb. Vicarius enim Vrbis adeo tantum dictus, quod in Vrbe ſuam ſedem haberet, maioris interim Diœceſeos, quam Vrbicariæ Præfecti Prætorio nomine & vice διοικητής. De quo alibi prolixe.

Ex *hac* tandem *lege* πόρισμα iſtud efficiatur, *ſuas vetuſtasque conſuetudines quibuscunque locis,* veluti Curiis, *a Rectoribus prouinciarum ſeruandas.*

SENATORIA *dignitate præmature indepta, Curialem eiusque liberos ante Senatorios, non ideo Curia liberari.*

LXIX. (a) Idem AA. ad Auxonium (b) Vic. Diœceſeos Aſianæ. (c)

VNIVERSI, qui præmatura (d) cupiditate Senatorios cœtus honoribus patriæ prætuliſſe noſcuntur, habeant quidem incolumem ſtatum Senatoriæ dignitatis, verum fungantur his honoribus, quos patriæ nondum reddiderunt. (e) Quinetiam liberos ſuos indicent, quos ante Senatoriam dignitatem quisque ſuſcepit. Dat. prid. Non. Oct. Valentiniano & Valente AA. Coss. [365.]

NOTAE.

(a) Abeſt hæc *lex* a *Cod. Iuſt.* GOTHOFR.

(b) *Auxonius* Vicarius diœceſeos Aſianæ ſub Valente. Male vero hic Iuretus *in Symmachi lib. 3. ep. 53.* Auſonii nomen repoſuit. *ID.*

(c) *Diœceſis* Aſiana: cuius mentio quoque *l. 3 infr. de fide Cathol.* *ID.*

(d) Ante expletos honores patriæ ſeu Curiæ. *ID.*

(e) Præſtiterant: *Reddere* eſt præſtare debitum quid. *ID.*

COMMENTARIVS.

P. 419. DE SENATORIA dignitate eſt hæc Valentis (e quinque eius *hoc titulo* conſtitutionibus, ſuper Decurionibus) conſtitutio: quia ſtatuit is, Curialem, qui *præmatura cupiditate*, id eſt, ante expleta munera Curialia, Senatoriam dignitatem adeptus eſt, explere ea omnia debere. Et tamen Senatoriæ dignitatis ſtatum eum incolumem habere, id eſt, ſtatim Senatoria dignitate frui: cum ſuperiores Principes vel Senatoriam dignitatem ante expleta munia Curialia omnino caſſam eſſe voluerint, vt docent *leges quadam ſuperiores:* Et Valentinianus Valentis frater, eam in ſuſpenſo interim eſſe voluerit, neque ante ea frui Curialem, niſi poſt expleta demum munia patriæ, *l. 57. 58. ſupr.* vt & Theodoſius Iun. *l. 180. infr.* Ergo Valens vtramque ſimul dignitatem Curialem & Senatoriam illi conſtare voluit, vtraque illæſa: & ſic duplicem perſonam in his admiſit & probauit. Quod & ipſum ſingulare eſt, cum regulariter duorum perſonam gerere difficile ſit: Et vero Theodoſius Iun. in hac ipſa ſpecie *leg. 180. infr.* *Nec enim credimus vtrumque per vnum, prout conueuit, poſſe compleri.*

Et hæc ita quidem (quod alterum *huius leg.* caput eſt) vt eos *Liberos*, qui ex huiusmodi Curiali ſuſcepti fuerunt ante Senatoriam dignitatem, Curiæ necti velit; ſtatim vero a dignitate Senatoria ſuſceptos, Senatorios cenſeo. Qua parte rurſum Valentinianus in contrarium iuit, priore videlic. differentia ſemel conſtituta: nempe enim Valentinianus eos demum liberos Senatorios cenſeri voluit, qui poſt expleta Curialia munia ſuſcepti fuiſſent, quo tempore primum reuera Curialis Senatoria dignitate ex eius ſententia fruebatur, *d. l. 58. ſupr.* vbi dixi plura. Contraria item Theodoſio Magno poſtea ſententia ſtetit, *l. 93. infr.*

Et hæc quidem huius Valentiniaceæ *legis* ſententia eſt, de Curiali, Senatore facto ante expleta Curiæ munia: At eiusdem *lex 74. infr.* eſt de Curiali Senatore facto, poſtquam is perfunctus eſt muneribus. Quare error eſt Vertrauii Mauri *de iure liber. cap. 25.* cum has *leges* ex diametro repugnare ſcripſit. Verum ad pleniorem *huius leg.* intellectum, videndæ ſunt *viginti ſex* præter hanc *leges hoc tit.* quas repetere licet ex *Paratitlo*, in eodem argumento occupatæ.

SVSCEPTIONIS *officio honoris cuiuſcunque obtentu nemo liberetur.*

LXX. (a) Idem AA. ad Mamertinum PF. P. (b)

QVISQVIS ex hoc (c) corpore, quod Suſceptioni deputatum (d) eſt, honorem quemlibet ſuffragio meruit, etiamſi noſtras purpuras adorauit, meritis careat dignitatis. Dat. III. Kalend. Febr. (e) Valentiniano & Valente AA. Coſs. [365.]

NOTAE.

(a) Fugitiua hæc *lex* eſt: & abeſt a *Cod. Iuſt.* Iungenda autem ei *lex* 8. *ſupr. de diuerſ. offic.* Abrogatur *l. 7. infr. de ſuſceptorib.* quæ paulo poſt data, eidemque Mamertino inſcripta eſt. *GOTHOFR.*

(b) De hoc *Mamertino* PP. iam dixi ad *l.* 57. 58. *ſupr. ID.*

(c) Officialium, *d. l.* 8. *ID.*

(d) A nobis. *ID.*

(e) *Med.* additum *d. l.* 8. *ID.*

COMMENTARIVS.

FVGITIVA hæc de Suſceptoribus Valentiniani Sen. *lex* aſt, & aliena prorſus ab *hoc titulo:* & per errorem hunc in *titulum* ab *huius Codicis* Conditoribus coniecta. Cuius erroris cauſa hæc eſt, quod *Suſceptores* ferme e Corpore Curialium ſumerentur, vt de Conſtantii & Iuliani ætate fidem faciunt *lex 49. 54. ſupr. hoc tit.* de Honorii ætate *lex 24. infr. de Suſceptoribus:* & quidem per Gallias & Africam ex Valentiniani ipſius mente, vt docet *lex 2. ſupr. de quæſtionib.* quæ ad Gallias pertinet: & *l. 4. de Suſceptoribus,* quæ ad Africam ſpectat, quod de Africa rurſum docet *l. 9. infr. de Suſceptorib.* Atenim Valentinianus ex aliis Corporibus per certas prouincias, veluti per Italiam & Illyricum, Suſceptores eligi voluit, vt docet *l. vn. ſupr. de priuil. appar. magiſt. poteſtatis: l. 6. ſupr. de priuil. cor. qui in S. Palatio:* & *l. 6. 7. 9. infr. de Suſceptorib.* & *l. 8. ſupr. de diu. off.* quæ huic noſtræ coniungenda venit: Nempe non ex Palatinis verum ex diuerſis officiis ſeu Officialibus Magiſtratuum Suſceptores eligi voluit. Atque hoc illud Corpus eſt, quod *hac l.* intellexit Valentinianus, vt ex ſuperioribus tot *Legibus* conſtat, ac maxime ex *d. l. 8. ſupr. de diuerſ. offic.* quæ *huic* vti dixi coniungenda eſt: Abſque qua diuinandum hodie nobis eſſet, de quonam Corpore Valentinianus *hac l.* ſenſiſſet, cum dixit, *ex hoc Corpore:* vnde coniungendarum *legum* vtilitas elucet, ſimul & de duplici errore *huius Codicis* Conditorum patet, dum & imperfectam, & fugitiuam hanc *leg.* in hunc *titulum* contulerunt; Quod eo mirum magis, quod integram conſtitutionem ipſi præ manibus habuiſſe videntur (quanquam & de eo quis dubitare poſſet:) ſimilem errorem admiſſum notabamus *ſupr.* in *l. 64.*

Igitur Valentinianus in tantum Suſceptores ex Corpore Officialium eligi vult, vt nullo honore ſeu dignitatis ſuffragio impetrato a Suſceptionis officio excuſari eos velit, etiamſi eum honorem, conſecuti ſint, vt Purpuram Principis adorarent: & de facto adorauerint. Quod alioqnin ius purpuræ adorandæ pro magno habitum, magnaque priuilegia ſecum trahebat: de quo honore dixi ſemel plene ad *leg. vnic. ſupr. de Præpoſitis S. Cubic.* & *l. vn. ſupr. de* 420.
Comitib. & Trib. ſchol. & quantum ad Officiales pertinet, quibus hic honos delatus ad *l. 4. ſupr. de diuerſ. off.* Imo & dignitate omnino eum carere vult *hac l.* Valentinianus. Quod poſtremum tamen Valentinianus abrogauit mox *alia leg.* ad eundem Mamertinum PP. data, puta *leg. 7. infr. de ſuſceptorib.* Qui idem *excipit* ab hac Regula *d. l. 8. ſupr. de diuerſ. offic.* quæ *huic* iungenda eſt, ex Officialium Corpore Cornicularios Præfecti Prætorio, qui poſt miſſionem, adorandæ purpuræ ius adepti ſunt, cuius *leg.* verba cum *hac leg.* omnino componi oportet: ſed & dicta ad *l. 6. 7. infr. de ſuſceptorib.* huc acceſſi.

PROMOTIONES *ſaltuarias in Curia necquicquam valere, retractandusque a Rectoribus prouinciarum, neque Curiæ notioni id relinquendum.*

LXXI. (a) Idem AA. & Gratianus A. ad Amphilocium Conſ. Campaniæ, ſiue (b) ad Sophronium (c) Conſ. Piceni (d).

QVI, præterito aliquo vel honore (e) vel munere, ad locum (f) indebitum tetenderunt, etiamſi conhibente (g) Curia, vel aliquibus in Iudicium (h) cauſis tanquam probabilibus allatis, valuit obreptio, ad ea (i) quæ fugerant, retrahantur: Quieſcat autem illa interlocutio (k), quæ (l), cum huiusmodi quærimoniæ (m) deferantur, (n) pronuntiet Iudex, *Curiam ſuum noſſe diſcrimen.* Dat. III. (o) Non. Maii, Treu. Valentiniano & Valente III. AA. Coſs. [370.]

NOTAE.

NOTAE.

(a) Abeſt hæc *lex* a *Cod. Iuſt.* Iungendaque ei, ceu eodem die, loco, & Conſule data, *lex prox.* GOTHOFR.
(b) Ad duos eodem exemplo eadem conſtitutio emiſſa, de quo v. *Paratitl. de Conſt. Princip.* ID.
(c) *Sophronius* forte hic eſt, quem Ammianus *in Geſtis An.* 365. *lib.* 26. *cap.* 7. cum Notarium, & poſtea Præfectum Conſtantinopoleos factum ait. Σωφρονίῳ ἄρχοντι inſcribuntur aliquot Gregorii Nazianzeni epiſtolæ. ID.
(d) Cuius Piceni? An Annonarii tantum, an vtriuſque? dixi ad *l.* 4. *ſupr. quib. eq. vſus.* ID.
(e) Curiali. ID.
(f) Gradum, ſupremum munus. ID.
(g) Conniuente. ID.
(h) Apud Iudicem ſeu Rectorem prouinciæ. ID.
(i) Munera inferiora, ID.
(k) Iudicis. ID.
(l) *ꝟ. Qua.* ID.
(m) De aliquo præmature excuſato a Curia. ID.
(n) Deferuntur. ID.
(o) Eodem die, vt dixi, loco, & Conſule data *lex prox.* 72. ID.

COMMENTARIVS.

IMMVNITATIBVS ſeu EXCVSATIONIBVS a munere aliquo per PROMOTIONES forte ſaltuarias, per Campaniam, & Picenum, intercedit, *hac l.* Valentinianus Senior: per Promotiones inquam ſaltuarias; *loco* puta *indebito* impetrato, id eſt, per ſaltum ad Duumuiratum vel Sacerdotium forte aliquo promoto, vt in ſpecie *legis 77. infr.* Nempe gradatim, & per ordinem omnia Curiæ munia decurrere debebant Curiales: *l* 75. 77. 138 170. 182. *infr. hoc tit. l.* 6 *ſupr. de quæſtion.* Et id quidem ita a Valentiniano ſtatuitur ſub tribus Ampliationibus. Prima eſt, vt ne *Curiæ* quidem conſenſu huiuſmodi promotionem ſaltuariam admittat *h. l.* Valentinianus: Ne quidem Curia conniuente, conſentiente, Curiales aut Curia liberari poſſint, aut per ſaltum promoueri: quod etiam conſtituitur *l.* 17. (vbi iam dixi,) & *l.* 65. *in fin. ſupr.* & *leg.* 77 *leg.* 110. *in fin.* 113. *infr. hoc tit.* & *leg.* 2. *ſupr. quid prob. deb.* ſcilicet nequidem Curiæ aduerſus commoda propria laboranti locum eſſe voluerunt Principes.

Secunda Ampliatio eſt, vt maxime probabiles cauſæ in iudicio apud Rectorem prouinciæ allatæ dicantur: has promotiones ſaltuarias retractari oportere: quia plerumque Iudicum venalis eſſet gratia & ipſis facile obrepi poſſet: quod & ipſum ſtatuitur *leg.* 1. 68. *ſupr.* & *l.* 77. 89. 172. *hoc tit.*

Tertia ſeu poſtrema Ampliatio hæc eſt: Si quando ſcilicet de aliquo Curiali, a Curia præmature liberato, vel ſaltuatim promoto, querelæ Curialium nomine ad Rectorem prouinciæ perferantur, hanc rem ad Curiam ſuam & Cognitionem accuratam reuocare vult *hac leg.* Valentinianus Sen. non vero eam rem inſuper habere, Quod nonnunquam ferme facere ſoliti Iudices, qui querelis huiuſmodi ad ſe perlatis interlocutoria ſententia ſua, rem ad Curiam remittebant, hac ſolemni ferme formula, *Curiam ſuum noſſe diſcrimen:* ac ſi dicerent, *viderit ipſa Curia, quam rite hic vel ille excuſatus ſit, quandoquidem Curialium penuria in reliquorum periculum recidat.* Nempe non ſatis iuſti periculi ſui æſtimatores viſi Curiales Valentiniano; vt cæteroquin euenire ſolet, vt non facile quis iuſtus periculi ſui & diſcriminis æſtimator ſit. Et ſatius viſum, Rectorem prouinciæ hac parte inuigilare, Curiarumque commodis conſulere: eo quod etiam forte Curialium inter ſe ſuffragia non ſemper congruarent vel concordatura eſſent. Ergo rem hanc determinari, dubiumque reſolui a Iudice vult Valentinianus, non vero in arbitrium Curiæ referri. Et hæc quidem eſt *huius leg.* ſententia, quæ ſingularis admodum eſt, & in vſum deriuari vtiliter poteſt, ſi quando de retractandis immunitatibus & excuſationibus in Corpore aliquo alicui tributis agatur. p. 421.

Etiam NEGOTIATORES PRÆDIORVM POSSESSORES, *ad Curiam vocari iure poſſe.*

LXXII. (a) Idem AA. (b) ad Olybrium Conſ. (c) Tuſc. (d)

SI quis Negotiator fundos comparauerit, & vt aliquorum poſſeſſor prædiorum vocetur ad Curiam, ei neceſſitatis (e) vmbra non adſit, quod (f) propterea pecunia quam habet in conuerſatione (g), mercatoribus indictum aurum (h) argentumque agnoſcit, ſed Nominatione (i) facta, eius (k) pareat functionibus, cui ſe ſponte dedit pecuniæ vſum in glebæ (l) commodum conferendo. Dat. III. Non. Maii Treu. Valentiniano & Valente III. AA. Coss. [370.]

NOTAE.

(a) Abeſt hæc *lex* a *Cod. Iuſt.* propter luſtralem collationem abolitam. *GOTHOFR.*

(b) Addenda *hic*, & *l. prox.* nota Tertii Auguſti *AAA* puta Gratiani, vt *l. 71. prox ID.*

(c) Correctorem Tuſciæ præponit *lex 61. ſup.* & *lex 4. ſup. de iuriſdict.* & *lex 8. ſup. de accuſat.* quæ omnes ſunt eiusdem Valentiniani Sen. pariter vt *hæc.* Et quædam *hac* antiquiores: vnde co iectura, ſub Valentiniano primum *Correctorem*, mox *Conſularem* Tuſciæ præpoſitum Inanis enim eorum ſuſpicio eſt, qui vni Tuſciæ, quæ hoc tempore duplex erat, Correctorem præpoſitom ſuſpicantur, alteri Conſularem: vt & eorum ſententia, qui nihil Correctorem a Conſulari diſtuliſſe cenſent, quos aperte refutat *Notitia Imperii.* Conſulares enim Correctoribus digniores erant. Ergo non promiſcua hæc ſunt; ſed mutationis indicia: quod & in aliis prouinciis accidit, quibus modo Corrector, modo Conſularis præfuit, quorum exemplum vide apud Betterium 1. *Pithan.* 5. *ID.*

(d) Dixi de hoc iam ad *d. leg. 61. ſup. ID.*

(e) Euitandæ, vt a neceſſitate Curiali excuſetur, tutusque ſit. *ID.*

(f) Inuerſo ordine ſcribendum, *propterea quod: ID.*

(g) In communi vſu & commercio: v. *Gloſſ. Theodoſ. ID.*

(h) Id eſt luſtralem collatioocm, quomodo pariter deſignatur *l. 6. inf. de luſtr. collat.* quo *tit.* vid. alias appellationes. *ID.*

(i) Ad Curiam, ſeo munus Curiale, hoc ſenſu *Nominationis* vox accipienda paſſim *hoc tit.* & *l. 1. inf. de Epiſcop. ID.*

(k) An Curiæ? an neceſſitatis? *ID.*

(l) Gleba, id eſt fundus, prædium, vt *ſup. ID.*

COMMENTARIVS.

LVSTRALIS collationis, quam quis iam vt Negotiator ſoluit (de qua erit *inf. tit.* peculiaris, *lib. 13. t. 1*) obtentu, Curiam, ſeu Curialia munera vitare quem, ad Coriam nominatum, ſi idem prædia quædam poſſideat, vetat Valentiniaous Sen. *hac l.* & ſic Immunoitatem a Curia Luſtralis collationis onus tribuere vetat *hac l.* pariter vt ſaltuariam promotionem, *lege prox.* quæ *huic*, ceo eodem die, loco & Conſule data coaſſanda venit, etſi ad diuerſos Magiſtratus datæ ſint, pro argumeoti videlicet diuerſitate.

Finge (vt rem explicem) Negotiatorem quem eſſe: ſane luſtrali collatione ſoluendæ obnoxius is eſt oegotiationis nomine: ſed finge, eundem pro inſito mortalibus deſiderio, negotiantem, liberisqoe forte ſubnixum, pecuniæ partem io emptionem prædiorum collocaſſe, & ſic prædiorum poſſeſſorem eſſe; Quæritur, vtrum eo nomine ad Curiam vocari poſſit: (nam certum eſt, poſſeſſores prædiorum glebæ ratione ad Curiam vocari potuiſſe: quod etiam docet *lex 13. 33. 52. ſup. lex 96. 133. & 140 infr.*) Et vero definitur, vt maxime iam vt negotiator pecuniæ mercisque nomine, in qua negotiationem qois exercet, luſtralem collationem depeodat, attamen adhuc prædiorum ratione quæ poſſidet, ad Curiam nominari ſeu vocari poſſe. Ergo tanquam negotiator, luſtrale munus perſoluet; tanquam poſſeſſor prædiorum, munia Curialia ſubibit. Sic & viceuerſa Curiales negotiantes, luſtrali collationi obnoxii erant; *l. 50. ſup.* & *l. 4. inf. de luſtrali collat.* Vode apparet exemplum, quo pro rerum diuerſitate, diuerſæ qualitates & munia in eandem perſonam recte concurrunt: *Item non ſpectari hominis profeſſionem, vbi poſſeſſionis nomine quid incumbit.*

SENATORIAM *dignitatem non liberare Curia, niſi tribus caſibus.*

LXXIII. (a) Idem AA. (b) ad Symmachum Proconſ. Afric. (c)

QVI nullo Adminiſtrationis honore fultus, nullis vel Palatini laboris Inſignibus, vel meritis iuſtis Militiæ, in conſortium Senatus nititur peruenire, miſſa in hanc rem Legatione (d) reuocetur, eique reddatur Curiæ, quam voluit declinare. Dat. prid. Kal. Decemb. Treu. Valentiniano & Valente IV. (e) AA. Coss.

P. 428

NOTAE.

(a) Abeſt & hæc *lex* a *Cod. Iuſt. GOTHOF.*

(b) Addenda tertia Gratiani *A.* oota, vt *l. ſuperiori. ID.*

(c) *Symmachus* ipſe *Proconſularem* virum ſe vocat *lib. 10. ep. 16* Africamque ſibi charam & amicam dixit *lib 2. ep. 63.* & *lib. 10. ep. 1.* Sed & *lib. 8. ep. 5.* gratulatur ſibi, ob merita & laudes ſuas celebratas apud Africam. Sed & quod de ſtatuis ſibi decretis idem refert *lib. 9. ep. 105.* ad Africam id refero. *ID.*

(d) Vide *inf tit. de Legatis & decret. Legat. ID.*

(e) Ordo legum huic vicinarum depoſcit hic reſcribi *III.* id eſt, An. D. 370. Quod etiam præfero. Nam anni 373. initio Iulianus adhuc PC Africæ erat, vt docet *lex l. 1. infra ne ſanctum bapt.* & initio Anni 374. Chilo, vt docet *lex 4. infra de excuſ. artif. ID.*

COMMENTARIVS.

SENATORIA dignitate Curialie Curiam declinare vetatur a Valentiniano Sen. (pariter vt ab aliis Imp.) *hac l.* ſimiliter, vt eiusdem *l. 57. 58. 65. 69. ſupr.* Et ſi ad Senatoriam dignitatem conuolauerit, reuocari iubetur, mox Curiæ quam declinare voluit reddendus; idque miſſa in hanc rem Legatione. Plurimi ſcil. per Africam Curialee ad conſortium Senatus conuolauerant, Romamque vel in Gallias perrexerant: de quo perlatæ ad Valentinianum, in Gallia conſtitutum, ex Africa querelæ. Igitur eos reuocari nunc iubet *Legatione* hanc in rem miſſa: de quo Legationum prouincialium & querelarum genere, eſt peculiaris *infr. titulus* hoc ipſo libro, *de legatis, & decret. legat.*

Tres tamen exceptiones ſeu limitationes adduntur: Prima, niſi aliquo *Adminiſtrationis* honore fulti ſint, id eſt niſi Rectores prouinciarum facti ſint. Quod tamen Valentiniano ipſi poſtea diſplicuit: nempe ad gubernacula prouinciæ Curiales aſcendere vetuit, niſi decurſis gradatim Curiæ muneribus, *l. 77. inf. h. t.* Secundo, excipiuntur a Valentiniano *Palatini*, qui in Palatio S. militarint, & ad Senatoriam dignitatem peruenerint: nempe eorum qui in Palatio S. militabant, hoc priuilegium inter cætera fuit, vt Curiis liberarentur, vel ipſa militia Palatina, vt *l. 67. ſup.* vel ſaltem tranſitu per eam facto, ad ſenatoriam dignitatem *hac l.* Tertio excipiuntur iuſta *Militiæ* merita, ſi per eam quis Senatorum adeptus ſit honorem. In vniuerſum ad *huius l.* intellectum, conſulendæ ſunt *viginti ſex* præterea *leges huius tit.* in eodem argumento occupatæ, quas repetere licet ex *Paratitlo.*

De Curiali aliisque SENATORIB. *factis in Senatus gratiam, accurata Valentis lex.*

LXXIV. (a) Idem AAA. ad Modeſtum PF. P. (b) Poſt alia. (c)

IN his, qui ex Curiis ad Senatus conſortia peruenerunt, hæc forma ſeruetur, vt ſi perfunctus (d) quiſpiam muneribus, & *filii ſubole* nixus fuerit, quem Senatorio necdum indepto honore ſuſcepit, filium ſuum Curiæ functionibus tradat, ipſe optata Clariſſimatus dignitate potiatur. Quod ſi ei *gemina vel numeroſa, ſuboles* erit, tunc diſcrimen (e) prompte (f) dudum diualis Legis † adhibendum eſt, vt de duobus eius liberis ac (g) pluribus ſortiendi vnius filii ad collegium Senatus habeat optionem: ita (h) vt ei, qui cum patre, vel poſt patrem, ad conſortium Senatus legetur, diuiſio (i) cum fratribus, per ſortem, ſucceſſionis patrimonii, idonea ſolius Glebæ (k) ſubſtantia congregetur. (l) Plane ſi quis Curialis factus Senator, & vnius filii poſteritate ſubnixus ipſum Senatui popoſcerit connecti, ſeque promittat ad Curiæ munera regreſſurum, eiusmodi captio (m) minime admittatur. Ceterum ſi de numero Curialium factus Senator *filium non habebit*, quem functionibus patriæ heredem generis ac munerum derelinquat, glebæ Senatoriæ breuibus eximatur; (n) Circa eos forma data, (o) qui intra annos quadraginta (p) Conſulatus (q) Conſtantii (r) decimi, & Iuliani III. Ampliſſimi Ordinis participaſſe collegium (s) monſtrabuntur: Ceterum anteriore tempore adſcitos ipſa æquum eſt antiquitate defendi. Si quis igitur Curialis proſapiæ Senatorio adepto vel a nobis, vel a Diuis Principibus, honore ſubnixus ſit, quantum ad liberos quidem pertinet, eadem (t) quæ ſuperius comprehenſa eſt forma ſeruetur, excepto ſcilicet eo, qui ſine filio ſit: & vt ſtatuimus, retrahendus eſt: niſi vel antiquitate participati Senatus, vel præſtituti temporis prærogatiua muniatur, vel ius Gladii habuit, vel Præconum (qui honores conceſſi ceteris (u)) & antiquum inſtar (x) Senatorii nominis fuerint conſecuti: His veræ dignitatis titulis & Iudicibus adiungendis, qui proprium decus Senatum (y) indepti, Præturæ inſignibus fuerint & honoribus ampliati, vel quos, veteris Tribunorum Plebis (z) appellatione reſperſos, vmbra (aa) nominis nobis annuentibus conſtiterit populo præfuiſſe. Inanes vero vmbras & caſſas imagines (bb) dignitatum codicillis honorar. ſectantes nihil adiuuari præcipimus: exceptis 111. Eminentium elatis (cc) titulis Dignitatum, ſi & (dd) honorario nomine a ſummo gradu vſque ad Conſularitatem, haut exiguis profecto meritis, ampliſſima ſibi honeſtamenta (ee) pepererunt: ceteris inferioribus dumtaxat honorariis dignitatibus ad ea officia quæ reliquerant, deducendis. Hæc *ſuper obnoxiis Curiali origine.* Ceterum ſuæ (ff) poteſtatis, & (gg) nullis per prouincias functionibus obligatis, (hh) vel longæ militiæ labore, vel Proximis (ii) erga nos iuuantibus, (kk) codicillos Senatorios reportauerint (niſi vitiis, aut actæ vitæ obprobriis Ampliſſimo Ordine deprehendantur indigni) indepti ſemel Clariſſimatus dignitatem, perpetuo manebunt in ordine Senatorum. Dat. Kal. Mart. Conſtantinop. Gratiano A. II. & Probo Coſs. [371.]

NOTAE.

NOTAE.

(a) Abeſt hæc *lex a Cod. Iuſt.* Eam Theodoſius M. intelligit *l. 90. inf.* GOTHOFR.
(b) *Modeſtus PP.* Orientis ſub Valente: cui etiam inſcribitur *lex 63. ſup.* vbi dixi v. & *Proſop. ID.*
(c) Quæ interciderunt. *ID.*
(d) *Perfunctus*, omnibus omnino functus. *ID.*
(e) Id eſt, diuiſio ſobolis. *ID.*
(f) *γρ. Prompta*, id eſt, lata. *ID.*
† *Lex* hæc non extat. *ID.*
(g) *Aut*, vel etiam. *ID.*
(h) De huius *verſiculi* ſententia mox dicam. *ID.*
(i) *γρ. diuiſo* [illegible] *fratribus, per ſortem ſucceſſionis, patrimonia. ID.*
(k) Ad ſubſtis[illegible]dam glebalem collationem, & Præturæ onera. *ID.*
(l) Diuiſioni ſu[illegible]iciatur, & in diuiſione Senatori reſeruetur. *ID.*
(m) *Captio*, id eſt, fraus. *ID.*
(n) Et retrahatur (ad Curiam ſcil.) vt mox explicat *verſ. ſi quis igitur. ID.*
(o) Hac forma data & obſeruanda. *ID.*
(p) *XI*, non *XL.* ea qua Notarum ſimilitudine forte error natus. *ID.*
(q) *A Conſulatu. ID.*
(r) A.D. 360. Hanc porro *huius leg* partem memorat & ſequitur Theodoſius M. *leg. 90. inf. ID.*
(s) *Participare collegium:* ſimilis locutio *l. 3. ſup. de metatis:* de qua plura Iuretus *in Symm. lib. 7. ep. 99. pag. 207. Edit. Pariſ.* 1604. *ID.*
(t) *Ea. ID.*
(u) *Certis. ID.*
(x) *Inſtar*, id eſt, ad exemplum. *ID.*
(y) *γρ. Senatus*, vel *Senatorum. Prætura* vero proprium decus Senatorum, de quo mox. *ID.*
(z) *Tribuni plebis* in Oriente. *ID.*
(aa) *Vmbra hac. ID.*
(bb) *Caſſæ* imagines, id eſt, inanes. *ID.*
(cc) *Elati* tituli, eminentium dignitatum. *ID.*
(dd) *Et*, id eſt, etiam, vel. *ID.*
(ee) *Honeſtamenta* h. l. & *l. 4. ſup.* vbi dixi: & in *Gloſſ. ID.*
(ff) *γρ. Cæterum qui ſua*, vel *cæterum ſi ſua.* Id eſt, qui Curiales non ſunt, ſeu qui Curiæ nexi non ſunt, ac proinde ſuæ ſpontis & poteſtatis, αὐτεξούσιοι liberi ſuique iuris, & vt mox dicitur, *nullis, per prouincias functionibus obligati. ID.*
(gg) Pro *id eſt. ID.*
(hh) *γρ. Obligati. ID.*
(ii) *Proximi* hi quinam *hac l.* ſint? mox dicam. *ID.*
(kk) *Iuuaminibus. ID.*

COMMENTARIVS.

DE SENATORIA dignitate ſiue a Curiali, ſiue ab alio indepta, eſt hæc altera *hoc titulo* conſtitutio: Prior enim fuit eiusdem *lex 69. ſup.* Hoc diſcrimine, quod ea eſt de Curiali, qui *nondum* expletis patriæ ſeu Curiæ muneribus, Senatoriam dignitatem adeptus eſt: Hæc vero eſt partim de Curiali ſeu obnoxio Curiali origine, qui muneribus iam perfunctus, Senator factus eſt: quod primum eſt & potiſſimum *huius l.* caput: partim vero, de eo qui non Curialis, ſed ſuæ poteſtatis liberque Senator factus eſt, Quatenus, inquam, hi in Senatorio Ordine manere poſſint, vel debeant, eorumque Liberi. Quæ quidem *lex*, vt multis locis corrupta eſt, ita antiquitatis plurimum continet, certamque & generalem *formam*, qua voce hic vtitur ter, & formulam habet, de Ordine Senatorio, quique in eo ſtare poſſint vel debeant. Sane & vt plenior eius intellectus habeatur, conſulendæ ſunt inſuper a6. præterea *leges huius tit.* quæ in hoc ipſo argumento occupatæ ſunt, quas repetere licet ex *Paratitlo.* Nos ea ſectemur quæ hic continentur: quæ ſane notabilia pleraque ſunt, & in vſum vtiliter deriuari poſſunt.

Primo capite definitur, Curialium muneribus *perfunctum* (id eſt, omnibus defunctum) ſi filium vnicum habeat, ante Senatoriam dignitatem ſuſceptum, eum Curiæ ſuæ tradere oportere: quod vtique tralatitium eſt, vt Senatoris filius hic ante Senatorius non cenſeatur, de quo plene ſemel ad *l. 1. ſupr. de Senator.* quæ & ipſa Valentis eſt; & ad *leg. 58. ſupr. h. t.* ſi vero filios duos vel plures habeat, vnum ex his in Senatorem allegendum: quæ diuiſio prolis, (ſeu, vt *hac l.* vocatur, *diſcrimen*) ſingularis admodum eſt: eademque inducta in ſpec. *l. 79. & 105. infr.* Ita quidem (quod alterum ſingulare eſt) vt patri *Optionis* ſeu *eligendi* ius hac parte detur; id eſt, vt quem velit eligere poſſit: Et ſic paterno affectui hactenus indulget Valens: quæ *Optionis* ſeu electionis prærogatiua notanda eſt. Et hæc quidem non ex hac primum lege, verum ex anteriore quadam dudum *lege* quæ nuſpiam comparet.

Ita rurſum, quod Tertium ſingulare eſt, *vt et qui ad conſortium Senatus legetur, diuiſo* (ita enim reſcribendum) *per ſortem ſucceſſionis patrimonio, idonea ſolius glebæ ſubſtantia congregetur:* id eſt vt pars ei in erciſcunda familia adiudicetur in ſolis
P. 424 prædiis ſen fundis; Nempe vt ita ſenatorias functiones, glebalem videlicet præſtare poſſit, Præturamque edere, quæ Senatoriæ functiones fuere: de quibus *ſuis titulis, libro 6.* Et hic quidem eſt *huius l.* ſenſus: non is quem affingebat Vertranius Maurus *de iure liberorum, c. 10. pag. 989 990. T. III. Theſaur. Iur.* Ergo voluit Valens, & quem pater eligeret, proculdubio idoneum maxime, ſenatui offerri, & voluit inſtructum idonee fundis dari. Vnde iam liquet, quantum Senatui Conſtantinopolitano hac parte fauerit Valens Imp. præ Curiis ciuitatum. Vbi notanda extraordinaria hæc inter patrem & filium Senatores *Diuiſio* ipſo ſuperſtite. Et quidem, prædiorum ſeu fundorum ad patrem pertinentium.

At non admittit Valens hac parte Quartum iſtud, vt pater vnicum filium Senatui connectat, etſi promittat ſe ad Curiæ munera regreſſurum. Non admittit, inquam, hunc cæcum vel fraudulentum parentis affectum: admittit quidem in delectu vnius ex pluribus filiis optando, ſeu eligendo, puta vt vnum præ alio, more parentum prædiligat, vt cum eo bona ſua, prædia inquam diuidat, ſed non admittit, vt ſuccedaneum ſui vicarium & ἀντίψυχον filii loco ſubſtituat, filio ſcilicet ad dignitatem Senatoriam ſubuecto per regradationem. Quam *captionem* minime admitti voluit, id eſt damnum in fraudem necemque Curiæ. Et hæc quidem, de Curialis munerib. expletis, Senatore facto, vnum vel plures filios habente. Quænam vero *captio?* quia ipſe facile Curialem euitaturus poſtea ſit conditionem.

Et hæc quidem de Curiali Senatore facto, qui filium vel filios habeat. Quid ſi *filium non habeat*, quem loco ſuo Curiæ ſubſtituere poſſit? Hoc caſu iam vult Valens, hunc Senatorem ad Curiam retrahi, glebæque Senatoriæ breuibus, id eſt Senatoriæ dignitati eximi: ſcilicet Valens ita fauendum credidit, dummodo Seminarinm Curiarum non deficeret: Et Exceptiones tamen hoc caſu complures addidit ipſe Valens Imp. quarum nonnullæ alio vtiliter traduci poſſunt.

Prima exceptio eſt *Temporis*, niſi videlicet ante vndecim annos ſub Conſtantio Senatores facti fuerint: hos ſcilicet, qui tamdiu in Senatoria dignitate fuiſſent, æquum viſum Valenti ipſa antiquitate defendi. Quam *huius l.* partem memorat & ſequitur Theodoſius *l. 90. inf.* Ex hoc interim loco & characteriſmo colligitur quoque, Senatores e Curialibus quam plurimos ſub Conſtantio Imp. factos. Quod diſerte teſtatur Libanius *orat. in Iuliani necem p. 296. Edit. Morell.* Et fidem faciunt *lex 42. 48 ſupr.* vbi dixi.

Secunda exceptio eſt *Dignitatis:* quod Curialis ille, Senator factus, ad Curiam retrahi non poſſit, cui veræ dignitatis adminiſtratio ſeu regimen, & Iudicis titulus obtigit, cui Adminiſtratio ſeu regimen prouinciæ alicuius conceſſum fuit, qui Iudex ſeu Rector alicuius prouinciæ fuit; cum iuriſdictione & mero imperio alicubi fuit. Quod & ipſum conſtituit Valentinianus *l. 73. ſup. prox.* vbi plura. Illud hic obiter notandum dignitatem eam Iudicis vel Adminiſtrationis hic deſcribi per *ius Gladii, & Præconum:* ita quidem vt addatur *hoc antiquum inſtar*, id eſt, exemplum Senatorii nominis eſſet ſcilicet meri imperii verique Senatorii nominis, & veræ dignitatis hæc ſymbola fuerunt, *Ius Gladii, & Ius Præconum.* De *Iure Gladii* obſeruatio paſſiua eſt, de quo iam ad *l. vn. ſup. ne ſine iuſſu Principis.* Ius *Præconum* pariter inter ſymbola ἄκρας ἐξουσίας fuit. Mitto vetuſtiora, veluti Apuleii *Floridorum primo, pag. 492. Edit. Lugd. B. apud Ioan. Maire 1623.* & quidem de Præconis vſu in ipſo tribunali & cognitione iudicis in ſecretario, de quo *l. 1. ſup. de off. Rector. prouinc. l. 5. & 6. ſup de proximis.* & Libanii locus *orat.* κατὰ τῶν προσεδρευόντων *num. 4 p. 114. Edit. Gothofr. & pag. 445. 446. Oper. min. Gothofred, Edit. Trotz.* Huius ſæculi teſtimonia ſublegere iuuat de Præcone, cuius comitatu procedebant Adminiſtratores, Præfectique Prætorio. De eo Libanii locus in *Tiſamenum* ad Theodoſium Imp. *p. 443. Edit. Morell.* ὁ μὲν γὰρ θρόνος, καὶ οἱ κήρυκες, καὶ οἱ ῥαβδοῦχοι, καὶ ὁ τῶν ὑπηρετῶν ἀριθμὸς τῆς ἀρχῆς &c. *ſed enim thronus, & præcones, & lictores cum faſcibus, & miniſtrorum numerus magiſtratus inſignia ſunt.* Non vnus etiam locus occurrit apud Chryſoſtomum, veluti *homil. 59. in c. 18. Matthæi p. 524. Ed. Commel. & pag. 592 Tom. VII. Oper. Edit. Benedictin.* Hiernnymus *Epiſt. 4. ad Ruſticum monachum, pag. 30. Tom. I. Oper. Edit. Francſ. ap Chriſt. Genſch. Alii ſublatis in altum humeris, & intra ſe neſcio quid cornicantes, ſtupentibusque in terram oculis, tumentia verba trutinant, vt ſi Præconem addideris, putes incedere Præfecturam.* Ambroſius quoque in *Hexaem. lib. 3. c. 7. Clarus honoribus, præeminens poteſtatibus, tribunalibus celſus, ſolio ſublimis, beatus populis æſtimatus, dum Præconum clamore deducitur.* Addatur & Baſilii locus concione 5 *in Hexaëmeron*, prout Latine redditur ab Euſtathio vetere ſcriptore, qui floruit ſub Conſtantino M. *in Appendice Oper. S. Baſil. Tom. I. pag. 651. Edit. Benedictin.* Seruius *ad XI. Æn. v. 500. Quatuor erant apud Romanos, quæ ad honorificentiam pertinebant, equo deſilire, caput aperire, via decedere, adſurgere: hoc etiam Præcones præeuntes Magiſtratus clamare dicebantur.* Caſſiodorus 2. *Inſtit. diu. ſcriptur. cap. 32. ſi Præfectum vox Præconis enunciet, ſi carpentum ipſius ſtrepentibus rotis tranſire noſcamus, nonne omnes voluptates cordis abiicimus, dum conſpectum ipſius reuerentiamque metuimus?*

Tertia quoque Exceptio eſt *Dignitatis*, nempe Senatores ex Curialibus factos, ad Curiam retrahi non vult Valens, eos qui iam *Præturæ* inſignibus fuerint decorati, ad ludos edendos; de quo iam dictum *ſuo titulo ſup. lib. 6. & l. 58 ſup.* Quod quidem *proprium decus Senatus* hic vocatur: quin & proprium hoc Senatus onus erat, vnde & *Prætorianum nomen* id vocatur *l. vlt ſup. de Decur. & ſilent.* Nempe Senatorii Ordinis decus in ludorum & ſic Præturæ editione hac tempeſtate conſiſtebat, vt docuit ille *titulus*, Prætoresque editioni munerum ferme deſtinati erant. De quibus Prætoribus, &

Prætorum editionibus, ſunt & aliæ Valentis conſtitutiones, puta *lex 19. 20. 24. ſup. de Prætoribus.*

Quarta exceptio quoque eſt Dignitatis (nempe & hos ad Curiam retrahi non vult Valens Imp.) qui *Tribuni plebis* iam facti ſunt, & in eo magiſtratu populo præfuerunt. Vt Prætorum, ita & Tribuni plebis veteres appellationes ſub Impp. etiam nouiſſimis, tum Romæ, tum Conſtantinopoli manſere; neque inani tantum vmbra Tribuni vſi, ſed reuera populo præfuerunt. Hinc & illæ Conſtitutionum Inſcriptiones *hoc Codice: Conſulibus, Prætoribus, Tribunis plebis, Senatui ſuis ſalutem dicunt: l. 1. ſup. de maternis bonis: l. 19. ſup. de Iurisdict. l. 2. ſup. de libertis.*

Non excipit Valens eos, qui honorarios tantum codicillos, & vt eleganter loquitur, *inanes vmbras & caſſas imagines dignitatum* impetrarunt: de quibus honorariis codicillis *ſuo titulo.*

Et tamen (quæ Quinta iam exceptio eſt) excipit Valens honorarios Codicillos eminentium Dignitatum, e ſummo grado vſque ad Conſularitatem, veluti Præfectorum Prætorio, & ſimilium: hac ratione, quod hæc ampliſſima honeſtamenta, *non exiguis profecto meritis*, in Rempubl. ſcil. vel Principem, tribui ſoleant. Vbi interim notandum, *Eminentium dignitatum* gradum porrigi vſque ad *Conſulares.* Et hæc de primo capite *huius leg.* id eſt de Senatoribus obnoxiis Curiali origine, quam concluſionem & tranſitum ipſe Valens eddit, qui ex Curialibus Senatores facti ſunt.

P. 425 Secundo capite Valens Imp. indiſtincte alios quam Curiales, ſiue eos qui Curiali origine obnoxii non erant, Senatores factos, ad Curiam trahi non vult, verum in Senatorio eos ordine perpetuum manere, neque ab eo vel recedere vel abſtrahi quocunque prætexto: Idque ſub vna Ampliatione, & ſub vna Exceptione.

Ampliatio hæc eſt; quod id obtinere velit, ſiue longo militiæ labore, ſiue Proximis iuuantibus apud Principem codicillos Senatorios reportauerint: vt omittam, quæ de duplici ratione ad Senatoriam dignitatem perueniendi in genere dicuntur, tum longo militiæ labore, tum codicillis e Principe impetratis. Illud in ſpecie notandum, quod ait, Proximis iuuantibus erga Nos: nempe *Proximorum* apud Principem ſuffragiis, dignitates, aliaque, veluti bona (de quo *ſup lib. 10. tit. de petition.*) a Principe impetrabantur. *Proximi* ſunt, quos Græci *συνὄντας, παραδυναστεύοντας*, Macedones *ἑταίρους* dixere: qui circa Principem verſabantur: *Proches, ou prés de la perſonne du Prince.* Quo ipſo ſenſu Am. Marcellinus ſæpe hanc vocem effert, vt *lib. 16. cap. 8. Proximorum*, inquit, *fauces aperuit primus omnium Conſtantinus.* Idem in huius ipſius Valentis rebus, *lib 30. cap 4. init. Inteſtina pernicies augebatur, per Valentis amicos & proximos, apud quos honeſtate vtilitas erat antiquior* Et alibi ſæpe. Sic & apud Sulpitium Seuerum *in ſacra hiſtoria lib 2 cap. 1. 2. & 13.* Et iam olim Tacitus *Annal 6 cap. 26. Nouum continuum Principis & Proximum amicorum* vocat, & *lib. 13. Annal. c. 13. Proximi*, inquit, *amicorum metuebant, orabantque.* Et alibi ſæpe. Et hæc de Ampliatione.

Sequitur exceptio, *Niſi vitiis, aut acta vita opprobriis Ampliſſimo Ordine deprehendantur indigni.* Nempe hactenus his fauet Valens *hac leg.* & per eos Senatui, dum ne Senatum dedecorent, eoque indigni ſint. Ergo morum cenſuram hac parte haberi voluit; ad Senatus decus ſeruandum: In cuius gratiam hæc *lex* ab eo Data eſt: de cuius ſtudio erga Senatum Conſtantinopolitanum, alibi plene dixi.

Ex quibus iam omnibus apparet, Valentem hac conſtitutione Senatui Conſtantinopolitano potiſſimum conſultum iuiſſe: cuius & aliæ plures in id conſtitutiones extant.

SACERDOTIO & PRINCIPALITATE, GRADATIM *& per ordinem, probeque functorum, priuilegia.*

LXXV. (a) Idem AA. (b) ad Viuentium PF.P. (c)

QVI ad Sacerdotium (d) prouinciæ, & Principalis (e) honorem, gradatim & per ordinem, muneribus expeditis, (non gratia emendicatisque ſuffragiis,) & (f) labore peruenerint, probatis actibus, ſi conſona eſt ciuium fama, & publice ab vniuerſo Ordine comprobantur, habeantur immunes, otio fruituri, quod continui laboris teſtimonio promerentur: Liberumque ſit corpus eorum ab his iniuriis, quas Honoratos non decet ſuſtinere: Honorem etiam eis ex Comitibus addi cenſemus, quem hii conſequi ſolent, qui fidem diligentiamque ſuam in adminiſtrandis rebus publicis adprobarint. Dat. IV. Kal. Iul. Treu. Gratiano A. II. & Probo Coss. [371]

N O T A E.

(a) Abeſt *hæc lex a Cod. Iuſt.* partim propter *Sacerdotes*, GOTHOFR.

(b) Addenda Tertii Auguſti nota, vt *l. ſuper. ID.*

(c) *Viuentius* ſub Valentiniano Sen. PP. Galliarum: vt docet ex innumeris legib. *lex 4. infr. de cenſu: l. 3. ſup. de relation. l. 1. ſup de fide & iure haſtæ.* vid. *Proſop. ID.*

(d) De *Sacerdotibus prouinciarum* fuſe *Paratitlo de paganis inf.* De his ſunt quatuor præterea *leges huius tituli*, puta *lex* 21. 46 *ſup. l.* 148. 174. *inf. ID.*

(e) De *Principalibus* his fuſe in *Paratitlo*: de quibus compluribus *legib.* huius *tituli*: dixi ad *l.* 5. & 61. *ſup. ID.*

(f) *Sed labore, ID.*

COMMEN-

COMMENTARIVS.

SACERDOTIO prouinciæ (de quo etiam agitur *l. 21. 46. ſup.* & *l. 148. 174. inf.* & PRINCIPALITATE Curiarum (de quibus quamplurimæ *leges hoc titulo* occurrunt) ac nominatim per *Gallias* (nam eo pertinet hæc *lex*) functis, tria priuilegia a Valentiniano Sen. *hac l.* conceduntur: vt cæteroquin priuilegiis gauiſos eos aliunde notum eſt: Ac nominatim Principales Galliarum, vt docet *l. 171. inf.* de quibus eſt *hæc* quoque *lex*.

Sub hac tamen duplici *Limitatione:* Prima eſt, ſi gradatim & per ordinem, non per Gratiam & emendicata ſuffragia eo peruenerint: Scilicet gradatim ad *Principalitatis* munus Curiales eniti oportebat, quod docet præterea *lex 5 ſup. l. 71. ſup. l. 77. inf.* & *l. 136. 170. 180. inf. h. t.* & *lex 6. ſup. de quæſtionib.* vt & ad Sacerdotii munus, *hac l.* & *d. l. 77. inf.* GRADATIM (cuius vocis vſus *hac l.* primum *hoc tit.* occurrit) inquam; quod vt in omnibus muneribus Curiæ requirebatur, ita in apiſcendis ſummis: de quo vt ſunt compluriмæ leges *hoc tit.* ita apud alios Scriptores. Sic & Apuleius *lib. 10. Metamorphoſ. pag. 202. Edit. Lugd. B. apud Ioan. Maire.* GRADATIM, inquit, *permenſis honoribus quinquennali Magiſtratui fuerat deſtinatus.* Sic & in veteri Inſcriptione, quæ Romæ iuuenta, & apud Gruterum legitur CCCLIV. 1. HONORATVS OMNIBVS PER GRADVS FVNCTO.

Secunda Limitatio eſt, ſi probatis actibus, & Cenſoria Ciuium fama, & publice ab vniuerſo Ordine ſeu Curia comprobentur, id eſt ſi munere pro-
P. 426. be defuncti ſint. De priuilegiis alioquin *Sacerdotum* eſt quoque *lex 12. ſup. de iure fiſci:* & *lex 14 inf. de paganis* & duo Symmachi loci *lib. 10. ep. 54.* (quem poſtea proferam) ſed & alter *lib. 4 ep. 62.*

Tria nunc priuilegia illa, quibus *hac* quoque *leg.* Sacerdotes & Principales officio functi donantur proeedant. Primo, immunes ab omnibus muneribus ciuilibus eſſe iubentur: veluti a Præpoſitura manſionum, *l. 21. ſup.* a Præpoſitura Annonæ, *l. 2. inf. quemadm. mun. ciuil.* Deque ea immunitate præter has tres *leges* hoc *Cod.* eſt inſuper hæc vetus Inſcriptio *apud Gruterum CCCCLXXXIV. 6.* CVM. PRIVILEGIO. SACERDOTII. CAECINENSIS. MVNITVS. POTVISSET. AB. HONORIB. ET. MVNERIB. FACILE. EXCVSARI. &c. Sed & Symmachus *lib. 10 ep 54. Inſigne,* inquit, *ducitur Sacerdotii, vacare muneribus.* Idem *lib. 4. ep. 62.* ad Euſraſium Hiſpanum, *Sacerdotii priuilegium* memorat: quo intendebat Euentius, & ex eius quoque mente Symmachus, Sacerdotes Senatorii Ordinis poſſeſſores fundorum, a glebali collatione immunes eſſe: quod quidem per Hiſpaniam aliquamdiu obtinuit, verum poſtea mutatum ab Honorio, *l. 10. ſup. de Senator. & Glebali collat.* ad quem dicta vide.

Secundum priuilegium eſt Immunitatis a Quæſtionibus: id enim eſt, quod intelligitur his verbis, *liberum ſit corpus eorum ab his Iniuriis, quas Honoratos non decet ſuſtinere.* Quod ſane & ipſum, de Principalibus nominatim conſtitutum, aliquando tamen arctius *l. 39. 61. ſup. l. 85. 126. 190. inf. h t.* & *l. 6. ſup. de Quæſtion.* ſcil. iniuriæ, quas Corpus ſuſtinere dicitur *hac l.* intelligendæ ſunt de *Quæſtionis* iniuria: Nempe Iniuria, ſeu Corporis iniuria, & Corporalis contumelia & moleſtia, & quæſtionum cruciatus; vt *hac l.* ita & *l. 47. 61. ſup. l. 80. 126 127. 190. inf. h. t. d. l 6. ſup de quæſtion. l. 10. ſup de fide teſt. l. 4. inf. de Decur. V. R. l. 2. ſup. de abolition.* Cæterum ab hac Quæſtionum iniuria immunes fuiſſe *Honoratos* docet *hac lex,* ſeu honoribus præditorum Corpora, quomodo & *l. 6 ſup. de maleſic.* de quo plene *Paratitlo de Quæſtionib.* Ac proinde & Sacerdotales ſeu Sacerdotio functi, itemque Principales.

Tertium priuilegium eſt, honor *ex-Comitibus:* quo Sacerdotio & Principalitate functos honorari vult Valentinianus. De qua Comitiuæ dignitate dictum *ſup. lib. 6.* & ſunt præterea *leges 26. 36. 41. 44. ſupr.* Sane hæc *lex* docet, *Comitiuam* hanc delatam fuiſſe, & deferri debuiſſe his, qui fidem diligentiamque ſuam in adminiſtrandis rebus publicis approbaſſent: quique omnibus patriæ muneribus perfuncti eſſent: Quod etiam oſtendit Theodoſii M. *lex 109. l 150.* & *l 189. inf.* Sic etiam Theodoreti *epiſtola 33.* extat Στασίμῳ Κόμητι καὶ Πρωτεύοντι: id eſt, *Comiti & Principali* ſeu *Primati.* Quomodo & antea ſub Conſtantino M. Præſidatus prærogatiua tributa; *l 4. ſup.*

Ex *hac* interim quoque *leg.* apparet, quo ſtatu locoue Sacerdotes Gentilium ſub Valentiniano Sen. fuerint, & quidem eximio; de quo Valentiniani facto alibi iam plene & ſæpe; & quidem per Gallias: quo pertinere *hanc l.* oſtendi ad Inſcriptionem *legis:* propter ἐθελοθρησκείαν videlicet, ab eo indultam. Atenim *hanc l.* ideo quoque repudiauit Tribonianus.

LATENTES *Curiales erui iubentur, occultatoribus eorum pœnis indictis.*

LXXVI. (a) Idem AA. (b) ad Modeſtum PF. P. (c)

EX omnibus domibus (d) producti, qui origine ſunt Curiali, (e) ad ſubeundam publicorum munerum functionem protrahantur: quippe cum Occultatoribus talium, præter iacturam exiſtimationis, etiam rerum (f) diſcrimen incumbat, ſi vlterius progreſſi, vtilitatem publicam priuatis ſtudiis (g) & Patrociniis (h) poſtponant. Dat. III. Id. Iul, Ancyræ (i), Gratiano A. II. & Probo Coss. [371.]

NOTAE.

(a) L. 31. *Cod. Iuſt. eod. tit.* GOTHOFR.

(b) Tertii *Auguſti* nota hic addenda, vt *l.* 74. *ſup.* ID.

(c) *Modeſtus* PP. Orientis ſub Valente. vid. *Proſop.* ID.

(d) Potentiorum ſeu Magnatum: idque indicat in *fin. leg. prox, patrocinii.* *Domus* ferme Potentiorum dictæ, de quo mox plura. ID.

(e) *Curiales*, Cod. Iuſt. ID.

(f) Id eſt bonorum. ID.

(g) Id eſt, ſtudiis, affectibus, elegantes: pro quo Cod. Iuſt. *Cuſtodiis:* quod ineptum. ID.

(h) De aliis Patrociniis, *προστασίας*, generibus alibi, De Patrociniis vicorum eſt *tit. pecul.* 14. *lib.* 11. De Patrociniis reorum, v. *leg.* 16. *ſupr. de pœnis.* ID.

(i) *Ancyræ* Valens conſtitit anno 371. quod aliunde non diſco. Illud eiuſdem reperio, eum hoc ferme tempore *Nicomediæ* (in Bithynia) mox in Cappadocia fuiſſe, indeque Antiochiam profectum, ex Sozomeno *lib.* 6. *c.* 15. De qua Antiochiæ mora fidem facit Anno prox, *lex* 19. *ſup. de Prætoribus.* ID.

COMMENTARIVS.

LATENTES Curiales erui iubet ex omnibus domibus Valens *hac leg.* (quæ Quarta eſt e Valentis *h. t.* conſtitutionibus:) occultatoribus pœna infamiæ & bonorum proſcriptionis propoſita, ſi eos occultare pergant. Scilicet Curiam vitantes, ad aliorum *Potentium* forte patrocinia ſtudiaque ſeſe conſerebant. Ad potentium inquam; quod præter ipſam *patrocinii* rationem, quod certe nonniſi Potentium eſſe poteſt & ſolet, oſtendunt illa inſuper, *ex omnibus Domibus protrahantur:* Domus quippe vt iam dixi in *Notis*, de Potentum ferme domibus, ipſiſque Potentibus, eoque ſenſu paſſim vox ea in conſtitutionibus accipitur: Eodemque tertio loco pertinet vox *protrahendi*, quod magna vi manuque opus eſſet ad eos protrahendos: Tandem id oſtendit *infamiæ* pœna, ſeu iacturæ æſtimationis, quæ honeſtiſſimis & Potentioribus pœnæ loco indicta, vid. *Paratitl. de pœnis.* Et certe id nominatim teſtatur *lex* 146. *inf.* Itaque non omnino re-
p. 417. cte Gloſſa quæ *e domibus* ETIAM *Magnatum*, notauit: Imo abſciſe de *Magnatum.* Quæ *Gloſſa* & in eo errat, quod notat hic de non extrahendo quoquam e domo ſua. Ad rem. Ergo hoc patrocinii genus *hac leg.* vetatur. Quod ſæpe tamen tum in Oriente, tum in Occidente eueniebat. Itaque ſubinde Curialium occultatoribus, ſeu patrocinium his præbentibus, pœnam interminati Principes: Valens *hac l.* Honorius *l.* 146. & *l.* 162. (qua etiam vltima *lege*, Honorius ait, quam plurimas extare *leges*, quæ Occultatores certa feriri pœna voluerunt:) At non item eſt de Occultatoribus his *lex* 114. *inf.* (ſeu *lex* 39. *C. Iuſt. eod. tit.*) quod Cuiacius tamen credidit, vt ad eam oſtendetur. *Patrociniorum* interim varius hac tempeſtate vſus, imo abuſus, aduerſus publicam vtilitatem notandus, de quo *ſup. tit. de patrocin. vicor.* & *l.* 2. *inf de nauib. non excuſ.* & Libanii *orat* *περὶ τῶν προστασιῶν*: Ad euitandas ſcilicet Curias, & neceſſitates & tributa publica. De Patrociniis reorum *ſuis locis.*

Illud adhuc notandum hic ſupereſt, errare Accurſium, cum argumento vocis, *origine*, tradit aliud forte ſtatuendum in ſp. *huius leg.* ſi non origine, ſed ex accidenti Curialis eſſet. Quæ Gloſſa recte reprobata eſt a Bartolo, arg. *l.* 37. *eod. tit.* quæ *hoc tit.* eſt *lex* 102. Nos addamus, hiſtoricam *huius leg.* rationem; nempe de Originalibus *hac l.* agitur: quod ſcilicet tum multi origine Curiali ad huiuſmodi patrocinia confugerent: quo facto Curiæ deſerebantur. Itaque huic rei Valens Imp. nominatim mederi neceſſe habuit; & poſt eum Alii.

GRADATIM, & *ſeruato ordine* PROMOTIONES *Curialium fieri oportere.*

LXXVII. (a) Idem AA. (b) ad Probum Vicarium Vrb. (c)

NEMO, originis ſuæ oblitus & patriæ cui domicilii iure deuinctus eſt, ad gubernacula (d) prouinciæ nitatur aſcendere, prius quam decurſis gradatim curiæ muneribus, ſubuehatur. Nec vero a Duumuiratu, vel (e) a Sacerdotio incipiat, ſed ſeruato ordine, omnium officiorum ſollicitudinem ſuſtineat; Quod nec his deferri, per gratiam aut conhibente Iudice, patimur, qui Aduocationis prærogatiua nituntur: Nec vero, Principalium vel Sacerdotalium, cum nullam Curialium officiorum agnouerint functionem, in honores primos inrepant. Poſt munera vero & Magiſtratus gradatim patriæ perſolutos, aditus ſingulis ad Adminiſtrationes publicas, nobis quoque adſiſtentibus, recludatur, &c. Dat. VII. Kalend. Mart. Treu. Modeſto & Arintheo COSS. [372.]

NOTAE.

(a) Abeſt hæc *lex* a *Cod. Iuſt.* GOTHOFR.

(b) Tertii Auguſti nota & hic addenda, ID.

(c) Ita.

(c) Erros in hac Inſcriptione admiſſus: vel enim reponendum *ad Probum V.C. PP.* id eſt *virum clariſſimum PP*, iam enim diu Pçobus. PP. erat, & quidem hoc ipſo Anno, vt docet inter alias, *lex prox. 78. inf. & lex 8. ſup. de fil mil. ap.* vel reſcribendum, ad *Maximinum Vic. vrbis:* de quo Ammianus multa *lib. 28. cap. 1.* vel ad *Aginatium Vic. Vrbis:* de quo idem Ammianus *ibid.* Verum in priore ſententia hæreo. *ID.*

(d) Ad Rectoris prouinciæ munus, ad adminiſtrationes publicas, vt *fine leg. ID.*

(e) Qui honores primi ſunt, vt mox vocantur. *ID.*

COMMENTARIVS.

GRADATIM munera Curialia a Curialibus ſuſtineri iubet *hac l.* Valentinianus Sen. quod & ipſum aliis compluribus legibus ſtatuitur, puta *l. 5. 71. 73. ſup l. 136. 170. 180. inf. h. t. & l. 6. ſup. de quæſtion.* ac proinde SALTVARIIS promotionibus occurrit, quibus nonnulli vel ad *Adminiſtrationes* publicas ſeu gubernacula prouinciarum aſcendebant: denique Rectores prouinciarum fiebant (quod *hac l.* vetat Valentinianus: quod tamen antea permiſerat, *l. 73 ſup.*) vel non ſeruato ordine in priores Curiæ honores irrepebant: veluti Duumuiratus, ſc. Principalium, Sacerdotii: Hi ſcil. primi honores Curiæ erant, ſeu ſummi, vt etiam vocantur *hac leg. & l. 16. ſup. & l. 189. inf. l. 1. ſup de honor. codicill.* de quo vid. *Paratitlon.* & quidem de Sacerdotibus pleniſſime *Paratitlon, inf. de Paganis.* Eo pertinet quoque Cenſorini locus *de die Natali, c. 15. Tu tamen officiis municipalibus functus, honore Sacerdotii in Principibus tuæ Ciuitatis conſpicuus, Ordinis etiam Equeſtris dignitate gradum prouincialium ſupergreſſus, non modo ſine reprehenſione & inuidia ſemper fuiſti, verum etiam omnium omnino amorem cum maxima gloria conſequutus es.* Quare ab his Curialem incipere vetat *hac l.* Valentinianus, ſed per minora prius officia quemque decurrere.

Et quidem ſub duabus his ampliationibus. Primo, quod nequidem per Gratiam (Curiæ ſc.) neque per Rectoris prouinciæ conniuentiam, ſummos illos honores ſtatim Curiali deferri permittat: Quod ipſum ab eodem Valentiniano ſtatutum, *l 71. ſup.* vbi de eo plura. Secundo, quod nequidem ii qui *Aduocationis* prærogatiua nituntur, per huiuſmodi gratiam, ſaltuatim ad ſummos honores peruenire poſſint, id eſt Duumuiri vel Sacerdotes creari: & exinde ſtatim rectores prouinciarum fieri: ſc. *Aduocatorum* hac ætate magna prærogatiua fuit, facileque opes aut HONORES quæſiuere præclaros, quod hoc ipſo tempore teſtatur Amm. Marcell. *lib. 30. cap 4.* Quare paſſim eo multi conuolauere tum ſuæ poteſtatis, tum Curiales, ceu ad ſeminarium dignitatum (quod vtique dixit Valentinianus *Nouella de poſtulando* inter Theodoſian. 34.) hac ratione vel ciuilia munera euitaturi. Quod tamen noluere Principes, p. 478. nullaque adeo iura Aduocatia munerum dedere; quod firmat quoque *lex 46 ſup. lex 87 98 116. 152. 189. inf. h. t. & lex 2. Cod Iuſt. de aduoc. diu. iudicior.* Quin, neque ſaltuarias in his promotiones tulere: quo pertinet *hæc lex*, atque adeo per ſaltum eos Duumuiros vel Sacerdotes fieri vetat *hac l* Valentinianus, vt maxime ex Aduocatia Sacerdotes ſumerentur, quod docuit *lex 46. ſup.* vbi plura. Vti retro Curialibus Aduocationis munere fungi licuit, *dict. l 2.*

Ergo poſt munera demum gradatim expleta Curiales etiam aduocatos, ad Adminiſtrationes publicas admitti permittit, idque Principe quoque adſiſtente: *Nobis*, Inquit, *quoque Adſiſtentibus.* Quorum verborum hic ſenſus eſt; Etſi e Præfectis Prætorio hac tempeſtate Rectores prouinciis darentur, quod docet *lex 3. Cod. Iuſt. de off. P.P. l. 2 Cod. eod. de off. diu. Iudicum.* & oſtendit non vno loco Libanius *in epiſt.* attamen hoc caſu cum de promouendo Curiali ad adminiſtrationem prouinciæ agitur, etiam Principis authoritatem requiri.

Et hic quidem eſt *huius l.* ſenſus. Quare error eſt Vertranii Mauri, *de iure liberorum, cap. 37. p. 1061. Tom. III. Theſ. Iur.* qui ex *h. l.* colligebat, Sacerdotes *Gubernacula prouinciæ* habuiſſe, dici *hac l.* Quod ineptiſſimum eſt.

VETERANORVM FILIOS *Curiæ iam addictos, ad militiam non retrahendos.*

LXXVIII. (a) Idem AAA. ad Probum PF. P. (b)

AD Inluſtres Comites & Magiſtros (c) equitum ac peditum ſcribta porreximus, Vt ſcirent ab omnibus his Veteranorum filiis, qui vel Curiæ addicti ſunt, vel ciuilibus muneribus, aliisque neceſſitatibus obſecundant, penitus abſtinendum: (d) vel, ſi qui forte retracti (e) eſſent, eos ita protinus Officiis anterioribus redderent, nec pro his vicarios expeterent Iuniores. (f) Dat. XVII. (g) Kal. Iun. Patauione (h), Modeſto & Arintheo Coss. [372.]

NOTAE.

(a) Abeſt hæc *lex* velut temporaria a *Cod. Iuſt.* Iungenda autem ei *lex 12. ſup. de cohortalib. GOTHOFR.*

(b) *Probus* ſub Valentiniano Sen, PP. *Illyrici:* vt docet *lex 28. ſup. de curſu publico: l. vn. ſup. ne damna prouincial.* & Ammianus *lib. 30. cap. 5.* & quidem vtriuſque tum Orientalis tum Occidentalis (quod vtrumque Valentiniano *huius l.* auctori in Imperii diuiſione ceſſerat) vt docet *lex 7. ſup. de Metallis.* Item *Italiæ*, vt docet *d. lex 28.* & in ea

quidem Sardiniæ, vt docet *lex* 6. *ſup. de metall.* Huius *Probi* PP. multa mentio apud Ammianum & Auſonium, & multæ *huius Codicis* conſtitutiones ei inſcribuntur: vid. *Proſop.* *ID.*

(c) Magiſtros equitum & peditum per Illyricum intelligit, item per Thracias: de quibus *Notitia Imperii.* Ac nominatim per Illyricum: cuiusmodi erat hoc tempore *Equitius*, de quo vid. *leg.* 8. *ſup. de re militari.* *ID.*

(d) Id eſt eos ad militiam non vocandos. *ID.*

(e) Ad militiam. *ID.*

(f) *Iuniores*, id eſt Tyrones: pari ſenſu quo *l.* 1.6.7.10.12.15,18. *ſup. de Tyronib. l.* 13. *ſup. de agentib. l.* 8.9.10.14. *ſup. de Deſertoribus: l. vlt. ſup. de fil. mil. appar.* *ID.*

(g) XVI. *d. l.* 12. *ID.*

(h) *Poetauione* alii, v. quæ ſcripſi *in Chronol.* *ID.*

COMMENTARIVS.

VETERANORVM filios, Curiis vel ciuilibus muneribus iam addictos, ad militiam retrahi, vel pro his, ſeu eorum vice, alios ſeu *vicarios* Tyrones exigi vetat *hac l.* Valentinianus Sen. Diuerſo iure conſtituto, in veteranorum filiis, inter Officiales Rectoris prouinciarum, adſcititiis hos enim cohortibus & Legionibus inſeri iubet, *l.* 12. *ſup. de Cohortalib.* quæ *lex* eiusdem conſtitutionis pars eſt, cuius & *hac* noſtra ac proinde *huic* coaſſauda venit: Abſque qua, noſtra inquam *hac*, foret, illius *legis* ſententiam nunquam teneremus. Viceuerſa, *huic* noſtra coniuncta maximam lucem fœneratur; & ſingularem differentiam inter Curiales & Officiales ſuppeditat.

Ergo veteranorum filios Curiis addictos, ad militiem hoc tempore retrahi vetat *hac l.* Valentinianus: quamlibet ſcil. militiæ idoneos: Cum alias veteranorum ſeu militarium filii, armis idonei, ad militiam paternam vocari & euocari ſolerent; vt docet *lex* 15. 18. 19. 32 35. 58. *inf. l.* 83. 89. *inf. h. t. l.* 1. 2. 4. 5. 7. 11. *ſup. de fil. mil. appar. l.* 5 8. *ſup de re militari.* Et vero ab ipſomet Valentinino euocati, *d. l.* 5. 8. *ſup. de re militari:* & *d. l.* 58. *ſup. h. t.*

Et quidem hoc ipſo quoque tempore proculdubio ad expeditionem aduerſus Quados & Marcomannos: de qua vid. Amm. Marcellinum *libr.* 29. *cap.* 6. &c. Probo tum, cui hæc *lex* inſcribitur *Sirmii* ferme conſiſtente, vt idem ait; e qua non procul erat *Patauio*, vbi hæc *lex* Data dicitur, id eſt Accepta; quo proinde Probus iam ſeſe contulerat.

Ergo cum hoc tempore Iuniores in arma conſcriberentur aduerſus Quados & Sarmatas, & exercitus ſupplementa agitarentur, & Veteranorum quoque filii ad militiem de more exeirentur, hec *leg.* ad Probum PP. Illyrici emiſſa, itemque ſcriptis ad Magiſtros militum, Equitum, Peditum, emiſſis; cuiusmodi erat hoc ipſo tempore Equitius per Illyricum Magiſter Armorum, eodem Marcellino teſte, *lib* 29. *cap.* 6. huic rei Valentinianus modum adhibuit & excipi voluit eos Veteranorum filios, qui Curiæ &c. iam addicti erant: ſic etiam vt ne Vicarios quidem eorum loco Tyrones ab his exigi velit, pariter vt Honorius in ſpec. *l. vlt. ſup. de fil. mil. appar.* Cum alias tamen Vicarii Tyrones exigerentur a nonnullis qui ipſi militiæ nomina non darent, vel dare nollent: de quo vid. *Paratitlon de re militari:* de quibus Vicariis Tyronibus iam olim quoque Traianus *ep.* ad Plinium 39. *lib.* 10.

p.429. *De* PRIMIPILARIVM *filiis Curiæ Ædeſenæ, certo modo & diuiſione adſcribendis: deque perperam* EXCVSATIS *Curialibus retrahendis.*

LXXIX. (a) Idem AAA. (b) Modeſto PF. P. (c)

QVICVMQVE per Oſdroënam (d) Primipilarium, (e) *maiore* lætatur *numero* filiorum, vnum loco ſuo veluti hereditario iure ſubſtituat, alterum, pro amore patriæ, Ædeſiæ (f) Curiæ tradat obſequiis, ceteris quam (g) voluerit militiam prouiſurus: Sin autem *duos* tantum procreauerit, Cohorti ſatisfacere cogatur & Curiæ: Quod ſi *vnum* procreauerit, eundem Ordini patriæ reſtituat, (h) nullo contra hanc formam (i) beneficio (k) valituro. Damus ſane licentiam tam patribus eorum, quam ipſis qui huius legis auctoritate Ciuitatum obſequio adgregantur, vt ſi quos Curiales patrocinio Principalium inuenerint excuſari, in medium proferant, vt & ipſi ſimilibus Officiis deputati pareant imperratis (l). Dat, III. Non. Decembr. Antiochiæ, Poſt Conſ. Gratiani A. III. & Equitl. V.C. [375.]

NOTAE.

(a) *L.* 5. *Cod. Iuſt. de cohortalibus.* Meminit *huius l.* Theodoſius M. *l.* 105. *infr.* *GOTHOFR.*

(b) Reponendi hic *Imppp. Valens, Gratianus & Valentinianus:* Iam enim Valentinianus Senior obierat. *ID.*

(c) *Modeſtus* PP. Orientis ſub Valente, vid. *Proſopogr.* *ID.*

(d) Ita recte, *Osdroena* hic & *l.* 105. *infr. l.* 8. *infr. de paganis:* & *l.* 2. *infr. de praed. & mancip. Curial.* Alias quoque *Oſroena*, de quo mox. Et ita quoque in nonnullis Cod. Iuſt. Edit. *d. leg.* 5. *ID.*

(e) *Primipilarius* Cod. I. *ID.*

(f) Ci-

(f) Ciuitatis Ædeſenæ ſcil. Vid. etiam ſubſcriptionem *leg. 9. ſupr. de erogat. milit. annon.* quæ ita habet, Dat. V. Kal. Octobr. *Edeſſa.* In Cod. Iuſt. hic, *Ædeſſena Curia,* & in impreſſis libris omnibus huius Cod. *Ædeſena. ID.*

(g) *Qua militia* Cod. Iuſt. Et hoc tamen quoque rectum: *prouidere alicui rem,* vel *re. ID.*

(h) Id eſt, tradat. *ID.*

(i) Generalem. *ID.*

(k) Priuilegio ſeu Reſcripto ſpeciali. *ID.*

(l) Ita quoque *Cod. Iuſt.* ſi hoc legitimum eſt, tum officia *impetrata,* fuerint ea, a quibus quis excuſatus eſt. Sed malim *imperatis,* id eſt, iis quæ ipſis imperantur, & a Curia imponuntur: vel pro *pareant,* legendum fuerit *careant. ID.*

COMMENTARIVS.

ÆDESENÆ, per Oſdroënam (Meſopotamiæ prouinciam,) Curiæ, ob penuriam municipum, ſeu Curialium, (vt diſerte teſtatur Theodoſius M. *l. 105. infr.* qua *hanc leg.* firmat) duplici ratione Valens Imp. *hac l.* conſultum it: De Oſdroëna prouincia prius.

Oſdroëna iſtius prouinciæ mentio fit quoque *d. l. 105.* & *l. 8. infr. de paganis:* & *leg. 2. infr. de præd. & mancip. Curial.* apud *veterem Orbis deſcript.* ſub Conſtantio *c. 16. pag. 256. Geographicorum antiquor. Iacob. Gronou.* apud Eutropium *lib 8. cap. 2.* & *11.* in Indice Prouinciarum Sconboniano *pag 83. Edit. Cellar. ad calcem Feſti.* apud Ammianum, *lib. 14. cap. 8.* Zoſimum *lib. 3. cap. 12. l. 10. C Iuſt. de ædif. priuatis:* in *Notitia Imperii fol. 71. Nouella Iuſtiniani 8. in Edicto ad Archiepiſcopos & Patriarchas ſcripta,* & alios. Quæ tamen Oſdroëna alibi, & potiſſimum apud Græcos Oſroëna dicitur, veluti apud Dionem *lib. 40.* (in Craſſi hiſtoria vbi Abgarum, qui in deuia Romanos abduxit, *Oſroënum* fuiſſe ait,) Herodianum *lib. 3. cap. 9. lib. 6 cap. 7.* & *lib. 7. cap. 1.* Procopium *Perſicor. lib. 1. cap 17.* Suidam voc. Ὀσροηνή. Zonaram *in vit. Iuſtin.* & in *Nouella Iuſtin. 8.* Eaque prouincia Meſopotamiæ pars fuit. In ea Oſdroëna, vrbs primaria fuit *Edeſa,* (ſic enim *hic,* & *d. l. 105. infr.* vocatur *Ædeſena Curia,* vt apud Zoſimum *lib. 3. c. 12.* Ἐδεσηνοί) vel etiam *Edeſſa,* vt patet ex veteri Orbis deſcriptore ſub Conſtantio Imper. *cap. 16.* de qua accipienda quoque eſt *lex 8. infr. de paganis, ſacrif. & templis:* Eius quoque frequens mentio in Conſtantii rebus apud Ammianum: Eam deſignat quoque *Itinerarium vtrumque,* & quidem Antonini non ſemel. Eius meminit quoque Strabo, Plinius, Ptolemæus, Stephanus. Fit quoque eius mentio in Iuliani rebus apud Zoſimum, nam & ibi Iulianus fuit, *lib. 3. c. 12.* Quomodo & ibi data e Ioniano *lex 9. ſupr. de erogat. mil. ann.* Ea Perſis vicina & oppoſita erat: Ibique Imperatores Perſico bello illigati agebant, ſic Conſtantius ibi aliquando verſatus, A. D. 328. vt teſtatur *Epiſtola* eius ad Athanaſium, apud Socratem *lib. 2. c. 23.* Iouianus A. D. 365. vt docet *lex 9. ſupr. de erog. mil. ann.* Ea denique ciuitas, (quod & Ammianus Marcellinus innuit, *lib. 20. cap. 11.*) & munita erat & commeatibus abundabat, quod ipſum diſerte ait *vetus orbis Deſcriptor* ſub Conſtantio *d. c. 16. pag. 256. Edit Gronou.* Et vt maximæ vrbes adſolent, feſtiuitatibus & ſolemnibus luxuriabat: vt docet *d. lex 8. infr. de paganis, ſacrif.* & Libanii loca, quæ ad *eam leg.* protuli. Quin & ſtatuarum pulchritudine, vt ex dictis locis videre eſt. Sane Ammianus quoque *lib. 19. cap. 6.* refert, apud Ædeſſam a Conſtantio Imp. Gallis quibusdam campiductoribus vt fortium ſectorum anteſignanis, armatas ſtatuas in regione celebri locari iuſſas, quæ ſuo (Ammiani Marcellini) ſæculo adhuc intactæ ſeruarentur.

Igitur Imperatores multa ad augendum eius vrbis decus conſtituere. Ita ornatum ſuum ei vrbi & feſtiuitates conſtare poſtea voluit Imperat. Theodoſius Magnus, quamlibet ſacrificiis prohibitis, *d. l. 8.* Et nunc Valens *hac l.* & poſtea idem Theodoſius *d. l 105.* Curiæ eius conſultum voluere, aduerſus penuriam Curialium, quandoquidem Ciuitatum decus in Curialibus, ceu in anima & radice maxime conſiſtunt, quod ſub Theodoſio M. ſcribit Libanius, περὶ τῶν προσαγγελιῶν *num. 3. p. 9. 10. Ed. Gothofr* & *pag. 366. Oper. min. Gothofr. Edit. Cl. Trotz.* & in *Iuliani necem p. 297.* & *Antiochico, p. 357. Edit. Morell.* vt omittam alia hanc in rem teſtimonia. Etſi parte altera miram ibi perſecutionem idem Valens Arianus, aduerſus Catholicos excitaſſe dicitur per hunc ipſum Modeſtum PP. cui *hac lex* inſcribitur; de quo videndus Socrates *lib. 4. cap. 18.* Theodoret. *lib. 4. cap 14. 15.* & Sozomenus *lib. 6. cap. 18.* Barſa eius Epiſcopo in exilium pulſo, eique alio ſubſtituto, quem λύκον Theodoretus vocat *cap. 15. initio,* ſed ex quo *Lupi* nomen ei fuiſſe Interpres & Baronius perperam credidere. Neque abſurde coniiciat quis, hac perſecutione Valentis Edeſſam non tantum vacuatam cultoribus, (quod Scriptores illi indicant, & aliis exemplis apud Baſilium firmari poteſt,) ſed & Curialibus, quod Baſilius de Cæſarea ipſa teſtatur diſerte *ep. 379. ſiu. 74. Edit. Benedictin.* Atque adeo hanc *huius legis* ferendæ Valenti occaſionem fuiſſe.

Verum ad *leg.* noſtram. Primum eius caput eſt de *Primipilarium liberis* in Curiam Ædeſſenam allegendis: Primipilarium, id eſt, eorum qui ſunt, ſeu principatum tenent inter Officiales, ſeu in cohorte, (quod & ipſum docet *hac lex*) Præſidis Oſdroënæ, quomodo id explicat Theodoſius Mag. *d. l. 105.* qua hanc confirmat: & aliunde liquet, quinam *Primipilares* fuerint, de quo ſuo *titul. ſupr. lib. 8.* Ergo vt cæteroquin ex certis Corporibus nonnulli Curiæ necti poterant, ſi quando Curialium penuria eſſet; de quo monuit *Paratitl.* item & nunc Primipilarium liberos Ædeſenæ Curiæ necti iubet Valens: ita quidem, vt ſi maiorem filiorum numerum habeat Primipilaris, vel ſi binos tantum, vnum Curiæ, alterum cohorti loco ſuo tradat: cæteris priore caſu, quam volent militiam electuris: Quæ prolis diuiſio in hac ipſa ſpecie ſtatuta *dict. leg. 105. infra. leg. 11. ſupra de fil. mil. app.* ſi vero vnum tantum, eum Curiæ tradat. Ita quidem vt ab hoc nullo Principis reſcripto excuſari poſſint. Quod ad

iura

Digitized by Google

iura Liberorum perperam omnino refertur a Vertranio Mauro *cap. 41. in fin.*

Altero capite Valens erui vult Curiales, qui e Curia excuſati fuerant, Principalium patrocinio.

Nempe vt cæteroquin iniquitate notiſſimi fuere *Principales*, in prægrauandis aliis, aliis vero excuſandis, ac nominatim circa rem tributariam, de quo plene ad *l. 4. ſupr. de extraord.* ita & hac parte ſuam iniquitatem exercuere, in Curiarum damna, nonnullis per gratiam a Curialibus muneribus excuſatis. Quod *huic l.* occaſionem dediſſe videtur.

Hos igitur reuocari nunc patitur: Et vero *a Primipilaribus, eorumque liberis*, quos Curiæ hodie adgregari propter eam Curialium penuriam oportuit: vt ita ſolatii loco habeant, quod perperam excuſatos muneris participes habere poſſint. Nemo ſcil. accuratius eos peruestigaturus videtur, quam quos aliena ſarcina premere cœpit: ſtimulos addente vindictæ cupidine. Quod quidem inter arcana Politica notetur.

Et hactenus quidem Valentis & Valentiniani Sen. conſtitutiones de Decurionibus: Et quidem Valentis quoque: quibus addenda eiuſdem ſexta *l. 19. infr. de Epiſcopis:* ad quam dicta huc quoque arceſſi cupio: tandem & ſeptima, *l. 8. Cod. Iuſt. de ædif. priuat.*

De IMMVNITATE *Curialium a* CORPORALIBVS INIVRIIS: *id eſt à tormentis & ictibus plumbatarum.*

LXXX. (a) Imppp. Gratianus, Valentinianus & THEOD. AAA. Iuliano (b) PF. Ægypti.

OMNIS ordo Curialis a tormentis his, quæ reis debita ſunt, & ab ictibus plumbatarum habeantur immunes: ſcituro Iudice, (c) quod ſi vel ipſe, vel eius Officium, contra vetitum legis (d) aliquid vſurpare temptauerit, grauiſſimo ſe ſupplicio eſſe ſubdendum. Grauitas igitur Tua, ſanctionis maieſtate perſpecta, non ſolum a corporalibus Curialium iniuriis temperabit, verum etiam tota (e) obſeruatione prouidebit, vt ſi aliquid temerarium ab Officio aliquo fuerit perpetratum, ſeuerioris pœnæ diſcrimine vindicetur. Dat. XVI. Kalend. April. Gratiano V. & Theod. I. AA. Coss. [380.]

NOTAE.

(a) Abeſt hæc *lex* a *Cod. Iuſt.* Iungenda autem ei *lex* 20 *infr de operib. publicis. GOTHOFR.*

(b) *Iuliani* huius Præfecti Ægypti, ἀπὸ ὑπάρχων Ἀιγυπτίας, epigrammata aliquot extant *quarto* Ἀνθολογ. *c.* 21. & 29. & alibi. An vero hic Iulianus idem ille eſt, ad quem Gregor. Nazianzenus *ep.* 166. ſcribit? *ID.*

(c) *Iudex*, ideſt, Rector prouinciæ: v. *Gloſſ. ID.*

(d) Huius. *ID.*

(e) *Tota*, ideſt, omni. Locutio hæc ſolemnis Auctoribus huius æui: ſic quoque *l.* 33. *infr. de hæreticis:* Sic Ambroſius *ſerm.* 62. 77. 83. Sic Amm. Marcell. *initio lib.* 15. ad *ſententiam tota facilitate completam.* vid. *Gloſſ. Theod. ID.*

COMMENTARIVS.

THEODOSII Magni, conſtitutiones numero Quinquaginta, de Decurionibus ſequuntur: ex quibus apparet, quo quantoque ſtudio Curiis ciuitatum Princeps hic conſultum iuerit. Earum Synopſin hic proponere iuuat, quæ ad ſex ſequentia capita referendæ ſunt, vt ita characterem Theodoſii hac parte exhibeamus, & hic ſemel dicta omnibus & ſingulis illis conſtitutionibus facem præferant.

Primum caput eſt, de *Nominationibus* ad Curiam: Vbi in genere Nominationibus iſtis modum & fibulam imponit, *l. 136.* In ſpecie vero definit ad Curiam nominari poſſe e plebe quoscunque idoneos *l. 96. 133.* item Primipilarium filios ſub ea filiorum diuiſione quæ proponitur *l. 105.* vt & Incolas vacantes, *l.* 137. Non vero ſolis materni ſanguinis vinculis *l. 137.* non pœnæ loco, *l. 108.* Non hæredes fideicommiſſarios, legatarios, donatarios Curialium, ſed ad denarismum tantum pro modo bonorum eos teneri: *l. 107. 123.* (Niſi mariti vxorum hæredes ſint, *l. 124.*) Imo & poſſeſſores quoscunque bonorum, *l. 134.* Et hæc de Nominatione ad Curiam.

p. 431.

Secundum caput eſt, de Curialibus vel Curiæ deſtinatis *Reuocandis* ſeu retrahendis, ſi qua ratione Curiam euitare voluerint. Ac primum vbi & a quibus reuocari poſſint, *l. 110.* item neceſſitate Curiis impoſita eos reuocandi, pœna alioquin his impoſita, *leg* 110. 113. Vndecunque autem, ſeu ex quocunque ſtatu reuocari eos voluit, a fuga, *l.* 119 etſi ad Clericatum ſe contulerint; quo pertinent quatuor Theodoſii M. *leges* 104. 115. 121. 123. niſi bonis ſuis Curiæ ceſſerint: *lege* 104. 121. 123. vel alios idoneos facultatibus ſuis inſtructos ſubſtituerint, *l.* 115. etiam ex Militia ſeu officio quocunque *l.* 94. 129. 137. 139. ex officiis ſeu officio cohortalis ſeu officiali militia Magiſtratuum, *leg* 83. 96. *in fin.* 113. 133. 134. etſi Magiſtratus facti fuerint, *l.* 122. 134. veluti prouinciarum *l.* 106. etſi dignitates ambitione vel pretio conſecuti, *l.* 86 87. 94. 118. 122. 123. 134 etſi Senatoriam dignitatem adepti, *l.* 82. 90. 93. 111 118. 122. 123. 129. 130. etſi ſubſtituto alio, 111. 118. Qua parte tamen variæ Limitationes vel etiam Ampliationes notandæ ſunt. Ex militia quoque

Digitized by Google

que Armata, *l. 3. ſupr. de Tabular.* & *l.* 87. 113. 137. 139. *hoc tit.* & *l. 1. ſupr. quid prob. deb.* quamlibet Actuarius quis ibi fuerit, *l.* 125. Item ex militia Palatina, *l.* 120. ex Aduocatione, *l.* 87. 98. 116. ex Fabricenſium corpore, *l.* 81. Generaliter etiam, qui diſceſſerint, non ſubrogatis aliis, *l.* 91. 98. Veteranorum etiam filios, etſi ſe Cohorti adgregauerint: *l.* 83. Imo etſi Reſcripto Principis quis liberatus fuerit, *l.* 102. 137. 139. vel etiam temporariam ſaltem vacationem impetrauerit, niſi in ſp. *l.* 135. Et hæc de ipſiſmet Curialibus, vel Curiæ debitis nexisque, retrahendis ad Curiam. *Filios* quoque eorum Curialium, qui ad dignitates enecti eſſent, ad Curiam vocari iuſſit, *l.* 86. 98. 122. 123. 132. vt & eorum qui Senatores facti; ſiue ante patris dignitatem, ſiue poſt, natos, *l.* 93. Item filios eorum Curialium, qui Clerici facti, *l.* 123. itemque Magiſtrorum, *leg.* 98. *infr.* Tandem & *Senes* quoque muneribus functos Ordinationibus intereſſe voluit, *l.* 118.

Tertio capite includuntur conſtitutiones Theodoſii M. quæ ad ſubleuandos Curiales pertinent, circa ſingularia *Munera & onera*, quæ Curialibus imminebant. Scilicet Syriarchiæ munus propria voluntate ſuſcipi deinceps voluit, *l.* 103. & Agonotheſiæ in commune *l.* 108. Archieroſynæ etiam munus Chriſtianis Curialibus imponi vetuit, *l.* 112. veterem præſtationem ad calefactionem thermarum Antiochiæ ſeruari iubet: *l.* 131. ab Equorum denique præſtatione immunes pronuntiat, qui gradu meritorum vſque ad honorariam dignitatem peruenerint: *l.* 138.

Quartum caput eſt, de *Actibus* quos Curialibus indictos voluit: nempe procurationis alienarum facultatum, *l.* 92. Suſceptionis cuiuscunque vectigalis, *l.* 79.

Poſtremum caput eſt, de *Priuilegiis* & honoribus Curialium. Igitur omnibus in commune, & Curialibus adhuc muneribus fungentibus, Immunitatem a tormentis & plumbatis tribuit. Qua parte tamen Theodoſios Magnus, non idem ſemper ſtatuit, *hac leg.* 80. & 85. 117. 126. 127. addatur eiusdem *lex* 4. *ſupr. de Tabulariis: lex* 15. *ſupr. de accuſat.*

Addatur & aliud caput Theodoſianarum conſtitutionum, nempe de prædiis & mancipiis curialium ſine decreto non alienandis, *leg. 1. infr. de prædiis, &c.*

Primis etiam Curialium, Comitiuam tertii Ordinis defert, *leg.* 127. Tandem Curialibus muneribus functis dignitatem pariter *ex-Comitibus*, & oſculi, conſeſſusque ius cum Rectoribus prouinciarum, *l.* 109.

Prima omnium e Theodoſii M. circa Decuriones *hoc tit.* conſtitut[illegible]ibus iſthæc eſt, de IMMVNITATE Curialium a QVÆSTIONIBVS & plumbatarum ictibus: Quo in argumento verſantur (vt aliorum Principum conſtitutiones omittam, quas ſemel cumulaui ad *l. 39. ſupr.*) ſex aliæ eiusdem Theodoſii conſtitutiones: puta *lex* 85. 117. 126. 127. *infr. hoc tit.* & *lex 4. ſupr. de Tabulariis: l. 15. ſupr. de accuſationib.* ſcilicet hac immunitate omnes Curiales ab initio donauit Theodoſius *hac l.* pariter vt *l. 85. infr.* & *d. l. 4.* (quæ data eſt An. 384.) atenim poſtea coarctata iſthæc immunitas ab eodem, Anno 385. *l. 15. ſupr. de accuſationib.* & deinceps *l. 117. 126. 127. hoc tit.*

Ad hanc ſane legem, vel ad *l. 85. infr.* reſpexit Libanius *orat. περὶ ἀγγαρειῶν, num 7 pag. 36. Ed. Gothofr.* & *pag. 386. Oper. min. Gothofr. Edit. Cl. Trotz.* An. 383. ad ipſummet Theodoſium, *αἱ κατὰ τῶν βουλευόντων πληγαὶ διὰ κακίαν ἀρχόντων εἰς ἔθος ἥκον, τοῦτ' αὐτὸς ἀνῄρηκε νόμῳ*, ideſt, *Verbera Decurionum per malitiam Magiſtratuum in conſuetudinem venerant; hoc idem ille lege ſuſtulit*, vbi plura dixi, vt & ad *dict. leg.* 85. Eiusdem meminit & *Orat. adu. Icarium. p. 464. Edit. Morell.* quam Ann. 381. habuit. *ἐπαίετο τὸ μετάφρενον, κωλυόντων μὲν παλαιῶν νόμων, κωλύοντος καὶ τοῦ νῦν τεθέντος νόμου: percuſſus erat a tergo, vetantibus quidem legibus antiquis, cohibente vero lege recens lata.* Et Orat. altera inedita *κατὰ Ἰκαρίου* ad Theodoſium: *νόμον ἔθηκας, ὦ βασιλεῦ, μὴ ἐξεῖναι τύπτεσθαι παρὰ τῶν ἀρχόντων τοὺς ἐν ταύτῃ τῇ τάξει καὶ προσηγορίᾳ: legem dediſti, Imperator, quod non liceat verberari illos a magiſtratibus, qui ſunt in hoc ordine & ſalutandi ius habent:* vbi etiam duo exempla ſubiicit Flauiani Proconſulis Aſiæ (cui An. 383. inſcribitur *l. 18. de Suſceptorib.*) magiſtratu deiecti, & *Præfecti* alterius *Ægypti*, ideo quoque in vincula coniecti, quod eam *leg.* violaſſent: Quod poſtremum ideo quoque notandum eſt, quia *hæc lex*, pariter vt *lex 126. infr.* de hac Curialium immunitate, ad Ægyptum quoque pertinent, & *Præfectis Ægypti* ſeu Auguſtalibus inſcribuntur. Tandem ſub finem *Orationis* Theodoſium hortatur, vt *legem* a ſe ſuper eo latam, violatorum pœna ſanciat: quo facto vltro iam quis ſeſe Curiæ daturus ſit: cum violata ea Curiam defugere iuberet, vt *initio Orationis* ſcribit.

Cæterum *huic l.* iungenda venit, *lex 20. infr. de operibus publicis*, ceu eiusdem Theodoſianæ conſtitutionis imo mandatorum vt exiſtimo pars, quæ Iuliano cum Imperio in Ægyptum a Theodoſio M. deſtinato, data fuerunt, vt indicant ſatis & *huius* & *illius legis* verba. *Iudex*, inquit illa, *qui ad Prouinciam fuerit deſtinatus, &c. Grauitas igitur*, ait hæc, *Tua, ſanctionis maieſtate perſpecta, non ſolum a corporalibus Curialium iniuriis temperabit, verum etiam tota obſeruatione prouidebit.* Sane & de operibus publicis aliquid Mandatis Principum comprehendi ſolitum, aperte docet *lex vlt. D. de operib. publ.* Et de Decurionibus & principalibus ciuitatum, eorumque pœnis, quæ Iudicibus interdictæ, apertiſſime *lex 15. 27. §. 1. & 2. D. de pœnis*: itemque de reis tormentis ſubiiciendis, vt docet Tertullianus ad *Scapulam, cap. 4.*

P.412. *E* FABRICENSIVM *corpore Curiales ad Curiam retrahendos, non alios.*

LXXXI. (a) Idem AAA. ad Neotherium PF. P. (b)

FABRICENSES (c) Ordinibus reſtituantur, qui (d) originem Curialem & propriæ munera declinauerint ciuitatis: reliqui, (e) ne leui quidem inquietudine pulſentur. (f) Dat. XVI. Kalend. April. Theſſal. Gratiano V. & Theod. I. AA. Coss. [380.]

NOTAE.

(a) *L. 32. Cod. Iuſt. eod. tit.* Iungenda autem huic *lex prox.* 82. *GOTHOFR.*

(b) *Neotherius* ſub Theodoſio M. PP. Orientis. Eidem præter alias multas inſcribitur hec ipſo Anno in eodem ferme argumento *lex* 3. *ſupr. de Tabulariis: lex* 3. *de deſertor. lex* 11. *de fil. mil. app.* *ID.*

(c) Curialem Originem trahentes &c. *ID.*

(d) *Qui*, hæc vox limitatiua eſt. *ID.*

(e) Fabricenſes. *ID.*

(f) De hac pulſandi voce v. *Gloſſ.* *ID.*

Ex OFFICIIS *quibuscunque, & ex* SENATORIA *dignitate, Curiales ad Curiam reuocandos.*

LXXXII. (a) Idem AAA. Neotherio PF. P. (b)

OMNES ad Curiam præcipimus reuocari, qui ad munera ſubeunda originalibus vinculis occupati Officia conantur exhibere maiora: ſiue ſe ſplendidiſſimo Senatui tradiderunt, ſiue per Officia (c) militantes, obſequia patriæ denegarunt: ſi tamen Allegationum meritis deſeruntur. Dat. XVI. Kal. April. Theſſalonicæ, Gratiano V. & Theod. I. AA. Coss. [380.]

NOTAE.

(a) Abeſt hæc *lex a Cod. Iuſt.* Iungenda autem huic *lex prox.* 81. *ſupr.* *GOTHOFR.*

(b) Orientis: dixi ad *d. l.* 81. *ID.*

(c) An Officiales Iudicum? an Officia Palatina intelligit? Vid. *l.* 134. *infr.* *ID.*

COMMENTARIVS.

DE REVOCANDIS Curialibus ad Curiam, ſunt hæ duæ Theodoſii Magn. *leges* inter ſe coaſſandæ, ceu vnius & eiusdem conſtitutionis partes: quibus Curiis, quæ diuerſis rationibus tum vacuatæ fuerant, conſultum it, tribus ſcilic. Erant nimirum, qu *Fabricenſes* (de quibus *ſuo tit. ſupr lib.* 10.) Erant, qui *Senatores* facti fuerant: Erant denique, qui per Officia, vt exiſtimo, Palatina militauerant: Qua triplici ratione cum maxime tutos ſeſe fore Curiales putarent; obtentu inquam neceſſariorum prioris Reipublic. corporis Fabricenſium: obtentu ſplendidiſſimæ dignitatis Senatoriæ: obtentu priuilegiorum militiæ Palatinæ: his necquicquam obſtantibus, & præualente apud Theodoſium M. Curiarum & ſic Ciuitatum vtilitate, & *Fabricenſes* ad Curialem originem retrahi iubet *l.* 80. quod & antea iuſſit Conſtantius *leg.* 38. *ſupr. hoc tit.* Iuſſit & poſtea Theodoſius Iun. *l. vlt. ſupr. de Fabricenſibus:* Intactis *reliquis* Fabricenſibus, qui origine Curiali non eſſent, ſeu Curiæ non obnoxii, quod G[lo]ſſa non cepit. Et *Senatoria* dignitate: vel Palatina militia necquicquam obſtante, eos Curialibus muneribus perfungi iubet, *l.* 82. pariter vt aliis quampluri[m]is *Legib.* quas *in Synopſi conſtit. Theodoſii de decurionib.* in ingreſſu *l.* 80. *ſupr.* protuli. In vniuerſum vero quid hanc in partem Principes & quam varie conſtituerint docent 26. præterea *leges huius tituli,* quas repetere licet ex *Paratitlo.*

Viceuerſa pari æquitate, vt ciuitatum commodis nil detractum voluit, ita neque fabricis, Fabricenſes ſcil. ſuæ poteſtatis, & a Curiali nexu alienos ad Curiam vocari vetat.

Exceptionem, quæ additur *fine legis* 82. explicat ſatis *lex* 74. *ſupr.*

De

Digitized by Google

P. 431. *De* VETERANORVM *filiis, militiæ inutilibus, ex* COHORTALIVM *officio ad Curiam reuocandis.*

LXXXIII. (a) Idem AAA. ……

SI quis militaris proſapiæ ſe officio Cohortis adgregarit, & ſi (b) infractis viribus grandæuam præferat ſenectutem, aut debilitatis obtentu, bellico inconueniens operi iudicetur, de ignauiæ latebris, vel ſera indagatione, retractus, Curiarum functionibus mancipetur. Scribta (c) Petro Conſulari Fœnicis Damaſco, prid. Id. Maii, Conſtp. (d) Gratiano (e) & Theod. I. AA. Coss. [380.]

NOTAE.

(a) Abeſt hæc *lex* a *Cod. Iuſt.* Iungenda autem ei *lex* 9. *ſup. de fil. mil. apparit.* Tranſcripta vero *hæc lex* paritet vt *d. l.* 9. ex Valentis *l.* 7. *ſup. de fil. mil. appar.* GOTHOFR.

(b) Aliud ſi bellico operi conueniens ſit, *d. l.* 9. *ID.*

(c) Eadem ſubſcriptio *d. l.* 9. *ID.*

(d) Imo *Theſſalonicæ*, qua in vrbe integro fere anno eſt commoratus Theodoſius. Vid. *Chron. Hiſt. ID.*

(e) Addendum *V.* vt *tribus quoque legib. ſuperiorib. ID.*

COMMENTARIVS.

VETERANORVM filii vel militare, ſi robuſti ſint, vel Curiæ mancipari, ſi debiles, vt aliis compluribus (de quibus ſemel ad *l.* 15. *ſup.*) ita & *hac* Theodoſii M. *lege* iubentur, iunct. *l.* 9. *ſup. de fil. mil. appar.* quæ vtraque ex eadem conſtitutione deſumpta, imo & exſcripta eſt ex Valentis *l.* 7. *ſup. de fil. mil. app.* Necquicquam obſtante OFFICIALI militia ſeu cohortali, qua quis videl. in cohorte ſeu inter Officiales Rectoris prouinciæ militat. Neque enim Officialis militia Veteranorum filios Armata militia liberat, ſi valentes & armis idonei ſint: vel Curia, ſi debiles: ſed alterutrum eos ſubire neceſſe erat: vt ita vtilem operam Reipubl. nauarent, vel in hoſtes, vel in ciuitatum Curiis. Et quidem iſtud ſubſidiarie, illud vero potius & principe loco: vt oſtendit *hæc lex* ac maxime coniunctio *huius l.* cum *d. l.* 9. Et vero id quoque nunc Theodoſio M. magis curæ fuit, vtpote illigato Gothico bello, ad quod militari ſupplemento opus erat, de quo ad *l.* 9. *ſup. de tironib.* vt & de *huius l.* ſubſcriptione *ad d. l.* 9. *ſupr. de fil. mil. appar.* Ergo ab officiali militia veteranorum filii retrahendi, vel ad militiam vel ad Curias. Ad militiam inquam; quod & ipſum ſtatuitur *l.* 22 *ſup. de cohortalibus.*

In NOMINATIONIBVS *Duumuirorum faciendis, quis Curialium* NVMERVS *requiratur.*

LXXXIV. (a) Idem AAA. ad Camenium (b) Vic. Afric.

IN Nominationibus, a ſingulis quibusque Ordinibus celebrandis, dudum expreſſæ † quantitatis (c) modum eatenus (d) volumus cuſtodiri, Vt eorum (e) in (f) duabus, quæ Concilio (g) adeſſe debent, partibus, numerus derogetur (h), quos aut obiectus debilitatis alienat, aut ſenectus pigra remoratur, aut Clericatus obſequia vindicarunt, aut crimen deſertionis abſentat, vt (i) ex reliquo numero duobus (k) tertiis ſupputandis. PP. Karthag. XV, Kal. Mart. Syagrio & Eucherio Coss. [381.]

NOTAE.

(a) Abeſt hæc *lex* a *Cod. Iuſt.* Concordat *lex* 142. quam Tribonianus prætulit, GOTHOFR.

(b) Forte *Carterium*, cuius mentio apud Symmachum, *lib.* 5. *ep.* 43. & ad quem Symmachus ſcribit *lib.* 8. *ep.* 16. & *lib.* 9. *ep.* 6. & 18. Sane aperte his duabus poſtremis indicat Carterium Iudicem fuiſſe, ſed nil temere adſtruo. *ID.*

† Vbi hæc *lex*? *ID.*

(c) *Quantitatis*, id eſt numeri Decurionum. *ID.*

(d) Nempe vt duæ Tertiæ Ordinis adſint, *hic* & *fine leg. ID.*

(e) Curialium. *ID.*

(f) γρ. *E. ID.*

(g) *Concilium*, id eſt conuentus Curiæ. Vide *inf. tit. de Legatis. ID.*

(h) *Derogetur*, id eſt detrahatur, ſubducatur. *ID.*

(i) γρ. *Et. ID.*

(k) γρ *Duabus. ID.*

p.414.

COMMENTARIVS.

VALENTINIANI Iun. decem conſtitutiones ſequuntur, Theodoſianis immixtæ, puta hæc *lex* & *lex* 84. 88. 89. 100. 114. Ex quibus ad Africam pertinent *lex 84. & 88.* Hæc nominatim eſt de NOMINATIONVM ſeu *Electionum* ad Honores municipales & Duumuiratum forma ad Africam pertinens: Et quidem de Numero Curialium, qui in Nominationibus requireretur. Igitur notandum, vetuſti & tralatitii iuris fuiſſe, vt duæ partes e tribus Ordinis ſicut in aliis actibus Curialibus, ita & in Nominationibus faciendis requirerentur: *lege* ſc. municipali (omnium municipiorum) canebatur, vt Ordo non aliter baberetur, quam duabus partibus adbibitis, ait Iuris Conſultus in *l. 3. D. de decretis ab ord. fac.* Addatur & *lex 3. cum ſeqq. D. quod cuiuscunque Vniu.* Quod & ipſum rurſum inculcatur *l. 142. inf.* vbi eleganter Honorius *duas partes Ordinis totius Curiæ inſtar exbibere*, ait. Atque hic eſt, qui *bac l.* dicitur, *expreſſæ dudum quantitatis modus*, quod & ipſum mox explicatur. Hoc certum.

Sed enim vt alia occaſione ſæpe quæſitum, quomodu duæ illæ partes computandæ eſſent, quod etiam ex *d. l. 3. cum ſeqq.* videre eſt, ita hac tempeſtate quæſitum, Vtrum omnes omnes computandi eſſent, qui Albo Decurionum continerentur: cum tamen ex iis, qui Albo Decurionum continerentur, quatnor hominum genera Concilio Curiæque adeſſe non poſſent: nonnulli ſc. ob debilitatem, alii ob ſenectutem, alii ob Clericatus obſequium (quo fit vt Curialis Clericus ab eo loco cui inſeruit recedere poſſit:) tandem ob deſertionem & abſentiam. Finge igitur iam, *trecentos* Curiales eſſe in Albo Decurionum: & finge *quinquaginta* ex iis quatuor cauſis abeſſe: quot requirentur ad Nominationem & concilium celebrandum? An ducenti (qui ſane duas Tertias Decurionum in Albo conſcriptorum faciunt;) vt ita omnibus computatis etiam abſentibus, ſemper duæ tertiæ partes totius numeri Albo comprehenſi requirantur: an vero duæ Tertiæ numeri tantum reſidui; deductis videlicet, ſeu vt *bac lex* loquitur, *Derogatis* abſentibus, & ſic duæ tertiæ præſentalium ſeu in præſenti conſtitutorum, atque adeo 167. tantum. Et vero hoc vltimum *bac l.* ab Imp. Valentiniano Iun. definitur: pariter vt ab Honorio *d. l. 142.* Nempe duæ partes Ordinis *in Vrbe poſita, quæque adeſſe poſſunt*, in nominationibus *ſolennibus* requiruntur, & totius Curiæ inſtar exbibent. Quod quidem vtiliter in praxim deduci poteſt: Neque tamen, quod ſciam, attingitur inter alias quæſtiones, quas congerit Nouarius ad *l. 45. Cod. Iuſt eod tit.* quæ eſt *d. lex 142. inf.* nam Amaya eam intactam reliquit. In praxim, inquam, deduci cum de numero requiſito agitur in aliquo Corpore ad aliquid faciendum.

Ex eo interim, quod de *Clericatu* hac *leg.* additur colligere mihi videor, ſub Imp. Valentiniano Iun. *buius l.* auctore, Clericatu Curialem conditionem euitatam: de quo alioquin varie admodum cautum eſt aliis legibus.

IMMVNES *a* PLVMBATARVM *ictibus eſſe Curiales.*

LXXXV. (a) Idem AAA. Eutropio PF. P. (b)

OMNES Iudices, prouinciarumque Rectores, a conſuetudine temerariæ vſurpationis abſtineant, ſciantque, neminem omnino Principalium ac (c) Decurionum, ſub qualibet culpæ aut erroris offenſa, plumbatarum (d) cruciatibus eſſe ſubdendum. Quod ſi quis forte Iudicum in hanc pertinaciam inliciti furoris eruperit, quod (e) audeat Principalem ac (f) Decurionem, & ſuæ (ſi ſic dici oportet) Curiæ Senatorem (g), plumbatarum (h) ictibus ſubdere, viginti librarum auri inlatione multatus, & perpetua infamia inuſtus, vt (i) nec ſpeciali quidem Reſcribto notam vel (k) eruere (l) mereatur, & Officium quinquaginta librarum auri multam fiſco noſtro cogetur inferre: quoniam, vt pertinaciæ Iudicis (m) reſiſtat, liberam eidem contradicendi permittimus facultatem. Dat. XII. Kal. Aug. Heracleæ, Eucherio & Syagrio Coss. [381.]

NOTAE.

(a) *L. 33. Cod. Iuſt. hoc titulo.* Iungenda autem huic *lex proxime ſequens 86. inf.* Hanc *leg.* forte intelligit Libanius *Orat. aduerſus Icarium, pag. 464. Edit. Morell.* GOTHOFR.

(b) *Eutropius* PP. Orientis ſub Theodoſio M. v. *Proſop.* ID.

(c) *Aut*, Cod. Iuſt. ID.

(d) *Plumbatarum* Vocem hic ſuſtulit Tr. : vt & rurſum *infra.* ID.

(e) *Vt.* ID.

(f) *Aut*, Cod. Iuſt. ID.

(g) De hoc mox. ID.

(h) *Tormentis* C. I. ſubductis rurſum *plumbatarum ictibus*, vt *ſupra* propter *l. 40. eod. tit.* quæ *hoc titulo* eſt *lex 117. inf.* ID.

(i) *Ne ſpeciali*, ita *C. Iuſt.* ID.

(k) *Vel*, abeſt a *Cod. Iuſt.* ID.

(l) Ita

(l) Ita quoque nonnullæ Editiones *Cod. Iuſt.* ſed *vg. eluere*, vt & correcta exemplaria Cod. I. præferunt. *Notam eluere*, propria ſignificatione. *ID.*

(m) *Sui*, additum C. Iuſt. *ID.*

P.435. COMMENTARIVS.

A Plvmbatarvm ictibus immunes eſſe iubet Principales, & Decuriones *hac l* Theodoſius M. cui iungenda quoque *lex prox.* ceu eiuſdem Theodoſianæ conſtitutionis pars: qua viceuerſa, Curiales qui Curiam dignitatibus impetratis declinauerant, ad Curiam vocari iubentur. De Immunitate Curialium a corporalibus iniuriis, fidiculis, & tormentis, iam ſæpe *ſupra* dictum eſt; ac nominatim *ad l.39. ſupr.* Nunc de Immunitate nominatim a *Plumbatis* (de quibus alioquin *Plumbatis* dixi ſemel plene ad *l. 2. ſup. de Quæſtionib.* adductis etiam pluribus e Libanio locis.) Igitur vt anteriora omittam, Conſtantinus M Decuriones immunes regulariter & indiſtincte a quæſtionibus eſſe voluit, ac proinde & a plumbatis: *l.21. Cod. Iuſt. de falſis.* Conſtantius pariter ab iniuria corporis eos immunes indiſtincte fecit, *l.39. 47. ſup.* Valentinianus ſcil. alicubi nonniſi Principales, patronorum dignitatem adeptos *l.61. ſup.* Sacerdotales etiam & principalis honore functos *l 75. ſup.* Gratianus vero Imp. cum omnes Curiales immunes præſtitiſſet a fidiculis & tormentis a ſummo ad infimum, a *plumbatarum* tamen ictibus ſolos Decemprimos immunes præſtitit, *l.2. ſup. de quæſtionibus* Theodoſius M. vt a tormentis, ita & a plumbatarum ictibus omnes Curiales immunes eſſe iuſſit, *l. 80. ſup. h. t.* ac nominatim a Plumbatarum cruciatibus *h. l.* Poſtea vero *l. 117. inf.* iuxta priſcam conſuetudinem debitores ſaltem publicæ pecuniæ, vel ſuperexactores, Plumbatarum ictibus ſubiecit, etiam principales *l 126.* (non vero proximos Curiæ *l. 127.* hos enim immunes eſſe voluit.) Item noxios *l. 15. ſup. de accuſat.* Honorius regulariter verberibus eos ſubiici voluit, *l. 153. inf.* ſolis Principalibus exceptis, *l. 6. ſup. de quæſtion.* Quæ & ipſa Theodoſii Iun. mens fuit, *l. 190. inf. h. t.*

Ex quibus interim apparet, non tantam fuiſſe iniuriam plumbatarum, ac fidicularum.

Nos ad *legem* noſtram redeamus. A Plumbatis igitur immunes præſtantur *hac leg.* Decuriones a Theodoſio M. idque peremptoriis & enixis admodum verbis & ſententiis ſex. *Primum* enim atrocibus verbis inſequitur Iudices id vſurpantes: nam & *conſuetudinem temeraria vſurpationis* vocat, & *pertinaciam illiciti furoris.* Iudices ſcil. ſæpe Curialibus infeſti his intonabant, & vsque ad verbera tanquam in Contumaces procedebant: cui rei fibula ſæpe impoſita Principum conſtitutionibus: de quo ad *leg. 39. ſup.* *Secundo*, Curialium dignitatem in id extollit, & Plumbatarum iniuriæ opponit, dum *Decuriones ſua, (ſi ſic dici oportet) Curia Senatores* vocat; nempe quod Senatus in Vrbe Roma, & ſimilibus erat, id in aliis Curiæ fuerunt. Hinc adeo Maiorianus *Nouella de Curialib. 1.* *Quorum* (Curialium) *cœtum recte appellauit Antiquitas, Minorem Senatum.* Et Maiorianum, vt alias, ſequutus Caſſiodorus id imitatus non vno loco, II. *Var. 18.* ad Gudilam Epiſcopum, *Antiquitatem vocaſſe Curiam Minorem Senatum*, & in *formula Præf. Prætor.* VI. *Var. 3.* *Curiales etiam verberat, qui appellati ſunt legibus, Minor Senatus.* & IX. *Var. 2. in Edicto Athalarici R. Non enim incaſſum vobis Curiam conceſſit Antiquitas: non inaniter appellauit Minorem Senatum, Neruos quoque vocaus ac viſcera Ciuitatum.* Hinc adeo Iuſtinianus *Nouella 38. in princip.* Curias exemplo Senatus Romani inſtitutas ait, κατα τὴς τῆς βασιλευούσης πόλεως μίμησιν, *ſecundum regia vrbis inſtar.* Et Auſonius in *Moſella*, proprium Senatum vocat, *v.401.*

——— quos Curia ſummos
Municipum vidit Proceres, propriumque Senatum.

Quare & dignitas Curialibus tribuitur, *l. 108.* de quo ad *leg. 92. inf.* Cuius ſimilitudinis multas ſtructuras afferre liceret, vbi pari ſcil. paſſu vtrique ambulant, & a Senatorum exemplo argumentum ducitur, vt *hac l.* & *leg. 101. inf* de quibus v. Berterium 2. *Pithanon c. 10. Tom IV. Theſ. Iur.* Et non proprie tamen Senatores, *ſi ſic dici oportet*, quare male Interpretes multi, qui vbi Βυλευτὰς Græci Scriptores vocant, *Senatores* vertunt: in his, Iuliani & Zoſimi Interpres, & Nicephori *lib. 10. c. 13.* Ambulare igitur Theodoſius eos & hac parte pari paſſu voluit, quaſi indignus cruciatus hic eſſet, vt & Senatore, ita & Decurione. *Tertio*, omnibus Iudicibus id interdicit, cum tamen videatur hic diſtinctio quædam aliquando facta, Iudicum maiorum ſcil. qui decuriones plumbatis afficere poſſent: quod et aut colligere eſt ex eiuſdem Theodoſii *l. 112. inf.* *Quarto*, nullum culpæ aut erroris genus excipit: cum tamen ipſemet Theodoſius poſtea culparum diſtinctionem fecerit, *l. 15. ſup. de accuſationib* & *l. 117 l. 126 127. inf.* Qua cauſa Tribonianus, cum *hanc l.* in *Codicem ſuum* transferret, eam interpolauit, detracta mentione *plumbatarum*, & prælata *l. 117.* quæ eo Codice *legem 40.* conſtituit. Quod vero hic dicitur, *culpa aut erroris*, male diſtinguit *Gloſſa*, quaſi *error* ſit, quod per ignorantiam delinquitur: *Error* enim & culpa hic παραλλήλως poſita & pro eodem. *Quinto*, Pœnas ſeueriſſimas proponit Iudicibus Curiales plumbatarum ictibus ſubiicientibus; nempe mulctæ 20. librarum auri & infamiæ perpetuæ, (quæ ne quidem Reſcripto Principis elui poſſit, cum alias Principis proprium ſit, notam infamiæ eluere:) & Officialibus eorum 50. lib. auri: ſc. quod *ſexto* loco obſeruandum, atrocitatem facti plurimum arguit, quod Officiales, Iudici hac parte reſiſtere debuerunt. Nempe vt in aliis multis, quæ paſſim occurrunt *hoc Codice*, ita & hac parte Theodoſius M. liberam facultatem Officialibus tribuit, reſiſtendi pertinaciæ Iudicum. Tertulliani *de Anima* locus alludit *c. 40.* *Grauior inuidia eſt in Præſidem, cum Officia pulſantur: plus cæditur qui iubet, quando nec qui obſequitur, excuſatur.*

Tandem de *hac* omnino *lege* ſenſiſſe puto Libanium *Orat. aduerſus Icarium pag. 464. Edit Morell.* quam hoc tempore habuit: ἐπαύετο τὰ μετάφρενον,

νον, κωλυόντων μὲν παλαιῶν νόμων, κωλύοντ☉ δὲ τῶ νῦν τεθέντ☉, *percuſſus erat a tergo, vetantibus quidem legibus antiquis, cohibente vero lege recens lata.* Vt & Orat. inedita κατὰ Ιναχίυ: & Orat. περὶ ἀγγαρειῶν, *pag. 36. Edit. Gothofred. & pag. 386. Oper. min. Gothofred. Ed. Cl. Trotz.*

P. 436. DIGNITATIBVS, *per ambitionem impetratis, Curiales, multo minus filios eorum, Curia liberari.*

LXXXVI. (a) Idem AAA. Eutropio PF. P. (b)

QVI laborem Curialis officii declinantes, per inlicitæ ambitionis compendia (c) provecti, (d) non merito, probantur eſſe, ſed pretio, nulla debent ratione defendi, ſed functionibus debitis redhiberi. (e) Super eorum autem Filiis reuocandis, nullius dubietatis exſtet ambiguum. Dat. XII. Kal. Aug. Heracleæ Eucherio & Syagrio Coss. [381.]

NOTAE.

(a) Abeſt hæc *lex* a *Cod. Iuſt.* Iungenda autem ei *lex ſuperior prox.* 85. Eam intelligit inter alias Theodoſius, *l.* 98. *infr.* *GOTHOFR.*

(b) *Eutropius* PF Orientis ſub Theodoſio M. v. *Proſopogr. ID.*

(c) *Compendia*, ſunt, per quæ quis non ordine ſeu per gradus, ad quamcunque rem enititur. *ID.*

(d) Ad dignitates. *ID.*

(e) *Redhiberi*, reſtitui: v. *Gl. Theod. ID.*

COMMENTARIVS.

DIGNITATE, per embitionem, & per compendie, non merito, id eſt, vniuerſis muneribus non expletis impetrata, Curialem Curia liberari vetat *hac l.* quæ eleganti ſtylo conſcripta eſt, Theodoſius M. imo ea nil obſtante, eum ad Curiam & Curialia munera retrehi iubet: pariter vt *l.* 87. *prox.* & *l.* 94. 98. 122. 123. 134. *infr. hoc tit.* Denique, quod eleganter dicitur *d. l.* 122. manere eos in ſinu patriæ voluit, & veluti dicatos infulis myſterium perenne cuſtodire; id eſt, munera Curialia explere: Quod & de FILIIS eorum reuocandis, & quidem multo magis, ſtatuitur *hac ipſa leg.* & *dict. leg.* 98. 122. 123.

Neque ADVOCATIONE, *neque* MILITIA, *neque* DIGNITATE *vlla Curialem a Curia liberari.*

LXXXVII. (a) Idem AAA. ad Florum PF. P. (b)

VNIVERSOS, qui ſe tam cauſarum actionibus, quam etiam ſacramentis militaribus ceſſantes, (c) ac ſtipendiis manciparunt, ad obſequium Sublimitas Tua iubeat redire Curiale. Eos vero quos emptæ defenſionem præferre conpererit dignitatis, cunctas quas crediderant ſubtrahendas, complere præcipiat functiones. Dat. III. Kal. Aug. Heracleæ, Eucherio & Syagrio Coss. [381.]

NOTAE.

(a) Abeſt hæc *lex* a *Codice Iuſt.* Eam inter alias intelligit Theodoſius ipſe *l.* 98. *infr. GOTHOFR.*

(b) *Florus* PP. Orientis ſub Theodoſio M. v. *Proſopogr. ID.*

(c) Locus hic de menda ſuſpectus videri poſſit, quod tamen ipſe non puto. *ID.*

COMMENTARIVS.

E TRIPLICI vitæ genere Curiales, ad quod multi hac tempeſtate confugerant, reuocari iubet Theodoſius Magnus, *hac l.* nempe 1. *ex* ADVOCATIONE. Aduocatio ſcilicet Curia non liberat: quod ipſum cauetur duabus aliis eiusdem Theodoſii Magni conſtitutionibus, puta *leg.* 98. 116. *infr hoc titul* imo & quarta Valentiniani Senioris, *leg.* 77. *ſupr.* vbi dixi, pluresque alias *leges* ſimiles attuli.

2. E MILITIA Armata: nam neque per hanc Curialem Curia liberari voluit Theodoſius Magnus: *hac leg.* & *leg.* 3. *ſupr. de Tabulariis* & *l* 113. 137. 139. *infr.* de quo & aliorum Impp. conſtitutiones occurrunt, quas in *Paratitlon* congeſſi. Inter alias vero exſtat & Valentiniani Iunioris *lex prox.* 88.

3. DIGNITATIBVS emptis, de quo ad *prox. leg. ſupr.* 86.

MILI-

P.4ſſ. **MILITIA** *Armata, vel Palatina, Curiam euitari non poſſe, niſi poſt certum tempus.*

LXXXVIII. (a) Idem AAA. ad Syagrium PF. P. (b) Poſt alia. (c)

CVRIALES, niſi per quinquennium armata militia, vel per triginta annos dignitas Palatina defendat, certum eſt origini eſſe reddendos: ita vt ſeruata quinquennii de præterito condicione, & in poſterum iſtiusmodi perſonis a conſortio militiæ celſioris (d) excluſis, omnes, qui intra præſeribtum tempus inter Palatinos habentur, ſeu inter Protectores, (e) aut Domeſticos, reſtituantur ſuæ fortunæ. PP. (f) V. Id. April. Karthag. (g) Poſt conſ. Syagrl & Eucherl vv. cc. [382]

NOTAE.

(a) Abeſt hæc *lex* a *Cod. Iuſt. GOTHOFR.*

(b) Eidem *Syagrio* inſcribitur *lex prox.* 89. Ad hunc extant plures Symmachi epiſtolæ *lib.* 1. Meminit huius Syagrii PP. Ammianus *lib.* 28. *cap.* 2. Auſonius hunc carminibus ſuis patronum elegit, carmine ad eum ſcripto. vid. plura in *Proſopograph.* Fuit autem PP. Africæ & Italiæ: de Africa liquet vel ex *huius l.* ſubſcriptione. Illyrici etiam, in qua Moeſia prima, vt docet ſubſcriptio *legis* 89 *prox. ID.*

(c) Quæ interciderunt. *ID.*

(d) *Celſa, celſior* militia: militiæ epitheta. Ita & Sex. Aurel. Victor. *ID.*

(e) De his *ſuo titulo, ſupr. lib.* 6. *ID.*

(f) Data forte ipſo Conſulatu Syagrii & Eucherii. *ID.*

(g) *Karthagini* PP. hæc *lex* ad Curias Africæ, & nominatim forte ad Karthaginienſem, *ID.*

COMMENTARIVS.

MILITIA Armata, vel PALATINA, veluti Protectoris Principis aut Domeſtici (de quibus ſuo titulo *lib. 6. ſupr.*) Curiam vitari vetat *hac l.* Valentinianus Iun. & quidem in poſterum abſciſe: in præteritum vero id indulget, immunitatem ſcil. a Curialibus muneribus, ἀπραγμοσύνην, vt loquitur Gregor. Nazianzenus *ep. ad Nectarium* 51. *vel* 3. ſi quinquennium quis in militia Armata exegerit, ſi triginta annus in dignitate Palatina: In quo argumento multæ aliæ *leges* occupatæ ſunt: quæ e *Paratitlo* peti poſſunt. Imo ipſiusmet Valentiniani Iun. per eandem Africam: *lex 95. infr.* qua quindecennali militia Armata Curialem Curia liberet: & alteram *l. 100. infr.* qua Palatinam militiam regulariter a Curia non liberare ſtatuit: Quæ Theodoſio M. nominatim hac parte ſententia fuerit, dicam ad *legem 100. infr.* etiam ex Ambroſii *ep. 29. ſiu. lib. 2. epiſt. 17. in fin. pag. 215. Tom. V. Oper. Edit. Pariſ 1614*

Illud interea obſeruandum, quod *hac l. de Palatinis ſtipendiis* conſtituitur ad Syagrium, quem omnes qui Palatinis ſtipendiis eniteſcunt, ſuo præſidio iuuare ſolitum, ſcribit Symmachus *libro 1. epiſt. 98.*

Illud etiam obſeruandum, *hanc leg.* pertinere ad Curiam Karthaginienſem: Nempe cum Curialium recenſus hac tempeſtate ibi ageretur, compertum eſt, multos dilapſos: Igitur hanc rem ad ſuam curam reuocans Valentinianus, Curiæ Karthaginienſi *h. l.* conſultum iuit. Ad quam ipſam Curiam Karthaginienſem pertinet eiusdem Valentiniani *lex 84. ſupr.* & *lex 95. infr.*

De FILIIS *Decurionum, &* VETERANORVM *ad Curiam vocandis.*

LXXXIX. (a) Idem AAA. ad Syagrium (b) PF. P. (c)

OMNES omnino quos paterna obſequia *Municipes* (d) fecerunt, reſultandi (e) Curiæ nexibus, qualibet auorum atque maiorum ſtemmata referant, (f) licentiam penitus amittant: non minore Rectoribus, ſi hoc conceſſerint, periculi denunciatione conſtrictis. *Veteranorum* quoque filios, armis inpares, ſeque otio, vel debilitate membrorum vel mentis torpore, donantes, vindicet Curiarum neceſſitas. Dat. (g) III. Non. Iul. Viminacio (h) Poſt conſ. Syagrl & Eucherl vv. cc. [382.]

NOTAE.

(a) Abeſt & hæc *lex* a *Codice Iuſt. GOTHOFR.*

(b) Eidem *Syagrio* PP. inſcribitur *lex* 88. vbi dixi. De eo v. & *Proſopogr. ID.*

(c) Italiæ, Africæ, Illyrici. *ID.*

(d) *Municipes*, ideſt, Curiales, *h. l.* & *l.* 4. *ſupr.* & *l.* 105. 110. 130. 137. 143. 144. 147. 134. *infr. hoc tit.* & *l.* 41. *infr. de operib. publ. l.* 2. *ſupr. quid prob. deb. l.* 17. *infr. de luſtrali*: vid *Paratitl. ID.*

(e) *Reſul-*

(e) *Reſultare* Curiæ nexibus: ideſt, ab ea reſilire, eam declinare *h. l. & l. 181. infr. ID.*
(f) Vel *præferant. ID.*
(g) Forte pro *reddita*, vel *accepta.* vid. *Chronol. ID.*
(h) *Viminacium.* in Moeſia prima. *ID.*

P. 438.

COMMENTARIVS.

FILIOS Curialium, vt & Veteranorum ad Curiam adſtringi iubet *hac l.* Valentinianus Iun. quod & alii Principes multis conſtitutionibus ſanxere, quas ex *Paratitlo* petere licet: Hæc ſane cothurno Gallicano plurimum aſſurgit.

1. Filios porro *Curialium* in tantum ad Curiam adſtringi iubet, vt adſtringi velit, etſi Auorum atque Maiorum ſtemmata *referant*, vel *præferant*: ideſt, Auum & Maiores ſuæ poteſtatis, ſeu non, Curiales habeant: ſatis ſcil. eſt patrem Curialem eſſe, cuius conditionem filii ſequuntur: nequicquam eos iuuante Auorum vel Maiorum conditione. Quod & ipſum placuit Valentiniano Sen. huius Valentiniani Iun. patri, *l. 64 ſupr.* vbi etiam dixi. Vnde apparet potiorem hac parte haberi rationem conditionis Patris quam Aui & Maiorum: & ſic Maiorum libertatem ab vltimo parente ſic infringi, vt inde liberi ſtatum capiant nulla ratione habita Maiorum. Quod ſingulari ratione & fauore Curiarum introductum eſt: & ad alia ſi quando in praxin deduci poteſt.

2. *Filios* quoque *Veteranorum* Valentinianus Iun. *h. l.* Curiæ vindicari iubet, nempe armis impares, vel otio ſe donantes, vel debilitate membrorum, vel mentis torpore ſeu ignauia. De quo iam pluribus *Legibus*.

De Curialibus SENATORIBVS *factis.*

XC. (a) Idem AAA. Proculo (b) Com. OR. (c)

VNIVERSOS, qui ex Conſulatu (d) diui Pii (e) Conſtantii decimi (f) & Iuliani tertii (g) (hoc enim tempus eſt quod Diuorum parentum (h) noſtrorum Valentiniani, (i) & Valentis decreta † ſignarunt) ex genere Curiali ad Senatoriam dignitatem adſpiraſſe conſtiterit, vel reſtituendis (k) omnibus functionibus quas debebunt, curabis addicere, vel ſi cunctis functionibus obſecuti ſunt, in ſubſtituendis quam maxime idoneis obnoxios facere non deſiſtas. Dat. VIII. Id. Mart. Conſtantinop. Antonio & Syagrio Coss. [382.]

NOTAE.

(a) Abeſt hæc *lex a Cod. Iuſt.* Hanc inter alias legem ſuam ipſe Theodoſius intelligere videtur, *leg. 98. infr.* Forte *huic* iungenda *lex prox. 91.*

(b) *Proculo huic Comiti* Orientis inſcribitur præterea anno prox. *lex 105. infr. hoc tit. & lex 14. ſupr. de cohortal.* Ad eundem etiam ſcripta eſt *lex 22. infr. de Operib. publ.* omiſſa dignitatis appellatione. Meminit huius Libanius *de vita ſua, p. 66. 68.* & Oratione *ad Icarium* (eius in Comitiua Orientis ſucceſſorem) *p. 455. 456. 458. Edit. Morell.* quibus locis omnibus adminiſtrationem eius tyrannicam ſuggillat: ſuumque in eum odium teſtatur. Tandem & quomodo cum dedecore magiſtratu deceſſerit, narrat. Extant & plures ad eum Libanii *epiſtolæ*: in quibus tamen ei adulatur iam ad Præfecturam Vrbis promoto. *ID.*

(c) Cuius ſedes Antiochiæ. *ID.*

(d) Qui congruit A. D. 360 *ID.*

(e) *Pii* cognomen *h. l.* tribuitur Conſtantio a Theodoſio M. Quod alibi quod ſciam, non occurrit. *ID.*

(f) *Decimum. ID.*

(g) *Tertium. ID.*

(h) *Parentes* ſuos *hac l. & l. 105.* Valentinianum & Valentem vocat Theodoſius M. nempe quia deceſſores in Imperio. De qua appellatione vide, quæ dico prolixe ad *leg. un. de act. cert. temp. fin. ID.*

(i) Exemplum *hac & d. l. 105.* habemus, laudatarum conſtitutionum ſub duorum Collegarum Imperatorum nomine, cum reuera tamen vnus tantum Auctor conſtitutionis eſſet, & quidem in ſp. *huius l.* Valentis. *ID.*

† *Legem 74 ſupr.* intelligit Theodoſius M. *ID.*

(k) Ideſt, ad præſtandas omnes functiones. *ID.*

COMMENTARIVS.

SENATORES ex Curialibus intra hos viginti duos annos (a Conſulatu videlicet Conſtantii X. & *Iuliani III.* id eſt, ab Anno Dom. 360.) factos, Theodoſius M. *hac l.* (quæ data eſt Anno D. 382.) ad alterutrum adigi iubet: vel inquam ad Curialia munia explenda; vel, ſi ea iam expleuerint, ad alios idoneos loco ſuo vicarios (vt vocantur *l. un. infr.* ἀντιψύχους) Curiæ ſubſtituendos. Quæ Alternatiua duabus aliis præterea eiuſdem Theodoſii M. conſtitutionibus continetur, puta *l. prox. 91.* (quæ forte *huic* coniungenda eſt) & *l. 98. infr.* vbi & ratio redditur huius ſubrogationis: *ne quid*, inquit, *Patriæ periiſſe videatur*; quæ hanc inter alias indicare videtur. Sunt alioquin plures aliæ Theo-

doſii

doſii M. conſtitutiones *hoc titulo* in hoc Senatorum ex-Curialibus factorum argumento occupatæ, puta *lex* 82. *ſupr. lex* 93. 111. 118. 122. 123. 129. *infr.* Ita quidem vt *d. l.* 111. & *l.* 118. hanc Vicarii alterius ſubſtitutionem non admittant. Et in vniuerſum 27. conſtitutiones *hoc titulo* occurrunt in hoc argumento occupatæ, quas repetere licet ex *Paratitlo.*

Illud obſeruandum, *hac l.* eum quem dixi *Conſulatum* huic rei terminum figi, atque adeo eam, quam dixi, Alternatiuam proponi Curialibus Senatoribus factis: ac proinde Theodoſium anterius, ideſt, ante eum Conſulatum, ſeu ante 22. annos, Senatores factos inquietari noluiſſe: verum ipſa antiquitate ſeu præſcriptione 22. annorum & vlteriora defendi: Idque exemplo, firmataque nominatim ſuper eo conſtitutione Valentis (quam ſub vtriusque Imp. collegæ nomine allegat; Valentiniani inquam, & Valentis; pro more tum recepto:) puta *l.* 74. qua hoc ipſum παράπηγμα ἀφ' οὗ a Valente hac in re ſtatutum fuerat. Hoc tamen inter vtromque diſcrimine; Quod Valentiacæ conſtitutionis tempore, quæ data eſt An. 371. vndecim annorum præſcriptio tum ſufficiebat, vtpote cum non plures Anni ab eo Conſulatu ad eam Valentis conſtitutionem effluxiſſent: Hoc vero, huius Theodoſianæ conſtitutionis tempore, ad euitandam eam quam dixi Alternatiuam, & abſolutam Senatoriæ dignitatis poteſtatem 22. anni requirerentur (tot enim ab eo Conſulatu 360. ad hunc *huius leg.* annum 382. effluxerant:) Sed tamen (quod ex hiſtorica veritate petendum eſt,) eadem ſemper occaſione. Nempe παράπηγμα illud poſitum ideo, quia Conſtantii ſæculo e Curialibus ad Senatoriam dignitatem euecti fuerant: quod diſerte docet Libanius, *orat. in Iuliani necem, p. 296 Edit. Morell.* cuius verba iam retuli ad *l.* 48. *ſupr.* & fidem quoque facit *lex* 42. & ea ipſa *l.* 48. *ſupr.* Quanquam fatendum, grauius iſtud viſum, vt videl. qui forte viginti annis in Senatoria dignitate iam moraretur, ad Alternatiuam illam quam dixi adigeretur. Sed enim vel Theodoſii M. moribus iſtud conueniebat, Curiarum commodis ac nominatim Antiochenæ (nam eo *hæc lex* pertinet) enixe fauentit, vel certe Proculi Com. Orientis, cui *hæc lex* inſcribitur, ſæuis & tyrannicis moribus, quos perſtringit Libanius, *de vita ſua, p.* 66. 68 & *oratione ad Icarium, p.* 455 456. 458 *Edit. Morell.* De quo plura ad *l.* 14. *ſupr de cohortalibus:* quæ eidem *Proculo* inſcribitur: quæque pariter & ſæuius adhuc, Principes officiorum a Senatoria dignitate ad officia retrahi plumbatis coërcitos iubet.

(P. 430.)

De REVOCANDIS *Curialibus.*

XCI. (a) Idem AAA. Dario Conſ. (b)

SI qui Curiales Curia derelicta, neque debitas patriæ reddiderint functiones, nec, eum ipſi diſcederent, idoneos ſubrogarunt, ita eos conſtringi oportet, vt & agenda perſoluant, & in locum ſuum idoneos pro publica vtilitate conſtituant. Dat. VIII. Id. Aug. (c) Conſtantinop. Antonio & Syagrio Coss. [382.]

NOTAE.

(a) Abeſt hæc *lex* a *Cod. Iuſt.* Et forte iungenda ei *lex* 90. *prox. ſupr.* cuius eadem ſententia eſt. Et hanc conſtitutionem ſuam intelligit Theodoſius *leg.* 93. *infr.* GOTHOFR.

(b) Forte reponendum hic *Com. S. L.* pariter vt reponendum loco eiusdem vocis *Conſulem,* in Inſcriptione *l.* 1. *ſupr. qui bonis ex Leg. Iulia cedere:* vel loco vocis *Conſularem,* in Inſcriptione *legis* 3. *ſup. de Murilegulis.* Niſi putemus hunc Darium *Conſularem* alicuius prouinciæ fuiſſe & forte *Syriæ Cœles.* ID.

(c) *VIII. Id. Mart.* d. l. 90. *prox.* ID.

COMMENTARIVS.

DISCEDENTEM a Curia Curialem & ante expleta munera, neque ſubſtituto idoneo, ad vtrumque iam adigi iubet *hac l.* Theodoſius M. & munera inquam explere, & expletis iis idoneum alium ſubſtituere. Hæc ita *hac l.* Theodoſius in aliis Curialibus alio ſe conferentibus relicta Curia: At enim ad Senatoriam dignitatem ſeſe conferentibus Alternatiuam iniungebat, *l. ſuper.* vel inquam munerum explendorum; vel ſi munera iam antea expleuit, ſubſtituendi alterius; vbi vide quæ dixi.

PROCVRATIONE *alienarum facultatum Curiales interdicuntur.*

XCII. (a) Idem AAA. Floro PF. P. (b)

SI quis Procurationem facultatum (c) ſuarum Curiali crediderit eſſe mandandam, totius (d) dignitatis exceptione depulſa, (e) patrimonium eius, quod crediderat Curiali, proſcribtio fiſcalis inuadat. Ille vero, qui immemor libertatis, & generis, infamiſſimam (f) ſuſcipiens vilitatem, (g) exiſtimationem ſuam ſeruili obſecundatione damnauerit (h) deportationis (i) incommodo ſubiugetur. Dat. X. Kalend. Nouembr. Conſtantinop. Antonio & Syagrio Coss. [382.]

NOTAE.

(a) *L.* 34. *C. Iuſt. eod. tit.* Hanc *leg.* memorat Theodoſius Iun. *Nouella* 4. *ne Curialis prædium alterius conducat:* ſimul & ampliat. *GOTHOFR.*

(b) Orientis: cui eidem inſcribitur *lex* 96. *infr. ID.*

(c) *Facultatum*, id eſt, poſſeſſionum, fundorum, prædiorum. *ID.*

(d) Omnis, cuiuscunque. *ID.*

(e) *Grauiſſima pœna plectetur.* Ita hæc mutauit Tpiſſen. *ID.*

(f) *Infamiſſima. ID.*

P.440. (g) *Vtilitatem* habetur in nonnullis C. *Iuſt.* male. Qui error alibi frequens. *ID.*

(h) Ita *l.* 6. *ſupr. ad leg. Iul. de adulter. viril. corpus alieni ſexus damnare patientia. ID.*

(i) *Tradatur exilio.* Ita Tpiſſen. *ID.*

COMMENTARIVS.

PROCVRATIONE alienarum *facultatum* vt expreſſe hic dicitur, ſeu rerum, ideſt, prædiorum ſeu fundorum alienorum Curialibus interdicit Theodoſius M. *hac leg.* Quam multo poſt Theodoſius Iun. A. D. 438. *Nouella ſua* 4. *Ne Curialis prædium alterius conducat*, memorat ſimulque *Prouidentiſſimam ſanctionem* vocat, & extendit interpretatione ſua ad *Conductionem*, imo & ad fideiuſſionem conductionis: vnde deſumpta eſt *lex* 30. *Cod. Iuſt. de locato.*

Nonnulli ſcilic. actus Curialibus olim interdicti fuere, veluti Tabellionum, *l.* 3. *ſupr.* Locatio item vectigalium, *l.* 97. *infr* (vbi de eo dicam) adductis etiam *Legibus Digeſtorum:* Conductio prædiorum Reip. vel ſaltuum, *l.* 2. *ſupr de locat fund. iur. emphyt.* Procuratio tandem facultatum alienarum ſeu prædiorum *hac l.* Verum hæc omnia alia atque alia ratione. Iſtud ſcil. propter honeſtatem dignitatemque Ordinis Curialis: *Ille vero* (inquit, Theodoſius *hac l.*) *qui immemor libertatis & generis infamiſſimam ſuſcipiens vilitatem, exiſtimationem ſuam ſeruili obſecundatione damnauerit.*

Ergo Procuratio alienarum facultatum ſeu rerum, fundorum, prædiorum alienorum actus ſeruilis ſeu *ſeruilis obſecundationis*, olim viſum, *vilitatisque infamiſſimæ:* Contra, maior dignitas viſa Curialis, quam vt ad hanc vilitatem deſcenderet, cum exiſtimationis ſuæ detrimento, ſimul & totius Ordinis indignitate immemor libertatis & generis.

Quod quidem ad Procuratores negotiorum falſo hactenus trahitur ab Interpretibus *huius leg. Codice Iuſt. l.* 34 *de Decur.* quæ hinc eo translata eſt. Peruulgato exinde iam Pragmaticorum & Doctorum errore; quaſi Procuratoris negotiorum vile munus olim fuerit. Quod falſum eſt. Pari errore, qui contra Aduocati munus ſeu officium nobile eſſe perperam colligunt ex *l.* 7. *Cod. de poſtulando:* quæ *lex* huic ſententiæ fundamentum non eſt: etſi id aliunde recte colligatur. Nam hæc *lex* non eſt de Procuratoribus negotiorum, verum de procuratoribus alienarum facultatum, vt diſerte hic dicitur, ideſt, poſſeſſionum, fundorum, qui ſcilicet fundos alienos procurandos, colendos accipiebant, mercede Actores, quod vtique vile & ſeruile munus fuit, & ad id adhibiti ſerui: v. §. 7. *Inſt. de iniur. l.* 16. *D. de publicanis: l. vlt. D de off. præſidis:* & paſſim *hoc Codice* & apud *Symmachum.* Denique Procuratores hi fundorum ſeruis paſſim iunguntur & actoribus, eodemque iure habentur. v. vel *l.* 2. *ſupr. de pignoribus: l. vn. de peculio: l. vn. quod iuſſu:* quæ omnes inter ſe coniungendæ ſunt: Et dominos ex æquo habere dicuntur. v & quæ de his *Saluianus Maſſilienſis de gubernat. Dei lib.* 5. *cap.* 8 9 Sic ſane & militibus hoc ipſum interdictum, *l. vlt. Cod. Iuſt. de locato conducto.* Hinc & iis qui rem alienam adminiſtraſſent, Perfectiſſimatus dignitas collata non proderat, non magis quam ſeruili origine deſcendentibus, *l. vnic. Cod. Iuſt. de perfectiſſ. dign.*

Ergo huius prohibitionis ratio poſita eſt in *Dignitate Decurionum*, contra in vilitate Actorum horum & procuratorum: denique σχέσις ſeu Decurionum ſtatus comparatus cum Actorum vilitate huic interdicto locum fecit, vt hæc *lex* apertiſſime docet. Nam etſi Curialis nexus onera ſecum afferret & traheret, & quoad Curialium munerum rationem, Decuriones variis, & abiectis etiam quibusdam nexibus, & vinculis tenerentur quod variæ *huius tituli* leges palam faciunt, & Senatoriæ dignitati opponantur; de quo vid. vel *leg prox.* 93. attamen cæteroquin hic honos quidam fuit in municipiis, a plebeiis diſtinctus; ac multo magis ab omni actu ſeruili diſcretus: idque non hoc tantum Theodoſii Magni æuo, quod quidam opinati, verum vetuſto iam iure: Hinc adeo *honor* his tribuitur *l.* 4. 5. 29 49. *in fin.* 71. 72. 77. 182 189. *hoc tit. l.* 7. *in pr.* & §. 2. & *l.* 12 *D de Decurionib. l.* 15. & 17. §. 4. *D. ad municip. l.* 2. *Cod. Iuſt. de Aduocatis.* Imo & *dignitas* diſerte *l.* 108 *infr.* 51. *ſupr.* & *l.* 6. 12. *in fin. D. de Decurionib. l.* 13. §. 1. *D. de leg. Corn. de falſ. l.* 2 *D. de Albo ſcrib. d. l.* 15. & *l.* 22. §. 5. *D. ad municipalem:* & paſſim alibi. Hinc adeo & alias ſolicite cautum, ne ſordibus quibusdam inquinaretur & dehoneſtaretur Ordo curialis *l* 2. §. 2. *l.* 12. *D. de Decurionibus* & *l.* 8. *Cod. Iuſt. eod.*

Hæc igitur huius interdictionis ratio fuit, quam & pœnæ atrocitas teſtatur: nempe enim Curiali procurationem hanc ſuſcipienti deportationis pœnam imponit Theodoſius M. cuiusmodi ſane pœna non ſtatuitur in aliis actibus, qui interdicti Curialibus; *l.* 30. *Cod. Iuſt. de locato: l.* 3. *ſupr.* ſeu *l.* 15 *Cod. Iuſt. de Decurionib.* At procurationem facultatum ſuarum Curiali mandanti, eius patrimonii quod Curiali credidit, proſcriptio imponitur, omni exceptione ſubmota: quam pœnam Tribonianus arbitrariam reddidit, cum huius pœnæ loco, in *d. l.* 34. *grauiſſima pœna* plecti eum ſanciat. Hanc vero noſtram *legem* hac parte ſi vidiſſet bonus Accurſius,

ſius, non ex ea collegiſſet, eum, qui procurationem facultatum ſuarum Curiali mandauit, non repetere quod dediſſet: non item laboraſſet in *hac l.* concilianda, cum *l. 5. Cod. Iuſt. de condict. ob cauſ.*

De SENATORIBVS *Curialibus eorumque filiis ad Curiam reuocandis.*

XCIII. (a) Idem AAA. Clearcho PF. P. (b)

CVNCTI, qui ex Decurionibus Senatorum ſe ſplendori & collegio miſcuerunt, eorumque omnis ſuboles, vel quæ prius edita eſt, vel quæ poſtmodum docetur eſſe ſuſcepta, remittatur ad Curiam. Dat. VII. Kalend. Decembr. Antonio & Syagrio Coss. [382]

P. 441. NOTAE.

(a) Abeſt & hæc *lex* a *Cod. Iuſt.* eam intelligit quoque Theodoſius *l. 98. infr. GOTHOFR.*

(b) *yp* PV. *hic & l. 3. ſupr. de ſent. ex per. recit.* quod teſtatur *l. 2. ſupr. de ſent. ex peric. rec.* & *l. 3. infr. de Aquæductu:* & Socrates *lib. 4. hiſtoriæ Eccleſ. c. 8.* vbi diſerte huius Clearchi PV. meminit, & Anno proximo, *l. 1. ſupr. vt dignitatum ordo. ID.*

COMMENTARIVS.

SENATORAS ex-Curialibus factos, omnes, vna cum omnibus filiis, ad Curiam remitti, retrahi iubet *hac leg.* Theodoſius M. cuius in hoc argumento, de Senatoribus ex-Curialibus factis plores aliæ hoc titulo extant: puta *lex 82. 90.* (quæ hoc ipſo Anno data eſt) *ſupr. lex 111. 118. 122. 129. 132.* Et in vniuerſum *27. hoc titulo leges* occurrunt in hoc argumento occupatæ, quas ex *Paratitlo* repetere licet. Et *hac* quidem *lege*, Primum *Omnes* filii retrahi iubentur, pariter vt *dict. leg. 82.* & *dict. leg. 111. 118. 129.* nempe intra hos 22. annos, vt *d. l. 90.* id enim & *hac l.* præſupponendum. Secundo, Rurſum cum filiis, pariter vt filios reuocari idem voluit Curialium ad dignitates euectorum, *l. 86. 98. 122 123. hoc tit.* vel Clericorum factorum, *l. 123.* Magiſtrorum, *l. 93. infr.* Tertio, cum *omnibus filiis*, ſiue ante Senatoriam dignitatem, ſiue poſt ſuſceptis. Cum tamen alias filii poſt Senatoriam dignitatem ſuſcepti Senatorii ſerme cenſeantur: ſane in hoc ipſo argumento Valentiniano Sen. eadem quæ Theodoſio mens ſtetit, *l. 57 ſup.* puta vt Curialium, qui nondum expletis muneribus Curiales facti ſunt, liberi, poſt eam quoque dignitatem ſuſcepti, retrahantur. Contraria vero Valenti, *leg. 69. ſupr.* De qua quæſtione plene ad *l. 1. ſupr. de Senatorib. & gleb. collat.* Quarto, tandem *remitti* Curiales Senatores factos cum filiis iubet, nempe a Præfecto vrbis, cui hæc *lex* inſcribitur pari cauſa, qua & *lex* 155. 160. 180. hic enim Senatus & Senatorum Princeps fuit: de quo ad *l. 4.* & *vlt. ſupr. de iuriſdict. l. 13. ſupr. de accuſat. leg 10. ſupr. de maleficiis*, & Symmachus *libr. 10 ep. 62.*

Ex DIGNITATE *vel* MILITIA *quacunque retrahendis Curialibus.*

XCIV. (a) Idem AAA. Conſtantiano (b) Vic. Diœceſ. Pontic. (c)

VNIVERSOS, quos, furtiuam (d) militiam (e) & fraudes varias dignitatum, obſequia ciuitatum Grauitas Tua compererit refugiſſe, ac per ambitum honoris indebiti, neceſſarium patriæ miniſterium denegaſſe, ad Collegium Ordinum, & conſortium functionum, amota reuocare dilatione contendat: neque eos ſub excuſatione alicuius Officii, vel honoris permittat euagari: qui tunc demum libero poterunt honore gaudere, ſi vniuerſis muneribus nominationibusque completis, abſolutam poſſidere cœperint dignitatem. Dat. Prid. Kalend. Febr. Conſtantinop. Merob. II. & Saturnino Coss. [383.]

NOTAE.

(a) Abeſt hæc *lex* a *Cod Iuſt.* Eam quoque intelligit Theodoſius ipſe *l. 98. infr. GOTHOFR.*

(b) Eidem Conſtanciano Vicario Diœceſeos Ponticæ inſcribitur Anno ſuperiore 382. *lex 41. ſupr. de curſu publ.* & hoc ipſo Anno 383. *lex 12. ſupr. de exactionib. lex 7. ſupr. de deſertorib. lex 10. infr. de hæreticis. ID.* In *d. l. 10.* Conſtantiniano, legitur, quod probat Gothofredus ad *d. l. 7. ſupr. de deſertor.* Pleræque tamen leges *Conſtantiano* habent. *RITTER.*

(c) *Pontica* diœceſis: de hac, & Vicario eius vid. Notit. Imp. *fol. 79.* vbi vndecim eius prouinciæ numerantur; in *veteri Notitia Sconhoniana pag. 84. Edit Cellar. ad calcem Feſti.* nonniſi octo: vtpote nondum Cappadocia in duas diuiſa: & Galatia (quæ & ipſa indiuiſa) Aſianæ adſcripta, itemque Helleſponto. *GOTHOFR.*

(d) *Per ſuſtiuam*: vox, *per*, hic reſtituenda: vt *infr.* mox habetur *ac per ambitum*, *ID.*
(e) Id eſt, officium, vt *infr.* *ID.*

COMMENTARIVS.

DIGNITATE ſeu honore, vel OFFICIO ſeu militia quacunque Curialia munere vitari vetat *hac elegantiſſima leg.* rurſum Theodoſius M. vt aliis quamplurimus Legibus, quas Paratitlon omnes exhibet: Quid igitur? Reuocari eos ad Curiam iubet: & tum demum dignitate ſeu honore frui, cum omnibus muneribus Curialibus functi fuerint. Ergo in ſuſpenſo dignitatem interea eſſe vult, quam *abſolutam* poſtea poſſidere incipient, ſeu *libero honore* gaudebunt. Quod ipſum eliis quoque *Legibus* conſtituitur.

Singulare illud habet *hac lex*, quod pertineat ad Curias *Ponticæ* diœceſeos, in qua numerat *Index Sconbouianus* octo prouincias; *Notitia Imperii* vndecim; & in hic quidem *Bithyniam*, *Paphlagoniam*, *Pontum*, *Cappadociam*, *Armeniam* &c.

P.441. *De Curialibus ex* MILITIA *Armata, reuocandis.*

XCV. (a) Idem AAA. ad Euſignium (b) Proc. Afric.

VIRI Ordinibus nati ad militiæ non debent ſacramenta confugere. Poſt quindecim vero (c) ſtipendia, vinculo prioris Ordinis liberetur, qui ſe tribus luſtris, adſidue militaſſe, & neque bellicis neceſſitatibus, neque muneribus militaribus oſtenderit defuiſſe. Dat. IV. Kal. Mart. Med. Merob. II. & Saturnino Coss. [383.]

NOTAE.

(a) Abeſt hæc *lex* a *Cod. Iuſt.* *GOTHOFR.*

(b) *Euſignio* huic Proconſuli Africæ inſcribitur hoc ipſo Anno 383. *lex vn. ſupr. de mand. Principum*: hic paulo poſt PP. fuit: vti docent plures conſtitutiones *hoc Cod.* Sed & plures extant ad eum Symmachi epiſtolæ, *lib.4.* ab *ep.67.* *ad finem libri.* Sane Africæ quoque mentio fit *vltima Epiſtola.* Ex quo putabat Iuretus, eam ad hunc eius Proconſulatum Africæ referendam. Quanquam & ad ingruentem Romæ famem ob Africæ penuriam, non tantum Proconſularis, verum prouinciarum Africanarum, referri poſſit. *ID.*

(c) Tamen. *ID.*

COMMENTARIVS.

MILITIA armata quindecennali, Curialem Curia liberari iubet *hac lege*, Valentinianus Iunior, idque per Africam Proconſularem. Quindecennali ergo militia (per integram Indictionem) liberari permittit, qui tamen ſuperiore Anno *leg. 88 ſupra*, per eandem Africam, nonniſi in præteritum quinquennali militia eum liberari permiſerat, in poſterum vero Curiales omnino a conſortio militiæ excluſerat: vt proinde videatur Valentinianus Iunior *hac lege* ſua illi derogaſſe:

Hac interim *leg.* obſeruetur, *tria luſtra*, ſeu *quindecim annos* hic pro eodem ſumi: Vt dubitandum non ſit, *luſtrum* quinque annorum ſpatium fuiſſe.

Cur autem hoc quindecim annorum ſpatium definit Valentinianus Iunior? Nempe quia ante quindecim retro annos ſub Valentiniano Seniore Patre eius iam inde ab exordio Valentiniani, Barbaris Africam vexantibus (quod Ammianus teſtatur *libro 26. cap. 4. in fin.* & *libro 27. cap. 9.* & *libro 28. cap. 6.*) & militari ſocordia accedente (quod Ammianus teſtatur, *dicto libro 27. cap. 9.*) Multi Curialium fas putarent ad prouinciam tutandam, ad militiam ſeſe conferre: Quæ cauſa videtur cur Valentinianus Senior Anno 368. quinquennali militia per Mauritaniam Curiales Curia liberauerit, *leg. 64. ſupr.*

1. *De* PLEBEIIS *idoneis ad Curiam in Myſia vocandis*: 2. *Deque* ORIGINALIBVS *Curialibus ex officiis prouinciæ retrahendis.*

XCVI. (a) Idem AAA. Floro PF. P. (b)

CONCESSVM (c) Curialibus prouinciæ Myſiæ, (d) vt ſi quos e plebe (e) idoneos habent, ad Decurionatus munia deuocent: ne (f) perſonæ famulantium (g), facultate locupletes, onera, pro quibus patrimonia requiruntur, obſcuritate nominis vilioris euadant. In quorum deſiderio (h) etiam iſtud adiectum eſt, vt Originales, (i) qui ad diuerſa prouinciarum Officia confugerunt, ex diui Iuliani † tempore, ad Curiales functiones, ſublata omni ambiguitate, retrahantur. Dat. III. Non. Mar. Conſt. Merob. II. & Saturnino Coss. [383.]

NOTAE.

NOTAE.

(a) Abeſt hæc *lex a Cod. Iuſt.* Iungendaque ei videtur, etſi ad alium data, *lex 12. ſupr. de priuileg. eor. qui in Sacro Palat.* *GOTHOFR.*

(b) Florus ſub Theodoſio M. PP. Orientis, in qua Præfectura Thraciæ Diœceſis erat, cuius prouincia Myſia ſecunda. Eidem inſcribitur & *lex 92. ſupr.* aliæque plures. *ID.*

(c) Ad deſiderium eorum. Et eſt abruptum hoc initium, quod deſumptum ex prolixiore conſtitutione, quæ ita ferme habebat: *Nouerit ſublimitas Tua a nobis conceſſum &c.* vel quid ſimile. *ID.*

(d) *Secundæ*, ſeu inferioris; quæ ſub PP. Orientis fuit in Diœceſi Thraciarum; vt docet *Index Sconbonianus pag. 81. Edit. Cellar.* qui hoc ipſo tempore ſcriptus ſub Theodoſio M. & *Notitia Imperii* ſub Theodoſio Iun *fol. 4.* *ID.*

P. 441. (e) *Plebs & Plebeii* Curialibus oppoſiti: ſic & in *vet. Inſcript.* ORDO & PLEBS: Item ORDO & POSSESSORES. Apuleius *lib. 10. Metamorphoſ. pag. 193. Edit. Lugd. B. apud Ioan. Maire.* *Tanta denique miſeratione, tantaque indignatione Curiam, ſed & plebem mærens inflammauerat.* Ibidemque *Decuriones & Populares* opponit eodem ſenſu: *partim Decuriones deprecari, partim populares compeſcere.* *ID.*

(f) Vel, *nec.* *ID.*

(g) *Famulantes* vocat e plebe Artifices, plebeios, populares, *ID.*

(h) Hinc apparet, *hanc leg.* emiſſam ad deſiderium (& Legationem forte ad id miſſam) prouinciæ Myſiæ. *ID.*

(i) Origine Curiales. *ID.*

COMMENTARIVS.

MYSIÆ prouinciæ Curias exhauſtas Curialibus duplici ratione repleri iubet *hac l.* Theodoſius M. Idque, ad *deſiderium* ipſiusmet prouinciæ Myſiæ, vt hæc ipſa *lex* aperte docet: ea ſcilicet querelas ſuas de Curialium ſuorum paucitate ad Imp. Theodoſium M. hoc tempore pertulerat, deſideria ſua ſuper eo explicans, *deſideria* (inquam) quæ vox hac in re propria eſt, vt docent variæ *leges*, *infr: de Legatis, & decret. legat.* forte etiam Legatione in id miſſa. Ad hæc igitur Myſiæ prouinciæ deſideria reſpondens Theodoſius Magnus *hac leg.* duo ad replendum Curialium numerum his concedit.

Primo, vti *Nouos* Decuriones allegere poſſint, quos e *plebe* idoneos viderint, ſeu facultatibus & poſſeſſionibus locupletes, *Non obſtante obſcuritate nominis vilioris.* Quo obtentu quidam eos ad Curiam non vocandos contendebant. Verum Theodoſius M. reponit hoc caſu ſatis eſſe quod facultates haberent, oneraque Curialia, patrimonia requirerent: Ac ſi diceret, hac in re cenſus tantum rationem habendam; quandoquidem Curiales functiones oneraque cenſum deſiderarent. De quibus oneribus vide plene *Paratitlon.* Hoc vero ipſum de plebeiis idoneis ad Curiam vocandis ſtatutum quoque a Conſtantino M. *l. 13.* a Conſtantio *l. 33.* a Valentiniano Sen. *l. 72. ſupr.* Idque ipſum Iulianus quoque conceſſit Antiochenis, *l. 53. ſupr. hoc tit.* Imo ipſemet Theodoſius poſtea Tripolitanis, *l. 133. infr. hoc tit.* & Honorius *l. 140. infr.* quibus locis vide quæ noto.

Secundo Theodoſius M. (quod & ipſum deſiderauerant Myſi) retrahi iubet *Originales*, qui *Officiales* Rectorum prouinciarum, relicta Curia, facti fuerant. Quod & ipſum alias ab eodem Theodoſio M. ſtatutum, *l. 113. 134. infr.* Neque tamen omnes, verum eos tantum qui Officiales facti fuerant inde a *Iuliani Imp. tempore*, ab hinc viginti duobus ſcil. annis, (25. anni ſunt a Conſtantis *l. 5. 6. ſupr. de diu. off.*) tot enim ſunt ab initio Imperii Iulianei, id eſt, a fine Anni 361. ad *huius leg.* Datum, id eſt, Ann. Domini 383. initium. Quod ipſum ferme παράπηγμα ἀφ' ὃ ab eodem Theodoſio M. ſtatutum in retrahendis Curialibus, qui Senatores facti fuerant, *l. 90.* imo & a Valente antea *l. 74. ſupr.* Scil. anteriore tempore, ſub Conſtantio Curiales, vel Officiales vel Senatores factos, Theodoſius M. annoſitate ipſa & præſcriptione tanti temporis tutos eſſe voluit, vt ſane multi tum temporis ſub Conſtantio ſcil. Curias euitauerant, quod docet diſerte Libanius *orat. in Iuliani necem, pag. 296. Edit. Morell.* fidemque faciunt Conſtantii *l. 42. 48. ſupr.*

At Breuioris temporis præſcriptione tutos eſſe noluit Theodoſius M. eos, qui ad Palatinam militiam ſeſe contulerant, nempe decennali militia, *l. 12. ſupr. de priuil. eor. qui in S. Pal.* quæ huic *legi*, etſi ad alium data, iungenda videtur, cum non tantum argumento conueniat, verum etiam temporis characteriſmo congruat.

A CONDVCTIONE VECTIGALIVM *Curiales regulariter arcendi.*

XCVII. (a) Idem AAA. Cynegio Com. S. L. (b)

SCIAS, excepta diœceſi (c) Ægyptiaca, vbique ſeruandum eſſe, ne vsquam penitus in Suſceptionem vel minimi vectigalis Decurio conductor accedat; Sed eorum profeſſionibus (d) & perſonis omnis hæc diuerſarum locationum ſumma credatur, qui ad exhibendam publicis rationibus fidem, periculo & fortunæ coguntur, & vitæ. Dat. VIII. Id. Mar. Conſtantino. Merobod. II. & Saturnino Coss. [383.]

NOTAE.

(a) Abeſt hæc *lex* a *Cod. Iuſt.* GOTHOFR.

(b) *Cynegio* huic Comiti S. L. inſcribitur hoc ipſo Anno & menſe *lex* 11. *ſupr. de priuil. eorum qui in S. Pal.* quæ ſuperiori *legi* iungenda videtur. *ID.*

(c) *Diœceſis* Ægyptiaca. *ID.*

(d) Recte, non *poſſeſſionibus*, vt quidam reponunt. *ID.*

COMMENTARIVS.

P.444. VECTIGALIVM SVSCEPTIONE, ſeu CONDVCTIONE, quorumcunque, vel minimorum, Decurionibus *hac l.* interdicit Theodoſius M. quod & antiquo iure his interdictum fuit *l.* 4. & *l.* 6. § 2. *D. de Decurionib.* Pariter. vt Decuriones prohibiti conducere prædia publica vel fiſcalia, *l.* 2. *§.* 1. *D. de adminiſtr. rerum ad ciu. pert.* prædia Reipubl. vel ſaltus, *l.* 2. *ſupr. de locat. fund. iuris emphyteut.* (Quæ omnia publicos actus Curialibus interdictos contingunt: nam de priuatis actibus Curialibus interdictis dictum *l.* 92. *ſupr.*) Ratio autem huius interdicti *hac ipſa lege* ſatis redditur: nempe quod *Ad exhibendam publicis rationibus fidem, periculo fortunæ & vitæ cogi non poſſint.* Facile ſcilicet Curiales vectigalium conductores rationes conturbaturi videntur: neque conturbatis, fiſco facile conſultum eſſe poteſt: quandoquidem fortunæ eorum & vita in celſo locatæ. Adde & quod miſeros prouinciales facile ita concutere poſſent. Sic & viceuerſa conductores vectigalium ad munera municipalia vocandi, vel admittendi non ſunt, *l.* 5. *§.* 10. *D. de iure immun.*

Id vero ius ab Vrbe ad municipia traductum: nam & Senatoribus id olim interdictum, teſte vel Aſconio *contra Antonium*; Idque ſiue per ſe, ſiue per alium. Xiphilinus in Epitome Dionis, *in vit. Adriani pag.* 358. *Edit. Sylburg.* ἐνομοθέτησε δὲ ἄλλα τε, καὶ ἵνα μηδεὶς βουλευτὴς μήτ' αὐτὸς μήτε δι' ἑτέρου τέλος τιμωνῆται: *multas leges ſanxit, ſed præſertim, vt ne Senator per ſe, neue per alium vectigalia conduceret.* Qui Dionis locus de Senatoribus accipiendus eſt, non vero de Decurionibus: quod tamen Cuiacius & Briſſonius crediderę.

Ergo Suſceptores vectigalium Curiales eſſe prohibiti, cuiuscunque tandem vectigalis etiam minimi, μηδ' ἐλάχιστα τελωνίζεσθαι: cum tamen (quæ ratio dubitandi erat) non magnum periculum videretur, ſi minimum aliquod vectigal conducere his liceret.

Et hæc quidem ita de ſuſceptione, id eſt, de conductione vectigalium Curialibus interdicta: alias enim ſuſceptiones ſpecierum annonariarum & auri, Curialibus impoſitæ, de quo *inf. t. de ſuſceptorib. l.* 4. 7. 9. 24. 31. De exactionibus quoque dixi *l.* 8. 14. *ſupr.* Et ſidem fecit ſub ipſomet Theodoſio M. Libanius, περὶ προσαγιῶν, *num.* 3. *pag.* 9. *Edit. Gothofred.* & *pag.* 366 *Oper. min. Gothofr. Ed. Cl. Trotz.*

Excipitur tamen ab eodem Theodoſio M. *h. l.* diœceſis *Ægyptiaca*: ibi ſcilicet ſuſceptores ſeu conductores vectigalium Curiales eſſe poſſe indicat. Cuius exceptionis ratio in obſcuro eſt. Similis alioquin prouinciarum exceptio in altero ſuſceptionis genere: nempe per Illyrici prouincias ſuſceptores ſpecierum ex Officialibus ſumpti, per Africam ex Curialibus, Valentiniani *l.* 9. *infr. de ſuſceptorib.*

De CVRIALIBVS *& Curialium filiis ad Curiam reuocandis, retinendis, quatuor capita.*

XCVIII. (a) Idem AAA. Poſtumiano PF. P. (b)

IN (c) muneribus peragendis, ſi qua ſoluta ante non fuerant, vel in ſubſtituendis idoneis, ne quid patriæ periſſe videatur, vel in filiis retinendis, (d) priorum præceptorum decreta † Sublimitas Tua cuſtodiat. Eos quoque (e) qui Aduocationis obtentu Curialia onera declinant, onera (f) vniuerſa compellat, (g) quæ, etſi neceſſitas non exigit, tamen patria non remittit. (h) Ipſos quinetiam filios Magiſtrorum (i) qui ex Curiali ſtirpe deſcendunt, ſimili modo obnoxios (k) eſſe decernat. (l) Dat. VIII. Id. April. Conſtantinop. Merob. II. & Saturnino Coss. [383.]

NOTAE.

(a) L. 35. *Cod. Iuſt. eod. tit.* hinc interpolata, detractis primæ ſententiæ verbis, quæ ad horum temporum rationem pertinent, iungendaque huic, *lex* 10. *ſupr. de bonis proſcriptorum.* GOTHOFR.

(b) *Poſtumianus* ſub Theodoſio M. PP. Orientis: ad quem vt extant plures *hoc Codice* Conſtitutiones, ac nominatim quoque *lex* 101. 104. *infr. hoc tit.* & Gregorii Nazianzeni *ep.* 71. De eo plura in *Proſopogr. ID.*

(c) Reciſa *Cod. Iuſt.* hæc priora vsque ad *In filiis. ID.*

(d) In conditione paterna: recte Gloſſa. *ID.*

† Intelligit *legem* 86. 87. 90. 91. 94. *ſupr. ID.*

(e) *Eosque* Cod. I. *ID.*

(f) γρ. *Ad onera.* Pro quo Tilian. *agere vniuerſa. ID.*

(g) Subli-

(g) Sublimitas tua, ἀπὸ τῦ κοινῦ. *ID.*

(h) Ita interpungendus hic locus: hactenus male, *remittit ipſos. Quinetiam &c.* Et ſane *Cod. Iuſt.* quoque locus hic ita euolutius: *Ipſos quin etiam &c.*

(i) *Magiſtri*, id eſt, Profeſſores *hac l.* & *l.* 10. 11. 18. *infr. de med. & profeſſ l. vlt. de ſtud. lib. V. R.* & magiſtri ſtudiorum, *l.* 5. *d. tit. de Med.* vnde *Magiſtrationes*, loca in quibus docebant *d. l vlt infr. de ſtudiis.* Ita Ammiano *lib.* 27. *c.* 9. *magiſter Rhetoricus* & *lib.* 22. *c.* 10. *in fin.* & *lib.* 25. *c.* 4. *Magiſtri Rhetorici & Grammatici. ID.*

(k) Curiæ. *ID.*

(l) Sublimitas tua, ἀπὸ τῦ κοινῦ. *ID.*

P. 445.

COMMENTARIVS.

SVPERIORES ferme *leges* ſuas omnes hac enixa conſtitutione ſua, Curiarum commodis conſulens, ſuper Curialib. eorumque filiis ad Curiam retrahendis quatuor capitibus confirmat & executioni tradi iubet Theodoſius M. puta legem 86. 87. 90. 91. 93. 94. *ſup.* (1.) Nempe Curiales qui ad DIGNITATES prouecti fuerant ad Curiam retrahi iubet, ſi nondum munera omnia ſubierint; ſi ſubierint, alios ſubſtituere loco ſuo idoneos cogendos; quod diſerte cauetur *d. l.* 90. 91. Cuius ſubrogationis ratio *hac l.* redditur, *ne*, inquit, *quid patria periſſe videatur*, ac ſi diceret, ſubſtituto idoneo iam neque enim qui excuſatur, exceſſiſſe videri. Secundo capite FILIOS eorum ad Curiam retineri iubet: quod ſane vt *l.* 86. 93. *ſupra*, cauetur; ita & *l.* 122. 123. *infra.*

Poſt hæc iam, quæ Tribonianus recidit, duo alia capita quæ Tribonianus retinuit expreſſiora addit, quæ maiorem alioquin dubitandi rationem habere videbantur: quæque enixum Theodoſii in Curias ſtudium arguunt. Quanquam & primum ex his iam antea quoque ab ipſo cautum fuerat *l.* 87. *ſupr.* Nempe definit, ne quidem ADVOCATIONE, (quanquam hæc fauore digniſſima videretur) Curialia onera euitari poſſe: ſed Curialem Aduocatum ad vniuerſa onera compellendum: Quod & poſtea ab eodem Theodoſio M. tertia conſtitutione repetitum *l.* 116. *infr.* ſed & iam olim cautum a Valentiniano Sen. fuerat *l.* 77. *ſup.* vbi dixi ad id plura: quæ dubitandi rationem illuſtrant. Notanda tantum hic illa, *quæ etſi neceſſitas non exigit, tamen patria non remittit:* Nempe, etſi ſatis magnus alioquin Decurionum numerus ſit, neque neceſſitas ſemper vel in præſens vrgeat, attamen non ideo ea in perpetuum *remittit. Remittere* eſt penitus liberare omnibus: Et quæ hodie neceſſaria non ſunt, olim neceſſaria forte futura ſunt. Quare minus huc pertinet illa Regula, quam hic allegat Gloſſa: quædam habere poſſumus, etſi vtilia nobis non ſunt *l.* 19. *D. de ſeruit.*

Alterum, quod ipſum magnam dubitandi rationem habere videbatur, quod *hac l.* expreſſim a Theodoſio M. cauetur, iſtud eſt, ipſos etiam MAGISTRORVM, id eſt Profeſſorum filios, Curiali ſtirpe deſcendentes, Curiæ obnoxios reddendos: Quod etiam Conſtanti Imp. viſum *l.* 26. *ſup.* ſi modo ibi vox, *magiſtris ſtudiorum* ſtare poteſt: quod non puto. Cum tamen aliorum Principum Conſtitutionibus non ipſi tantum Magiſtri ſeu Profeſſores a Curialibus muneribus immunes eſſent, de quo *l* 1. *inf. de Medicis & Profeſſorib.* verum etiam filii eorum: *l.* 3. *d. t.*

Et hæc quidem ita Theodoſius M. Curiarum commodis enixe hoc tempore conſultum cupiens, qui & de fiſci ſui commodis eadem conſtitutione, vnde *hac lex* deſumpta eſt, aliquid cauerat, *l.* 10 *ſup. de bonis proſcriptor.* quæ *huic* coniungenda eſt; vbi & de Filiis pariter deportatorum. Vide quæ ad *illam leg.* dixi.

IVDAEOS *a Curialibus muneribus immunes non eſſe.*

XCIX. (a) Idem AAA. ad Hypatium (b) PF. P. (c) Poſt alia.

IVSSIO †, qua ſibi Iudææ (d) legis homines blandiuntur, (e) per quam eis Curialium munerum datur (f) immunitas, reſcindatur:* cum ne Clericis quidem liberum ſit, prius ſe diuinis miniſteriis mancipare, quam patriæ debita vniuerſa perſoluant. Quiſquis igitur vere Deo dicatus eſt, alium inſtructus (g) facultatibus ſuis, ad munera pro ſe complenda conſtituat. Dat. XIIII. (h) Kal. Maii, Med. Merobaude II. & Saturnino COSS. [383.]

NOTAE.

(a) *L.* 4. ſiu. 5. vt quædam habent *Edit. Cod. Iuſt. de Iudæis.* Iungenda *huic* procul dubio *lex prox.* 100. *GOTHOFR.*

(b) *Hypatii* huius geminam Præfecturam memorat Ammianus Marcellinus, *lib.* 29. *c.* 2. id eſt Præfecturam vrbanam, quam geſſit A. 379. vt docet *lex* 16. *ſup. quorum appell.* & Prætorianam, vid. *Proſop. ID.*

(c) Italiæ. *ID.*

† An Veteris, Seueri & Antonini. *l.* 3 §. *vlt. D. de Decurion.* An Iuliani? *Iuſſio* porro eſt Reſcriptum: vt *l.* 122. *inf.* vid. *Paratitl. de Conſtit. Princip. ID.*

(d) *Iudaica*, C. Iuſt. *ID.*

(e) *Sibi blandiri.* vid. *Gloſſ. Theod. ID.*

(f) Dabo

(f) *Debatur* C. Iuſt. *ID.*

* Sequentia omnia recidit Tpſſer. De cuius rei ratione mox. *ID.*

(g) *γρ. Inſtructum. ID.*

(h) XIII. *dict. l. prox.* 100. XVIII. vel XVII. *dict. l.* 4. *ſiu.* 5. *Cod. Iuſt. ID.*

COMMENTARIVS.

De Ivdæis eſt hæc Valentiniani Iun. conſtitutio: qua negatur eis immunitas a Curialibus muneribus pariter vt Honorii *l. 157. 158.* & Arcadii *l. 165. infr.* Idque Iudæis omnibus: cum Conſtantini conſtitutione 2. 3. *inf. de Iudæis*: excepti eſſent Hierei &c. & Arcadii *l. 13. inf. de Iudæis*, Archierei, & Honorii *l. 24. infr. de Iudæis*, qui inter agentes in rebus ſunt & Palatinos. Et ſic octo in vniuerſum hac de re conſtitutiones exſtant *hoc Co-*
p. 446 *dice*, & hæc quidem Valentiniani Iun. His addatur omnibus Iuſtiniani *Nouella 45.* Id vero *hac l.* ſtatuitur, reſciſſa Conſtitutione quadam, qua immunitas ea his tributa fuerat, pariter vt ſimilem immunitatem circa milites Armatæ vel Palatinæ militiæ Curiales abrogat *l. prox.* 100. quæ *huic* coniungenda eſt ceu vnius & eiuſdem conſtitutionis pars.

Dubium vero, quamnam, ſeu cuius Imp. conſtitutionem hic intelligat Valentinianus Iun. Dubium etiam, num ea immunitas omnes Iudæos comprehenderit? quod ſuadere videantur generalia *huius l.* verba, *Iuſſio qua ſibi Iudææ legis homines blandiuntur*: an vero Patriarchas; Presbyteros, Hiereos, Patres Synagogarum tantum: quod ſuadere videtur, tum comparatio clericorum, quæ mox ſequitur, tum illa *fine legis*: *Quisquis igitur vere Deo dicatus eſt.* ſane iam olim Seuerus & Antoninus eis, qui Iudaicam ſuperſtitionem ſequuntur, honores adipiſci permiſerant: ſed & neceſſitates eis impoſuerant, quæ ſuperſtitionem eorum non læderent: teſte Vlpiano *l. 3. §. vlt. D. de Decurion.* De Alexandro Seuero memorat quoque Lampridius, *c. 22. eum Iudæis priuilegia reſeruaſſe.* Quænam vero ea fuerint? non explicat. Vt vt ſit, priſtina ſeu veteri obſeruatione, Iudæos ad Curiam vocari non potuiſſe teſtatur Conſtantinus M. *l. 2. 3. inf. de Iudæis*: qui hoc eis ademit; exceptis tantum binis vel ternis per ſingulas ciuitates Hiereis, Archiſynagogis, & Patribus Synagogarum *d. l. 2. & 3. eod tit.* quas Conſtantini M. iuſſiones intelligit Arcadius *l. 13. de Iudæis*: Qui hoc ipſum a Conſtantio, Valentiniano (Seniore ſc.) & Valente decretum *ibidem* ait: idque ipſe confirmat *ea l.* 13. Et vero de hac ſimili iuſſione *hanc leg.* accipio; qua ſcil. *Hierei* tantum &c. excepti fuerant a Curiali conditione (quod & ipſum Valentinianus Iun. eis adimit) Duplici argumento: Primo, quod hac l. comparatio inſtituitur Clericorum.

Quanquam forte dicere quis poſſet (quod verum non puto) Valentem Imp. Iudæos omnes in commune Curialibus muneribus aliquando immunes feciſſe, deque ea Valentis iuſſione Valentinianum Iun. hic ſentire: nam & Cedrenus ſcribit, Valentem *Iudæos in honore habuiſſe*, videri tandem cui poſſit Gratiani *legem* aliquam *hic*, & *l. prox* 100. intelligi. Sed in priore ſententia hæreo: de quo etiam aliquid ad *l. 13. infra de Iudæis.*

Quidquid huius ſit, Valentinianum Iun. nunc ſequamur, & argumentum eius a Clericis ad Iudæos, a maiore ad minus ſcilicet; Iudæis videlicet non dandam immunitatem definit, cum ne Clericis quidem Chriſtianæ Religioni ſeruientibus, ſeu diuino miniſterio mancipatis hæc immunitas competat: imo non ante Clerici fieri poſſint, quam perſolutis omnibus patriæ muneribus: vel ſane ſubſtituto idoneo, cui facultatibus ceſſerint, vel (vt poſtea Theodoſio placuit) facultatibus ſuis ipſi Curiæ ceſſis: *l. 104. 115. 121. 123 inf. h. t.* Circa quod tamen varie cenſuere Imperatores Conſtantinus M. Conſtantius, Iulianus, Valentinianus, Valens, Theodoſius, Arcadius, Theodoſius Iun. quorum conſtitutiones, earumque ſummam *in Paratitlo* ſemel exhibui. Sane Valentiniano ſeniori, patri huius, eadem ſententia ſtetit; ſcilicet vt bonis ſuis cederet Clericus ex Curiali factus, *l. 59. ſup.* & Theodoſio *l. 104. 115. 121. 123. inf. h. t.* quæ Valentiniano Iuniori quoque *hac lege* ſententia placet.

Huius temporibus proprie conueniunt ea, quæ Ambroſius ſcribit libello ſuo altero ad hunc ipſummet Valentinianum, aduerſus Symmachum. *pag. 325. Edit. Symmachi Pariſ.* 1604. *Si priuilegium quærat Sacerdos* (Chriſtianus) *vt onus Curiale declinet, patria atque auita & omnium facultatum poſſeſſione cedendum eſt. Quomodo hanc Gentiles ſi haberent, ingrauarent querelam, quod Sacerdos ferias miniſterii ſacri emat totius patrimonii ſui damno, & priuatus vniuerſæ commoditatis diſpendio vſum publici mercetur obſequii: prætendens communis ſalutis excubias, domeſtica inopia ſe mercede ſolatur; quia miniſterium non vendidit, ſed gratiam comparauit Conſerte cauſas: Vos excuſare vultis Decurionem, cum Eccleſia excuſare non liceat Sacerdotem.*

De REVOCANDIS *ad Curiam ex quacunque militia, Curialibus originalibus.*

C. (a) Idem AAA ad Hypatium PF. P. (b)

Omnes, qui ex origine Curialium ſe diuerſis gradibus inſeruere militiæ, reddi propriis Ordinibus oportebit: Exceptis his, quibus Legis † vetuſtæ (quæ certum numerum ſtipendiorum, vel Palatinæ militiæ viris ſtatuit) opitulatur auctoritas. Dat. XIII. Kal. Maii, Med. Merobaude II. & Saturnino Coss. [383.]

NOTAE.

NOTAE.

(a) Abeſt hæc *lex* a *Cod. Iuſt.* Iungendaque ei *lex ſuper.* 99. *GOTHOFR.*
(b) Italiæ, dixi ad *l. ſuper. ID.*
† Quænam hæc *lex* vetuſta? *ID.*

COMMENTARIVS.

MILITIA Palatina, origine Curialem regulariter Curia excuſari vetat: contra, Curiæ eum, militia non obſtante, reddi iubet Valentinianus Iun. *hac leg.* Proculdubio recenti aliqua *leg.* (cui *lex vetuſta hac leg.* tacite opponitur.) contraria abolita, pariter vt alia ſimili *lege* abolita circa Iudæos, *l. ſuperiore*, quæ *huic* coniungenda venit ceu vnius eiuſdemque Conſtitutionis pars. Ex qua vtraque coniuncta patet, Valentinianum Iun. ea conſtitutione, vnde vtraque deſumpta eſt, recentem aliquam Iuſ- p. 447. ſionem, quæ in Curiarum damna proceſſerat, abolitum iuiſſe.

Exceptionem tamen idem addit *hac leg.* quam ex *lege vetuſta* repetit, quæ ſc. præceſſerat recentem *legem*, quam initio abrogatum it: nempe vt Curiales militia Palatina poſt certum ſtipendiorum ſeu annorum numerum repeti non poſſint. Excepti quoque fuerunt nonnulli Palatini, *l. 5. ſup. de diuerſ. offic.* Quænam autem illa *lex vetuſta?* Sane vetuſtioribus *legibus*, aliæ atque aliæ temporum metæ poſitæ: quinque annorum Conſtantii & Conſtantis *leg* 31. 38 *ſup.* Totidem in præteritum ab ipſomet Valentiniano Iun. in futurum triginta annorum, *l. 88. ſup. h. tit.* Theodoſius M decem annorum ſpatium definit *l. 12. ſup. de priuileg. eor. qui in S. Pal.* quæ hoc ipſo Anno 383 data eſt, vbi vide plura. Sane Ambroſius quoque *ep. ſua ad Theodoſium Imp* 29. ſiu. *lib 2. ep 17 in fin pag. 215. T. V. Oper Edit Pariſ* 1614 & *Ep* 40. *num* 29 *Edit. Benedictin.* quam ſcripſit An. 393. teſtis eſt, tum, *eos qui Imperatori militarent, certo militia tempore ſeruatos* (immunes ſcilicet a Curia.)

Ad hanc *leg.* vero proprie facit, quod Anno proximo 384. ſcribebat Symmachus *lib. 10. ep 51.* ad hunc ipſummet Valentinianum Iun. *Cum Venantii ſtratoris illicitam vſurpatamque militiam Marcellus argueret, quod Decurionum adſcriptus Albo vt Geſta docuerunt, aduerſum leges ad Palatina caſtra tranſiſſet; non debui obiecta reticere, vt in ea re, quæ modum mei egrediebatur examinis, Æternitas veſtra ipſis legibus, quas tuetur, auguſtior iudicaret.*

MATRIS *originem non ſpectandam ſed patris: abolitis hac in re contrariis Reſcriptis, moreque Prouinciæ.*

CI. (a) Idem AAA. ad Baſilium Com. S. L. (b)

EXEMPLO Senatorii Ordinis, patris originem Municeps (c) vnusquisque ſequatur. Nec valeant ſpecialiter delata Reſcribta, ſi quis ſe matris origine defendens, (d) a maiore Curia ad minorem transferri fortaſſe promeruerit: Neque vlla pro more prouinciæ referri ſinatur exceptio. Dat. XVI. Kal. Iul. Rom. (e) Merobaude II. & Saturnino Coss. [383.]

NOTAE.

(a) *L. 36. Cod. Iuſt. eod. tit. GOTHOFR.*

(b) *Baſilio* huic Com. S. L. Anno 379 inſcribitur *lex 1. ſup. qui bonis cedere:* & hoc ipſo Anno 383. *lex* 40. *ſup. de appellat* Hic idem eſt, cuius meminit Symmachus, *lib. 10. ep. 47. ID.*

(c) *Municeps*, id eſt Decurio, *h. l.* & *l.* 4 89. *ſup. l.* 105. 110. 130. 137. 143. 144 147. 154. *inf. l.* 41. *inf. de operib. pub l. 2. ſup quid prob l. 17. inf. de luſtrali*, Cæterum hanc vocem omiſit Tribon. *ID.*

(d) *Defenſa* C. Iuſt. barbare. *ID.*

(e) *Veron.* Valentinianus Iun. quippe Veronæ hoc tempore fuit: vbi etiam ſequenti die ab eodem data *lex vn. ſup. de mond. Principum.* cum paulo ante *Pataui* fuiſſet: vbi datæ ab eo *l. 3. de Apoſtatis. l. 5. de inoff. teſt.* inter ſe conſſandæ. *ID.*

COMMENTARIVS.

PATRE Curiali natum patris Curiam ſequi iubet *hac l.* Valentinianus Iun. non matris: Quod quidem iuris tralatitii regula eſt: Verum ſingularia plura circa id continentur. Primum enim id exemplo Senatorii Ordinis firmat *hac l.* Valentinianus Iun. ſcil. Senatorius filius is demum eſt, qui patre, non qui matre Senatoris filia natus eſt: & ſic ad vtrumque iſtud omnino pertinet illud Ambroſii *Commentar. in Lucam lib. 3. initio, pag. 42. Tom. III. Oper. Edit. Pariſ. 1614 Viri*, inquit, *perſona quæritur, qui etiam in* SENATV & RELIQVIS CVRIIS *ciuitatum generis obſeruat dignitatem.* Quanquam ſingularis quædam exceptio indicari mihi videtur *l. 1. ſup. de Senatorib.* Nota interim argumentum ab exemplo Senatus ad Curias: de quo ad *l. 85. ſup.*

Deinde duas iſtius R. Ampliationes *hac l.* Valentinianus adiicit. Primo non prodeſſe in contrarium *Reſcriptum* Principis in id ſpecialiter impetratum: Quod quidem ambiuiſſe nonnullos hac tempeſtate, Valentinianus Iunior *hac l.* indicat, ſic quidem vt maternæ originis obtentu minores Curias

affectarent nonnulli, maioribus poſthabitis; ad fugam videl. maiorum onerum, quia minor Curia erat matris, maior vero patris, vt ita minoribus oneribus ſubiacerent: quæ vtique onera maiora erant pro dignitate ciuitatis. Ergo priuilegia ſeu beneficia vni ſpecialiter perſonæ data hoc caſu non valere iubet *hac l.* Valentinianus Iun. Imo nec (quæ ſecunda iam ampliatio eſt) Priuilegio ſeu More Prouinciæ quenquam matris potius, quam patris Curiam ſequi permittit.

Dices olim materna origine priuilegio aliquo cenſitos nonnullos: ac nominatim Ilienſibus, Delphicis, Ponticis tale priuilegium conceſſum fuiſſe, vt docet Vlpianus *leg. 1. §. 2. D. ad municipalem.* Verum. Sed id priuilegii genus hic abrogatur: non quidem quod ad tres illos, quos dixi; eſt enim hæc *lex* Valentiniani Iun. qui prouinciis illis non imperabat, verum Theodoſius M. Igitur neceſſe eſt in Occidente quoque prouincias quaſdam fuiſſe, quibus id olim priuilegii datum fuerat, vt vtroque parente Curiali natus, matris Curiam ſequeretur, non patris.

Proinde patet; Primo, non abrogatum *hac l.* quod nonnulli cenſent Ilienſium, Delphicorum, Ponticorum priuilegium, verum ſimile aliarum prouinciarum in Occidente; niſi eam accipiamus ex Theodoſii Iun. mente, qui eam in *Codicem ſuum* retulit. Secundo patet, neque abrogatum *hac l.* priuilegium illud Antiochenum, de quo agitur in Iuliani *l. 51. ſup.* eſt enim illud ab eo de quo *h. l.* agitur diuerſum, & quidem maius: nempe quo libero patre natus, matre vero Curiali ſolis materni ſanguinis vinculis alicubi illigabatur. Abrogatum potius illud *l. 137. inf.* Tertio hinc apparet, lapſum non Accurſium tantum, ſed & Cuiacium, cum dif- P.448. ferentiam *hac l.* indicari putant inter beneficium perſonale, & ciuitati aut prouinciæ datum hoc ſenſu: non poſſe equidem beneficio ſpecialiter vni perſonæ delato id alicui deferri, vt matris potius quam patris Curiam ſequatur: ſed valere priuilegia prouinciæ alicui hac de re conceſſa. Nam imo vtrumque *hac l.* negatur: prius quidem, *verſ. nec valeant:* poſterius vero, *vltimo verſiculo*: *neque vlla* &c. vbi *referri exceptio* vetari dicitur, cum inhibetur quis ſeſe more veteri prouinciæ defendere, eumque allegare & obtendere. Quare *verſiculum* hunc idem perperam accepit de conſuetudine iuri contraria: cum contra accipiendus ſit, de *vetuſto more prouinciarum*, quibus id ſcil. priuilegii loco datum olim fuerat: etiam in Occidente: Id enim hic ſignificatur per *morem prouinciæ*: Nempe vetuſta conceſſio, antiquum priuilegium. Vt proinde haud adeo huc faciat Interpretum tractatus de *Conſuetudine*, & vtrum *Conſuetudo* excuſet, vel Conſuetudo legi contraria valeat.

RESCRIPTO *Principis neminem a Curia excuſari.*

CII. (a) Idem AAA. Poſtumiano (b) Iter. PF. P.

QVOTIESCVNQVE ſe ex Reſcriptis noſtris aliquid impetraſſe contendent (c) hii, quos obnoxios Curiæ, vel origo fecerit, vel latum inter partes (d) iudicium deſignarit, nullam prorſus ſpem Curias (e) declinandi ex colore ſacræ Iuſſionis accipiant. Dat. XIIII. Kal. Aug. Conſtp. Merob. II. & Saturnino Coss. [383.]

NOTAE.

(a) *L. 37. Cod. Iuſt. eod. tit.* Iungenda autem huic *lex 1 ſup. quid probare debeant ad quamcunque militiam venientes:* Quæ etiam huic argumento reſpondet. *GOTHOFR.*

(b) *Poſtumianus.* PP. & quidem iterum Orientis: ad quem extat quoque *lex 98 ſup. h. t.* & *l. 104. inf.* & Gregorii Nazianz. *ep. 71.* vid. *Proſopogr. ID.*

(c) *Contendunt.* C. Iuſt. *ID.*

(d) *vel Patres:* id eſt Curiales, de quo mox, *ID.*

(e) *Curiam* C. Iuſt. *ID.*

COMMENTARIVS.

RESCRIPTO Principis quemquam Curia liberari vetat Theodoſius M. *h. l.* pariter ut militiæ Armatæ obtentu: *l. 1. ſup. quid probare deb.* quæ *huic legi*, vt eiuſdem Conſtitutionis pars iungenda eſt. Qui alioquin duo Curialis conditionis euitandæ modi quam maxime opportuni & efficaces videbantur: Nempe Principis auctoritas ſeu beneficium & Militia, ſeu Reip. defendendæ ſtudium. Quod vtrumque tamen repellit conſtitutione ſua, vnde hæc deſumpta nominatim, Theodoſius M. Principalem auctoritatem in necem Curiarum non admittendam ratus, vt cœteroquin Reſcripta in fraudem publicam valere noluerunt Principes, de quo *tit. de diu. reſcript.* ac nominatim in hoc argumento in fraudem Curiarum *h. l.* & *l. 10. 13. 101. ſup. l. 137. 139. 156. 167. inf. h. t.*

Vnum tantum ſingulare *hac l.* notandum, quod ait lex, *vel latum inter partes iudicium deſignarit*, vbi omnino reſcribendum *inter Patres*, id eſt inter Curiales. Nempe duplici ratione quis Curiæ tenetur, vel originis ratione, vel lato inter Patres iudicio, ſeu *deſignatione*, qua voce hæc *lex* vtitur: denique Nominatione: ſic *leg. 10. ſup.* vtrum ex genere Decurionum ſit, vel ante nominatus ad Curiam. Et *l. 1. 3. ſup.* vel originem defugiſſe, vel ſpreta nominatione ſe militiæ inſeruiſſe. *Lato* igitur *inter Patres iudicio*, idem eſt, quod publico tractatu, *l. 148. inf.* publico conſilio, *l. 53. ſup. de appell.* publica ordinatio-

Digitized by Google

dinatione *l. 118. inf.* ſic & Apuleius *lib. 10. pag. 193. Edit. Lugd. B. apud Ioan. Maire. Placuit ſalubre conſilium, & ilico iuſſus præco pronunciat, Patres in Curiam conuenirent.* Non eſt igitur hic locus de anthoritate rei iudicatæ inter Partes, quomodo id omnes accipiunt, quæ enim partes hic eſſe poſſunt? Verum de DESIGNATIONE ſeu Nominatione inter Patres, publico tractatu & conſilio habito, ordinatione, nominatione.

De SYRIARCHIAE *munere.*

CIII. (a) Idem AAA. ad Proculum (b) Com. Or. (c)

VOLVNTATE propria vnusquisque (d) Syriarchiæ (e) munus ſuſcipere debet, non neceſſitate impoſita. Dat. (f) VI. Kal. Aug. Salmariæ, (g) Merob. II. & Saturnino Coss. [383.]

NOTAE.

P.449. (a) Abeſt hæc *lex* a *Cod. Iuſt* velut huic tempori adſtricta deque re iam abolita. Concordat illi altera eiusdem Theodoſii *lex 109. inf.* Meminit Libanius *Orat. περὶ τῶν ἀγγαρειῶν p. 36. Edit. Gothofred.* & *p. 386. Oper. min. Gothofred. Edit. Cl. Trotz.* & *Orat. in Tiſamenem, p. 447. Edit. Morell.* GOTHOFR.

(b) *Proculo* huic Comiti Orientis inſcribitur hoc ipſo Anno *lex 22. inf. de operib. publ.* & *lex 14. ſup. de cohortal.* & Anno ſuperiore 382. *lex 90. ſup. h. t.* Eiusdem meminit Libanius *de vita ſua, p. 66. 68.* & *Orat. ad Icarium*, non *vno loco*: *p. 435. 456. 458. Edit. Morell.* (qui ſane Icarius ei in Comitiua ſucceſſit.) Quibus locis adminiſtrationem eius tyrannicam ſuggillat, ſuumque in eum odium teſtatur; tandem & narrat, cum quo dedecore Magiſtratu deceſſerit. *ID.*

(c) In hac *Orientis* diœceſi erat *Syria*, vt vel ex *hac l.* apparet, & docet apertiſſime *Notitia Imperii fol. 72. ID.*

(d) Curialis, Duumuir. *ID.*

(e) De *Syriarchia* hac, dixi plene ad *l. 1. ſup. de prædiis Senatorum. ID.*

(f) Pro *Reddita. ID.*

(g) De hac ſubſcriptione in *Commentario. ID.*

COMMENTARIVS.

SYRIARCHIÆ munus, arbitrio cuiusque relinquit nemine ad id coacto; *hac l.* Theodoſius M. denique Syriarchiæ munus, munus voluntarium, non neceſſarium eſſe definit. *Syriarchiæ* huius fit quoque mentio *l. 1. ſup. de præd. ſenatorum*, vbi prolixe oſtenſum eſt, eam Sacerdotium prouinciæ Syriæ fuiſſe, ludis edendis & quidem *muneribus ferarum* obnoxium, ἐπιμεληταὶ ἀγώνων, quomodo ſimilem Aſiæ Sacerdotem ſeu Aſiarchen Rufinus *munerarium* vertit, *lib. 4. c. 14.* Et alibi ſimilia prouinciarum Sacerdotia memorantur, veluti *Bithyniarchia*, *Cappadocarchia*, *Lyciarchia*, itemque ſpeciale Antiochiæ *Alytarchia*. Sane *Syriarchiæ* nominatim præter *hanc l.* & *d. l. 1.* mentio quoque fit *l. vlt. inf. de expenſis ludorum l. 7. Cod. Iuſt. de naturalib. liberis*: *l. vn. Cod. eod. de off. Com. Orientis.* & *Nouella Iuſtiniani 89. c. vlt.* Ergo *Syriarchia* munus fuit ludorum ſeu munerum edendorum in Syria, ſic vt modo pro ipſa χορηγίᾳ, ſeu δαπανήματι, *Syriarchia* accipiatur, modo oro ἐπιμελείᾳ, ſeu ipſo præſidendi munere. Quare Syriarchi *Agonothetæ* dicuntur, eorumque nomen votiuæ feſtiuitatis ſolemnitas dedicaſſe: *d. l. vlt. inf. de expenſis ludorum*: & *d. l. vn. Cod. Iuſt. de officio Com. Orientis.* Denique *Agonotheſias* nomine, de qua Theodoſii pariter *l. 109. inf.* agitur, ea comprehenditur.

Porro *Curialibus* hæc munera ſeu Agonotheſiæ olim, & vero hac tempeſtate incubuere, quod vel hic *titulus* docet, ſub quo *hæc lex*, & *d. l. 109. inf.* poſitæ ſunt: vt & *d. l. vn. Cod. Iuſt. de off. Com. Orientis*: & Libanii locus *in Tiſamenem*, quem mox proferam: & idem *variis epiſtolis*: munera, inquam, hæc ferarum; (nam & alii ludi duumuiris Curialibus incumbebant, veluti Gladiatorii, Circenſes, de quibus eſt & Libanii locus *ep. 384. ad Ariſtanetum*: Scenici, de quibus ad *leg. 29. ſup.*) Atenim cum hoc Agonothetico munere etiam Curiales grauarentur in necem Curiarum, primo quidem arbitrio cuiusque id relictum a Theodoſio M. *h. l.* & *109. inf.* Mox ſub Theodoſio Iun. id ad Indices ferme tranſiit, vt docet *lex vlt. inf. de expenſ. ludorum.* Imo Curialibus omnino interdictum id a Leone, *d. l. vn. C. Iuſt. de off. Com. Orientis*, qui idem Alytarchiam, (muneribus edendis Antiochiæ) ſollicitudine Comitis Orientis (cui etiam hæc *lex* noſtra inſcribitur) exerceri volnit: Syriarchiam vero, ſollicitudine Conſularis Syriæ. Ad quod quidem etiam munus collatio quædam facta ex poſſeſſionibus priuatorum, veluti Curialium, vt docet *d. l. vlt. inf. de exp. ludorum*: imo etiam Senatorum: quod decennio poſt *hanc leg.* abolitum ab eodem Theodoſio M. *d. l. 1. ſup. de præd. Senatorum.* Neque tantum pecunia in id exacta, verum & *feræ*, & *ferarum* Curatores alendi dabantur: Quod docebit mox Libanii *locus*: & alter *eadem orat. p. 449. Edit. Morell.* Ergo Theodoſius M. Syriarchiæ Agonotheſiam, & Agonotheſiam omnem, voluntate propria ſuſcipi iubet *hac l.* & *l. 109. inf.* nemine ad id inuito coacto. Et hæc quidem illa eſt Theodoſii M. conſtitutio, quam memorat Libanius duobus locis: *Oratione περὶ τῶν ἀγγαρειῶν p. 36. Edit. Gothofr.* & *pag. 386. Oper. minor. Gothofred. Edit. Cl. Trotz.* ad Theodoſium M. ipſum, quam hoc ipſo Anno 383. ſcripſit, vel certe A. 385. κἀν τοῖς ἐπαίνοις τοῖς περὶ σοῦ, τῶν μεγάλων καὶ τοῦτό ἐστιν, ἐπὶ τὰς διὰ τῶν θηρίων λειτουργίας, ἀνάγκαις ἤγετό τις πρότερον, συγγνώμης τοῦτο ἐποίησας, οὔτε κωλύων βουλομένους, οὔτε ἕλκων ἄκοντας. &c. id eſt: *ſed e maximarum laudum tuarum numero iſtud eſt: Ad publica ferarum munera neceſſitate quiſ antea*

antea

antea adigebatur; id vero tu Indulgentiæ feciſti, neque probibens volentes, neque trahens inuitos. Alter Libanii locus eſt in *eius orat. in Tiſamenem*, ad eundem Theodoſium, *p. 447. Edit. Morell.* Damna quippe a Tiſamene Curialibus illata memorans, nominatim memorat damna illata ferarum muneris occaſione: Quare vbi dixit τῦ διὰ τῶν θηρίων λειτυργήσοντος, dixitque Tiſamenem inuitos ad id adegiſſe, τὴν λειτυργίαν δὲ τὰς ἄθλυς ὑπομεῖναι κελεύων, *& functionem publicam certamina ſuſtinere iuberet*, ſubiicit, σὸν ἐν τῷ τῦτο τολμᾶν ὦ Βασιλεῦ, περιυβρίζων νόμον. σὺ γὰρ ἡμῖν τῦτον προσάρυσιν ἔθηκας, τὴν μὲν ἀνάγκην τῆς τοιαύτης δαπάνης ἀναιρῶν, γνώμης δὲ τὸ πρᾶγμα ποιῶν. λέγει οὖν ὁ νόμος, βύλει καὶ τῦτο ποιεῖν; ὐδεὶς ὁ κωλύσων: ἀλλ' ὐκ ἐθέλεις; ὐδεὶς ὁ καταναγκάζων, ἀλλ' ὗτος ἀναγινωσκομένυ τῦ νόμυ προσῆγε τὰς ἀνάγκας &c. καί τοι καὶ εἰ μηδὲ παντες ἦσαν ἐνδεεῖς, τὰ εἰς χρήματα καὶ πολὺς ὁ χρυσος παρ' ἑκαςῳ θηρία δὲ ὐκ ἐβύλοντο τρέφειν, ὐδὲ τὺς ταῦτα ὑπομεῖναντας ἀνθρώπυς, καθ' ἐξυσίαν ἔφευγον ἂν τὸ ἀνάλωμα, &c. id eſt, *Tuam hoc audens, o Imperator, contumelioſe abrogat legem: tu enim nobis pronuper ſanxiſti, neceſſitatem quidem tantæ impenſæ remittens, voluntatis vero hanc rem efficiens: Nempe ait lex, vin, & hoc facere, nullus eſt qui impediat; non vis, nullus eſt qui coacturus ſit. Sed hic etiamſi lex legeretur, neceſſitatem adegit &c. Et quanquam non omnes eſſent indigi, quantum ad pecunias attinet, imo magna vis auri penes vnumquemque foret, feras tamen alere noluerunt, & eos qui ferarum curam habent: quantum potuerunt, hunc ſumptum effugerunt.* Repetita porro conſtitutione Theodoſius M id ipſum poſtea rurſum conſtituit, *l. 109. inf.* An. 385. ad Cynegium PP.

De hoc vero ferarum munere Antiochiæ in Syria eſt quoque Libanii *epiſtola 889.* ad hunc ipſum *Proculum*, cui hæc *lex* inſcribitur, vbi de Argyrio quodam agit; ἐπειθαι τοῖς πατράσιν ἀξιῶν Ἀργύριος ὁ πολιτευόμενος ἐπὶ ταῖς καλαῖς λειτυργίαις, διά τε θηρίων, καὶ τῶν πρὸς ταῦτα μαχομένων ἀνθρώπων εὐφραίνει τὴν πόλιν ἡμῶν; *Argyrius, maiores ſuos imitaturus, quando munere publico in republica præclare fungitur, feris, hominumque cum illis certaminibus vrbem noſtram demereri inſtituit.* De eiusdem feratum muneribus quæ a Curialibus Antiochiæ in Syria edebantur ſunt eiusdem Libanii *epiſtolæ*, ad *Andronicum 217.* ad *Florentium 220.* quæ ſingularis eſt: ad *Euſebium 218.* ex epiſtola autem 217. diſcimus, optimos venatores ferarum ex Phœnicia petitos, κυνηγέτας, πρὸς τὰ θηρία μαχομένυς vid. & *ep. 503. 513. 514.*

Supereſt *huius leg.* ſubſcriptio. Dicitur vero p. 450. ea, *Dat. Salamariæ*, vbi nonnulli reponebant, *Samariæ*. Reponat quis *Solaramiæ*: quæ in Syria Apamæna vel Palmyrena erat, haud longe Emeſa & Laudicia ſcabioſa, & Palmyra & Damaſco; cuius mentio quoque fit io *Itinerario Antonini*, *pag. 197. Edit. Weſſeling.* vbi male *Salaminiada* habet editio. *Heliopolis* eodem tractu eſt, & *Heliaramia* eadem, Græca voce in *Itiner. Peuting. Solis* videl. *Aramia* vel *Aramæa*. Aramia vel Aramæa, Aramæi pro Syria & Syris: vid. Ioſephum *Antiquit. Iud. lib. 1. c. 7.* & Strabonem *lib. 1. pag. 71. Edit. Almeloueen.* & *Aram* etiam olim Damaſcus: vid. Hieronym. *de loc. Hebr.* Et forte *Solaramia* vox conflata e tribus *ſol*, *Ar*, *Ramia*. Ἄρης & Ραμιςης vel Ραμίσσης Reges: de quibus obeliſci Inſcriptio apud Marcellinum, *lib. 17. cap. 4.* Quid ſi *Salamaram* hic intelligamus, quæ in Pamphylia, cujus meminit Hierocles in vetuſtiſſima prouinciarum *Notitia*. Verum huic renititur *huius l.* Inſcriptio, quæ data eſt ad Com. Orientis, in qua diœceſi non fuit Pamphylia.

De CLERICIS *Curialibus, & cedendis ab eis bonis.*

CIV. (a) Idem AAA. (b) Poſtumiano PF. P. (c)

CVRIALES, qui Eccleſiis malunt ſeruire, quam Curiis, ſi volunt eſſe quod ſimulant, contemnant illa quæ ſubtrahunt: Nec enim eos aliter, niſi contemptis patrimoniis liberamus: Quippe, *animos diuina obſeruatione deuinctos non decet patrimoniorum deſideriis occupari.* Dat. VII. Id. Nou. Conſtp. Merob. II. & Saturnino Coss. [383]

NOTAE.

(a) Abeſt hæc *lex* a *Cod. Iuſt.* Quæ & ipſa ad Hiſtoriam Eccleſiaſticam pertinet, & tamen omiſſa eſt a Baronio. GOTHOFR.

(b) Reponendi *hic*, & deinceps *ſequentib. legib.* vsque ad *legem* 125, incluſiue, *Imppp.* VALENTINIANVS, *Theodoſius & Arcadius*, vtpote Gratiano iam mortuo: vid. *Chronolog. ID.*

(c) *Poſtumianus* ſub Theodoſio M. PP. Orientis. Ad quem inter alias eſt quoque *lex* 98. 102. *ſup.* & extat quoque Gregorii Nazianzeni *epiſtola* 71. vid. *Proſopogr. ID.*

COMMENTARIVS.

CLERICVM ex-Curiali factum, Curia Curialibusque oneribus & deſcriptionibus non aliter liberari vult *h. l.* Theodoſius M. (pariter vt idem tribus aliis conſtitutionibus; puta *l. 11. 121. 123. inf. h. t.*) quam ceſſo patrimonio ſuo, Curiæ ſcilicet, *h. l.* & *l. 121. 123. inf.* & ſic cum patrimonii iactura & periculo: vel alio nominatim idoneo ex patrimonio ſuo ſubrogato *d. l. 15.* Quæ & ipſa ſententia biennio poſt ſtetit Theodoſio M. eidem in ſimili caſu *l. 46. ſup. de curſu publ.* Imo in hac ipſa re hoc ipſo

Anno

Anno ſtetit Valentiniano Iun. *l. 99 ſup.* ad cuius ſententiam referendus eſt Ambroſii locus ad Valentinianum Iun. ſcribentis, non vero ad *hanc leg.* quæ Theodoſii M. eſt, is trahendus. Pariter vt ad *hanc l. male* refertur eiusdem Ambroſii locus alter, *ep 36. ad Theodoſium*, de quo ad *l. 36. inf. de Epiſcopis*. Recte autem referri poteſt Gregorii Nazianz. locus, quem profero ad *l.* tar. *inf.* Imo eadem mens ſtetit quoque Valentiniano Sen. *l. 59. ſup.* Nam quid hanc in partem cenſuerint ſuperiores Principes, docet ſatis *Paratitlon.*

Ratio tantum *hac l.* reſpectu Clericorum ipſorum notetur. *Quod animos diuina obſeruatione deuinctos*, id eſt Eccleſiis ſeruientes, *non deceat patrimoniorum deſideriis occupari*. Sic & *leg. 63. ſup.* de Monachis retrahendis ad Curiam, *mandauimus familiarium rerum carere inlecebris*. Ad quam rationem vide quæ dixi ad *l. vlt. ſup. ad leg. Iul. pecul.* Ipſarum vero Curiarum reſpectu ratio hæc altera redditur ab eodem Theodoſio M. *l. 123. in fin. inf.* nempe quod *Curia habere debeat ſolatium facultatum, cui deſit in functionibus numerus perſonarum.*

Hæc porro *lex*, ſaltem hoc ius poſtea Arcadio diſplicuit in ſpecie *l. 3. ſup. de his, qui ad Eccleſ. conf.* vnde deſumpta eſt *lex 12. Cod. Iuſt. de Epiſcop. Eccl. & cler.*

De PRINCIPALIVM *officii Præſidis Oſdroënæ liberis, ad Curiam Ædeſenam vocandis.*

CV. (a) Idem AAA. (b) Cynegio PF. P. (c)

OB penuriam Ædeſenorum (d) Municipum, (e) Diui Parentes (f) Noſtri ſtatuerunt, † *Vt Officii Præſides* (g) *Oſdroënæ prouinciæ Principum* (h) *liberi, ſi ſinguli eſſent, memoratæ ciuitatis Curialibus iungerentur: ſin vero bini diuiſa fœcunditate, ſinguli militiæ, ſinguli vero Curiæ necterentur*, Quod cum ita ſit, iubemus & præſenti lege, & ſuperiore ſeruata, vt omnes omnino, qui ordine militiæ ad Principatum venturi ſunt, vel veniſſe monſtrantur (etiamſi aliqua calliditatis arte ſe a Principatus munere putauerint ſubtrahendos) memoratæ Curiæ ſuos liberos tradant, diuidantque cum Ædeſena ciuitate ſubolem Reipublicæ profuturam. P. 491. Hii quoque, qui iam, contra legem, ante Principatum patrum quibuslibet ſacramentis innexi ſunt, retracti, memoratæ Curiæ congregentur. Dat. pridie Non. Maii, Conſtp. Richomere & Clearcho Coss. [384.]

NOTAE.

(a) Abeſt *hæc lex a Cod. Iuſt.* velut hiſtorica & temporaria. *GOTHOFR.*

(b) Nempe, *Valentinianus* THEODOSIVS *& Arcadius: vt leg. ſuper. ID.*

(c) *Cynegius* ſub Theodoſio M, PP. Orientis: cui decem conſtitutiones ſuper Decurionibus *hoc tit.* inſcribuntur, puta hæc *lex: & lex* 106. 107. 108. 109. 111. 115. 116. 117. 118. Quibus addenda *vndecima, lex 1. inf. de præd. & mancip. Curial.* Vnde apparet magnam huic Cynegio Curiarum curam fuiſſe. De quo Cynegio dixi *ſup.* plene *l. 19. de petitionib.* & *l. 15. ſup. de accuſat.* etiam ex Zoſimo, Libanio, qui eius non *vno loco* meminit, & Idacio. vid. *Proſopogr. ID.*

(d) Vid. *l. 79. ſup. ID.*

(e) Id eſt Curialium *h. l.* & multis aliis *legibus. ID.*

(f) Parentes ſuos *h. l.* & *l. 90. ſup.* vocat Theodoſius M. more ſolito deceſſores ſuos in Imperio Valentinianum & Valentem, de quo more dixi ad *l. 1. ſup. de aſt. certo temp. fin. ID.*

† Valentis *legem 79. ſup.* intelligit. *ID.*

(g) *rp. Præſidis ID.*

(h) Primipilarium, *d. l. 79. ID.*

COMMENTARIVS.

ÆDESENÆ per Oſdroënam Curiæ, Curialibus hoc tempore exhauſtæ conſultum it *hac l.* Theodoſius M. confirmata ſuper Principalium Officiis Curiæ nectendis vel inter eam & Officium diuidendis, *lege* Valentis Imp. puta *l. 79. ſup.* ad quam dicta ſufficiant. Quatuor tantum *hac lege* ſingularia notentur. Primo, eos etiam Principalium filios ad Curiam retrahendos, qui nati ante Principatum patris, iam aliis ſacramentis nexi ſunt. Principalium ſc. Filii etiam ii ſunt & cenſentur, qui ante principatum patris nati ſunt, ſicut Senatorum filii in honoribus, qui ante patris dignitatem nati. De quo ad *l. 1. ſup. de Senator.* & *gl. coll.* Secundum ſingulare eſt id, quod de *diuiſione prolis* hic adiicitur. De quo iam ſupra non ſemel, ac nominatim ad *d. l. 79.* Tertio ad Oſdroënam pertinentia notentur: quæ hic indicantur, de Præſide videl. Oſdroënæ, de eius Officio, & Principibus in eo: deque Ædeſſa in Oſdroëna, de quibus ad *d. l. 79.* Poſtremo, ex collatione *huius l.* cum *d. l. 79.* diſcimus Principales officii, qui *hac l.* vocantur, eosdem cum Primipilaribus fuiſſe.

PROVINCIÆ *adminiſtratione Curialem non liberari.*

CVI. (a) Idem AAA. Cynegio PF. P. (b)

CVRIALES, quicunque (c) perfuncti prouincialibus dignitatibus fuerint, ad perſoluenda ea, quæ debent patriæ, detinentur. (d) Dat. VIII. Id. Iul. Heracleæ, Richomere & Clearcho Coss. [384.]

NOTAE.

(a) Abeſt & hæc *lex* a *Cod. Iuſt.* GOTHOFR.

(b) Orientis. cui decem conſtitutiones *hoc titulo* inſcribuntur dixi ad *l. ſuper* 105. *ID.*

(c) *Quantuncunque. ID.*

(d) *Detineantur. ID.*

COMMENTARIVS.

DIGNITATIBVS prouincialibus, Adminiſtratione, inquam prouinciæ quamlibet perſunctos Curiales, ad Curiæ munera quæ nondum ſubierunt, teneri iubet *hac l.* Theodoſius M. Quæ & ipſa ſententia eſt duarum aliarom Theodoſii M. conſtitutionum, *l.* 122. 134. *inf.* (vt cœteroquin idem generatim dignitatibus quamlibet honoratos, reuocari ad Curiam voluit: *l.* 86. 87. 94. *ſup.* 122. 123. 134. *inf.*) Idemque Valentiniaoo Iun. viſum, *l.* 110. *inf.* & Arcadio *l.* 159. *inf.* quod tamao mox emendauit quadamtenus *l.* 160. *inf.* Aliis certe Principibus aliter hac parte viſum: nempe prouinciæ adminiſtratione reuera functos ad Curiam retrahi non poſſe: Conſtantino M. *l.* 5. *ſup.* Conſtantio, *l.* 36. 41. *ſup.* Quid Theodoſio Iuniori viſum? docebit *lex* 187. *inf.* Vnde apparet, & Curialium penuriam indies maiorem fuiſſe, cui retractis etiam poſt adminiſtrationem prouinciarum Curialibus, ſuccurri oportuerit, & prouinciarum adminiſtrationem magis magiſquè euiluiſſe: Cum ab initio ea Curialibus muneribus liberaret.

BONORVM *Curialis, ex lucratiua quacunque cauſa poſſeſſores, pro modo emolumenti ad denariſmi collationem teneri.*

CVII. (a) Idem AAA. Cynegio. PF. P. (b)

QVICVNQVE heres Curiali vel legitimus, vel electus teſtamento (c) graduue, (d) ſucceſſerit, quique fideicommiſſarius aut legatarius eiusdem arbitrio (e) morientis extiterit; vel ſi quem liberalitas locupletauerit ſorte viuentis, quos (f) a Curiæ nexu condicio ſolet dirimere, ſciant, pecuniariis deſcribtionibus, pro ea tantum parte patrimonii in quam quisque ſucceſſit, ad denariſmum (g), ſiue vncias, ſeſe auctoris (h) ſui nomine retinendum. Dat. prid. Kal. Septembr. Veronæ, (i) Richomere & Clearcho Coss. [384.]

NOTAE.

(a) Abeſt & hæc *lex* a *Cod. Inſt.* GOTHOFR.

(b) *Cynegius* PP. ſub Theodoſio M. Orientis ſcil. cui decem *hoc titulo* Conſtitutiones inſcribuntur, de quo ad *l.* 105. & in *Proſopogr. ID.*

(c) Primo gradu. *ID.*

(d) Secundo gradu, ſubſtitutus ſcil. *ID.*

(e) *Arbitrio*, id eſt teſtamento: vt *l.* 4. *inf. de Epiſcopis.* vid. *Gloſſ. ID.*

(f) Nulla hic numeri mutatio eſt, ſed Sylleſis quam Syntheſin nominant, de qua monent Grammatici: monet & Gronouius *de pecunia veter. lib.* 2. *c.* 4. *pag.* 76. *Edit. Lugd. B.* 1691. *ID.*

(g) Itaquoque *l.* 113. *inf.* denariſmo vel vnciis habeatur obnoxium. *ID.*

(h) *Auctor*, a quo bona deſcendunt. *ID.*

(i) *Berœæ* inter Heracleam & Hadrianopolim Thraciæ: cuius mentio in *Itin. Peuting. lit. E. med.* ſane Theodoſium hoc Anno conſtitiſſe Heracleæ menſe *Iunio*, docet *l.* 7 *ſup. de Palat.* S. L. *lex* 106. *inf. hoc tit. l.* 11 *ſup. de murilegulis: lex* 1. *de expenſis ludorum:* mox menſe *Septembri*, Conſtantinopoli. Quare Heraclea digreſſus & Conſtantinopolim rediens, *Berœæ* quoque in tranſitu conſtiterit. *ID.*

COMMENTARIVS.

LVCRATIVA ex cauſa Poſſores bonorum aliquorum Curialis, non Curiales, deſcriptioni ſeu collationi cuidam pecuniariæ ſubiici iubet Theodoſius M. *hac l.* pariter vt idem *l.* 123 *inf. h. t.* Scilicet ne translatis Curialium in non Curiales bonis, Curiarum commoda omnino deſtituerentur, vſus

vſus hoc nouo remedio ad eas ſuſtinendas & erigendas, poſſeſſiones eorum bonorum non Curiales ex cauſa lucratiua ad certam *deſcriptionem pecuniariam*, id eſt collationem ſeu præbitionem adſtringere, Ordinibus ſeu Curiis annuatim faciendas: De qua collatione, deſcriptione præter hanc *legem*, eſt inſuper *altera* illa eiusdem Theodoſii M. *hoc ipſo titulo, d. lex 123. inf.* & quatuor Theodoſii Iun. puta *lex 173. in fin. & l. vn. inf. tit.* expreſſo *de imponenda lucratiuis deſcriptione: & l. 16. ſupr. de Agentibus: & Nouella eius 11. l. 2.* Cuius deſcriptionis ſeu collationis auctorem puto Theodoſium M. & quidem *hac ipſa leg.* eius quippe verba omnino nouam ſanctionem redolent.

Sub tribus porro Limitationibus hæc deſcriptio ſeu collatio impoſita.

Primo impoſita ea *Poſſeſſionibus* ſeu iugationibus, non rebus mobilibus aut ſe mouentibus, vt expreſſe id definit Theodoſius Iun. *d. Nouella 11. l. 2.* & *l. vn.* quæ inde deſumpta *Cod. Iuſt. de impon. lucrat. deſcriptione.*

Secundo impoſita hæc deſcriptio ſeu Collatio nonniſi *Lucratiuis*, ſeu iis, qui ex lucratiua cauſa poſſeſſiones detinerent, vt loquitur *d. l. vn.* vt habet ille *tit. de impon. lucratiuis deſcript.* quibus lucratiuæ facultates ex bonis Curialium prouenerant, vt ait *d. l. 173.* ſi quid ex lucratiua cauſa ex ſubſtantia Curialium, diuerſa largiendi occaſione peruenisset, vt *d. l. 123. infr.* Quod hæc (eo quoque nomine ſingularis) *lex* ſpecialiter ediſſerit. *Primo* ſi quis hæres Curiali extitiſſet, quocunque iure 1. ſiue ab inteſtato, 2. ſiue ex teſtamento, 3. idque ſiue primo ſiue ſecundo ſubſtitutionis gradu. *Secundo* item ſi quis fideicommiſſum aut Legatum teſtamento Curialis accepiſſet. *Tertio* denique ſi donatione inter viuos quid ab eo acceperit: Quod & ipſum *d. Nouella* continetur. Quæ quidam eorum, quæ ex lucratiuo titulo ad aliquem peruenerunt, & oneroſo, differentia & in aliis iuris articulis cernitur, ſic vt hæc difficilius ad collationem vocetur, illa procliuius, quod in *Viceſima quoque hereditatum* videre eſt. Neque tamen omnes, verum iis adhuc exceptis, de quibus *d. Nouellarum* Theodoſii Iun. *tit. 11. l. 2* pariter vt excepti nonnulli *lege Viceſima hereditatum.*

Tertio, impoſita hæc deſcriptio ſeu collatio, pro *rata poſſeſſionis* ſeu pro ea tantum parte patrimonii, in quam quisque ſucceſſiſſet: Quod vt *hac l.* ita & *d. l. 123. inf. & d. l. 16. ſup. de agentib. in reb.* diſerte cauetur.

Modvs autem qualis fuerit hujus collationis ſub Theodoſio Iun. docebit *d. lex vn. inf. de impon. lucrat. & d. Nouella 11.* Sane *hac lege & dict. leg. 123. inf.* ad denariſmum ſiue vncias poſſeſſores illos teneri dicitur. *Denariſmus* aliquando accipitur pro computatione per nummos æreos. Epiphanius *de menſuris & ponder. in fin. pag. 184. Tom. II. Oper. Edit. Colon. apud Ierem. Schrey.* καὶ Φόλλις δύο λεπτοὶ κατὰ τὸν δηναρισμόν, ἀλλ' ȣ κατὰ τὸν ἀργυρισμόν; *item follis, ſi ad denarios, non ad argenteos redigatur duo minuta continet. Denarius* ſcil. exigua ærea moneta fuit. Aurelianus Imp. apud *Vopiſcum in Vita Aureliani c. 10. Philippeos,* inquit, *minutulos quinquagenos, æris denarios centum.* Ideo *Denarii* in luſu puerorum apud Macrobium, vbi de nummo æreo loquitur. Et quæ apud Marcum *c. 12. v. 42.* λεπτὰ δύο dicuntur; *duo denarii* di- P. 453.
cuntur Hilario *in Enarrat. Pſalm. 128.* quæ Lucæ *c. 12. v. 35.* δύο δηνάρια, Ambroſio *duo æra* Ergo Denarii vſus ἀντὶ τȣ̃ χαλκισμȣ̃, ſeu exigua ſtipe ærea. Huiusmodi denariorum ſex millia ſolidum conſtituebant, æuo Caſſiodori *lib. 1. ep. 10.* Verum de hoc Denariſmo hanc *leg. & d. l. 123.* non accipio: ſed vel de quacunque exigua præbitione in pecunia (fuit enim & denarius aureus & argenteus) vel de denario argenteo. Igitur ſingulas vncias auri, ideſt, duodecimam aſſis ſeu aurei partem, huius Denariſmi ſeu præbitionis nomine, pro ſingulis iugis ſeu capitibus, præberi oportuiſſe puto. Vnde huiusmodi poſſeſſores ad *denariſmum* ſiue *vncias teneri dicuntur, hac l. & d. l. 123.* hæc enim promiſcue dicuntur: vnciæ ſcil. ſingulæ, pro ſingulis iugis ſeu capitibus. Atenim poſtea duplicata hæc præbitio: ſic vt quaternas ſiliquas (ideſt, duas vncias, nam ſiliqua vigeſima quarta pars ſolidi fuit, teſte Iſidoro *Origin. lib. 16. cap. 24.*) Theodoſius Iun. ſolui voluit, *dict. l. vn. infr. de impon. lucrat. deſcript.* & *dict. Nouella 11. l. 2.*

Notandum tandem hanc deſcriptionem impoſitam poſſeſſoribus bonorum Curialium, non Curialibus: neque ad Curiam ideo vocatos, etſi hæredes legitimos vel donatarios. Quare queritur Libanius *orat. inedita* πρὸς Θρασυδαῖον, quod filius ipſius naturalis, qui ex *lege* Valentiniani, e Valente confirmata (puta *l. 1. ſupr. de naturalibus:*) acceptis eius bonis, ad Curiam ideo vocatus fuerat, eo ſuperſtite.

POENÆ *nomine in Curiam damnari neminem poſſe.*

CVIII. (a) Idem AAA. ad Cynegium PF. P. (b)

NE quis Officialium, Curiæ, pœnæ ſpecie atque æſtimatione, edatur, (c) niſi ſi quis forte Curiam diffugiens ob hoc cœperit militare, (d) ne ingenitis (e) fungatur officiis. (f) Omnes itaque omnino Iudices tuæ (g) cenſuræ ſubditos admonebis, ne quis (h) æſtimet, Curiæ, loco ſupplicii, quemquam deputandum: Cum vtique *Vnumquemque triminaſum non dignitas debeat, ſed pœna comitari.* Dat. VIII. Id. Nou. Conſtp. Richomere & Clearcho Coss. [384.]

NOTAE.

(a) L. 38. *Cod. Iuſt. eod. tit.* GOTHOFR.

(b) *Cynegius* PP. Orientis ſub Theodoſio M. ad quem Cynegium decem Theodoſii M. conſtitutiones *hoc titulo* occurrunt, & de eo plene *Proſopogr.* dixi & ad *l. 105. ſupr.* ID.

(c) *ni-*

(c) *yg. Dedatur*, vt etiam habetur *Cod. Iuſt. ID.*
(d) Inter Officiales. Male Gh. ſub Magiſtro militum: *Militia* quoque Officialium dicta, v. *Gloſſ. ID.*
(e) Ideſt, Originalibus. *ID.*
(f) Curiæ, cui natus. *ID.*
(g) Iudices ſeu Rectores prouinciarum cenſuræ Præfectorum Pretorio ſubditi: de quo paſſim *leges huius Cod. ID.*
(h) *Ne quis eorum exiſtimet*, C. Iuſt. *eorum*, Iudicum ſcil. *ID.*

COMMENTARIVS.

POENÆ ſpecie atque æſtimatione, locoque ſupplicii, Curiæ quemquam dedi vetat *hac l.* Theodoſius M. pariter vt Valentinianus Senior *l. 66. ſupr.* Vbi de hoc pœnæ genere plene, & quam male *leges* nonnullæ aliæ eo trahantur, vel aliorum ſcriptorum loca, etiam ab his, qui ex profeſſo de hoc pœnæ genere egerunt, & teſtimonia veterum collegerunt.

Quatuor tantum ſingularia *hac l.* notentur. Primo hypotheſis eius. Nempe *Officiales* nominatim a Rectoribus prouinciarum deliquentes, ſupplicii loco Curiæ dedi, tradi ſolitos teſtatur. Quod *h. l.* nominatim vetatur. Secundo notetur *Exceptio*: quod ſc. ii Officiales Curiæ dedi poſſint, qui Curia deſerta ad Officialium militiam confugerunt. Quæ quidem, vt verum dicamus exceptio non eſt: neque enim hoc caſu Officialis pœnæ loco Curiæ tam datur, quam curiæ refuga eidem redditur. Tam parum accurati fuerunt Imperatorum hac ætate Quæſtores, legum alioquin condi promi. Quamquam dici poſſit, & hoc pœnæ genus eſſe, ad alam militiam quem retrahi inuitum, quam fugerat. Tertio notetur, Ratio generalis *huius l.* cuius hic ſenſus eſt, meliorem non debere fieri conditionem eius, qui punitur. Cum que non conuenit prorſus *lex 9. ſupr. de pœnis*: in cuius ſpecie mutatio tantum de corpore æquali in æquale pœnæ loco, vetatur, hac iam alia ratione, ſcil. quod pœna deteriorem facere debeat, eius qui punitur conditionem non æqualem. Summe ſane ex his duab. hæc recte conficitur, pœna, non æqualem, *d. l. 9.* multo minus meliorem eius, qui punitur, condicionem fieri oportere. E contrario igitur, deteriorem fieri pœnam oportere: quod cuique cernitur in ſp. *l. vlt. inf. de piſtorib.* ſeu *l. 2. C. Iuſt. de appar. P. V.* & *l. 8. d. t. de piſtoribus.* Inde Vrbaniciani vel annonarii Apparitores recte in Corpus Piſtorum damnantur, *d. l. vlt.* Patronus, in Caudicariorum & Menſorum corpus *l. 9. infr. de ſuariis.* Et ita quidem hæ *leges* diſtinguendæ ſunt, ſuiſque enunciatis aptandæ. Quarto notetur, *Dignitatem* Curialibus tribui, quod iam plene expendi ad *l. 85.* & *92.* & ad hanc *poſtremam* maxime.

P. 494. EMERITORVM, *ideſt, omnibus muneribus perfunctorum Curialium tria priuilegia.*

CIX. (a) Idem AAA. Cynegio PF. P. (b)

NEc cogi ad Agonotheſiam (c) volumus inuitos: & ad eum ſtatum cuncta referenda ſunt, in quo inueniuntur: Atque ideo, Curiales, qui vniuerſa perſoluerint, nihilque iam vel ex honoribus reliquum habeant quod debere videantur, (d) (dumtaxat (e) huius (f) ac ſimilium pro qualitate generis functionum) poſtquam patriæ cuncta reddiderint quæ publica poſcit vtilitas, etſi præſentare (g) forſitan nolunt, tamen propter perſonarum condicionem præſtare (h) cogendi ſunt, & (i) conceſſa ſibi generaliter, atque in perpetuum ex Comitibus dignitate lætentur. Oſculum quoque his, in prouincia, Iudicantum, & conſeſſus indultus ſit. Dat. VI. Kal. Maii, Arc. A. I. & Bautone Coss. [385.]

NOTAE.

(a) Abeſt hæc *lex* a *Cod. Iuſt.* GOTHOFR.
(b) Orientis: cui decem *hoc t.* Conſtitutiones inſcribuntur: de eo dixi ad *l.* 105. *ID.*
(c) *Agonotheſia*, ἀγωνοθεσία, Pollux *Onomaſt. lib.* 3. *c.* 30. *init.* ἀγωνοθεσία, ἀθλοθεσία. Hinc Agonothetæ, *l. 2. infr. de expenſis ludor. ID.*
(d) *Videantur debere*, pro *debeant*: v. ſimilia plura in *Gloſſ. Theod. ID.*
(e) *Duntaxat*, μόνον, μέχρι τούτου, δηλαδή. Gloſſæ. vid & de hac quoque voce *l.* 13. *ſupr. de Prætor.* Et ſic, *exceptis his.* Priſcianus *lib.* 18. *p.* 1106. *Edit. Putſchii*, ἀλλαχῆ πλήν. *Hoc Attici conſtruunt omni cum caſu abſque vocatiuo: quomodo & noſtri, niſi & DVNTAXAT: vt niſi illius iuſſu, niſi illi congrue, niſi illum doceam, niſi illo præſente. ID.*
(f) *Agonotheſiæ* ſcil. *ID.*
(g) Siue *Præſentari*, vel *ſe præſentare*? Imo, *præſentare* Agonotheſiam. *ID.*
(h) Siue *Præſentari*? Imo, *præſtare*, ideſt, exhibere. *ID.*
(i) Forte, *vt. ID.*

COMMENTARIVS.

DE EMERITIS Curialibus, qui ſcilicet, PERFVNCTI ſunt in Curia ſua & patria ſeu Republica, *omnibus* muneribus Curialibus (de quibus ſunt quoque variæ Inſcriptiones veteres, quodque ea

ea laude cenſebantur) excepta Agonotheſia, deque eorum priuilegiis & honoribus eſt hæc Theodoſii M conſtitutio, inemendatiſſima, vel certe obſcuriſſima: In quo alioqnin etiam argumento verſatur *lex 4. 14. 75. ſupr. l. 189. infr.* ita quidem vt *dicta lex 75.* huic noſtræ quoque reſpondeat quoad Comitiuæ dignitatem. De priuilegiis inquam & honoribus eorum eſt *hac lex*: quæ iis competebant, quæque nonnulli hoc æuo imminuta volebant: coactis partim iis quamlibet emeritis ad munus Agonotheſiæ, partim ſpoliatis iis, honoribus illis, qui emeritos ſeu omnibus patriæ muneribus deſunctos, manebant. Aduerſus quod Theodoſius M. & ab Agonotheſia eos liberat, & ad eum ſtatum eos haberi, reduci, referri vult, in quo nunc inueniuntur emeriti ſcil. De ſingulis ordine: quæ & tribus priuilegiis abſoluuntur.

Primum eſt, vt Emeriti muneribus omnibus in patria perſuncti, ad *Agonotheſiam* inuiti non compellantur. Quod & ipſum iam ab eodem Theodoſio Magno cautum, circa Syriarchiam, ideſt, circa Syriæ agonotheſiam ſeu Sacerdotium, *leg. 103. ſupra, hoc titul.* vbi dicta huc arceſſi poſſunt.

Secundum priuilegium eſt, quod omnibus in patria muneribus deſunctos in eo ſtatu ſpectari, præſentari vult in quo inueniuntur, ideſt, eo loco haberi, quo haberi debent, & conſtituti ſunt Emeriti: Comitum proinde dignitate eos haberi vult, & Ex-Comitibus dignitate lætari: ſcilicet vt variis pro varietate temporum honoribus Curiales, omnibus honoribus functi a Principibus decorabantur: de quo ad *leg. 4 ſupr.* ita hoc æuo Comitiuæ dignitas his delata, & quandoque ante tempus quæſita, *hac leg.* & *leg. 26. 36. 41. 44. 75. ſupr* vbi dixi; *l. 150. infr.* vid. & *l. 127.* & *189. infr. eod.* Et quidem ſub hac duplici Ampliatione eam Comitum dignitatem Emeritis tribuit *hac leg.* Theodoſius M. *Primo*, vt ſi muneribus aliis omnibus deſuncti ſint, excepta duntaxat Agonotheſia, & ſimilibus functionibus, quarum gratiam his *hac lex* facit, hæc nihilominus Comitiua competat. *Secundo*, vt competat ipſo iure *generaliter*, vt ait *lex*, ſolo *ſtatu*, Emeritorum, *in quo inueniuntur*, conſiderato; etſi *præſentare* forte *nolint*: propter ſuam conditionem tamen *præſtare* cogendi ſint & eminere: *Præſentari*, ideſt, oculis publicis ſubiici, ſiſti, exhiberi cum ea dignitate: ſic & domus ſummæ dicuntur lauacris publicis præſentari, *l. 3. infr. de Aquaductu*: ſic præſentari Examini, *l. 3. de bonis vacantibus*: ſic dicuntur Rei præſentari, ideſt in publicum extrahi, adprehendi, ſiſti: *l. 31. circa fin. de Epiſcop. infra.* ſic munera patriæ exſolvere *l. 161. infr. hoc tit.* quanquam poſſit & vox *præſentare*, hic ſtare, hoc ſenſu, etſi Agonotheſiam *præſentare* vel *penſitare* (quæ vox etiam propria hac in re, vid. *leg. 29. ſupr.*) vel *præſidere* Agonotheſiæ nolint, tamen Comitiua decorari debeant: Nempe Emeritos Agonotheſiam inuitos ſubire non vult Imp. Et licet ipſi Emeriti Comitiuam non petierint, attamen inuitos eos ſequi iubet ſplendorem & dignitatem Comitiuæ: atque in eo ſtatu Decuriones, ipſorumque res æſtimari, ad eum ſtatum cuncta eorum referri, in quo inueniuntur, ac proinde *præſtare* ſeu eminere propter perſonæ conditionem cogendos: p. 455.
Comitiuæ ſcil. capaces, quia iam Emeriti, etſi eam non petierint, conceſſa tamen eis eſt, & debetur *generaliter*, id eſt omnibus, qui vniuerſis in patria muneribus functi ſunt, etſi eam non petierint, aut petere noluerint, ſeque eo nomine præſentari: vti ſunt qui contenti conſcientia recte factorum, honores ſpernunt, ſeu honore non vtuntur: vt & alias quoque cunctis honoribus functi, honore ſibi publice dato contenti, impenſam remittebant: de quo ſunt veteres *Inſcriptiones*. Idque rurſum *in perpetuum*, vt etiam gloriæ curſus ſempiternus &c. cum alioquin aliquando Comitiua nonniſi ad certum tempus deferretur, vt *leg. 189. infr.* Quæ quidem omnia diligenter obſeruanda ſunt, velut ſingularia; puta vt inuitos dignitas comitetur, præſtareque ſeu eminere alioqui cogantur: vt cæteroquin decus & *gloria Virtutis*, recteque factorum *comes* eſt, & *illuſtris peruagataque multorum & magnorum, vel in ſuos vel in patriam* nominatim *fama meritorum*, teſte Cicerone, *orat. pro M. Marcello cap. 8. in fin.* etſi non ambitioſe affectata; etſi qui eam poſſidet, præſentare ſe nolit, ſeu offerre & obiicere gloriæ. Et ſic quæ cauſæ totius, huiusque loci coniectio eſt, Emeriti etſi ad Agonotheſiam cogi non poſſint, cogi poſſunt ad admittendam dignitatem, & præſtare ſemper debent *propter perſonæ conditionem*, nam & id contemnere, anguſti atque demiſſi animi a nonnullis dicitur: & eiusdem *conditionis* homines ea re ad benemerendum de patria allici oportet, quod politicum ſcemina hinc duci poteſt.

Huic additur a Theodoſio M. *hac l.* & Tertium priuilegium Emeritorum, ſeu eorum, qui omnibus patriæ muneribus functi ſunt: *Oſculi*, inquam, & *Conſeſſus* ius cum Iudicibus ſeu Rectoribus prouinciarum: Nempe hi illos Oſculi honore, & in Conſeſſum ſecum recipere debebant. De quo Oſculi, Conſeſſusque honore dixi plene ad *leg. 4. ſupr. de domeſt. & protect.* & ad *leg. vnic. de Præpoſ. S. Cubiculi.*

De REVOCATIONE *Curialium, vbi & quorum facienda ſit: & de conludio Curiarum hac in re, plectendo.*

CX. (a) Idem AAA. ad Neotherium PF. P. (b)

VNIVERSOS Municipes (c) ſibimet debitos Ordo (d) apud proprium repetat Cognitorem. (e) Siquidem nullum magis vniuscuiusque forum competens poterit appellari, quam patriæ. Si quis tamen prouinciam rexerit Curialis, aditum ſibi intercluſum Senatoriæ (f) dignitatis intelligat, niſi patriæ quidquid debet ante diſſoluerit. Et ne conludio forte Municipum, quæ ſunt iuſſa fruſtrentur, ſciant ſingularum Ordines ciuita-

 tum,

tum, triginta libris auri ſe eſſe multandos, niſi ad repoſcendos proprios, ſedulis inſtiterint querelis. Dat. V. Kal. Iun. Med. Arcad. A. I. & Bautone Coss. [385.]

NOTAE.

(a) Abeſt hæc *lex* a *Cod. Iuſt.* GOTHOF.

(b) Eidem *Neotheria* de Curialibus hoc ipſo Anno, menſe Iulio inſcripta eſt altera eiuſdem Valentiniani Iun. *lex* a. *ſupr. quid prob. deb.* ID.

(c) *Municipes* hic & *infr.* ſunt Curiales: vid. *Paratitlon.* ID.

(d) Id eſt, Curia. vid. *Paratitlon.* ID.

(e) Ideſt, Rectorem prouinciæ. ID.

(f) Et ſic a Curia excuſationem. ID.

COMMENTARIVS.

De Repetitione Curialium, ſeu de reuocatione ad Curiam eorum, qui Curiæ vel Curialibus quibusdam adhuc muneribus tenentur, eſt hæc Valentiniani Iun. conſtitutio: Vbi videl. ii repeti poſſint, & Quinam? Quoque & quanto ſtudio repeti deberent? Primo igitur, Apud *Rectorem* prouinciæ, ſeu ordinarium Cognitorem repeti Curiales a Curia debent: Forum ſcil. competens vniuscuiusque nullum magis eſt, quam patriæ ſeu prouinciæ. Non igitur alio properandum eo fine, ad Principem forte vel ad Præfectum Prætorio: verum in ſua quisque patria apud Iudicem prouinciæ a Curia repetendus eſt. Quod & ipſum cauetur ab Honorio *l. 161. in fin. hoc tit.* vbi de occaſione & ratione huius rei. Secundo, etiam eos Curiales qui *Prouinciam* rexerint, ſi nondum omnia Curiæ munia expleuerint, repeti iubet; Quod & Theodoſio quoque viſum, *l. 106. ſupr. l. 122. 134. infr.* & Arcadio, *l. 159. 160. infr.* Sed olim diſplicuerat Conſtantino M. *l. 5. ſupr.* & Conſtantio, *l. 36. 41. ſupr.* Interim ex *hac ipſa l.* notandum, Senatoriam dignitatem a Curia immunem præſtitiſſe ſub Valentiniano Iun. de quo iam ſæpe; nam & in eo argumento verſantur huius tituli *leges 27.* quas repetere licet ex *Paratitlo.* Tandem pœnam 30. librarum auri Curialibus minitatur, niſi ſedulo Curiales ſuos repetierint: vtilitatem ſuam ſcilic. & commodum his ſpernere non licet. Quo pertinet etiam, quod cauetur *l. 71. ſupr.* imo & *l. 17. 65. in fin. 7". ſupr. l. 113. infr.* & *l. 2 ſupr. quid probare deb.*

P.456r

SENATORI *facto Curiali, non ſatis eſſe filium vel Vicarium relinquere ſuo loco, ſed Senatoriis & Curialibus oneribus teneri.*

CXI. (a) Idem AAA. Cynegio PF. P. (b)

Nemo prorſus Curialium, ſubſtituto filio, vel quolibet alio, deſerendorum munerum patriæ habeat facultatem: Sed vnusquisque, qui relicto in aliqua ciuitate, vel filio, vel vicario, Ordini ſe inplicat Senatorio, tam ſuis, quam ſubrogati muneribus obligatos, (c) ſub ſpecie munerum publicorum enormia vtrubique cogatur patrimonii ſubire diſpendia. Dat. prid. Kal. Maii, Conſtp. Honor. NB. P. & Euodio Coss. [386.]

NOTAE.

(a) Abeſt hæc *lex* a *Cod. Iuſt.* Iungenda autem ei *lex 4. ſupr. de proximis.* Hanc *legem* indicat & confirmat Theodoſius *l. 118. infr.* GOTHOFR.

(b) Orientis huic Cynegio *decem* hoc titulo *Leges* inſcribuntur. ID.

(c) *γρ. Obligatus.* ID.

COMMENTARIVS.

Senatores ex Curialibus factos nequidem ſubſtituto alio Vicario muneribus Curialibus liberari patitur Theodoſius M *hac l.* vt & *l. 118. infr.* quæ ad eundem Cynegium data *hanc l.* iudicat ſimul & firmat, cum tamen antea hanc ſubrogationem idem Imp. admiſerit *l. 90. 91. 98. ſupr.* Imo in tantum vt huiusmodi Senatorem ex Curiali factum tam ſuo, quam ſubſtituti nomine, munera ſubire eum velit: & vt loquitur, enormia vtrubique cogatur patrimonii ſubire diſpendia: *vtrubique*, id eſt, tam in Senatu, quam in Curia municipali: vt ſenſus hic ſit, cum tam Senatoria quam Curialia onera ſuſtinere oportere: quod ſane diſerte cauetur, *l. 187. infr.* hucque pertinet *l. 122. infr.* Igitur διπλῆς λειτουργὸς, vt in re non abſimili loquitur Syneſius *ep. 38.* vbi in transcurſu, διπλῆς λειτουργὸς non eſt, quod Berterius putauit, 1. *Pithan. c. 10. pag. 853. Tom. IV. Theſ. Iur.* Magiſtratus municipalis, verum Senator, qui ad duplicis Senatoriæ glebæ onus in ſpecie *illius epiſtolæ* vocabatur. Primo, quia Senator & Senatoria bona poſſidebat: Secundo, quia Ducatum adminiſtrauerat: quod Syneſius damnat, ſcribens ad Aurelianum Præfectum Prætorio, idque ab eo amoueri poſtulat: ὅστις ἐκ προγόνων λαμπρός.

λαμπρότατος ὤν, καὶ τὴν πατρῴαν βῶλον ὑποτελῆ τῇ συγκλήτῳ διαδεξάμενος, ἐπειδὴ γέγονεν ἡγεμών, ἀξιοῦται συντελεῖν, ὥσπερ οἱ νεοβούλοι, καὶ γενέσθαι διπλῆς λειτουργός; τὸ μέν τι διὰ τὴν οὐσίαν, τὸ δὲ δι' ἣν ἦρξεν ἀρχήν: *qui cum clariſſimis maioribus natus ſit, agrosque paternos ſenatui vectigales iure hereditario acceperit, poſteaquam Dux factus eſt, eadem quæ recens in Senatum adſcripti tributa exiguntur, duas vt penſitationes ſoluat, vnam quidem bonorum, aliam vero magiſtratus, quem geſſit, nomine.* Ex quo loco etiam illud apparet, Duces rei militaris Ducatu functos Senatoriæ glebæ obnoxios ſtatim factos, vtpote iam Senatores. Quod & ipſum non intellexit Petauius, ad eum locum ſcribens, *p. 49. 50.*

Ait autem *lex, enormia cogatur patrimonii ſubire diſpendia:* Nempe quia talia fuerunt & Senatoria & Curialia: de quo iam ſæpe. Inde ſane Senatorius Ordo ſumptuoſus. *l. 58. ſupr. hoc tit.* Tandem qui noſſe vulet, quantopere hac parte Principes variauerint, conſulat is *leges* omnes, quæ 27. *hoc tit.* occurrunt in hoc argumento de Curialibus, Senatoribus factis, occupatæ: quas quidem ex *Paratitl.* repetere licet.

De ARCHIEROSYNA *a potioribus, non tamen Chriſtianis, ſubeunda Theodoſii M. lex.*

CXII. (a) Idem AAA. Florentio (b) PF. Auguſtali. (c)

IN conſequenda *Archieroſyna* ille ſit potior, qui patriæ plura præſtiterit, nec tamen a Templorum cultu, obſeruatione Chriſtianitatis, (d) abſceſſerit: Quippe indecorum eſt, imo (vt verius dicamus) inlicitum, ad eorum curam Templa & Templorum ſolemnia pertinere, quorum conſcientiam veræ (e) ratio diuinæ religionis imbuerit, & quos ipſos decebat tale munus, etiamſi non prohiberentur, effugere. Emiſſa (f) XVI. Kal. Iul. Conſtp. Honor. NB. P. & Euodio Coss. [386.]

NOTAE.

(a) Abeſt & hæc *lex* a *Cod. Iuſt.* vtpote iam Paganis ritibus omnibus ſublatis. Item ab Annalibus Eccleſiaſticis Baronii, quæ tamen augeri potuerunt. *GOTHOFR.*

(b) *Florentio* huic Præfecto Auguſtali inſcribitur quoque An. 384 *lex* 1. *ſupr. de his qui plebem: Lex* 9. *ſupr. de fide teſtium:*
P. 457. Eius quoque meminit Farrago Alexandrina edita a *Scaligero*, ſub Anno 365. *Arcadio Auguſto filio Theodoſii, & Bautone Conſulibus ſub Florentio Auguſtalio. Eo Anno natus eſt Honorius Conſtantinopoli V. Idus Septembris. ID.*

(c) Id eſt Ægypti. *ID.*

(d) Id eſt, ex pagano Chriſtianus factus *ID.*

(e) γρ. *Vera ratio:* vel *veneratio. ID.*

(f) *Emiſſa*, h. l. Eadem ſubſcriptio *l.* 9. *ſup. de Agentibus in reb. leg.* 11. *ſup. de diu. officiis. l.* 30. 50. *ſup. de appellat. l.* 3. *inf. de Numerariis:* & Nouella *Theodoſii* 23. Dicam de hac formula & ſubſcriptione *in Prolegomenis. ID.*

COMMENTARIVS.

ARCHIERUSYNÆ munus *hac l.* Theodoſius M. vt illi deferri iubet, qui patriæ plura præſtiterit; ita ab ea excipit Chriſtianos: eosque adeo Archieroſynam amplecti vetat.

Quinam fuerint ἀρχιερεῖς, quid ἀρχιερωσύνη, vel ipſo nomine ſatis patet: Frequens ſane eorum mentio in veteribus quoque Inſcriptionibus. In Gloſſis etiam ἀρχιερωσύνη, *Pontificatus:* Sacerdotales præſides dixiſſe videtur Tertullianus, *cap.* 11. *de ſpectaculis.* Sunt & qui apud Suetonium, *in Caligula c.* 22. & *Domitiano c.* 4. & apud Capitolinum, *in M. Antonino c.* 4. Magiſterium ſacerdotii, & Magiſterio fungi in collegio Sacerdotum, pro Archieroſyna dici putant, ſed male. Ἀρχιερεῖς certe huiusmodi fuere olim Scopelianus Aſiæ, de quo Philoſtratus *in eius vita pag.* 515. *Edit. Morell.* ſub Iuliano item Apoſtata, Arſacius Galatiæ, Theodorus Aſiæ, ad quos extant Iuliani *Epiſtolæ* 49. & 63. Chryſanthius Lydiæ, apud Eunapium, *in vita Maximi pag.* 101. & *in eius ipſius vita pag.* 193. *Edit. Commelin.*

Ex Iuliani interim epiſtolis diſcimus, quidnam hoc æuo muneris eorum fuerit: nempe non ipſum ſacra celebrare, facere; verum ἄρχειν ἱερῶν ἁπάντων, καὶ ἀπονέμειν τὸ πρέπον ἑκάστῳ: item ἐπιτροπεύειν τὸν αἰσθητὸν κόσμον: (a) nempe, *Templis*

(a) Verba hæc, ἐπιτροπεύειν τὸν αἰσθητὸν κόσμον, plane non pertinent ad munus ἀρχιερέων, ſed ad Iudæorum, quorum ſuperſtitionem depingit Iulianus, Deum. Ita enim ſcribit ad Theodorum *Epiſt.* 63. *in fin.* Ἀλλ' ἐκεῖνοι μὲν ἐν μέρει δυσσεβεῖς ὄντες, ἐκεῖνον ὃν τιμῶσιν· ἀλλ' ἀληθῶς ὄντα δυνατώτατον καὶ ἀγαθώτατον, ὃς ἐπιτροπεύει τὸν αἰσθητὸν κόσμον, ὅνπερ εὖ οἶδ', ὅτι καὶ ἡμεῖς ἄλλοις θεραπεύομεν ὀνόμασιν. *Sed illi quidem impii ex parte Dei cultores exiſtunt, quandoquidem illum colunt, qui reuera ſit potentiſſimus & optimus, quique ſenſibilem mundum regit; qui equidem, vt optime noui, a nobis etiam aliis colitur nominibus.* De munere vero plura videbis in Epiſtola altera Iuliani, quam Noſter excitauit.

plis præeſſe, & cuique quod conueniret tribuere, externumque ornatum, qui ſub ſenſus caderet, adcurare: Sacerdotes demum, ἱερεῖς, in officio continere, honeſtatique eorum conſulere. Id ipſum vero oſtendit quoque diſerte hæc *lex:* nam quæ initio eius *Archieroſyna* dicitur, eadem mox definitur & deſcribitur, *munus eſſe, ad cuius curam Templa, & Templorum ſolemnia pertinent:* vbi *Templorum* appellatione, vt alibi paſſim, Templa Gentilium proprie intelliguntur. *Solemnia* vero *Templorum* quid ſint, paulo plenius diſquirendum venit: vnde patebit, quantopere Chriſtianus Princeps Theodoſ. M. communionem omnem, ſeu participatum, conſeſſionem, μεταχὴν cum gentilibus & gentilitiis ritibus auerſatus ſit. Igitur *ſolemnia Templorum*) quomodo & *ſolemnitates* paſſim dicuntur apud Tertullianum, aliosque, & in *l. 19. de pagan ſacr. & temp.* & *conſuetudinis* Gentilitiæ *ſolemnia*, *l. 2. de maleficiis & math.*) erant, quæ votorum, id eſt, lætitiæ publicæ & religioſæ, celebritates dicuntur, in eiuſdem Theodoſii M. *l. 8. de paganis:* vota publica, *l. 17. eod tit.* feſti conuentus ciuium, communisque lætitiæ hominum, *d. l. 17.* Ludi ſeu priſcarum voluptatum ſolemnitates, *l. 3. eod. tit.* quibus ſcil. ſuperſtitionis Templorum, ſeu Gentilitiæ aliquid adhærebat. Feſta item conuiuia, indidem profecta, eodemque pertinentia, vt colligitur ex *l. 19 dict. tit.* Kalendarum item Ianuariarum, per hæc adhuc tempora, ſolemnitas, quæ & feſtis conuiuiis peragebantur: vt horum temporum Scriptores, ne vetuſtiora afferam, teſtantur Ambroſius *Sermone 11. in die circumciſ. Dom. p. 15. Tom. V. Oper. Edit. Paris 1614* Libanius, *Progymnaſmate peculiari in id, pag. 178. Tom. II, Oper. Edit. Morell.* Aſterius quoque *homilia 4. peculiari* inter *Rubenianas pag. 51.* Prudentius, *lib 1. contra Symmachum v. 237. ſeqq.* Auguſtinus *epiſt. 64.* ſiu. *22. Edict. Benedictin.* Vota item proprie ita dicta, quæ tertio die Kal. Ianuarias pro ſalute Principis in Templis ſuſcipiebantur, feſtisque pariter conuiuiis εὐωχίαις tranſigebantur: quæ agitata adhuc ſub Conſtantino M. quod diſcimus ex Kalendario Heruagiano: imo ſub hoc eodem Theodoſio M. per Aſiam, vt prodit eius æui ſcriptor Eunapius, *ſub finem vitæ Maximi pag. 113. Edit. Commelin* quæ & ipſe in ſynodo Trullenſi, *canone 62. pag. 230. Pandect. Canon. Guil. Beuereg. Tom. I.* βοτὰ dicuntur, vbi Balſamo, & Matthæus Blaſtares, *in Nomocanone* κατὰ ςοιχεῖον *c. 3.* περὶ ἠθῶν ἑλληνικῶν, *de moribus gracanicis, lit. E. pag. 111. Tom. II. Pandect. Can. G. Beuereg.* iocularitet lepſi ſunt, cum βοτὰ iſta ὑπὸ τῶν βοτῶν, id eſt ὑπὸ τῶν προβάτων deduxere, idque feſtum in honorem Panis agitatum prodidere. Hoc numero erant & Saturnalia, *Brumaque*, quæ Tertullianus memorat *de Idololatria cap 10. & 14.* quæ & ipſa in dicto *canone* Trullano *Bromalia* dici videntur, quæ idem Balſamo & Zonaras *in not. ad dict. Can. p. 231.* & Matthæus Blaſtares *loc. cit.* in honorem Bacchi (qui *Bromius* dictus) agitata ſcribunt: quod etiam ſequitur Tzetzes, *in lib. 2.* ἔργων *p. 154.* In hoc quoque ſolemnium numero fuere, luſtrorum ſacrificia, de quibus ſupra dictum. Ad hæc igitur, & ſimilia, Templorum ſolennia, eorumque coram, Chriſtianos hoc æuo Gentiles adigendos putabant. Eſt & vbi ea a Chriſtianis ipſis vltro contagione quadam cum Gentilibus concelebrata, inque ritus Chriſtianos tranſiere: de quo ſunt huius æui Scriptorum querelæ, quos alibi memoraui. Quare & Synodi & Principes, quantum in ſe, huic rei obuiam iuere: & hac quidem lege Theodoſius M. vetitis Chriſtianis ab horum ſolemnium cura. Quod tamen Chriſtianos quosdam Curiales adhuc feciſſe ſeu amplexatos hæc *lex* indicat: ſic quidem, vt magno ambitu eam adſequi affectarent, quod ex *principio & fine l.* colligo. Quaſi ſcil. illicitum non eſſet, neque Chriſtianæ Religioni aduerſum: cura ſcil. εὐταξίας & κόσμου templorum. Verum id Theodoſio M. *hac l.* diſplicet. Quomodo iam olim quoque ab horum ſolemnium ritu Chriſtianos dehortatus eſt Tertullianus, *de Idololatria, cap 14.* vbi inter alia: *o melior fides Nationum in ſuam ſectam quæ nullam* SOLEMNITATEM *Chriſtianorum (ſibi) vendicat, non Dominicum diem, non Pentecoſten: Etiamſi noſſent,* NOBISCVM NON COMMVNICASSENT: *timerent enim ne Chriſtiani viderentur: nos ne Ethnici pronunciemur, non veremur?* Et Auguſtinus *ſermone 6. de verbis Domini* ſiu. *ſermon. 62. de verbis Euangel. Matth. 8 num. 11. pag. 362. Tom. V. Oper. Edit. Benedictin. Si quæritis vnde vincantur Pagani, vnde illuminentur, vnde ad ſalutem vocentur; Deſerite* SOLEMNITATES *eorum, deſerite nugas ipſorum, & ſi non conſentiunt veritati noſtræ, erubeſcant paucitati ſuæ.* Hæc igitur ſolemnia illa ſunt Templorum, quæ agitata, etiam cum magna dictorum factorumque licentia; de quo ſub eodem Theodoſio M. Libanius ἐπὶ ταῖς διαλλαγαῖς *p. 413. 414. Edit Morell.* Quorumque cura *Archieroſyna* dicta: eaque Curialibus ſeu Senatoribus ciuitatum, & potioribus quidem inter eos, quique patriæ plura præſtitiſſent, pro magno delata: In tantum, vt Chriſtiani quoque Curiales eam amplecterentur, imo quod ex *hac l.* diſcimus, magna prenſatione ambirent: ideo ſcil. quod Archieroſyna hæc nonniſi εὐταξίας & κόσμου cura iam eſſet: & munus, vt ipſi putabant, ſuperſtitione vacuum, etſi circa Templa Templorumque ſolemnia occupatum. Idque nominatim factum per Ægyptum ſeu Ægypti diœceſim, quæ quinque prouinciis hoc adhuc tempore conſtebat, *Ægypto, Thebaide, Libya, Pentapoli, Auguſtamnica.* Quibus acceſſit mox ſexta, vt ex *Notitia Imperii* diſcere eſt *fol. 75. Arcadia* ſcilicet de nomine Arcadii (cuius nomen huic quoque *legi* in- P. 458. ſcribitur. Et quidem cenſeo ab ipſomet Theodoſio M. *huius leg.* auctore, addita: meminit quippe eius iam *Notitia prouinciarum Sconhouiana*, quam ſub Theodoſio M. ſcriptam oſtendi ad *l. vlt. ſup quibus equorum vſus.* Ad rem. Ad Ægyptum igitur proprie hæc *lex* pertinet: ad cuius ideo Præfectum (qui *Auguſtalis* dicebatur) hæc *lex* data eſt, cuius metropolis Alexandria: Per Ægyptum, inquam, quæ ſuperſtitionum mater, & vbi hoc adhuc tempore ſacrificia ſtabant: quod docet anno ſuperiore proximo 385 *l. 9. infr. de pagan.* anno quippe demum proxime ſequente 387. miſſus Cynegius Præfectus Prætorio in Ægyptum, ſacrificiis ibi prohibendis, quod teſtatur Zoſimus, *lib. 4. cap. 37.* & Idacius *Chronico:* quod conſummatum A. D. 391. per Euagrium Præfectum Auguſtalem, & Romanum Comitem Ægypti, Theophilo Ep. Alexandrino ſatagente, vt teſtatur Eunapius,

pius, *in vita Ædeſii p. 73. & 77. Edit. Commelin.* & adſtipulantur non tantum Eccleſiaſticæ hiſtoriæ Scriptores, & Zoſimus *lib. 5. cap. 23.* verum etiam *lex 11. de paganis*, vt ad eam iam olim adnotatum. Interea igitur, antequam id fieret, his Coſs. HONORIO *Nobili Puero & Euodio* Coſs. id eſt A. D. 386. cum per Ægyptum Templa Templorumque ſolemnia adhuc ſtarent, Archieroſynæ quoque munus ſtetit, ſeu Templorum, ſolenniumque iſtorum, cura: Quæ Chriſtianis quoque impacta, imo etiam ab his vltro ſuſcepta. Quod Theodoſ. M. *h. lege* interdicit: Neque dubito, ad ſuggeſtionem Theophili, Ep. Alexandrini, quo, vt dixi, inſtante, ſacrificia per Ægyptum prohibita, templaque oecluſa & euerſa fuere.

Et *Ratio* ſummopere hic notanda, quam ſubiicit Theodoſius M. quæque pro generali regula ſeu canone in hoc argumento ſubſternenda eſt: ceu ſcrupulo conſcientiis iniecto: *Quod indecorum ſit, imo, vt verius dicamus,* INLICITVM, *ad eorum curam Templa & templorum ſolemnia pertinere, quorum* CONSCIENTIAM *vera ratio* (veneratio) *diuinæ religionis imbuerit: & quos decebat, tale munus, etiamſi non prohiberetur, effugere.* Nempe, etſi Chriſtiani Archieroſynæ munus obeuntes, non ipſi quidem Templorum cultu ſuperſtitioneque mentem ſuam & conſcientiam obligarent, etſi etiam ſolemnia illa haud adeo ſuperſtitioſe tum implerentur, attamen vel ipſa Templa, Templorumque ſolemnia *curare* Chriſtianos, non indecorum modo, verum etiam illicitum viſum: isque caſus, *conſcientiæ* caſibus annumeratus: ἀθέμιστον in ſimili re dixit Gratianus Imp. apud Zoſimum, *libro 4. cap. 36.* Et huc vero proxime iam pertinet Tertulliani locus *de Idololatr. c. 16 in fin. neque conſilio, neque ſumptu, aliaue* OPERA *in huiuſmodi fungar*: & *cap. 17. Neque ſacrificet,* inquit, *neque ſacrificiis auctoritatem ſuam accommodet, non hoſtias locet, non* CVRAS TEMPLORVM (v. & *l. 17. D. de alim. legat.*) *deleget, non vectigalia eorum* PROCVRET, *non ſpectacula edat de ſuo aut de publico, aut edendis* PRÆSIT. Sunt enim hæc omnia, vt & iſtud de quo *hac l.* etſi non ſacrificia, certe ANSACRIFICII ſaltem genera; quam vocem ex *Agobardi* C. quo & ipſe prius vſus ſum, Tertulliano recte reſtituit vir doctiſſimus *d. c. 16.* quomodo & *admilitiam* dixit Arcadius Chariſius, *l. vnic. D. de off. Præf. Prætorio.* vbi Magiſtros equitum Dictatoribus olim *adſociator* dixit, PARTICIPALES *cura* ADMILITIÆ *gratia. Admilitia* eſt commilitium, συστρατεία: vt *adſacrificium*, συνθυσία. Nempe eo ſolo quod Templorum ſolemnia, inuectaque ea a Gentilibus ſuperſtitioſo fine aliquo eſſent, *atque ita publice celebrarentur in honorem ſacrilegi ritus*, eorum curam Chriſtianis non competere, non conuenire cenſuit Theodoſius M. ſuperſtitioſo inquam fine aliquo inuecta: exempli gratia, votorum celebritates ludique in honorem Deorum ferme inſtituti erant, vt pluribus exequitur Tertullianus *lib. de ſpectaculis*: quin, vt idem ait *cap. 4.* paratura omnis ſpectaculorum ex Idololatria conſtabat. Sic & Conſtans Imp. ludorum originem ex templis exortam teſtatur, *l. 3. de Paganis, ſacrif. & templis.* Et ante eum Lactantius *lib. 6. diuin. Inſtit. c. 20. extremo. Ludorum celebrationes Deorum feſta ſunt: ſiquidem ob natiuitates eorum, vel templorum nouorum dedicationes, ſunt conſtituta*: ibidemque, quod ad hanc rem noſtram egregie facit, concludit: *Si quis ſpectaculis intereſt, ad quæ Religionum gratia conuenitur, diſceſſit a Dei cultu, & ad Deos ſe contulit, quorum Natales & feſta celebrauit.* Et Dio *lib. 60. pag. 667. Edit. Wechel.* ἐν γὰρ δὴ τῇ Αὐγούστου νουμηνίᾳ, ἐν ᾗ ἐγεγέννητο, ἠγωνίζοντο μὲν ἵπποι, οὐ δι' ἐκεῖνον δὲ, ἀλλ' ὅτι ὁ τοῦ Ἄρεως ναὸς ἐν ταύτῃ καθιέρωτο, καὶ διὰ τοῦτο ἐτησίοις ἀγῶσιν ἐτετίμητο: *quæ enim equeſtria certamina Kalendis Auguſti, qui eſt natalis eius* (Claudii) *exhibentur, inſtituta ſunt propterea, quod ea die Martis ædes conſecrata fuit, & ideo ea anniuerſariis ludorum certaminibus honoratur.* Notumque, Natales, ſeu encænia & *Dedicationes Templorum*, feſtos fuiſſe. Idemque dicendum eſt de *Conuiuiis* Epulisque, συμποσίοις, in honorem Deorum inſtitutis: quorum gratia fuere & Φρατρίαι, *confraternitates.* Et vero hac ipſa de cauſa Conuiuia hæc, ſicut & Ludi, in Chriſtianis improbata: ad quæ eſt etiam vbi Gentiles præpotentes eos cogere ſolebant. Cui rei ſimiliter obuiam inere Patres Africani paulo poſt, A. D. 399. (vt ipſe quoque cenſeo) in *Concilio Karthaginenſi* ſub Honorio Imp. Theodoſii M. huius filio, conditis in id duobus *canonibus*, qui in *C. Africano* exſtant, 60. & 61. *p. 898. Tom I. Concil. Edit. Harduin. Illud etiam petendum* (ab Imperatore) *vt quoniam contra præcepta diuina* CONVIVIA *multis in locis exercentur*, QVÆ AB ERRORE GENTILI ATTRACTA SVNT, *ita vt nunc a paganis Chriſtiani ad hæc celebranda cogantur, ex qua re temporibus Chriſtianorum Imperatorum perſecutio altera fieri occulte videatur, vetari talia iubeant, & de ciuitatibus & de poſſeſſionibus impoſita pœna prohiberi.* Et canon 61. *Nec oportere etiam quemquam Chriſtianorum cogi ad hæc ſpectacula: maxime, quia in his exercendis quæ contra Dei præcepta ſunt, nulla perſecutionis neceſſitas a quoquam adhibenda eſt, ſed, vt oportet, homo in libera voluntate ſubſiſtat ſibi diuinitus conceſſa:* CORPORATORVM *enim maxime periculum conſiderandum eſt, qui contra præcepta Dei magno terrore coguntur ad ſpectacula conuenire.* Hactenus Patres Africani, qui diſerte Conuiuia iſta ab errore Gentili attracta fuiſſe aiunt, ἐκ τῆς ἐθνικῆς πλάνης προσενεχθέντα, vt habet Græca interpretatio: & vt Balſamo *ad canon 63. Concil. Carthaginienſ. pag. 597. Tom. 1. Pandect. Canon. Guil. Beueregii*: ἀρχὴν ἐσχηκότα ἐκ τῆς ἑλληνικῆς πλάνης, *quæ a græco errore habuerunt principium.* Quare etiam tandem, cum voluptates iſtæ feſtaque Conuiuia, quæ per vota publica fiebant, Imperatorum Chriſtianorum conſtitutionibus aliquamdiu per eamdem Africam Gentilibus agitare licuiſſet, etiam Honorii *l. 17. de paganis* A. D. 399. quanquam addita cautela & taxatione, *absque vllo ſacrificio atque vlla ſuperſtitione damnabili* (quam *legem* etiam retinuit longe poſt Iuſtinianus) paucis annis labentibus, A. D. CDVIII. ab eodem Imperatore ſublata penitus vetitaque fuere, vna cum cæteris paganæ ſuperſtitionis reliquiis, *l. 19. d. t. de paganis*: *Non liceat,* inquit, *omnino in honorem ſacrilegi ritus funeſtioribus locis exercere conuiuia, vel quidquam* SOLEMNITATIS *agitare.* In tantum etiam, vt Honorius Epi-

Digitized by Google

ſcopis locorum hæc ipſa prohibendi Eccleſiaſticæ manus facultatem tribuat *eadem illa lege*, quam Tribonianus tamen omiſit, *priore* prælata.

Iam igitur liquido tenemus horum temporum diſciplinam, mentemque adeo Imperatorum Chriſtianorum, omnem Conſtitutionibus ſuis *μετοχὴν συμφώνητον*, cumque Gentilibus *ἑτεροζυγίαν* damnantium, ſi quid ſuperſtitionis & ad ſacrificii adhæreſceret. Vnde iam patet, & quidem ex *hac l.* quam grauis eorum hodie error ſit, qui Aſiarcharum, Syriarcharum, & ſimilia munera Chriſtianos hoc tempore citra Idololatriæ culpam vel ſuſpicionem geſſiſſe ſcribere audent: eo quod videant hæc nomina muneraque hoc tempore adhuc perſeueraſſe: non p. 459. inſpecta *h. leg.* quæ id Chriſtianis interdicit. Denique notetur & hæc *lex*, vna cum *tribus*, de quibus iam egi alias in argumento & quæſtione, vt loquuntur, Idololatriæ Gentilitiæ participatæ vel interdictæ.

De REVOCANDIS *ad Curiam Curialibus, ex quibuscunque* OFFICIIS, MILITIAQVE *Armata: & de* CVRIARVM *conludio hac in re plectendo.*

CXIII. (a) Idem AAA. Vniuerſis Com. & Magiſtris (b) Equitum & Peditum.

ADMONITIS VV. CC. Ducibus, (c) Tribunis, Præpoſitis, cunctos (d) transfugas ſtatuat Inluſtris Magnificentia Veſtra ad originem (e) priſtinam reuocari, ſeu qui diuerſis Officiis (f) dedicati, ſeu qui ſacramentis militaribus mancipati ſunt: nemo ſe annoſitate (g) tueatur: nemo, ſi tamen eius pater, aut auus Decuriones fuerunt, factum ſuum incongrua vſurpatione defendat. Ordine (h) quoque meminerint ſe condemnationi (i) obnoxios & periculo, quibuscunque in locis reppertos, non (k) etiam renitentes ac repugnantes, huius ſtatuti auctoritate reddiderint. (l) Dat. III. Non. Sept. Valentiæ, (m) Honor. NB. P. & Euodio Coss. [386.]

NOTAE.

(a) Abeſt *hac lex a Cod. Iuſt.* Iungenda autem huic *lex 22. ſup. de annona & tributis*: etſi Alii, puta Cynegio PP, inſcribatur. *GOTHOFR.*

(b) De his v. *Notitiam Imperii. ID.*

(c) *Duces, Tribuni, Præpoſiti*: tria Magiſtratuum militarium nomina ſub Magiſtris militum. *ID.*

(d) Curiales ſcil. *ID.*

(e) Curialem. *ID.*

(f) Magiſtratuum militarium. *ID.*

(g) *Annoſitas. ID.*

(h) *γρ. Ordines. ID.*

(i) *Condemnatio*, pro *multa*: vid. *Gl. Th. & Parat. de pœnis. ID.*

(k) Ita locus hic interpungendus: non vero ita refingendus, *etiam non renitentes. ID.*

(l) Curiæ ſuæ. *ID.*

(m) *γρ. Melantiæ*, & hic & *d. l. 22.* Qui locus in Thracia fuit, *XVIII.* lapide a Conſtantinopoli: vid. *Itinerarium vtrumque*, & dicta ad *d. leg. 22. ſupr. de annon. & trib.* Thraciam ſcil. ab hoſtibus Groëthingis inuaſam Theodoſius Imp. victis hoſtibus, *his COSS.* hoc tempore vindicauit: victorque cum filio Arcadio Conſtantinopolim rediit *IV. Id. Octobr.* Marcellinus *Chronico.* Idacius Sirmondi *Anno Theodoſii 7.* Conſularia Idaciana *his COSS.* Cuius rei hiſtoriam Zoſimus *lib. 4. cap. 38. 39. ID.*

COMMENTARIVS.

E MILITIA Armata, & OFFICIIS, Curiales transfugas; ad Curiam reuocari iubet *hac l.* Theodoſius M. diligentia Ducum, Tribunorum, Præpoſitorum: Idque 1. non obſtante vlla temporis præſcriptione: 2. propoſitaque pœna Ordinibus Curiarum, niſi eos retraxerint, quamlibet renitentes ac repugnantes. Quod de retrahendis e militia Armata Curialibus *hac l.* definitur, id ipſum ab eodem Imp. conſtitutum, *l. 3. ſup. de Tabulariis: l. 87. ſupr. 137. 139. inf. h. t.* vt & quod de retrahendis ex officiis, *l. 83. 96. ſupr. l. 134. infr. h. t.* denique & quod de multandis ordinibus Ciuitatum, qui Curiales ſuos non retraxerint iam dixi ad Valentiniani Iun. *leg. 110. ſup.*

Cæterum id nunc a Theodoſio M. conſtitutum, vtpote finito bello Scythico: vindicata Thracia ab hoſtibus, & victore cum Arcadio filio Conſtantinopolim curſum tendente: de quo Marcellinus, *Chronico, his COSS.*

E DOMO *Principis quoque retrahendi Curiales.*

CXIV. (a) Idem AAA. ad Euſignium PF. P. (b)

CVRIALES, qui ſeſe priuilegio Domus Noſtræ defendi poſſe crediderint, ad Curiam retrahantur, & vt (c) propriis functionibus mancipentur, & publica damna ſarciant: Tamen (d) ſi quis ex his Domui diuinæ detectus fuerit quippiam debere, exſoluat. Dat. VIII. Kal. Ian. (e) Honor. NB. P. & Euodio Coss. [386.]

NOTAE.

(a) *L. 39. Cod. Iuſt eod tit.* Iungendaque *huic*, vt videtur, *lex 4. Cod. Iuſt. de metallariis. GOTHOFR.* Difficilis coniectura hæc. Dicta enim *leg.* 4. agitur de prouinciis Orientalis Illyrici, quod ad Theodoſium, non ad Valentinianum pertinuit. *RITTER.*

(b) *Euſignius* ſub Valentiniano Iun. PP. Italiæ: quanquam & Illyrico Orientali quoque præfuiſſe ſuadet *d. l. 4.* in ea enim agitur de Macedonia, Mœſia, Dardania. *GOTHOFR.*

(c) Abeſt hæc vox, *Vt*, a *Cod Iuſt.* & vero abeſſe debet: niſi inuerſo more legamus, *vt &*. *ID.*

(d) Sequentia reſecata in *Cod Iuſt.* quod non oportuit. *ID.*

P.460. (e) *Mediolani* ſcil. vbi data vel hoc ipſo Anno ad Euſignium inter alias, *lex 4. ſupr. de Exſecutor. lex vnic. ſupr ſi de mom. ſu. app.* & Anno prox. 387. *lex 4. ſupr. de domeſt. & protect. lex 48. ſupr. de appell. ID.*

COMMENTARIVS.

PRIVATÆ rei Principis obtentu, vel priuilegio DOMVS Principis, puta ſi ad domum Principis ſeſe quis contulerit, forte colonatus, conductionis, procurationis ue iure, Curialem Curia liberari vetat; contra ad Curiam retrahi eum iubet *hac leg.* Valentinianus Iunior: cum tamen eo, obtentu & *priuilegio* multi Curiales tutos ſeſe fore, *defendique poſſe crederent.* Vti idem Imp. Procuratores metallorum qui ex Curialibus ordinari ſoliti, refugas, ad procurationem reuocari voluit, *l. 4 Cod. Iuſt. de metallariis*, quæ ad eundem Euſignium data huic omnino iungenda videtur.

Ergo e domo quoque Principis qui Curiales erant retrahebantur, *hac leg.* pariter vt qui nondum Curiales erant, ſi præſcriptum lege modum poſſiderent, quamlibet rei priuatæ colonos, nominationibus obnoxios eſſe voluit Conſtantius *l. 33. ſupr.* vbi alia quædam dixi.

Ita tamen hoc caſu Valentinianus Iun. Curiis fauendum credidit, vti ne in damno verſaretur Domus Principis, hunc enim Curialem ſi quid domui Principis deberet, exſoluere iubet, quod Tribonianus tamen reſcidit. Ergo Curialem reuocari vult ſaluo domus Principis iure, & ſic intactum vtrique ius ſuum ſeruari. Quod iuri & æquitati conueniens eſt.

CLERICOS *Curiales, nonniſi ſubſtitutis pro ſe aliis idoneis, Curia liberari.*

CXV. (a) Idem AAA. Cynegio PF. P. (b)

CLERICI ad Curiam pertinentes ſciant, ex patrimonio ſuo, ſi ipſi immunes cupiunt permanere, alios idoneos eſſe faciendos, qui recedentum (c) præſentiam perſonamque reſtituant (d) in publicis muneribus ſubeundis. Dat. prid. Kalend. Ian. Conſtp. Honorio NB. P. & Euodio Coss. [386.]

NOTAE.

(a) Abeſt hæc *lex* a *Cod. Iuſt.* Omiſit eam quoque Baronius. *GOTHOFR.*

(b) Orientis: cui Cynegio decem *hoc tit.* conſtitutiones inſcribuntur. *ID.*

(c) Curialium ad Clericatum. *ID.*

(d) Repræſentent. *ID.*

COMMENTARIVS.

CLERICATV Curialem non aliter liberari vult Theodoſius M. niſi idoneo vice ſua ſubſtituto, ex patrimonio ſuo *hac l.* A. D. 386. Quod & ipſum placuit Valentiniano Iun. *l. 99 ſupr.* vel niſi ceſſo Curiæ patrimonio ſuo, *l. 104. ſupr. l. 121. 123. infr. hoc tit.* Quid aliis Principibus hac in partem viſum, docent aliæ *leges*, quarum ſummam exhibui in *Paratitlo.* Huius ſane *Vicarii* pro ſe ſubrogandi aliis caſibus, exempla ſimilia alia occurrunt, tum ad euitandam Curiam probata vel improbata, *l. 49. 59. 98. 99. 111. ſupr. l. 118. 155. 160. 163. 167. 187.* tum ad colonariam conditionem euitandam *l. 16. Cod. Iuſt. de Epiſcop.* Sane refugarum etiam in locum ſubrogatis patrimonia Curialium cedere voluit idem Theodoſius, *l. 119. infr.* Tandem & bonorum ſuorum cedendorum a Clericis exemplum ſimile idem Theodoſius M. ad eundem Cynegium PP. ſuperiore Anno 385. inuexit, *l. 46. in fin. ſupr. de Curſu publ.*

ADVOCATOS *Curiales non ideo Curia liberari.*

CXVI. (a) Imppp. (b) Valentinianus, THEOD. & Arcad. AAA. Cynegio PF. P. (c)

OMNES qui ex origine Decurionum, ad perorandas cauſas, laudum atque induſtriæ amore ducuntur, reddant patriæ cui nati ſunt debitas functiones, Nec ſeſe ſuperflui (d) nominis prærogatiua defendant: Quandoquidem facilius parere muniis poſſint, ſi neceſſitatem publicam, eo tempore quo ſtudent cauſis induſtriæ fauore tolerauerint. Dat. VI. Kal. April. Conſtantinop. Valentiniano A. III. & Eutropio Coss. [387.]

P.461.

NOTAE.

(a) Abeſt & hæc *lex* a *Cod. Iuſt.* Eique iungenda videtur *lex prox.* 117. *GOTHOFR.*

(b) Non huic primum legi hi Imperatores inſcribendi fuerunt: verum inde a *l.* 104. *ſupr. ID.*

(c) Orientis: cui Cynegio PP. decem *hoc tit.* conſtitutiones inſcribuntur. *ID.*

(d) Aduocati. *ID.*

COMMENTARIVS.

ADVOCATIONE Curialem Curia libarari vetat; quinimo ea non obſtante eum ad Coriam retrahi iubet Theodoſius M. *hac l.* pariter vt duabus aliis *legibus*, puta *l.* 87. 98. *ſupr.* vt & Valentinianus Senior *l.* 77. vbi plenius dixi: Sed & Conſtantius *leg.* 46. *ſupr.* & Valentinianus Iun. *leg.* 2. *Cod. Iuſt. de Aduocat. diuerſ. iudic.* Quid Theodoſius Iun. tandem hanc in partem ſenſerit oſtendet *lex* 188.

Ratio tantum *huic l.* ſubdita, obſeruanda, quæ ipſa obſcura videri poſſit, quam tamen hanc puto: Aduocationis obtentu Curialem Curia non liberandum: quamlibet enim eo tempore cauſis ſtudeat, & ad perorandas cauſas laudum atque induſtriæ amore ducatur, facilius tamen muniis parere poſſe, & neceſſitates publicas tolerare, quo tempore cauſis ſtudet: ac ſi diceret, eo opportuniorem quoque eum ad munia publica ſubeunda eſſe. Nempe Aduocatorum maior *induſtria* eſt ad neceſſitates publicas tolerandas, muniaque publica ſubeunda; quia & in vniuerſum *laudum atque induſtriæ amore ducuntur*, vt *initio legis* dicitur.

PLVMBATIS *cædi quinam Curiales, & quorum Iudicum auctoritate poſſint.*

CXVII. (a) Idem AAA. Cynegio PF. P. (b)

QVILIBET Principalium, vel Decurionum, vel decoctor pecuniæ publicæ, vel (c) fraudulentus in Adſcribtionibus (d) inlicitis, vel immoderatus in Exactione (e) fuerit inuentus, iuxta priſtinam conſuetudinem, non ſolum a *vobis* (f) (quibus propter loci (g) dignitatem, rerum ſumma commiſſa eſt) verum (h) a Iudicibus Ordinariis, (i) plumbatarum ictibus ſubiiciatur. Dat. die Kal. April. Conſtantinop. Valentiniano A. III. & Eutropio Coss. [387.]

NOTAE.

(a) *L.* 40. *Cod. Iuſt. eod. tit. GOTHOFR.*

(b) Orientis: cui Cynegio PP. inſcribuntur decem *hoc tit.* conſtitutiones. v. de eo *Proſopogr. ID.*

(c) *Si vel:* Cod. Iuſt. ſuperflue. *ID.*

(d) De Adſcriptionib. his, vid. *ſupr. Parat. de annona & tribut. ID.*

(e) De *Exactione*, ſuo tit. *ID.*

(f) Præfectis Prætorio. *ID.*

(g) *Locus* pro *Magiſtratu. ID.*

(h) *Verum &*, Cod. I. *ID.*

(i) *Ordinarii* Iudices ſeparantur a Præfectis Prætorio: & ſunt Rectores prouinciarum, & tamen apud Am. Marcellinum PP. ordinariis Iudicibus adnumerantur. *ID.*

COMMENTARIVS.

A PLVMBATARVM ictibus (de quibus in *Paratitlo*,) immunitatem, quam contra priſtinam conſuetudinem Principalium Curialibus dederat, (vt docet quoque aius *lex* 80. & 85. *ſupr.*) ſiue reuocat, ſiue coarctat Theodoſius M. *h. leg* pariter vt *l.* 126. 127. *infr. hoc tit.* expreſſis *caſibus*, quibus plumbatis ſubiici poſſunt, & *Magiſtratibus*, a quibus id fieri poteſt.

Tribus igitur caſibus eos plumbatis ſubiici poſſe definit: nempe ſi Principales vel Decuriones, decoctores, euerſores pecuniæ publicæ ſint, vel ob Adſcribtionem tributorum improbam, vel ob immode-

moderatam Exactionem. Tria hæc ſcil. ſunt, quæ Principalibus Curialibus (inter alia) olim demandabantur: Pecuniæ inquam publicæ ad Rempubl. pertinentis cura & adminiſtratio, *h. l.* & *l. 14. 48. ſupr.* de quo *infr. tit. de Curatorib. Kalend.* item Adſcriptiones ſeu diſtributiones tributorum faciendæ, *les Aſſiettes des Tailles:* quod docet etiam *lex 5. ſupra, de iis quæ admin.* vbi plura etiam ex *Saluiano:* v. & Symmachum *lib. 10. epiſtol. 41. circa medium* ferme. Rurſum Exactiones tributorum: quod docet etiam *hoc titulo, lex 8. 14. in fin. ſupr.* vbi plura etiam ex *Libanio*, & *Baſilio.* Circa hæc tria igitur Curiales & Principales decoctores, fraudulenti, immoderati ſæpe deprehendebantur. Hæcque ferme præcipua Curialium & Principalium crimina fuerunt, vt oſtendit quoque Symmachus, *lib. 9. ep. 10. Principalibus*, inquit, *& Tabulariis liberum eſt alios a diſpendio vindicare, aliis indebitum munus imponere*, & Saluianus *lib. 5. de Gubernat. Dei cap. 4.* Quare plumbatis eos his caſibus ſubiici voluit *hac l.* Theodoſius M. ad ſanciendam videl. publicam diſciplinam.

Et quidem (quæ *Ampliatio* hic additur) non tantum a Præfectis Prætorio, verum etiam a Iudicibus ordinariis ſeu Rectoribus prouinciarum: A quibus alioquin miſeros Curiales ſæpe vindicare oportuit. De his igitur maior dubitatio erat, minor de Præfectis Prætorio; quia hæc loci iſtius ſeu Imperii dignitas tanta erat, vt his *rerum ſumma commiſſa* eſſet, vt *hic* dicitur. Nempe Præfectis Prætorio ſumma rerum commiſſa erat: proxima Imperatori dignatione. Quare ſimiliter & iudiciorum ſummam tenere dicuntur in ſuppoſititia *l. 1. infr. de Epiſcopali iudicio:* ſumma iudicii potiri, a Symmacho *lib. 1. ep. 12.* de quo plura ad *d. l. 1.* ſimiliter omnino Ammianus *lib. 17. cap. 3.* de Florentio Præfecto Prætorio *cui Auguſtus ſummam rerum commiſerat.* Caſſiodorus in formula Præf. Prætorii. *Var. 3.* *Et licet aliæ dignitates habeant titulos præfinitos, ab iſta Totum pene geritur, quidquid in Imperio noſtro aquabili moderatione tractatur.* Vbi & mox, *curarum omnium pulcherrimam molem* vocat. Alio ſenſu Euagrius *lib. 3. cap. 42.* Præfecturam Prætorianam vocat κορυφαίαν τῶν ἀρχῶν, id eſt, *ſummum inter magiſtratus.* Ergo Præfecto Prætorio ſumma iudiciorum, ſummu . M giſtratus commiſſus. P. 464.

Interim nota *hac l.* Iudicibus ordinariis idem ius *hac l.* tribui hac in re, quod Præfectis Prætorio: cum alias de ſuo æuo Caſſiodorus, *d. formul.* pro priuilegio quædam Præfecturæ Prætorianæ inter alia numeret, *Curiales etiam verberat., qui appellati ſunt legibus minor Senatus.*

De RETRAHENDIS *Curialibus e Senatoris dignitate: ſubſtituendi filii poteſtate adempta: & de* SENIBVS, *vt ad Ordinationes conueniant.*

CXVIII. (a) Idem AAA. Cynegio PF.P. (b)

DECVRIO fortunam, quam naſcendo meruit, *ſuffragiis* atque *ambitione* non mutet: Et ſi vacare per *Senectutem* potuerit, propter Ordinationem, (c) quæ per plurimos cito definiri ſolet, Curiam non relinquat. Illud * vero iterata lege † præcipimus, Ne In locum proprium homo Curialis filium ſuum ſubſtituat, & ipſe otioſus defendatur *Senatorii* nominis dignitate. Si quis vero ad indebitum honorem poſthac adſpirare auſus fuerit, auctoritate Ordinarii Iudicis remotus, patriæ reddatur & ciuibus. Dat. prid. Non. Iul. Conſtantinop. Valentiniano A. III. & Eutropio Coss. [387.]

NOTAE.

(a) *L. 41. Cod. Iuſt. eod. tit.* GOTHOFR.

(b) Orientis; cui Cynegio PP. hæc vltima e decem conſtitutionibus *hoc tit.* inſcribitur. *ID.*

(c) *Ordinatio* Paulus *l. 7. D. de decurionib.* Honores & munera non *ordinationi*, ſed potioribus quibusque iniungenda ſunt. v. dicta ad *l. 140. infr. ID.*

* Sequentia omnino reſecata *Cod. Iuſt. ID.*

† Indicat *legem 111. ſupr. ID.*

COMMENTARIVS.

MODIS pluribus vitandæ Curiæ, quibus nonnulli Curias vel Curiales actus hac ætate euitare ſatagebant, intercedit, vel in totum, vel in tantum; hac enixa *leg.* ſua Theodoſius M.

Primus modus eſt, DIGNITATIS honorariæ ſcilicet, honoraria dignitate ſuffragiis atque ambitione impetrata, Curialem Curia liberari omnino ſeu in totum vetat. Quod & ipſum idem ſtatuit compluribus aliis *legibus*, puta *l. 86. 87. 94. ſupr.* videnda & *l. 122. 123. 134. infr.* & ſtatuitur *initio huius leg.* ibi, *ſuffragiis atque ambitione non mutet:* ſic & *d. l. 86.* *qui laborem declinantes, per inlicita* AMBITIONIS *compendia profecti, non merito probantur eſſe, ſed pretio.* Sic, *d. l. 94.* per AMBITVM *honoris indebiti.* Quare primus ad hanc *leg.* Cuiacii error hic eſt, qui hoc interpretatur de emendicatis Decurionum ſuffragiis.

Secundus modus eſt SENECTVTIS. Scilicet etſi per Senectutem quis regulariter vacatione munerum potiatur, quod docet *lex vn. Cod. Iuſt. qui*

ætate: lex 5. D. de iure immunit. idque etiam Theodoſius Magnus *hac l.* comprobat, vt & Conſtantinus M. *l. 20. ſupr.* dequa eo eſt inſignis Baſilii locus, *Epiſt. 389* ſiu. *Ep. 84 num. 2. init. Edit. Benedictin.* ad quendam prouinciæ Rectorem, δέξαι καὶ τὴν ὑπὲρ τοῦ ἀθλίου γέροντος ἱκεσίαν, ὃν ἀφῆκε μὲν τῶν δημοσίων γράμμα βασιλικόν, μᾶλλον δὲ καὶ πρὸ τοῦ βασιλέως αὐτὸ τὸ γῆρας ἔδωκεν αὐτῷ τὴν ἀναγκαίαν ἀτέλειαν. ἐβεβαίωσας δὲ καὶ αὐτὸς τὴν ἄνωθεν χάριν, αἰδοῖ τῆς φύσεως, καὶ προμηθείᾳ τῶν δημοσίων, ἐμοὶ δοκεῖν, ὡς ἂν μὴ ἀνθρώπῳ παρανοοῦντι διὰ τὸν χρόνον κινδυνεύοι τι τῶν κοινῶν: *meam quoque pro miſero ſene precationem excipe, quem diploma regium muneribus publicis exemit, vel potius cui & ipſa ante regem ſenectus immunitatem neceſſariam dederat. Confirmaſti & ipſe beneficium regis, naturam vereritus, & publicis rebus prouidens, vt mihi videtur, ne quod periculum, homine propter ætatem deſipiente, in rempubl. inueheretur.* In quibus extremis verbis, vides duplicem iſtius immunitatis ob ſenectutem rationem αἰδοῖ τῆς φύσεως, & προμηθείᾳ τῶν δημοσίων. &c. Cui plane accedit illud Caſſiodori IX. *Var. 4. Curialis ſi nulla valetudine corporis continetur, ad ſolas deceptiones apponitur: & dum adeſſe quid proderit, ſi eum contingat defectum viribus inueniri: ſimilis quippe eſt abſenti, a quo non potuerint imperata compleri.* Attameo ſenem non ideo Curiam omnino relinquere vult; oeoipe Curiam frequeotare eum vult *propter ordinationem*, ideſt, propter ea quæ Curia ordinanda habet, & decreta facienda; ac nominatim propter Nominationes & electiones, quæ ordine ferme fiebant, vnde & *ordinatio* pro ipſa nominatione dicebatur. Quo ipſo ſenſu *l. 7. D. de decur. Honores & munera non ordinationi, ſed potioribus quibusque iniungenda ſunt: Ordinationi*, ideſt, ordini & electioni, quæ fit ordine. Et rationem addit, *quia Ordinatio per plurimos cito definiri ſolet:* Nam cum maior Curialium numerus in Nominationibus, & ordinationibus, & generaliter in omni- P.46
bus Curiæ decretis requireretur, quod docuit *lex 84. ſupr.* vbi dixi, ſane plurimi ad ea compellendi fuerunt, de quo ad *l. 142. infr.* etiam alias a Curialibus muneribus immunes: Quod vtiliter hodie alio traduci poteſt. Quare ſecundus hic error eſt Cuiacii, qui hunc *huius leg.* ſenſum putauit, ſenem, qui poſt Decurionatum ad ſenectutem peruenit, Curia ſolui non poſſe, ne cæterorum quidem conſenſu & emendicato, quod fieri ſolet & facile.

Tertius modus eſt per Senatoriam non tantum dignitatem, ſed & SVBSTITVTIONIS remedio, ſubſtituto ſcil. filio forte, (vel alio) Curialem *Senatoria* dignitate impetrata, Curia liberari vetat firmata *leg.* ſua anteriore ſuper eo, ad eundem Cynegium PP. puta *l. 111. ſupr.* vbi plura. Qua parte circa Senatoriam dignitatem quantopere ius variauerit, docent 27. *leges huius tituli*, quas repetere licet ex *Paratitl.*

De FVGACIBVS *ſeu* DESERTORIBVS *Curialibus per Bithyniæ oppida, manſionesque quaſdam Edicto euocandis, & ſi non reuertantur, quid facto opus ſit.*

CXIX. (a) Idem AAA. Tatiano PF. P. (b)

CLAVDIOPOLIS, Pruſiadis, ac Totai, & Voridis oppidorum, ſiue manſionum per Bithyniam, Curiales publicis inludere functionibus per ſuam fugam cognouimus: iubemusque, (c) vt Edictis primitus euocati, vtilitatibus ſe patriæ, & ei cui nati ſunt reſtituant ciuitati: Quod ſi, etiam poſt publicam admonitionem, fugæ & indeuotionis (d) vita (e) præfertur, tunc ex idoneis quibusque Corporibus, ac potiſſimum ex his, qui in Sublimitatis Tuæ Officio probatam militiam peregerunt, in locum fugacium (f) ſubrogentur, ita vt quorum ſubeunt neceſſitates, & patrimonia conſequantur: illis qui ſponte patriam reliquerunt, id neceſſitatis habituris, (g) vt perpetuo (h) careant, cui nihil commodi contulerunt. Dat. XI. Kal. Iul. Scupis, (i) Theod. A. II. & Cynegio Coss. [388.]

NOTAE.

(a) Abeſt hæc *lex* a *Cod. Iuſt.* vtpote temporaria & localis. *GOTHOFR.*

(b) *Tatiano* huic PP. inſcribuntur *hoc tit.* ſex Theodoſii M. conſtitutiones, puta hæc *lex* & *l.* 120, 121. 122, 123. 127. (& plures aliæ *hoc Cod.*) Hic Cynegii, ad quem fuerunt decem *hoc tit* conſtitutiones, ſucceſſor in Præfectura Prætoriana fuit; vt docet Zoſimus *lib. 4. cap. 45.* & Idacii *Conſularia, his COSS*, ſane vel ex *h. l.* ſatis apparet, eum PP. Orientis fuiſſe, de eo plura in *Proſopogr. ID.*

(c) Et ideo iubemus. *ID.*

(d) *Indeuotionis* vox hac in re. *v. Gloſſ. ID.*

(e) Reponebat hic Iuretus in Symmachum *lib. 10. ep. 57. nota:* quomodo deuotionis nota, *l. 30. ſupr. de re militari.* Verum, nil hic muto: ibi quippe pœnam minitatur Imp. ideo *notæ* vocabulo vſus: Hic vero narratiuis verbis ait, fugacem *indeuotionis vitam præferre:* ideſt, vitam indeuotam, vitæ genus indeuotum. *ID.*

(f) *Fugaces. ID.*

(g) *Subituri. ID.*

(h) *Ea* (patria ſcil.) *careant. ID.*

(i) *Macedoniæ* vrbe: vbi & altera lex a Theodoſio data: An. 379. puta *lex 2. ſupr. de Palat. S. L.* In itinerario *Peutingeriano pag. 750. Oper. M. Velſeri*, male editum *Scunis*, pro *Scupis. ID.*

COMMEN-

COMMENTARIVS.

FVGACES Curiales per Bithyniam Edictis euocari, ſi euocati non reuertantur, eorum in locum ſubſtitutis bona eorum addici, ipſisque ad patriam reditum in perpetuum præcludi iubet *h. l.* Theodoſius M.

Pertinet autem hæc *lex* nominatim ad Bithyniæ Curiales (ad quos pertinet quoque *l. 5. ſup.*) cuius aliquot oppida & manſiones nominantur. I *Claudianopolis:* cuius meminit & Ptolemæus *lib 5. c. 1.* & Xiphilinus in Epitom. Dionis *in V. Hadriani pag. 356 Edit. Sylburg.* (Antinoum Hadriani ἀντίψυχον inde fuiſſe ait;) & Antonini *Itinerarium pag. 200. Edit. Weſſeling.* II. *Pruſiadis* (quæ antea *Cius*) meminerunt multi: Strabo, *lib. 12. p. 844. 845. Edit. Almelouen.* Plinius, *lib. 5. c. 32.* Stephanus *de Vrbibus voc.* προῦσα. & Memnon in *excerptis apud Photium Cod. CCXXIV. c. 43 p. 738. Edit. Schotti.* A qua diſtinguenda Pruſa, de qua Strabo quoque, Plinius & Ptolemæus. Et hæc quidem duo Bithyniæ oppida ſunt, quorum *hac l.* mentio fit. Sequuntur *Manſiones* duæ: 1. *Tottaium* (nam hic ſcribendum *Tottai*) Eius meminerunt quoque Itineraria tria.

Itinerarium *Burdigalenſe p. 572. 573. 574. Edit. Weſſeling.*

Ciuitas Nicomedia. M XIII.
Mutatio Hyribolum. M X.
Manſio Libum. M XI.
Mutatio Liadia M. XII.

Ciuitas Nicia. M. VIII.
Mutatio Schinæ. M. VIII.
Manſio Mido. M VII.
Mutatio Chogea. M VI.
Mutatio Thateſo. M X.
Mutatio TVTAIO. *M IX.*
Mutatio Protunica. M XI.
Mutatio Artemis. M XII.
Manſio Dablæ. M. VI.

Peutingerianum pag. 755. 758. Oper. M. Velſeri.

Nicomedia. XVII.
Eribulo. XII.
Pronetios. XXVIII. P. 464.
Nicea. XI.
TATEABIO. *XXIII.*
Dablis. XI.

Itiner. Antonini, pag. 140. 141. Edit. Weſſeling.

Nicomedia. M. P. XXII.
Item Libo. M. P. XXI.
Nicia. M P XXIII
Moedo Orientis. M. P XVI. vel *Oriens medio.*
TOTTAIO *M. P. XXVIII* male al. *Cotyæum.*
Dablis. M P. XXVIII.

Ergo *Totaium* Bithyniæ Conſtantini M. & Conſtantii ætate mutatio primum fuit, deinceps Manſio facta: Quod ſane maius erat: & quantum manſionibus oppida, & ciuitates præſtabant, tantum mutationibus manſiones: quæ & ideo rariores illis: de quibus mutationibus & Manſionibus plene dixi ſemel ad *leg. 9 ſupr. de annona & tributis.*

Ex *hac* ſane *leg.* ſingulari admodum apparet, Curias & Curiales quoque in manſionibus nonnullis fuiſſe, maioribus ſcil. cuiusmodi *Tottaium* fuit. Quomodo & in maioribus nonnullis manſionibus Epiſcopi fuere: ſic enim *Act 3. Conc. Chalced. p 374. T. II. Concil. Edit. Harduin.* Helpidius manſionis Thermanorum Epiſcopus memoratur.

Voridos mentionem nullibi reperio: niſi ea ſit Βόρυζα, πόλις ποντική, vnde τὸ ἐθνικὸν Βορυζαῖος, referente *Stephano Voc.* Βόρυζα.

Tandem obſeruandum, hanc *leg.* emiſſam ad Tatianum PP. Orientis, pariter vt quinque alias *huius tituli* leges, puta *l.* 120. 121. 122. 123 127. Ad quem eundem cum extent plures Libanii epiſtolæ, ex earum *Ep.* 770. diſcimus, eum Curiarum reparationi fauiſſe. Vide & quæ dicam ad *l. prox.*

De RETRAHENDIS *Curialibus, ex militia Magiſtri officiorum & Palatina Comitis S. L. & R. P.*

CXX. (a) Idem AAA. Tatiano PF. P. (b)

VNIVERSOS, qui ad indebitam militiam (c) ſimiliter (d) adſpirarunt, datis litteris ad Inluſtrem virum Magiſtrum Officiorum, (e) Comitem ſacrarum ac priuatarum (f), ſolutos militia, Ordinibus (g) propriis atque officiis iuſſimus ſubrogari. (h) Dat. XVI. Kal. Ian. Med. (i) Timaſio & Promoto Coss. [389.]

NOTAE.

(a) Abeſt & hæc *lex* a *Cod. Iuſt.* GOTHOFR.

(b) *Tatianus* PP. Orientis, (Cynegii ſucceſſor) cui ſex *hoc tit. de Decurionibus*, Conſtitutiones inſcribuntur: puta præter hanc *leg. lex* 119 *ſupr. lex* 121. *prox. lex* 122. 123. 127. *infr.* de eo vid. *Proſopogr. ID.*

(c) Scholarium ſeu Magiſtrianorum, qui ſub Magiſtro officiorum Palatinorum, & qui ſub Comitibus S. L. & R. P. *ID.*

(d) Vox hæc videri poſſit relatiua ad integram conſtitutionem, vnde hæc deſumpta eſt. Sed & hac voce forte indicatur, æquo iure omnes Magiſterianos, & Palatinos hac parte habendos. *ID.*

(e) De *Magiſtro Officiorum ſupr. lib. 6. ID.*

(f) De *Comitibus* S. L. & R. P. *ſupr. lib. 6. ID.*

(g) *Ordinibus*, id eſt, Curiis vid. *Paratitlon*. *ID.*

(h) Id eſt, reddi, reſtitui: pari ſenſu vt *l.* 134. *infr. verſ. eos etiam*. *ID.*

(i) Mediolani hoc tempore Theodoſius M. conſtitit, poſt Maximum ſcil. deuictum v. *Chronol.* *ID.*

COMMENTARIVS.

MAGISTERIANA militia ſeu ſcholeri ſub Magiſtro Officiorum, vt & PALATINA ſub Comite S. L. & Comite R. P. Curialem quemqnam liberari vetat *hac l.* Theodoſius M. contra exinde eum Curiæ reddi iubet; Pariter vt Conſtantins *l.* 38. *ſupr.* vbi dixi.

Et hæc quidem in procliui *huius l.* ſententia eſt; Atenim Tatiano Præfecto Præt. inſcriptam eam notari cupio, pariter vt quinque aliæ *hoc tit.* in hoc argumento de Decurionibus inſcribuntur: puta *lex* 119. *ſupr. lex* 121. 122. 123. 127. *infr.* Qua occaſione omittere non poſſum, ſub hoc ipſo *Tatiano PP.* Legationem ab Antiochenis miſſam, ed excitandam rurſum Curiam Antiochenam, quæ antea conciderat: vt diſcimus ex Libanii *Ep.* 770. ad hunc ipſum Tatianum ſcripta, de quo rurſum ad *l.* 123. *infr.* Sane & hæc quoque *lex* eodem pertinet, ad excitandas inquam inſtaurandasque Curias: quæ vacuefactæ fuerant.

De CLERICIS MAIORIBVS *ad Curiam retrahendis vel non.*

CXXI. (a) Idem AAA. Tatiano PF. P. (b)

QVI ante ſecundum (c) Conſulatum Manſuetudinis Meæ ex Ordine Curialis (d), vel Presbyteri faſtigium, vel miniſterium (e) Diaconi, vel Exorciſtæ ſuſcepit officium, omne eius patrimonium immune a Curialibus nexibus habeatur ac liberum. Is vero, qui ſe ad religioſa diuini cultus obſequia, quocunque (f) ſub nomine, poſt memorati Conſulatus tempora præſcribta contulerit, omni ſciat cedendum eſſe patrimonio. Dat. XV. Kal. Iul. Med. (g) Valentiniano A. IV. & Neotherio Coss. [390.] P. 465.

NOTAE.

(a) Abeſt hæc *lex* e' *Cod. Iuſt.* Hanc *leg.* memorat, ſimul confirmat idem Theodoſius *l.* 123. Eam quoque indicat & abrogat Arcadius *l.* 3. *ſup. de his qui ad Eccleſ. An.* 398. Reducit rurſum quadamtenus A. 399. *l.* 163. *inf.* Forte *huic* iungenda *lex* 17. *inf. de Epiſcop.* Quod temere non adſero. *GOTHOFR.*

(b) Orientis: cui Tatiano PP. ſex *hoc titulo* conſtitutiones inſcribuntur. *ID.*

(c) Id eſt A. D. 388. *ID.*

(d) Suſtineri poſſit: ſed malim *Curiali*. *ID.*

(e) *Miniſterium* Diaconi: v. *inf. paratitlon de Epiſcopis*. *ID.*

(f) Etiam Presbyteri, Diaconi, Exorciſtæ. *ID.*

(g) Mediolani adhuc hoc tempore hærebat Theodoſius M. poſt Maximum deuictum, vid. *Chronolog.* *ID.*

COMMENTARIVS.

CLERICATV Curialem præciſe non eliter liberari voluerat antea Theodoſius M. quam alio vicario vice ſua ex patrimonio ſuo ſubſtituto, *l.* 115. *ſup.* vel niſi ceſſo Curiæ patrimonio ſuo, *l.* 104. quod & poſtea eb eodem ſtatutum *l.* 123. *inf.* Atenim *hac l.* nunc A. D. 390. aliquam & temporis & gradus diſtinctionem facit. Nempe per Clericatum eos liberari vult citre patrimonii ceſſionem, & ſic retento patrimonio, qui Presbyteri, Diaconi, vel Exorciſtæ, non vero inferioris gradus Clerici, ante ſecundum conſulatum ſuum facti fuiſſent, id eſt ente A. D 388. quo *Theodoſius II & Cynegius COSS.* fuere, quo etiem Conſulatu data eſt *lex* 119. *ſup.* Et ſic præſcriptione, quæ duos annos & ſemis excederet, Curialem per Clericatum Curia liberari voluit. Deinceps vero ab eo Conſulatu Clericos quoscunque etiam Presbyteros, Diaconos, Exorciſtas factos patrimonio ſuo cedere ſecundum anteriores ſuas conſtitutiones iubet. Quam conſtitutionem ſuam idem memorat ſimul & confirmet, *l.* 123. *inf.* Et hæc quidem ita Theodoſius Imp. Mediolani conſtitutus hoc tempore: forte etiam non ſine Ambroſii Mediolanenſis Epiſcopi conſilio. Qui ſane poſtea Anno 393. *Ep.* 29. ſiu. *Ep.* 17. *Tom. V. Oper. pag.* 215. *Edit. Paris. Cardinal. Felicis de Monte Alto*, occaſione eius quod ob incenſam Iudæorum ſynagogam Theodoſii M. iuſſu contigerat (quo pertinet *lex* 9. *inf. de Iudæis*:) Theodoſio M. hæc obiecit, quæ poſtea rurſum eptabo *legi* 137. *inf.* *Quomodo excuſabo apud Epiſcopos? Qui nunc, quia per triginta & innumeros annos Presbyteri quidam gradu functi, vel Miniſtri Eccleſiæ retrahuntur a munere ſacro, & curiæ deputantur, grauiter gemunt: Nam cum ii, qui vobis militant, certo militiæ tempore ſeruentur* (Fornerius pater III. *Select.* 7. *pag* 89 *Tom II. Theſ. Iur.* reponit *ferientur*) *quanto magis etiam eos conſiderare debetis, qui Deo militant? Quomodo inquam hoc excuſabo apud Epiſcopos, qui queruntur de Clericis* &c. Quem Ambroſii locum Fornerius pater, male quaſi de Epiſcopis exhibet. Sane & antea quoque Valens ſimilem temporis diſtinctionem hac parte adhibuerat *l.* 19. *inf. de Epiſcop.* & Valentinianus Sen. *l.* 21. *inf. de Epiſcop.* & poſtea Arcadius filius eius *l.* 163. *inf.* & Theodoſius Iun. ex filio

filio nepos *l. 172. inf.* Et in vniuerſum quid Principes hanc in partem ſtatuerint v. *leges*, quas in *Paratitlon* conieci.

Ex *hac* interim *lege* quoque colligere licet, cum de Epiſcopis *hac l.* nihil dicatur, hac tempeſtate indiſtincte Epiſcopos Curiali conditione liberatos. Quæ ſane iam olim Conſtantii ſententia fuit, *l. 49. ſup.*

Notanda quoque tria Clericatus nomina & κυριολογία circa vnum quodque eorum: *Presbyteri faſtigium*: proximum ſcilicet Presbyteri vocabulum nomini Epiſcoporum eſt, *l. 5 inf. de hæretic.* & ſuperior locus Presbyteris inter Clericos tribuitur, *l. 10. ſup. de fide teſt.* Ideo & ſecundus Ordo, & ſecundum ſacerdotium Presbyterorum, Optato Mileuitano *lib. 1. de ſchiſmat. Donatiſtar. cap. 13.* Presbyter, *antiſtes in Ordine ſecundo*, Sidonio, *lib. 4. ep. 11. in carmine addito v. 18* Inde Diaconi *miniſterium* proprie: Tandem & Exorciſtæ tertio loco & gradu mentio fit: cuius pariter mentio fit quarto loco, Subdiaconorum tertio, *l. 24 inf. de Epiſc. Eccl. & Cler.*

Notandum & illud, *hac l.* nominatim agi de Presbyteris, Diaconis, Exorciſtis a Curia liberandis, non de aliis Clericis inferioris Ordinis & Miniſtris: pariter vt *leg. 172. inf. h. t.* Quæ diſtinctio & alias vſurpata: vide *l. 163.* & quæ dico ad *leg. 7. infr. de Epiſcopis.* Eoque refero Gregorii Nazianzeni *ep. ad Iulianum 166.* qua Clericos ſibi miniſtrantes τῆς ἀπογραφῆς, Curiali deſcriptione, liberari poſtulat: iuſtiore ratione adhuc, quam *Officiales* omnis generis Iudicibus miniſtrantes Curia liberantur, & ciuitatibus donantur. καὶ μέν τοι καὶ τοὺς περὶ ἐμὲ κληρικοὺς, ὅσους περ ᾐτησάμην, τῆς γραφῆς (ἀπογραφῆς habet Codex Bodleianus) ἐλευθέρωσον. ἐκεῖνο ἐνθυμηθεὶς, ὅτι λίαν τῶν ἀπίστων (ἀπίστων Bodl.) ἐστὶν, ἄλλους μὲν, καὶ οὐσίαν ὅλην καθαροῦν τῷ Θεῷ, σὲ δὲ μηδὲ προῖκα βούλεσθαι εἶναι χρηστόν· καὶ ἄλλαις μὲν πόλεσι πάντας τοὺς περὶ τὸ βῆμα δοθῆναι, ἡμῖν δὲ μηδὲ τοὺς συνοντάς καὶ θεραπεύοντας, καὶ ταῦτα παρ' ὑμῶν τῶν οἰκειοτάτων: *quinetiam clericos meos, quos a te popoſci, tributi penſione libera: illud tecum reputans, rem eſſe magnopere incredibilem, alios ſuas quoque omnes facultates Deo conſecrare, te autem ne gratis quidem benignum eſſe velle: atque aliis vrbibus omnes eos, qui ſacrarium ambiunt, donari. Nobis autem ne eos quidem, quorum conſuetudine vtimur, & a quibus colimur, & obſeruamur, idque a vobis, quibuscum ſumma nobis eſt familiaritas.* Quo loco γραφὴ vel potius ἀπογραφὴ, eſt *deſcriptio*, vt vocatur quoque *l. 123. inf.* ſeu functio, quæ ratione patrimonii ſuſtinetur. Item οἱ περὶ τὸ βῆμα, ſunt *Officiales*, qui Tribunalib. Iudicum præſto ſunt, quos hic comparat Gregor. cum iis, qui Epiſcopis miniſtrant, ἐπισκόποις συνόντες καὶ θεραπεύοντες. Quare errat interpres Gregorii, qui γραφὴν vel ἀπογραφὴν ibi, *tributum* vertit; item qui τοὺς περὶ τὸ βῆμα interpretatur, qui *Sacrarium ambiunt.* Gregorius quippe ibi argumentum ducit ab Officialibus, qui miniſtrant Iudicibus, ſeu his ad Tribunalia eorum apparent, ad Clericos qui miniſtrant Epiſcopis.

Tandem obſeruandum, *hanc l.* Theodoſii M. (quam & ipſe poſtea rurſum confirmauit *l. 123. inf.* ab Arcadio primum abrogatam famoſa illa *leg.* (quam Eutropio auctore tulit, quamque Scriptores Eccleſiaſtici & Chryſoſtomus memorant & proſcribunt) *3. ſup de his qui ad Eccl.* At enim poſtea rurſum ab eo quadantenus reducta *l. 163 inf.* vbi dicam.

De DIGNITATIBVS, *non Curialibus origine, vel originariis delatis, an & quatenus iis proſint: & de* FILIIS *Curialium retrahendis.* P. 466.

CXXII. (a) Idem AAA. Tatiano P. P. (b)

HIi quibus detulimus ſplendidos Magiſtratus, (c) quosque etiam ornauimus inſignibus (d) Dignitatum, ſi non habent Curiam, cui aut neceſſitudinis fœdere, aut (e) nexu ſanguinis teneantur, in ſplendidiſſimum ordinem Senatorium, & illam nobiliſſimam (f) Curiam, cooptentur. His (g) vero ratio diuerſa ſit, qui ſtatim vt nati ſunt, Curiales eſſe cœperint: Hii namque prærogatiua quidem conceſſæ dignitatis vtantur, atque eos præſtiti honoris ſplendor exornet, ſed maneant in ſinu patriæ, & veluti dicati inſulis (h) myſterium perenne cuſtodiant: ſit illis piaculum inde diſcedere. De Filiis vero eorum, vti (i) natiuis Curiis debeant permanere, adſtatim cautum eſt, cum adempta ſit patribus licentia diſcedendi. Dat. IV. Non. Sept. Veronæ, Valentiniano A. IV. & Neotherio Coss. [390.]

NOTAE.

(a) Abeſt hæc *lex a Cod. Iuſt.* Forte iungenda huic *lex 1. inf. de Monachis.* GOTHOFR.

(b) Orientis. Huic Tatiano PP. *ſex hoc titulo leges* inſcribuntur: de eo v. *Proſopogr. ID.*

(c) Prouinciæ alicuius regimen forte. *ID.*

(d) Honorariis. *ID.*

(e) Hæc duo vnum & idem ſunt. *ID.*

(f) *Nobiliſſima* Curia, id eſt Senatus, & hic opponitur Curiis municipalibus. *ID.*

 (g) In

(g) *In his vero*, id eſt, *horum reſpectu*. Sed retinenda lectio: *his ratio diuerſa eſſe* debere dicitur, in quorum perſona *ratio aduerſa eſt. ID.*

(h) *Inſulis* dicati. *ID.*

(i) Vel natiuis, id eſt, *vt in natiuis. ID.*

COMMENTARIVS.

MAGISTRATV (puta Adminiſtratione prouinciæ) itemque DIGNITATIBVS honorariis, quas *Senatoria* dignitas aut comitatur aut ſequitur, eum qui genere Curialis non ſit, etſi alias poſſidendi vel incolatus ratione ad Curiam nominari poſſit, Nominatione liberari: Contra eum qui genere Curialis ſit, Dignitate quidem *Senatoria* frui: at nihilominus vna cum filiis patriæ munera explere iubet *hac l.* Theodoſius M.

Quod de Magiſtratu ſeu adminiſtratione functis Curialibus dicitur, id iam antea quoque Theodoſio M. placuit *l. 106.* & placebit poſtea *l. 134. infr.* etſi aliis Principibus contra viſum, ſcilicet hac ratione Curialibus muneribus Curialem liberari, de quo ad *d. l. 106.* De dignitatibus honorariis & Senatoria dignitate ſæpe, in hoc enim argumento occupatæ ſunt *hoc titulo*, *leges 27.* quas repetere licet ex *Paratitlo.*

Illud obſeruandum, *hac l.* diſcrimen ſtatui inter eum qui Curialis ſit, & eum qui ad Curiam tantum Nominari poteſt: Ille difficilius liberatur, hic facilius. Eadem alioqnin ratio fuerit, ſi iam Nominati reuera fuerint, *l. 10. 13. 94. ſup.*

Quod de Filiis ſtatuitur *fine l.* id ipſum & aliis Theodoſii conſtitutionibus continetur: puta *l. 86. 98. ſup. 123. infr.* Et quidem eodem argumento, a minori ad maius, *d. l. 86 ſup.* & *l. 123. infra h. t.*

Obiter notandæ alluſiones, quibus Curiales Theodoſius M. cum Sacerdotibus & Flaminibus comparat. Nempe (1.) & illis *Inſulas* tribuit, *inſuliſque veluti dicatos* ait. (2) *Myſterium* perenne eos ſimiliter cuſtodire. (3) ſine *piaculo* patria diſcedere non poſſe. Quæ tria ferme Flaminibus, & quidem perpetuis conueniunt: *Inſula* inquam, *Myſterii perennis* cuſtodia: & non ſine piaculo a *Flaminio* diſceſſio.

PLENISSMIMA *Theodoſii M. lex qua ſuperioribus a ſe legib. conſtituta potiſſimum firmat:* 1. *circa Curiales* SENATORES *vel* CLERICOS *factos:* 2. *circa Bonorum alienationes Curialib. factas:* 3. *circa* FILIOS *eorum:* 4. *Circa* DONA *eorum.*

CXXIII. (a) Idem AAA. ad Tatianum PF. P. (b)

DVDVM ſuper his qui relicta Curia, vel Senatoriam dignitatem adepti ſunt, vel Chriſtianitatis (c) obtentu Curialium ſe conſortio ſepararunt, euidens ſanctionum † noſtrarum proceſſit auctoritas, Vt ſi eorum perſonas, vel honor, (d) vel religio defenderet, quod ex Curiali ſubſtantia vel ipſi retinerent, vel in alios tranſtuliſſent, obnoxium pu- P. [illegible]
blicis (e) deſcriptionibus haberetur. II. Euidens etiam præcepto ‡ noſtro tempus expreſſum eſt, ex quo Conſulatu, (f) ſi qui de Curialibus ad Eccleſiam (g) confugiſſent, omni ſcirent patrimonio Curiæ eſſe cedendum. III. Quidquid (h) ex ſubſtantia Curialium ad vnumquemque diuerſa largiendi occaſione peruenerit, denariſmo, vel vnciis habeatur obnoxium, in ea parte, in qua auctoris ſui nomine fuerat retentatum. IV. Eos vero qui honores aliquos conſecuti, naturale nomen dignitate mutarunt, hos etiam poſt honorem muneribus obligamus, quibus debitores patriæ monſtrabuntur. V. Super filiis autem eorum euidens ſanctionis † definitum (i) eſt, quæ cum patres patria non concedat excedere, non poteſt filios Curiæ muneribus liberare. VI. Si qui autem diuino cultu occupati, & ſacroſanctis myſteriis ſeruientes, legitima filiorum ſucceſſione nituntur, ſi nullum filii eorum adhuc in Eccleſia locum tenentes, (k) vel his, quæ per leges comprehenſa ſunt, non defendantur officiis, hos cum patrum facultatibus, Curiæ inſeruire decernimus. Vacuas vero & inanes ſine naturali (l) ſucceſſione fortunas, (vt euidenter expreſſimus ‡,) ſibi Curia vindicabit, habitura ſolatium facultatum, cui deſit (m) in functionibus numerus perſonarum. Dat. V. Kalend. Aug. Conſtantinop. Tatiano & Symmacho Coss. [391.]

NOTAE.

(a) Abeſt & hæc *lex* a *Cod. Iuſt. GOTHOFR.*

(b) Orientis, vt docet diſerte *lex* 19. *ſup. de extraordin.* Cui quinque aliæ *hoc titulo* Conſtitutiones inſcribuntur: de quo dixi ad *l.* 120. *ID.*

(c) *Chriſtianitatis*, id eſt clericatus: de quo dixi ad *l.* 50. *ſupr. ID.*

† Intelligitne *legem* 121. 122. *ſup.* Minime; mox dicam. *ID.*

(d) Senatorius. *ID.*

(e) Curiæ, *ID.*

† Intelligit *legem* 121. *ſup.* *ID.*

(f) Nempe *Theodoſii II. & Cynegii*, id eſt, An. D. 388. *ID.*

(g) Seu Clericatum. *ID.*

(h) Sententia hæc eſt *legis* 107. *ſup.* *ID.*

† Intelligit *legem* 86. vel ſane, *l.* 122. *ſup.* *ID.*

(i) *Definitum*, pro definitione, *ID.*

(k) γρ. *Tenent.* *ID.*

(l) Id eſt, filiis. *ID.*

† Quamnam intelligat *legem*? mox diſquiram. *ID.*

(m) Vel *Deficit.* *ID.*

COMMENTARIVS.

SATVRA ſeu MISCELLA hæc Theodoſii M. conſtitutio eſt: qua partim varias *leges* ſuas anteriores iterat & confirmat, puta *legem 86 121. 122. ſup.* partim & nouas ſuperaddit. Ne Curiæ ſcil. Viris, aut viribus deficerent, Dignitatum aut Clericatus ſpecie vel item bonorum alienatione: denique & filios Curialium retrahendos. Quam in rem ſeptem capita cumulat. I. Primo Curialium, qui SENATORES vel CLERICI ante hæc facti fuerant (ante conſulatum ſc. Theodoſii II. & Cynegii, id eſt A. D. 388. id enim ex ſequenti capite præſupponendum) & ſic Curia liberati, ſubſtantiam ſeu bona ſiue ea ipſi retineant, ſiue in alios poſtea tranſtulerint, conſtituit obnoxia eſſe oportere *publicis deſcriptionibus*, ἀπογραφῇ, de quo ait dudum euidentem ſanctionum ſuarum proceſſiſſe authoritatem. Et nulla tamen hanc in ſententiam extat. Nam ſi de *Senatoria* dignitate quæritur, voluit Theodoſius Curiales Senatores factos, obſequiis ſeu munerib. patriæ perfungi *l. 82. ſup.* At *lege 90.* ad alterutrum eos adigi, vel ad Curialia munia explenda, vel ſi ea iam expleuerint, alios loco ſuo idoneos Curiæ ſubſtituendos. *Lege 93.* eos remitti ad Curiam. *Lege 111.* etſi alium ſubſtitueret, ſub ſpecie tamen munerum publicorum enormia patrimonii ſubire diſpendia. *Lege 118* eum patriæ reddi, non per ſubſtitutum excuſari. Ergo in hanc ſententiam nulla *præcedens* Theodoſii M. conſtitutio extat: Et in vniuerſum quantopere Principes hac parte variauerint, docent 27. *huius tituli leges* quas repetere licet ex *Paratitlo.* Si de *Clericatu* quæritur, nulla pariter in hanc ſententiam extat: *lege* quippe 104. *ſup.* Curialem Clericum factum, patrimonio ſuo Curiæ cedere voluit. *L. 115.* alium idoneum facultatibus ſuis inſtructum ſubſtituere: Tandem *l. 121.* (quod ſecundo *huius l.* capite iteratur) a Conſulatu ſuo ſecundo Clericos factos patrimonio ſuo Curiæ cedere voluit. Nulla de deſcriptionibus his agit. Itaque aliæ ſuper eo fuerunt conſtitutiones. Et vero id omnino cohæſiſſe videtur *d. l. 121.* Deſcriptiones porro hic ſunt, extraordinariæ contributiones, quæ cogentibus diuerſis negotiis agitabantur: vti docet quoque *lex 173. inf.* quæ de his ipſis *deſcriptionibus* eſt: Cui quoque affinis eſt deſcriptio illa, quæ impoſita lucratiuis bonis a Curialibus deſcendentibus, de qua eſt peculiaris *titulus 4. inf.* Quare & *hac leg.* & *d. l. 173.* de vtriſque agitur. Ergo & hoc quoque caſu, quo quis antehac relicta Curia, Senatoriam adeptus dignitatem, vel Clericatum, in eo ſtatu *Theodoſii leg.* firmatus eſt, bona Curialie, ſiue ea retinuit, ſiue in alium tranſtulit, publicis deſcriptionibus, id eſt extraordinariis contributionibus obnoxia ea haberi voluit. Et hæc de *primo Capite.*

Secundum iam *Caput* illud eſt, quod *d. leg. 121.* continetur: nempe vt a Conſulatu ſuo ſecundo Clerici facti, patrimonio ſuo cedant Curiæ.

Tertio *Capite*, iterat Theodoſius *hac leg.* diſpoſitionem *legis 107. ſup.* nempe LVCRATIVO titulo poſſeſſores bonorum Curialium, pro modo poſſeſſionis ed denatismum ſeu vncias teneri, de quo plene iam ad *leg 107. ſup.* & *l. 173. inf.* & *ſuo tit. inf. 4.*

Quarto *Capite*, Honoribus, magiſtratu forte, adminiſtratis, Curialem reliquis, ſi quæ debeat, Curiæ muneribus edſtringi.

Quinto *Capite* ſententiam *legis 86.* & *122. ſup.* iterat de *Filiis* Curialium, qui honoribus decorati p. 468. multo magis ad Curiam retrahendi ſunt.

Sexto *Capite* id ipſum & de Clericorum filiis, niſi & ipſi Clerici facti iam fuerint, ſtatuit: nempe vt facultatibus parentum inſtructi Curiæ inſeruiant.

Poſtremo *Capite* cauet Theodoſius M. Curialium vacuas & inanes ſine naturali ſucceſſione fortunas Curiæ cedere, id eſt bona Decurionum ſine hærede decedentium, Curiæ adquiri: de quo eſt *ſup.* titulus peculiaris, *de bonis Decurionum:* Id enim ſunt *vacuæ & inanes ſine ſucceſſione naturali fortunæ*, nempe bona Decurionum ſine hærede deficientium. Et ratio ſubdita id maxime firmat, *habitura* [Curia] *ſolatium facultatum, cui deſit in functionibus numerus perſonarum.* Hac vero de re tres mihi conſtitutiones occurrunt; Conſtantini M. *d. l vn ſup. de bonis Cleric.* Theodoſii M. *hac*: Theodoſii Iun. *lex 4 C. Iuſt. de hæredit. Decurion.* His adde quartam & antiquiorem *hac noſtra* eiuſdem Theodoſii M. quæ *hic* memoratur. Verum de hoc plene iam ad *d. leg. vn.* vbi quædam habes ad huius loci illuſtrationem. Tandem veroſimile mihi, datam hanc *legem*, ad Legationem alicuius vrbis: cuiuſmodi Antiochenam Legationem memorat hoc tempore Libanius ad Tatianum hunc ipſum ſcribens *Ep. 770.*

MARI-

MARITVS *non Curialis, vxoris Curialis hæres Curiæ mancipandus.*

CXXIV. (a) Imppp. THEOD. Arcad. & Honor. AAA. Filoxeno (b) Vic. Thraciar. (c)

SI quis filiam Decurionis vel Principalis, (d) ſuo iunctam conſortio, nullis exſtantibus liberis, fatali ſorte perdiderit, atque eius vltimo hereditatem fuerit adeptus arbitrio, (e) ſi ab omnibus alienus officiis eſt, & nullis, (quibus merito excuſari poſſit,) priuilegiis adiuuatur, eius mox ciuitatis Curiæ mancipetur, in qua, antea, vxore viuente, ſine rerum dominio & proprietate, liber, (f) Curiæ obnoxias facultates heres cœperit vxoris poſſidere. Dat. III. Non. April. Conſtp. Arcad. A. II. & Rufino Coss. [392.]

INTERPRETATIO. *Si quis filiam Curialis accipiat* (g) *vxorem, & hæc ipſa in coniugio eius mortua fuerit, & omnia ad maritum, quæcumque ſupradicta videbatur poſſidere, teſtamenti voluntate peruenerint, omnibus curiæ neceſſitatibus maritus ille qui heres eſt, teneatur obnoxius.*

NOTAE.

(a) Abeſt hæc *lex* a *Cod. Iuſt.* GOTHOFR.

(b) *Filoxenus* vicarius Thraciarum ſub Theodoſio M. *ID.*

(c) De Vicario Thraciarum vid. *Notitiam Imp. fol.* 81. Meminit quoque Vicarii Thraciarum Baſilius, *ep.* 264. ſiu. *Epiſt.* 237 *Edit. Benedictin. ID.*

(d) De Principalibus, in *Paratitlo. ID.*

(e) Id eſt teſtamento: Anianus, *teſtamenti voluntate. ID.*

(f) Non Curialis. *ID.*

(g) *Acceperis*, MS. G. *ID.*

COMMENTARIVS.

MARITVM non Curialem & ab omnib. officiis alienum, ab vxore Curiali non extantib. liberis hæredem teſtamanto inſtitutum, ſi vxori hæres exiſtat, Curiæ ciuitatis mancipari iubet *hac leg.* Theodoſius M. Quod quidem Nouum admodum ius eſt, quod pro Curiarum commodis Theodoſ. M. adinuenit: Qui idem noui cæteroquin iuris repertor eodem ſine neque vna ratione extitit. Hic ſcil. eſt, qui Poſſeſſorem bonorum Curialis ex lucratina cauſa pro ea parte patrimonii in quam ſucceſſit, ad denariſmum vel vncias, id eſt ad certam penſitationem Curiæ primus adſtrinxit, *l.* 107. 123. *ſup. hoc titulo.* Imo ad Curiales functiones ſuſcipiendas *l.* 134. *inf.* Hic eſt, qui Prædia & mancipia Curialium ſine decreto alienari vetuit, *l.* 1. *infr. de præd. & mancip. Curial.* Hic denique eſt, qui eam quæ *hac l.* continetur Curialis conditionis ſubeundæ rationem inuenit.

Quæ quidem tria præcipua inſtituta Theodoſii M. ſunt, quibus Curiarum commodis conſulendum putauit: & quidem *Bonorum Curialium* ratione.

Notabiles interim & ſingulares caſus hos ex *hac l.* nota. Primus caſus eſt, quo quis ratione bonorum conditionem mutat. Secundus quo maritus vxoris conditionem ſequitur. Tertius notabilis caſus eſt, quo nullis exſtantib. liberis, & citra ius liberorum, & non obſtante *leg. Papia decimaria*, maritus ſolidum ex vxoris teſtamento capere poterat; ſub hac tamen lege, vt curiæ necteretur, Curiarum ſcil. fauore: Quomodo idem priuilegium datum Nauiculariis Orientis, annonæ fauore a Conſtantino M. *l.* 7. *inf. de nauicular.* Donec ſimul & ſemel omnibus poſtea coniugibus ius liberorum daretur a Theodoſio Iun. de quo *ſuo tit. l.* 2. 3. *ſup. de iure liberorum.*

Duæ tamen limitationes hic adduntur. Prior, ſi modo maritus ab omnibus alienus officiis ſit. Hactenus ſcil. Curiis hac in re fauetur, vt ne aliis officiis iniuria fiat. Quid enim ſi Cohortalis ſit, vel Officialis? Poſterior, ſi nullis, quibus excuſari poſſit, priuilegiis excuſetur. Hactenus ſcil. Curiis fauendum, ne ſuis priuilegiis quis exuatur: veluti ætatis priuilegio ob liberos: de quibus Excuſationum cauſis, v. *l.* 20. 55. *ſup. &c.*

P.469. ## ACTVARII *ex Curialibus facti, ad Curiam reuocandi.*

CXXV. (a) Idem AAA. Victorio (b) Proc. Aſiæ. (c)

SVBMOTO priuilegio militari, quo ſibi Actuarii blandiuntur, eum qui euidenter oſtenditur Curiali patre genitus, mox neceſſariis atque origini ſuæ debitis functionibus mancipari præcipimus, Dat. VIII. Kal. Maii, Conſtantinop. Arcad. A. II. & Rufino Coss. [392.]

NOTAE.

NOTAE.

(a) Abeſt hæc *lex* a *Cod. Iuſt* Iungenda autem ei *lex* 5. *ſupr. de reparat. appellat. GOTHOFR.*

(b) *Victoris* huic PC. Aſiæ inſcribitur Anno proximo 393. *lex* 50. *ſupr. de appellat lex* 4. *ſupr. de cognitor. & procur. lex* 4. *ſupr. de conſtit. Princip.* & Anno 394. *lex* 22. *infr. de hæreticis.* vid. *Proſopr. ID.*

(c) Quænam diœceſis fuerit Proconſulis Aſiæ ex Eunapio in *Maximo pag.* 107. *Edit. Commelin.* & *Notitia Imperii fol.* 68. diſcere eſt. *ID.*

COMMENTARIVS.

ACTVARII quoque officio ſeu militia, Curialem Curia liberari vetat: contra, ea non obſtante, Curialem ad Curiam retrahi iubet Theodoſius M. *hac l.* Quæ pars eſt prolixioris conſtitutionis Theodoſianæ: qua Curiarum commodis non vna ratione conſultum fuit: Reuocatis videlicet Curialibus ad Curiam *hac l.* Item Nominatis ad Curiam, appellationum tempore coarctato: quo pertinet *lex 8 ſupr. de repar. appell.* quæ *huic* ceu eiuſdem Conſtitutionis pars coaſſanda venit. Magnus equidem *Actuariorum* fauor in militia olim fuit, magna auctoritas, imo *priuilegium*, vt hic vocatur: vtpote qui in ſingulis numeris militaribus eius ratiocinia pertractarent, quantum ſcilicet cuique militi, quotque annonæ deberentur, vt poſtea erogationis faciendæ tempore, Suſceptori pittacio id ſignificarent, ὑπομνηματογράφοι, *l. 16. ſupr. de erogat. mil. ann.* de quibus Actuariis plane dixi, ad *l. 11. ſupr. de erog. mil. annona.* Et tamen hoc militare priuilegium, quo ſibi Actuarii blandiebantur, & quantacunque ipſorum in exercitu dignitas & auctoritas eſſet, Curiarum commodis, cedere voluit *hac l.* Theodoſius M. neque hanc militiam non magis, quam aliam Curiis præiudicium generare.

De PRINCIPALIVM *immunitate a corporalibus moleſtiis.*

CXXVI. (a) Idem (b) AAA. ad Potamium (c) PF. Auguſtalem.

PRINCIPALES, deuoti (d) & nihil debentes, habeant priuilegium, vt nihil corporalium moleſtiarum patiantur: ſcitura Experientia Tua, niſi præceptionis noſtræ forma ſeruetur, & Officium, & ipſam Sedis Tuæ iudiciariam poteſtatem, propoſitæ (e) multæ eſſe ſubdendam. Dat. X. Kal. Iul. Conſtantinop. Arcad. A. II. & Rufino Coss. [392.]

NOTAE.

(a) Abeſt & hæc *lex* a *Cod. Iuſt. GOTHOFR.*

(b) Huic *legi* & tribus ſequentibus inſcribendi ſunt duo tantum Auguſti: nempe *Theodoſius & Arcadius:* vtpote *Valentiniano Iun* iam cæſo.

(c) *Potamio* huic Præfecto Auguſtali inſcribitur quoque hoc ipſo Anno *lex* 2. *ſupr. de defenſor. ciuit. lex* 3. *infr. de his qui ſup. Relig contend. l. 51. ſupr. de Curſu publ. ID.*

(d) *Deuoti, & nihil debentes,* παρηλλαγμένοι. *ID.*

(e) Quinam? viginti librarum auri, *l. 85. ſupr. ID.*

COMMENTARIVS.

DE Immunitate Principalium a CORPORALIBVS moleſtiis ſeu iniuriis, aſt hæc Theodoſii M. conſtitutio: de qua Curialium immunitate ſunt quinque aliæ eiuſdem Theodoſii M. conſtitutiones, vt omittam aliorum Principum ſuper eo conſtitutiones: Quo numero eſt quoque Conſtantii *lex 39.* vbi oſtenſum, quid per *corporalem iniuriam & moleſtiam* intelligatur, nempe tormentorum & quæſtionis cruciatus, & plumbatarum ictus. Initio ſcil. Theodoſius M. hac immunitate omnes Curiales potiri voluerat, *l. 80. 85. ſupr.* Atenim poſtea eadem ab eodem coarctata fuit: cui rei fidem facit *lex 117. ſupr.* hæc *lex*, & *l. 127. infr.* Inter alia Curialibus & Principalibus eam ademit *hac lex*, & *d. l. 117.* ſi indeuoti eſſent, ideſt, ſi quid deberent, ſi decoctores pecuniæ publicæ eſſent: *Principales* ſcil. adſcriptiones tributorum, & exactiones faciebant, P.470. vt ex *hac leg.* & *d. l. 117.* liquet: & ex Saluiano *lib. 5. cap. 4.* Symmacho, *lib. 9. ep. 10.* Poſtea tamen Honorius, Principales hos ſolos ab iniuriis his corporalibus immunes reddidit, *l. 6 ſupr. de Quæſtionib.* non alios Curiales, *leg. 153. infr. hoc tit.*

Ergo *hac l.* Theodoſius M. *Principales* (extra quam ſi quid publico deberent) ab iniuriis Iudicum ſeu Rectorum prouinc. vindicatum iuſſit, idque per *Ægyptum* hac *conſtit.* ad Potamium Præf. Auguſtalem data. Pariter vt idem hoc ipſo Anno defenſores iuſſit, plebem & Decuriones ab omni improborum inſolentia & temeritate tueri, conſtitutione ad eundem Potamium P. Auguſtalem, paulo ante *hanc l.* data: puta *l. 2 ſupr. de defenſor. ciuit.* Rurſum, vt Idem hoc ipſo Anno ad eundem paulo poſt *hanc l.* publici curſus exhibitionem Curialibus viritim penſata locorum, hominum, facultatum qualitate diſtribui *l. 51. ſupr. de curſu publ.*

Illud omitti non oportet, *hanc l.* Theodoſii ad Ægyptum nominatim pertinere, & ad Præfectum Auguſtalem datam: Quo pariter pertinet quod Libanius

banius, *orat. κατὰ Ιnαρίu* inedita ſcribit: de Theodoſii Magni conſtitutione, qua is Curiales a Iudicibus verberibus ſubiici vetuit: quamque transgreſſum Flauianum Proc. Aſiæ (cui inſcribitur *l.18. infr. de ſuſceptoribus.* A. D. 385.) magiſtratu deiecerit; imo & Præfectum Ægypti, eo quoque nomine accuſatum, in vincula coniecerit. Ad eundem ſane quoque Ægyptum pertinet de hac ipſa re eiusdem Theodoſii *lex 80. ſupr.*

De PRIMO *in Curia, & Comitiua Tertii Ordinis ei tributa.*

CXXVII. (a) Idem AAA. (b) Tatiano PF. P. (c)

QVICVNQVE decurſis perfunctis (d) officiis, primum obtinuerit in ſua Curia, ſequentibus ceteris, (e) locum, Comitiuæ tertii ordinis habeat dignitatem, vt ab omnibus eum iniuriis dignitas conceſſa defendat: Ita tamen, vt hoc honore donatus, a nexu propriæ originis non recedat. Dat. prid. Kalend. Iul. Conſtp. Arcad. A. II. & Rufino Coss. [392.]

NOTAE.

(a) Abeſt hæc *lex* a *Cod. Iuſt. GOTHOFR.*

(b) Duo tantum AA. huic *legi* inſcribendi, puta THEODOSIVS *& Arcadius*, pariter vt *legi* 126. *ſupr.* & *leg.* 128. 129. *infr.* *ID.*

(c) Orientis: cui Tatiano PP. ſex *hoc titulo* conſtitutiones inſcribuntur, & hæc quidem vltima. *ID.*

(d) Suſtineri poſſit: ſed malim *perfunctus*. *ID.*

(e) Decemprimis, aliis. *ID.*

COMMENTARIVS.

PRIMO Curiæ Comitiuam Tertii Ordinis (de qua dignitate *lib. 6.*) atque adeo immunitatem ab omnibus iniuriis, (corporalibus ſcilic. id eſt, quæſtionibus, tormentis, plumbatarum ictibus,) ſic tamen, vt ne ideo a Curiæ nexu liberetur, tribuit *hac l.* Theodoſius M. De *Primo Curia* ſunt *dua* præterea *leges hoc tit.* puta *lex 171. 189. infr. hoc tit.* ſcil. vt in ſchola Domeſticorum erat Primicerius, ſcholæ Caput, quem ſequebantur Decem-primi, *l. 7 10. ſupr. de Domeſticis:* Item vt in Senatu Princeps Senatus erat, qui ſententiam primus rogabatur; ita & in Decurionum Albo Primus quidam erat, cuius peculiarem rationem habere cœpit Theodoſius *hac l.* Comitiua Tertii Ordinis, (atque adeo immunitate ab Iniuriis omnibus ei tributa, de quo ad *l. ſuper.*) Et tamen Theodoſius Iun. poſtea, Primo Curiæ Alexandrinæ, Comitiuam primi ordinis tribuit, per quinquennium, cum immunitate a Senatoriis oneribus *l. 189. infr.* ſub eadem tamen conditione, vt in Curia permaneret. Illud ex *hac l.* notandum, *Comitiua tertii Ordinis* hoc priuilegium tributum, vt immunitatem ab omnibus iniuriis tribueret. De qua Comitiua Tertii Ordinis ſunt præterea *lex 9. 10. infr. de Suariis: lex 17. ſupr. de proximis.* Quanquam & *iniuria* appellatione, poſſit quoque hic intelligi collatio omnis, & functio Senatoria: nam & ita *dict. leg. 189.* immunitas e Senatoriis oneribus huic tribuitur.

MILITARES *Magiſtratus iniuriis &* VERBERIBVS *Curiales Principales afficere vetiti.*

CXXVIII. (a) Idem (b) AAA. Abundantio (c) Com. & Magiſtro vtriusque mil.

MILITARIBVS (d) viris nihil ſit commune cum Curiis: nihil (e) ſibi licitum ſciant, quod ſuæ non ſubiectum eſt poteſtati: Nullum iniuria, nullum verbera (f), nullum graui pulſatione, Tribunus, Dux ille, (g) an (h) Comes ſit, Curialem Principalem, (i) contingat. Si quis poſthac temerario & inconſiderato auſu vllum ex Principalibus vi- P. 471.
ris vſurpata adtrectauerit iniuria, ſciat ſe decem auri libris eſſe multandum. Dat. prid. Kal. Aug. Conſtantinop. Arcad. A. 2. (k) & Ruffino Coss. [392]

NOTAE.

(a) *L. 42. Cod. Iuſt. eod. tit. GOTHOFR.*

(b) Duo tantum AA. *huic l.* inſcribendi: puta *Theodoſius & Arcadius:* pariter vt *legi* 126. & 127. *ſupr.* & *l.* 129. *infr.* vtpote *Valentiniano* mortuo. Et ſic Valentiniani nomen expungendum, quod *Codice Iuſtin.* recte abeſt. Vbi tamen contra-

contrario errore tertium HONORII A. nomen male inſertum, quia Anno demum proximo 393. HONORIVS A. adſcitus. *ID.*

(c) Alius ab hoc eſt *Abundantius*, *ὁ τῷ στρατιωτικῷ τάγματι ἡγεμών*, de quo Socrates *lib.* 7. *c.* 7. Huic vero eidem inſcribitur Anno prox. *l.* 3. *ſupr. de Salgamo hoſp. non præbendo: lex* 18. *ſupr. de erog. milit. ann.* de hoc eodem Abundantio agit Zoſimus *lib.* 5. *cap.* 10. in Arcadii rebus, vbi nominatim ait eum, *ἐπὶ Θεοδοσίῳ στρατηγοῦ ἀποδεδειγμένον*, & Claudianus *lib.* 1. *in Eutropium* v. 154. Item Hieronymus *in Epitaphio Nepotian. p.* 17. *Tom. I. Oper. Edit. Francof.* qui Pytiunte exulaſſe eum in ſumma rerum inopia ait. vid. *Proſopogr. ID.*

(d) Tribunis, Ducibus, Comitibus, qui omnes ſub Magiſtro militum fuere, vt *hac* quoque *lex* docet, *ID.*

(e) *Nihilque*, Cod Iuſt addita copula, *ID.*

(f) *γρ. Verbere*, vt *Cod. Iuſt. ID.*

(g) *Duxve ille*, C. Iuſt. Quanquam & MSS. Codices Iuſtin. ita quoque habent. *ID.*

(h) *Aut* Cod. Iuſt. Elegantius illud. Seruius ad 1. *Æneid.* v 333. *an Phœbi ſoror*, adnotat antique dictum *an*, pro *ſiue*. Valentiniani *Novella* 3. *de Homicidio caſu an voluntate facto.* Apud Symmachum non ſemel Veluti *lib.* 9. *ep.* 42. *fundo an lectione*, & *lib.* 8. *ep.* 51. *Ceruorum an Aprorum.* v. plura apud Iuretum in *lib. Symm.* 9. *ep* 42. *ID.*

(i) *Principalemve* copula rurſum addita *Cod. Iuſt. ID.*

(k) *γρ* II. *ID.*

COMMENTARIVS.

A Militarium, *στρατηγῶν*, Virorum (veluti Tribunorum, Ducum, Comitum) iniuriis Curiales vindicat *h. l.* Theodoſius M. adempta eis in Curiales omni poteſtate. Non quidem ea ratione, vt Iudicum ciuilium Iuriſdictionem *hac l.* fundet, quod hactenus creditur (id quod aliunde ſatis notum: Iudices enim Curialium, Rectores prouinciarum fuiſſe docet *lex* 39. 47. 80. 85. 110. 118. *ſupr.* & *lex* 150. 164 181. *infr*) verum vt audaciæ Iudicum militarium occurreret. Ea ſcil. fuit Ducum militarium *στρατηγῶν* hac Theodoſii M. tempeſtate, audacia, vt miſeros Curiales, ac maxime Principales, exactores tributorum, patrocinium ruſticanis ipſis præbentes, *iniuriis* afficerent, *verberibus, grauique pulſatione contingerent, attrectarent:* Quod Libanius egregie oſtendit. *Orat. περὶ προστασιῶν*, quam ipſe edidi: vbi queritur prolixe, quomodo Duces iſti *στρατηγοὶ* iniuriis affecerint miſeros *Exactores*, quos Curiales fuiſſe oſtendit. Vt omnino credam hanc *leg.* latam ad eam ipſam Libanii querelam; Omnia quippe egregie congruunt: etiam tempus, quo eam Orationem habitam iam ex animi mei coniectura indicaui, puta hoc Anno ipſo 392. Item argumentum; vtrobique ſcil. agitur de iniuriis, quibus Duces militares Curiales adficiebant. Rurſum vtrobique agitur de Principalibus ſeu Exactoribus: Principales ſcil. & Decuriones tributorum exactores fuere: quod oſtendit vel *lex* 8. 14 *in fin.* imo & *lex* 117. *ſupr hoc tit.* quæ eiusdem Theodoſii M eſt. Ac nominatim Principales, vt oſtendit *d. l.* 117. *ſupr.* & Saluianus *lib.* 5. *cap.* 4. qui inter Curiales primi, & a Curialibus cæteris appellatione diſtinguuntur: etſi alias & ipſi Curiales, generalique Curialium nomine veniant: De quo in *Paratitlo.* Ideo etiam hic forte *ἀσυνδέτως* dicitur, *Curialem Principalem:* nam & mox *fine l.* nonniſi *Principales* nominantur: non quaſi Curiales & Principales pro iisdem indiſtincte accipiantur, verum quia Principales e Curialium numero erant, non vero Curiales omnes etiam Principales.

Et ita quidem deinceps hæc conſtitutio interpretanda venit, cuius arcana nondum introſpexerunt Interpretes Codicis Iuſtin. etiam Cuiacius, in quem *hac lex* relata eſt. Neque enim Duces militares in ſp. *huius l.* Iuriſdictionem in Curiales ſibi vindicabant præ Ciuilibus magiſtratibus, verum militaris ſui cinguli terrorem Curialibus ſuo munere defungentibus obiiciebant. Etſi fateor generaliter *hac l.* omnem Ducibus militaribus, in Curialibus in Curias & Curiales *poteſtatem* adimi, & illorum iniuriis verberibus, pulſatione, hos vindicari.

Cæterum quod hic adhuc notandum, ideo *hæc lex* inſcribitur Comiti & Magiſtro vtriusque militiæ; nempe quod Militares illi viri, Tribuni, Duces, & Comites ſub eius diſpoſitione eſſent: ac proinde *hæc lex* ad eum data, vt per eum ea illis innoteſceret, inque officio ſuo illi per eum continerentur.

Notandum & illud, generalem hanc *huius l.* prohibitionem eſſe: ſcil. prohibitio *huius leg.* non tantum reſpicit Tribunos, verum etiam Duces & Comites, quorum maior dignitas erat.

De SENATORIA *dignitate*, MILITIA *&* ADMINISTRATIONE.

His non obſtantibus Curiales functionibus adſtringendos.

CXXIX. (a) Idem AAA. (b) Rufino PF. P. (c) Poſt alia.

Qvicvnqve eſt e Curia *Senator* effectus, quicunque militiam cum eſſet Curialis adgreſſus eſt, reſtituatur, obſtringendus ei quam declinauerat functioni. Quinetiam iubemus eos ad munera relicta & ad cognoſcenda (d) conſtringi, quos *Adminiſtrationum* honor diuerſa ſuffragiorum ambitione prouexit, vt eo quidem quem adepti ſunt, honore P. 472.
non careant, ſed ab ea quam reliquerant functione non abſint. Prouidendo, ne (e) quis-

piam Curiæ natus ad conſortium Senatoriæ dignitatis adſpiret: Cum ita ſibi videat, (f) & præterita & præſenti iuſſione præſcriptum, vt ei, vel affectata vel emendicata huius Ordinis gratia prodeſſe non poſſit. Dat. X. Kalend. Decembr. Conſtp. Arcad. A. II. & Rufino Coss. [392.]

NOTAE.

(a) Abeſt & hæc *lex* a *Cod. Iuſt.* GOTHOFR.

(b) Duo tantum AA. *hui. l.* inſcribendi pariter vt tribus ſuperioribus, puta *legi* 126. 127. 128. nempe *Theodoſii & Arcadii. ID.*

(c) *Rufinus* ſub Theodoſio M. PP. Orientis; Tatiani (cui *ſex hoc tit. leges* inſcribuntur,) ſucceſſor, de quo Zoſimus *lib.* 4. *cap.* 51. 52. & Ambroſius *ep.* 53. fin. *lib.* 6. *Epiſt.* 50. *Tom. V. Oper. Edit. Pariſ.* 1614. Ei præter *hanc l.* quinque leges *hoc tit.* inſcribuntur: puta *lex* 134. 135. 136. 137. 139. Ex quo coniectura duci poteſt, de Rufini PP. ſtudio erga Curias: de quo ad *leg.* 137. *infr. v. Proſopogr. ID.*

(d) *Cognoſcenda*, id eſt, functiones, quæ cognoſci ſeu agnoſci & præſtari debent. *Cognoſcere* ſcil. in argumento functionum publicarum eſt agnoſcere, ſubire, præſtare, vid. *l.* 17. *ſupr. de Prætorib. l.* 14. *in fin. ſupr. de Annona*: *l.* 4. *infr. de Cenſitorib. l. vlt. infr. de patrocin. vicorum.* *Cognoſcenda* porro, pro functionibus publicis quæ cognoſci debent. Sic *proponenda*, pro vectigalibus publicis, quæ pro propoſitis mercibus dantur, *l.* 2. *ſupr. de veteranis*: vbi vide plura, quæ dixi: ſic *defendenda* prouinciarum, id eſt, ea quæ per prouincias defenſione egent, *l. vn. infr. de Hirenarchis. ID.*

(e) Curialis Curiæ natus. *ID.*

(f) Deinceps ſcilicet. *ID.*

COMMENTARIVS.

SENATORIA dignitate, MILITIA & ADMISTRATIONE prouinciæ ſcilicet Curialem Curialibus muneribus non liberandum, neque in præteritum, neque in futurum definit, *hac l.* Theodoſius M. de quo iam ſæpe: ec nominatim de eo ſunt eiuſdem Theodoſii M. *lex* 82. 90. 93. 111. 118. 122. 123. *ſupr.* Et *lex* 130. *infr.* Et in vniuerſum 27. *hoc tit.* *leges* occurrunt in hoc argumento occupatæ, quas repetere licet ex *Paratitlo*. Illud ſingulare *hac l.* quod vt Curialem non obſtante adminiſtrationis honore, Curialibus functionibus teneri vult, ita rerum Adminiſtrationis indeptæ honore nihilominus non priuandum, quod & aliis *legibus* cautum *ſupra*, & *leg.* 134. *infr.*

SENATOR *fieri quando ſeu quibus legibus, Curialis poſſit.*

CXXX. (a) Idem AAA. (b) Aureliano PF. V. (c)

SI quis Municipum (d) ad Senatorium tranſire ordinem omnibus muniis perfunctus optauerit, (e) bona ſua, quibus ſubſtitui idoneus poſſit, ſciet Curiæ ſemper eſſe obnoxia. Dat. III. Kal. Mart. Conſtantinop. Theod. A. III. & Abundantio Coss. [393.]

NOTAE.

(a) Abeſt hæc *lex* a *Cod. Iuſt.* Iungendæ autem ei duæ proxime ſequentes *leges*. puta *lex* 131. 132. *infr.* Item *lex* 3. *ſupr. de conſtit. Principum. l.* 29. 30 *infr. de operib. publ. lex* 1. *ſupr. de Prædiis Senatorum*: *lex* 26. *ſupr. de Prætoribus.* Et forte etiam *lex* 11. *infr. de annonis ciuicis.* GOTHOFR.

(b) Reponendi hic *Imppp.* THEODOSIVS, *Arcadius & Honorius*, vt & ſequentibus omnibus *legibus* Theodoſianis *ad* 140. *vsque*: vt etiam recte inſcribuntur *d. l.* 29. 30. *infr. de operib. publ. d. l.* 1. *ſupr. de præd. ſenat. d. l.* 26. *de Prætorib.* quas *huic* coniungendas dixi. *ID.*

(c) Ita Tiliana Editio prima recte habebat, quod poſtea mutatum *in PP.* operarum menda. Ita quoque *d. l.* 3. *ſupr. de conſtit. Princip.* Ita quoque *d. l.* 29 & 30. *infr. de operib. publ.* Ita *d. l.* 1. *ſupr. de Præd. Senatorum*: & *d. l.* 26. *ſupr. de Prætorib.* Ita quoque *l.* 4. *ſupr. de Senatoribus*: *l.* 11, 12. *infr. de annonis ciuicis.* At tribus aliis Legibus *PP.* puta *l.* 131, 132, 138. *infr. hoc tit. ID.*

(d) *Municipum*, id eſt, Curialium hic & alias ſæpe. v. *Paratitlon. ID.*

(e) Deinceps: argumento etiam *d. l.* 3. *ſupr. de conſtit. Principum. ID.*

COMMENTARIVS.

SENATOREM fieri Curialem deinceps Theodoſius M. *hac l.* ſub duabus conditionibus permittit.

Primo, ſi omnibus muniis perfunctus fuerit.

Secundo, ſub *hac lege*, vt bona eius Curiæ obnoxia ſint, quibus ſubſtitui idoneus poſſit: Duobus ſcil. his concurrentibus, quibus Curiis vndiquaque conſultum eſſe poſſit. Quod & ipſum eidem Theodoſio M. viſum olim *l.* 90. *in fin.* cuius & aliæ plures

plures in hoc argumento de Curialibus, Senatoribus factis, leges extant, puta *lex* 82. 90. 93. 111. 118. 122. 123. 129. Quarum nonnullis in earum ſpecie ſubſtitutioni alterius locum eſſe noluerat, vt *d. l.* 111. 118. Et in vniuerſum ſi quis ad plenum ſcire volet, quam varium hac parte ius fuerit, conſulat is 27. *huius tituli leges*, quas repetere licet ex *Paratitlo.*

Eſt autem *hac lex*, prolixæ admodum conſtitutionis Theodoſianæ pars, ex qua ſuperſunt complures aliæ leges *hoc Codice*, quas in *Notis* iam indicaui quæque adeo *huic* coniungendæ veniunt. Ea con-
P. 471. ſtitutione Theodoſius M. pleniſſime confirmatum iuit varia, quæ perperam innecta conſtitutaque fuerant a Tatiano PP. Orientis, (cui in Præfectura Prætoriana ſucceſſerat Rufinus, cui *ſuperior lex* 129. inſcribitur) & a filio eius Proculo P. V. (Aureliani, cui *hac lex* inſcribitur deceſſore) qui paulo ante proſcripti fuerant: de quo Tatiano agitur *l. prox.* 131. *inf. l.* 12. 13. *ſupr. de bonis proſcript. l.* 9. *ſup. de indulg. crim l.* 23. *ſup. de annon & tribut.* de Proculo, *l.* 12 *inf. de annon. ciuicis*: (cuius tituli *l.* 11. pars illius Conſtitutionis eſt, atque adeo *huic* coaſſanda:) Et quidem perperam innectas conſtitutasque in damna Curiarum; quo pertinet *hac lex* cum *duabus ſequentibus*, *l.* 131. 132. In damna ornatus Ciuitatum ac nominatim vrbis Conſtantinopolitanæ, quo ſpectat *d. lex* 29. 30. *inf. de operib. publ.* & *d. l.* 11. *inf. de annonis ciuicis.* In damna Senatorum, quo reſpicit *d. lex* 1. *ſup. de præd. Senatorum*: & *d. lex* 26. *ſup. de Prætoribus.* Quæ quidem omnia ita infirmatum it Theodoſius M. vt tamen retroacta non irrita faciat, ſed futurum nouum ius conſtituat: Quo pertinet clauſula illa generalis: *d. l.* 3. *ſup. de conſtit. Principum*, quæ exinde quoque deſumpta vna cum *ſuperioribus* omnibus *huic* coniungenda venit: *omnia conſtituta non præteritis calumniam faciunt, ſed futuris regulam imponunt.*

Illud ſemel monendum *hanc l.* aliasque quibus Senatorius ordo erigitur vel ſubleuatur, ad Aurelianum PV. & PP. data; ad eius proculdubio ſuggeſtionem: de quo eſt vetus epigramma *lib.* 4. *Antholog. cap.* 4. *ep.* 17. de quo ad *l.* 4. *ſup. de Senatorib. & gleb. collat.* & *l.* 1. *de præd. Senatorum.*

De THERMARVM *calefactione Antiochiæ.*

CXXXI. (a) Idem AAA. (b) Aureliano PF. P. (c)

IN calefaciendis aput Antiochiam (d) Thermis, veterem præſtationis (e) conſuetudinem ſeruari placet: Conſtat enim merito ſubmouendum, quidquid a Tatiano (f) probatur adiectum. Dat. III. Kalend. Mart. Conſtantinop. Theod. A. III. & Abundantio Coss. [393.]

N O T A E.

(a) Abeſt & hæc *lex* a *Cod. Iuſt.* velut temporaria & localis. *GOTHOF.*

(b) *Theodoſius* ſcil. *Arcadius & Honorius. ID.*

(c) Dicam mox de hac Inſcriptione. *ID.*

(d) Syriæ Cœles. *ID.*

(e) A Curialibus faciendæ: quod vel Rubrica *huius tituli*, ſub quo *hac lex* poſita eſt, oſtendit: & auctoritas Libanii, de quo mox, *ID.*

(f) PP. Orientis, de quo mox. *ID.*

C O M M E N T A R I V S.

DE THERMARVM Antiochiæ Calefactione ad quam Curiales certum præſtationis modum conferebant, eſt *hac* Theodoſii M. *lex*, qua veterem præſtationis modum ſeruari iubet: ſubmoto eo, quod Tatianus PP. adiecerat & ſuperexegerat. Cuius occaſione multa *hic* obſeruanda veniunt.

Primo tenendum, hanc *legem* eſſe partem prolixæ Theodoſianæ conſtitutionis, qua Theodoſius M. a Tatiano PP. potiſſimum conſtituta, & Prouincialium humeris ſuperimpoſita, ſublatum iuit: ex qua conſtitutione plura alia fragmenta ſuperſunt *hoc Codice*, huic proinde coaſſanda, quæ ad *ſuperiorem l.* 130. (quæ & ipſa de earum numero eſt) in lineam conieci. Quomodo & aliud ſuperindicti genus ab eodem adiectum Theodoſius infirmatum iuit hoc ipſo anno, *l.* 23. *ſup. de annona & tributis.*

Secundo, obſeruandum nominatim a Tatiano in damnum Curiarum & Curialium multa ſancita, quo pertinet *hac lex*, cum *ſuperiore prox.* & *inferiore prox* 132.

Tertio de *Tatiano* hoc, cuius *h. l.* mentio fit, & quatuor inſuper legib. *hoc Codice*: puta *d. l.* 23. *ſup. de annona & tributis*: *l.* 9. *ſup. de indulg. criminum*: *lex* 12. 13. *ſup. de bonis proſcriptorum*, tenendum, eum, cum PP. Orientis diu fuiſſet (cui ſane inſcribuntur etiam *hoc titulo* ſex conſtitutiones *ſupra*, puta *lex* 119. 120. 121. 122. 123. 127. & de quo Zoſimus *lib.* 4. *c.* 45. & Idacii *Conſularia.*) reum maieſtatis factum, cum filio Proculo P. V. De quo Aſterius *homilia in feſtum Kal. p.* 60. *Edit. Rubenii.* Zoſimus *lib.* 4. *c.* 52. Chronicon Alexandrinum *his ipſis COSS. A.* 393. *pag.* 709. *Edit. Raderi.* Itaque infirmata Tatiani acta a Theodoſio M. *dict. l.* 12. 13. *ſup. de bonis proſcriptorum*: *dict. l.* 23. *ſup. de annona & trib* & *h. l.* vt & filii eius Proculi P. V. *l.* 12. *inf. de annon. ciuicis.*

Quarto obſeruandum, per Syriam nominatim, & Antiochiæ quidem perperam quædam a Tatiano innecta: nempe conlationem quandam, quæ Syriarchiæ nomine a Senatoriis poſſeſſionibus exigebatur; quam ideo abolet Theodoſius M. *d. l.* 1. *ſup. de præd. Senatorum*: quæ & ipſa inter alias *huic* coniungenda eſt: Item collationis a Curialibus faciendæ incre-

mentum ad calefactionem Thermarum Antiochiæ: quod *hac l.* abolet.

Quinto notandum, cum potiſſima earum *legum* pars, quas *huic* coniungendas dixi, etiam *l. prox. 130. ſup.* Inſcriptio proferat *Aureliano PF. V.* idque etiam aliæ *leges* firment; attamen hanc *leg.* & *l. 132. prox. inf.* quæ & ipſa *huic* iungenda venit. & *l. 138. inf.* præferre *Aureliano PF. P.* In eo ſane recte, quod in genere dignitatem *PF. P.* præferat; *Orientis* ſcilicet, ſub quo *Syria* erat & Antiochia, quibus nihil commune cum *PF. V.* Conſtantinopolitanæ ſcilicet fuit: ſed in eo male, quod *Aureliano PF. P.* præferat: neque enim Aurelianus PP. fuit, ſed P. V.
P. 474. Contra *Rufinus* hac tempeſtate *PP.* erat. Quare mens ea mihi, Theodoſium M. prolixam illam conſtitutionem ſuam, qua Tatiani PP. & Proculi P. V. acta, infirmatum iuit, & ad *Rufinum PP.* & ad *Aurelianum P. V.* eodem exemplo ſeu coniunctim emiſiſſe: ſic quidem vt quædam capita reſpicerent *vrbem*, atque adeo officium *Aureliani P. V.* alia vero *prouincias*, atque adeo officium Præfecti Prætorio: Quæ poſtea capita cum diſcernerent *huius Codicis* Conditores, ſingulaque ſingulorum officiis conuenientia reddere deberent, in eo lapſi videntur, quod huic capiti inter alia, vt & *d. legi 1. ſup. de prædiis Senatorum*, Aureliani P. V. nomen inſcripſerint, cum *Rufini PP.* debuerint.

Nunc de ipſa *huius l.* ſententia. Sexto notandum, Thermis Antiochiam illuſtrem maxime fuiſſe: de quibus etiam Lampridius, *Alex. Seuero cap. 53.* Amm. Marcell. *initio lib. 31.* ſed Libanius cum maxime Antiochenus ipſe, in *Antiochico p. 358* & *376.* & ad Icarium *p. 456.* & *de vita ſua, p. 47. Edit. Morell.*

Septimo ſciendum, calefactionem Thermarum inter munera & quidem perſonalia olim fuiſſe, vt docet *lex 1. §. 2. lex 18 §. 5. D. de munerib. & honorib.* Item pecuniam ex reditibus ciuitatum ad id ſubminiſtratam, vt docet *lex 32. inf. de operib. publicis:* & *d. §. 5.* de quo plura *inf. tit. de mancip. thermarum.* Antiochiæ ſane Curiales certum quid ad id contulere: quod præter hanc *leg.* quæ adeo poſita eſt ſub *h. t. de Decurion.* docet Libanii Antiocheni locus *in Antiochico p. 358 Edit. Morell.* vbi de Curia Antiochena & Curialib. Antiochenis, ſumptibusque ab his in patriam factis (de quibus agitur *inf. l. 169*) ex profeſſo agens addit: νῦν μὲν τὸ πλῆθος διατρέφοντες ἐν ταῖς χρείαις, καὶ ἐπιδόσεσι τὰς τῆς γῆς ἐνδείας ἀφανίζοντες· ἀεὶ δὲ τὴν πόλιν ἅπασαν λουτρῶν τε ἀπολαύσει, καὶ θεαμάτων χάρισιν εὐφραίνοντές τε καὶ ψυχαγωγοῦντες, quæ verba ita interpretatur Morellus: *Quandoquidem nunc multitudinem educant ad vſus, & largitionibus ad terræ neceſſitates comminuunt opes: deinde ſemper cunctam ciuitatem functione & ſpectaculorum ſuauitatibus fouent atque exhilarant.* Idem *Ep. ad Ariſtenetum 384.* ὁ καὶ ἧπται τοῦ λειτουργεῖν, καὶ γὰρ ἐκεῖνος ἡλικιώτης ὢν τὰ τοιαῦτα, ἀνήλωσε φιλοτιμίᾳ φθάνων τὰς ἀπὸ τῶν νόμων ἀνάγκας, νῦν μὲν ὁ Ἀργύριος ἡμῖν, θεραπεύων λουτροῖς τὰ σώματα, μέλλων δὲ ἵππων ἁμίλλας χαρίζεσθαι τῇ πόλει, δώρῳ βασιλικῷ τετίμηται. δύο τέθριππα τὸ δῶρον. quæ vertit ita Cl. Wolfius: *Hic publicum munus ſuſcepit. Ille enim in iuuenili etiam ætate ſua libenter impendit, gloriæ ſtudio ipſam, quæ ex legibus naſcitur, neceſſitatem anteuertens. Iam Argyrius noſter, corpora balneis reficit, idem vero certamen equeſtre, vrbi noſtræ repræſentaturus, dono regio affectus eſt. Id vero duplici equorum quadriga continetur.* Et forte etiam eodem pertinet illud quod Amm. Marcell. *initio lib. 31* ſcribit, *Antiochiæ voces præconum audiebantur aſſidue, mandantium congeri ligna ad Valentini lauacri ſuccenſionem, ſtudio ipſius Principis conditi.*

E TRIBVS *filiis Curialis vnum Senatui dare poteſt.*

CXXXII. (a) Idem AAA. Aureliano PF. P. (b)

SI quis Curialis tres mares filios ſuſceperit, vnum dare (c) Senatui non vetetur. Dat. III. Id. Mart. Conſtp. Theod. A. III. & Abundantio Coss. [393.]

NOTAE.

(a) Abeſt & hæc *lex* a *Cod. Iuſt.* quia eam abrogat *l. vlt. Cod. Iuſt. de Decurionib.* Quænam *huic* coniungendæ ſint? iam dictum ad duas *leges* ſuperiores, quæ & ipſæ de earum numero ſunt. *GOTHOFR.*

(b) *vg. P. V.* vel *Rufino PP.* de quo ad *leg. ſuper. 131. ID.*

(c) Dare Senatui, id eſt Senatorem efficere, ad Senatorum dignitatem euehere, *ſociare Senatui*, vt hoc explicat Iuſtin. *dict. l. vlt. ID.*

COMMENTARIVS.

DE FILIIS MARIBVS Curialium, eſt hæc Nobiliſſima, & ſingularis admodum Theodoſii M. conſtitutio; intra quem videl. modum, & qua ratione illi voluntate patris, *Senatui* dari atque adeo a Curia liberari poſſint. Regulariter ſcilicet filii Curialium Curiali conditioni obnoxii erant, vt docet *lex* 7. 22. 26. 31. 37. 49. 53 57 58. 69. 74. 86. 93. 98. 122. 123. 155. 174. 184. & quidem etiam eorum Curialium filii, qui ad dignitates euecti, veluti ad Senatoriam, erant: de quo (vt omittam aliorum Principum conſtitutiones) ſunt aliæ plures Theodoſii M. *hoc tit.* puta *lex* 86. 93 98. 122. 123. & promiſcue quidem quandocunque ſc. nati, ex *d. l. 93.* Item eorum etiam qui Clerici facti eſſent *d. l. 123.* itemque Magiſtrorum, *d. l. 98. inf.* Et multo magis eorum, qui in Curiali conditione ſtatuque erant: Ac proinde non poterat pater Curialis filium ſuo facto aliquo iureque patrio Curia liberare.

Et

Et ſingulari tamen nunc priuilegio id a Theodoſio M. *hac l.* indulgetur Curiali, vt *ſi pater ſit trium marium filiorum, vnum ex his Senatui dare poſſit:* ſeu ſociare Senatui: Vt ita prolem ſuam maſculam inter Curiam & Senatum diuidat, potiore tamen ſemper parte penes Curiam remanente, nempe duobus filiis Curiæ relictis: tertio vero Senatui dato, & ad Senatoriam ſi fors dignitatem euecto, & ad Curiam minime retrahendo. Quæ prolis ſeu trium marium filiorum diuiſio inter Curiam & Senatum maxime notanda eſt: de qua eſt quoque *lex 74 ſup.* vbi iam dixi. Diuiſionis alioquin prolis inter Curiam & aliud Corpus quædam exempla quoque habuimus *l. 79. & l. 105. ſup. h. t. & l. 11. ſup. de filiis milit. Apparit.*

Porro non fauore iuris trium liberorum, quod vulgo ſecundo errore creditur: neque enim patri ipſi vllum priuilegium hic datur, ſeu ob fœcunditatis priuilegium id conſtitutum: verum quia ſatis viſum Theodoſio M. ſi Curialis duos filios Curiæ ſufficeret, vnde immortalitatis genere quodam Curialium numerus, ſuffecta gemina prole maſcula, ſemper conſtaret: quare Tertium Curiæ ſaltem Nobiliori, Senatui inquam, dare, patri licere voluit Theodoſius M. & ante eum Valens, *l. 74. ſup.* Idque etiam Senatus Conſtantinopolitani fauore, quem *Maximum* Senatum vocat Iuſtinianus *l. vlt. h. t.* vbi *hanc* memorat; vt & ipſe hac ratione repleretur. Qui ſane Princeps & aliis variis rationibus Senatui Conſtantinopolitano ſtuduit, vt docent *lex 3. ſup. de Senatorib. l 5. C. Iuſt. de dignitatib.* Ergo hunc euitandæ Curialis conditionis modum probauit Theodoſius M. nempe vt filius Curialis hominis Senator factus Curia liberaretur, ſi vnus e tribus maribus filiis eſſet. Hæc enim huiusce *legis* ſententia eſt, quam tamen Iuſtinianus poſtea abrogauit, *l. vlt. Cod. Iuſt. de Decurionib.* repleto iam ſatis Senatu Conſtantinopolitano.

Falluntur enim tertio errore, qui hunc ſenſum *huic l.* affingunt, quaſi pater ipſe vnum ex tribus maribus Curiæ offerendo, Curia liberaretur: neque etiam cum hoc quidquam commune habet, quod a Theodoſio Iun. primum conſtitutum ad replendas Curias, vt naturalis filius Curiæ oblatus, legitimus fieret; de quo vide *leg. 3. 9. Cod Iuſt. de natural. liber. §. vlt, Inſtitut. de nuptiis, Nouellam Iuſtiniani 89.*

P.475. Haud abſimile vero eſt, quod ex Senatusconſulto Sabiniano, pater adoptiuus vni ex *tribus maribus* in adoptionem a patre naturali ſibi dato, Quartam teſtamento ſuo relinquere tenebatur (ſicut arrogato impuberi Quarta ex diui Pii ſanctione debebatur) vt docet Iuſtinianus *l. pen §. 3. Cod. Iuſt. de adoption. & §. 14. Inſtit. de hered. quæ ab inteſt.* & *ibi* Theophilus: Quo etiam alluſit Marcus Seneca Rhetor *in controuerſia prima libri 2.* Quod quidem priuilegium S. C. Sabiniano datum, ſeu Quadrantem Sabinianum, inductum Alii cenſent in genere fauore trium liberorum, & ob fœcunditatis priuilegium. Alii, quia qui ex paruo iſto numero vnum in adoptionem daret, non tam exonerandæ familiæ ſuæ, quam adoptantis gratia id facere videretur. Sed enim vera ratio hæc eſt, fauor ſcil. non in commune trium liberorum, neque enim idem ſtatutum de filia ex tribus liberis in adoptionem data, verum fauore *maſculorum*, per quos familia nomenque propagatur: pariter vt in *ſp. huius leg.*

Ad *legem* noſtram redeamus. Theodoſius M. igitur diuiſionem hanc trium filiorum inter Senatum & Curiam a Curiali patre factam probauit, ſi duos Curiæ relinqueret, Tertium Senatui Conſtantinopolitano daret: ſiue quia vel ante *hanc leg.* id obtineret, in necem Curiarum, vt vel vno filio Curiæ relicto, cœteri Curia liberari poſſent, ſiue contra, paulo ante *hanc leg.* vnius filii e tribus maribus Senatui dandi ius non eſſet. Cui rei argumentum præbent non tantum verba *huius leg.* indulgentiam *ρητῶς* vnius tantum filii Senatui dandi facientis, *Vnum*, inquit, *dare Senatui* Non Vetetvr. Verum etiam tota illa & prolixa Theodoſii M. conſtitutio, vnde deſumpta eſt, vna cum tot aliis, quas *huic* coniungendas dixi ad *duas ll. ſuperiores*, quæ & ipſæ de earum numero ſunt: Ea ſcil. conſtitutione, inuecta a Tatiano PP. Orientis, & Proculo filio eius P. V. in necem nominatim Curiarum, Theodoſius M. infirmatum iuit; quo pertinet *hac lex* cum *duab. ſuperioribus.* Hinc ſc. præſtationis modum maiorem Curialibus a Tatiano indictum pro calefactione Thermarum Antiochiæ ſubmouet, *d. l. 131.* Inde Curialem ipſum Senatorem fieri nonniſi duobus concurrentibus permittit *d. l. 130.* cum proculdubio ſiue Tatianus, ſiue Proculus eos facilius liberari paterentur. Similiter igitur Theodoſius voluiſſe videtur *hac l.* vel ne Curialis filios tam facile, totue numero Curia liberare poſſet, quam ſiue Tatianus, ſiue Proculus permiſerat. Vel contra id a Tatiano & Proculo ademptum *hac l.* reſtituiſſe, ſic vt Curialis vnum e tribus maribus filiis Senatui Conſtantinopolitano dare poſſet. Vel denique nouum hoc nunc ius a Theodoſio adinuentum replendo Senatui Conſtantinopolitano.

Cœterum *dare* filium Senatui, vt & hoc addam, nihil aliud eſt, quam *ſociare Senatui*, quomodo id eſſert Iuſtinianus *l. vlt. C Iuſt. de Decurionib.* Neque temere *dare:* quia ſcil. in patris poteſtate filius eſt, quem & ideo Curiæ dare poteſt. Quo modo quidam dixit, *vtilem Reip. filium dare.*

De PLEBEIIS *diuitib. in Curiam allegendis.*

CXXXIII. (a) Idem AAA. Siluano Duci & Corr. (b) Limitis Tripolitani.

QVICVNQVE ex numero Plebeiorum, præſentibus ſingulorum (e) Ordinibus ciuitatum, agro, vel pecunia idonei conprobantur, muniis Curialibus adgregentur. Qui vero nullam rei familiaris ſubſtantiam habent, militare in Apparitorum numero non vetentur. Dat. VI. Kal. April. Conſtp. Theod. A. III. & Abund. Coss. [393.]

NOTAE.

NOTAE.

(a) Abeſt hæc *lex* a *Cod. Iuſt. GOTHOFR.*

(b) Siue *Comes*, vt Neſtorius Comes & Dux (Limitis Tripolitani) pariter dicitur *l. vlt. ſup. quorum appell.* De *Duce prouinciæ Tripolitanæ*, Notitia *Imperii fol.* 166. Tripolitanæ prouinciæ mentio quoque *d. l. vlt.* & *l.* 59. *ſup. de appell.* & apud Ammian. *lib.* 28. *cap.* 6. Limitis Tripolitani mentio quoque in *itin. Antonini p.* 73. *Edit. Weſſeling. ID.*

(c) *rr. Singularum. ID.*

COMMENTARIVS.

PLEBEIOS, agris vel Pecuniis locupletes, ad Curiam nominari iubet per Tripolitanam *hac l.* Theodoſius M. pariter vi idem per Myſiam, *l.* 96. *ſup.* Valentinianus per Tuſciam, *l.* 72. *ſup.* & Iulianus Imp. Antiochiæ, *l.* 53. *ſup.* vbi vide quæ notaui ex Iuliani *Miſopogone*. Conſtantius item per Orientem, & forte etiam Antiochiæ, *l.* 33 *ſup.* Conſtantinus per Bithyniam, *l.* 5 *ſup.* addatur eiusdem *lex* 13. *ſupr.* Et tandem tralatitii iuris fuit, vt plebeii, ſubſtantiam muneribus aptam poſſidentes, ſi quando Curialium inopia eſſet, ad Curiam nominari poſſent. (Quis modus autem *huic legi* ſuffecerit? videnda ſingularis Conſtantii *lex* 33. *ſup.*) Quare plebeii huiusmodi idonei, ſi ad aliud corpus ſeſe contuliſſent, inde reuocari poterant ad Curiam: veluti ab Apparitorum ſeu Officialium Ducis vel Iudicis. Scilicet non Curiali tantum ſtirpe ſati, ab Apparitorum officio ad Curiam retrahi potuerant: de quo eſt (*vt omittam* aliorum Principum conſtitutiones) eiusdem Theodoſii *l.* 96. 113. *ſup.* & *l.* 134. *inf.* veterum etiam ii, qui Nominationibus obnoxii erant: veluti veteranorum filii, *l.* 83. *ſup.* & Plebeii idonei facultatibus, *h. l.* Idonei, inquam; nam minus idonei *hac l.* militare in Apparitorum munere non vetantur.

P. 494. I. *Ex* OFFICIIS & DIGNITATIBVS, *Curiales retrahendos.*
2. BONORVM *Curialium poſſeſſores, ad Curiam vocandos.*

CXXXIV. (a) Idem AAA. Rufino PF. P. (b)

OMNES, qui Curiali obſtricti ſanguine, diuerſis ſe Officiorum (c) priuilegiis, & actuum præiudiciis, adgregarunt, reddendos muniis eſſe non ambigas. (d) Eos etiam, qui adepti Honores eſſe dicuntur, debitis ſtatuas functionibus ſubrogandos, (e) manente priuilegio Dignitatis. Ae ne ab his ſententia promenda ſe temperet, quos Præſidalis Officii defendit obſcuritas, quosue (f) nullum munus adlegat (g) Nauiculariæ functionis. Vſque eo ſuper hac re Iudicantis eſt ſententia porrigenda, vt quoniam Curialium fundos, diuerſis titulis, huiuscemodi (h) homines tenere cœperunt, intelligant ſeſe, quos nulla militiæ priuilegia, nulla honorum ſuffragia, non ætatis (i) defenſabit (k) infirmitas, in eorum locum ſuſcipiendis functionibus ſubrogandos, quorum, vel habendo, vel habitando, (l) ſibi patrimonia præſumpſerunt. Dat. prid. Id. April. Conſtantinop. Theod. A. III. & Abundantio Coss. [393.]

NOTAE.

(a) *L.* 43. *Cod. Iuſt. eod. tit.* Iungenda huic, *lex* 14. *ſup. de exactionibus. GOTHOFR.*

(b) *Rufinus* PP. Orientis ſcil. cui præter *hanc leg.* quinque *hoc titulo* conſtitutiones inſcribuntur: de eo plura in *Proſopog. ID.*

(c) Publicorum. *ID.*

(d) *Ambiges*, vulg Cod. Iuſt. & cetera omnia ibi reſecata, & ſubtextus *verſiculus* ex *l.* 137. *inf. ID.*

(e) Id eſt reddendos: pari ſenſu quo *l.* 110. *ſup. ID.*

(f) Et generaliter omnes quos. *ID.*

(g) *Alligat.* Quanquam iſtud tueretur quis, arg *l.* 82. *ſup. ID.*

(h) Pro *cuiuscemodi*, id eſt, cuiuscunque modi ſeu generis homines. Ita & *l.* 9. *inf. de ſcænicis*: Quicunque ex huius modi fæce progeniti: ſic Pacatus *Panegyrico Theodoſii c.* 9. Et *ne contraheres corporis veternum cuiuscemodi ſemper opere inſidiantis otii terſiſſe rubiginem.* Quod in *cuiusquemodi*, non neceſſario emendatur, vnum enim idemque eſt, quomodo ſane Macrobius 1. *Saturnal.* 7. *ID.*

(i) Senectutis, *l.* 118. *ſup. ID.*

(k) *Defenſare*, v. *Gloſſ. ID.*

(l) Παρονομασία hic affectata a Theodoſii M. Quæſtore: *habitando*, nempe poſſeſſiones, ſeu fundos. *ID.*

COMMEN-

COMMENTARIVS.

DEBILITATIS triplici potiſſimum ratione Curiis hae tempeſtate, ſuccurrit Theodoſius M. *hac l.* & *l. 14. ſup. de exactionibus*: quæ *huic*, ceu eiusdem conſtitutionis pars, coaſſanda venit. Triplici inquam ratione debilitatis: vel longinquis itineribus quo pertinet *d. l. 14.* vel Curialibus ad honores & officia varia confugientibus: vel denique translatis in alios Curialium Officiis: Ad quæ duo poſterior pertinet hæc Theodoſianæ Conſtitutionis pars.

Vt de priore dicamus: Pars ſcil. Curialium diuerſis ſeſe Officiorum priuilegiis, & Actuum præiudiciis adgregarant, id eſt diuerſa officia veluti Magiſtratus ſeu actus varios in Republ. geſſerant, quibus ſeſe a Curiali conditione tutos immunesque deinceps ſore putabant. Pars Honores Dignitates, ſeu honorarios Dignitatum codicillos indepti fuerant. Alii Præſidum officiales facti ſuerant. Alii ad alia Corpora ſeſe contulerant. Hos igitur omnes ad Curiam reuocari nunc iubet Theodoſius M. Quod & aliis pluribus *legib.* iam antea iuſſerat: vt nominatim poſtremum illud *l. 96. 113 ſup.* Vt & eos qui ad alia quæcunque Corpora ſeſe contulerant, ſolis Nauiculariis exceptis: ſcilicet qui ad Nauiculariam functionem ſeſe conferebant, a Curia & Curiali nominatione immunes reddebantur: imo ex Curialib. ſæpe nauicularii adſumebantur: vt docent aliæ plures conſtitutiones: puta *lex 5. 14. 17. 19. 25. inf. de nauiculariis*: Quod tamen non probat *lex 149 inf. h. t.* Quod vero dignitates indeptas attinet, etſi Theodoſius velit Curiales ad debitas functiones teneri, attamen priuilegia Dignitatum his conſtare ſeu manere vult. Quod notandum aliisque plurib. iam *ſupra* cautum. Et hæc de priore *huius l.* capite.

Poſterius caput reſpicit fundos Curialium in alios translatos: qua re Curiæ plurimum debilitatæ fuerant. Igitur eorum fundorum *Poſſeſſores* in Curialium locum ſuſcipiendis Curialibus functionibus ſubrogari iubet *hac l.* Theodoſius M. Cum tamen *l. 107. 123 ſup.* ad denariſmum tantum, ſeu vnciarum præſtationem fundorum Curialium ex cauſa lucratiua poſſeſſores teneri voluerit. Verum iſta fuit Theodoſii hac parte nunc ſeueritas: *Vſque eo*, inquit, *ſuper hac re Iudicantis eſt ſententia porrigenda*: proculdubio quia ea prædia ſine decreto alienata, occupata fuerant: cuius rei alioquin pœna alia ab eodem propoſita iam ante *hanc leg.* vt comparator pretio & loco multaretur, *l. 1. inf. de prædiis & mancip.* Et hoc tamen *capite*, tres exceptiones & excuſationes admittit additque Theodoſius M. nempe bonorum Curialium poſſeſſores ad Curiam vocandos, niſi 1. *militiæ* alicuius priuilegio defendantur. 2. vel *bonorum* ſuffragiis: 3. vel *Ætatis* infirmitate. Quæ ſane excuſationum cauſæ in commune Curialibus tributæ: de quibus iam *ſup.*

P. 477. VACATIO *temporaria, a Curiæ muneribus quando data valeat.*

CXXXV. (a) Idem AAA. Rufino PF. P. (b)

NVLLVS vacationem temporariam (c) Curialis accipiat, niſi id forte veris ac probatis cauſis Annotatio (d) noſtra conceſſerit. Dat. prid. Non. Iun. Conſtp, Theod. A. III. & Abundantio Coss. [393.]

NOTAE.

(a) *L. vn. Cod. Iuſt. de his qui a Principe vacationem acceperunt.* GOTHOFR.
(b) Orientis: cui præter *hanc leg.* quinque præterea *hoc tit.* inſcribuntur, *ID.*
(c) *Temporalem* vulg. Cod. Iuſt. *ID.*
(d) *V. l. 137. & 139. infr. ID.*

COMMENTARIVS.

VACATIONEM Temporariam a Curialibus muneribus Curiali quandoque dari veris & probatis cauſis æquitas poſtulabat: ſontica forte aliqua cauſa intercedente. Hanc porro Vacationis Temporariæ dandæ poteſtatem cum Iudices ſeu Rectores prouinciarum ſibi vindicarent, idque in Curiarum ſæpe damnum fieret, hanc eis poteſtatem Principes ſæpe ademptum iuere: Conſtantinus M. *l. 1. ſupr. hoc tit.* Theodoſius M. *hac l.* hac poteſtate ſibi tantum ſuæque adnotationi ſeruata: vacationis, inquam nominatim temporariæ: Liberari enim a Curia in totum, ne Principis quidem beneficio vel Adnotatione Curialis potuit; *l. 10. 13. 27. 102. 137. 139. 154. 156. h. t.*

Et modum tamen adhuc rei huic adhibet: nempe vacationem temporariam ita a ſe impetratam tum demum valere vult, ſi *veris ac probatis cauſis* eam tribuerit: Quo pertinet quoque *lex 1. infr. de his qui numero liber.* & *tit. Cod. Iuſt. de his qui a Princip. vacationem acceperint*, in quem tit. hæc *lex* collata eſt: & *tit. Cod. eod. ſi tutor vel curator falſis allegationibus excuſatus ſit.*

Neque DEBITOS *Curiæ, excuſandos: neque Non* DEBITOS, *allegendos.*

CXXXVI. (a) Idem AAA. Rufino PF. P. (b)

NEc debitis (c) Curiæ licitum poteſt eſſe, negare aut vitare, quod declinare non poſſunt; nec Curiis eſſe liberum debet, eos expetere, quos iuſtis adſertos priuilegiis non poterunt obtinere. Dat. IX. Kalend. Iul. Conſtantinop. Theod. A. III. & Abundautio Coss. [393.]

NOTAE.

(a) Abeſt hæc *lex* a *Cod. Iuſt. GOTHOFR.*

(b) Rufinus PP. ſub Theodoſio M. Orientis ſcil. cui quinque præterea Conſtitutiones *hoc tit.* inſcribuntur: vid. de eo *Proſopogr. ID.*

(c) Id eſt, ii qui Curiæ debentur, qui Curiæ tenentur. Ita quoque *leg.* 139. *infr. Curiæ debiti.* Ita quoque *leg.* 162. *infr. ID.*

COMMENTARIVS.

GENERALE & VAGVM hoc e Theodoſii M. conſtitutione caput eſt, neque ad quam propriæ ſpeciem referendum ſit, ſciri poteſt: Fibulam tantum generalem imponit, vt Curialibus ita & Curiis: illis, ne *Immunitates* ſibi indebitas vindicent: his, ne iuſtis *priuilegiis*, id eſt, *Immunitate munitos* ad Curiam deuocent. Et proculdubio fuit hoc tantummodo maioris & ſpecialioris alicuius Conſtitutionis præambulum monitumque generale. Quare huc pertinentia alia ex *Paratitlo* arceſſi poſſunt.

---

1. *De* RETRAHENDIS *vndecumque Curialibus.* 2. *De* INCOLIS *&* VACANTIBVS *allegendis.* 3. *At non* MATERNI *Generis ratione.*

CXXXVII. (a) Idem AAA. Rufino PF. P. (b)

OMNES, qui Municipibus (c) genere aut actu (d) tenentur obnoxii, a Militia vel a quibuslibet retrahi mandamus Officiis: nec * Reſcripta, aut Adnotationes, (e) ad munerum fugam prodeſſe permittimus. Incolas etiam, & Vacantes, (f) qui tamen idonei ſunt, iubemus adſtringi. Nullus ** ſane ſolis (g) materni ſanguinis vinculis illigetur: (h) quia *Mulierum* (i) *infirmitas nunquam huiuſmodi functionibus reddit obnoxios, a quibus ipſa habeatur* (k) *immunis.* Dat. V. Id. Aug. Conſtp. Theod. A. III. & Abundantio Coss. [393.]

NOTAE.

(a) Abeſt *hæc lex* a *Cod. Iuſt.* Niſi quod verſiculus, *Nec reſcripta,* ſubtextus eſt *legi* 43. *Cod. eod* & *lex* 44. *Cod. eod.* deſumpta eſt ex vltimo verſiculo, *nullus.* Iungendaque ei famoſa *lex vn. ſupr. ſi quis Imperatori maledix.* GOTHOFR.

p. 498. (b) Orientis, cui ſex in vniuerſum *hoc tit.* conſtitutiones inſcribuntur. *ID.*

(c) *Municipibus,* id eſt Curialibus: v. *Paratitlon. ID.*

(d) Ita *lex* 177. *actu muneris ipſius:* iam Curiales ἔμμηνοι: *Ordinarii* vocantur, *l.* 16. *infr. de Nauicul.* id eſt, iam in Ordinibus Curiarum conſtituti. *ID.*

* Verſiculus hic ſubtextus a Triboniano *legi* 43. *Cod. Iuſt. de Decurion.* quæ alioquin deſumpta eſt ex *lege* 134. *infra. ID.*

(e) V. *l.* 135. *ſupr.* & *l.* 139. *infr. ID.*

(f) Non eſt mutanda hæc vox, in *vagantes. ID.*

** Lex 44. *C. Iuſt. eod. tit.* hinc deſumpta eſt. *ID.*

(g) *Solius.* Cod. Iuſt. *ID.*

(h) Municipibus, ſeu Curiis. *ID.*

(i) *Mulieris.* Cod. Iuſtin. nonnullæ Edition. verum hæc numeri mutatio frequens hoc æuo: Imo etiam eius exemplum extat *leg.* 150. *infra. ID.*

(k) *Habetur,* vulg. Cod. I. *ID.*

COMMENTARIVS.

GENERA varia hominum, qui ad Curiam reuocari, vel etiam vocari nunc primum ſeu Nominari poſſint & debeant, qui vero non; *hac lege* proponit Theodoſius M. Curiis replendis ſerio incumbens, ſcripta *lege* ad Rufinum PP. Reuocari inquam: ſcilicet omnes Curiali genere ortos, vel etiam

iam Curiæ iam obnoxios actu ipſo (qui *ordinarii* vocantur *l.16. infr. de nauicul.* quia iam in ordine Curialium conſtituti) & vt loquitur *lex 164.* initis iam muneribus, & ſimilline *l.177. infr.* actu muneris ipſius, reuocari iubet: Non obſtante Militia, armata forte, de quo (vt omittam aliorum Principum conſtitutiones) ſunt præterea eiuſdem Theodoſii M. *lex 87. 113. ſupr. l. 3. de Tabulariis.* Non obſtante etiam quolibet officio. Nec quicquam tertio loco iuuante Reſcripto vel Adnotatione Principis: quod Tribonianus ſubtexuit *legi 43. C. Iuſt. de Decurion.* cuius prior pars deſumpta ex *l. 134. ſupr.* Quæ & Ipſa mens aliis Imperatoribus, vt Theodoſio ipſi, ſtetit *Len.13.17.102. ſup* & *l. 139.* & Honorio *l.154.156. infr.* Et hæc de reuocandis Curialibus vel Curiæ debitis: Quæ & ipſa ſententia fuit (vt alias omittam) omnium reliquarum Theodoſii M. conſtitutionum quæ ad eundem Rufinum Præfectum Prætorio datæ ſunt *hoc titulo:* puta *legis* 129.134. 135. 136. *ſupr.* & *l.* 139. *infr.* Quæ *leges* omnes intra ſeſqui annum datæ ſunt. Vnde colligere licet inde quam deſolatæ fuerint hoc tempore Curiæ; inde quantopere res hæc non tantum Theodoſio Imp. verum Rufino iſti PP. curæ fuerit. Mirum vero nihil his omnibus *legibus* nuncupatim de Curialibus Clericis factis ad Curiam retrahendis contineri, (niſi forte ipſa generalitate, comprehenſi fuerint, cum tamen Ambroſius hoc ipſo Anno, vel ſane proximo 394. vt oſtendo ad *l. 9. infr. de Iudæis:* (quo data eſt *d l.139. infr.*) *ep* 29. ſiu *lib.2. epiſt.17. p.215. Tom.V. Oper. Edit. Paris.* 1614. ad ipſummet Theodoſium conqueratur, Presbyteros & Miniſtros Eccleſiæ tum nulla præſcriptione temporis obſtante, a munere ſacro retractos, Curiæque deputatos: *Quomodo hoc purgabo factum? Quomodo excuſabo apud Epiſcopos? Qui* N v n c, *quia per triginta & innumeros annos Presbyteri quidam gradu functi, vel Miniſtri Eccleſiæ retrahuntur a munere ſacro & Curiæ deputantur, grauiter gemunt. Nam cum ii qui vobis militant, certa militiæ tempore ſeruentur, quanto magis etiam eos conſiderare debetis qui Deo militant? Quomodo inquam hoc excuſabo apud Epiſcopos, qui queruntur de Clericis, & impreſſione graui vaſtari ſcribunt Eccleſias? Hoc tamen in notitiam Clementiæ Tuæ peruenire volui, de hoc vt placet, arbitrio tuo conſulere & temperare dignaberis.* Et hæc quidem de Curialibus reuocari iuſſis.

Vocari etiam ſeu Nominari ad Curiam *Incolas* & *vacantes* idoneos iubet: *Incolas;* quod & ipſum antea conſtitutum, & obtinuit *leg. 5. in fin.* 11.46.52. *ſupr.* & poſtea *l.141. infr. Vacantes,* hæc enim lectio retinenda, neque in *Vagantes* mutanda (de qua voce, vt & de *Vacantiuis,* dico ad *l. vn. infr. de mancipib.*) id eſt, nulli certo corpori adſtrictos, nulla Corpori ſocietate coniuncti; quod & ipſum cautum poſtea ab Honorio *l.179. infr. hoc tit.* Sic quoque Valentinianus Iun. & Theodoſius Idoneos ex otioſis functioni Mancipatus addici voluere, *l. vn. infr. de mancipib.* (cui addendus & geminus locus Symmachi *lib.10. ep.58.*) ad quam *l. infr.* plura: & quidem de voce *Vacantium.* Sic Gratianus omnes vacuos publico officio in complexum Ordinis Nauicu- P. 471. larii applicari voluit, *l. 3. infr de naufr.* Cæterum exigit *hac leg.* Theodoſius M. vt incolæ hi & vacantes *idonei* ſint, facultatibus ſcil. ſic & Valentinianus III. *Nou. inter Theod. 38. in fin.* ciues vel incolas in nullo obnoxios, quorum ſubſtantia ſummam 300. ſolidorum egrediatur Curiæ ſociari voluit: qui non haberent, Clericos fieri permiſit. Et hoc de his, quos ad Curiam ſiue reuocari, ſiue nominari voluit *hac leg.* Theodoſius Magnus.

Atenim extremo *huius leg.* capite, quod relatum in *l. 44. Cod. Iuſt. eod. tit.* vt proinde non ſit ad *hanc l.* admittenda Accurſii Gloſſa, *hanc l.* ad eum caſum arctantis, quo videl. patris conditio filium alio trahit. Simpliciter enim & abſolute id *hac l.* negatur. Ad Curiam nominari non vult aliquem ideo ſolum, quod Matre Curiali ortus ſit: Sic & Valentinianus Iun. matris originem hac in re ſpectari noluit *l. 101. ſupr.* Quare abrogatum *hac l.* Antiochenorum priuilegium videatur, de quo eſt Iuliani *lex 51. ſupr.* & Zoſimus *lib. 3. cap. 11. in fin.* & *l. 61. 62. Cod. Iuſt. de Decurion.* Et poſtea tamen Honorius matre ingenua Curiali natum, Curia teneri voluit in ſp. *l. 178.* & *179. infr.* vbi vide quæ dicam. Ratio interim quæ *hac l.* redditur, notanda: quæ eo tandem reducitur, neminem alium ab altero conditioni alicui illigari, qui ipſe ab ea immunis ſit: nam quæ alia huc Interpretes adſerunt, hinc aliena ſint.

Illud tandem obſeruandum, *huic l.* coaſſandam eſſe famoſam *l. vn ſupr. ſi quis Imperatori maledixerit.* tanquam eiuſdem Conſtitutionis partem; etſi nulla Argumenti affinitate inter ſe cohæreant: Quanquam vide quæ *ibi* dixi.

EMERITOS *Honoraria vel Senatoria dignitate decoratos, & ab Equorum præſtatione, & a Senatoria gleba immunes eſſe.*

CXXXVIII. (a) Idem AAA. Aureliano PF. P. (b)

Cvriales, qui gradu meritorum vsque ad Honorariam peruenerint dignitatem, nulla equorum præſtatio maneat, ne (c) gleba Senatoria ab his poſcatur, quos non (d) ita fecit obligatos. Dat. VI. Id. Decembr. Conſtantinop. Theod. A. III. & Abundantio Coss. [393.]

NOTAE.

(a) Abeſt hæc *lex* a *Cod. Iuſt.* GOTHOFR.

(b) PP. vt *l.* 131. 132. *ſupr.* & *l. 3. ſupr. de conſtit. Principum,* hoc ipſo Anno. Atenim in *l.* 130. *ſupr.* & aliis plurimis eiuſdem Anni, *P. V.* recte, *ID.*

 (c) An

(c) An reponendum *Nec*? An vero, *ſed*? *ID.*

(d) Reponebat V. C. Iuretus, *in Symm. lib. 4. ep. 62. Nouitas*: de quo mox. *ID.*

COMMENTARIVS.

DE Curialibus, qui gradu meritorum, id eſt, muneribus perfuncti, poſt præſtita patriæ munera, DIGNITATE aliqua honoraria, & ſic SENATORIA honorati ſiut, eſt hæc Theodoſii M. conſtitutio. Quæ vt intelligatur, tria prænoſcenda ſunt.

Primo, Curialibus, qui perfuncti omnibus patriæ muneribus erant, varia priuilegia conceſſa, variosque honores collatos, ad honeſtas promotiones eos perueniſſe: Comitiua honoratos, vel *Præſidatus* honore ſeu prærogatiua: *l. 4. 14. 109. ſupr.* & *l. 189 infr.* Quæ *Honoraria* dignitas hic vocatur: de quo plena *ſuo titulo ſupra, libr. 6. de honorar. codicillis.* Et ipſi hac dignitate decorati, dicti *Honorati*, vel etiam Honorarii. Vid. etiam *l. vn. ſupr. de oblat. equorum.*

Secundo, repetendum eſt, Senatores peculiari cuidam deſcriptioni ſeu præſtationi, Senatoriæ ſcil. glebæ obnoxios fuiſſe: de quo *ſſo tit. lib. 6. de Senatorib. & glebal. collat.*

Tandem prænoſcendum, ab Honoratis, extra Ordinem pro rerum neceſſitate, vt vſus armorum inſtrueretur, caſtrenſi vſu efflagitante, equos exactos: de qua collatione, fuit *ſupr. tit. 17. lib. 11. de Equorum collat.* vbi conſulendum *Paratitlon*: Eſt & Symmachi locus, *lib. 10. ep. 27.*

Quarto præſtruendum, ab vtraque præſtatione & glebali, Senatores quosdam, & equorum collatione Honoratos quosdam exceptos fuiſſe; quorum notitia ſumenda ex *Paratitlo illorum titulorum*, & *tit. qui a præbitione tironum & equorum.*

His ita præmiſſis, Theodoſius M. hoc numero eſſe voluit Curiales, qui perfuncti patriæ muneribus, Honorarii ſeu Senatores facti fuiſſent, nempe vt & ii ab equorum collatione immunes eſſent, imo & a Senatoria ſeu glebali collatione: *Nec* (ita ſcil. repono) *Gleba Senatoria ab his poſcatur, quas non ita fecit obligatas.* Vbi V. CL. Iuretus in *Symmachi lib. 4. ep. 62. p. 143. Edit. Paris. 1604* reponebat, *nouitas*; loco, *non ita.* Forte vtrumque recta retineas hoc modo, *quas nouitas non ita fecit obligatas. Nouitas*, id eſt, noua allectio, quomodo & nouitas dicitur *l. 54. ſupr. hoc tit.* Νεόβυλος Syneſiu *Epiſt. 38. in fin.* (de qua voce dixi *ad leg. 4. ſupr. de Senat. & glebal.*) Alioquin eodem ſemper ſenſu omiſſa voce *nouitas*, verba illa, *non ita fecit*, relata ad ſuperiora, *honorariam dignitatem*, hunc ſenſum habeant; Honorariam ſeu Senatoriam dignitatem, quoad cætera quidem, honores inquam & προνόμια, Curialibus pro merito promotis prodeſſe: quoad onera vero non obligare: *Non ita feciſſe obligatas.* NON ITA, id eſt, non ſic, vt onera Honorariæ ſeu Senatoriæ dignitatis agnoſcerent. Ergo in præſenti caſu *nouus* hic Honoratus & Senator ex Curiali factus, neque vt Senator Senatoriam glebam agnoſcere debet, neque vt Honoratus, extraordinariam collationem: Si modo hic pro *ne*, *nec*, reponamus. Et p. 480.
tamen putet quis contra hic legendum, pro *ne*, *ſed*, vel *næ*, vel tale quid: & pro NON ITA, *nouitas*: vt id velit Imperator, etſi hic de quo *h. leg.* agitur ad extraordinariam collationem adigi non poſſit, attamen ad Senatoriam glebam obligatum eſſe.

Tandem extat quoque Syneſii *epiſtola*, ad hunc eundem *Aurelianum*, *38.* in eodem argumento, at non eadem ſpecie verſans, quam excutio ad *l. 4. ſupr. de Senator. & glebal. collat.* niſi vocem *Curiales* hic inducamus, eamque ad Inſcriptionem redactam minime temus in *Orientali*, vel niſi dicamus, eandem ſpeciem eſſe, quam Syneſius ipſe non intellexerat. Quod cogitandum relinquitur.

---

1. *De* RETRAHENDIS *Curialibus ex militia.* 2. *De bonis eorum qui ad* OFFICIA *externa tranſierunt, Curiæ vindicandis.*

CXXXIX. (a) Idem AAA. Rufino PF. P. (b)

OMNES ilico, qui Curiis debiti *Militarint*, (c) patriis (d) muneribus reſtitui oportet. In qua re Sublimis Auctoritas Tua prouidebit, vt de ſingulorum nominibus ad Sedem Veſtram ſingulæ quæque referant Ciuitates, ne quis diſſimulatione ſuggerentium delitescat, vt cuncti ſine fruſtratione aliqua reſtituti, Curiarum munus (e) cum omni poſteritate deſeruiant. Quod ita fixum volumus intemeratumque ſeruari, vt aduerſum hoc Poteſtas, nulla (f) denique Adnotatio (g) audiatur. Quod ſi quis ex illis in Officia externa tranſierit, omnis eius ſubſtantia iure Curiæ & poſſeſſione teneatur. Dat. III. Kal. Iun. (h) Conſtp. (i) Arcad. III. & Honor. II. AA. Coss. [394.]

NOTAE.

(a) Abeſt hæc *lex* a *Cod. Iuſt.* Iungenda forte huic, *lex 12. infr. de ſcænic.* & *l. 18. ſupr. de cohortal.* GOTHOFR.

(b) Orientis: cui ſex *hoc tit.* conſtitutiones, a quibus hæc vltima, inſcribuntur. *ID.*

(c) Vbi? *ID.*

(d) Paternis. *ID.*

(e) *γρ. Muniis.* Ita deſeruire obſequiis religioſis, *l. 26. infr. de Epiſc.* oneri deſeruire *l. 4. infr. de Nauicul.* Quanquam & iſtud ſuſtineri poſſit. *Deſeruire* ſcil. muniis, vel *munus*. *ID.*

(f) *vſ.* NVLLA, id eſt, *nulla, nulla. ID.*

(g) Vide *l.* 135. 137. *ſupr. ID.*

(h) Iul. *d. l.* 12. *ID.*

(i) Heracliæ additum *d. l.* 18. & *d. l.* 12. *ID.*

COMMENTARIVS.

A MILITIA, Curiæ debitos, retrahi iubet *hac poſtrema lege* Theodoſius M. nec quicquam contra valitura aut Poteſtate vlla, aut Reſcripto: Item eorum qui ad OFFICIA externa tranſierunt bona Curiæ vindicanda. De quo iam ſæpe *ſupr.* Et hoc ipſo tamen tempore Ambroſius *ep. ſua 29.* iiu. *lib. 2. epiſt. 17. p. 215. Tom. V. Oper. Edit. Paris 1614.* ad Theodoſium M. Imp. queritur, Presbyteros quoſdam diu gradu functos & miniſtros Eccleſiæ, retractos a munere ſacro & Curiæ deputatos: cum tamen ii, *qui Imperatori militarent, certo militiæ tempore ſeruarentur.*

Illud peculiare habet hæc *lex*, quod ad executionem *huius l.* iubeat, ſingulas ciuitates de ſingulorum Curialium nominibus, qui Curiis ſeſe ſubduxere, ad Præfectum Prætorio *referre*, ne diſſimulationi vel fruſtrationi locus eſſe poſſit.

Qui NOMINANDI *ad munera.*

CXL. (a) Impp. Arcad. & HONOR. AA. Theodoro PF. P. (b)

AD ſubeunda patriæ munera, digniſſimi, & meritis & facultatibus, eligantur: (c) ne tales (d) forte nominentur, qui functiones publicas implere non poſſint. (e) Dat. XIII. Kal Febr. Olybrio & Probino Coss. [395.]

NOTAE.

(a) L. 46. *Cod. Iuſt. hoc tit.* Hanc *legem* ſuam indicare mihi videtur Honorius, *l.* 148. *infr.* vbi *lex* hæc totidem pene verbis repetita extat. Quanquam eſt vbi *ea*, ab *hac* recedit. *GOTHOF.*

(b) *Theodorus* ſub Honorio PP. Galliarum: hoc Anno 395. vt aperte teſtatur Claudianus, *panegyrico in huius Theodori Conſulatum*, A. 399. quem vide *a verſu* 47. & Symmachus, *lib.* 9. *ep.* 23. Eidem inſcribitur & *l.* 148. *infr.* vbi hæc *lex* reperitur. Poſtea A. D. 397. 398. 399. PP. Italiæ fuit. vid. *l.* 157. *infr. h. tit. ID.*

(c) *Curiales eligantur*, Cod. Iuſt *ID*

(d) Ita quoque *d. l.* 46. *C. Iuſt.* At *d. l.* 148. *infr. nec huiuſmodi nominentur. ID.*

(e) *Poſſunt*, Cod. I. *ID.*

P. 481. COMMENTARIVS.

ARCADII, HONORII, & THEODOSII Iunioris, VALENTINIANIQVE III. conſtitutiones ſequuntur ad *finem tituli.* Et quia hæc prima omnium lex eſt Honorii, ideo Honorianarum conſtitutionum *hoc titulo* ſynopſin breuiter propoſnam, quæ ſunt vigintiſeptem: (puta *lex* 140. 141. 142. 143. 144. 145. 146 147. 148. 149. 150. 151. 153. 154. 155. 156. 157. 158. 161. 162. 166. 170. 171. 174. 176. 178. 179. 181.) Ex quarum potiſſima parte diſcere eſt, quanta ſub Honorio per Occidentis Imperium, Italiæ inquam, & Galliarum Præfecturam, Curialium penuria fuerit, quanta Curiarum & Curialium munerum fuga, præcipitante iam Imperio. Ad ſequentia igitur capita Honorianas illas conſtitutiones refero.

Primum caput eſto, de *Nominationum* forma. Nempe digniſſimos Curiales eligendos, *hac l.* 140. A maiore Curiæ parte, *l.* 142. *inf.* Ad Curiam vocandos homines etiam Incolatus ratione, *l.* 141. ex fœminis Curialibus & ſeruis alienis ſuſceptos, *l.* 178. 179. ex Vacantibus *l.* 179. Principales nominatim quindecennales eſſe oportere: *l.* 171. eligendosque ſine ordinis præiudicio probatos, *dict. l.* 171. Sacerdotes quoque digniſſimos eligendos, *l.* 148. non tamen inuitos Sacerdotum filios ad id cogendos, *l.* 166.

Secundo capite *Duumuiris* fibula imponitur, ne poteſtatem faſcium extra metas Ciuitatis extollant: *l.* 174.

Tertium caput eſt de *ſacerdotibus* (de quorum electione iam actum primo capite:) Reſtituti ſcilicet ii ab Honorio cuique ciuitati ſuæ, ad ludorum editionem, *l.* 145. 174. 176.

Quartum caput eſt de retrahendis Curialibus eorumque filiis ad Curiam: de quo generales ſunt *leges*, puta 170. 181. Apud Iudicem prouinciæ repetendos, feſtina cognitione imo etiam manu iniecta, *d. l.* 164. 181. Retrahendos autem quocunque tandem ſeſe contulerint: ſiue peregrinentur & abſint, quo caſu quid faciendum ſit, definit *lex* 143. 144. 161. *h. t.* ſiue Militiæ alicui ſe ſociauerint, *dict. l.* 143. 144. 154. 179. 181. *inf.* ſiue militiæ Armatæ, Palatinæ, Officiali ſe vel Apparitioni Prætorianæ dederint, *l.* 147. 154. ſiue ſub Potentium vmbra lateant: *l.* 146. ſiue ad Nauiculariam functionem ſe dederint, *l.* 149. ſiue Teſtimoniales ex Tribunis & Protectoribus impetrauerint, *l.* 153. 156. etſi Iudæi, *l.* 157. 158. Pœnæque propoſitæ in occultatores, *l.* 146. & 162.

Quinto capite forma *Actorum* Curialium, ſeu municipalium faciendorum præſcribitur, *l.* 151.

Tandem de Priuilegiis Principalium agitur *l.* 171.

Huius igitur Honorii *legis*, cuius ipſe meminiſſe videtur *l.* 148. *inf.* ſententia apertiſſima hæc eſt:

Nominandos ad munera publica dignisſimos, qui munera publica implere poſſiot: *digniſſimos* inquam, meritis & facultatibus (in his ſc. *duobus* dignitas, vbi de muneribus publicis ſubeundis agitur, conſiſtit:) Quod ſane diſerte ab eodem Honorio rurſum ſancitur circa Principales *l* 171. Quod de Sacerdote prouinciæ nominatim *hac l.* cautum indicat *lex* 148. vbi eadem prope *huius l.* verba proponuntur, & hæc *lex* indicatur. Quo pertinet quod dicitur a Paulo, *in l. 7. in pr. D. eod. tit. honores & munera non ordinationi, ſed potioribus iniungenda. Ordinationi* inquam, quæ vox non eſt ſollicitanda; *ordinationi*, id eſt *ordini*, quo quis ordinatur, ſeu ordinis rationi, ſecundum ordinem, vt quisque in ordinem allectus eſt: Sic & in tutelis potior quis eſſe debat, non gradu generis, ſed & ſubſtantia rei familiaris, Paulus II. *ſent.* 28. *§.* 2. Ordinationis vox propria quoque in Decurionib. *l.* 118. *ſup* χειροτονίας. Ergo nominari vult dignisſimos Honorius, & idoneos facultatibus: pariter vt ſtatuitur *l.* 13 33. 53 72. 96. 133. *ſup.* Quod tamen non factum cum magno Curiarum damno hæc *lex* arguit. Sicuti in Antiochenæ Curiæ Nominationibus ad Curiam quoque olim arguabat Iulianus *in Miſopogone ſuo*, & *l.* 53. *ſup.* vnde dicta huc quoque arceſſi poſſunt.

De INCOLATVS *iure.*

CXLI. (a) Idem AA. Ennoio (b) Proc. Afric.

Inconcvssa volumus permanere, quæ de incolatus iure antiquitus ſunt conſtituta. Dat. XVII Kal. Iun. Med. Olybrio & Probino Coss. [395.]

NOTAE.

(a) Abeſt hæc *lex* a *Cod. Iuſt.* & Iungendæ ei *leges* quatuor ſequentes: vna cum *l.* 53. *ſup. de appellat.* Forte etiam *lex* 149. *inf.* & *lex* 25. *inf. de Naviculor. GOTHOFR.*

(b) Sic quoque quatuor *legib* ſequentibus: imo & *l.* 149. *infr.* & *dict. l.* 53. At *l.* 25. *infr. de navicul.* & *l.* 16. *Cod Iuſt. de iure delib.* Ennodio, imo in Cod. Iuſt. nonnullis exemplar. *Annodio. ID.*

p.482. *In* NOMINATIONIBVS *faciendis duæ partes Curiæ ſufficiunt.*

CXLII. (a) Idem AA. Ennoio Proc. Afric.

Nominationvm forma vacillare non debet, ſi omnes, qui albo (b) Curiæ continentur, (c) adeſſe non poſſunt; ne paucorum abſentia, ſiue neceſſaria, ſiue fortuita, debilitet quod a maiore parte Ordinis ſalubriter fuerit conſtitutum: Cum duæ partes Ordinis in vrbe poſitæ totius Curiæ inſtar exhibeant &c. Dat. XVII. Kal. Iun, Med Olybrio & Probino Coss. [395.]

NOTAE.

(a) *L.* 45. *C. Iuſt. eod. tit.* Quibus hæc *lex* iungenda ſit? iam dixi ad *legem ſuperiorem. GOTHOFR.*

(b) De Albo Curiæ, in quo nomina Curialium deſcripta erant, vid. *leg.* 48. *ſup.* & *tit. D. de Albo ſcribendo*: Iulianum *Miſopogone, pag.* 367. *Edit. Lipſ Spanhem.* Syneſium *epiſt.* 92. *ID.*

(c) *Detinentur*, C. Iuſt. *ID.*

REFVGARVM EVAGANTIVM *Curialium intra quinquennium non recurrentium pœna.*

CXLIII. (a) Idem AA. Ennoio Proc. Afric.

Fravdem ciuium non ferendam in diſpendium ire ciuitatum animaduertimus, cum Municipes, (b) aut peregrinando, munera ciuitatum, aut militiæ ambitione, declinant: Intra quinquennium igitur, niſi ad Curiam reuerterint, (c) facultates eorum pro muneribus & oneribus Curiæ addici decernimus. Dat. XVII. Kal. Iun. Med. Olybrio & Probino Coss. [395.]

NOTAE.

(a) Abeſt hæc *lex* a *Cod. Iuſt.* De coniunctione aliarum *legum* iam dixi. *GOTHOFR.*

(b) *Municipes*, id eſt *Curiales h. l.* & *leg. prox.* 144. v. *Paratitlon.* Cæterum hic γρ. *municipes. ID.*

(c) *Reuerterint. ID.*

De Fe-

De Eodem.

CXLIV. (a) Idem AA. Ennoio Proc. Afric.

NE diu in fraudem ciuitatum Municipes (b) euagentur, vel ad militiam ſocientur, niſi intra quinquennium ad ciuitates proprias reuertantur, facultates eorum pro muneribus & oneribus Curiæ addicantur. Dat. XVII. Kal. Iun. Med. Olybrio & Probino Coſs. [395.]

NOTAE.

(a) Abeſt hæc *lex a Cod. Iuſt.* Quænam ei coniungendæ: iam dixi. ***GOTHOFR.***

(b) *Municipes* id eſt Curiales vt *l. prox.* 143. *ſup.* vid. *Gloſſ.*

SACERDOTALES *ludis edendis Karthagine reſtituti.*

CXLV. (a) Idem AA. Ennoio Proc. Afric.

AFRICANI (b) Sacerdotales (c) Karthagini reſtitui, ibique arbitratu ſuo agere cum fauorabili editione placuit: Quod facientes, Diui patris † Noſtri beneficium renouamus. Dat. XVII. Kal. Iun. Med. Olybrio & Probino Coſs. [395.]

NOTAE.

P.483. (a) Abeſt hæc *lex a Cod. Iuſt.* Quibus ea coniungenda ſit: iam indicaui ad *ll. ſuperiores* & mox dicam plenius. ***GOTHOFR.***

(b) *γρ. AfricanoSacerdotales*, id eſt, Africanos Sacerdotales. ***ID.***

(c) De *Sacerdotalibus, inf. paratitlo de paganis.* ***ID.***

† Theodoſii M. ***ID.***

COMMENTARIVS.

AD AFRICÆ Curias & Curiales pertinent QVINQVE hæ *leges*, quæ etiam eiusdem Conſtitutionis Honorianæ ad *Ennoium Proconſulem Africæ* partes ſunt: quæ proinde inter ſe coniungendæ veniunt, quibus inſuper addenda ſexta, indidem deſumpta; puta *lex 53. ſup. de appellat.* quæ etiam argumento conuenit *legi* 142.

Ea conſtitutione Honorius Curiarum per Africam commodis & ſplendori conſultum iuit: Triplici ratione, 1. *Nominationum* videlicet ad Curiam & Curialia munera iure firmato: quo pertinent *tres leges*, puta *lex 141 142* & *d. l. 53. ſupr. de appellation.* Secundo *Retractis* ad Curiam refugis: quo ſpectat *lex 143. 144.* Tertio, *Sacerdotalibus* ludorum editionibus Carthagine reſtitutis, quod fit *l. 145.*

Quod NOMINATIONES attinet, tria capita hæc ſunt. Primum eſt de INCOLIS ad Curiam vocandis, Antiquo iure ea in re firmato, *l. 141.* nempe *Incolatus* ratione ad Curiam incolæ nominari potuere: quod docuit iam ſupra, *lex 5. 12. 46. 52. 77. 137. hoc titulo*; de quo vid. *Paratitlon.*

Secundum eſt (quod vnum retinuit Tribonianus, & retulit in *l. 45. C. Iuſt. eod. tit.*) de FORMVLA Nominationis: nempe, primo ſatis eſſe, ſi duæ partes Ordinis in Vrbe poſitæ adſint, *l. 142.* quod & ipſum iuris tralatitii eſt, neque tantum conſtitutum *hac l. 142.* & *l. 84. ſupr.* vbi iam dixi: verum etiam antiqui, *l. 3. D. de decret. ab Ord. fac. l. 3.* cum *tribus legib. ſeqq. D. quod cuiuſque Vniuerſ. nom.* puta vt maioris partis iudicio ſtetur, & maior pars ſit ſi duæ partes e tribus adſint, de quo ad *d. leg. 84. ſup.* Notanda interim breuis & elegans ſententia: Quod duæ partes Ordinis in Vrbe poſitæ, totius Curiæ inſtar exhibeant. Quod ad alias Vniuerſitates & Corpora recte traduci poteſt. Cæterum ex *huius leg.* initio apparet, nonnullos nominatos, vt nominationes eluderent, fruſtrari ſolitos cauillando numerum Decurionum integrum non adfuiſſe, & ſic nullam eſſe nominationem: Igitur, definit Honorius Nominationum formam non ideo vacillare debere, ſi modo duæ Tertiæ adfuerint. Et quidem duæ Tertiæ, in *Vrbe poſitæ*. Quod explicaui iam ad *d. l. 84.*

Tertium eſt de DIGNIORIBVS eligendis: & præterea Nominationes fieri debere in Conſilio publico, (id eſt tractatu habito, vt dicitur *l. 148. inf.*) quo ſc. digniſſimi eligantur, & quidem ab ipſis Curialibus, quorum intereſt, quique pleniorem idoneorum hominum in Vrbe notitiam habent. Ac non etiam per *Libellos* vel *Edicta*, quod ſtatuitur *d. l. 53. ſup. de appellat.* ſeu *l. 27. Cod. Iuſt. eod. tit.* quæ his *legibus* iungenda eſt, ac nominatim *legi 142.* per Libellos inquam vel edicta ſcil. Rectoris prouinciæ, qui videlicet iubeat, hunc vel illum ad Curiam, vel Curiale munus quoddam vocari. Et hæc de Nominationibus ſeu de primo Capite Honorianæ Conſtitutionis.

Secundum caput ſeu ſecunda ratio Conſtitutionis Honorii eſt de RETRAHENDIS Curialibus fugacibus ad Curiam, ſiue a fuga, ſiue a Militia. Frequens enim hæc Curialium fuga, hoc etiam æuo vt in Occidente, ita & in Oriente: cuius exemplum hac ætate ipſa in Syneſii fratre, vt ex *epiſt. eius 92. ad Heſychium*, diſcimus: vbi & meminit multæ, ζημίας nomine exactæ. Eſt inquam locus ille de Curialibus, non de Senatoribus, vt interpres male. Hac *leg.* Honorius quinquennii ſpatium his tribuit, intra quod reuertantur, alioquin bonis eorum Curiæ vindicandis. Quod quidem his cauetur *l. 143.* & *144.*

&*144.* quæ ex eadem conſtitutione deſumptæ totidem pene verbis. Vt mirum videatur, Codicis huius conditores (quod inter næuos eorum pono) eandem ſententiam ex eadem conſtitutione conſequenter bis poſuiſſe. Quomodo etiam mirum, in quinque ſententias vnam hic conſtitutionem diſcerptam, cum alias vno capite exhiberi ferme ſoleant omnes eodem pertinentes. Sed enim idem rurſum factum vel *hoc ipſo titulo*, in diſcerpenda vna Honorii conſtitutione ad Florentinum P. V. in *quatuor leges:* quæ continentur *l. 153. 154. 155. 156.* & alia Theodoſii Iunioris, in *quatuor ll. 189. 190. 191. 192.*

Poſtremo capite Honorius SACERDOTALES Africanos Karthagini reſtitui iubet ibique eos arbitratu ſuo agere cum fauorabili editione; id eſt ludos, ſi velint, edere, priuilegio iouicem hac parte Theodoſii M. patris ſui renouato. Vbi tria obſeruanda veniunt (nam de *Sacerdotalibus* quinam fuerint abunde monuit *Paratitlon huius tituli*, & *de paganis inf.*) Primo, quidnam illud ſit quod *reſtitui* iubeat *Africanos Sacerdotales Karthagini:* Inde enim colligi videtur, eos Karthagine antea pulſos fuiſſe. De ſacerdotibus ſane ſeu Sacerdotibus Africanis præter *hanc l.* eſt *lex vlt. ſup. de Tironibus. lex 21. 46. ſup. lex 166. 174. 176. inf. h. t. lex 2. inf. quemadm. mun. ciuil. l. 52. 54. inf. de hæreticis.* Videtur itaque Theodoſius M. eos ſummouiſſe medio Principatu ſuo; mox tamen Honorium a Karthaginenſibus exoratum, videri voluiſſe Theodoſium patrem ſuom eos reſtituturum fuiſſe, niſi mors eum præueniſſet: Idque Honorius more Principum qui noui, vel renouati iuris inuidiam a ſe amoliri ſatagentes, ſimul etiam videri volebant, ſuperiores ætate Principes ac maxime, quorum in recenti gratiſſima memoria eſſet, de ea iam agitaſſe, *Quod facientes*, inquit Honorius, *Diui patris noſtri beneficium renouamus.* Ergo cum aliquando ſacerdotales Africani Karthagine ſobmoti fuiſſent, Populo Karthaginenſi id poſtulante (vtpote *populo* ludicris maxime dedito) Honorius eos reſtitutum iuit *hac l.* & quidem ſic vt ſatis oſtendat, quantum Karthagineoſiom voluptatibus indulſerit: Pariter vt Gratianus, qui & ipſe Gymnicum agonem ibidem ſublatum reſtitutum iuit, *l. 3. inf. de ſcænicis;* quæ conſulenda eſt: & quidem in eo quoque quod pariter Primatum arbitrio Gymnici agonis conditionem remittit; ſicut Honorius *h. l.* ſacerdotum arbitrio ludorum editionem.

De quibus Sacerdotalibus editionibus eſt præ- P. 484.
terea *l. 2. infr. de expenſ. ludorum: l. 1. inf. de Spectaculis: lex 109. ſupr. hoc tit.* vbi pariter Theodoſius, neminem ad Agonotheſiam cogi vult, & *lex 176. infr. h. tit.*

De quibusnam autem *Sacerdotalibus* hæc *lex* accipienda eſt, an de ipſiſmet Karthaginenſib. quaſi ipſi antea Carthagine ſubmoti, nunc ab Honorio reſtituantur? Minime: de Africanis, ideſt, quibuscunque quarumcunque prouinciarum Africæ Sacerdotalibus accipiendum eſt: *Africanos* inquit, *Sacerdotales Karthagini reſtitui placuit*, Nempe vt in Oriente aliquando in Vrbe Conſtantinopolitana ludos edere coacti, etiam Illyricianæ Præfecturæ Magiſtratus, ſeu ex Macedonia & Dacia: vt docet *lex 4. infr. de ſpectaculis*, ita & (quod docebit adhuc *lex 178. infr.*) Sacerdotales omnium Africæ prouinciarum Karthaginem commeabant, ibi ludos edituri, & editionibus famam & nomen, tanquam in Principe vrbe, capturi. Quod aliquando ſublatum fuit: ſuam ſcil. cuique prouinciæ & Ciuitati voluptatem, ſuos ludos relictos oportuit: Quod & ipſum diſerte ſtatuitur a Valentiniano Sen. *l. 1. infr. de ſpectaculis:* vbi de eo ex Iuliano & Libanio quoque plura dixi. & poſtea a Theodoſio Ion. *l. 3. & 4. inf. de ſpectaculis.* Et tamen aliter ſtatutum *h. l.* & *d. l. 176.* ab Honorio Imp. Karthaginenſis vrbis voluptatibus fauente: permiſſis Sacerdotalibus Africanis Karthagini arbitratu ſuo agere cum fauorabilibus, aditione *fauorabili*, propria voce, qua ſcilicet fauorem & applauſum populi Karthaginienſis eliciant.

Interim ex *hac l.* & *l. 166. 174. 176. infr.* apparet, Sacerdotia prouinciarum per Africam ſub Honorio outaſſe, ea quam dicam ratione ad *l. 174.* verum Honorium Africanorum voluptatibus & ludis conſulentem, ea erectum iuiſſe.

Aduerſus PATROCINIA *Petentium.*

CXLVI. (a) Idem AA. Dextro PF. P. (b)

MVLTOS animaduertimus, vt debita præſtatione (c) patriam defraudarent, ſub vmbra Potentium latitare: Oportet igitur ſtatui multam, vt quisquis in præſcribti iuris formam inciderit, (d) pro Curiali quinque auri libras fiſco noſtro cogatur inferre: pro Collegiato, (e) vnam. Omnes igitur, quos tegunt expellant, ne Clementia Noſtra ob contumaciam diſſimulantium in maiorem indignationem exurgant. (f) Dat. XVII. (g) Kal. Iul. Med. Olybrio & Probino Coss. [395.]

NOTAE.

(a) Abeſt hæc *lex* a *Cod. Iuſt.* *GOTHOFR.*

(b) *Dexter* ſub Honorio PP. Italiæ, v. *Proſopog.* *ID.*

(c) Vel Curiæ, vel Collegio: *Præſtatio* eſt functio. *ID.*

(d) Ideſt, Curialem vel Collegiatum occultaris. *ID.*

(e) De *Collegiatis* erit infr. *tit. lib.* 14. *ID.*

(f) *yp.* *Exurgat.* *ID.*

(g) Eodem ipſo die data *lex 10. ſupr. de extraordin. lex 6. de & exſecutor. exact.* ID.

COMMEN-

COMMENTARIVS.

PATRONIS & OCCVLTATORIBVS potentibus, Curialium, & Collegiatorum (de quibus *ſuo tit. lib. 14*) certam multam imponit *hac l.* Honorius Imp. Et minorem tamen longe his, quam illis: vtpote quod etſi vtique patriæ deſeruirent, vt *hac* quoque *lex* docet, tamen in Curialibus ciuitatum ſplendor ſtaret: qua cauſa Libanius, *Orat.* περὶ τῶν προστασιῶν *p. 9. & 10. Edit. Gothofred.* & *pag. 365. 366. Oper. minor. Gothofred. Edit. Trotz.* Ciuitatum decus in his conſtitiſſe dicit: Idemque *in Iuliani necem, p. 297. Edit. Morell.* anima Ciuitatum Curiales vocauit, ἡ τῆς βουλῆς ἰσχὺς ψυχὴ πόλεως ἐστιν, *Senatus robur, anima ciuitatis eſt.* idemque in *Antiochico pag. 357. Edit. cit.* totam Ciuitatis formam in Curia tanquam in radice ſtetiſſe, ὥσπερ ἐπὶ τινὸς ῥίζης. Maiorianus *Nouella 1.* Curiales neruos Reip. & viſcera ciuitatum vocat: quibus ſimilia occurrunt apud Caſſiodorum non *vno loco.*

Ergo potentibus Curialium Patronis Occultatoribus, quinque librarum auri multam *hac leg.* impoſuit Honorius Imp. Qui idem *l. 162.* Leges varias in occultatores Curialium latas, Iudices exequi iubet. Maiorem vero longe pœnam, infamiæ v[illegible]. & bonorum proſcriptionis, impoſuit Valens *l. 76. ſupr.*

Illud notandum, Honorii cum primis æuo per Occidentem Curiales Curiam fugiſſe (vtpote tum vel maxime attritos) Quare tot tamque frequentes in hos Honorii conſtitutiones promulgatæ: puta præter hanc legem *leges* 143. 144. 155. 162. 1[illegible]9. 181. *infr.* De Potentibus ſub quorum ferme vmbra Curiales Curias fugiebant, ſeu de Potentiorum patrociniis, dictum iam ad *d. l. 76. ſupr.*

Hic illud etiam ſingulare eſt, quod Honorius in poſterum maiorem pœnam occultatoribus & potentibus minitatur, ſi vltra Curiales vel Collegiatos defenderint. *Ne,* inquit, *Clementia Noſtra ob contumaciam diſſimulantium in maiorem indignationem exurgat.* Quæ res oſtendit, quantopere res hæc ei curæ fuerit, imo eam eſſe oportuerit, fugam pleriſque inſtruentibus.

P. 481. *De* RETRAHENDIS *Curialibus.* 1. *Ex Militia.* 2. *Officiis Palatinis.* 3. *Apparitione Præfecti Prætorio.* 4. *Miniſteriis reliquis.*

CXLVII. (a) Idem AAA. Palladio PF. P. (b)

QVICVMQVE Decuriones patre atque maioribus adprobantur, & armatam quacumque occaſione adepti docentur eſſe *Militiam*, abſoluti ſacramento militari, vt conſtitutum eſt, ad munia ciuilia reuocantur. (c) Si quos etiam huiuſmodi homines *Palatinorum* officiorum conſortia retinent, exempti matriculis, ad propriam vrbem ſub proſecutione (d) dirigantur. Ac ſi in *Apparitione Prætoriana* (e) aliquis inuentus fuerit Decurio inmorari, pari condicione ad ciuitatem originariam dirigatur. Reliqua quoque *Miniſteria, adque officia* (f) *Palatina* pari forma legis adſtringimus, vt quiſquis Municeps (g) deprehenſus fuerit, abſolutus militari cingulo, reddatur muneribus ciuitatis: & cetera. Dat. V. Id. Septembr. Rau. D. N. Theod. A. VII. & Palladio Coss. [416.]

NOTAE.

(a) Abeſt hæc *lex*, quæ ab ordine hic ſuo aberrat, a *C. Iuſt.* Iungenda autem huic, *l. 6. ſupr. de relat.* *GOTHOFR.*

(b) *Palladius* ſub Honorio PP. Italiæ: Eidem inſcribitur hoc ipſo Anno ſuper eadem re, *lex* 181. *infr.* poſt quam *hæc* poni debuit. *ID.*

(c) *γρ. Reuocentur.* *ID.*

(d) De Proſecutione hac Curialium fugitiuorum rurſus *l.* 175. & 181. De *Proſecutionibus* fugitiuorum reorum, dixi ad *l. 5. ſup. de exhib. reis.* *ID.*

(e) Id eſt Præfecti Prætorio. *ID.*

(f) Iam ſupra de his. *ID.*

(g) *Municeps* ideſt, Curialis. v. *Paratitl.* & *Gloſſ.* *ID.*

COMMENTARIVS.

RETRAHI Curiales ad Curiam, & ſub idonea proſecutione ad proprias vrbes dirigi, iubet Honorius Imp. *hac leg.* quæ Anno 416. data eſt. Quo tempore variis iamdudum ærumnis, toto Occidente concuſſo, vrbes miniſteriis ſuis deſolatæ fuerunt. Quare Honorius ſerio ad Curias replendas animum adiecit, Quæ hoc tempore deſolatæ admodum fuerant: Curialibus paſſim alio ſeſe conferentibus, veluti ad Armatam militiam, ad Palatina officia, ad Apparitionem Prætorio Præfecti, ad alia denique miniſteria. Igitur exinde retrahi Curiales & ad Curias ſuas remitti nunc iubet Honorius. Cuius in eandem ſententiam plures deinceps Leges occurrunt. Ac nominatim *lex 181. infr. h. t.* quæ hoc ipſo Anno data eſt, & ad eundem Palladium PP. ante *hanc leg.* Cui hanc *leg.* ſubiici oportuit,

longo *demum* poſt interuallo: Quam hic magno errore *huius Codicis* Conditores collocarunt. Sub Theodoſio M. tamen teſtis eſt Ambroſius *Ep. 29. ad Theodoſium Imp.* ſiu. *lib. 2. epiſt. 17. in fin. pag. 215. Tom. V. Oper. Edit. Pariſ. 1614.* & *Ep. 40 num 29. Edit. Benedictin.* eos, qui Principi militarent, certo militiæ tempore ſeruatos a Curia immunes: de quo ad *l. 100. ſupr.*

Qui SACERDOTES *Prouinciæ ordinandi.*

CXLVIII. (a) Idem AA. Theodoro PF. P. (b)

CVM (c) ſuper ordinando Sacerdote prouinciæ (d) publicus eſſet (e) ex more tractatus, idem (f) noſtra authoritate decretum † eſt, vt ad * ſubeunda patriæ munera dignisſimi, & meritis & facultatibus, eligantur: nec huiusmodi nominentur, qui functiones debitas (g) implere non posſint. Dat. IV. Kal. Octobr. Med. Olybrio & Probino Coss. [395.]

NOTAE.

(a) Vide dicta ad *l. 140. ſupr.* Eſt enim ex hac lege & d. l. 140. deſumpta *l. 46. Cod. Iuſt. eod. tit.* GOTHOFR.

(b) *Theodorus* ſub Honorio PP. Galliarum ſcil. hoc Anno 395. Cui eidem hoc ipſo Anno inſcribitur *lex* 140. *ſupr.* vbi plura dixi. *ID.*

(c) Principio hoc decurtata hæc *lex* in *Cod. Iuſt.* *ID.*

(d) Alicuius per Præfecturam Prætorianam Galliarum. *ID.*

(e) An præteritum reſpicit, an vero futurum, *eſſet*, pro foret, futurus eſſet, & celebrandus? Prius illud verius, vt ita indicetur *lex* 140. *ſupr.* *ID.*

(f) Forſitan hæc vox ſuſtineri poſſit, ceu relatiua ad anterius caput aliquod integræ conſtitutionis Honorianæ, vnde hæc deſumpta eſt: ſin hoc non placet, hic reponendum fuerit, *id demum*, vel, *id dudum.* *ID.*

p.486. † Intelligit *leg.* 140. *ſupr. h. tit.* vt quidem cenſeo: vbi eadem quæ ſequuntur verba occurrunt. *ID.*

* Hinc deſumpta eſt *d. lex* 46. *Cod. Iuſt.* Totidemque pene verbis hæc ſententia extat ſuperiore Honorii conſtitutione, puta *l.* 140. *ſupr.* *ID.*

(g) Id eſt, publicas vt *d. l.* 140. *ID.*

COMMENTARIVS.

DE NOMINATIONVM ſeu ORDINATIONVM forma eſt hæc Honorii conſtitutio: qua is definit, in genere, NOMINANDOS ad munera publica dignisſimos tum meritis, tum & facultatibus, quo videl. ii functiones ſeu munera publica digne ſuſtinere posſint: Non igitur ſecundum præiudicium Ordinis: (eo enim reſpicit hæc *lex*:) Quo pertinet vulgatum ius illud *leg. 7. D. de mun. & hon. honores & munera non ordinationi, ſed potioribus iniungenda.* Imo idem iſtud iam antea totidem pene verbis ab eodem Honorio decretum fuerat, *l. 140. ſupr.* ad quam ſeſe *hac leg.* referre videtur Honorius. Atque vt in vniuerſum id obtinet in præcipuis Curiæ muneribus: ſane id ſpeciatim conſtitutum ab eodem Honorio in *Principalibus* eligendis: *l. 171.* (quæ & ipſa ad PP. Galliarum pertinet.) Et in ordinando *Sacerdote* prouinciali *hac l.* de quibus prouinciæ Sacerdotibus iam *ſupr.* affatim *Paratitlo huius tit.* & *infr. tit. de paganis.* De eorum vero creatione eſt quoque *lex 60. ſupr.* Hic interim locus obſeruandus eſt, de Sacerdotibus & quidem ſub Honorio.

De RETRAHENDIS *Curialibus ex* NAVICVLARIORVM *corpore: & bonis Nauiculariorum ab his quæſitis prodendis.*

CXLIX. (a) Idem AA. Ennoio (b) ſuo Sal.

CVRIALES, in exitium Curiarum, ſe conantur exuere, (c) quacumque occaſione patrimonii qualitercumque (d) quæ ſit in, (e) nauiculariorum onere (f) volentes ſuam originem (g) commutare: Qua in re, qui totum inhibere non posſumus, ratione diuidimus: Ciuitas ergo quem genuit non amittat: patrimonium, quod ex ordine Nauiculariorum aduenerit, prodat (h) pro moderatione quem (i) ditat: quia * nec emere, nec donatum adſequi, nec damnoſam quisque (k) hereditatem adire compellitur: cum & in deliberationibus coniunctionum futurarum commodis proſpiciatur heredum. Neminem igitur Sublimitas (l) Tua ad expediendas publicas neceſſitates, parenti (m) Curiæ ſe permittat auferre; detque operam, vt & Ordines Curiarum noſtrarum reddantur indemnes, & patrimo-

patrimonia Nauiculariorum non pereant, ſed functionis vterque (n) ſtatus habeatur incolumis. Dat. VII. (o) Kal. Ian. Olybrio & Probino Coss. [395.]

NOTAE.

(a) Potiſſima *huius l.* pars abeſt a *Cod. Iuſt.* Iungenda autem ei *lex 25. infr. de Nauicular.* *GOTHOFR.*

(b) Ita quoque habent quinque *leges ſupr.* & *l. 53. ſupr. de appellat.* & *lex 24. ſupr. de ann. & tributis*; At enim *dict. l. 25.* & *l. 16. Cod. Iuſt. de iure delib.* (quæ ex *hac l.* deſumpta eſt,) *Ennodio*, & *Annodio*, in nonnullis Edit. *ID.*

(c) Statu Curiali. *ID.*

(d) Emptione, donatione, ſucceſſione, *verſ. Ciuitas ergo. ID.*

(e) *γρ. Quæſiti, nauiculariorum onere volentes* &c. *ID.*

(f) *Nauiculariorum munere. ID.*

(g) Curialem, *ID.*

(h) An *prodat* ciuitas ſcil. id eſt, An vero reponendum *proficiat*, vel *profit* ad nauiculariam videl. functionem ſuſtinendam: non pereat, vt infra? Neutrum. Recte *prodat*, Curialis ſcil. *ID.*

(i) Siue *pro moderatione* (id eſt, modo & ratione) *quæ eum ditat. ID.*

* *Lex 16. Cod. Iuſt. de iure delib.* hinc deſumpta eſt. *ID.*

(k) Pro *quiſquam*, vt etiam habetur *Cod. Iuſt. ID.*

(l) *Sublimitatis* Titulus Proconſuli Africæ hic tribuitur, *ID.*

(m) Id eſt, *qua genitus, ID.*

(n) *Vterinque. ID.*

(o) *VI.* Cod. I. *ID.*

COMMENTARIVS.

NAVICVLARIORVM patrimonii obtentu Curialem conditionem euitari vetat *hac l.* Honorius Imp. Quæ pars eſt prolixioris Honorianæ conſtitutionis de Curialibus & Nauiculariis: ex qua ſupereſt altera portiuncula, puta *lex 25. infr. de Nauicul.* quæ *huic legi* coniſſandi venit. Finge Curialem vel emiſſe, vel donato accepiſſe, vel ſucceſſione, *qualitercunque quæſiuiſſe*: vt *hac l.* dicitur, (qui tres ferme præcipui ſunt acquirendi rerum dominii modi) patrimonium alicuius Nauicularii: Hac occaſione conabantur nonnulli ſeſe exuere Curiali conditione, ceu Nauicularii patrimonii poſſeſſores & Nauiculariæ iam functioni obnoxii: cui Curiarum vtilitatem cedere par videbatur: Quomodo ſane ſæpe e Curialibus Nauicularii adſumebantur & Curiales, qui ad Nauiculariam functionem ſeſe contulerant, ad Curiam non reuocabantur, vt docet *lex 134. ſupr.* & *lex 5. 14. 19. infr. de Nauiculariis.* Verum Honorius Imper. *hac l.* id non admittit, ſed P.487. vtrique functioni Curiali & Nauiculariæ conſultum cupiens, *Ratione rem diuidit*, vt ipſe eleganter loquitur: id eſt, rationem proponit & diſtinctionem, qua (vt dicitur *fine leg.*) *functionis vterque ſtatus habeatur incolumis*; Nempe & Curialem ipſum ad Curiam retrahi iubet, & patrimonium ex Nauiculariorum corpore deſcendens, pro modo ſeu rata eius, ad Nauiculariam functionem teneri vult: Quod & ipſum aliis multis *legibus* cauetur: nempe vt poſſeſſor patrimonii Nauiculario muneri obnoxii, ad Nauiculariam functionem pro modo patrimonii teneatur, *l. 3. 19. 20. 27. 35. infr. de Nauicular.* de quo plenius *tit. de prædiis Nauicular.*

Cæterum rationem huius poſterioris quoque reddit Honorius (quæ obſcura & intricata videri poſſit:) Cur ioquam Curialis pro rata patrimonii ex Nauicularia functione deſcendentis, Nauiculariæ functioni teneatur, (quam quidem etiam ſententiam ſolam Tribonianus *in leg. 16. Cod. I. de iur. delib.* retulit,) Quia inquit, *nec emere, nec donatum aſſequi, nec damnoſam quiſquam hæreditatem adire compellitur.* Cuius hic ſenſus eſt, ſibi quemque debere imputare, qui vltro ex bonis alii conditioni obnoxiis quid emit, aut donato accepit, aut ex hæreditate nactus eſt; quia ſcire debuit onera damnaque rem ſequi: & vt dicere ſolemus, rem cum ſuo onere ambulare & tranſire; & eo ipſo quod exinde bona adquiſiuit, vltro in Corporis illius onera conſenſit. Quod quidem de hæreditate ab inuito non adquirenda, multis aliis legibus inculcatur *tit. de acq. hæred.* de donatione inuito non adquirenda, vide dicta ad *leg. 69 de Reg. Iur.* Addit eundem in finem (quod Τριβων. velut obſcurum omiſit, cum tamen ad eum *tit.* maxime faceret) ideo *& in deliberationibus* (ſeu per deliberationes, deliberandi ius) *coniunctionum futurarum commodis proſpici hæredum.* Cuius hic ſenſus eſt: Etiam in ſucceſſionibus aliis deliberationi locum eſſe, ſeu deliberandi tempus dari hæredi, vtrumne per aditionem hæreditatis quis deinceps vltro pro alio, pro defuncto ſcil. teneri velit *coniuncta* deinceps *perſona*, velut hæres pro *authore*, vt eius munus agnoſcat, vt loquitur *d. lex 19. infr. de Nauicul.* ac nominatim velut hæres, *d. l. 35. infr. de Nauicul.* Id enim ſibi voluit illa, *in deliberationibus coniunctionum futurarum, commodis proſpiciatur hæredum.* Niſi malit quis, *conuentionum futurarum*, hic legere: vt ita, *conuentiones futuræ* ſint onera, quæ hæredes ſubituri ſunt. Verum nil temere muto.

Interim iam patet ex hac ſcil. integra *lege*, quam multa deinceps ad illuſtrationem *d. l. 16. C. I. de iur. delib.* adferri poſſint. Et quidem quæ vis & effectus illius ſententiæ ſit, quis finis? quæ omnia ibi deſiderantur, velut a corpore ſuo diuulſa. Illud etiam, quod aiunt Interpretes, eam ſententiam ad extraneos hæredes referri oportere, non ad neceſſarios, idque conſtare ex *hac leg.* non vsquequaque verum eſt: nam & Curialis neceſſarius hæres Nauicularii eſſe poteſt.

COMITIVAM *etiam honorariam adeptus Curialis, Rectorum prouinciarum iuſſis obſequi debet.*

CL. (a) Idem AA. Cæſario PF. P. (b)

CVRIALES, qui Honorariam adepti ſunt Comitiuam, (c) formidare debent eos, quorum ſunt Moderationi commiſſi, nec ſe exiſtimate ideo meruiſſe dignitatem, vt Iudicum præcepta deſpiciant. Quod ſi in eadem culpa perſeuerent, quinque librarum auri multæ obnoxius (d) ſubiugetur, honore quoque quem prodit ſpoliandus. Dat. IV. Kalend. Ian. Conſtantinop. Olybrio & Probino Coss. [395.]

NOTAE.

(a) *Lex 47. Cod. Iuſt. hoc tit.* GOTHOFR.

(b) *Cæſarius* PP. ſub Arcadio Orientis: vid. *Proſopogr.* ID.

(c) *Dignitatem*, add. *Codice Iuſtin.* ID.

(d) *Obnoxii ſubiugentur, honore quoque quem prodiderint, ſpoliandi.* C. Iuſt. verum hæc numeri mutatio non infrequens: cuius exemplum extat quoque *l.* 137. *ſupr* ID.

COMMENTARIVS.

ARCADII conſtitutiones Honorianis immixtæ ſequuntur octo, *hæc lex* 150. *lex* 152. 159. 160. 163. 164. 165 167. Quarum hæc ſumma eſt. Retrahendos Curiales ad Curiam, licet adminiſtrationem nactos *leg.* 159 (quod abrogatum poſtea ab eodem *l.* 160.) licet Clericos factos, ſub diſtinctione tamen temporis & gradus, *l.* 163. 172. licet Iudæos, *l.* 165. licet ſubſtitutum dare velint, *l.* 167. Repetendos apud Iudicem, citra fori præſcriptionem, *l.* 164. Poſtremum Curiales *Iudicibus*, id eſt, Rectoribus prouinciarum ſubeſſe, licet Comitiua honoratos. Quæ *huius l.* ſententia eſt: Nempe Curiales Curialibus muneribus Principalibus functi, Comitiuæ honore decorabantur a Principe, veluti ob Legationem apud Principem gratioſe obitam, ob fidem & diligentiam ſuam approbatam, Comitiuæ inquam vel primi, vel ſecundi, vel tertii ordinis: quod etiam oſtendit *lex* 75. 109. *ſupr.* & *l.* 189. *infr.* Ergo hi Curiales Comitiuæ dignitate tumidi, cuius inter alios hic quoque effectus erat, vt oſculo eos excipere Iudices tenerentur conſeſſumque his deberent *l.* 109. *in fin.* Moderatoribus prouinciarum ſeu Iudicibus ideo CONTVMACES ſæpe ſeſe præbebant, eorumque iuſſa detrectabant: quorum alioquin imperio ſuberant (quod oſtendit etiam *lex* 39. 47. 80. 87. 110. 117. 118. *ſupr.* 164. 175. 181. *infr.*) Quare cum de eo perlatæ fuiſſent ad Arcadium querelæ, contumacibus huiuſmodi Curiali- P.48 bus pœnam duplicem propoſitum iuit; puta multæ quinque librarum auri & ſpoliationis honoris: quem hoc facto *prodere* dicuntur: *Prodere* dicitur *honorem*, qui eo abutens priuandum eo ſeſe præbet. Hinc iam patet, falſam eſſe Gloſſam, quæ *huic l.* aptat *legem vlt. Cod. Iuſt. de iuriſd. omn Iudicum:* & Iudices in *hac l.* interpretatur ſpeciales ſcil. qui præſunt Curiæ: *Iudices* enim *hac l.* ſunt Præſides, Rectores ſeu Moderatores prouinciarum, vt recte quoque Lucas de Penna; *quorum moderationi ſunt commiſſi*, inquit, *hæc lex.* Quibus verbis Moderatores prouinciarum indicantur. Hinc ergo conficitur, honorariam huiuſmodi dignitatem Curiali collatam, non ideo eximere a Iuriſdictione Ordinarii.

De GESTIS *municipalibus: & quis numerus Decurionum in his requiratur.*

CLI. (a) Idem AA. Petronio Vic. Hiſpaniar. (b)

MVNICIPALIA geſta non aliter fieri volumus, quam trium Principalium * præſentia, excepto (c) Magiſtratu, & Exceptore publico: Semperque hic numerus in eadem actorum (d) teſtificatione ſeruetur; Sic enim & fraudi non patebit occaſio, & veritati maior creſcit (e) auctoritas. Dat. Non. Maii, Med. Arcad. IV. & Honor. III. AA. Coss. [396.]

Hæc lex interpretatione non indiget.

NOTAE.

(a) Abeſt hæc *lex* a *Cod. Iuſt.* GOTHOFR.

(b) *Petronius* Vicarius Hiſpaniarum ſub Honorio: Eidem inſcribitur Anno ſuper. 395. *lex* 1. *ſupr. quorum honorum:* vbi de eo dixi plura etiam ex Symmacho, & Anno prox. 397. *lex* 5. *vnde vi.* ID.

* *Trium Curialium*, MS. G. & impreſſi omnes, præter vltimam Pariſinam. RITTER.

(c) Id eſt, præter Magiſtratum, & Exceptorem publicum. GOTHOFR.

(d) Sichard. *eadem auctoritate teſtificationis*, RITTER.

(a) Ita habebat Tilliana editio: poſtea editum *maior creſcet*, quod ſane habent Anianei Codices multi: verum quid ſi, *maiereſcit*, compulſis literis hic legamus? *GOTHOFR.* *Veritatis maior creſcet*, MS. G. & Sichard. *accreſcet.* *RITTER.*

COMMENTARIVS.

GESTORVM ſeu Actorum in municipiis conficiendorum ſolemnitatem *hac l.* præſcribit Honorius Imp. (ac nominatim in ſp. *huius legis* per Hiſpanias) Quemadmodum & Valentinianus III. *Nouella inter Theodoſianas 23. verſ. illud etiam permoti.* Sub quot ſcil. & quarum perſonarum teſtificatione ea confici debeant: vt ita frandi occaſio non pateat, & veritatis maior auctoritas ſit. Geſta ſcilic. ſeu Acta negotiorum præcipui momenti fieri ſolita notum eſt; etiam priuatorum, veluti teſtamentorum, *l. 4. ſupr. de teſtam.* donationum, *l. 1. 3. 8. ſupr. de donationib:* querelarum, *l. 3. de ſuperexact.* & ſimilium, id eſt, publice actis firmari, geſtis alligari, apud acta publicari. Quæ ſolemnes hac in re formulæ fuerunt. Cuiusmodi actorum formulas nobis exhibet Marculphus a *formul. 37.* & alius incertus *formularum* Auctor, *form. 3.* De his municipalibus actis eſt quoque *lex pen. & vlt. ſupr. de exhib. reis.* Auguſtinus inter alia, *epiſt. 171. Quidam geſtis municipalibus Codices ſanctos & inſtrumenta Eccleſiæ perſecutoribus tradiderunt.* Et poſtea: *Geſtis municipalibus oppugnatum.*

Igitur Quinque perſonarum præſentiam in geſtis municipalibus requirit *hac l.* Honorius; Primo *Magiſtratus*, quod ceu indubitatum præſupponit: idque etiam docet *d. lex 3. 8. ſupr. de donation.* id eſt Duumviri, ſi videl. ea ciuitas vel oppidum in quo acta conficiuntur Magiſtratum habeant: alias apud Defenſorem plebis in qualibet Ciuitate fuerit repertus, *d. l. 8.* Quomodo & Marculphus *d. loco*, & alter ille *formularum* Auctor, formam geſtorum iuxta conſuetudinem Rom. deſcribentes, Defenſorum & Principalium inter alia ſolemnia meminere: *Adſtante venerabili Viro illo Defenſore, vna cum honoratis Principalibus ſuis &c.*

Secundo, *Exceptorem publicum* in actis conficiendis requiri vt certum eſt, ita & *hac l.* præſupponit Honorius: is enim erat, qui geſta conficiebat, qui negotiorum acta excipiebat, perſcribebat. Id quod etiam Valentinianus *d. Nouella* ait, *ſi*, inquit, *publico fuerint Exceptore præſcipta* (perſcripta.) Exceptores, vt ſingulorum Magiſtratuum prouincialium fuere, veluti P. P. Proconſulum, Vicariorum, Legatorum; quorum mentio *in Actis collat. Karthagin.* quæ habita ſub eodem Honorio: & in *Notitia Imperii* ſub Valentiniano III. & Theodoſio Iun. de quibus *ſupr. lib 8. t. 1. de Numerariis, Actuariis, Scriniariis & Exceptoribus*, & ſpeciatim *ad leg. 2. dict. titul* Ita & in ſingulis Curiis fuere, qui acta municipalia perſcriberent, *Greffiers.*

Præter Magiſtratum & Exceptorem publicum, requirit in geſtorum confectione, (ac ſpeciatim per Hiſpanias, quo ſpectat in ſp. *h. l.*) Honorius *Principalium* trium præſentiam, id eſt, ſummatum trium inter Curiales: de quibus *in Paratitlo affatim.* Sane & Valentinianus III. de quo *ſupr dict. Nou. 23.* pariter per Africam, *quia publico infortunio ad paucos redactus erat ordinum numerus, in municipalium geſtorum confectione tres Curiales ſufficere* definit: *In municipalium*, inquit, *geſtorum confectione ſit firmitas, ſi apud tres Curiales publico fuerint Exceptore præſcripta.*

P.489. ADVOCATOS *vrbis Conſtantinopol. prouincialibus functionibus arceri.*

CLII. (a) Idem AA. Africano P.V. (b)

NE quis ex corpore Togatorum (c) prouinciales ſuſcipiat functiones: ſcilicet, (d) vt & ambientibus claudatur ingreſſus, & inuitis neceſſitas auferatur. PP. (e) Conſtp. III. Non. Aug. Arcad. IV. & Honor. III. AA. Coss. [396.]

NOTAE.

(a) *L. 3. Cod. Iuſt. de Aduoc. diu. iudiciorum.* *GOTHOFR.*

(b) *Præfecto Prætorio*, Cod. Iuſt. male. Eidem ſane Africano inſcribitur Anno ſuperiore 395. *lex 6. infr. de Aquæductu:* hoc Anno *lex 13 infr. de annonis ciuicis: lex 3. ſupr. de præd. Senator. lex vn. ſupr. de dilat. ex conſenſu:* & Anno prox. 397. *lex 4. ſupr. de tyſtam.* Cæterum fuit hic P. V. Conſtantinopolitanæ: quod etiam ex ſubſcriptione *legis* diſcimus. *ID.*

(c) Id eſt aduocatorum: quod notum. Cæterum hic additum Codice Iuſtin. *Minime Curialibus nexibus illigatus.* Verum contrarium hic exaudiendum: de quo mox. *ID.*

(d) *Ita quidem vt. ID.*

(e) *Dat.* Cod. I. *ID.*

COMMENTARIVS.

ADVOCATOS vrbis Conſtantinopol. & volentes, & inuitos, prouinciales functiones *ſuſcipere* vetat *hac l.* (quæ relata eſt in *l. 3. Cod. Iuſt. de Aduoc. diu. iudic.*) Arcadius Imp. A. D. 396.

Quod quidem quem ſenſum habeat, quæue ratio huius interdicti ſit, obſcurum admodum eſt: De Triboniani equidem mente, cum *hanc leg.* in *Codicem* ſuum referret, & emblemate etiam corrumperet, haud adeo obſcurum eſt: Nempe Aduocatos,

uocatos, ſi Curialibus nexibus non ſint illigati, ſi non ſint Curiales: non poſſe prouinciales functiones ſuſcipere, eas ſcil. quæ Curialibus, indici ſolent. Quæ quidem ipſa ſententia videri poſſit *huius leg.* vti *hoc Cod.* poſita eſt: ergumento ipſius *tituli*, ſub quo ea collocata eſt, alioquin *titulo* non reſponſura. Verum longe elia eius ſententie mihi videtur. Hæc nimirum *Togatos*, id eſt, Aduocatos, de qua *Togatorum* eppellatione obuia ſunt teſtimonie: inter alia paſſim *titulis, Cod. Iuſt. de Aduoc. diuerſ. iudicior.* & *Iudicum.* in foro Præfecti Vrbis Conſtantinopolitanæ (nam de his *hanc legem* eccipiendam indicat tum ipſa *legis* inſcriptio, tum ſubſcriptio: quibus etiam ſingulerie priuilegie competierunt poſtea, vt docet *lex 5. 8. 9. Cod. Iuſt. de Aduoc. diuerſ. iudicior.*) etſi Curiales ſint, non eſſe ad prouinciales functiones edmittendos volentes, vel edigendus inuitos, (Nam edminiſtrationes prouinciæ etiam his poſtea committi potuere ſub Theodoſio Imp. vt docet *lex 9. Cod. Iuſt. de Aduoc. diu. iudicior.*) *Prouinciales functiones*, veluti vt extra ordinem Compulſores in prouincias mittantur, vt ad Curias agendas, & ſimilie. vid. *leg. 6. C. Iuſt. de Aduoc. diuerſ. iudicior.* Idque vetitum etiam Aduocatis volentibus. Nempe, vt exiſtimo, ne translatis in prouincias Aduocatis, forum Præfecti Vrbis obmuteſceret, vrbsque ipſa neceſſariis cum primis Viris priuaretur, *atateque plerumque iurgantium veternoſis litibus conſeneſcerent*, vt ipſemet Arcadius loquitur ad eundem Africanum P. V. ſcribens *l. vn. ſupr. de dilat. ex conſ.* Quod quidem ab Arcadio ſtatutum ed relationem Africani P. V. ed quem datæ aliquot *leges* aliæ eb Arcadio, vtriusque ſtudium erguunt, tum in efferende tuendaque Vrbis Conſtantinopolitanæ magnificentia: velut *l. 13. infr. de annonis ciuicis* (quæ parum abeſt quin *huic legi* iungenda videatur) *lex 4. ſupr. de teſtamentis: lex 6. infr. de Aquæductu:* tum in litibus terminandis; vt oſtendit exerte *d. lex vn. ſupr. de dilat. ex conſenſu.* Quod cum ita ſit, epparet, *hanc l.* non omnino ab *hoc tit.* fugitiuam eſſe.

Cæterum ſimile prorſus priuilegium eſt, quo Theodoſius Iun. *l. 189. inf.* poſtea Alexendrinis principalibus eduocatione fungentibus, onus peregrinationis remiſit, nec curam publicam, niſi in ſua ciuitate eis committi voluit.

De TESTIMONIALIBVS HONORARIIS *ex-Protectoribus, Domeſticis, &c. Curialibus eas nil prodeſſe, imo eruendas.*

CLIII. (a) Idem AA. Florentino P. V. (b)

NONNVLLI Decurionum honorarias ex Protectoribus, (c) vel Domeſticis, vel quaslibet alias (d) obtinent miſſiones: vnde licet ſuperiore † præcepto conſultum ſit, vt ſic penes eosdem emendicata dignitas permaneret, nec quicquam ob hoc patriæ negaretur, nunc altius intuentes, honoris eius ab his penitus amouemus vmbracula: ita vt ſi quis id meruit, ac ſi nihil impetrauerit habeatur: neque ob hoc ſordido quolibet minimoue tueatur, (e) vel a verberibus (ſi id modo perſonæ eius qualitas patitur) iudiciariæ emendationis excuſetur. Dat. XII. Kalend. Ian. Med. Cæſario & Attico Coss. [397.]

P. 490. NOTAE.

(a) Abeſt hæc *lex* e *Cod. Iuſt.* Iungendæ autem ei *tres leges* ſequentes: puta *lex* 154. 155. 156. itemque *lex 1. ſupr. de Comitibus rei milit. lex 19. ſupr. de diu. offic.* (vnde deſumpta eſt *lex 48. Cod. Iuſt. de Decurionibus*: *lex 9. ſupr. de Senatoribus.* Imo & *Lex 1. Cod. Iuſt. vbi quis de Curiali &c.* quæ tamen in vulgat. Edit. inſcribitur *Floro PP.* *GOTHOFR.*

(b) Romæ. *ID.*

(c) De his *titulus 21. ſupr. lib. 7. de Teſtimoniali ex-Tribunis, & Protectoribus*, & *d. l. 156. infr. ID.*

(d) Veluti ex Tribunis. *ID.*

† *Legem 3. ſupr. d. tit. de Teſtimonial. Ex-tribunis & Protect.* intelligit. *ID.*

(e) Forte paſſiuo ſignificatu, pro, *defendatur, excuſetur*, (vt mox *fine leg.*) niſi malimus hic ſcribere *minimoue exuatur*: vt *l. prox. nullis poſtremo temporibus exuatur*: & *l. 155. curialia vincula non exuant. ID.*

De RETRAHENDIS *Curialibus ex Palatina vel Armata* MILITIA.

CLIV. (a) Idem AA. Florentino P. V. (b) Poſt alia.

SI qui Municipum, (c) vel Palatinam, vel Armatam aliquando militiam debitis prætulerit functionibus, nullis priuilegiis, nullis poſtremo temporibus exuatur, nec ei anno-

rum

rum ſpatia ſtipendiorumque merita ſupputentur: ſed teneat ſuum Curia, & perpetua ſibi obnoxium vindicatione defendat &c. Dat. XII. Kal. Ian. Med. Cæſario & Attico Coss. [397.]

NOTAE.

(a) Abeſt hæc *lex* a *Cod. Inſt.* Quibus autem iungenda ſit? iam dixi ad *leg. ſuper.* GOTHOFR.
(b) *Florentinus* ſub Honorio P. V. Romæ ſcil. v. *Proſopogr.* ID.
(c) Id eſt Curialium, vid. *Paratitl.* ID.

De DIGNITATIBVS SENATORIIS *vel* ILLVSTRIBVS *Curialibus collatis.*

CLV. (a) Idem AA. Florentino P.V. (b) Poſt alia.

QVIA * ex * ſplendidiſſimum Ordinem (c) ſubmoueri (d) dignitatibus (e) non oportet, quisquis honorum (f) emenſus Curialia onera, vel honeſtis, (g) vel Adminiſtrationis, (h) vel quarumcunque aliarum dignitatum, infulas inpetrauerit, ipſe quidem decoretur inſignibus, ſed liberi, (i) omnisque ſucceſſio * paternæ dignitatis obiectu Curialia vincula non exuant, niſi forte quis iam Senatore ſuſceptus conſortio Curiæ Nobilioris (k) adnectitur. Inluſtrium quoque virorum liberos, ſi non otio & torpore degeneri paternam exuere virtutem, fas erit excuſari. In his tamen, qui ante expletas Curialium munerum functiones, meruerint dignitates, ſpeciali humanitate tribuimus, vt quæ illis inponentur a patria, per ſubſtitutos (l) præbere ſimulauerint, (m) non verentur, nec agentis perſona quæratur, dummodo debiti * enim * negetur officii &c. Dat. XII Kalend. Ian. Med. Cæſario & Attico Coss. [397.]

NOTAE.

(a) Abeſt hæc *lex* a *Cod. Inſt.* Quibus autem ea iungenda ſit? dixi iam ad *l.* 153. *ſupr.* ID.
(b) Romæ. ID.
** Forte, *&*. ID.
(c) Id eſt, Curiam, & ſic Curiales. ID.
(d) Repetendo, ſeu vindicando ſcil Curiali. ID.
(e) A dignitatibus. ID.
(f) Siue *horum*, Curialium: Neque tamen illud muto Forte *Senatorum*. ID.
(g) *rp. Honeſtas*; id eſt, honorarias: de quibus honorariis codicillis ſuo *tit. lib.* 6. Neque audio reponentem, *poteſtatis*. ID.
(h) Prouinciæ forte alicuius. ID.
(i) Hoc loco indicat Honorius *legem* Valentis 69. *ſupr.* ID.
* *Lex* 48. *Cod. Iuſt. eod tit* hinc interpolata, & ex *d l.* 19 *ſupr. de diuerſ. offic.* ID.
(k) *Nobilior* Curia, præ Curiis municipum, eſt Senatus. ID.
(l) Similiter *l.* 21. *C. Iuſt. de Epiſcopis, l.* 60. *Cod. eod. hoc tit.* ID.
(m) *rp. Si maluerint.* ID.
** Pariſienſis Editio habet *non*: ſed nondum pleno ſenſu. *rp. Nihil.* ID.

De TESTIMONIALIBVS *iterum.*

P. 491.

CLVI. (a) Idem AA. Florentino P. V. (b) Poſt alia.

OMNES Ordines, (c) Collegia, (d) Centuriones, (e) ac ſi qui cuiusque (f) muneribus, vel Officiis (g) vbicumque ſunt Corporati, (h) ita generaliter inligentur, vt Teſtimoniales (i) impetratas ſciant ſibi nihil honoris, priuilegii excuſationisue conferre: &c. Dat. XII. Kal. Ian. Med. Cæſario & Attico Coss. [397.]

NOTAE.

(a) Abeſt hæc *lex* a *Cod. Iuſt.* Quib. autem ea iungenda ſit, dixi iam ad *l.* 153. *ſupr.* GOTHOFR.
(b) Romæ. ID.
(c) Curiæ. ID.
(d) De Collegiatis *ſuo tit. lib.* 14. de his quoque *l.* 162. & *l.* 179. *infr.* ID.
(e) De Centurionibus *ſuo titulo* 15. *infr. hoc ipſo lib.* ID.

(f) *rp.*

(f) *vg. Quibusque* pro *quibuscumque*: vel *cuiuscumque muneris vel officii. ID.*

(g) Vid. *l.* 2. 3. *ſupr. de diu. offic. ID.*

(h) De Corporatis *infr. lib.* 14. *tit.* 1. & 4. *ID.*

(i) De *Teſtimonialibus* his, eſt quoque *lex* 154. *ſupr.* & titulus peculiaris *lib.* 6. *ID.*

COMMENTARIVS.

DE RETRAHENDIS ad Curiam Curialibus ſunt hæ quatuor *Honorii* leges eius conſtitutionis partes, quibus coaſſandæ ſunt & tres aliæ, puta *lex* 19. *ſupr. de diuerſ. offic.* & *lex* 2 *ſupr. de Comitibus rei milit. l.* 9. *ſupr. de Senatorib.* velut ex eadem conſtitutione delumptæ. Imo & *lex* 1. *Cod. Iuſt. vbi quis de Curiali:* emendata Inſcriptione, reponendum enim ibi loco *Flori P. P.* nomen *Florentini P. V.* & in Subſcriptione loco *XII. Kal. Aug.* reſcribendum *XII. Kal. Ian.* vt in his *legib.* noſtris: Cætera congruunt propter Coss. appoſitos ſcil. & inſcriptos Imperatores, & argumentum legis: Ea quippe *lege* cauetur, vt cuiuſcumque loci, in quo reperti fuerint, Curiæ, officiis, aut aliis quibuscunque corporibus obnoxii, Iudices eos ſubmota penitus emendicati honoris præſcriptione, eorum ſocietati quos declinauerint, aggregent: quod etiam proxime accedit ad *l.* 156. Ad rem. Hac integra conſtitutione Honorius in vniuerſum hoc egit, vt certo corpori nexi, Curiæ, officiis, aut aliis quibuscunque Corporibus, vt diſerte ait *d. lex* 1. *Cod. Iuſt.* & conſentit *d. l.* 156. ad id retrahantur; 1. *Curiales* inquam, quo pertinent quatuor hæ *leges:* itemque *d. lex* 2. *de Comit. rei milit.* & *d. lex* 1. *Cod. Iuſt.* Item 2. *Collegiati, Centuriones, Corporati:* quo ſpectat quoque *d. lex* 156. ſeu quarta, ſeu poſtrema ex his quatuor *legibus:* vt & *d. l.* 1. *Cod. Iuſt. vbi quis de Curiali.* Tandem 3. *Apparitores:* de quo eſt *d. lex* 19. *ſupr. de diuerſ. officiis:* & *d. lex* 1. *Cod. Iuſt.*

De CVRIALIBVS primum. Ergo Curiales ad Curiam retrahi iubet Honorius: Idque etſi Teſtimoniales ex Protectoribus vel Domeſticis vel ſimiles impetrauerint, de quo eſt *lex* 153. De quibus Teſtimonialibus fuit *ſupr.* peculiaris *titulus lib.* 7. eſt etiam *lex* 156. Et vero de Teſtimonialibus his a Curialibus impetratis, vtrum ex his quidquam proſint, ſunt eo *titulo* tres *leges:* Prima Conſtantini M. Secunda, Conſtantii: Tertia Honorii ad eundem Florentinum P. V. data: ſicquidem vt eam Honorius *hac l.* memoret, ſimul ei deroget. ſcil. Honorius *hac l.* Teſtimoniales Curialibus in tantum prodeſſe non vult, vt nequidem dignitatem penes eos remanere velit: cum tamen ſuperiore illo præcepto, (id eſt, *d. l.* 3. *ſupr. de teſtimon.*) cauiſſet, vt penes eos dignitas maneret ſaluis debitis Curiæ muneribus. Cui vti dixi *hac l.* derogat Honorius, *altius* vt ipſe profitetur, *nunc intuens*, ſic vt ab his penitus dignitatis vmbracula amoueri iubeat. Proinde cum antea & ex illa *l.* 3. dignitatis illius priuilegio, Curiales a ſordidis & minimis muneribus excuſarentur, itemque a verberibus, excuſari nunc vetat Honorius *hac l.* 153. (vnde notandum eſt primum priuilegium Teſtimonialium ex protectoribus & ſimilium) quo ſcil. immunitas a ſordidis & minimis muneribus adquirebatur: itemque a verberibus, ſeu Plumbatarum ictibus, aliaque priuilegia.

Secundo, exinde colligitur hac Honorii tempeſtate Curiales in commune a verberibus his immunes non fuiſſe: Quod ſane altera quoque eiusdem Honorii conſtitutio docet, puta *lex* 6 *ſupr. de quæſtionibus*, qua oſtenditur, Principales tantum ab his immunes fuiſſe ſub Honorio. Quomodo & ſoli Decemprimi a plumbatis pariter immunes fuere Gratiani *leg.* 2. *ſupr. de quæſtion.* & Theodoſii Iun. *l.* 190. *infr. hoc tit.* Et vero id ipſum hic indicatur, *ſi modo id perſonæ eius qualitas patitur.* Porro quod de Curialibus *hac leg.* & rurſum *l.* 156. *infr.* ſtatuitur, Curialibus nequicquam prodeſſe Teſtimoniales: id ipſum ſtatuitur & de Collegiatis, Centurionibus, Corporatis, *d. l.* 156. de quibus *fuit titulis lib.* 14. ac nominatim de Collegiatis quoque agitur *dicta leg.* 3. *ſupr. de teſtimoniali:* qua tamen dignitatem penes eos manere Honorius iuſſerat, ſaluo obſequio debito vrbi. Et hæc quidem de *leg.* 153. & 156. *hoc tit.* & ſic de Curialibus quos retrahi voluit ad Curiam Honorius, non obſtantibus Teſtimonialibus, quas dixi.

Secundo loco, puta *l.* 154 retrahi quoque Curiales iubet ex quacumque MILITIA Palatina, Armata, non obſtante quacumque temporis præſcriptione: de qua iam ſæpe *ſupra* (Quod & ipſum ab eodem, ſtatutum de Apparitoribus, vt & ipſi ex Palatina Militia, vel Armata retrahantur, *leg.* 19 *ſupra, de diuerſis officiis:* quæ & ipſa his quatuor legibus ac nominatim *huic legi* 154. coaſſanda venit.) Excepto tantum eo militaris Corporis viro, qui per p. 492.
merita laboris diu ſudati Comitiuam primi Ordinis iam impetrauit, vel ambitu ſecundam Comitiuam, mox & primam, *l.* 2. *ſupr. de Comitibus rei mil.* quæ & ipſa his quatuor legibus, & huic nominatim *l.* 154. coaſſanda venit.

Tertio loco Honorius *l.* 155. *h. tit.* SENATORIÆ dignitatis aliam aliquatenus rationem hac parte haberi vult: Nempe enim Curiali Senatori facto Dignitatem ſeu inſignia conſtare iubet: Et quidem ſi poſt emenſa Curialia onera, ſimpliciter & abſolute: Liberis tantum ante Senatoriam patris Curialis dignitatem ſuſceptis Curiæ nectendis. Quod tralatitii iuris eſt hac in re, vt videl. liberi ante Senatoris dignitatem ſuſcepti Senatorii non cenſeantur, *de quo ad l.* 1. *ſupr. de Senatoribus & alibi.* Niſi Illuſtrium virorum liberi ſint, ideſt, niſi patres eorum olim Curiales hodie in Illuſtri dignitate poſiti ſint, veluti Præfecti Pr. Præfecti Vrb. Magiſtri officiorum, Quæſtoris, Comitis S. L. & R. P. & ſimilium. Dandum hoc putauit Illuſtri dignitati Honorius, & ad eam euectorum virtuti, vt etiam liberi Illuſtrium Virorum, etſi patre adhuc Curiali nati, Curia liberentur, *ſi modo non otio & torpore degeneri paternam virtutem exuerint.* Quod quidem eleganter dictum, & in praxi notandum: Parentum ſcil. dignitates & priuilegia his demum liberis competere, *qui non otio & torpore degeneri paternam virtutem exuerunt.* Quod ſibi dictum

putent

putent qui Nobilitate tumidi, nil minus quam Nobiles habendi ſunt.

Et hæc quidem de Curialibus Senatoribus factis emenſis Curiæ muneribus. Iis quoque, qui nondum expletis Curiæ muneribus Senatoriam dignitatem nacti ſunt, id ſpeciali humanitate tribuit Honorius, *d. l. 155.* vt per ſubſtitutos patriæ ſeruire poſſint: Nempe enim dummodo debiti officii nihil Curiæ denegaretur, agentis perſonam quæri hoc caſu noluit. Qui caſus ſingularis eſt, quo per ſubſtitutum quis Curiæ munus defungi & Curia liberari poteſt. Qui addendus & pluribus aliis, qui *h. tit.* continentur. Noteturque hæc hac parte ſententia, quæ & aliis ſimilibus aptari poteſt: non *agentis perſonam quæri*, ſeu attendi, *dummodo nihil debiti officii negetur*. Satis eſt ſcilicet debitum exolui, expungi, per quamcunque perſonam id fiat.

IVDÆOS *quoque Curiales ad Curialia munera teneri.*

CLVII. (a) Idem AA. Theodoro PF. P. (b)

OMNES qui quolibet (c) Curiæ iure debentur, euiuscunque ſuperſtitionis (d) ſint, ad implenda (e) munia (f) teneantur. Dat. Id. Feb. (g) Med. Hon. A. IV. & Eutychiano Coss. [398.]

NOTAE.

(a) *L. 49. Cod. Iuſt. hoc tit.* Iungenda forte huic *lex 158. prox. GOTHOFR.*

(b) Theodorus ſub Honorio PP. antea Galliarum A. 395. quo pertinet *l. 140. ſupr.* At nunc hoc tempore, Italiæ, Africæ, Illyrici, Trium inſularum: vt docet diſerte Claudianus in *huius Manlii Theodori Conſulatum.* Quæ diœceſes quatuor ſub PP. Italiæ fuerunt. Sane de Italiæ prouinciis, quod eæ ſub diſpoſitione huius Theodori PP. fuerint, docet exerte *l. prox. 158. infr.* De hoc Auguſtinus non ſemel, qui eum maxime commendat & Chriſtianum fuiſſe docet: *de ordine lib. 1. c. 11. Retract. lib. 1. cap. 2. de Ciuit. Dei, lib. 18. cap. vlt.* Cui & apud Mediolanum poſitus librum de beata vita inſcripſit. *ID.*

(c) *Qualibet modo d. l. 158. prox. & d. l. 49.* Cod. Iuſt. *ID.*

(d) *Iudaica* etiam, *Superſtitio*, de Iudaica proprie *hac l. & l. prox. 158 & l. 10. ſupr. de Iurisdict. l. 24. 28. infr. de Iudæis: & l. 3 §. vlt. D. de Decurionib. ID.*

(e) *Complenda, d. l. 158. ID.*

(f) *Suarum ciuitatum munia, d. l. 158. implenda munera,* Cod. I. *d. l. 49. ID.*

(g) Siue *Septembr.* vt *l. prox. 158.* & Cod Iuſt. *ID.*

CLVIII. (a) Idem AA. Theodoro PF. P. (b)

VACILLARE per Apuliam Calabriamque plurimos Ordines ciuitatum comperimus, quia Iudaicæ ſuperſtitionis ſunt, & quadam ſe Lege, † quæ in Orientis (c) partibus lata eſt, neceſſitate ſubeundorum munerum æſtimant defendendos. Itaque hac auctoritate decernimus, vt eadem, ſi qua eſt, Lege ceſſante (quam conſtat meis (d) partibus eſſe damnoſam) omnes, * qui quolibet modo Curiæ iure debentur, cuiuseumque ſuperſtitionis ſint, ad conplenda ſuarum ciuitatum munia teneantur. Dat. Id. Septembr. Med. Honor. A. IV. & Eutychiano Coss. [398.]

NOTAE.

(a) Abeſt hæc *lex* a *Cod. Iuſt. GOTHOFR.*

(b) Eidem inſcripta *lex* ſuperior de eadem re. *ID.*

† Arcadii *legem 13. infr. de Iudæis*, vt puto, intelligit. *ID.*

(c) Cui Arcadius præerat. *ID.*

(d) Occidentis, cui Honorius præerat. *ID.*

* Repetita hæc totidem pene verbis *l. 157. ſupr. ID.*

COMMENTARIVS.

P. 491. IVDÆOS omnes, Curiali conditione, ad Curiam teneri iubet his duabus legibus *Honorius* Imp. datis ad eundem Theodorum PP. Italiæ (quarum poſtrema nominatim ad Apuliam & Calabriam pertinet:) Pariter vt tertia conſtitutione, puta *l. 24. infr. de Iudæis.* Sic quidem vt *legem*, quæ in Oriente lata dicebatur, valere in Imperio ſuo Occidentis prohibeat: proculdubio Arcadii *legem 13. infr. de Iudæis*, quæ ſuperiore anno 397. menſe Iulio, ante quatuordecim menſes lata fuerat: quaque Arcadius Archiſynagogos, Patriarchas, Presbyteros, cæterosque, qui in eius Religionis ſacramento verſabantur, exemplo Clericorum, a Curialibus muneribus immunes reddiderat. Quam & ipſe Arcadius poſtea ſuſtu-

ſuſtuliſſe videtur, *l. 165. infr. h. t.* Quænam vero ſuper hoc *Conſtantini* ſententia fuerit, docet eius *lex 2. 3. infr. de Iudæis*: quænam *Valentiniani Iun. lex 99. ſupr.* quænam Ioſtiniani *Nouella 45.*

Illud *hac l.* notaudum, multos per Italiam, ac nominatim per Apuliam & Calabriam Iudæos, & quidem ſub Honorio fuiſſe.

Secundo notandum hac tempeſtate cum duo Imperatores eſſent, ſeu Impp. ξυνωρὶς foret, vnius legem ſeu Conſtitutionem in alterius quoque Imperio laudari ſeu allegari a nonnullis conſueuiſſe: ſed tamen legis vim oon obtiouiſſe, verum ſi damnoſa ea eſſet alterius Imperio, repudiatam. Quo pertinet quoque Theodoſii Iunioris *Nouella* 1. & 2. itemque quod memorat Libanius, *de vita ſua, p. 48. Edit. Morell.* de Valentiniani *lege* (puta *l. 1. ſupr. de naturalibus filiis*:) a Valente primum improbata, mox probata: Quanquam & hic ſpeciatim quoque diſſidii alicuius inter Arcadium & Honorium notam hanc quis putet.

Tandem neque illud prætermitti copio, has *leges* inſcriptas Theodoro PP. Italiæ, ad eius relationem: qui has *leges* ab Honorio expreſſerit, Chriſtianæ Religionis ſtudio & in Iudæos odio incenſus. Ex Auguſtino quippe clarum, Theodorum hunc Chriſtianum virum fuiſſe, cui & Librum *de beata vita* inſcripſit, quod ipſemet teſtatur *lib. 1. retract. cap. 2.*

De PROVINCIÆ *adminiſtratione: Exinde Curiales ad Curiam retrahendos; & qua lege.*

CLIX. (a) Idem AA. Eutychiano PF. P. (b)

OMNES omnino Curiales in originalibus, ac debitis perpetuo Curiis perſeuerent, & qui ex his ad prouinciarum regimen adque Adminiſtrationum, (c) qualibet fraude, adque ambitione peruenerint, ſciant ſe (d) eo, quem meruerant honore, priuandos: & non ſolum ad Curiam, velut manu (e) mox iniecta, reuocandos, & cunctis rurſus ab exordio muneribus ſeruituros, verum etiam media patrimonii parte multandos. Dat. VIII. Kal. Nou. Conſtantinop. Honor. A. IV. & Eutychiano Coss. [398.]

NOTAE.

(a) *L. 50. Cod. Iuſt. eod. tit.* Hanc *leg.* ſuam memorat, & ex parte abrogat Arcadius *l. prox.* 160. *GOTHOFR.*

(b) Eutychiano huic tres aliæ conſtitutiones hoc ipſo titulo inſcribuntur Anno prox. 399. puta *lex* 163. 164. 165. *infra. ID.*

(c) *Adminiſtrationem.* C. Iuſt. *ID.*

(d) *Sciant ſe non ſolum in ſua Curia remanſuros, ſed etiam cunctis rurſus ab exordio muneribus ſeruituros.* Ita hunc locum mutauit & contraxit Τριβων. *ID.*

(e) Similiter *l. 3. ſupr. de his qui ad Eccl.* hoc ipſo Anno ad eundem Eutychianum in eodem Decurionum argumento. Datur ſane reuera manus iniectio a Theodoſio Iun. *l. 181. infr. ID.*

DEROGATVR hac leg. *ſuperiori* legi 159.

CLX. (a) Idem AA. Optatio P.V. (b) Poſt alia.

SI quis ex Curia vſque ad diem Iduum (c) Nouembrium Conſ. Dn. Honorii Auguſti, Fratris æternitatis meæ, quarti & Eutychiani V. C. Adminiſtratione donatus, Senatorio eſt ordini mancipatus, Senator quidem eſſe non deſinat, neque ad nouellæ Legis † vincula pertineat, ſed de ſubſtituto, & rebus (vt antea † caueramus) omnia incunctanter quæ ſunt iuſſa cuſtodiant. (d) Dat. VIII. Kal. Dec. Conſtantinop. Honor. A. IV. & Eutychiano Coss. [398.]

P.494. NOTAE.

(a) Abeſt hæc *lex* a *Cod. Iuſt.* *GOTHOFR.*

(b) *Optatus* P. V. Conſtantinopol. ſub Arcadio: vid. *Proſopogr.* & *leg. 4. ſup. de vſur.* & Socratem *lib. 6. cap. 18. in fin. ID.*

(c) Atqui data *lex* 159. *ſup VIII. Kal. Nouemb.* non *die Iduum Nouemb.* Quare forte *VIII. Kalendarum. ID.*

† *Legem* ſuam 159. *ſup.* intelligit. *ID.*

† An intelligit *legem* Honorii 155. *ſup.* quam & ipſe Arcadius in nomen ſuum hic transferat? Non puto, anteriorem aliquam Arcadii *legem* hic intelligi oportet. *ID.*

(d) Siue *cuſtodiantur*: Niſi & hic numeri enallagen putemus. *ID.*

COMMEN-

gnum ipſum argult, quod ſuper hoc ad ſe retulerit; cum executiooi leges tradere debuerit, non referre. Quomodo & alii Principes ſimiliter alios Iudices reprehendunt. Notetur igitur hic caſus, quo Iudices, in violatores legum, executiones præſtare conuenit, id eſt leges exequi, non ad Principem referre. Nou eſt ſcil. Relationibus, ſed executioni locus, vbi leges apertæ ſunt, & res dilationem non admittit.

De CLERICIS *ex Curialibus factis.*

CLXIII. (a) Idem A A. Eutychiano PF. P. (b)

Si qui ex ſecundo Diui patris (c) Noſtri Conſulatu (d) Curiam relinquentes, Clericorum ſe conſortio manciparunt, ſi iam Epiſcopi, vel Presbyteri, Diaconos (e) eſſe meruerunt, in ſacris quidem & ſecretioribus dei myſteriis perſeuerent, ſed aut ſubſtitutos pro ſe Curiæ offerre cogantur, aut iuxta Legem † dudum latam tradant curiæ facultates: Reſidui omnes, Lectores, (f) Subdiaconi, vel hii Clerici quibus Clericorum priuilegia non debentur, debitis mox patriæ muneribus præſententur. Dat. III. Id. Decembr. Theodoro V. C. Coss. [399.]

NOTAE.

(a) Aneſt & hæc *lex a Cod. Iuſt.* & ab *Annalibus* Baronii. Confirmari videtur *l.172. inf.* GOTHOFR.

(b) Eidem *Eutychiano* inſcribuntur *h t.* tres aliæ *leges*, puta *lex* 159 *ſup.* & *duæ leges prox.* 164. 165. *ID.*

(c) Theodoſii M. *ID.*

(d) Id eſt An. D. 388. *ID.*

(e) *77. Diaconos*, vt *l.49. ſup.* non vt Iuretus in *lib. 2. Ambroſ. adu. Symmach. p.327. Edit. Symmach. Paris 1604. in 4.* *vel Diaconi ID.*

† Legem Theodoſii M. *l 121. ſup.* latam Anno 390. quæ & confirmata, *l. 123. ID.*

(f) De Lectoribus: vid & *l.7.24. inf. de Epiſc. Eccl. & Cler. ID.*

COMMENTARIVS.

CLERICATV an & quomodo Curia quis liberari poſſit *hac l.* definit Arcadius Imp. (nam quid definierint alii retro Principes, *ſuperiores leges* docuerunt:) cuius de eadem re altera conſtitutio extat: puta *lex 3. ſup. de his qui ad Eccleſ. confug.* Et non abſimilis Theodoſii Iun. filii eius, puta, *lex 172. infr.* & altera eiuſdem *lex 21. Cod. Iuſt. de Epiſcopis:* ſi Triboniano credimus. Quarum illa *hanc* tempore præceſſit, & ad eundem Eutychianum PF. data eſt. Imo hæc lata ad eam abrogandam, & reducendam aliquatenus Theodoſii M. patris ſui *legem 121. & 123. ſupr.* ſcilicet Theodoſius M. iis *legib.* conſtituerat, Vt qui ex ſecundo Conſulatu ſuo, id eſt ab Anno Domini 388. Clerici facti fuerant, quocumque ſub nomine, omni patrimonio ſuo cederent: Quo pertinet quod Ambroſius ſcribit *epiſt. 29. ſiu. ep.17. lib. 2.* Atenim Arcadius noſter, Anno ſuperiore 398. *l. 3. ſup. de his qui ad Eccl. conf.* ad eundem Eutychianum data, quamque Eutropio auctore tulerat: (hæc enim illa eſt Arcadii conſtitutio quam Scriptores Eccleſiaſtici & Chryſoſtomus proſcribunt:) Decuriones velut manu iniecta mox reuocari voluit, ſic vt vlterius *legem* patris ſui prodeſſe eis non peteretur, quæ ceſſione patrimonii ſubſecuta, Decuriones eſſe clericos non vetabat. Verum hoc Anno *h. l.* ad eundem Eutychianum data, ſublato iam Eutropio, *legem illam 3.* Arcadius antiquauit, Patrique conſtitutionem *l. 121. & 123.* reduxit: ſub hac temporis & gradus conſideratione (vt Theodoſius Iun. filius eius loquitur *l. 172. inf.*) nempe vt qui ab An. D. 388. ad Clericatum ſeſe contuliſſent (quod & ipſum παράπηγμα Theodoſii M. poſuerat *d. l. 121.*) ſi iam Epiſcopi vel Presbyteri, aut Diaconi eſſent, vel ſubſtituto per ſe alio vel ſecundum Patris *legem* ceſſo Curiæ patrimonio Curia liberarentur: alii vero Clerici, puta Lectores, Subdiaconi, & Clerici, quibus Clericorum priuilegia non debentur, ad Curiam retraherentur: Cum tamen Theodoſius M. *d. l. 121. & 123.* omnes Curiales ab eo Anno factos Clericos ſub quocunque nomine Curia liberauerit, ſi patrimonio ſuo Curiæ cederent. Etſi idem quod ad eos, qui ante eum Conſulatum Clerici facti fuiſſent, pariter peculiarem Presbyterorum, Diaconorum & Exorciſtarum rationem habuerit. Et ſane, & in aliis quoque partibus horum ſuperioris loci Clericorum peculiaris ratio habita, vt oſtendet *inf. tit. de Epiſcopis:* quo *tit.* dixi ad *leg. 7.* Et in hac ipſa re, vt oſtendit Theodoſii M. patris *lex 121. ſup.* & Theodoſii Iun. filii *lex 172. inf.* Tandem quod ait, *vel hii Clerici, quibus Clericorum priuilegia non debentur*, id accipio de *Copiatis*, de quibus ad *l. 1. inf. de luſtrali collat.*

P.497. ## *De* RETRAHENDIS *Curialibus ex* MILITIA, *non obſtante fori* PRÆSCRIPTIONE.

CLXIV. (a) Idem AA. Eutychiano PF. P. (b)

SI quis vmquam, natus patre Curiali, vel (c) initis muneribus Curiæ affectata Militia, a ſuis conſortibus (d) in Iudicio Rectoris prouinciæ lite pulſabitur (e), nullo fori præſcriptionis obice (f), quæ quidem habeat locum, [vti (g)] licebit: In aliis actionibus, apud eundem prouinciæ Moderatorem ſuis allegationibus vtatur. Dat. V. Kal. Ian. Theodoro V. C. Cons. [399.]

NOTAE.

(a) Abeſt hæc *lex* a *Cod. Inſt.* GOTHOF.

(b) Eidem Eutychiano PP. inſcribuntur tres aliæ *leges* hoc titulo, *lex* 159. 163. *ſupr.* & *l.* 165. *prox.* ID.

(c) Curialis quis duplici ratione eſt, vel quia natus patre Curiali: vel quia iam iure nominatus munera iniit: & ſic actu, vt *l.* 137. *ſupr.* ID.

(d) Concurialibus. ID.

(e) *Pulſari* lite: v. *Gloſſ.* ID.

(f) *Obex* præſcriptionis: v. *Gloſſ.* ID.

(g) Hanc vocem Tilius his notis incluſit, proculdubio quam ex ingenio ſuo, & recte, addidit. ID.

COMMENTARIVS.

DE Foro eius, qui olim Curialis, Militia ſeu Officio vel Dignitate aliqua hodie munitus eſt, eſt hæc Arcadii conſtitutio: Quodnam videl. eius forum competens ſit? Ibi ita diſtinguit: ſi, inquit, lite pulſetur e *Curia*, vt videl. Curialis declaretur, atque adeo vel ſubſtitutum loco ſuo dare cogatur, vel patrimonio ſuo cedere (quod vtique ſtatutum fuit ab Arcadio *l.* 160. *ſupr.*) poſſe Curialem recte in Iudicio Rectoris prouinciæ lite pulſari ſeu conueniri: neque poſſe eum præſcriptionem fori veluti Senatorii, vel militaris, tanquam Senator vel miles hodie obiicere. In eo ſcil. priſtinum ſtatum & conditionem ſequi cogitur, atque adeo coram Rectore Prouinciæ recte conuenitur. In aliis vero actionibus, ſi non tanquam Curialis, vel ob Curialem perſonæ ſtatum conueniatur, poſſe hunc Curialem allegationibus ſuis vti apud Rectorem prouinciæ, id eſt, præſcriptionem fori allegare, ſeu ſubiicere. Quæ diſtinctio ſummopere notanda eſt: Poſſe ſcil. quem modo eiusdem fori præſcriptionem allegare, modo non poſſe: Item duplici ſtatu quem cenſeo poſſe, & priſtino & nouo: & pro eius diuerſitate, forum ſortiri. Quæ quidem corporis, Iuriſdictionis, Forique præſcriptionis, materiis adiici vtiliter poſſunt.

IVDÆOS *non ideo Curia liberari.*

CLXV. (a) Idem AA. Eutychiano PF. P. (b)

QVICVNQVE ex Iudæis obnoxii Curiæ comprobantur, Curiæ mancipentur. Dat. III. Kal. Ian. Theodoro V. C. Coss. [399.]

NOTAE.

(a) *L.* 10. *Cod. Inſt. de Iudæis*: vbi Conſulatus emendandus. GOTHOFR.

(b) *Eutychiano* huic PP. inſcribuntur *hoc ipſo titulo ſupr.* tres *leges*, puta *lex* 159. 163. 164. De eo plene *Proſopogr.* ID.

COMMENTARIVS.

IVDÆOS quoscunque Curiæ mancipari iubet *hac leg.* Arcadius Imp. A. D. 399. *Quoscunque* inquam, cum antea tamen idem Imperator Archiſynagogos, Patriarchas, Presbyteros Iudæorum &c. exemplo Clericorum a Curialibus muneribus immunes feciſſet, *l.* 13. *inf. de Iudæis.* Quid hanc in partem ſenſerit Conſtantinus M. docet eius *lex* 2. 3. *infr. de Iudæis*: quid Valentinianus Iun. *lex* 99 *ſupr.* quid Honorius, *lex* 157. 158. *ſupr.* quid Iuſtinianus, *Nouella eius* 45.

P.498. ## *De* FILIIS *Sacerdotum ad Sacerdotium non cogendis.*

CLXVI. (a) Idem AA. Pompeiano Proc. Afric.

IVXTA veterum morem Mecilianus Legatus (b) adſtruxit, (c) Vt Sacerdotum filii inuiti ad Sacerdotium non cogantur: Antiquam igitur conſuetudinem Laudabilitas Tua præci-

COMMENTARIVS.

DE Curialibus, qui ADMINISTRATIONEM vel prouinciæ regimen atque adeo ad Senatoriam dignitatem peruenerunt, ſunt hæ *duæ* Arcadii *leges*: Quarum *priore* Quatuor de bis ſtatuit. 1. eos ad Curiam manu mox iniecta ita retrahendos (pariter vi qui ad Eccleſiam confugerunt: quod idem paulo ante hoc ipſo Anno ad eundem Eutychianum PP. ſtatuit, *l.3. ſupr. de his qui ad Eccleſ.*) 2. vt & honore eos priuari iubeat. 3. & omnia Curialia munera ex integro ſubire velit, etſi nonnulla iam obierint. 4. & dimidia præterea patrimonii parte multari. Quæ vtique magna fuit nunc *Arcadii* ſeueritas, & cauterium ſeuerum: verum quod temporis ratio fors flagitabat, cum Curiæ paſſim deſererentur: vt non debuerit adeo Vertrauius Maurus *de iur. liber. c.23. pag.1023. Tom. III. Theſ. Iur.* adeo inuehi in hanc *leg.* velut Tyrannicam: præſertim cum non expletis muneribus plurimi ad dignitates procederent deſertis Curiis. Verum ad mitiorem mox ſententiam rediit Arcadius *poſteriore lege*, qua ſaltem in præteritum, vetuſtiorem hac parte *legem* reſtitutam iuit. Nempe dignitate Senatoria eis relicta, perque ſubſtitutum Curiæ munia explere iuſſis: deque rebus eorum ſeu patrimonio, alio & mitiore iure conſtituto. Hæc vero *lex 159.* eo ſingularis eſt, quod pœnæ loco *de integro*, ſeu ab exordio, & iterato, omnia munia quis ſubire cogatur. In vniuerſum vero qui ſcire auet quam varie hanc in partem ſenſerint Principes, conſulat is *leges 27. huius tituli*, in eo argumento occupatas, quas repetere licet ex *Paratitlo*.

De RETRAHENDIS *Curialibus ex* OFFICIIS *in quibuscunque prouinciis: deque his* EVOCANDIS *per Edicta.*

CLXI. (a) Idem AA. Meſſalæ PF. P. (b) Poſt alia.

PLECTIBILI (c) ſeueritate eorum fraudibus obuiandum eſt, qui genitalem Curiam deſerentes, ad indebita Officia fraude callidæ molitionis inrepunt. Et quamuis prouiſum † fuerat, congruæ emendationis occurſu, quemadmodum iſti, militiæ nomine & honore ſuſpenſo, Officiis redderentur, tamen quia hoc callido conſilio repererunt, vt euitatis prouinciæ ſuæ finibus, tanquam his eorum tantum interdictus fuiſſet acceſſus, peregrinos expeterent commeatus, ne diutius in perniciem Curiarum latitandi ſpes, & ſolatium eos inpunitatis exacuat, horum cupiditatibus obuiamus, vt ex eorum bonis, qui ſe, vel Proſecutioni, (d) vel muniis ciuitatum, interdictæ dudum ambitione Militiæ, vel qualibet fraude ſubtraxerint, Curiis quas deſeruerant, conſulatur. Itaque, ſi vocati edictis, intra anni metas (hii tamen qui manifeſtis Curiæ nexibus inligantur) latere potius quam redire maluerint, nec (e) ſuffecerint (f) qui ad vicem eorum munera patriæ poſt emenſum annum (vt ordinis ratio poſtularit) exſoluant, ſciant interpellatis prouinciarum Moderatoribus, ex facultatibus ſuis Curiis quas deſtituerunt conſulendum: Neque enim de inmaturo præiudicio, temporis poſſunt breuitate (g) cauſari, &c. Dat. XVII. (h) Kal. Septemb. Theodoro (i) V.C. CONS. [399]

NOTAE.

(a) *Lex 51. Cod. Iuſt. eod. tit.* hinc deſumpta eſt, reſecata inter alia priore eius ſententia. Iungendæ autem huic *lex 8. ſup. de contrab. empt.* (ſeu *lex penult. Cod. Iuſt. de reſcind. vendit.*) & *lex 6. ſupr. de Quæſtionibus*: & *lex vlt. Cod. Iuſt. de modo multarum. GOTHOF.*

(b) Italiæ. *ID.*

(c) Vid *Gloſſ. v. Plectibile*, & de delicto quod plectendum: ſic *Plectibilia* abſolute pro delictis, *l. 5. inf. de hereticis*: Sidonio *lib.4. ep.13* &c. Plectibilis vſurpatio *l.16. inf. de piſtoribus*: & de pœna: ſic plectibilis ſeueritas *h. l. ID.*

† Qua lege? *ID.*

(d) De Proſecutionis onere, quod Curialibus incumbebat vide quoque *l.1. infr. de tutelis*: & forte Libanii *Ep. ad Euphemium 210. ID.*

(e) Hanc ſententiam quoque reſecuit Τριβων. *ID.*

(f) Sufficere, hic & *l. 1. quemadm. mun. ciuil*, pro *ſubſtituere. ID.*

P.495. (g) *Breuitatem*, C. Iuſt. & melius *ID.*

(h) *γρ XII.* vt omnes illæ *leges* habent, quæ *huic* coniungendæ ſunt, *ID.*

(i) Hinc emendanda ſubſcriptio *l. vlt. C. Iuſt. de modo multarum*: *Theodoſio II. & Cynegio*, peſſime: orto errore ex *Theodori* nomine. *ID.*

præcipiat cuſtodiri, ita vt neque vllus indebite teneatur, & tam (d) idonei Sacerdotes deeſſe non poſſint. Dat. prid. Kal. Iul. (e) Med. Stilicone & Aureliano Coss. [400.]

NOTAE.

(a) Abeſt hæc *lex* a *Cod. Iuſt.* Iungenda autem ei *lex* 18. *infr. de luſtrali collat.* Imo & *lex* 2. *ſupr. ad leg. Iul. de ambitu:* quæ habet ſubſcriptum diem *Prid. Kal. Iun.* Sed & *lex* 3. *ſupr. de concuſſ. Aduoc. l.* 21. *ſupr. de annona: lex* 27. *infr. de ſuſcept.* cui ſubſcriptus dies *Pridie Kal. Ian.* Tandem & *lex* 60. *ſupr. de appell.* vbi ſubnotatus dies *Kal. Ian.* Vnus enim idemque dies & menſis omnibus his *legibus* ſubnotandus venit. *GOTHOFR.*

(b) Africæ proconſularis: de quibus legatis *ſuo tit. infr.* & quidem de vno tantum legato, de quo fidem quoque facit *l.* 116. *infr.* & *l.* 34. *ſupr. de annona:* & *lex* 3. *infr. de legatis*, vbi dicam. *ID.*

(c) Ideſt, *petiit. ID.*

(d) *rg. Tamen. ID.*

(e) *Ian.* alii. *ID.*

COMMENTARIVS.

SACERDOTVM filios ad Sacerdotium prouinciæ inuitos cogi non poſſe definit *hac l.* Honorius Imp. idque ad Legationem Africæ Proconſularis, quam Mecilianus apud eum obierat, id reſcribens: Qui hoc tempore de multis aliis Legatus ad Honorium Imp. ab Africa Proconſulari miſſus fuerat; vt præter *hanc l.* docent tot illæ *leges*, quæ *huic* coaſſandæ veniunt, & in his *lex* 18. *infr. de luſtrali collat.* De Sacerdotio prouinciæ dictum iam ſæpe ſupra, & monet pleniſſime *Paratitlon de Paganis.* Sed & adhuc nonnulla dicentur *infr. ad l.* 174. quæ huc omnino quoque faciunt. De legatis prouinciarum, & vno quidem aliquando (*vt hic*) ad Principem, erit *infr. titulus peculiaris hoc ipſo libro.* Interim notetur priuilegium hoc, & quidem antiquum *iuxta veterem morem*, ſecundum *antiquam conſuetudinem*, vt filii Sacerdotum a Sacerdotio (per Africam) immunes eſſent. Satis ſcil. viſum tam graue onus Sacerdotii ex vna eademque familia ab vno, patre inquam, ſuſtineri. Quod & alio fors quoque vtiliter transferri poteſt. Aliunde igitur idoneos ſacerdotes eligi voluit Honorius.

Per SVBSTITVTVM *Curialibus muneribus fungi quem non poſſe.*

CLXVII. (a) Idem AA. & Theod. A. Anthemio PF. P. (b)

NE quis Curialium per ſubſtitutionem (c) muneribus ſe patriæ, quibus natus eſt abſtrahat, intercludi (d) Curialibus iuſſimus licentiam ſupplicandi. Dat. III. Non. Octobr. Conſtantinop. Arcad. A. VI. & Probo Coss. [406.]

NOTAE.

(a) Abeſt & hæc *lex* a *Cod. Iuſt. GOTHOFR.*

(b) Orientis: totos vndecim annos, cui tres aliæ *hoc tit.* inſcribuntur, puta *l.* 168. 169. 173. Ad eum extat *epiſtola* Chryſoſtomi 147. *T. III. Edit. Benedict.* (vbi eius Conſulatus & Præfecturæ meminit) V. & Syneſium *ep.* 47 49. 73. 75. 79. Socratem *lib.* 7. *c.* 1. Sidonium *carm.* 2. *v.* 94 & Chron. *Alexand.* hoc ipſo Anno 406. *pag.* 715. *Edit. Raderi.* Hic eſt, qui poſt Arcadii mortem totam Imperii molem pro Theodoſio Iun. adhuc impubere ſuis humeris ſuſtinuit, teſte Socrate *lib.* 7. *c.* 1. cuius ideo factum quoddam ſeu prouiſionem incunctanter probat Arcadius *l.* 169. *infr.* *μέγας* Ἀνθέμιος Syneſio: *τῶν νῦν ἀνθρώπων φρονιμώτατος, omnium hominum prudentiſſimus*, Socrati. Multis & eximiis laudibus ornatur a Chryſoſtomo *dict. ep.* 147. *ID.*

(c) Ideſt, per ſubſtitutum alium. *ID.*

(d) *Et ſuper eo intercludi. ID.*

COMMENTARIVS.

SVBSTITVTO pro ſe alio, etſi a Principe quis id impetrauerit, quemquam, a Curia liberari vetat *h. l.* Arcad. Imp. Quod ipſum a Theodoſio M. patre Arcadii vetitum, *l.* 111. & 118. *ſupr.* circa Curialem nominatim Senatorem factum. Atenim *hac l.* Arcadii accipienda de ſimplicibus Curialib. nam dignitatem ſortitos, vel etiam Clericos factos pro ſe alios ſubſtituere permiſit: *l.* 160. & 163. *ſup.* ſane & hæc ſubſtitutio multis aliis *legibus* probata, de quibus *ſupra.*

Hac vero *leg.* improbata in Curialibus ſeu Curiæ nexis. Atenim idem Arcadius hanc ſubſtitutionem admiſit in cenſitis ſeu adſcriptitiis, hi quippe clericati, ſeu Clerici facti, & capitationis ſarcinam per dominum agnoſcere poſſunt, & in ruralibus obſequiis quo maluerint SVBROGATO vti, vt cauetur *leg.* 16. *Cod. Iuſtin. de Epiſcop.* quæ ad eundem Anthemium PP. data Anno Dom. 409. & *legi* proximæ forte iungenda. Atque ita ex his 499. duabus legibus inter ſe coniunctis differentia noſcitur inter Curiales, & cenſibus adſcriptos.

De

De RETRAHENDIS *Curialibus ex quacunque* MILITIA.

CLXVIII. (a) Impp. Honor. & THEOD. AA. Anthemio PF. P. (b)

VNIVERSARVM ciuitatum Ordinibus conſulentes, retro Principum ſtatuta firmamus, vt nemo nexui Curiæ mancipatus ad euiuslibet militiæ ſacramentum audeat aſpirare, vel hoc admiſſo, mox abſtractus militia, obſequiis oppidaneis mancipetur. Dat. XV. Kalend. Iun. Conſtp. Honor. VIII. & Theod. III. AA. Coss. [409.]

NOTAE.

(a) Abeſt & hæc *lex* a *Cod. Iuſt.* Forte iungenda *huic* eſt *lex* 4. *ſupr. ne conlationis translatio. GOTHOFR*

(b) Cui tres aliæ *hoc tit.* inſcribuntur; *lex* 167. *ſupr.* (vbi dixi) *lex* 169. *prox.* & *lex* 173. *infr. ID.*

COMMENTARIVS.

THEODOSII Iunioris tredecim Conſtitutiones ſequuntur, puta præter hanc leg. *lex* 169. 172. 173. 175. 177. 180. 182. 183. 184. 187. 188. 189. 190. 191. 192. Quarum omnium Synopſis hæc eſto.

MILITIA quacunque ſeu OFFICIO Curialem liberari vetat *hac l.* Theodoſius Iun. vniuerſarum Ciuitatum Curiis conſulturus, quæ hac tempeſtate plurimum labefactatæ fuerant. Quod oſtendunt & ceteræ Theodoſii Iun. conſtitutiones. Sane prohibitio ſimilis eſt *legis* 180. 183. 188. *infr.*

De DVVMVIRORVM *cenſu Antiochiæ erecto per præbitionem* 600. *ſolidorum, ad Ludos eo facilius edendos.*

CLXIX. (a) Idem AA. Anthemio PF. P. (b)

SEXCENTORVM ſolidorum præbitionem, qua Magiſtratuum (c) cenſus Antiochenæ per Syriam ciuitatis, cum frequenter nutaret, erectus eſt, (d) gratanter admiſimus. Fruatur itaque decora Ciuitas (e) tuæ prouiſionis (f) iugiter incrementis, & largitione Noſtræ Clementiæ, vt ſub hac oblectatione (g) populus (h) ſua triſtitiis (i) conſoletur. Dat. V. Kalend. Octobr. Conſtp. Honor. VIII. & Theod. III. AA. Coss. [409.]

NOTAE.

(a) Abeſt hæc *lex* a *Cod. Iuſt.* Iungenda huic *lex* 18. *ſupr. de exactionibus.* Neque adeo improbabiliter *lex vn. ſupr. de Nili agger.* & *lex* 2. *ſupr. quis in gradu. GOTHOFR.*

(b) Eidem inſcribuntur tres aliæ *hoc tit.* puta *lex* 167. (vbi de eo dixi plenius, vt & *ad l.* 26. *ſupr. de cohort.*) *l.* 168. *ſupr.* & *lex* 173. *infr. ID.*

(c) Ideſt, Duumuirorum, qui ludos edebant: ideo *infr. vt ſub hac oblectatione populus ſuam triſtitiam conſoletur. ID.*

(d) A te, Anthemio PP, vt *infr.* mox, *tuæ prouiſionis incrementis. ID.*

(e) Antiochia, *ID.*

(f) De hac *Prouiſionis* voce v. *Gl. Theod. ID.*

(g) Vid. *leg.* 2. *infr. de expenſ. ludor. ID.*

(h) Antiochenus, *ID*

(i) *γρ.* Vel *ſua triſtitia:* vel *ſuam triſtitiam.* Ita quoque Arcadius *l.* 2. *infr. de Maiuma: Ludicras artes concedimus agitari, ne ex nimia harum reſtrictione* TRISTITIA *generetur. ID.*

COMMENTARIVS.

DE ANTIOCHENORVM in Syria Magiſtratuum, ſeu Duumuirorum, *Cenſus* incremento ſeu ſupplemento, eſt hæc Theodoſii Iun. lex, quæ pars eſt Conſtitutionis prolixioris Theodoſianæ, vnde deſumpta pariter eſt *lex* 18. *ſupr. de exactionibus:* & aliæ forte, quas iam indicaui. De quo *cenſu* antequam ago, in genere ſciendum: Quemadmodum cenſus quidam Senatorius olim Romæ fuit, ne videlicet rei foret familiaris tenuitas Ampliſſimo Ordini dedecus, aut ſordidioris quæſtus cupiditatem iniiceret, teſte Dione, *lib.* 54. *ad an. V. C.* 741. & Suetonio, *in Octauio cap.* 41. Ita & ſane quidam in municipiis Decurionum cenſus requirebatur, quod aperte teſtatur Plinius, *lib.* 1. *ep.* 19. & Paulus in *l.* 21. *§.* 4. *D. ad municip.* & Liban. περὶ τῶν προσταςιῶν, *p.* 9. *Edit. Gothofred.* & *pag.* 366. *Oper. min. Gothofred. Edit. Cl. Trotz.* Ad tuendum videl. Ordinis decus, & ſubeundo munera. Quare & Conſtantii *leg.* modus præſcriptus, vt ad Curiam quis nominari poſſet, ſi quis vltra 25. iugera poſſideret; quod docet inſignis eius *l.* 33. *ſup. h. t.* Ve- P. 500.
rum de hoc in commune Decurionum cenſu non

eſt

eſt *hac lex:* Neque etiam de eo cenſu, qui in Decurionibus legendis ſpectabatur, quem ſane alias ſpectatum indubium eſt: cum maxima his onera incumberent, ac maxime Antiochiæ, (de quo plene *mox:*) Verum, eſt hæc *lex* de cenſus Duumvirorum Antiochenorum ſupplemento. Nempe vt Senatorum cenſum collapſum Principes olim ſæpe expleuere, ſeu non habentibus ſuppleuere, veluti Auguſtus, teſte Suetonio *in Octauio cap. 41.* Nero, *teſte* eodem Sueton. *c. 10.* & Tacit. *lib. 13. Annal. c. 34.* Veſpaſianus, quod ſcribit idem Suetonius *c. 17.* Hadrianus, auctore Spartiano *in eius vita cap. 7.* Quo facto non ipſis tantum Senatoribus conſultum iuere, verum etiam dignitati Ordinis Senatorii: præſertim ſi Senatores non ſuo vitio decoxiſſent, verum liberalitate forte in Rempublic. aliaque qua cauſa probabili. Ita & hac tempeſtate Duumvirorum Antiochenorum cenſum Anthemius PP. & Theodoſius Iunior Imperator erectum iuere, cum frequenter is *nutaret:* nutaret inquam, ſic vt Magiſtratus Antiocheni oneribus, quæ ſibi incumberent, implendis non ſufficerent, ac nominatim ludis ad populi oblectationem edendis: Ea ſcilicet expenſarum & ſumptuum magnitudo pro vrbis magnitudine & decore, Populique in ludos ſtudio requirebatur, vt iam vel locupletiſſimi iis non ſufficerent: accedente etiam Iudicum (vt hoc addam) nimio in ludos ſtudio, vnde Curialium vires atteritæ: quod docet *lex 2. infr. de expenſ. ludorum,* & Libanius περὶ τῶν δεσμωτῶν, *p. 63. Edit. Gothofred. & pag. 407. Oper. minor. Gothofred. Edit. Cl. Trotz.* vbi iam dictum.

De Antiochenæ ciuitatis dignitate decore pulchritudine *alibi* iam ſæpe dictum, & ad *veterem Orbis deſcriptorem,* ſub Conſtantio *p. 12.* vbi plura congeſſi, quæ oſtendunt, quam vere decoram Ciuitatem Theodoſius Iun. *hac leg.* vocet, cum duplici ferme elogio ea Vrbs olim cenſeretur, μεγάλης καὶ καλῆς, vt videre eſt apud Philoſtratum *in vita Apollonii, cap. 12. pag. 21. Edit. Morell.* Libanium *in Baſilico p. 122. & orat. pro Rhetorib. pag. 86. de vita ſua. p. 1. 2. initio Monodia ſupr. Daphnae incenſo pag 185. & ad Theodoſium* περὶ στάσεως *pag. 390. Edit. Morelli.* & prolixe *in Antiochico.* De populi quoque Antiocheni in ludos ſtudio dixi *alibi:* & eſt inter alios inſignis Herodiani locus *lib. 2. in Pertinace, cap. 7. in fin.* & Procopii *Perſicorum lib. 1. cap. 17.* Itemque de Antiochenæ Curiæ dignitate dixi ad *l. 51. ſupr.* & ad *Libanium* περὶ τῶν δεσμωτῶν, *p. 18. 19. Edit. Gothofred* & *pag.* 406. *Oper. min. Gothofred. Edit. Cl. Trotz.*

Ergo & ipſe Ciuitatis decor, & populi ſtudium, magnas vt in commune expenſas requirebat, ita nominatim Curialibus indicebat: Vnde peculiaris etiam Curialium Antiochenorum Principibus ratio fuit: ad quos pertinet *lex* 51. 53. 131. *ſupr.* ſic vt iam ſatis grauatos immodico ſumptu prægrauari nollent, quo ſpectat *d. lex* 131. & fortunis locupletes nominari iuberent: quo ſpectat *d. l. 53.* denique facultatibus lapſos erigerent, quo pertinet hæc *lex* noſtra. Inſignis eſt admodum Libanii *Antiocheni* locus in *Antiochico p. 357. 358. Edit. Morell.* de ingentibus ſumptibus Curialium Antiochiæ, quos animoſe faciebant, ſic quidem vt iam tum (quod ſane euenisse poſtea hæc *lex* oſtendit) præuiderit fore, vt ad incitas multi redigerentur, ὡς ἤδη φόβον, μὴ πρὸς ἔνδειαν ὑπενεχθῶσι παριστάναι, ἐν πολυτρόποις εἴδεσι τὰς ἀναλώσεις ποιούμενοι, νῦν μὲν τὸ πλῆθος διατρέφοντες ἐν ταῖς χρείαις, καὶ ἐπιδόσεσι τὰς τῆς γῆς ἐνδείας ἀφανίζοντες; ἀεὶ δὲ τὴν πόλιν ἅπασαν λουτρῶν τε ἀπολαύσει, καὶ θεαμάτων χάρισιν ὠφελοῦντές τε καὶ ψυχαγωγοῦντες, &c. quæ ita vertit Morellus: *vt iam timor inſtet ne ad neceſſitatem redigantur, dum multiplicibus modis impenſas faciunt: quandoquidem nunc multitudinem educant ad vſus, & largitionibus ad terræ neceſſitates comminuunt opes: deinde ſemper cunctam ciuitatem fruitione & ſpectaculorum ſuauitatibus fouent atque exhilarant.* Et mox: ὥσπερ γὰρ θεῶν τινα ἐγγυητὴν ἔχοντες, ὅτι ὧν ἂν πρόωνται διπλάσια παρὰ τῆς τύχης ἀφίξεται, οὕτως ἐκκεχυμένως ἀναλίσκουσιν εἰς ἀγῶνας ἱππικούς τε καὶ γυμνικούς, οἱ μὲν ἀξίως τῶν ὄντων σφίσιν, οἱ δὲ μειζόνως ἢ κατὰ τὰ ὄντα σφίσιν &c. quæ vertit Morellus: *perinde enim ac ſponſorem Deorum aliquem haberent, fore, vt dupla eorum, quæ profundunt a fortuna reſtituerentur, ſic prodige ac prodigialiter inſumunt in certamina equeſtria & ludos gymnicos, quidam pro dignitate facultatum ſuarum, alii ſupra fortunas.* vbi plura etiam de certamine circa maiores ſumptus faciendos. Qui quidem locus integer ad *hanc leg.* egregie facit. Ergo cum & vrbis magnitudo decorque, & populi ſtudium tam magnos ſumptus præſertim in ludicra exigerent, & Curiales ipſi, Magiſtratusque ſuopte ingenio ad ea ferrentur, ſic vt exigendi nullus iam prope modus eſſet, Magiſtratuum cenſus quantumuis magnus foret, ad id ſufficere non viſus; vnde paulatim voluptates ludique in populum frigeſcere. Igitur ne ſolitis, ἐγκυκλίοις Oblectationibus, populi Antiocheni quidquam detraherent, iiſque populus ſua triſtia conſolaretur (quem ipſum finem Arcadius ludis in populum proponit *l. 2. infr. de Maiuma:*) e re viſum, Magiſtratuum cenſum Antiochiæ, cum frequenter nutaret, ideſt, in ludos non ſufficeret, erigere. Et vero viſum *Anthemio PP.* cui *h. lex* inſcribitur, quique molem Imperii Theodoſiani hac tempeſtate ſuſtinuit: de quo dixi plene ad *leg. 167. ſupr.* & ad *l. 26. ſup. de cohort.* eum erigere ſexcentorum ſolidorum præbitione & incremento, e vectigalibus ſcilic. publicis. Id quod *h. l.* confirmat Theodoſius Iun. pro ſuo partim in vrbem Antiochenam ſtudio, quo pertinent elogia, quibus eam proſequitur: partim Populi oblectandi cupiditate per ludorum celebritates, quas Duumuiri edebant: de quibus Magiſtratuum editionibus ſuit iam *l. 29. ſupr.* & *l. 1. 4. inf. de ſpectacul.* eſt & Tertulliani locus *lib. de ſpectaculis, c. 12.* Libanii *pro Ariſtophane ad Iulianum p. 212.* & *de vita ſua, p. 2. Edit. Morell.* Idem alibi * docet peculiarem veſtem Romanam Decuriones ideo geſtaſſe. καὶ διὰ τοῦτο ἐσθῆτα ὁ λειτουργῶν, ἥνπερ ὁ Ῥωμαῖος, φορεῖ, δόντων Ῥωμαίων, ὅπως μηδὲν ὑβριστικὸν περὶ τὸ σῶμα τὸ τοιοῦτο γίγνηται: ἀλλ' ὁ θαυμάσιος

* Locum non inuenio. Forte eſt in inedita Orat. adverſ. Icarium.

μασιος ὗτος καταγελᾶ μὲν τῶν λαβόντων, καταγελᾶ δὲ τῶν δεδωκότων, ἐᾷ δὲ τὴν ἐσθῆτα δυνάσθαι τοσῦτον, ὁπόσον ἔχει παρὰ τῦ νόμυ, propterea etiam is, qui munus edit, toga romana vtitur, concedentibus ipſis Romanis, ne quis corporalibus iniuriis eum afficiat. Sed mirus ille, & eos qui togam acceperunt, & eos qui dederunt, ridet, togaque non plus tribuit, quam a lege ei ſcit eſſe tributum.

De RETRAHENDIS *Curialibus.*
CLXX. (a) Idem AA. Liberio PF. (b) Poſt alia.

EOs Curiales, qui non expletis muneribus, declinarunt eſſe quod nati ſunt, reddi vrbibus debita cenſura (c) præcipimus, &c. Dat. VI. Kal. Dec. Rau. Honor. VIII. (d) & Theod. III. AA. Coss.

INTERPRETATIO. *Quicunque curialis non actis ſeruitiis, quæ debebat, a debito officio declinauit, ad ciuitatis vnde diſceſſit ſeruitia reuocetur.*

P. 501.

NOTAE.

(a) Abeſt hæc *lex* a *Codice Iuſtin.* Iungendaque ei *lex* 2. *infr. de Collegiatis:* & *Lex* 2. *ſupr. de cohortalibus.* GOTHOFR.

(b) Italiæ. *ID.*

(c) *Aut debita cenſura*, Sichard. *RITTER.*

(d) *yg. Honorio IX. & Theod. V. AA. COSS.* vt habetur *d. l.* 2. & *d. l.* 25. *GOTHOFR.*

COMMENTARIVS.

RETRAHI ſeu reuocari Curiales, qui muneribus patriæ non expletis Curiam declinarunt, alia forte militia, iubet *hac l.* Honorius Imp. pariter vt Apparitores ſeu Officiales, *l. 25. ſupr. de cohortalib.* & Collegiatos ac Corporatos, *l. 2. infr. de Collegiatis:* quæ duæ *leges* ceu eiusdem conſtitutionis partes *huic* coniungendæ ſunt: & ex quibus *huius l.* ſubſcriptio emendanda venit: Quòd cum ita ſit, πρωθύστερον *hic* admiſſum ab *huius Codicis* Conditoribus: huicque & proximæ tres anteferri debuerunt leges, puta *lex* 171. 172. 173.

De PRINCIPALIBVS *1. Quanto tempore id munus ſuſtinere debent: 2. Qui eligendi. 3. Secundo inter eos primi priuilegia quandoque tribuenda.*

CLXXI. (a) Idem AA. Dardano PF. P. Gall. (b)

PLACVIT Principales (c) viros e Curia in Galliis non ante diſcedere, quam quindecennium in Ordinis ſui Adminiſtratione (d) compleuerint, per quæ annorum moderata curricula impleant patriæ gratiam. Et quamuis cunctos deceat reuocari, qui breui tempore videntur (e) elabſi, ſectandam tamen moderationem eſſe cenſuimus, vt eos tantum ad declinatas neceſſitates nunc redire iuberemus, qui ante hoc receſſiſſe ſexennium deteguntur. Nec quemquam conuenit conſtituta ſalubriter annorum ſpatia recuſare, quando, expletis omnibus, ſplendoris & honoris ornamenta ſuccedunt. (f) Sane quoniam Principalem locum, & Gubernacula Vrbium probatos adminiſtrare (g) ipſa magnitudo depoſcit, ſine Ordinis præiudicio, conſenſu Curiæ eligendos eſſe cenſemus, qui, contemplatione, actuum, omnium poſſint reſpondere iudicio. Cum (h) vero qui, vſque ad ſecundum (i) euectus locum, Adminiſtrationem (k) aut ætate implere, aut debilitate nequiuerit, ſuffragium meritorum, & tranſactæ teſtimonium vitæ, tamquam Primus conſtituto tempore Curiam rexerit, obtinere conueniet. Dat. VII. Id. Decemb. Rau. Honor. VIII. (l) & Theod. III. AA. Coss. [409.]

NOTAE.

(a) Abeſt hæc *lex* a *C. Iuſt.* GOTHOFR.

(b) Hic eſt ille *Claudianus Poſtumus Dardanus* PP. Galliarum, & quidem bis, cuius meminit & Olympiodorus *apud Photium Cod. LXXX. in geſtis Anni* 413. *pag.* 186. *Edit. Schotti.* Proſper *Chronico: in Anno* 413. *Sidonius lib.* 5. *epiſt.* 9. Ad quem & Hieronymus & Auguſtinus ſcribunt; & Hieronymus quidem *Epiſtola ad Dardanum in fin.*

ſia. pag. 47. *Tom. III. Oper. Edit. Francſ.* duplicem eius Præfecturam commemorat. Tandem & vetus de eo Inſcriptio extat prope Siſtaricum in II. Narbonenſi, quam etiam Sirmondus in Sidonium protulit.

. CL. POSTVMVS. OARDANVS. V. INL. ET. PA
TRICIAE. OIGNITATIS. EXCONSVLARI. PRO
VINCIAE. VIENNENSIS. EXMAGISTRO. SCRI
NI. LIB. EXQVAEST. EXPRAEF. GALL
ET. NEVIA. GALLA. CLAR. ET. INL. FEM. MA
TERFAM. ESVS. LOCO. CVI. NOMEN. THEOPO
LI. EST. VIARVM. VSVM. CAESIS. VTRIMQVE
MONTIVM. LATERIB. PRAESTITERVNT
MVROS. ET. PORTAS. OEDERVNT. QVOO
IN. AGRO. PROPRIO. CONSTITVTVM. TVE
TIONI. OMNIVM. VOLVERVNT. ESSE. COM
MVNE. AONITENTE. ETIAM. V. INL. COM
AC. FRATRE. MEMORATI. VIRI. CL. LEPIDO
EXCONSVLARI. GERMANIAE. PRIMAE. EX
MAG. MEMORIAE. EXCOM. RERVM. PRIVAT
VT. ERGA. OMNIVM. SALVTEM. EORVM
STVOIVM. ET. OEVOTIONIS. PVBL: TITV
LVS. POSS: : OSTENOI

Ita Sirmondus clarius quam vt ex Scaligero habebat Corpus *Inſcriptionum, CLI.* 6. Quanquam neque omittendum, quod ibi *in fine* extat T. VEV. SARO... SS. Vbi latere puto *Varanis* Conſulatum ita, FLAV. VARONE.... COSS.., nam & ita promiſcue *Varane, Varana,* imo & *Varone*, quomodo ſcriptum eſt *l.* 15 *ſupr. de proximis*, quod in *Bautone* perperam tranſiit *l.* 3. *infr. de Religione.* Qui quidem an. Conſulatus Anno 410. congruit: atque adeo proxime *huius leg.* Coss. ſequitur. *ID.*

(c) De Principalibus, vid. *Paratition. ID.*

(d) *Adminiſtratio* tribuitur Principalibus *hic* & *fine legis* rurſum: & mox *infr. circa medium Gubernacula vrbium adminiſtrare* dicuntur. Item *fine legis, Curiam regere. Magnitudo* (muneris vel officii) ei tribuitur *infr. ID.*

(e) Pro, *ſunt elapſi. ID.*

(f) *Succedant. ID.*

(g) Dixi iam ſupra ad vocem, *adminiſtratione. ID.*

(h) *γρ. Eum. ID.*

(i) Ideſt, Principalitatem ſeu principalem locum. *ID.*

(k) Iam dixi *ſupr.* ad vocem *Adminiſtratione. ID.*

(l) Hunc Conſulatum hic non immuto, in quem incidit prima Dardani Præfectura, vnde Anno (vt mihi videtur) proximo 410. *ex Præf. Prætorio Galliarum* vocatur. Poſtea enim Anno 413. Præfecturam eandem rurſum geſſit: quo Anno de eo agunt Olympiodorus, & Proſper in rebus Iouini Tyranni. *ID.*

COMMENTARIVS.

P. 501. DE PRINCIPALIBVS quidem GALLICANIS Curiarum (de quibus *Paratitlo* plene, & de quorum munere in genere nonnulla *hac lege* aſperguntur quæ *in Notis* diſcuſſi.) Tria *hac l.* ab Honorio Imp. conſtituuntur: Quo tempore ſane Gallia miſere a Barbaris gentibus & Tyrannis lacerabatur, Dardano Galliarum (quatenus Imperio Romano reliquæ erant) Præfecturam pro Honorio gerente, de quo *in Notis ad hanc l.* plene dixi. De quibus Curiis per Gallias ſunt quoque *lex* 75. 141. 148. *ſup. l.* 2 *ſup. de Quæſtionibus: l.* 3. *inf. de Iudæis.* Et de Principalibus per Gallias eſt inſuper *d. lex* 75. *ſup.* & inſignis locus Saluiani *lib.* 5 *.c.* 4.

Primum caput eſt, de TEMPORE Principalitatis, quanto videl. tempore Principales eo munere fungi oporteat: nempe Quindecennium integrum Honorius Principalium adminiſtrationi *hac l.* ponit, & ſic indictionem integram, ſeu *σύςημα πεντεκαιδεκαετηρικὸν*. Ante hoc tempus eos Curia recedere vetat: contra, gratiam hoc tempore patriæ implere, Ordinem ſuum ſeu gubernacula vrbium adminiſtrare iubet: denique Curiam regere. (Ita enim *hac leg.* Principalium munus deſcribitur:) Quorum muneris potiſſima pars fuit, adſcriptio & exactio tributorum, vt docet *lex* 117. *ſup. l.* 5. *ſup. de his quæ admin. lex vn. ſup. de priuil. Dom. Auguſtæ*, & Saluianus *lib.* 5. *c.* 4.

Porro non temere ſpatium hoc quindecim annorum ſtatui a ſe addit Honorius, ac proinde id recuſare non poſſe Principales, quandoquidem, expleto eo munere, *ſplendoris & honoris ornamenta ſuccedant.* Quindecennii onus defugere non debet, qui eo exacto tot honoribus cumulatur: Nempe Principalitatis honore defuncti immunes ab omnibus muneribus habebantur honoremque ex Comitibus conſequebantur, & ab iniuriis corporalibus immunes erant, *l.* 75. *ſup.* quam *legem* notandum eſt, & ipſam ad Galliarum Principales pertinere. Cæterum iubet Honorius *hac l.* eos Principales ad Curiam reuocari, qui tanto tempore Principalitatis munere non functi e Curiis per Gallias receſſerant: ſi modo inter hoc ſexennium receſſiſſent, id eſt ab A. D. 404.

Secundum caput eſt de NOMINATIONE ſeu ORDINATIONE Principalium: Nempe ſine Ordinis præiudicio, eos eſſe eligendos, qui probatiſſimi

mi ſint: quique, vt *hac l.* dicitur, *contemplatione actuum, omnium poſſint reſpondere iudicio.* Quod & ipſum idem Honorius iam antea pariter per Gallias conſtituit duabus conſtitutionibus puta *l. 140.* & *l. 148. ſup.* vt ad ſubeunda patriæ munera digniſſimi & meritis & dignitatibus eligantur, neque tales forte nominentur, qui functiones publicas implere non poſſint, ac nominatim Sacerdotes, *d. l. 148.* Principales *h. l.* ſcilicet ipſa Magnitudo huius muneris (quod antea deſcripſimus) depoſcit, vt *probati* maxime eligantur. Quo pertinet in genere alioquin vulgatum illud *l. 7. D. de munerib. honores & munera non ordinationi, ſed potioribus iniungenda.*

Tertio capite Honorius *hac l.* ſingulari indulgentia, etiam ad SECVNDVM euectis Curiæ locum, ſuffragio meritorum, ſi Primum inter Principales locum implere non poſſint, vel ætate, vel debilitate, *Primi* tamen priuilegia tribuit: de quo primo Curiæ agitur & *l. 127.* & *l. 189. inf.*

1. *De* SENTENTIIS *gratioſis in fraudem Curiarum reuocandis.* 2. *de Curialibus* CLERICIS *factis.* 3. *de* SPONTANEIS *retinendis.* 4. *de* FILIIS *eorum.*

CLXXII. (a) Idem AA. Herculio (b) PF. P. Illyrici.

SENTENTIÆ conquieſcant, quæ in præiudicium Curiarum transactis temporibus (c) ſub examine Magnificæ Sedis Tuæ contra rationem veritatis prolatæ Curiæ debitos per gratiam abſoluerunt: Vniuerſique, quos ſors naſcendi municipalibus muneribus obligauit, fortunam (d) propriam ſubire cogantur. Eos autem, qui ſub patrocinio *Clericatus* muneribus debitis patriam fraudauerunt, reddi ſub ea conditione præcipimus, vt pro temporis conſideratione, & gradu quem in Eccleſiis obtinent, vel ipſi ad ſtatum priſtinum redeant, & functionibus municipalibus obſecundent, vel eorum patrimonia Curiis conſignentur. His etiam, qui vltro ſe Curiarum cœtibus inſeruerunt, in ea, quam elegerunt fortunam (e) a reſidentibus: Circa eorum filios Legum † auctoritate ſeruata. Dat. IX. Kal. Iun, Conſtantinop. Varane V. C. CONS. [410.]

NOTAE.

(a) Abeſt hæc *lex a Cod. Iuſt.* Iungenda ei forte *lex vlt. ſup. ne conlat. translatio poſtul.* GOTHOFR.

(b) *Herculio* huic PP. Illyrici præter *hanc leg.* & *d. l. vlt.* inſcribitur Anno 408. *lex vlt ſup. de Equor. collat.* & An. 412. *lex 49. inf. de operib. publ* ad eundem extat Io. Chryſoſtomi *epiſtola* 201. *Tom. III. Edit. Benedictin. ID.*

(c) Ab A. D. 408. a quo Herculius hic PP. Illyrici reperitur. *ID.*

(d) *Fortuna* hic, & mox rurſum *inf.* aliiſque locis pluribus pro ſtatu, conditione; vide Gloſſ. Theod. *Fortuna propria*, ἰδία τύχη, eodem ſenſu in eadem re apud Socratem *lib. 2. c. 41. ID.*

v. 503. (e) *γρ. Fortuna reſidentibus*, niſi malit quis, *in ea, quam elegerunt fortunam amare reſidentibus.* Sed prius illud malim. *ID.*

† *Leges* de filiis vltroneorum Decurionum. *ID.*

COMMENTARIVS.

ILLYRICI Orientalis (cuius duæ diœceſes fuerunt, Macedonia & Dacia, & illius quidem prouinciæ inter alias Achaia, Theſſalia, Epirus) Curiis quatuor rationibus ſeu capitibus conſultum it *hac l.* Theodoſius Iun. Anno Domini 410. pariter vt *l. 177. infr.* ea Hiſtorica ratione, quam expendam *dict. l. 177. infr.* Et hoc quidem.

Primo Reuocari ad Curiam iubet eos, qui perperam contra rationem veritatis ab Herculio PP. Illyrici cui *hac lex* inſcribitur, per gratiam Curia abſoluti fuerant. Quod & ipſum aliis *legibus* cauetur, ſententia per gratiam Curia liberatum ad Curiam retrahendum, *l. 68. 77. 89. ſup.* & *d. l. 177. inf.* veluti, ſi cum angoſtia eſſet Ordinis, neceſſitate expreſſa gratioſa profeſſione Curia liberatus fuit, vt in ſp. *dict. l. 177.* vbi vide quæ dico.

Secundo, Clericos ex Curialibus factos ad Curiam ſtatumque priſtinum redire, niſi longo iam tempore Clerici fuerint. (Quod & Valentis menti, *l. 19. inf. de Epiſcop.* & Theodoſii M. Aui congruit, *l. 121. 123. ſup.* de hoc vide & Ambroſium *ep. 29.* ſiu. *lib. 2. ep. 17. in fin. Tom. V. Oper. Edit. Pariſ.* & Arcadii Patris huius, *l. 163. ſup.* vbi dixi; vel niſi ſummatem aliquem gradum inter Clericos iam teneant, veluti Epiſcopi, Presbyteri &c. Quo caſu facultatibus eos cedere vult Theodoſius Iun. *hac l.* Quod & ipſum Theodoſii M. Aui, Patriſque Arcadii menti conuenit *dictis legibus*: de quo dixi ad *d. l. 163.* Qua *leg.* Arcadius vel ſubſtituti dandi, vel cedendarum facultatum neceſſitatem iniungit. Quod prius ſi Triboniano credimus, etiam Theodoſius Iun. poſtea probauit, *l. 21. Cod. Iuſt. de Epiſcop.* quæ conferenda venit *l. 187. 188. infr.* Memorat & ipſe Theodoſius Iun. ſuam ſuper hoc conſtitutionem, *l. vn. ſupr. de bonis Clericorum.* Anaſtaſius memorat Bonifacium Pontificem, qui ſedit ab A. Domini 419 ad 423. conſtituiſſe, nec ſeruum Clericum fieri, nec obnoxium Curiæ, vel cuiuslibet rei. Cæteros qui non

diu

diti Clerici fuerunt, vel inferiorem locum tenent, iubet Theodoſius Iun. *hac l.* vel ad Curiam retrahi, vel patrimonio ſuo Curiæ cedere. Quod & ipſum ad mentem Theodoſii M. & Arcadii eſt: quod docent *leges* illæ. Tandem vt dixi memorat ſuper hoc Theodoſius Iun. conſtitutionem ſuam, *leg. vn. ſup. de bonis Clericor.* quæ ad *hanc l.* forte reſpicit.

Tertio capite neceſsitatem impoſuit Theodoſius Iun. ſpontaneis, vltroneis, voluntariis Decurionibus, in Curia remanendi: Voluntarii ſcilicet, ſpontanei, vltronei Decuriones quidem erant, qui vltro ſeu ſponte ſe Curiarum cœtibus inſerebant vel Curialia quædam munia ſubibant, patriæ vtilitatibus ſubuenientes; de quibus agitur in Iuliani præterea *l. 54. ſup.* & duabus præterea *legibus* eiuſdem Theodoſii Iun. puta *dict. l. 177.* vbi vid. quæ dicam adhuc plura & *l. vlt.* & *Nouell.* eius *11. c. 1.* de his qui ſponte munus aliquod vel honorem largiuntur, agitur & *toto titulo Cod. Iuſt. de iis qui ſponte munera ſuſceperunt;* vbi *ſpontanei Munifici* dicuntur: ſicut *Voluntarii Municipes, l. 3. Cod. Iuſt. de iis qui ſponte mun. ſub.* De iiſdem accipio & *leg. 54. ſupr.* Hi igitur in ea quam elegerunt fortuna ſeu Curia reſidere tenebantur, neque ab ea recedere poterant, vt docet *hac lex*: niſi cautione ea obſeruata quam idem Theodoſius Iun. induxit *dict. l. 177. infr.* vbi plura: Quam ipſam ſententiam recantauit *d. Nouell. 11.* in 1. Conſtit. addita *ibi* ratione, Diuerſo iure circa eorum filios obſeruandu: neque enim voluntariorum Decurionum filii Curiali nexu tenebantur. Id quod & *legibus* iam ante latis comprehenſum fuiſſe *hac lex* docet: & vero poſtea obtinuit vt docet *lex 3. 4. Cod. Iuſt. de iis qui ſponte mun.* in qua poſteriora etiam Iuſtinianus rationem adſignat: *hoc enim*, inquit, *ſpeciali beneficio alacriores ad conferendam Ciuitatibus huiuſmodi opitulationem conſtituere properauimus.*

De DESCRIPTIONIBVS *Curialium iuſte faciendis: ad id varia conſtituta.*

CLXXIII. (a) Idem AA. Anthemio PF.P. (b)

AD inferiorum (c) Curialium releuandas fortunas, & impreſſionem (d) potentium (e) cohibendam placuit, vt, ab inſtanti octaua (f) Indictione, Deſcriptiones, (g) quæ (h) per ſingulos Ordines (i) agitantur cogentibus diuerſis negotiis, non ſumant (k) ante principium, quam aput acta prouinciarum Rectoribus intimentur, & ex eorum fuerint auctoritate (l) firmatæ. Sed & aurum, quod ex huiuſmodi contributione redigitur, ita debet Suſceptori (m) autario conſignari, vt ſecuritatibus (n) nomen inferentis, dies, Conſul, menſis, cauſa, & ſumma comprehendatur: quo & Deſcriptionis æquitas (o) inluſtretur, & deſcribtus (p) documentis euidentibus fulciatur. Hoc etiam obſeruando, vt Quadrimenſtruis (q) quoque breuibus, qui ab (r) Excellentiæ Tuæ Officio ſollemniter diriguntur, celebratæ Deſcriptionis diſpunctio (s) ſocietur: vt (t) veſtræ poteſtatis ſcientiam formidantes, nihil ad releuationem locupletum, adque inopum perniciem, audeant pertemptare. Quod & (v) circa hos optimum eſt cuſtodiri, quibus lucratiuæ facultates ex poſt bonis Curialium obuenerunt, & (x) ipſi fructu prouiſionis ſimillimæ potiantur. Quam diſpoſitionem ſi quis Iudicum, Numerariorum, (y) vel Curialium mutilandam (z) crediderit, interminationi, quam Veſtra (aa) Sedes ſtatuerit, ſubiacebit. Dat. VII. Kalend. Sept. Conſtantinop. Varane V.C. CONS. [410.]

NOTAE.

(a) *L. 1. Cod. Iuſt. de Apochis publicis & deſcriptionibus Curialibus.* GOTHOFR.

(b) *Anthemio* huic PP. tres aliæ conſtitutiones *hoc titulo* inſcribuntur: puta *lex 167.* vbi dixi plene: 168. 169. *ſupra. ID.*

(c) *Inopum, inf. ID.*

(d) De *Impreſſionis* voce vide *Gloſſ. ID.*

(e) *Et itidem Curialium*: additum C. Iuſt. Qua ἑρμηνείᾳ nil adeo opus erat, vt & vox ibi, *&*, ſuperflua eſt. *Locupletum, infra. ID.*

(f) Congruit omnino Chronicon *Marcellini*, & *Alexandrinum* dum huic Anno 410. Indictionem VIII. tribuunt: de qua dixi ſemel plene. Abſunt autem hæc verba a Cod. Iuſt. *ID.*

(g) *Deſcriptiones*, id eſt indictiones, contributiones, vt vocantur *inf. ID.*

(h) *Si quæ*, C. Iuſt. vt mox, *agitentur. ID.*

(i) *Ordines*, id eſt, Curias. *ID.*

(k) Id eſt non ante executioni tradantur, ſeu exactio fiat. *ID.*

(l) *Receptæ ſententiis*: ita *C. Iuſt.* Quæ mutatio fieri non debuit: *Authoritas* proprie, *ID.*

(m) De *ſuſceptoribus* & quidem auri, *ſuo tit. inf. ID.*

(n) *Securitatibus*, id eſt apochis v. *Gloſſ.* & quæ notabo ad *l. 183. inf. ID.*

(o) Æquitas & æqualitas. *ID.*

(p) *Deſcriptus*, id eſt deſcriptioni ſeu contributioni ſubiectus: male *C. Iuſt.* (vt iam Accurſius & poſt eum Cuiacius recte notauit,) *deſcriptio*. *ID.*

(q) De his ſuo titulo *ſup. lib.* 11. *t.* 25. *ID.*

(r) *Ad excellentiæ tuæ officium*, *C. Iuſt.* Male: de quo mox. *ID.*

(s) Quod genus alterum quadrimenſtruorum Breuium. *ID.*

(t) *Vt omnes*, C. Iuſt. *ID.*

(v) *Quod & tunc optimum eſt cuſtodiri, cum lucratiua* &c. C. Iuſt. *ID.*

(x) *γρ. Vt & ipſi.* C. Iuſt. *Ita, vt & in opes & locupletes* &c. *ID.*

(y) De *Numerariis* ſuo titulo *ſup. lib.* 8. *ID.*

(z) *Eſſe crediderit*, Cod. I. *ID.*

(aa) *Noſtra*, Cod. Iuſt. *ID.*

COMMENTARIVS.

DESCRIPTIONIS a Curialibus faciendæ *ἀπογραφῆς* ſeu *Contributionis* & Auri quidem æquitati ſeo æqualitati conſultum it *hac l.* Theodoſius Iun. Imp. aduerſus impreſſionem Potentium Curialium, contra ad releuandas fortunas inferiorum ſeu tenuiorum Curialium. Scilicet potantium Curialium impreſſione ſæpe eueniebat, vt ſarcina tributorum in inferiores recideret, ipſique contributionum ſarcinam euitarent, atque adeo inferiores prægrauarent: Vt cæteroquin de potentioribus & Curialibus hac in re tributaria frequentes querelæ fuere. Et quidem duum generum: partim quod ipſi adſcriptionibus vacantes, id eſt modum tributorum exæquantes, *faiſans le deſpartement de la Taille:* (Curialium enim muneris fuit adſcriptio tributorum, *l.* 117. *ſupr.*) *plebem* ſeu inferiores ſarcina aliorum prægrauarent. Quam in rem eſt haud multo poſt *hanc legem* Salniani Maſſilienſis querela *libr.* 5. *c.* 7. 8. Sed & videnda *lex* 26. *ſupr. de annona & tributis:* vbi dixi plura. Partim vero, quod deſcriptionum, quas *ipſimet* ſuſtinere debebant, ſarcinam, inter ſe non æqualiter diſtribuerent. Quo pertinet *hac lex.* Eſt ſcilicet hæc *lex* de *Contributione*, quam ipſimet *Ordines*, id eſt Curiæ ſeu Curiales facere debebant, ſeu de illatione, quæ ab iis exigebatur. Nempe vt ab aliis hominum generibus per prouincias, puta a potentioribus, minoribusque poſſeſſoribus tributa exigebantur, ita a Curialibus quoque qui & fundorum ferme potiſſimique poſſeſſores erant: Et quidem extra ordinem *cogentibus diuerſis negotiis*, vt *hac leg.* dicitur: (neque enim quod Cuiacius putauit, hæc *lex* de voluntaria auri Coronarii oblatione accipienda eſt) aperte enim hæc *lex* loquitur de *tributorum* collatione, vt recte quoque notauit Amaya *hic*, *n.* 17. vt patebit adhuc magis ex *tit. infr. de Auro Coronario:* Ita quidem, vt peculiare quoddam ratiocinium, peculiaris exactio & ſuſceptio Curialis adſcriptionis iſtius eſſet: Nempe Curialis, perſonas Curialium conueniebat ſeu exigebat, vt docebit *lex* 12. *ſupr. de exactionibus.*

Igitur, ne inferiorum Curialium fortunæ peſſundarentur, arg. *l.* 1. 2. *infr. de prædiis & mancip. Curial.* Potentiorum impreſſione, Quinque *hac leg.* conſtituit Theodoſius Iun. tot ſcil. eius ſunt capita ad huncquem dixi Æquabilitatis inter Curiales finem. Primum conſtituit, vt *Adſcriptio* ipſa, *l'Aſſiette*, quo eius *æquitas* illuſtretur, Rectoribus prouinciarum inſinuetur, vt ex eorum authoritate firmetur, antequam ea executioni tradatur, ſeu exactio ſecundum eam fiat: Quo ſcilicet Rector prouinciæ diſcutiat ſeu expendat, vtrum Adſcriptione nemo iniuſte prægrauatus fuerit. Hoc primum remedium, cui haud omnino abſimile eſt quod ſtatuitur *leg.* 5. *infr. de cenſu*, & *l.* 4. *de cenſitorib.*

Secundo ſolutionis factæ *Apochis* modum accuratum præſtituit Theodoſius Iun. quo ſcilicet ex iis quoque deſcriptionis æquitas illuſtretur, & qui deſcriptus eſt, ſeu contributioni ſubiectus *documentis* ita euidentibus *fulciatur*, id eſt per hæc ſecurus ſit probareque adeo poſſit ſolutionem ſolutionisque modum. Igitur Apochis ſeu quittanciis ſolutionis a Curiali factæ, iubet quatuor inſeri: 1. *Nomen* inferentis. 2. *Tempus;* Nempe diem, Conſulem, & menſem. 3. *Cauſam* ſolutionis. 4. *Summam*, ſeu quantitatem: Nempe ex his quatuor tum deſcriptionis æquitas illuſtrari poteſt: tum etiam, ſi qua deinceps de ſolutione vtrum ea facta fuerit, controuerſia oboriatur, is qui deſcriptus eſt; & tributum ſoluit, facillime *documentis* euidentibus ſolutionem a ſe factam & ſolutionis modum comprobare fulcireque adeo poteſt. Cui ſimiles ſunt de Apocharum huiuſmodi forma Conſtitutiones, Valentiniani Sen. *l.* 16. *infr. de ſuſcept.* Theodoſii M. P. 503. *l.* 18. *infr. de ſuſcept.* & *l.* 19. *ſup. de annona & tribut.* & Valentiniani Tertii *leg.* 52. *inf. de ſuſcept.*

Tertio loco, ſeu capite, quod Interpretes etiam nuperi prætermittunt; Tertium medium & remedium, ad eum quem dixi æqualitatis ſcopum, adiicit Imperator *hac leg.* Nempe *Quadrimenſtruis Breuibus*, qui ſcil. a Præfecto Prætorio ſolemniter mittuntur, miſſique fuerunt, celebratæ deſcriptionis diſpunctionem ſociari iubet: De Quadrimenſtruis Breuibus fuit *ſupra, titulus peculiaris, lib.* 11. *t.* 25. Summatim ſciendum, quia tripertita in annum, per quaternos menſes, ſolutione, Tributa ſoluebantur, (quod non tantum ex variis *legibus* quæ *hoc Codice* continentur, conſtat; verum etiam ex Libanio, *Orat. in Tiſamenem pag.* 445. *Edit. Morell.* Maioriano, *Nouella* 4. Caſſiodoro *variis locis* liquet:) ideo Breues, qui conficiebantur, rei tributariæ, ſeu notitias huius rei, *Quadrimenſtruos Breues* dictos: Et quidem *Adſcriptionis facienda* Breues Quadrimenſtrui a Præfectis Prætorio conficiebantur, ad quos ſumma rei tributariæ pertinebat, (quod etiam Zoſimus prodit *libr.* 4. *c.* 10.) inſtante ſcilicet Indictione, quod etiam *hac lex* teſtatur, vel exactione, mittebat Præfectus Prætorio in prouincias ad Rectores prouinciarum, qui eius diſpoſitioni ſuppoſiti erant, Breues Quadrimenſtruos, quibus continebatur modus tributorum, quem Reip. neceſſitas tum exigebat: (Vnde apparet recte legi *hac l. Qui ab Excellentia Tua officio ſolemniter diriguntur.*) His in prouinciam perlatis Adſcriptio fiebat per ſingulos. Inde quod ſecundum genus Quadrimenſtruorum

rum Breuium fuit, Adſcriptionis ſeu Deſcriptionis iſtius diſpunctio, ſeu Breuis & Notitia, *λογαριασμὸν* fiebat: quo continebatur modus adſcriptionis, quantum cuique indictum fuiſſet. Igitur Theodoſius Iun. *hac l.* vt Adſcriptio æquabilitar fieret neque locupletes ſorte releuarentur, inopes vero prægrauarentur, adſcriptionis ſactæ diſpunctionem ſeu breues cum primis quadrimenſtruis breuibus a Præfecto Prætorio miſsis, ad eum remitti iubet: vt ita in officio continerentur ii, qui Adſcriptiones faciebant: cum ſcirent, huius Adſcriptionis Notitiam ad ſcientiam Præfacti Prætorio mittendam, qui ſane ſi quem prægrauatum iniuſta videret, etiam iniuſtæ Adſcriptionis authorem punire poſſet: vt inquit *h. l. veſtræ Poteſtatis* (alloquitur Præfectum Prætorio) *ſcientiam formidantes, nihil ad releuationem locupletum atque inopum perniciem audeant pertemptare.* Et hæc quidem tria media ſeu remedia ſunt, quibus Theodoſius Iun. iniuſtæ Curialium Adſcriptioni occurrendum putauit.

Quod & ipſum etiam obſeruari vult (quod Quartum *huius leg.* caput eſt) non tantum in Adſcriptionibus ſeu Contributionibus *Auri*, quæ a Curialibus fiebant vel depoſcebantur; verum etiam in Adſcriptionibus, ſeu deſcriptione eorum, qui ex Lucratina cauſa Curialium facultates poſsidebant: Vt cæteroquin his ſubinde collatio indicabatur, de quo agitur quoque *l. 107. & 123. ſup.* & peculiari *titulo, inf. de imponenda lucratiuis deſcriptione*: Vnde hoc caput illuſtratur: Nempe vt triplex forma ſuperior & *hic* obſaruetur, eodam fine & ſcopo.

Fina tandem *legis ſanctio* continetur: *pœnam* ſcilicet comminatur, & quidem a Præfecto Prætorio imponendam, ſi hanc diſpoſitionem Iudices, id eſt Rectores prouinciarum, Numerarii item vel Curiales neglexerint: *Numerarii* inquam, ſeu Tabularii: hi quippe rationes publicas tractabant, conficiebant: de quo ſuo *tit. lib. 8. de Numerariis*: qui & cæteroquin fraudibus notiſsimi fuere.

Ex his iam ita clare diſtinctis, apparet nullam in *hac l.* battologiam, quod quidam volebant, occurrere. Sunt enim, vt dixi, diſtincta diuerſaque *huius leg.* capita ad eundem finem tendentia. Item, quam male *lex* hæc a Cuiacio de Auri Coronarii oblatione accipiatur.

Agitur enim in *hac l.* de *Deſcriptionibus* quæ per ſingulos Ordines agitantur, *Indictione*, ſeu Anno inſtante & recurrente; agitur de deſcriptionibus *miſſis in prouincias, cogentibus diuerſis negotiis.* Quæ ab ipſo principio apud Acta prouinciarum Rectorum *intimari*, & ex eorum authoritate *firmari* oportabat. Agitur de *Auro* contribuendo, & *ſuſceptori Aurario* conſignando. Agitur de *Deſcriptionis* æqualitate, & apocha a Suſceptore tradenda. Agitur de Quadrimenſtruis Breuibus, qui a PP. *ſolemniter* dirigebantur. Agitur de deſcriptione *Lucratiuis* impoſita: quæ omnia ſolemnem & publicam indictionem denotant, non voluntariam oblationem. Liquet etiam, quam ſemiplene *huius leg.* ſenſum finemque adeo aſſecuti ſint Alii, qui tertium *huius leg.* caput omnes prætermiſerunt. Quod tamen ad rem praximque facit.

Tandem hoc liquet, quam parum ad *hanc leg.* faciant tractatus alii, qui ad eam adaptantur, veluti de inſinuatione actus alicuius, quam *lex* requirit, apud Iudicem facienda. Vtrum eam a Iudice approbari decreto ſuo oporteat; an vero ſola Iudicis ſcientia ſufficiat, & actorum teſtificatio? Iſtud enim, in ſp. *huius l.* expreſſe requiritur pro forma eſſentiali, nempe vt *Geſtoris auctoritate firmetur* Adſcriptio: pro quo Tribonianus *ſententias* dixit pro *auctoritate:* ineleganter ſan incondite. *Auctoritatis* eorum vox hac in re propria, non adeo *ſententiarum.* Itam ex *hac leg.* perperam infertur, quod quoties ad probationem actus, ſeu diſpoſitionis, requiritur, vt fiat per ſcripturam, non poſſit ea probatio fieri per teſtes. Neque enim tale quid *hic* dicitur aut quæritur: verum forma tantum & triplex quidem præſtituitur, qua æquabilis adſcriptio Curialibus ſeruetur: deque ea æqualitate fides fieri ſeu conſtare poſsit; nempe *Adſcriptionem* ad Rectorem prouinciæ mittendam & ab eo approbandam, accurata dein *Apocharum forma præſcripta ſeruataque*: Tandem *Quadrimenſtruos Breues* ſpecialis deſcriptionis factæ, ad Præfectum Prætorio *mittendos*, a quo prius contributionis faciendæ in genere quadrimenſtrui Breues miſsi fuerant. Non *hic* igitur quidquam de talibus quæſitum. Denique tota hæc *lex*, etiam ea parte, qua de *Apochis* agit, non tam ad probationem ſolutionis factæ pertinet, quam ad ſeruandam *Æqualitatem contributionis & Adſcriptionis.*

P. 506. 1. DVVMVIRORVM *poteſtas limitata.* 2. RETRAHENDI *Curiales ad* SACERDOTIVM, *vt &* FILII *ad Curiam.*

CLXXIV. (a) Idem AA. Euchario (b) Proc. Afric.

DVVMVIRVM impune (c) non liceat extollere poteſtatem faſcium extra metas (d) propriæ ciuitatis. Curiales (e) etiam, Sacerdotio prouinciæ, ſed & filios, reddi præcipimus propriæ ciuitati. Dat. VI. Id. Mart. Rau. Honor. IX. & Theod. V. AA. Coss. [412.]

NOTAE.

(a) *Lex 53 Cod. Iuſt. eod. tit.* GOTHOFR.

(b) *Euchario* huic Proconſuli Africæ ſub Honorio octo inſuper aliæ *leges* hoc ipſo Anno inſcribuntur, quæ forte omnes, ſeptem ſaltem, huic ſociandæ videantur. Certe argumento haud diſpariant, de quo dicendum mihi *hic.* ID.

(c) Sic & *l. vlt. D. de Iuriſdict.* ID.

(d) *Extra*

(d) *Extra metas territorii propriæ ciuitatis.* Ita *Cod. Iuſt.* addita ſcil. voce *territorii.* *ID.*

(e) Sequentia ſuſtulis Tribonianus: cauſa notiſſima. *ID.*

COMMENTARIVS.

DVO CAPITA hac Honorii conſtitutione continentur, quibus ſingularum ciuitatum commodis conſultum it, aduerſus maiorum ciuitatum vſurpationes. Prius ſcilicet caput eſt, de DVVMVIRORVM, ſeu magiſtratuum municipalium poteſtate: non in quo ea conſiſtat, ſeu quænam Iuriſdictionis ſpecies, quis modus his competierit, (de quo aliæ conſtitutiones ſunt.) Verum *Quouſque* ea procurrerit: Nempe intra metas propriæ ciuitatis, id eſt intra Territorium ciuitatis; quam *Territorii* vocem *hic* addidit Tribonianus, quo nihil opus fuit; *metæ Ciuitatis*, & *Territorium*, idem ſunt: item termini ciuitatis, ſeu Vrbis, iidem. Ergo Duumuirorum poteſtas omnis territorio Ciuitatis circumſcribebatur: *Impuneque* adeo non licere eis vult Honorius, poteſtatem faſcium extra metas propriæ Ciuitatis extollere. Pariter vt IC. Paulus *lib. 1. ad Edict. l. vlt. in princ. D. de Iuriſdict.* *Extra territorium ius dicenti* IMPVNE *non pareri*, definit. Quæ & ipſa eſt de Magiſtratibus municipalibus & Duumuiris, vt docent aliæ *leges* ex eodem *libro* deſumptæ, & vox TERRITORII: de qua voce vide *l. 239. §. 8. de V. S.* Alluſit etiam Tertullianus *lib. 2. ad Nationes, cap. 8.* *Satis etiam video Deos Decuriones Curiæque municipii, quibus honor intra muros ſuos determinatur:* Ita ſane omnium quoque Magiſtratuum vrbanorum, prouincialium poteſtas ſuis vrbis terminis circumſcribebatur; de quo *l. vlt. D. de off. P. V.* eiusque occaſione in *Apolytico noſtro* plene: & prouinciarum, de quo ad *l. 10. 16. ſup. de accuſation.* Et tamen iuriſdictionis ſuæ terminos ſæpe his egredi contingebat. Quare etiam ſæpe ſuos intra cancellos coërceri eos oportuit, & vero *hac l.* Duumuiri coërcentur, proculdubio, quod maiorum Ciuitatum Duumuiri aliarum minorum ciuitatum Territoria propriæ ciuitati ſuæ conſulentes peruaderent. Quod per Africam factum hæc *lex* oſtendit, & a Proconſule Africæ coërceri vult.

Interim ex *hac leg.* conſtat. Duumuiris, qui Græcis στρατηγοὶ, faſces fuiſſe: Quod etiam diſcimus ex Apuleio *lib. 10. p. 202. Edit. Lugd. B. apud Ioan. Maire.* *Gradatim*, inquit, *permenſis honoribus, quinquennali Magiſtratui fuerat deſtinatus. Et vt ſplendori capeſſendorum reſponderet* FASCIVM, *munus Gladiatorium triduani ſpectaculi pollicitus, latius munificentiam ſuam porrigebat.* Quod recte negabat de veteri iure, Lipſius 1. *Elector.* 23. vt diſcere eſt ex Cicerone 2. *Agraria in Rullum cap. 34.* Fuerunt his ſc. olim Apparitores Ῥαβδοῦχοι, vt diſcimus ex *Actis Apoſt. c. 16. v. 35.* cum bacillis: at non etiam Lictores cum faſcibus: multo minus fuerunt his *ſecures*; quod alioquin probare conantur nonnulli ex Auſonii *Idyllio IX. v 399. ſeqq.* male intellecto: verba quippe eius ad Rectores prouinciarum pertinent, non ad Duumuiros: nam de his iam antea egerat. Locus integer hic ſternendus nobis eſt. Moſellæ ſcilicet laudibus defunctus Auſonius accinctum ſeſe olim ait, ad deprædicandos ipſos Belgas fama & magiſtratibus claros:

Quis mihi tum non dictus erit? I. *Memorabo quietos*
Agricolas: II. LEGVMQVE *catos fandique potentes,*
Præſidium ſublime reis. III. *Quos* CVRIA *ſummos*
MVNICIPVM *vidit* PROCERES, *propriumque Senatum.*
IV. *Quos prætextati celebris facundia ludi*
Contulit ad veteris præconia Quintiliani.
V. *Quique ſuas* REXERE *vrbes, purumque* TRIBVNAL
Sanguine, & innocuas illuſtrauere Secures.
VI. *Aut Italum populos, Aquilonigenasque Britannos*
Præfecturarum titulo tenuere ſecundo.
VII. *Quique caput rerum Romam, populumque patreſque*
Tantum non primo rexit ſub nomine, quamuis
Par fuerit primis.

Hoc ſcil. loco Auſonius Belgarum ſeſe laudes cantaturum olim promittit; ſeptemque hominum genera, quibus Belgæ illuſtres erant, deſignat: Primo, *Poſſeſſores quietos*, id eſt dignitatibus & officiis vacuos, rura ſua colentes: ſecundo, *Iuriſconſultos* & Oratores, qui in Belgio fuerunt: Tertio, *Duumuiros:* Quarto, *Oratores & Profeſſores:* Quinto, *Rectores prouinciarum:* Sexto, *Vicarios:* Septimo, *Præfectos Vrbi.* Tertio ſcil. loco his verbis apertiſſime *Duumuiros* ſignificat:

— — *Quos Curia ſummos*
Municipum vidit Proceres, propriumque Senatum.

Quinto vero loco *Rectores prouinciarum* iſtis:

Quique ſuas rexere vrbes, purumque Tribunal
Sanguine, & innocuas illuſtrauere ſecures.

Nempe gradatim aſſurgit Auſonius in hac enumeratione, neque bis eandem poteſtatem adſignificat. P. 509. Nullum vnquam *Tribunal*, nullæ *ſecures* tributæ Duumuiris: *Tribunal* enim eſt Maiorum Magiſtratuum: veluti Rectorum prouinciarum, quos hic commendat ob innocentes ſecures & tribunal. Denique *Regere* vrbes dicuntur Rectores prouinciarum: quia in vrbe metropoli totius prouinciæ agentes, quæ Vrbs caput erat, inde totam prouinciam regebant, & ab vrbe Metropoli tota prouincia cenſebatur.

Ergo tandem purum tribunal ſanguine, & innocuas ſecures dixit Auſonius, adminiſtrationem prouinciæ ſine cæde & innocenter tranſactam.

Secundo capite *huius leg.* (quod Tribonianus recidit) ſingularum pariter ciuitatum & Curiarum ſplendori Honorius conſultum it. Nempe Curiales ſacerdotio prouinciæ, & filios eorum propriis ciuitatibus ſuis reddi ſeu reſtitui iubet, quod ſcilicet maiores ciuitates in præiudicium minorum ſibi vindicabant. De filiis Curialium in genere ad Curiam reuocandis compluribus aliis legibus dictum eſt: de Curialibus ſacerdotio prouinciæ reſtituendis, ſeu,

quod

quod idem eſt, de Sacerdotio prouinciæ (de quo agitur, & *l. 21. 46. 75. 166. ſup.*) reſtituendo *hac l.* pariter cauetur & quidem per Africam. Quod quidem prouinciæ Sacerdotium per Africam ſub Honorio Imp. admodum nutaſſe comperio, inualeſcente magis magisque Religione Chriſtiana & Patribus Africanis (quod ex *Codice Africano* liquet) Gentilitiam ſuperſtitionem modis omnibus conuellere ſatagentibus, contra, Africanis (pro more ſuo) voluptates ſeu ludos ſuos ſibi tuentibus. Qua de re variis occaſionibus ad Honorium relatum, imo & legationes decretæ: Qui & *l. 145. & 166. ſupr.* & *hac l.* & *l. 176. inf.* ſuum Africæ Proconſulari Sacerdotium, & quidem idoneis electis, atque adeo ſuas voluptates conſtare voluit.

De RETRAHENDIS *Curialibus ex officio Magiſtri militum &* PROCESSVS *ea in re.*

CLXXV. (a) Idem AA. Lupiano (b) Com. & Mag. mil. per Orient.

HII quos Moderatores prouinciarum, maximique (c) Fœnices, (d) Ordinibus ciuitatum proſequentibus (e) docti, ex conſortio Curiali ad Officium Culminis Tui demigraſſe ſuggeſſerint, mox ſub fida *proſecutione* (f) ad eiusdem Iudicis *transmittantur* examen qui ſuper eorum nominibus rettulerint, (g) vel ſponte ciuilia munera ſubituri, vel ſi litigandum putauerint, poſt ſententiam Cognitoris, ſi id ea ſuggeſſerit, Ordini mancipandi. Dat. XV. Kal. Iun. Conſtantinop. Honor. IX. & Theod. V. AA. Coss. [412.]

NOTAE.

(a) Abeſt hæc *lex* a *Cod. Iuſt.* *GOTHOFR.*

(b) Siue *Lupiciano. ID.*

(c) *γρ. Maximeque. ID.*

(d) *Fœnice* (in qua Tyrus & Berithus) in diœceſi Orientis: vt ex *hac l.* patet: & *Notitia Imperii*: & *Notitia prouinciarum Sconboniana. ID.*

(e) Id eſt monentibus, inſinuantibus. *ID.*

(f) De hac *Proſecutione* Curialium refugarum, eſt quoque *lex* 147. 161. *ſup.* & *lex* 181. *infr.* & generatim de proſecutione reorum & fugitiuorum dixi ad *l. 5. ſup. de exhib. reis*: v. & *l. 32. inf. de ſuſceptor. ID.*

(g) *γρ. Retulerit. ID.*

COMMENTARIVS.

EX OFFICIO ſeu Officiali militia *Magiſtri militum* Curiales ad Curiam retrahi iubet *hac l.* Theodoſius Iun. quo multi Curiales, ac maxime Phœnices hac tempeſtate ſeſe contulerant, & de quo Ciuitates maxime Phœnices conqueſtæ fuerant apud Rectores prouinciarum, ac nominatim Conſularem Phœnices. Itaque iubet *hac l.* eos a Magiſtro militum per Orientem, ad Rectorem prouinciæ mitti, ſub fida proſecutione, *ſoubs bonne garde & conduite.*

Cæterum eſt proprie hæc *lex* de Curialibus Phœnices, in qua Tyros, Berithus, Damaſcus fuere: quo pariter diſerte pertinent Iuliani *lex 54.* & Theodoſii M. *lex 83. ſup.*

Proceſſus interim hac in re totus qui obſeruabatur, notetur 1. *Ordines* Ciuitatum, ſeu Curiæ, Rectores monebant de refugis Curialibus, ſeu his proſequentibus, docebantur: de qua relatione Curiarum, alibi. 2. *Rectores* nomina refugarum Curialium ad Magiſtrum militum, ſeu Magiſtratum ad cuius officium ſeſe illi contulerant, referebant: de qua relatione ad *l. 181. infr.* 3. ſub fida proſecutione ad Rectoris prouinciæ examen a Magiſtro militum transmitti Curiales oportebat: de qua proſecutione, v. & *l. 147. 161. ſup. l. 181. inf.* 4. Tandem Rector ſententiam proferebat, ordinique Curialem mancipabat: de quo ſententiæ genere iam ad *leg. 118. ſupr.*

P. 508. SACERDOTALIBVS *aliarum prouinciarum Africæ, qui ſpectandorum ludorum Sacerdotalium gratia Karthaginem venerant, certum ſpatium præſcribitur, ad reuertendum domum.*

CLXXVI. (a) Idem AA. Iuliano II. (b) Proc. Afric.

EXCEPTIS his qui Karthaginienſi (c) Curiæ munus Sacerdotii transfegerunt, omnes quicunque ex aliis prouinciis adque Ciuitatibus hoc honore (d) decorantur ad proprias Vrbes redire præcipimus. Quidquid ſane prouinciarum (e) nomine agi Sacerdotalium ſuperflua (f) turba conſueuit, id ab eo qui Sacerdotium (g) reddet, ſuo tempore iube-

iubemus impleri. Ac nequid feſtis (h) ac legitimis diebus ſubtraxiſſe videamur, etiam illud definiendum eſſe cenſemus, vt quicumque propter pompam illius (i) diei Karthaginem forte conuenerit, intra quinque dies ad propria rediturus, ex eadem Vrbe diſcedat. Ne autem certa (k) ſtatuta inpune vllus audeat violare, triginta librarum auri multa ſtatim a Proconſulari Officio exigi (l) ſe cognoſcat, qui in Karthaginienſi vrbe (excepto ipſius (m) Decuriæ (n) viro) habitandi gratia voluerit reſidere eum dierum (o) numerum qui eſt ſtatutus exceſſerit, ipſius quoque dignitatis (p) priuilegio (q) ſpoliandum eſſe (r) non dubitet. Inhiberi autem etiam illas (s) occaſiones præſenti auctoritate cenſemus, ne comparatis Sacerdotalibus (t) aliquis ſubito (u) ædibus, domicilium ſe habere confingat: cum ſpecialiter ſtatuiſſe videamur, (x) vt quiſque illo redeat, vnde eum ducere originem conſtat. Dat. VI. Kalend. Feb. Rau. Poſt conſ. Honor. IX. & Theod. V. AA. Coss. [413.]

NOTAE.

(a) Abeſt & *hæc lex* a *Cod. Iuſt.* GOTHOFR.

(b) *Iulianus* hic iam Anno 412. PC. Africæ fuit, vt docet *lex* 64. *ſup. de appellationib.* Fuit & Anno proximo 414. quo ei inſcribuntur *lex* 3. *ſupr. de integr. reſtit. lex vlt. ſup. vnde vi: lex* 54. 55. *inf. de hæreticis. ID.*

(c) An in *Karthaginienſi Curia*, vel *Karthaginienſis Curiæ*: & vt mox *inf.* dicitur, *ipſius Karthaginienſis Curiæ viro? ID.*

(d) Sacerdotii. *ID.*

(e) Omnium Africæ. *ID.*

(f) In, & ſub ſuperflua turba: *ſuperflua* autem hic pro abundante. *ID.*

(g) *Sacerdotium reddere* dicitur, qui ſacerdotales ludos edit. *Reddere*, pro ſoluere, præſtare. *hic*, & *l.* 69. 91. 109. *ſup. ID.*

(h) *Feſti dies*, ἱερομηνίας: ſic Heſychio: ἱερομηνία, ἑορτάσιμος ἡμέρα; & (ita enim continuo ſpiritu lego apud Heſychium) ἱερὰ ἑορτὴ κατὰ μῆνα. Ergo ἱερομηνία quilibet feſtus dies, non tantum Kalendarum. Et ita quoque apud Syneſium *in Encomio caluitii pag.* 77. *Edit. Petau* accipienda hæc vox; vt alibi paſſim. *ID.*

(i) Cuius? quo Sacerdotales illi ludi eduntur. *ID.*

(k) *Certa* ſtatuta, ſunt expreſſa, fixa, v. *Gl. Theod. ID.*

(l) Id eſt, exactum iri, ſeu exigendum ſe, vt infra mox, *ſpoliandum ſeſe.* Mira autem locutio *multa exigi*, niſi malis hic, *multam. ID.*

(m) Id eſt, qui Karthaginienſi Curiæ munus Sacerdotii tranſegit, vt *ſup. initio legis. ID.*

(n) γρ. *Curiæ*, vt *ſup. initio legis.* Quid enim *hic* Decuriæ? de quibus *inf. lib.* 14. *ID.*

(o) Quinque. *ID.*

(p) Sacerdotalis. *ID.*

(q) De Priuilegiis ſacerdotii dixi ad *l.* 21. *ſup. ID.*

(r) γρ. *Seſe*: ſæpe hic error *hoc Codice* admiſſus: quo mox *ſeſe*, in *eſſe* migrauit. *ID.*

(s) Barbaries ſtyli. *ID.*

(t) γρ. *Sacerdotalium aliquis. ID.*

(u) Σύγχυσι. *ID.*

(x) Pro *Statuerimus. ID.*

COMMENTARIVS.

DE SACERDOTIIS, & Sacerdotalibus editionibus ſeu ludis Karthagine, eſt hæc ſingularis admodum Honorii *lex*, cui alioquin concordat eiuſdem altera *lex* biennio poſt, puta *lex* 20. *inf. de paganis.* Et hæc quidem ſignate, ſi dicendi genus ſpectes mira barbarie, & ſtyli colluuione ſcatens: verum hæc non vltra moror. Sententiam *legis* antequam expendo, circumſtantias prius omnes premere & illuſtrare iuuat.

Primo *Curiæ* Karthaginienſis *h. l.* mentio fit: de qua quoque eſt *lex* 27. 41. *ſup.* cui etiam inſcribitur *d. lex* 41. & *lex* 32. *ſup. de appellat.* & *lex* 15. *ſup. quorum appell.* verum de ea plene dixi ad *d. l.* 27. *ſup.*

Secundo de ſacerdotibus *hac leg.* agitur, de quibus Paratitlon *inf. tit. de Paganis*: Et quidem de ſacerdotibus Africanarum prouinciarum, ad quos pertinent quoque *lex vlt. ſup. de Tyronib. lex* 21. 46. 60. 166. 174. *ſup. h. t. lex* 2. *infr. quemadm. mun. ciuilia: lex* 52. 54. *inf. de hæreticis.*

Tertio, obſeruandum ab his ſacerdotibus ludos editos: de quibus ſacerdotalibus ludis eſt præterea *lex* 2. *inf. de expenſis ludorum: l.* 1. *infra de ſpectaculis: lex* 2. *ſup. de præd. Senatorum: lex* 103. 109. 145. *ſup. h. t. lex* 20. *inf. de Paganis: lex vlt. ſupr. de Tyronib.* Itaque Sacerdos Iouis opt. Max. Karthagine ſediſſe dicitur in geſtis purgationis Felicis *in monument. veter. ad Donatiſtar. hiſtor. pertinent. pag.* 163. *Edit. Optati Mileuitan. Lud. Ell. du Pin.* & Sacerdos Tripolis vt & Lepti apud Ammianum *lib.* 28. *cap.* 6. P. 509.

Quarto, Sacerdotes hos in Metropolibus egiſſe.

Quinto notandum, ludos Sacerdotales ſolemnes cum magna pompa Karthagine, principe totius Africæ ciuitate, cum maxime editos: de quibus eſt & *d. lex* 20.

Et ita quidem editos, quod ſexto notandum, vt non tantum Africæ Proconſularis Sacerdotes ſeu

ipſius

ipſius Curiæ Viri Karthagine eos ederent, non tantùm Africani alii Sacerdotales eius rei cauſa Carthaginem proficiſcerentur; verum etiam cœteri Sacerdotes ipſi aliarum Africæ prouinciarum nomine ludos Karthagine ederent. Quod Honorio & *hac l.* & *l. 145. ſupr.* placuit: Quomodo aliquando etiam per hæc tempora in Oriente ad vrbis Conſtantinopolitanæ feſtiuitatem & decus, coacti Magiſtratus ſeu Duumuiri, etiam ex Præfectura Prætoriana Illyrici, (id eſt ex Macedonia & Dacia) ſpectacula in vrba Conſtantinopolitana edere, & pecuniam ad id conferre; vt docet *lex 3. 4. de ſpectaculis.*

Septimo obſeruandum, certo quodam ſtatutoque die ludos illos Sacerdotales Karthagine editos, & vt ex collatione *legis 20. infr. de paganis*, cum *hac leg.* colligere mihi videor, *VII. Kal. Nouembris*, ſic tamen, vt poſt eius diei pompam, feſti adhuc ac legitimi dies quidam celebrarentur, nempe *quoque* dies proximi.

Octauo notandum, tanto ſtudio ſpectaculorum in vrbe Karthaginienſi viſendorum peregrinos, ex aliis prouinciis Sacerdotes teneri ſolitos hac tempeſtate ſub Honorio Imp. vt non modo diutino tempore ſpreta patria ſua ibi morarentur: verum etiam domos ibi ea de cauſa compararent, & domicilium quodammodo conſtruerent.

His ita præcognitis, de *huius legis* ſententia videamus.

Igitur Honorius ab vna parte Karthaginienſium feſtiuitatibus nil detractum cupiens, (quibus indulſiſſe eum oſtendit præter *hanc leg.* & *d. lex 20. infr. de Paganis*, cum maxime *lex 145. 166. 174. ſupr. hoc tit.* & *lex vlt. infr. de ſcænicis*:) parte altera aliarum ciuitatum, quarum Sacerdotes Karthaginem migrabant, patriaque ſua plus nimio aberant, decori nil detractum cupiens, vt *hac l.* ita & *d. l. 20. infr. de paganis*, peregrinis illis Sacerdotalibus certum tempus præſtituit, quo ad proprias vrbes feſtinare cogantur, & Karthagine recedere: nempe intra quintum diem poſt ludos editos, vt *hac l.* diſerte dicitur, vel vt numero dierum non expreſſo dicitur *d. l. 20.* intra Kal. Nouembres; vnde (quod antea indicaui) efficere mihi videor, ludos illos Sacerdotales editos *VII. Kal. Nouembr.* poſt quem diem ad Kal. vsque Nouembres, quinque dies intermedii interiacent. Et hæc quidem ita, vt maxime Sacerdotales, Karthagini ædes ſubito comparauerint, & domicilium ibi habere ſe confingant.

Et ſic exemplo eſſe poteſt *hæc lex* ad multa. 1. Primum Exemplum habemus hac leg. (& *d. l. 20. infr. de Paganis*) intra quem finem & modum Metropolitanis ciuitatibus faueri oporteat, ne alioquin minoribus quid decedat. Quod & alias proſpectum circa Curiales, *l. 20 ſupr.* pariter vt circa ornatum publicorum operum, *l. 1* & *14 infr. de operibus publ.* circa ſpectacula & ſcænicos, *l. 4 inf de ſpectac.* ne videlicet illa e minoribus ad maiores ciuitates transferrentur. 2. Habemus exemplum, *Tempore* aliquibus præſtituto, vltra quod alibi extra ciuitatem ſuam & prouinciam commorari non poſſunt: de quo ad *leg. 2. infr. de Legatis.* 3. Exemplum habemus, vbi Domum comparaſſe alicubi, non ideo iuſtum domicilium importat.

De SPONTANEIS *duum generum*, 1. *de Non Curialibus, Curiale aliquod munus ſubeuntibus, non ideo ad Curiam vocandis.* 2. *De Curialibus, qui* ANTE TEMPVS *munus aliquod ſponte ſubeunt, non ideo liberandis.*

CLXXVII. (a) Idem AA. Leontio (b) PF. P. Illyrici.

ETsi veterum Principum ſanctiones, † eos qui nullis Curiæ nexibus obligati, ſoli genitalis amore, vel liberalitatis cupiditate ſuadente, munus Curiale ſubierint, obligari neceſſitatibus Curiarum præcipiunt, tamen vaſtato Illyrico conſulentes, apud omnes dumtaxat Illyrici ciuitates, præcipimus obſeruari, vt quisquis poſthac integræ opinionis, (c) a conſortio Curiæ penitus alienus, vltro munus Curiale putauerit (d) ſubeundum, vel oblata dumtaxat pecunia (per quam id (e) ex integro (f) poterit experiri) (g) vel actu muneris ipſius, vel (h) inſignibus ſubeundis, (id eſt, ſiue cum populi plauſu, ſiue etiam verecundæ & tacitæ conſcientiæ remuneratione contentus) a debito (i) Ordine vel maiore (k) eius parte, illius videlicet ciuitatis, in qua munus ſpontaneum crediderit (l) explicandum, in iudicio (m) Rectoris prouinciæ, vel abſente eo, aput Duumuiros, ſiue Defenſorem (n) eiusdem ciuitatis, primo *ſe Curiæ non teneri*, incorrupta Ordinis adſtipulatione, perdoceat: Dein, ſi certum munus ſe expliecaturum promiſerit, Curialium præſentium reſponſione munitus, *Quod nec ipſe, nec facultates eius aut ſucceſſores, vtpote* (o) *Curialis, inquietudine* (p) *ſuſtinebunt*, liberet (q) ab omni ſecurus moleſtia Curiali, promiſſum munus adſoluat. (r) (Nec enim quod cœperit, ſemiplenum deſerere permittatur) ita vt pro hac liberalitate, peracto munere quod ſponte promiſit, eum honorem in ea ciuitate habeat, quem Curialis habet eodem munere (s) ſuſcepto pariter & impleto. Sed ſi quis ex
p. 310. Curiali proſapia, vel gratia vel anguſtiis Ordinis abuſus, prætextu Legis (t) per munus ali-

quod (v) ſe putauerit Curia liberandum, poſt expletum munus, & gratioſam vel neceſſitate expreſſam profeſſionem (x) Ordinis, nihilominus pulſetur (y) a Curia, vtpote Curialis. Quam legem, ex quo lata eſt, videlicet valituram per omnem (z) duntaxat Illyricum præcipimus obſeruari. Dat. XVI. Kalend. Maii, Conſtantinop. Lucio V. C. Cons. [413.]

NOTAE.

(a) Abeſt hæc *lex a' Cod. Iuſt.* GOTHOFR.

(b) *Leontius* ſub Theodoſio Iun. PP. Illyrici. Eidem inſcribitur Anno ſuper. 412. *lex* 32. *ſupr. de erog. mil. ann.* ID.

† Vide *Legem* 2. 3. 4. C. *Iuſt. de his qui ſponte publ. mun. ſubeunt.* ID.

(c) An ſuæ ſpontis, iuriſque & arbitrii? an potius integræ famæ, & exiſtimationis? *ID.*

(d) Id eſt in animum induxerit, poſthac ſubire: vt *infr. crediderit. ID.*

(e) Munus ſcilicet, *ID.*

(f) *Ex integro*, id eſt, in totum, plene, ὁλοκλήρως: pari ſenſu, quo *leg.* 16. *de bonis proſcriptorum:* & *leg.* 23. *infr. de ſuſceptoribus. ID.*

(g) γρ. *Expediri*, id eſt, impleri. *ID.*

(h) *Vel*, pro, *ſeu. ID.*

(i) γρ. *Adhibito. ID.*

(k) Vt cæteroquin maior pars cœtus Curiæ inſtar eſt. Vid. quæ dixi ad *l.* 142. *ſupr. ID.*

(l) Eodem ſenſu, quo *ſupr. putauerit. ID.*

(m) Id eſt, apud acta, *ID.*

(n) Vid. *titulum ſupr. de defenſorib. ciuitatum. ID.*

(o) *Sic infr. fine Legis: vtpote Curialis: vtpote*, pro *quaſi*: Quare nihil hic mutandum. *ID.*

(p) γρ. *Inquietudinem. ID.*

(q) γρ. *Liber &*, diuiſis literis, *ID.*

(r) γρ. *Abſoluat*: niſi *adſoluat*, pro ſimplici *ſoluat*; ſed proculdubio *abſoluat* reponendum, quod ſequentia mox ibi, *vnd eum* docent; item illa mox, *peracto munere*: & poſt, *eodem munere ſuſcepto pariter & impleto. ID.*

(s) Curiali *ID.*

(t) Huius. *ID.*

(v) Speciale ſeu ſingulare munus aliquod. *ID.*

(x) *Profeſſio*, id eſt, teſtatio Ordinis aliquem Curia liberantis. Ita ſupr. *reſponſio. ID.*

(y) *Pulſetur*, conueniatur, & retrahatur: vid. *Gloſſ. ID.*

(z) *Omnem. ID.*

COMMENTARIVS.

DE SPONTANEIS Voluntariis, Vltroneis, Curiaie munus aliquod ſubeuntibus iiſque duplicis generis, eſt hæc Theodoſii Iun. conſtitutio: qua ſpeciatim ILLYRICI Orientalis, (cuius duæ diœceſes fuerunt Macedonia & Dacia, & illius quidem, prouinciæ, inter alias, *Achaia, Theſſalia, Epirus*) Curiis, conſultum it: A. D. 413. pariter vt *l.* 172. *ſupr.* Curiis inquam Illyrici debilitatis, per hoc tempus Illyrico ipſo *vaſtato*; quod *hac l.* diſerte dicitur: Nempe ab Alarico, iam inde ab A. D. 406. de quo videndus Zoſimus *lib.* 5. *cap.* 26. 27. 28. 29 Eodemque pertinet & *d. l.* 172. *ſupr.* & *lex* 15. 18. *ſupr. de extraord. lex* 4. *ſupr. de Equorum collat.* & *l.* 2. *ſup. de petitionib. lex* 49. *infr. de operib. publ.* Vt & quod ſcribit Seuerus ſanctus Endeiechios, *Carmine de mortibus boum.* Honorius igitur vt vaſtato Illyrico variis legibus illis & rationibus opitulatum iuit; ita & Curiis eius nominatim, vt *d. l.* 172. *ſupr.* ita & *hac l.* duplici ratione.

Primo, SPONTANEIS ſeu VOLVNTARIIS non Curialibus ad Curialia munera ſubeunda illectis, de quibus voluntariis ſunt præterea eiuſdem Theodoſii Iun. duæ Conſtitutiones, puta *d. l.* 172. *ſupr.* & *lex vlt. infr.* & elegantiſſima *Nouella* eiuſdem 11. *de his qui ſponte munus aliquod vel honorem largiuntur*, & *tit. Cod. Iuſt. de his qui ſponte munera ſuſceperunt.* Scilicet cum *d. l.* 172. in fauorem Curiarum Illyrici, & ad eas conſeruandas Theodoſius Iun. ſtatuiſſet, vt qui vltro ſeſe Curiarum cœtibus inſeruiſſent, in ea quam elegerant fortuna reſiderent. Imo quod diſerte *huius l. initio* dicitur, cum veterum Principum *legibus*, ii qui Curiæ nexibus non obligati, munus Curiale ſubiiſſent, obligari neceſſitatibus Curiarum præcepti fuiſſent; Theodoſius Iunior vaſtato Illyrico conſulturus, & vt multos ad Curialia munera ſubeunda, ſaltem ex parte, alliceret; cautelam inducendam putauit, qua & Curiis conſultum eſſe poſſet, neque voluntarii a Curialibus muneribus ſubeundis deterrerentur, & ciuium beneuolentia intercluderentur. Quod vtique futurum erat, & vero fiebat: ſi vnius forte muneris alicuius obtentu quod quis vltro patriæ amore, vel innata magnificentia, ſubiiſſet, deinceps ſemper Curiæ obnoxius maneret, & ſtatus ſui præiudicium pateretur: vel etiam, ſi munere aliquo Curiali defunctus, non & priuilegio aliquo potiretur. Igitur, vt ſecurus deinceps eſſe poſſet, neque ſtatus ſui præiudicium pateretur, cautelam hanc inducit, puta vt non Curialis munus aliquod ſubiturus vltro, præſente Curia, vel maiore eius parte coram Rectore prouinciæ; vel abſente eo, apud Duumuiros ſeu Defenſorem ciuitatis ſeſe ſiſtat, & munus aliquod ſeſe explicaturum promittat, polliceatur, & vbi ſe Curiæ non teneri oſtenderit, Curiales

riales contra *reſpondeant*, id eſt, contra ſpondeant, *id citra præiudicium ſtatus eius, & bonorum, & hæredum, futurum.* Et hæc quidem ita nunc Theodoſius Iun. hoc tempore per Illyrici ciuitates. Atenim is poſtea in genere conſtituit, vt ne munus ita ſponte ſuſceptum cuiquam præiudicaret, *dicta Nouella 11.* vt & Leo *l. 3. Cod. Iuſt. de his qui ſponte:* & Iuſtinianus *l. 4 eod. tit.* imo & iam antea & Diocl. & Maximian. *l. 2. eod. tit.* Et ſane hac parte multum intereſt & intereſſe debet, ſciens ne aliquis in Decurionum numerum referri ſeſe paſſus ſit, vel nomen ſuum addiderit, vt dicitur *l. 54. ſupr.* an vero ſpeciale tantum munus aliquod Curiale ſubierit, vltroque in ſe ſuſceperit: de quo vid. *d. tit. Cod. Iuſt. de his qui ſponte &c.*

Nos ad *huius leg.* ſententiam redeamus. Ergo igitur Theodoſius Iun. hac proteſtationis cautela ſponte munus aliquod ſuſcipienti cautum iuit: Et (quod ſecundum) affectum eius inſuper prouocauit, tributo ei, qui ſponte munus aliquod ſuſcipe-
e.311. rat hoc præmio, vt eo munere defunctus iiſdem priuilegiis potiretur, quibus Curialis ſi id munus impleſſet. Quomodo & Leo Imp. in *d. l. 3. Cod. Iuſt. de his qui ſponte:* Spontaneum qui omnia Decurionum munera, functiones vel honores ſua ſponte peregiſſet, *Patrem* fieri *ciuitatis* conſtituit.

Et hæc quidem ſententia eſt primi Capitis: vbi multa ſingularia notanda veniunt.

Primo quidem, indicatur duplex muneris Curialis vltro ſubeundi ratio, vt & duplex cauſa impulſiua: puta id factum vel oblata tantum pecunia, vel actu ipſo muneris ipſius & inſignibus ſuſceptis. Quod & ipſum videre eſt ex *tit. D. de pollicitationib.* Item, quod alii id facerent cum populi plauſu; alii verecundæ & tacitæ conſcientiæ remuneratione contenti: quod eleganter hic dicitur. Et in commune verum eſt. Ex iis ſcil. qui quid laudabile inſtituunt, alius alio popularis plauſus auræque appetentior eſt: alius quippe gloriæ minus cupidus, ſolo verecundæ & tacitæ conſcientiæ fructu contentus eſſe ſolet: & certe benefactorum ſatis magnus viro bono fructus eſt, bene feciſſe: contra, alius, non tantum patriæ ſuæ vtilitatibus cedit, & aliquid tribuit, verum & gloriæ cupiditate paulisper ius publicum, ſeu competens ſibi priuilegium relaxat, vt diſerte dicitur *l. 2. Cod. Iuſt. de his qui ſponte &c.*

Secundo notetur, quod hic obiter indicatur, eum, qui munus aliquod patriæ promiſit, id abſoluere teneri; quod & paſſim inculcatur *tit. D. de pollicitat.*

Tertio, notetur *h. leg.* hoc caſu priuilegia Decurionum non Curiali quandoque tributa. Sane & alias ob merita in Rempublicam, nonnulli ORNAMENTIS DECVRIONALIBVS ornati, vt in *Inſcrip.* apud Gruterum *CCCLXXII. 7.* HONOR DECVRIONATVS GRATVITVS decretus ab Ordine. *apud eundem CCCXCIII. 5. CCCCLXXV. 3.* vt COMMODIS PVBLICIS AC SI DECVRIO FVERETVR. *CCCLXXV. 3.*

Quarto, eo nomine ſingularis & practicabilis hæc *lex* eſſe poteſt, quod egregium Exemplum continet vſus *Proteſtationis* in iudicio, ad ius ſuum conſeruandum, & vt ne actus vltro ſuſceptus cuiquam præiudicet, eiusque exemptionem lædat: Cuius ſane proteſtationis alterum exemplum eadem in re occurrit, *leg. 1. in fin. & l. vlt. Cod. Iuſt. de his qui ſponte munera.* De cuiusmodi proteſtationum vſu, multa Interpretes & Pragmatici; quibus hoc quoque Exemplum accedere poterit.

Quinto, notetur forma proteſtationis: nempe in iudicio ea fiebat, ſeu apud acta Rectoris prouinciæ, vel eo abſente apud Duumuiros vel Defenſorem ciuitatis, hi enim omnes actorum conficiendorum ius habuere. De Defenſoribus, vide *Paratitl. ſupr. lib. 1. de Defenſor. ciuit.* Deinde proteſtationem ſequebatur in hac ſp. *Reſponſio* Curialium, ſeu declaratio, ſe ſpontaneo huic Curiale munus obeunti non intendere, in futurum præiudicare. Cuiusmodi certa lex & pactum ſeruandæ immunitatis memoratur & *l. 1. d. t. Cod. Iuſt. de his qui ſponte:* cuique adeo illuſtrandæ *hac lex* proderit. Eaque proteſtatio & bonorum & liberorum quoque immunitati tuendæ fiebat: cuius proteſtationis ſimile Exemplum reſpectu liberorum in eodem argumento vide in *l. vlt. d. tit. Cod. Iuſt. de his qui ſponte.* Imo & citra proteſtationem eorum immunitas in tuto poſita Leonis, *d. l. 3.* & Iuſtiniani, *d. l. vlt.* Et hæc de primo *huius leg.* capite, primoque Spontaneorum genere.

Secundum caput eſt de altero *Spontaneorum* genere: de Curialibus inquam, qui munus aliquod, ad quod non adſtringebatur, ſubibant: ſub gratiæ vel neceſſitate, expreſſa profeſſione Ordinis, eum a Curia ſic liberandum. De eo igitur *hac l.* id cauetur, Curialem hoc prætextu, vel obtentu, non ideo Curia liberari: Scilicet erant hac tempeſtate Curiales, qui ſeu per gratiam, ſeu anguſtiis Ordinis abuſi, captata neceſſitate Curiarum, munus aliquod in ſe ſponte recipiebant expreſſa ſeu extorta profeſſione, ſeu promiſſione Ordinis, vt deinceps Curiali nexu omnino liberarentur. Igitur hanc Curialis conditionis euitandæ rationem legemque improbat *h. l.* Theodoſius Iun. eoque non obſtante Curialem ad Curiam retrahi per Illyricum iubet.

Et ſic illuſtre iam Exemplum habemus in *hac l.* quænam vis ſit muneris extra ordinem ſuſcepti, partim ab eo, qui ex perſonæ conditione ad id non tenetur, partim qui alioquin conditione ſua Curiæ alligatus eſt: *Neceſſitatis* videl. alicuius ab illo vltro ſuſceptæ rationem nequicquam ei obeſſe: huic non prodeſſe ad euitandam conditionem ſuam. Denique inſignis *hac lex* eſt in argumento de iis, quæ per *Neceſſitates publicas* facta ſunt, vt ea neque obſint ad vltra conſtringendum, neque proſint ad liberandum.

De natis ex MATRE *ingenua Curiali, ad Curiam vocandis.*

CLXXVIII. (a) Idem AA. Seleucho PF. P. (b)

OMNES qui Curiali genere, origine, vel ſtirpe gignuntur, Curiarum nexibus obligentur: Æquum eſt enim, vt ingenua matre naſcentes, & quorum natales origo demonſtrat, ex matre ingenua nati, maiorum ſuorum dignitatibus ſocientur. Nec quiſquam priuatorum (c) ſuorum (d) iuri (e) Lege noſtra putet aliquid derogatum, qua eorum morem (f) ſecuti, Reipublicæ noſtræ ex feminis eupimus eſſe conſultum, &c. Dat. XII. Kal. Febr. Rau. Honor. X. & Theod. VI. AA. Coss. [415.]

NOTAE.

(a) Iungenda huic, *lex prox.* 179. *infr.* Abeſt autem hæc *lex* a *Cod. Iuſt.* GOTHOFR.

(b) Eidem inſcribitur Anno 412, *lex* 52. *infr. de hæreticis: lex* 31. *ſupr. de Annon. & tribut. l.* 21. *ſupr. de cohortalibus, lex* 35. *infr. de nauic.* & Anno 414. *lex* 8. *ſupr. de indulg. debitor.* & hoc ipſo Anno 415. *lex* 5. *C. Iuſt. de Adſeſſorib.* Cæterum apparet ex *d. l.* 52. & *d. l.* 31. ei Africam ſuppoſitam fuiſſe: ergo Præfectus Prætorio Italiæ fuit. *ID.*

(c) Dominorum, quorum ſeruis iunctæ fuerunt ingenuæ mulieres. *ID.*

(d) Forte, *ſuo. ID.*

P. 512. (e) Ex SC. Claudiano ſcil. *ID.*

(f) Quo ſcil. natos ex ſeruis ſuis & ingenuis fœminis, ſuo priuato dominio vindicant. *ID.*

De natis ex MATRE *ingenua iterum.* 2. *& de* VACANTIBVS *Curiæ & Collegiis nectendis.* 3. *De* REVOCANDIS *ex Militia.* 4. *De* POENA *reluctantis.* 5. *De* SERVI *Actoris, Procuratoris pœna.*

CLXXIX. (a) Idem AA. Seleucho PF. P. (b) Poſt alia.

SENATVSCONSVLTI (c) Claudiani auctoritatem firmantes, (d) ingenua ſtirpe creatos, quorum maiores Curiæ ſeruierunt, eiuitatibus iuſſimus redhiberi, Quod non ſolum de futuris, ſed etiam de præteritis obſeruandum eſſe cenſemus. Vacantes (e) quoque, & nulla veterum diſpoſitione vllius corporis ſocietate coniunctos, Curiæ, atque Collegiis (f) ſingularum vrbium volumus ſubiugari. Eos etiam, qui ad Militiæ cuiuslibet ſacramenta venerunt, conuentos propriis volumus inſeruire muneribus. Ita vt ſi quis de reddendis, ac iungendis eligendiſue Curialibus vocem reluctationis obiecerit, quinque librarum auri multa protinus feriatur, fiſci noſtri compendiis profutura. Seruus vero, Actor, ſiue Procurator flammis (g) detur vltricibus, obnoxiis Curialibus nihilominus reſtitutis. Dat. XII. Kal. Febr. Rau. Honor. X. & Theod. VI. AA. Cons. [415.]

NOTAE.

(a) Abeſt & hæc *lex* a *Cod. Iuſt.* Eique iungenda *lex* 178. *prox. ſupr.* GOTHOFR.

(b) Italiæ: dixi ad *leg. ſuper. ID.*

(c) Non debuit *hæc* prima ſententia diuelli a *leg. ſuperiore.* Cæterum de SC. Claudiano fuit *ſupra, tit.* 9. *lib.* 4. *ID.*

(d) In cæteris ſcil. *ID.*

(e) Concordat *lex* 137. *ſupr. ID.*

(f) De Collegiatis *titulus* 7. *lib.* 14. *infr.* v. & *l.* 156. *ſupr.* & *l.* 162. *ID.*

(g) Vid. Fornerium 1. *Quotid.* 7. *pag.* 134. *Tom. II. Theſ. Iur. ID.*

COMMENTARIVS.

REPLENDIS quæ exhauſtæ fuerant Curiis, vt aliis pluribus legibus (quarum ſynopſin protuli ad *l.* 140. *ſupr.*) ita & *his duabus*, quæ vnius conſtitutionis partes ſunt, & inter ſe coaſſandæ veniunt, animum attendens Honorius Imp. partim nouos quoſdam ad Curiam vocari, partim vero Curiæ iam debitos reuocari ſatagit: patris pene exemplo: *l.* 137. *ſupr.* NOMINARI inquam, ſeu vocari ad Curias duo hominum genera iubet.

Et

Et primum quidem (quæ ſententia eſt totius *legis 178.* & *l. 179. in pr.*) nouo inſtituto, natos ex Matribvs ingenuis Curiali ſtirpe ortis, & ſeruis alienis actoribus procuratoribus; Nouo inquam inſtituto, tum aduerſus generalem iuris conſtitutionem: que Matre Curiali orti non & Curiæ debentur, ex Valentiniani Iun. conſtitutione, *l. 101. ſupr.* & Theodoſii M. *d. l. 137. ſupr.* (exceptis ſingulari priuilegio olim Antiochenis, etiam Iuliani *l. 51. ſupr.* de qua Zoſimus *lib 3. cap. 11. in fin.* & *lex 61. 62. Cod. Iuſt. de Decurion.*) Item aduerſus SC. Claudiani auctoritetem; quo tum ipſa mulier ingenua quæ ſe ſeruo alieno coniunxiſſet, ancilla aliena, domini ſcil. ipſius priuati fiebat: ex eaque nati, ſerui naſcebantur: de quo SC. Claudieno fuit ſupra *titulus 9. lib. 4.* eſt & initium *huius l. 179.* Et duplici tamen ratione Honorius hoc nouum ius commendat, SC. Claudiani de cætero auctoritate firmeta, vt ipſemet ait. Primum ab *Æquitate*: quod ſcil. æquum ſit, ingenua matre natos, & quorum natales origo demonſtrat, maiorum ſuorum dignitatibus ſociari: ac ſi diceret, non tam factum matris hic ſpectandum, quæ ſuæ honeſtatis immemor ſeruili contuberuio ſeſe ſubdidit, quam originem natalium, & maiorum dignitatem: atque ita natalem & naturalem rationem ciuili prænalere. Item, quod hac parte huic iuri etiem ipſorum dominorum mos (vi ſcil. SC. Claudieni) & exemplum præludet: nam quemadmodum cæteroquin domini priuati, natos ex ſeruis ſuis, ſibique debitis & ingenua metre ſibi vindicant, ita æquum eſſe, vt Respubl. ſibi vindicet ex ſuis, ſibique debitis Curialibus natos: Id enim eſt quod ait, *Nec quiſquam priuatorum, ſuorum iuri Lege noſtra putet aliquid derogatum, qua, morem eorum ſecuti, Reipubl. noſtræ ex fœminis cupimuc eſſe conſultum.* Ac ſi diceret, conſtet SC. Claudiani auctoritas priuatis; ſi ingenoæ ſeruis ipſorum nupſeriot, ſed eundem morem ſeruari æquum eſt, idem ius, in hoc caſu; Reipublicæ reſpectu. Quod ſane in eam æquitatem incidit, qua commendatur *tit. quod quiſque iuris.*

Secundo, vocari quoque ed Curiam vult vel ad Collegia, (nam & vtriusque id commuoe eſt, vt multa alia *hoc tit.*) poſteriore *capite* ſeu *leg.* Honorius, Vacantes, id eſt nullius Corporis ſocietate coniunctos: quod & ipſum Theodoſio M. plecuit *d. l. 137. ſupr.* vbi dixi. Tandem reuocari ex quaeunque Militia refugas Curiales iubet: quod vt innumeris aliis *legibus* conſtitutom eſt, ita & ab Honorio ipſo haud ſemel, veluti *l. 143. 144. 147. 154. 155. ſupr.* & *l 181. infr.* Tandem pœnam ignis proponit ſeruis Actoribus, & Procuratoribus.

P. 519. *De* RETRAHENDIS *Curialibus ex Senatoria dignitate.*

CLXXX. (a) Idem AA. Vrſo P. V. (b)

Licet augeri Cœtum Ampliſſimum cupiamus, cuius conſortio gratulamur, tamen ſi quis functionibus inuolutus, & nexibus Municipalis (c) Ordinis innodatus, codicillos Clariſſimatus potuerit impetrare, nec ſuſcipiendos eos Tua Sublimitas, nec penitus allegandos eſſe cognoſcat: *Nec* enim *credimus vtrunque per vnum, preut conuenit, poſſe compleri.* Dat. XIV. Kal. Mart. Conſtp. Theod. A. VII. & Palladio Cons. [416.]

NOTAE.

(a) Abeſt hæc *lex* a *Cod. Iuſt.* GOTHOF.

(b) *Vrſo* P. V. Conſtantinopol. huic inſcribitur hoc ipſo Anno *lex 2. infr. de frumento vrbis Conſtantinop.* & Anno ſuperiore 415, *lex 1. ſupr de Decurion. & ſilent.* Meminit hoc ipſo Anno *Chronici Alexandrini* Auctor *pag.* 718. 719. *Edit. Raderi*: vbi ait, *ſpectacula edita editore Vrſo P. V. ob victoriam de Attalo Tyranno repertatam IV. Kal Iulias* καὶ ἱππικὸν θέατρον, θεωρήσαντος Οὔρσου ἐπάρχου πόλεως: ſubiicitque ludos Equeſtres ob candem victoriam actos Nonis Iuliis. Itemque eodem Anno pridie Kal. Octobr. Theodoſium Iuniorem Heraclea Conſtantinopolim reuerſum in foro Theodoſiano aurea corona donatum ab Vrſo Præfecto Vrbis & a Senatu. Quæ omnia paulo poſt *hanc leg.* euenere. *ID.*

(c) Municipalis Ordo *h. l.* & *l. 2. ſupr. de Quæſtionib.* & Amm. Marcellinus *lib.* 21. *c.* 12. *liteſque auditus controuerſas, maxime municipalium Ordinum. ID.*

COMMENTARIVS.

Senatorios codicillos, necquicquam Curiali prodeſſe ente Curiæ munera expleta, definit *hac l.* Theodoſius Iun. vt & *l. 182. 183. infr.* & *l. 187.* argument. a contrerio, & codicillos huiusmodi ſuſcipi vel admitti vetat ab Vrſo Præfecto Vrbis, tum *hac l.* tum *d. l.* 183. nempe quie hic Senatus Princeps erat (de quo iam ſæpe dixi.) Qua parte, quænam Principibus aliis ſententia ſteterit, edocent *leges, ſupra numero 23.* quas repetere licet ex *Paratitlo.* Sane Theodoſius Iunior ipſe *hac leg.* ſententiæ huius ſuæ tum rationem reddit, tum obiectioni tacitæ per occupationem occurrit: Rationem hanc reddit: *quod non credat vtrumque per vnum, prout conuenit, poſſe compleri.* Vnde eppa-ret, antea nonnullis ita viſum, Curialem Senatorem fieri poſſe, vt vtroque munere fungeretur. Quod Valenti certe placuit, *l. 69. ſupr.* ſed & Arcadio patri huius Theodoſii, cuius conſtitutione, Curialis, Senator factus, Senator manebat, & per ſubſtitutum Curiæ ſeruiebat, *leg. 160. ſupr. hoc titul.* Et ipſe-

ipſemet Theodoſius Iun. poſtea *l. 187. infr.* concurſum hunc in Spectabilibus admiſit, Quod ipſam ſationem attinet, multæ in eandem ſententiam ſimiles ſententiæ occurrunt, puta haud ſatis bona fide animum, & facultates vnius hominis in plura intendi. De quo ad *d. l. 69. ſupr.*

Obiectioni vero per occupationem *initio leg.* occurrit, dum ait, augeri quidem Cœtum Ampliſſimum, i. e. Senatum cupere ſe, cuius etiam conſortio gratuletur. Sic & Iulianus *l. 1. ſupr. de exhib. reis:* ait, ſe in Senatorio Ordine ſeipſum quoque numerare & Arcadius Theodoſii noſtri pater, *l. 3. ſupr. ad leg. Corn. de Sicar.* Senatorem partem Corporis ſui eſſe ait. Ante hos omnes Alexander Imp. *ad Senatum*, teſte Lampridio *cap. 11. in fin. Et vos ipſi, Magnifici, vnum me de vobis eſſe cenſete potius, quam Magni nomen ingerite.* Omitto alia. Sed enim hactenus ſeſe Senatui ſatisfactum eumque augeri cupere, ſi modo per Curiæ muneribus obnoxium id fieri poſſit. Quod ipſe non credit. Et cum fieri non poſſit, originis rationem prævalere.

De RETRAHENDIS *Curialibus ex* MILITIA *Armata, vel* OFFICIO; RECTORVM *que ea in re officio: &* PROCESSVS *termino.*

CLXXXI. (a) Idem AA. Palladio PF. P. (b)

SALVIS his, quæ iam dudum tam a nobis, quam a retro Principibus Parentibus Noſtris ſuper Curialibus ſtatuta noſcuntur; hac etiam generali (c) lege ſancimus, vt ſi quis (d) ſuum Decurionem vindicare (e) voluerit, ſi Iudicis (f) deſit copia, in eundem manus iniectione conceſſa, ſciet ad examen Cognitoris reſultantem eſſe deducendum: ita vt Moderator prouinciæ, ſi quæſtio fortaſſe fiducia defenſionis vlla generatur, niſi intra tres menſes cauſam originis competenti diſceptatione cognouerit, atque conuictum cum pœna reſtituerit debitis muneribus, vel liberum ab inquietudine vindicauerit, (g) decem librarum auri multam cogatur exſoluere: eius etiam Officium pari damni inrogatione teneatur. Si (h) quos ſane Curiæ obnoxios, in diuerſis Officiis, atque Militia, P. 514.
ſubterfugientes Decurionatum ante (i) eſſe claruerit, ſi per ſuffectam perſonam, & periculo ſuo idoneam, originis nexum procurare noluerint, exutos ſacramento militiæ ad ciuitates proprias dirigi conuenit, ſub proſecutione (k) idonea: Ita vt de eorum nominibus qui armatum adpetierit (l) ſacramentum, ad Viros Inluſtres Magiſtros militum ſcribta mittantur, vt eorum auctoritate ſoluto (m) cingulo militari, reddantur muniis ciuitatum. Dat. V. Non. Maii, Rau. DN. Theod. A. VII. & Palladio Coss. [416.]

N O T A E.

(a) *Lex 54. Cod. Iuſt. eod. tit.* hinc deſumpta, reciſo principio *legis*, & altero *huius l.* capite. *GOTHOFR.*
(b) Eidem inſcribitur ſuper hac ipſa re eodem Anno *l. 147. ſupr.* quæ ibi perperam poſita eſt. *ID.*
(c) Deinceps valitura. *ID.*
(d) Ordo ſcil. id eſt, Curia. *ID.*
(e) *Curiæ vindicare maluerit*, ita *Cod. Iuſt. ID.*
(f) *Præſides*, C. Iuſt. *ID.*
(g) *Pronunciauerit:* C. Iuſt. *ID.*
(h) Alterum hoc caput repudiauit Tribonianus, quia in præteritum reſpicit. *ID.*
(i) Hanc generalem legem. *ID.*
(k) De hac *Proſecutione* Curialium agitur quoque *l. 147. 175. ſupr. ID.*
(l) *γρ. Adpetierint. ID.*
(m) Suſtineri poſſit, ſed malim *ſoluti. ID.*

C O M M E N T A R I V S.

DE RETRAHENDIS ad Curiam, e militia Armata vel Officio Curialibus, & quænam forma hac in re ſeruanda ſit, eſt hæc Honorii conſtitutio, cui ſimilis eſt altera ad eundem Palladium hoc ipſo Anno puta *l. 147. ſupr.* quæ iſti perperam præpoſita eſt. Partim in futurum reſpiciens: partim in præteritum.

In futurum igitur, ſi quis Curialis dicatur ad militiam ſeu officium aliquod relicta Curia ſe contuliſſe. 1. *Manus iniectionem* in hunc ordinibus tribuit ſi Rectoris prouinciæ copia deſit: Qui caſus ſingularis notetur manus iniectionis. Sane & Arcadius *l. 3. ſupr. de his qui ad Eccl. confug.* & *l. 159. ſupr. hoc tit.* Decuriones, qui ad Eccleſiam confugerint, vel ad adminiſtrationem *velut manu mox iniecta* ad Curiam reuocari iuſſit: ſed *vigore & ſollertia Iudicantum*, vt *dict. leg. 3.* expreſſe dicitur.

Sed

Sed hic aperte manus iniectio tribuitor ipſis Ordinibus, ſi Iudicis ſeu Præſidis copia deſit: ſic vt ad examen Iudicis deducatur. Singularis proinde hic caſus eſt de manus iniectione, quo quis capitur etiam ſine præcepto Iudicis; de quo hic Interpretes. 2. Iubet Honorius *hanc Cognitionem*, ſuper Curiali intra trimeſtre terminari a Rectore prouinciæ, propoſita multa Rectori, vt & Officio eius pœna decem librarum auri ſi vltra diſtulerint. Publice ſcilic. intereſt cito huiusmodi cauſas & *ὑποθέσεις* terminari: de qua trium menſium præſcriptione videndi Græci; videndus Euſtathius *de temporum interuallis pag. 219. Tom. II. Iur. Græc. Marquard. Freheri*. Et ſic notetur caſus, quo lis ſeu proceſſus terminari debet intra tres menſes. Et hic quidem in futurum.

In præteritum vero eos, qui ad militiam aliquam vel officium derelicta Curia confugerant, idoneum ſufficere ſobſtitutum loco ſuo iubet (quod & alias cautum ſæpe,) alioquin ad Curiam retrahendos; etiam a militia Armata. Vbi obiter Tria ſingularia notanda.

Primo, quod dicitur perſonam aliam vice ſua a Coriali ſufficiendam *periculo ſuo idoneam*: ideſt, bonis ſuis inſtructam: Vnde expreſſe *infr. leg. 187.* ſuarum periculo facultatum. Hactenus enim periculum hic vertitur, de quo ſæpe *ſupr.*

Secundum eſt, quod de *Proſecutione* Curialium ad ciuitates ſuas, additur: de quo agitur quoque *l. 147. 175. ſupr.* Poſtremum eſt, quod ad Curiales, qui ad militiam Armatam confugerant repetendos, de eorum nominibus ad Magiſtros militum ſcribi oporteat, vt ipſi ſolutos militia reddant: de quo ad *l. 175. quoque ſupr.* ſic & ad Præfectum vrbi ſcriptum *l. 183. infr.* ad reddendos, qui ad Senatum confugerunt.

De RETRAHENDIS *Curialibus e* SENATORIA *dignitate.*

CLXXXII. (a) Idem. AA. Monaxio PF. P. (b)

NEMO poſthac munerum ordine tranſcurſo, (c) ad altioris (d) Curiæ honores audeat peruenire, ſed prius vniuerſis functionibus per ordinem propriæ ciuitatis expletis, tum demum ad competentem honorem ſinguli venire deproperent. Dat. VII. Kal. Sept. Eudoxiop. (e) Theod. A. VII. & Palladio CONS. [416.]

NOTAE.

(a) Abeſt & hæc *lex* a *Cod. Iuſt.* GOTHOFR.

(b) *Monaxius* PP. Orientis, ſub Theodoſio Iun. v. *Proſopogr.* ID.

(c) *Tranſcurſo*, ideſt, præterito, neglecto. ID.

(d) An *altiores*, an *altioris Curiæ*; ideſt, Senatus? Iſtud puto. ID.

(e) Ibidem data *III. Kal. Sept.* hoc Anno *lex* 23 *ſupr. de pœnis*, quæ videri poſſit huic ſocianda. De hac Eudoxiop. *l. 42. infr. de operib. publ.* vbi dixi. ID.

COMMENTARIVS.

P. 515. SENATOREM ex Curialibus quemquam fieri vetat *hac l.* Theodoſius Iun. niſi vniuerſis prius Curiæ muneribus expletis: quæ & ipſa eiusdem ſententia fuit *l. 150. ſupr.* Quid vero hanc in partem ſenſerint alii Principes, edocent viginti quinque aliæ *huius tituli* conſtitutiones, quas repetere licet ex *Paratitlo*. Hæc inquam *huius l.* ſententia eſt: vbi ordine *tranſcurſo* accipi oportet, non pro Ordine expleto; Verum contra, pro præterito, neglecto, inſuper habito; Item *Altior Curia* hac *leg.* eſt, oppoſita Curiis ciuitatum, Senatus ſcil. & quidem in ſp. *huius l.* vrbis Conſtantinop. ſic & Nobilis Curia, *ſupr. leg. 155.* pro Senatu.

De RETRAHENDIS *Curialibus ex Senatoria dignitate.*

CLXXXIII. (a) Idem AA. Monaxio PF. P. (b)

NEMINEM obnoxium Curiæ, & publicis functionibus inuolutum, ad incongruam ſibi fortunam (c) deinceps adſpirare, elicitis codicillis Clariſſimatus, (d) Magnitudo Tua permittat: vt ſingulæ ciuitates retineant obnoxios ſuis muneribus: Super hoc enim etiam & Inluſtris Præfectura Vrbana (e) noſtra eſt commonita ſanctione. Dat. XV. Kal. Maii, Conſtantinop. Hon. XII. & Theod. VIII. AA. COSS. [418.]

NOTAE.

(a) Abeſt hæc *lex* a *Cod. Iuſt.* GOTHOFR.

(b) Monaxio huic PP. Orientis inſcribitur quoque *ſuperior lex prox.* 182. vid. *Proſopog.* ID.

(c) *Fortuna*, τύχη, pro ſtatu, conditione. v. *Gloſſ. Theod.* ID.

(d) *Clariſſimatus*, ideſt, Senatoria dignitas: v. *Gloſſ.* & *Paratit. de Senatorib.* ID.

(e) Sub quo Clariſſimi ſeu Senatores fuere. ID.

COMMENTARIVS.

DE SENATORIIS codicillis, ne quidquam proſint ad Curialem conditionem euitandam, eſt hæc altera Theodoſii Iun. conſtitutio plane ſimilis *legi 180. ſupr.* Quam varie porro hanc in partem ius conſtitutum, edocent *leges huius tit. 27.* quas repetere licet omnes ex *Paratitlo.* Illud hic ſingulare notetur: hac ſuper re, de Curialibus Senatorios codicillos adeptis retrahendis non tantum ad PP. hanc *leg.* emiſſam, ſed & ea de re ad Præfectum Vrbis ſcriptum: Ideo ſcilicet, quia hic Senatus Præſul erat, de quo ſæpe. Denique prout militia, aut dignitas eſſet, ad quam Curiales confugiſſent, ita ad Magiſtratus varios ſcriptum. vid. quæ ſcripſi ad *l. 181 ſupr.*

De LIBERIS *Curialium & Cohortalinorum ex militia patris Palatina ad Curiam vocandis, non obſtante patris vacatione.*

CLXXXIV. (a) Idem AA. Aſclepiodoto PF. P. (b)

LIBEROS Curialium, vel Cohortalinorum, (c) quandoque (d) ſuſceptos, ſiue ante prærogatiuam & tempora expreſſa (e) præſumptæ militiæ (f) ſiue poſt decurſa ſtipendia, originalem ſequi condicionem oportet: Quoniam ſatis eſt parentibus eorum, vacationem a Noſtra Clementia pro remuneratione fuiſſe conceſſam. Dat. XVII. Kal. Maii (g) Conſtp. Aſclepiodoto & Mariniano Coss. [423.]

NOTAE.

(a) Abeſt hæc *lex* a *Cod. Iuſt.* Repetitur *l. 14. ſupr. de priuil. cor. qui in S. Palatio:* cui hæc omnino iungenda videtur, vna cum *l. 28. ſupr. de cohortalibus. GOTHOFR.*

(b) *Aſclepiodotus PP.* cui plures hoc anno leges inſcribuntur, quas vide in *Proſopograph. ID.*

(c) Cohortalium, *d. l. 14. ID.*

(d) *Quandoque*, pro *quandocunque. ID.*

(e) Decennii *d. l. 28. de cohortal.* vel XXV. annorum *d. l. 14. ID.*

(f) Palatinæ, Armatæ. *ID.*

(g) Error hic admiſſus: *γρ. XV. Kal. Iun.* vt *d. l. 14.* & *d. l. 28. ID.*

COMMENTARIVS.

p. 516. DE FILIIS Curialium & Cohortalinorum eſt hæc Theodoſii Iun. conſtitutio: nempe, vt quamlibet ipſi Curiales & Cohortalini decennali Palatina militia, a Curia & cohorte liberentur, liberi tamen eorum non liberentur. Quæ quidem *lex* repetita extat totidem verbis *l. 14 ſupr. de priuil. cor. qui in S. Palat.* Vnde hoc ἀνάμοιςον deſumptum eſt; vbi ſemel dicta ſufficiant. Abſque qua etiam foret, ad genuinam *huius l.* ſententiam coniecturis nobis enitendum eſſet. Adeo & hac parte huius Codicis conditores incurioſi fuerunt. Singularia interim duo *hac leg.* notentur.

Primo, Priuilegia & vacationes parentum filiis hoc caſu non prodeſſe.

Secundo, liberos quandocunque ſuſceptos hoc caſu retrahendos ad Curiam, non tantum ſcil. ante militiam Palatinam patris ſuſceptos, ſed etiam poſt eam decurſam, cum alias liberi poſt militiam ſuſcepti, non retrahantur: de quo vid. *leg. 58. ſup.* & *leg. 187. infr.*

De DISCVSSIONE *Apochæ ſuper ſolutis tributis, ab alio Iudice ſeu ſucceſſore non retractanda.*

CLXXXV. (a) Impp. Theodoſius & VALENTINIANVS AA. Celeri (b) Proconſ. Afric.

SEMEL ſecuritatem (c) de refuſione (d) munerum (e) emiſſam, ab alio Proconſule (f) non liceat refricari: Et ideo Spectabilitas Tua, ſaluberrimæ ac iuſtiſſimæ præceptionis formam ſecuta, prohibebit in poſterum, eos ad Diſcuſſionem (g) tranſacti muneris conſtringi, quos claruit acceptæ ſecuritatis proſperitate (h) lætari. Dat. V. Kal. Maii, (i) Rau. Poſt conſ. Felicis & Tauri VV. CC. [429.]

NOTAE.

(a) *L. 2. Cod. Iuſt. de Apochis publicis & deſcriptionib. Curialibus.* Iungenda autem ei *lex prox.* 186. Imo iungenda quoque *lex 34. ſupr. de annona & tribut.* & *lex vlt. de appellat. GOTHOFR.* Ex his quatuor legibus ſatis probari

probari poteſt Wandalos, *anno* 328. quod Gothofredo noſtro placuit in *Chronolog.* in Africam irruptionem non feciſſe. Etenim non eſt dubium, quin *Valentinianus* aliquam huius rei mentionem in quatuor his legibus iniecisſet, atque ſignificaſſet, aut calamitates, aut fidelitatem ſubditorum fundamentum eſſe fauoris a ſe illis conceſſi. Imo eas leges *Valentinianus* ne dediſſet quidem, pars enim Africæ, quæ poſt Vandalorum irruptionem in Romanorum remanſerat poteſtate, non legibus, ſed ſubſidio indigebat. Quare cum poſt menſem Aprilem *anni* 429. nulla amplius exſtet hoc Codice conſtitutio, quæ Africanorum cauſa data fuerit, præter *legem* 33. *de ſuſceptor.* anno 430. in gratiam prouinciæ Byzacenæ datam, manifeſtiſſimum eſt, Wandalos ante menſem Maii anni 429. in Africam non ingreſſos, nec prouinciam Byzacenam ante annum 430. a Wandalis ſub iugum miſſam fuiſſe. Vide ANTON. PAGIVM in *Critica ad Annal. Baron. an.* 428. *num.* 3.4.5. latius hoc deducentem. *RITTER.*

(b) *Celer* PC. Africæ ſub Valentiniano III. Ann. Dom. 429. v. *Proſopogr.* Eiuſdem Mentio apud Auguſtinum, *epiſt.* 210. & 237. ſiue *Ep.* 56. & 57. *Edit. Benedictin.* GOTHOFR.

(c) *Securitatem*, id eſt, apocham, *h. l.* & *l.* 173. vid. *Gloſſ. ID.*

(d) Id eſt, ſolutione. *ID.*

(e) Id eſt, tributorum. *ID.*

(f) *Iudices*, Cod. Iuſt. vt ita generalis *hæc lex* eſſet. *ID.*

(g) *Diſcuſſio*, eſt retractatio, vid *ſupr. tit. de Diſcuſſoribus. ID.*

(h) *Proſperitas* ſecuritatis *ID.*

(i) Ita quoque *lex prox.* 186. At *d. l.* 34. & *d. l. vlt. Mart. ID.*

De Curiali, pro ALIO *non conueniendo.*

CLXXXVI. (a) Idem A A. Celeri Proc. Afric.

LEGATIO (b) Proconſularis (c) prouinciæ, per Bubulcum (d) Spectabilem Virum Comitem, Curiales pro aliis qui in eodem territorio (e) poſſident defleuit adſtringi, quod (f) ab obnoxiis ſæpe debetur, deuotiſſimi (g) quique cogantur exſoluere. Quæ res pro arbitrio Compulſorum, vel Opinatorum, (h) ſiue Iudicum, in eam famam, mali iugitate, peruenit, vt nullus pene Curialis idoneus in Ordine cuiusquam vrbis valeat inueniri. Cuius præſumptionis abolita conſuetudine, Iubemus, * neminem Curialem pro alieni territorii (i) debitis adtineri, ſed tantum Municipem (k) pro gleba propria conueniri, Spectabilitas Tua ſalubrem ſanctionem ſecura, vnumquemque debitorem ſuo deinceps nomine faciet adtineri. Dat. V. Kal. Maii, Rau. Poſt conſ. Felicis & Tauri VV. CC. [429.]

NOTAE.

(a) Potiſſima pars *huius l.* abeſt a *Codice Iuſtin.* Iungenda autem ei *lex prox.* 185. *ſupr.* & *lex* 34. *ſup. de annona & trib.* & *lex vlt. ſupr. de appellat.* GOTHOFR.

(b) De Legationib. his, *ſuo tit. infr.* v. & *l.* 3. *infr. de Conſitorib.* & *leg.* 41. *infr. de Epiſcopis. ID.*

(c) Africæ: dixi ad *l.* 26. *ſup. de erog. mil. ann. ID.*

(d) Huius Comitis & Legati *Bubulci* mentio & *dict. leg.* 34. *de annon. & tributis:* vbi tamen perperam editum *Bubuli. ID.*

(e) Ciuitatis ſcil. *ID.*

(f) *Et quod. ID.*

P. 517. (g) *Deuotiſſimi*, qui tributa ſoluerunt: *deuotionis* hac in re vox propria. v. *Gloſſ. Theod. ID.*

(h) De his *Compulſoribus* & *Opinatorib.* agitur quoque *d. l.* 34. vbi dixi: Sed & ad *leg.* 16. *ſupr. de erogat. mil. an. ID.*

* *Lex* 17. *Cod. Iuſt. de omni agro deſerto* hinc deſumpta eſt. *ID.*

(i) *Territorium* hic alio ſenſu quam *ſupra*, pro gleba, & poſſeſſione. Quo ipſo ſenſu vſurpatur hæc vox & *leg.* 34. *infr. de oper. publ.* & *l.* 2. *ſupr. de exactionib.* (cuius eadem ſententia eſt, quæ *huius leg.*) Poſſeſſio dicitur *leg.* 31. *ſupr. de annon. ID.*

(k) *Municipem* id eſt, Curialem, v. *Gloſſ. ID.*

COMMENTARIVS.

VALENTINIANI III. Placidiæ filii, duæ conſtitutiones ſequuntur, eiuſdem prolixioris conſtitutionis Valentinianeæ partes: vnde deſumptæ quoque ſunt *lex vlt. ſupr. de appellat.* & *lex* 34. *ſupr. de annona & tributis*, his duabus proinde conſtandæ. Quæ quidam conſtitutio ſeu ſanctio ſalubris, *ſaluberrima*, vt *his ipſis legib.* vocatur; de *Re tributaria* in vniuerſum fuit, miſſa ad Legationem prouinciæ Africæ: (de Legationum genere erit *infr. tit. de Legatis*, vbi plene:) quæ Bubulcum Comitem ad Valentinianum miſerat, querelis ad eum perferendis, & malis deflendis, quibus rei tributariæ occaſione premebatur: Cuiusmodi ſane quatuor querelæ fuerunt, quibus totidem illius conſtitutionis ſuæ capitibus Valentinianus mederi inſtituit hac ſaluberrima conſtitutione: ſic quidem vt quatuor *leg.* illa toti-

totidem querelis reſponderent. Scil. vt a duabus illis incipiam, quas hiſce noſtris coaſſandas dixi: Vna ex querelis fuit, quod pro diſſimulatione Iudicum, compulſore aut opinatore miſſo, Africani poſſeſſores in prædam mitterentur, quo pertinet *d. l. 34. ſupr. de annona & tributis.* Altera querela fuit, quod appellationum a Rationali in priuatæ rei cauſis occaſione ad longinqua traherentur: quo ſpectat *d. lex vlt. ſupr. de appellat.* Duabus aliis querelis, reſpondent hæ duæ *leges* noſtræ. Prior eſt, quod etſi *Apochas*, ſeu ſecuritates tributorum, e ſe ſolutorum ſub alio Proconſule haberent, attamen ab alio Proconſule ex refricarentur. Igitur definit *hac l. 185.* Valentinianus III. Apocham ſemel acceptam, in perpetuum eum, qui accepit ſecurum reddere: *accepta ſecuritatis proſperitate lætari*, vt eleganter loquitur, neque retractari aut refricari amplius oportere. Quam vt ſaluberrimam, ita iuſtiſſimam præceptionis formam vocat, ita vel ipſa *ſecuritatis* vox, quæ pro Apocha & *hic & l. 173. ſupr.* paſſim accipitur, ſatis oſtendit: quomodo & Græci *ἀμεριμνίαν*, & *ἀσφάλειαν* dixere. De quo alibi plenius. Caſſiodori tantum locus nunc procedat *XI. Var. 7. Merito teſtimonium ſolutionis, ſecuritas dicitur, de quo non ſolum animus, ſed ſubſtantia communitur.*

Cæterum pertinet hoc *caput*, ſeu *dicta lex 185.* vt ad omnem aliam tributorum ſolutionem, ita & ad deſcriptiones ſeu contributiones Curialium; argum. *huius tituli*; de quibus *ſupr. ad leg. 121.* Ergo *Apocha* ſemel accepta, collator ſeu Tributarius ſecurus eſt, ex hac Valentiniani III. pariter vt ex Honorii *legs 26. & 27. infr. de ſuſceptoribus*, & *l. 2. ſupr. de diſcuſſoribus.* Neque ea refricari a ſucceſſore Iudice poteſt, vel ſub eo. Quæ *huius legis* hypotheſis eſt: ſcil. ſæpe inſecuri Iudices ſecuritates ſeu apochas & quittantias, ſub deceſſoribus ſuis emiſſas ad diſquiſitionem & diſcuſſionem reuocabant; eaque re Tributariis moleſtiæ imo prædæ ſæpe intentabantur: Quomodo & Suſceptores earumdem Apocharum occaſione, prouinciales vexabant, *l. 26. 27. infr. de Suſceptor.* & Diſcuſſores, *l. 2. ſupr. de Diſcuſſorib.* videnda & *lex 2. §. vlt. Cod. Iuſt. de Quadrienn. præſcript.* Denique publica Apocha ſemel ſolemniter facta excludit reuiſionem, diſcuſſionem, retractationem *dictis legib.* & *l. vlt. Cod. Iuſt. de apochis publ.*

Altera querela, cui reſpondet *lex 186.* iam Curiales in ſpecie ſpectans, erat, quod CVRIALES alii pro aliis in eodem ciuitatis Territorio, tributa ſoluere cogerentur; idque tam peſſimi fieret, ſcilicet, vt *hac lex* eleganter loquitur, *hac res in eam famam mali iugitate perueniſſet*, vt iam nullus pene Curialis idoneus reperiretur: Quam præſumptionis conſuetudinem *ea leg.* vetat Valentinianus: pariter vt *aliis* quoque *legibus* vetitum in genere, ne alius pro aliena poſſeſſione & gleba conueniatur, *l. 31. ſupr. de annona*: & *l. vlt. ſupr. de Executoribus.* Speciatim ne Vicanus pro aliis Vicanis, de quo *tit. Cod. Iuſt. vt nullus ex Vicaneis*: denique ne Decuriones pro aliis, vt *hac l. it.* & *l. 2. ſupr de exactionib.* Cætera quæ ad *huius leg.* illuſtrationem quis requirere poſſet, repeti poſſunt ex dictis ad *d. l. 34. ſupr. de Annona & tributis.*

De Curialibus SPECTABILI *vel* ILLVSTRI *dignitate decoratis.*

CLXXXVII. (a) Idem AA. Iſidoro PF. P. (b)

QVI ante hanc legem Spectabilium, vel Inluſtrium quocumque modo ſortiti ſunt *Dignitatem*, parto ſemel honore & priuilegiis perfruantur. Si qui vero poſtea (c) ex Decurionibus, vel ſubiectis (d) Curiæ, ad Spectabilium gradum proceſſerint, per ſe tam Curialia, quam Senatoria ſubeant munera, eorumque liberi poſt Senatoriam ſuſcepti dignitatem patrum obſtringantur exemplo. Quod ſi qui inter Inluſtres etiam viros locum occupauerint, non laborioſo Adminiſtrationis actu: ſed honorario * titulo dignitatis, Senatui quidem per ſe reſpondeant, Curiæ vero per ſubſtitutos, ſuarum periculo (e) facultatum, ſtatim (f) † faciant; quorum liberos, & (g) poſt eorum Inluſtrem dignitatem progenitos, non ſolum Senatorum, ſed etiam Decurionum munia per ſe, non per ſubrogatos, ſubire conueniet: &c. Dat. III. Non. April. Conſtp. Iſidoro & Senatore Coss. [436.] Eodem exemplo (h) Eubulo PF. P. (i) Illyrici.

f. 92. NOTAE.

(a) Hinc interpolatæ, vt videntur, *lex 60. Cod. Iuſt. eod. tit.* & *l. 21. Cod. eod. de Epiſcopis, & Cleric.* quarum tamen inſcriptio variat, *Thomæ PP.* Iungenda autem huic, *lex prox. 188.* & *lex vlt. ſup. de cohortalib.* GOTHOFR.

(b) *Iſidoro* huic PP. Orientis ſcil. inſcribuntur reliquæ omnes *huius tit.* Conſtitutiones. Ad eundem Iſidorum vid. Iſidori Peluſiotæ *Epiſtolas.* ID.

(c) Poſthac. ID.

(d) *Subiecti Curiæ hac leg. & leg. prox.* id eſt debiti Curiæ, vt alibi vocantur, qui ad Curiam nominari poſſunt, nominationibus obnoxii. ID.

* *D. lex 21. C. Iuſt. de Epiſcop.* hinc interpolata videtur. ID.

(e) Vid. dicta ad *leg. 181. ſup.* ID.

(f) *yy. Satisfaciant*: vt *dict. l. 21. Cod. Iuſt. de Epiſcopis.* & *dict. l. 60. Cod. eod. tit.* (quæ hinc interpolatæ, vel ſane ex eadem conſtitutione deſumptæ) *ſatisfacere non vetentur.* ID.

(g) Etiam,

(g) Etiam. *ID.*

(h) Ita quoque *d. l. vlt. ſup. de cohortalib.* τῷ ἀυτῷ τόνῳ Socrates *lib. 2. c. 23. in fin. ID.*

(i) Eubuli huius PP. Illyrici nomen inſcribitur quoque *d. leg. vlt. ſup. de cohort.* iisdem verbis. *Iſidoro PP. Eodem exemplo Eubulo PP. Illyrici. ID.*

De Curialibus qui ad MILITIAM *aliquam confugerunt, vel* ADVOCATIONEM *in foro Illuſtrium Magiſtratuum.*

CLXXXVIII. (a) Idem AA. Iſidoro PF. P. (b) Poſt alia.

SI * quis Decurio, aut ſubiectus Curiæ, vllam ante hanc legem geſſit *Militiam*, aut cœptam dudum etiamnunc gerit, aut *Cauſidicinam* (c) in foro Ampliſſimæ præfecturæ Orientis, atque Illyrici, vel Vrbano profitetur iudicio, In eodem latarum pridem Conſtitutionum † ſanctio obſeruetur: Poſt hanc vero Legem, ſi quis ex his auſus fuerit vllam affectare militiam, nulla præſcribtione temporis muniatur, ſed ad conditionem propriam retrahatur: ne (d) ipſe, vel eius liberi poſt talem ipſius ſtatum procreati, quod patriæ debetur valeant declinare, &c. Dat, III. Non. April, Conſp. Iſidoro & Senatore Coss. [436.]

NOTAE.

(a) *Lex 55. Cod. Iuſt. eod. tit.* hinc deſumpta, quam plurimis detractis. Iungenda autem ei *lex, prox. ſup. 187.* & *lex vlt. ſup. de cohortalib.* & *lex 21. Cod. Iuſt. de Epiſcopis. GOTHOFR.*

(b) Orientis: dixi ad *leg. ſuperiorem. ID.*

* Totidem verbis hæc *lex* integra legitur *d. l. vlt. ſup. de Cohortalib.* excepto, quod quæ de Decurione, aut ſubiecto Curiæ hic dicuntur, ibi de Cohortali vel ſubiecto cohorti, definiantur. *ID.*

(c) *Cauſidicina* hic & *l. vltim. ſupr. de cohortalib.* & apud Symm. *libr. 5. epiſt. 16. 75.* & *libr. 9. epiſt. 29.* Ammianum *lib. 30. cap. 4. Ad vltimum id habet Cauſidicina cum cæteris metuendum & graue*: ſimili forma Apuleio *lib. 7. in fin. p. 135. Edit. Lugd. B apud Ioan. Maire. Indicina* & *veſtificina* atque *iuridicina* Tertulliano *de Pallio c. 3. ID.*

(d) Non minus bene, *nec ipſe*: Quanquam illud etiam habet *d. lex vlt. ID.*

COMMENTARIVS.

DE DIGNITATE Spectabili, vel Inluſtri, deque MILITIA ſeu officio quocunque, item de ADVOCATIONE (ſeu CAVSIDICINA,) an & quando ex Curia libereot, *his duabus legibus* tractatur: Quæ prolixiorie Theodoſianæ, Theodoſii inquam Iun. conſtitutionis partes ſunt: vna cum *l. vlt. ſup. de cohortalibus*: & *l. 21. C. Iuſt. de Epiſcopis, Eccl. & clericis*: quæ proinde his duabus coaſſandæ veniunt: qua quidem conſtitutione in vniuerſum Theodoſius Iun. tum Curietum tum & cohortalis militiæ commodis conſulturus, euitandæ alterius conditionis modos accidit. De Cohortali militie eſt *d. lex vlt.* De Curiali conditiooe ſunt hæ duæ *leges*, & *d. l. 21. Cod. Iuſt. de Epiſcop.* an & quatenus ea euitari poſſit, aut Dignitate, de quo eſt *lex 187.* eut Militie, vel Cauſidicina: de quo eſt *lex 188.* vel etiam Clericatu, de quo eſt *dict. l. 21.* ſi modo a Triboniani emblemate ea vacua eſt.

1. De DIGNITATE igitur ſi quæratur, Theodoſius Iun. ea conſtitutione puta, *l. 187.* diſtinxit, Primo quidem inter Dignitatem Clariſſimatus, & alias maiores Dignitates, Spectabiliom videl. & Illuſtrium (hæc enim tria Dignitatum genera hoc tempore fuere: de quo conſulenda plene *Notitia Imperii*, quæ decennio ferme ante *hanc leg.* conſcripta, ſub harum ipſarum legum Auctore Theodoſio Iun.) Igitur *Clariſſimatu* ſeu Senatoria dignitate indiſtincte Curialem conditionem euitari non poſſe tacite definit: quod & ipſum eidem iam placoeret *l. 180. 183. ſup.* In Spectabilibus, vero vel Illuſtribus iem ante *hanc l.* factis, & ſic in præteritum nullo inter eos diſcrimine, verum indiſtincte Curiales ed Spectabilium vel Illuſtrium dignitatem euectos, Curia liberandos definit. In futurum vero Spectabiles iam eb Illuſtribus ſeparat. Nempe *Spectabiles* per ſe, non per ſubſtitutum, tum Curialia quam Senatoria munera ſubire oportere: & ſic vtroque munere fungi vult. (Qui tamen antea, vt ſup. *d. leg. 180. ſup.* teſtetus fuerat, non credere ſe vtrumque per vnum, prout conuenit poſſe compleri.) Idemque de filiis etiam poſt patris ſenatoriem dignitatem ſuſceptis definit. (recte, nam ante ſuſceptoe ex patre Curiali, omnino Curiales manere, etiam eliæ *leges* docent, puta *lex 58. 74.* contra *l. 93.*) In *Illuſtribus* ſubdiſtinguit inter Illuſtrem dignitatem ἔμπρακτον, & honorariem, (vt cæteroquin diſtingui ſolet,) vel enim actu ipſo & laborioſo adminiſtrationis, Illuſtres ſunt, & ἔμπρακτοι, (finge Curialem Magiſtrum officiorum, vel Quæſtorem aut Comitem S. L. vel R. P. factum,) & tum proculdubio voluit Theodoſius Iun. Illuſtrem huiusmodi virum Curiali nexu liberari: quod vtique datum tam celſæ Dignitati, eique ἐμπράκτῳ. Vel honorariis titulis tantum ſunt Illuſtres: & hoc caſu definit Theodoſius Iun. ipſos quidem Senatui ſeu Senatoriis muneribus per ſe reſpondere, Curiæ vero per ſubſtitutos periculo ſuarum facultatum; At liberos, etiam poſt

honorariam hanc Illuſtrem dignitatem patris, vtraque munia explere oportere per ſe, non per ſubrogatos. Et hæc quidem ſententia eſt Theodoſii Iun. *leg. 187.* Quis vero in vniuerſum hac in re circa Dignitates Principum ſenſus fuerit, edocent 27. *huius tit. leges*, quas repetere licet ex *Paratitlo*. Ergo notetur hic caſus, quo Curialis cum regulariter per ſubſtitutionem ſeu ſubſtitutum muneribus patriæ ſe abſtrahere non poſſit, *l. 167.* nequidem Senatoria dignitate indepta, ex Theodoſii M. *l. 111. 118. ſupr.* & Arcadii *l. 167.* attamen pro ſe alium ſubſtituere poteſt ſeu ſubrogare, & ſic per Vicarium (vt vocatur, *d. l. 111.*) Curia liberari. Quod & ipſum pluribus aliis caſibus obtinet, ſeu conſtitutum eſt, s. ex ſpeciali humanitate, vt loquitur *lex 155.* Idque in Curialibus ad munus aliquod Eccleſiaſticum promotis, ex Conſtantii *l. 49. 59.* Valentiniani Iun. *l. 99.* Theodoſii M. *l. 115.* Arcadii *l. 163.* Item ad dignitatem aliquam ſubuectis, ex Theodoſii M. *l. 90. 91. 98.* Honorii *l. 155.* Arcadii *l. 160.* & hac Theodoſii Iun. *l. 187.* vnde deformatæ videntur *l. 21. C. Iuſt. de Epiſc. & Cler.* & *l. 60. C. eod. de Decur.* cum qua nihil commune habet prolixus Interpretum Tractatus, ad hanc nominatim *legem*, quando is cui commiſſio aliqua data eſt, ſeu officium demandatum, eiusque perſona electa, alium ſubſtituere interim, ſeu quandoque pro ſe, impeditus, vel abſens, per ſubſtitutum deſeruire poſſit. Leges enim illæ *ſedecim*, quas modo vnam in lineam conieci, in alio longe argumento verſantur: nempe in conditione, qua quis alicui nexus eſt, naſcendi ferme, an, & quando, ea liberari in totum poſſit, ſi in alium ſtatum & hominem promotus ſit, ſubſtituto alio? Idque ex *ſpeciali humanitate*.

Conditio autem ſub qua huiusmodi ſubſtitutio quandoque admittebatur, ea erat, vt ſuarum facultatum periculo a ſubſtituente id fieret, vt *hac l.* & *d. l. 21. C. Iuſt. de Epiſcop. & Cler.* & *leg. 60. Cod. eod. de Decur.* ceſſis vel in totum vel pro parte facultatibus ſubſtituto: *l. 49. 59. 90. 91. 98. 99. 115. h. t.* Quare & hinc alienus eſt Tractatus in ſpecie illa ipſa quam tractant Interpretes, quis & quando qualificatus eſſe debeat qui ſubſtituitur, & an ſubſtituens teneatur de exceſſibus & delictis ſubſtituti? Illud enim hactenus hic requiritur, vt debitum non negetur officium, *l. 155.* & vt ex patrimonio ſuo Curialis alium idoneum faciat, *l. 115.* idoneos ſubſtituat, *d. l. 90. 91. 98.* periculo ſuarum facultatum, vt dicitur *l. 187.* Et hæc quidem de *lege 187.*

2. De MILITIA quoque ſeu officio quocunque, & CAVSIDICINA in foro aliquo Illuſtrium Magiſtratuum (de quo poſtea) ad quam Curialis derelicta Curia ſeſe contulit, ita diſtinguit Imp. tum *hac l. 188.* tum *d. l. vlt. ſup. de Cohortalibus* (vbi *d. lex 188.* repetitur:) Nempe in præteritum, in his latas pridem conſtitutiones obſeruandas. De Militia equidem ſeu officio (Palatino, puta vel Apparitionis Præfecturæ Prætorianæ,) aperta eſt Theodoſii Iun. conſtitutio, qua Curiales exinde ad Curiam retrahi vetat, ſi quindecennio toto a collegis ſeu a Curia reuocati non fuerint, & ſic quindecennii præſcriptione eos muniri vult, *l. 14. ſup. de priuileg. eorum qui in ſacro Palatio.* quæ iungenda eſt *legi 184. ſup. h. t.* (vbi *tempora expreſſa præſumptæ militiæ*, & *diuerſa ſtipendia*, de quindecennali illa militia accipienda ſunt, ex *d. l. 14.* abſque cuius alioquin *legis* ope, dicta *lex 184.* hodie a nobis non intelligeretur:) Filios vero eorum indiſtincte ad Curiam reuocari vult; *d. l. 14.* & *d. l. 184.* De *Cauſidicina*, quid antea ſtatuerit Theodoſius Iun. non reperio: niſi quod eiusdem conſtitutio extat *C. Iuſt.* ad Cyrum P. V. data ante decennium An. 426. puta *l. 5. C. Iuſt. de Aduocatis diu. Iudiciorum:* qua Aduocatis Præfecti Vrbis, quidquid antea præſtitiſſet Priuilegiorum, Togatis per Præfecturam Orientis, quoque tribuit. Et proculdubio ſimile aliquid quod de officiis Palatinis ſtatuerat. Et cæteroquin Togatis ſeu Aduocatis in foro Præfecti Prætorio & Vrb. ſingularia quædam priuilegia tributa: vide *l. vlt. ſup. de poſtul. l. vlt. ſup. de Senatorib.* Quod & ipſum teſtatur Valentinianus *Nouell. 10. verſ. in diuerſis*, vt cæteris qui ſub his agebant. Et hæc quidem in præteritum: de quo plura. In futurum vero Theodoſius Iunior amota omni temporis præſcriptione, Curialem eiusque liberos quandocunque ſuſceptos ex quacunque militia ad Curiam retrahi iubet. Et hæc quidem eſt harum duarum *legum* ſententia.

Duo tantum obſeruari cupio. Primo quod *d. l. 21. C. Iuſt. de Epiſcop.* dicitur, Id quod de Curialibus, Illuſtrem dignitatem honorariam adeptis hac *leg.* noſtra *187.* definitur, vt per ſubſtitutum periculo ſuarum fortunarum Curiæ muneribus ſatisfacere poſſint, Id inquam conſtitutum ad ſimilitudinem Epiſcoporum, Presbyterorum, & Diaconorum (nam & hi ex ipſiusmet Theodoſii Iun. conſtit. *l. 172. ſup.* cedendo Curiæ facultatibus liberantur:) Quæ comparatio (ſi Triboniani facinore *lex* illa immunis eſt) Theodoſiana notanda eſt: qua ſc. cum Illuſtribus ciuilibus dignitatibus, comparantur Illuſtria & præcipua officia Eccleſiaſtica.

Secundo de *Cauſidicina* ſeu *Aduocatorum* priuilegiis videndum & accuratius. Sane ſæpe antehac anniſi Curiales Cauſidicinæ, ſeu Aduocationis obtentu, curialia munera euitare, vel per ſaltum ad maiora euehi, quod incunctanter & abſolute reſpuerunt ſuperiores ætate Principes, Conſtantius *l. 46. ſup.* Valentinianus Sen. *l. 77. ſup.* Theodoſius M. *l. 87.* & *98. 116. ſup.* Arcadius ſane *l. 152. ſup.* Togatis fori Præfecti vrbis Conſtantinopol. prouincialium functionum immunitatem dedit. Mox primus *ferme* Theodoſius Iunior Cauſidicinam in immenſum euexit: tributis in commune omnibus omnium Iudicum Aduocatis, priuilegiis nonnullis, veluti peculii quaſi caſtrenſis iure, *l. vlt. ſup. de poſtulando:* ſeu *l. 4. C. Iuſt de Aduocatis diu. iudiciorum.* At ſpecialibus priuilegiis collatis nonnullis Aduocatorum: puta Aduocatis in foro Præfecti Prætorio Orientis, Illyrici & Præfecti vrbis Conſtantinopol. vt vel hæc *lex* noſtra *188.* & *d. vlt. ſup. de cohortalib.* docet. Ac primum quidem Togatis ſeu Aduocatis in foro Præfecti Prætorio Orientis; quæ mox idem ad Aduocatos in foro Præfecti vrbis traduxit: *l. 5. Cod. Iuſt. de Aduocatis diu. Iudiciorum*, quæ decennio ante hanc *leg. 188.* data eſt: & ad Aduocatos in foro Præfecti prætorio Illyrici: vt oſtendit *hæc lex*, & eiusdem *lex* altera, data triennio poſt hanc *leg.* noſtram: puta *l. 7. Cod. Iuſt. de Aduocat. diu. iudiciorum.*

rum. Hinc igitur eſt, quod *hac leg.* diſerte agitur de Cauſidicina ſeu Aduocatis in foro Præfecto Prætorio Orientis atque Vrbis: quibus ſingularia præ cæteris priuilegia a Theodoſio Iun. tributa fuerunt; vt cæteroquin ſæpe ſub Præfecto Prætorio operam nauantibus eximia iura tribui ſolita: de quo ad *l 2. ſup. de Adſeſſorib.* & *l. vlt. ſup. de poſtulando*, & *l. 11. ſup. de Numerariis.* Et vero cum tributa eſſent, Curialibus occaſionem ea dedere, paſſim ad Aduocationis munus ambiendum in dictis foris, vt præter hanc *leg.* docet eiuſdem Theodoſii Iun. *Nouella de poſtulando* 16. (quæ triennio poſt *hanc leg.* data) *Eneruaſſe Curias, vel prouinciarum officia, effuſam Ampliſſimæ Præfecturæ iudicio poſtulandi cupiditatem, inlecebris immunitatis accenſam comperimus.* Itaque *ea Nouella* Theodoſius ſtatuit, Curiales, qui vltra 64. priores in ampliſſimo foro poſtulandi ſibi vſurpauerant licentiam, per ſubſtitutum, vel ſuffectum munia Ciuitatis ſuæ agnoſcere: nulloque ſacrarum conſtitutionum, quæ de Aduocatis latæ ſunt, beneficio frui, niſi ad fiſci patronatum peruenerint. Vnde apparet, quod ad *huius l.* noſtræ intellectum facit, Cauſidicos, qui iam *huius l.* tempora eſſent in foro Præfecti Prætorio, ſi modo in Ordine eſſent, non ſupernumerarii, ſubſtituto Curiæ dato a Curia liberatos: Et quamquam hoc grande priuilegium immunitatis a Curiali nexu, ad alios Aduocatos prouinciarum vel ſpectabilium Iudicum non porrigeret Theodoſius Iun. attamen munerum quorundam immunitatem & his tribuit *d. Nouella de poſtulando* 16. vnde deſumpta eſt *lex 6. C. Iuſt. de Aduoc. diu. iudiciorum.* Quo numero eſt quoque ea, de qua *l. prox.* 189. Et hæc de Theodoſio Iun. Valentinianus quoque Tertius, eius in Imperio Collega, *Nouella 10. cap. in diuerſis:* Curiales Cauſidicos, qui *certatim ad priuilegia Cauſidicis Inluſtris Prætorii*, Prætorianæ Præf. atque *vrbanæ, debita feſtinabant*, ſuffectum Curiæ præſtare voluit.

De CVRIA ALEXANDRINA *quatuor leges.*

1. *De* PRINCIPALIBVS *illius Curiæ, ad quæ munera teneantur: & de* PRIMI *dignitate.*

CLXXXIX. (a) Idem AA. Iſidoro PF. P. (b)

ALEXANDRINIS Principalibus, etſi Aduocatione fungantur, nihilominus (c) onus Peregrinationis (d) incumbat, nec Cura (e) publica, niſi in ſua tantum ciuitate committatur. Et primus (f) Curiæ, qui in (g) muneribus vniuerſis expletis ad ſummum (h) peruenerit gradum, Comitiua primi ordinis frui (i) per (k) quinquennium dignitate præſtita: (l) nec Senatoriis minime (m) functionibus obſtringatur, in Curia (n) tamen permaneat. Dat. Prid. Non. Iun. Conſtantinop. Iſidoro & Senatore Coss. [436.]

NOTAE.

(a) *L. 56. Cod Iuſt. eod. tit.* Iungendæ autem *huic* ſunt *duæ leges proximæ* 190. 191. (Imo *tertia* ſeu *vlt huius tit.*) Item *lex* 3. *ſupra de Indictionib. lex* 2. *infra de frum. Alex. lex* 2. *inf. de Alexand. pleb. primatibus.* GOTHOFR.

(b) Orientis: dixi ad *l.* 187. *ſup.* *ID.*

(c) Pro *nihilo magis, minime, non:* de quo mox: ſic & *infra hac ipſa lege* duplici abnutino, *Nec minime.* *ID.*

(d) Id eſt *Legationis:* Eodem ſenſu peregrinationis vox accipitur, *lege* 9. *infra de Legatis*, vbi dicam adhuc aliquid. *ID.*

(e) *Cura publica*, an eſt munus aliquod publicum perſonale, & adminiſtratio, quæ principalibus committebatur? videtur curatoris ciuitatis munus indicari. v. *Gl. Theod.* *ID.*

(f) De hoc *Primo Curiæ* agitur etiam *l.* 127. 171. *inf. ſup.* *ID.*

(g) Παρὰ λῦσιν: *cum*, C. Iuſt loco, *qui in.* *ID.*

(h) Primi Curiæ. *ID.*

(i) Locus plane vitioſus; pro quo, in *Cod. Iuſt. fruatur.* vide etiam *leg.* 127. *ſupr.* vbi Comitiua tantum tertii ordinis, primo Curiæ datur. *ID.*

(k) *Poſt biennium*, C. Iuſt. *ID.*

(l) Sequentia ita immutata C. Iuſt. *in Curialibus tamen permaneat.* *ID.*

(m) *Nec minime:* duplici abnutiuo. Hæc autem verba a Triboniano repudiata ſunt. *ID.*

(n) Id eſt in Ordine Alexandrino. *ID.*

P. 731.

2. *De* QVINQVE PRIMATIBVS *Curiæ Alexandrinæ immunibus ab iniuriis corporalib.*

CXC. (a) Idem AA. Iſidoro PF. P. (b)

QVINQVE Primates (c) Ordinis Alexandrini a Corporalibus (d) iniuriis immunes eſſe cenſemus (e) vt voce libera commoditates patriæ defendant: cum poſſint, ſi quid egerint

egerint criminoſe, pecuniariis coherceri diſpendiis: Æſtimabuntur (f) autem præſente Curia viri Spectabilis Auguſtalis (g) iudicio. Dat. Prid. Non. Iun. Conſtp. Iſidoro & Senatore Coss. [436.]

NOTAE.

(a) *L. 57. Cod. Iuſt. eod. tit.* Quibus autem ea iungenda ſit, iam ad *ſuperiorem* dictum. GOTHOFR.

(b) Orientis: dixi ad *l.* 187. *ſup.* ID.

(c) *Summates*, C. Iuſt. Quomodo etiam Symmachus *lib.* 10. *ep.* 63. *Summates Ariciæ Vrbis*, dixit: *Summos Municipum Proceres* dixit Auſonius *Moſella v.* 401. τὸ πρῶτον τῶν βελευτηρίων Eunapio *in Maximo pag.* 97. *Edit. Commelin.* Claſſis quoque Summates *l.* 31. *inf. de Nauicular.* ID.

(d) Id eſt, a Quæſtionibus & tormentis: dixi plene ad *l.* 39. *ſup.* ID.

(e) Id eſt iubemus. ID.

(f) Pecuniaria diſpendia, condemnationes, mulæ. ID.

(g) Præfecti Auguſtalis, ſeu Ægypti. ID.

3. *De eo qui* TRIGINTA *annis Alexandriæ ciuilia munera obiit.*

CXCI. (a) Idem AA. Iſidoro, PF. P. (b)

EVM qui triginta annos (c) in Alexandrina ciuitate ciuilibus inhæſerit muneribus, corporalibus muniis, non pecuniariis, excuſari conueniet: (d) habita conſideratione videlicet meritorum, vt hoc bene cognitum (e) priuilegium conſequantur, nec eo paſſim fruantur indigni. Dat. Prid. Non. Iun. Conſtantinop. Iſidoro & Senatore Coss [436.]

NOTAE.

(a) *L. 58. Cod. Iuſt. eod. tit.* Quænam autem ei iungendæ ſint, dictum ad *l.* 189. GOTHOFR.

(b) Orientis: dixi ad *l.* 187 *ſup.* ID.

(c) *Annis* C. Iuſt. Editiones nonnullæ. ID.

(d) *Conuenit*: C. Iuſt ID.

(e) γρ. *Cogniti*, vt C Iuſt. *bene cogniti*, id eſt, *bene meriti* opponuntur hic indignis. ID.

4. *De* SPONTANEIS *munificibus Alexandriæ.*

CXCII. (a) Idem AA. Iſidoro PF. P. (b)

SI quos ſpontaneos Hypomnematografi (c) Munificos (d) ſuis exhortationibus ad publicas nominauerint functiones, Auguſtalis (e) iubemus non expectandum eſſe conſenſum, qui ſit plerumque venalis, ſed vtriusque partis ſufficere voluntatem, vt incipiat functio quam nullus incuſat: tum ad memoratum Iudicem (f) tam nominati quam etiam Creatores (g) conſona relatione currente, (h) quam (i) ſi ſuſcipere, vel confirmare diſtulerit, ſciat ſe viginti quinque auri librarum condemnatione plectendum. Dat. Prid. Non. Aug. (k) Conſtp. Iſidoro & Senatore Coss. [436.]

NOTAE.

(a) *Lex 59. Cod. Iuſt. eod. tit.* Quib. autem legibus hæc coniungenda ſit, dixi iam ad *l.* 189. GOTHOFR.

(b) *Iſidorus* PP. Orientis ſcil. dixi ad *l.* 187. *ſup.* ID.

(c) Σύγχρονα. ID.

(d) *Munifici*, id eſt, munera præſtantes, ſubeuntes: *Liturgi* propria voce in Ægypto, *l. vlt. ſup. de patrociniis vicorum.* ID.

(e) Σύγχρονα iterum, quam hic ſuſtulis Τριβον. ita: *Iubemus non expectandum eſſe conſenſum pro tempore viri Spectabilis Auguſtalis.* ID.

p. 518. (f) Id eſt Præfectum Auguſtalem. ID.

(g) *Creatoris* C. Iuſt. ID.

(h) Ita quoque *Cod. Iuſt.* imperfecta ſententia: quare γρ. *currant.* ID.

(i) Relationem conſonam. ID.

(k) γρ. *Iun.* vt *tribus ſuperiorib. legibus.* ID.

COMMEN.

COMMENTARIVS.

DE ALEXANDRINA Curia, eiuſque Curialibus, ſunt hæ *quatuor* Theodoſii Iunioris *leges:* quæ omnes partes ſunt vnius & eiuſdem prolixæ conſtitutionis, non *Nouellæ* (vt Cuiacius prodidit) *Theodoſianæ*, ex qua ſuperſunt tres aliæ inſuper leges *hoc Codice* (atque adeo *his quatuor* conſtandæ) puta *lex 2. inf. de frum. Alexandrino: lex 2. inf. de Alexandrinæ plebis Primatibus:* & *lex 3. ſup. de Indictionibus*. Ea conſtitutione Theodoſius Iun. tum poſſeſſoribus in commune per totam Ægyptum circa rem tributariam conſultum iuit, quo ſpectat *d. lex 3. ſup. de Indictionibus;* tum Alexandrinæ ciuitati ſpeciatim: & quidem per partes, ſingulis eius partibus; Puta Corporatis, quo pertinet *d. lex 2. inf. de Alexandr. plebis Primatibus:* Item Plebi Alexandrinæ, quod argumentum eſt *d. legis 2. inf. de frum. Alexandrino*. Tandem & Curiæ ſeu Curialibus Alexandrinis: quo pertinent hæ *leges* noſtræ. Ita quidem, vt Præfecto Auguſtali ſeu Ægypti ſibullam his ferme *legibus* impoſitum eat, quod docent maxime *lex 190.* & *lex 192.* ſeu *vlt.*

Singularum ſententiam prius quam explico de Curia & Ciuitatibus Alexandrinis in genere videndum eſt: quo præter has *quatuor leges* pertinent quoque *lex 80. 112. 126. ſupr. h. t.* & apertiſſime *lex 42. 43. inf. de Epiſcopis: Lex 19. ſup. de petitionibus: lex 15. inf. de legatis*. Sed & Libanii *Epiſtol. 608. ad Celſum.* Syneſii locus *ep. 18. 19.* & *21.* Igitur initio Alexandrinis Curiæ ſeu Buleutarum ius ab Auguſto denegatum, vtpote rerum nouarum ſtudioſis, auctor eſt Dio *lib. 51. ad an V. C. 724. pag. 455. Edit. Wechel. 1606.* τοῖς Ἀλεξανδρεῦσιν, ait, ἄνευ βουλευτῶν πολιτεύεσθαι ἐκέλευσε: τοσαύτην που νεωτεροποιΐαν αὐτῶν κατέγνω: *Alexandrinis vero ſine Curialibus rempublicam adminiſtrare iuſſit: ita quidem eorum ſtudium rerum nouarum redarguebat*. Imo eiusdem quoque Auguſti *lege*, in Senatum Rom. ciuis Alexandrinus legi non potuit, teſte eodem Dione *ibid.* Quomodo & Alexandriæ ciuitatis ius, ex inſtitutione Principum, non temere dabatur, teſte Plinio *lib. 10. ep. 5.* & *23.* At datum Alexandrinis Curialium Ius poſtea a Seuero Imp. teſtis Spartianus *in eius vita cap. 17. init. Alexandrinis*, inquit, *ius Buleutarum dedit, qui ſine publico conſilio, ita vt ſub Regibus, ante viuebant, vno Iudice* (puta Iuridico Alexandriæ) *contenti, quem Cæſar dediſſet*. Quemadmodum & mox mutatum alterum illud Auguſti inſtitutum ab Antonino Caracalla Seueri filio, auctor Dio *prædicto loco:* qui alias in Alexandrinos mira ſæuiit, omnibus etiam θέαις καὶ συσσιτίοις, *ſpectaculis & ſodalitiis*, ibi ſublatis, teſte Xiphilino *in Ep. Dionis pag. 435. Ed. Sylburg.* Ergo & in Senatum Romanum Alexandrinus ciuis deinceps legi potuit, & Alexandria ipſa ſuum peculiarem Senatum ſeu Curiam habuit: Ita quidem, vt vrbis dignitate, quæ poſt vrbem Romam δευτερεῖα habuit, *Magnaque* dicta etiam a Syneſio *ep. 21.* Curia Alexandrina ſummo loco cenſeretur; quo fit, vt Theodoſius M. (Theodoſii noſtri Auus) *Senatorum* appellatione eos deſignet, haud aliter atque vrbis Romæ *l. 19. ſup. de petitionib.* cuius inſcriptio ita habet, *ad Senatores Ciuitatis Alexandrinæ*. Exinde igitur variis Principes ſubinde conſtitutionibus Curiæ & Curialibus Alexandrinis conſultum iuere. Sane Theodoſius Iunior his enixe conſultum it *quatuor hiſce legibus:* quarum quinque ſunt capita.

Primum caput eſt de PRINCIPALIBVS Alexandrinis. Notum iam in Curiis, ſeu inter Curiales certo numero fuiſſe *Principales* quoſdam, qui ferme numero decem fuere, vnde Decemprimi *l. 2. ſup. de Quæſtion. l. 39. inf. de Epiſcopis: l. 54. inf. de hæreticis.*

Hi igitur, vt cæteroquin eximio iure præ cæteris Curialibus ſeu Senatoribus erant, ita ſingulari hoc priuilegio donantur *hac l. 189.* a Theodoſio Iun. puta vt eis *Peregrinationis* onus non incumbat, nec Cura publica niſi in ſua tantum ciuitate committatur: *Peregrinationis* onus eſt Legationis ad Principem: quo eodem ſenſu *peregrinationis* vox accipitur quoque *l. 9. inf. de Legatis*, & apud Symmachum *non ſemel:* de cuiuſmodi Legationibus Alexandrinis, præter *hanc l.* eſt & *lex 19. ſupr. de petitionib. l. 42. inf. de Epiſc.* Et de Legationibus in genere *inf. tit. de Legatis*. Scilicet, cum cæteroquin, qui Legati mittebantur ad Principem, ex prouinciis & ciuitatibus, e Decurionum numero mitterentur, quod docuit *lex 9. ſup. h. t.* vbi vid. quæ dixi, *hac l.* Principales Alexandrini excipiuntur. Item a cura publica: Cura publica num eadem eſt cum iis, quæ vocantur procurationes & Curæ ciuitatum *l. 2a ſup?* An ſunt Adminiſtrationes & munera, quæ Curialibus non tantum intra vrbem ipſam committebantur, verum etiam extra vrbem, veluti translatio auri (vt etiam docet Syneſius *ep. 18. 19. 21.*) Cogendarum angariarum onus *l. 1. C. Iuſt. quemadm. mun. ciuil.* ſane iiſdem Principalibus hoc quoque priuilegium datur *hac l.* a Theodoſio Iun. vt ne Cura publica, niſi in ſua tantum ciuitate his committatur. Et hæc quidem non tantum ipſorum Principalium fauore, verum etiam Ciuitatis ipſius Alexandrinæ, eo quod in his Principalibus, ciuitatis decus conſiſteret, & Alexandrina ciuitas ſuopte ingenio leuis, & ad tumultus præceps, Principalium opera & præſentia egerat,

In tantum porro Legationis immunitatem tribuit *hac leg.* Principalibus Alexandrinis, vt eis tribuat, *etſi Aduocatione fungantur*. Videbantur ſcil. ii ſaltem excipiendi, eo quod deſideria vrbis Alexandrinæ ad Principem melius perlaturi, & Aduocatorum operam deſiderare hoc maxime negotii genus videratur: Et tamen neque his legationis onus imponendum ſtatuit: *Nihilominus*, ait, *peregrinationis onus incumbat*. Vbi nihilominus aperte poſitum pro *nihilo magis*, vel pro *minime, non*, quod Gloſſa recte vidit, & Cuiacius quoque probauit ad *l. 7. §. 2. D. pro emptore*, qui Roberti cenſuram perperam incurrit 2. *Receptarum c. 29.* ſane etiam Grammaticæ Artis Magiſtri id monent, *nihilominus* quandoque pro *non* accipi. Priſcianus *lib. 18. pag. 1196. inter Putſchii Grammat.* Et vero recte idem Cuiacius monuit eodem ſenſu accipiendum in *d. l. 7.* & *in l. 13. §. vlt. Cod. Iuſt. de iudiciis.* Interim ex hoc loco intelli-

gimus Aduocatis peregrioationis onus ſerme incubuiſſe: de quo ad *l. 2. ſup. de concuſſ. Aduocat.*

Secundum caput quod continetur *eadem l.* 189. eſt de PRIMO Curiæ Alexandrinæ: Inter Principales ſc. quidam *Primus* erat, qui principalem & ſummum in Curia locum obtinebat, qui gubernacula vrbis adminiſtrabat Curiasque regebat: de quo præter *hanc leg.* agitur & *l.* 127. 171. *ſup.*

P. 523. Qui quidem ideo eximio iure erat. Itaque Alexandrinæ Curiæ, Primo, *hac l.* 189. Theodoſius Iun. Comitiuæ Primi Ordinis dignitatem tribuit, quæ ſecum trahebat Senatoriam dignitatem (cum tamen Theodoſius M. Comitiuam tantum Tertii Ordinis huic Primo Curiæ tribuerit, *l. 127. ſup.* de qua *lib. 6. ſup.*) ſub his tribus tamen conditionibus. Primo, vt per quinquennium tantum ei hanc dignitatem tribuat. Quod quidem ſingulare admodum eſt, vt videlicet dignitas alicui, & quidem Senatoria, non in perpetuum, ſed ad tempus detur, & proſit. Aliter quam in *l. 109. ſup.* vbi dignitas ex-Comitibus omnibus in patria muneribus perfunctis *in perpetuum* tribuitur. Secundo, vt licet Comitiuam Primi ordinis Primus Alexandrinæ Curiæ habeat, *Senatoriis* functionibus immunis ſit: Id eſt non teneatur ad Senatoriam glebam, & Senatorias editiones, aliaque Senatoria onera: Quod quidem & ipſum ſingolare eſt, vt Senatoria dignitate quis fruatur, & tamen onerum Senatoriorum immunitate gaudeat: de quo alibi ad *leg. 1. de decurion. & ſilent.* & *Paratitl. de Senatorib & de glebal.* Tertio, ita Comitiuam hanc Theodoſius Iun. Primo tribuit, vt tamen eum in Curia manere velit, quod & ipſum Theodoſius M ſtatuit *dict. l. 127.* cum ei Comitiuam Tertii ordinis tribuat.

Tertium caput, quod continetur *l 190.* eſt de priuilegiis Quinque PRIMATVM Curiæ Alexandrinæ: quos *Summates* Tribonianus maluit dicere: Quomodo *ſummates Aricinæ vrbis* Symmachus *lib. 10. ep. vltim.* Nempe e numero Principalium, non tantum Primum, ſuo & eximio iure quodam haberi voluit Theodoſius iun. verum & ſuo quodam iure Quinque Primates: In commune Principalium quædam priuilegia fuere: at inter Principales peculiaria Quinque Primatum: peculiaria adhuc Primi. Ergo quinque primates Curiæ Alexandrinæ a Corporalibus iniuriis, id eſt a quæſtionibus & tormentis immunes eſſe iubet *hac l. 190.* Theodoſius Iun. Quod oſtendit, hoc tempore Curiales, imo ne principales quidem in commune a quæſtionibus & tormentis immunes fuiſſe: & quidem Alexandriæ: cum tamen antea vel Curiales in totum hac immunitate fruerentur: de quo compluries dictum *ſup.* & quidem intra Ægyptum, atque adeo Alexandriæ ſub Theodoſio M. vt docet *lex 80. ſup.* vel ſaltem principales deuoti, & nihil debentes, etiam intra ipſam Ægyptum *l. 186. ſup.* Quæ quidem immunitas Alexandriæ poſtea infracta; quam Quinque Primatibus ſaltem *hac l.* Theodoſius Iun. reſtituit.

Et rationem addit, *Vt*, inquit, *voce libera commoditates patriæ defendant.* Nempe enim metu tormentorum & iniuriarum corporalium, quas Iudices miſeris Curialibus intonantes infligebant, ſæpe Curiales miſerias ſuas deflere non poterant, & ad Iudices querelas perferre, forte de nimia tributorum ſarcina, vel de Officialium deprædationibus, & id genus aliis: Iudicibus modum non habentibus, rapinis Officialium connluentibus. Et vero ſi id alibi factum, factum in Ægypto, & Alexandriæ a Iudicibus, & quidem a Præfecto Auguſtali, cuius conſenſus plerumque venalis erat: vt exerte docet *lex vlt. h. t.* Cui ideo hac parte fibulam imponi ſubinde oportuit, & a Theodoſio M. *d. l. 80. & 126 ſupr.* & vero imponitur a Theodoſio Iun. *hac l.* ſicut imponitur & alia parte huius Conſtitutionis Theodoſianæ *d. l. vlt. h. t.* vt ita voce libera commoditates patriæ Primates defendant: Quas infringi hac ætate plurimum contigit, aucto in immenſum tributorum modo, & quia pecuniis magiſtratus & officia redimerentur: de quo ſunt hoc ipſo tempore querelæ Iſidori Peluſiotæ: & quidem ad hunc ipſum Iſidorum PP. (cui hæ *leges* inſcribuntur) *lib. 1. ep. 485.* & ad *Archontium* 487. & *aliis epiſtolis.* Imo exertis verbis idem Iſidorus *lib. 3. ep. 50.* Theodoro Præfecto Auguſtali inſolentiam in omnes & ſuperbiam exprobrat.

Igitur Quinque Primates Curiæ Alexandrinæ, ea quam dixi de cauſa, Corporalibus iniuriis ſubjici vetat Theodoſius Iun. ſed pecuniariis tantum diſpendiis coërceri, ſi quid criminoſe egerint. Et hac parte tamen etiam fibula impoſita Præfecto Auguſtali: puta vt præſente Curia hujusmodi multa pecuniaria æſtimetur a Præfecto Auguſtali, coram toto videl. Curiæ conſeſſu: cuius præſentia exhibeatur, ne modum excedat, & *inſolentia efferatur*, μὴ πρὸς ὕβριν ἐπαίρεσθαι, ut ſcribit Iſidorus Peluſiota ad PF. Auguſtal. *dict. Ep. 50. lib. 3.*

Quartum caput, quod continetur *l. 191.* eſt de CVRIALIBVS in commune, qui diutino tempore, puta per 30. annos bene cogniti, id eſt, recte Curialibus muneribus inhæſerunt, functique ſunt: Nempe & hos Theodoſius Iun. priuilegio quodam muniendos credidit: puta vt deinceps immunes eſſent a Corporalibus ſeu perſonalibus muneribus, non vero a pecuniariis ſeu patrimonialibus. Quæ quidem munerum diſtinctio & alibi cernitur, puta, vt patrimonialium munerum vacationem ſæpe non habeat, qui perſonalem habet: de quo *tit. D. de munerib. & honor.* & *tit. de vacat. & excuſ. muner.*

Poſtremum caput, (quod continetur *poſtrema, ſeu vltima lege*, puta 192.) eſt de VOLVNTARIIS Curialibus: de quibus ſunt tres aliæ conſtitutiones eiusdem Theodoſii Iun. puta *lex* 172. 177. *ſup.* & *Nouella* eius 11. & *tit. Cod. Iuſt. de his qui ſponte muner.* aliæque *leges*, de quibus conſule *Paratitlon huius tituli.* Nempe cum aliorum idoneorum inopia, Voluntarii ſæpe homines Curiales functiones ſubirent, vel ſoli genitalis amore, vel certe excitati exhortationibus aliorum, & quidem Hypomnematographorum, atque ita Curiæ bono & leuamento id ceſſurum erat, ſæpe fiebat, vt cum de ea re ad Auguſtalem perferretur, eiusque conſenſus hac in re exquireretur, vt nunquam huiusmodi negotium Præfecti Auguſtales interturbarent, voluntariis

tariis his forte factum non cupientes, & male fauentes, plerumque etiam auro corrupti (de quo iam *ſup.*) aliis forte ad id munus anhelantibus; Theodoſius Iun. *hac l.* id iam conſtituendum putauit, vt ne de ea re amplius ad Auguſtalem referretur, neue eius conſenſus hac in re requireretur: verum vt vtriusque partis ſufficeret voluntas, & Ordinis, qui id præbuiſſet; & voluntarii, qui ſponte munus ſubire vellet: ſolo *confirmationis* iure, idque ſub graui multa, Præfecto Auguſtali impoſito: Nempe ſic ſuum hac parte Curiæ iudicium relinqui voluit; quæ diſcrimen ſuum noſſet: Cui alioquin iudicium ſuum non relinquendum, cum contra de adſcribendo ſeu eximendo aliquo a Curia per gratiam agitur, *l. 86. & 87. ſupr.*

De *Hypomnematographo* Alexandriæ cuius *hac l.* mentio fit, alter præterea locus occurrit apud Strabonem *lib. 17. p. 1148. Edit. Almelouen.* (quod etiam Alciatus *hic* indicauit) & ita quidem, vt ſecundum ordine inter alios Alexandrinæ vrbis Magiſtratus ponat, τῶν δὲ ἐπιχωρίων, inquit, ἀρχόντων κατὰ πόλιν μὲν ὅτε ἐξηγητής ἐστι πορφύραν ἀμπεχόμενος, καὶ ἔχων πατρίους τιμὰς, καὶ ἐπιμέλειαν τῶν τῇ πόλει χρησίμων. (huic reſpondet *Primus Curiæ*, de quo *l. 189.*) καὶ ὁ ὑπομνηματογράφος, καὶ ἀρχιδικαστής· τέταρτος δὲ ὁ νυκτέρινος στρατηγός: *ex indigenis magiſtratibus in vrbe eſt exegetes, (ſiu. interpres) qui purpuram geſtat, & patrias honores habet, & ea curat, quæ vrbi ſunt neceſſaria. Item Commentariorum ſcriba, & iudicum præfectus. Quartus eſt Prætor nocturnus.* Quo quidem loco Quatuor Alexandrini Primates deſignantur, quo tempore nondum Curiam habebat vrbs Alexandrina.

p. 304. Ergo *Hypomnematographus* ſecundus fuit inter Principales, & primores Curiæ Alexandrinæ. Quodnam munus eius fuerit, partim ex *hac l.* partim ex nominis indicio in partem cognoſcere licet: nempe eum Nominationes ad litorgias ſeu munera publica Ciuilia & Curialia feciſſe, munera diſtribuiſſe, & commentarios harum rerum feciſſe, vnde nomen illi. ὑπομνήματα ſcil. *Commentarii*, quod etiam Cicero filius *Epiſtolarum lib. 16. ep. 21.* & Columella docet *lib. 7. c. 5* Alioquin & *hypomnematographi* meminit Ioannes Epiſcopus Citri in reſponſi ad Conſtantinum Cabaſilam, *pag. 327. Tom. I. Iur. Græc. Rom. Marqu. Freheri.* & Codinus *inter officia Eccleſ. Conſt.* ſæpe, & inprimis *pag 3. Edit. Pariſ Iacob. Goari.* ὑπομνηματογράφος, εἰς τὸ γράφειν τὰ ὑπομνήματα, *A commentariis, ſcribendis commentariis (memorialibus) vacat.* Et in genere Gloſſæ veteres: ὑπομνηματογράφος, *Actuarius Memorialarius*; Sed quid moramur? Lucianus in *Apologia* de ſe Hypomnematographi munus Alexandriæ amplexato, περὶ τῶν ἐπὶ μισθῷ συνόντων· *p. 491. Edit. Grauii.* id munus graphice deſcribit: etſi *hypomnemategraphum* non nominet. ἔγωγ' οὖν, εἰ σκέψαιο, δόξαιμ' ἄν σοι οὐ τὸ σμικρότατον τῆς αἰγυπτίας ταύτης ἀρχῆς ἐγκεχειρίσθαι, τὰς δίκας εἰσάγειν, καὶ τάξιν αὐταῖς τὴν προσήκουσαν ἐπιτιθέναι, καὶ τῶν πραττομένων καὶ λεγομένων ἁπάντων ὑπομνήματα γράφεσθαι, καὶ τάς τε ῥητορείας τῶν δικαιολογούντων ῥυθμίζειν, καὶ τὰς τοῦ ἄρχοντος γνώσεις πρὸς τὸ σαφέστατον ἅμα καὶ ἀκριβέστατον σὺν πίστει τῇ μεγίστῃ διαφυλάττειν, καὶ παραδιδόναι δημοσίᾳ πρὸς τὸν ἀεὶ χρόνον ἀποκεισομένας. Quem Luciani locum de Aſſeſſoribus male acceptum, huc recte tranſtulit Valeſius in *Marcellinum, lib 28. cap. 1.* Locus ita vertendus: *Equidem ego, ſi conſideres, videbor tibi non minimam Ægyptiacæ adminiſtrationis partem obtinere, dum lites induco, & ordinem ipſi conuenientem impono, & factorum dictorumque omnium Commentarios ſcribo, & litigantium allegationes ordino, & Præfecti cognitiones dilucidiſſime & accuratiſſime cum ſumma fide cuſtodio, & in omne æuum reponendas publice trado.* Ergo fuit Hypomneomatographus inter præcipua Alexandrinæ vrbis munia; & Commentarios Curiæ & Curialium faciebat; & exinde ad eum quoque nominationum ad munera Curialia Cura pertinebat: quod *hac l.* docemur.

DE PRÆBENDO SALARIO.

TITVLVS II.

LIB. X. COD. IVST. TIT. XXXVI.

De SALARIO *non præbendo ex viribus Reipubl. niſi Principis iuſſu.*

I. (a) Imp. Conſtantinus A. (b) ad Marcellinum Corr. (c) Poſt alia.

NVLLI ſalarium tribuatur ex viribus (d) Reipublicæ, niſi ei qui iubentibus nobis ſpecialiter fuerit conſecutus. (e) Grauitas (f) igitur Tua placitis obſequatur; &c. Dat. V. Non. Oct. Conſtantinop. Limenio & Catullino Coss. [349.]

NOTAE.

(a) *Lex vn. Cod. Iuſt. eod. tit.* Iungenda huic *lex 6. infr. de operib. publ.* GOTHOFR.

(b) *vt. Impp.* CONSTANTIVS *& Conſtans AA.* Quomodo habet *huius leg. inſcriptio*, (prout eam edidit Cuiacius in *Cod. Iuſt.* nam in editis idem error, qui hic admiſſus eſt,) & *d. legis* 6. quæ huic noſtræ iungenda eſt. Et vero id temporum ratio oſtendit. Sane idem error & aliis multis legibus admiſſus: veluti *l. 5. de diu. reſcript. l. 2. de Iurisd. l. 1. infr. de lenonib.* ID.

(c) *vt. Com. Ori.* id eſt, Comitem Orientis, vt habetur *d. l.* 6. & in *editione Cod. Iuſt. Cuiaciana.* ID.

(d) *Viribus* recte, non *iuribus* vt in vulgat. Cod. Iuſt. quod tamen emendauit Cuiacius. *Viribus* id eſt, reditibus, vectigalibus, canone Reipubl. penſione *hic* & *l.* 26. *infr. de operib. publicis*: & apud Eumenium *pro reſtaurand. Schol. c.* 11. (imo & in Conſtantii Chlori reſcripto) *apud eundem ibidem cap* 14. & apud Symmachum, *lib.* 10. *ep.* 10. Eodem ſenſu & *l.* 13. *in fin. ſupr. de Prætoribus.* Quare errant qui *iuribus* & hic, & apud *Eumenium* reponunt, repudiata C. *Theod.* lectione. ID.

(e) Salarium, ID.

(f) Reliqua abſunt a Cod. I, ID.

COMMENTARIVS.

SALARIVM ex *Viribus*, id eſt, (vt modo in *Notis* oſtendi) vectigalibus ſeu reditibus ciuitatis cuiquam tribui vetat *hac l.* Conſtantius Imp. niſi ex ſpeciali ſuo ſcilicet Principis iuſſu: cui *legi* iungenda eſt *lex 6. infr. de operibus publicis*, ceu eiuſdem Conſtantianæ conſtitutionis pars, qua in conſilium adhibita ſeu admota, & *huius legis* inſcriptio emendanda, & ipſa felicius intelligi poteſt.

Vt ea intelligatur, præſupponendum eſt ſuos quoſdam reditus, ſua vectigalia ſingulis ciuitatibus
P.525. ſeu Rebuspublicis ſub Imperatoribus Romanis fuiſſe, (quæ *vires* hic vocantur, aliiſque locis quos iam in *Notis* indicaui:) vt docet quoque præter *hanc l.* *lex 18. 26. 32. 33. 48. dict. tit. de operib. publicis*: *lex 1. ſup. de locat. fundorum*: videndus & Symmachus *lib. 10. ep. 10.* vbi hæc verba occurrunt ad rem: *Habenda eſt ratio vectigalium publicorum, & lauacri æſtiui inſtauratio cum Reipubl. viribus conferenda: vt ſi quid redundat expenſis cæteris, in ſumptum operis conferatur.* Qui locus multa habet ad illuſtrationem *huius leg.* & *d. l. 6. de operib. publ.* veluti ex fundis, quos Reſpublica habebat, locatis: & Ammianus *lib. 25. cap. 4.* Horum redituum pars reparationi ciuitatis ſeu operum publicorum deſtinata erat, vt docet præter *d. l. 6. lex 18. 26. infr. de operib. publ.* & *d. l. 1. ſupr. de locat. fundor.* pars vero aliis neceſſitatibus ſeruiebat: Omniſque is reditus a Decurionibus adminiſtrabatur, quod docet *dict. lex 33. infr. de operib. publ.* e quorum numero Curator Reipubl. & Kalendarii eligebatur, qui eam pecuniam curabat: de quo Curatore, *ſuo* mox *titul.*

Ratiocinium porro horum redituum de more ſuo tempore ad Rectorem prouinciæ perlatum fuiſſe videtur ab eo diſpungendum: vel certe extra ordinem diſcuſſio harum pecuniarum nonnullis, ab Imperatoribus committebatur, vti viderent, in quas probabiles cauſas ea pecunia expenſa fuiſſet, vel quidnam in reliquis reſideret, vt ita mox quod improbe expenſum, reliqua e Decurionibus & Curatore Reipubl. & Kalendarii in vtilitatem Reipubl. exigeretur ſeu exſculperetur. Tale quoddam negotium Conſtantius Imp. Conſtitutione ſua ſeu Mandatis (cuius pars hæc eſt, ſimul & *d. l. 6. infr. de oper. publ.*) Marcellino Comiti Orientis (cuius metropolis fuit Antiochia) commiſiſſe videtur, atque inter cætera mandaſſe hæc duo inter alia. Scil. vt in diſpungendis rationibus ciuitatum ea quidem quæ operibus publicis impenſa conſtitiſſet, accepto ferret ſeu probaret, quæ ſententia eſt *d. legis 6. infr. de oper. publ.* Atenim non item probaret, ſi Decuriones ſalarium alicui ex viribus ſeu reditibus ciuitatis ſuæ iniuſſu Principis tribuiſſent.

Quod quidem alioquin tralatitii iuris fuit: puta vt regulariter Decuriones ſalarium alicui decernere vel conſtituere non poſſent: quod docuit etiam Vlpianus *lib. ſingulari de officio Curatoris Reipubl. l. 4. D. de decretis ab Ordine faciendis.* Nonnunquam tamen id potuerunt, puta ob liberalem Artem & Medicinam, puta ſi cui Profeſſori municipali, vel Medico ſalarium conſtituerent: *d. l. 4. §. vlt.* & *l. 16. §. 1. D. de alimentis Legatis.*

Item Legatis ad Principem e ciuitate miſſis, *l. vlt. §. 12. D. de mun. & honor. l. 2. §. vlt. D. de Legat.* Licuit etiam Decurionib. facultatibus lapſis non tam ſalarium, quam alimenta decernere teſte Hermogeniano, huius æui, vt videtur, Iuriſconſulto, *l. 8. D. de Decurion.* Et tamen *hac l.* indiſtincte & peremptoriis verbis Conſtantius *nulli* ſalarium tribui vult ex viribus Reipubl. niſi iubente Principe ſpecialiter. Sane ante eum quoque Conſtantius Chlorus auus ipſius, cum Eumenio Rhetori ſcholam Auguſtodunenſem committeret, ſalarium modumque eius ex viribus Reipubl. Auguſtodunenſis ei ipſe conſtituit: *Salarium te*, inquit in Epiſtola apud Eumenium pro reſtaurand. ſchol. cap. 14. *in ſexcenis millibus nummum ex Reipublicæ viribus conſequi volumus, vt intelligas meritis tuis etiam noſtram conſtituere Clementiam.* Et ipſe Eumenius *orat. pro reſtaur. ſchol. cap. 11. Salarium me liberaliſſimi Principes, ex huius Reipub. viribus in ſexcenis millibus nummum accipere iuſſerunt.* Qui locus ad *hanc l.* ſingularis eſt.

Sed & Gratianus Imp. poſtea *l. 11. infr. de Medicis & Profeſſorib.* cum Gallicanis ciuitatibus Profeſſorum deligendorum arbitrium daret, liberum tamen eſſe noluit, vt ſuos Doctores & Magiſtros placito ſibi compendio iuuarent.

Et Libanius tamen, oratione ad Antiochenos e *p. 85. ad 99. Edit. Morell.* e Decurionibus Antiochenis poſtulat, vt Quatuor Rhetorum ſeu Sophiſtarum ſalarium augeat datis agris. Quomodo igitur hæc inter ſe concilianda erunt? Et num putabimus *huius l.* vnicæ ſententiam eam eſſe vt ne Profeſſoribus quidem vel in alias probabiles cauſas ſalarium

ſarium ex viribus Reipubl. citra iuſſionem Principis conſtitui potuerit? Sane e tribus vnum cenſeo: vel ſta omnino Conſtantium cenſuiſſe hoc tempore pariter vt Gratianus *d. l. 11.* peculiari aliqua & temporarie ratione: Quod ciuitates in ſalariis decernendis modum non tenerent, *hanc l.* accipiendam, de ſalario aliquo extraordinario, quod per ambitioſa Decurionum decreta decerneretur, ac proinde eandem eius ſententiam eſſe, quæ Vlpiani *d. l. 4. D. de Decretis ab ordine fac.* Vnde proinde de ſolitis & neceſſariis ſalariis hæc *lex* accipienda non videatur, quæ vtique inſcio Principe decerni poſſint.

Quomodo etiam in opera publica impenſa, accepto ferri oportere voluit Conſtantius *d. l. 6. infr. de operib. publ.* quæ *huic* coniungenda eſt.

De praxi *huius legis* videndus interalios Montanatus *de adminiſtr. vniuerſitatum, pragm. 1. n. 1. 2.* Giurba *conſil. crim. 65. n. 52.* Vel denique non tam Decurionibus *hac l.* fibulam imponi, & ſic eo non proprie *hanc leg.* pertinere, quam Iudicibus ſeu Rectoribus prouinciarum, etiam ipſimet totius Diœceſeos Iudici, veluti Comiti, eo quod Reipubl vires huiusmodi ſalariis exhaurirent; Quam ſententiam confirmare videntur illa *huius legis* verba; *Grauitas igitur Tua, placitis obſequatur.* vt ita *d. l. 6.* quoque is ſenſus videatur, ea quæ ex viribus Reipubl. operibus publicis impenſa a Comite Orientis conſtiterit, accepto ferendum a Principe.

P. 306.

DE PRÆDIIS ET MANCIPIIS CVRIALIVM SINE DECRETO NON ALIENANDIS.

TITVLVS III.

LIB. X. COD. IVST. TIT. XXXIII.

De prædiis Decurionum ſine decreto non alienandis, omiſſa in *Rubrica*, & *l. 1. infr.* mentione *Mancipiorum:* Nempe quia id ad ruſtica reſtringitur a Zenone *l. 3. Cod. l. eod. tit.* Concordat *huic* Valentiniani *Nouella* 10. *cap. ſi quis Curiali.*

PARATITLON.

PRÆDIA *Rubr.* & *l. 1. 2. h. t.* vrbana & ruſtica, *d. l. 1.* & *2. h. t.* ſeu poſſeſſiones, *l. 2. h. t.* loca, *d. l. 1. h. t.* fundi, *d. l. 2. h. t.* Item Municipia quælibet, *d. l. 1. h. t.* Curialium ſeu Decurionum ſine decreto alienari non potuerunt *Rubr.* id eſt, vendi, *d. l. 1. 2. h. t.* ſic vt comparare ea nullus cuiuscunque conditionis eſſet, poſſet: *d. l. 2. h. t.* niſi probata neceſſitate apud Rectorem prouinciæ: alioquin comparator & pretio & loco comparato cum fructibus multabatur: *d. l. 1.* & *2. h. t.*

I. (a) Imppp. Valentinianus, THEODOSIVS & Arcadius AAA. Cynegio PF. P. (b)

SI quis Decurionum, vel ruſtica prædia, vel vrbana, vel (c) quælibet mancipia, venditor neceſſitate coactus addicit, interpellet Iudicem (d) competentem, omnesque cauſas ſingillatim, quibus ſtrangulatur (e), exponat: vt (f) mereatur, valituram in perpetuum comparatori, probata adſertione, ſententiam: Ita enim fiet, vt nec inmoderatus venditor, nec emptor (g) inueniatur iniuſtus. Denique nihil erit poſtmodum, quo venditor, vel circumuentum ſe inſidiis, vel obpreſſum potentia (h) comparatoris queri debeat: quandoquidem ſub fide actorum, & de neceſſitate diſtrahentis, & de voluntate patuerit comparantis. Quod ſi quis contra vetitum occultis molitionibus, per ſubpoſitas fraude perſonas cuiuslibet loci, quem tamen (i) Decurio diſtrahat, (k) comparator extiterit, ſciat ſe pretio quod dederit, (l) & loco (m) quem comparauerit, eſſe priuandum. Dat. VIII. Kalend. Decembr. Conſtantinop. Honor. NB, P. & Euodio Coss. [386.]

NOTAE.

(a) *L. 1. Cod. Iuſt. eod. tit.* ex *hac l.* & *l. 2. prox.* conflata eſt. Hanc intelligit & explicat Theodoſius Iun. *l. 2. prox.* & Zeno *l. 3. Cod. Iuſt. eod. tit.* Forte *huic* iungenda eſt *lex 21. infr. de ſuſceptor.* ſeu *lex 9. Cod. Iuſt. eod. tit.* GOTHOFR.

(b) Orientis: de quo ad *l. 105. ſupr. de Decurionib.* ID.

(c) *Vel qualibet mancipia:* hæc omiſſa C. Iuſt. pariter in *Rubrica* expuncta *Mancipiorum* mentio, ea cauſa, quam dixi ad *Rubric.* ID.

(d) Id eſt, Rectorem prouinciæ, vt *l. 2. prox.* ID.

(e) *Strangulari*, ID.

(f) Pro his, vsque ad *Ita*, hæc Tribonianus ceu clariora ex *l. 2. h. t.* prætulit, *& ita demum diſtrahendæ poſſeſſionis facultatem accipiat, ſi alienationis neceſſitatem probauerit: infirma enim venditio erit, ſi hæc fuerit forma neglecta.* ID.

(g) *Cuiuscunque ſit conditionis:* add. *Cod. Iuſt.* ID.

(h) Veluti quis Principalis eſt *l. 2. infr.* Atque hæc poſtea dubitandi cauſa fuit. ID.

(i) *Ei*, Cod. Iuſt. additum, ID.

(k) *Diſtrahebat*, Cod. I. ID.

(l) *Dedit*, Cod. I. ID.

(m) *Et locum quem comparauit cum fructibus eſſe reſtituendum:* in *Cod. Iuſt.* quæ ferme ex *l. 2. infr.* prætulit Tribon. ID.

P. 319.

II. (a) Impp. Honor. & THEOD. AA. Aſclepiodoto. PF. P. (b)

QVONIAM de Conſtitutione (c) inclytæ recordationis Aui (d) noſtri *de alienandis prædiis Curialium* promulgata dubitatum eſt, vtrum ſoli Principales (e) ſine decreti interpoſitione collegarum poſſeſſiones emere vetentur, an omnibus conparandorum huiuſce (f) fundorum copia ſine prædicta (g) obſeruatione negata ſit, generali ſanctione decernimus, Vt ſi curialis prædium vrbanum, aut ruſticum vendat cuiuscumque (h) conditionis emptori, apud Rectorem prouinciæ idoneas cauſas alienationis alleget, non perfunctorie a Iudice, ſed veriſſime requirendas, vt ita (i) demum diſtrahendæ poſſeſſionis facultatem accipiat, ſi alienationis neceſſitatem probauerit: (k) Infirma enim erit venditio, ſi hæc fuerit forma neglecta, ita vt & pretium emptor amittat, & venditori cum fructibus inlæſam poſſeſſionem reſtituat. Quæ quidem de futuris contractibus obſeruanda ſunt. Præteritas vero emptiones, in Osdroëna (l) ſpecialiter prouincia, confectas, licet ex tempore legis ſub Diuo Auo noſtro promulgatæ ſine geſtorum teſtificatione a qualiber perſona celebratas infirmari oporteat, (m) tamen ex prima (n) transacta nuper indictione, ita volumus infirmari, vt alterius (o) fortunæ vel honoris homines, qui ſine decreto prædia Curialium in memorata prouincia compararunt, receptis pretiis poſſeſſiones quas emerant, dominis reſtituant; ita vt ſi vſuras vel ſumptus rei melioratæ popoſcerint, a venditore percipiant, fructus inuicem redituri. Dat. V. Id. Aug. Eudoxiop. (p) Aſclepiodoto & Mariniano Coss. [423.]

NOTAE.

(a) Abeſt hæc *lex* a *Cod. Iuſt.* niſi quod duas exinde tantum ſententias *legi 1.* Tribonianus inſeruit. Eam quoque indicat & explicat Zeno Imp. *l. 3. eod. tit.* Iungendaque ei videtur *lex 61. infr. de hæreticis.* GOTHOFR.

(b) Orientis. ID.

(c) *Legem 1. ſupr.* intelligit. ID.

(d) Theodoſii M. ID.

(e) Principales Curialium: de quo *mox* ID.

(f) Pro huiusmodi. ID.

(g) Id eſt, ſine decreti interpoſitione. ID.

(h) Etiam non Principali, non Curiali ID.

(i) Hanc ſententiam ceu clariorem, poſthabita alia *d. l. 1.* inſeruit Tribon. ID.

(k) Et hoc alterum Tribonianus inſeruit *d. leg. 1.* ID.

(l) De Osdroëna eſt quoque Valentis *lex 79. ſupr. de Decurionib.* Theodoſii M. *lex 8. infr. de Paganis*: *lex 105. d. tit. de Decurionib.* ID.

(m) Forte *oporteret* ID.

(n) Id eſt, A. D. 418. ſeu *Honorio XII. & Theodoſio VIII. AA.* COSS. ID.

(o) Quam Curialis. ID.

(p) Ibidem data *d. l. 61.* ID.

COMMEN.

Digitized by Google

COMMENTARIVS.

DE PRAEDIIS, & mancipiis Curialium, ſine decreto Iudicis ſeu Rectoris prouinciæ non alienandis, ſunt hæ duæ conſtitutiones: Quarum prior Theodoſium M. auctorem habet: Qui ſane huius Noui iuris inuentor fuit; Curiarum commodis ita conſulens, ne alioquio translatis temere in alios Curialium prædiis vel mancipiis, ſuſtinendis curialibus muneribus minus idonei euaderent: & vt Caſſiodorus *in formula ad PP. vt ſub decreto Curialis prædia vendat.* VII. Var. 47. ait: *vt ad neceſſitates publicas (Curiales) melius ſufficerent, ſi ſubſtantiæ iuuamina plus haberent. A quibus enim;* vt idem ſubiicit, *munia poterunt ſuſtineri, ſi ciuitatum nerui paſſim videantur abſcindi;* Qui ſane Princeps & in aliis nouo iure adinuento, Curiis enixe conſultum iuit. Hic enim eſt, qui ante *hanc leg.* poſſeſſorem bonorum Curialis ex lucratiua cauſa pro parte patrimonii, in quam ſucceſſit, ad denariſmum ſeu vncias, id eſt, ad certam penſitationem Curiæ, primus adſtrinxit, *l. 107. 123. d. t. ſupr. de decur.* imo & ad Curiales functiones ſuſcipiendas *l. 134. d. t.* Hic eſt, qui poſt *hanc leg.* maritum non Curialem ab vxore Curiali non extantibus liberis, hæredem teſtamento inſtitutum, ſi vxori hæres exiſteret Curiæ ciuitatis mancipari voluit, *leg. 124. ſupr. de Decurionib.*

Ergo Theodoſios M. prædia ſeu mancipia Curialium ſine decreto alienari vetuit: prædia, inquam, ſiue ruſtica, & itidemque mancipia quælibet; quod tamen poſtremum ad mancipia ruſtica poſtea reſtrictum: vt docet *lex 5. Cod. Iuſt. eod. tit.* ſimiliter vt *leg. 22. C. Iuſt. de adminiſtr. tut.* ſimilis mancipiorum differentia inducta. Quæ cauſa eſt, cur ex *huius tituli Rubrica, & l. 1. hoc tit. mancipiorum* mentionem Tribonianus ſuſtulerit, *Cod. Iuſt.* Sane & Maiorianus, *Nouella ſua 1. de Curialib. & diſtractione prædiorum,* cum decretum in alienatione prædiorum Curialium Præfecti Prætorio requireret, mancipia a prædio ſeiunxit, & in eorum diſtractione decreti ſolemnitatem quæri voluit, contentus in horum diſtractione, quinque primorum Curiæ ſubſcriptione & conſenſione.

Ergo Theodoſius M. prædia ſeu mancipia Curialium ſine decreto alienari vetuit, id eſt, niſi probabili cauſa damnorum (vt loquitur Caſſiodorus) probata, ineluctabili neceſſitate, vt Maiorianus lo-
8. p. 55. quitur, qua Curialis ſtrangularetur, apud Iudicem competentem, id eſt, Rectorem prouinciæ, & ſub fide actorum. Qua parte tamen poſtea, vt iam iudicaui, in prædiis alienandis ſolius Præfecti Prætorio decretum requiſiuit Maiorianus *d. Nouell. 1.* quod videlicet prouinciales Iudices facile (perfunctoria *l. 2. hoc tit.*) aut gratificantes id indulgerent, vt ipſemet ait: Quod Maioriani ius & alias probarunt, etiam Gothorum Reges apud Caſſiodorum *VII. Var. vlt.* vbi formula continetur, *ad Præfectum Prætoris, vt ſub decreto Curialis prædia vendat:* vbi inter alia, *Quamuis hoc veſtra poteſtati fuerit, legum auctoritate conceſſum:* quæ tota conſulenda, vt & *IX. Var. 2.*

Et Pœnam addidit Theodoſius M. ſi alienatio, citra decretum facta fuiſſet: nempe vt infirmata & reſciſſa venditione, emptor pretio quod dediſſet, & loco ſeu prædio quod comparaſſet, multaretur: ita videl. (quomodo id Theodoſius Iun. *l. 2. hoc tit.* explicat) vt pretium emptor amitteret, & venditori poſſeſſionem reſtitueret: neutrubi tamen exprimitur, quid de pretio fieri oporteat? de quo tamen anxie quærunt Interpretes. Accurſius id *Ærario* ſeu fiſco inferendum, non autem venditoris lucro cedere putat, multarum *legum* argumento: cui tum alii, tum Cuiacius adſentitur, hac ratione, quod venditor ſit etiam ipſe in vendendo in mala fide; & vt alii explicant, Ne Decurio ex ſua malitia lucrum reportet. Quod ipſe minus probo: Curialis quippe venditoris lucro id cedere puto.

Primo, quia de fiſco nihil *his duab. legib.* exprimitur.

Secundo, quia miſeris Curialibus hac quoque procul dubio ratione conſultum voluere Theodoſius Magnus, & Theodoſius Iunior, qui immoderate, vel falſa neceſſitatis alicuius ſpecie, vel occultis molitionibus Potentiorum & Principalium ferme, prædia his ſua vendere adigebantur: quod *leg. 1. hoc tit.* indicatur.

Tertio, quia Curiarum commodo *leges* hæ a Theodoſiis latæ fuere, quarum Curialibus pretium cedere ſatius, vel ſaltem conſumptum iam ab his repeti inutile viſum. Et certe (quod Quartum) cum Theodoſius Iun. dicat, nullo addito, *emptorem pretium amittere,* & venditori cum fructibus illæſam poſſeſſionem reſtitui oportere; eo ipſo oſtendit, pretium penes Curialem venditorem remanere. Sed quid diutius moramur? Zeno *l. 3. Cod. Iuſt. eod. tit.* aperte ait, latas ſuper hoc *leges* a retro Principibus in plurimis ſuis partibus locutas eſſe *de pretio non redhibendo:* quibus verbis clare oſtenditur, pretium penes venditorem remanſiſſe.

Pretio igitur hoc caſu multari emptorem, reſciſſa venditione, notandum eſt: pariter vt in *l. 7. Cod. Iuſt. de agricolis & cenſitis:* & *l. vlt. Cod. eod. de fundis rei priuatæ:* ſeu *Nouella 28.* Theodoſii *de reſcind. vend.* Aliter atque in ſp. *leg. vn. C. I. non licere habitatorib. metrocomiæ.*

Et hæc quidem eſt Nouæ iſtius Theodoſii M. conſtitutionis, quæ continetur *l. 1.* ſententia, quam deinceps memorat Theodoſius Iun. *leg. 2. prox.* & Zeno *l. 3. C. Iuſt. eod. tit.* & circa quam dubia deinceps quamplurima moueri cœpere, quæ *legibus* aliis tolli oportuit. Primum dubium quod nobis occurrit, illud eſt, quod a Theodoſio Iun. ſublatum *dict. l. 2. hoc titul.* Nempe dubitatum, vtrum omnibus perſonis interdictum eſſet ſine decreto prædia Curialium emere, an vero ſolis *Principalibus* Curialibus id interdictum eſſet? Id quod nonnulli colligebant ex *ipſa* Theodoſii M. *lege,* forte an etiam ex ipſius præfatione, ſed reuera ex ipſa etiam, quæ exinde ſupereſt, *lege 1. ſupr.* ex illis verbis: *Denique nihil erit poſtmodum, quo ſe oppreſſum* POTENTIA *comparatoris queri debeat:* item ex illis; *per ſuppoſitas fraude perſonas:* Quomodo & Caſſiodoro *IX. Var. 2.* in Edicto Athalarici R. *Prædia Curialium, unde maxime* MANTOCAIAVS *parantur inſidiæ, nullus illicita emptione peruadat.* Nempe enim, qui inter Curiales erant Potentiores (hi vero *Principales* erant) vel momentarias, neque adeo vrgen-

vrgentes, Collegarum ſuorum neceſſitates, captantes, vel etiam occultis molitionibus per ſuppoſitas fraude perſonas, quia inuidioſum erat aperte, huiusmodi collegarum prædia ad ſe traxiſſe videntur: quibus ideo Theodoſius M. ῥητῶς occurriſſe videatur. Quomodo ſane & in aliis, inferiorum Curialium fortunas ab impreſſione potentium releuari oportuit. Et vero releuauit ipſe Theodoſius Iun. *l. 173. ſupr. de Decurionibus.* Neque abludit Caſſiodorus *IX. Var. 2. Prædia* inquit, *Curialium, vnde maxime* Mediocribus *parantur inſidiæ, nullus illicita emptione peruadat.* Et forte verum eſſe potuit, hanc primam fuiſſe Theodoſio M. huius noui iuris inuehendi occaſionem: ſed tamen non hactenus poſtea res ſtetit. Igitur Theodoſius Iun. *l. 2.* omnem, non Principalem tantum, a Curialibus prædiis emendis, generali ſanctione arcendum credidit. Ita etiam, vt expreſſius adhuc addet. 1. Non tantum pretio emptorem multandum, 2. non tantum prædium ipſum venditori Curiali reſtituendum, verum etiam 3 *fructus* inſuper prædii: & quarto quidem (vt ex *fine leg. 2.* colligitur) ſumptibus rei melioratæ amiſſis. Quæ omnia ſingularia admodum ſunt, in hac venditionis reſciſſione: vt ferme in ſimili ſpecie *l. 7. C. Iuſt. de agricolis & cenſitis: & l. vlt. Cod. eod. de fundis rei priuatæ.*

Et hæc quidem ita in futurum Theodoſius Iun. intactis iis alienationibus, quæ ante *Annum D. 418.* factæ fuerant: Quomodo ſimiliter poſtea Valentinianus III, *Nou. 10.* de his alienationibus, quæ ab eo tempore, quo Italiam Alaricus intrauit, nullam moueri quæſtionem voluit.

Eas vero, quæ deinceps ab Anno Domini 418. intra hoc ſexennium ad *huius leg. ſuæ* tempus factæ fuerant a quibuscunque, ita reſcindit; vt emptor pretium recipiat cum vſuris & emponematis, ſeu meliorationibus, fructibus inuicem reſtitutis; vel his compenſatis: quod iuris tralatitii eſt. Et hæc quidem de primo dubio, quod circa Theodoſii legem ortum fuerat: & ſic de *l. 2. huius tit.* De cæteris dubiis videnda *lex 3. Cod. Iuſt. eod. tit.* & *Nouella Iuſtiniani 38 tot.* Porro illud obſeruandum, *hanc l. 2.* proprie pertinere ad Oſdroënam Meſopotamiæ prouinciam, de qua ſunt *hoc Codice* præterea Valentis *lex 79. ſupr. de Decurionibus:* Theodoſii M. *l. 105. ſupr. de Decur.* & *lex 8. infr. de Paganis.*

Tandem notetur loco Decreti Iudicis, Valentiniano III, *d. Nou. 10.* ſatius viſum, ſi *Primores* Curiæ, qui vendendi neceſſitatem ignorare non poſſunt, in collegæ venditionem ſubſcriberent: Quod Maiorianus in *mancipio* diſtrahendo requiſiuit, nempe quinque Primorum Curiæ ſubſcriptionem, atque conſenſionem, *Nouella* eius *1. de curialib. & agnat.*

p. 519.

DE IMPONENDA LVCRATIVIS DESCRIPTIONE. TITVLVS IV.

LIB. X. COD. IVST. TIT. XXXV.

Ad huius Tituli argumentum pertinent duæ Theodoſii M. leges; puta *lex* 107. 123. *ſupr. de Decurionibus.* duæ aliæ Theodoſii Iunioris: puta *lex* 173. *dict. titul. de Decurionibus.* & *lex* 16. *ſupr. de Agentibus in rebus.* Addatur & *Nouella* Theodoſii II. *l.* 2. (vnde deſumpta eſt *lex vn. Cod. Iuſt. eod. tit. de impon. lucratiua deſcript.*

PARATITLON.

Lvcrativa *hoc Titulo* ſunt ea, quæ non Curialis ex lucratiua cauſa de ſubſtantia Curialis percepit, *leg. 16. in fin. ſupr. de Agentibus.* Seu poſſeſſiones, quas quis ex lucratiua cauſa detinet, quæ aliquando Curialium fuerunt, *leg. vnica hoc tit.* ea quæ ex ſubſtantia Curialium ad aliquem diuerſa largiendi occaſione peruenerunt: *leg. 123. ſupr. de Decurionibus.* quæ lucratiuæ facultates ex bonis Curialium cui obuenerunt: *leg. 173. dict. tit.* puta ſi quis non Curialis, legitimus vel teſtamentarius hæres, fideicommiſſarius aut legatarius Curialis fuerit, vel etiam viuentis locupletatus fuerit liberalitate, *leg. 107. ſupr. de Decurionibus.* Huiusmodi lucratiuis certa deſcriptio imponebatur, *Rubr.* ſeu ad pecuniariam deſcriptionem tenebantur *dict. leg. 107.* deſcriptiones ſuſtinebant, *dict. leg. 16. in fin.* auctoris ſui nomine, *dict. leg. 107.* De qua deſcriptione quinque ſunt *hoc Codice* Conſtitutiones: puta Theodoſii Magni, (qui eius auctor videtur) duæ *leges 107. 123. ſupr. de Decurionibus:* Theodoſii Iunioris tres: puta *lex 173 dict. tit lex 16. in fin. ſupr de Agentibus in rebus:* & *lex vnica huius titul.* & Quarta inſuper eiusdem nempe *Nouella conſtitutio 11. leg. 2.*

Hæc

Hæc igitur deſcriptio imponebatur Lucratiuis tantum, vt dictum eſt. Item poſſeſſionibus tantum, ſeu iugationibus, non rebus mobilibus aut ſe mouentibus *leg. vnic. hoc tit.* & in Nouella *Theodoſii 11. leg. 2.* ſeu *leg. vnic. Cod. Iuſt. eod. titulo.*

Tertio, impoſita hæc deſcriptio ſeu collatio, pro rata poſſeſſionis, ſeu pro ea tantum parte patrimonii, in quam quisque ſucceſſiſſet: *dict. leg.* 107. 123. *de Decurionib.* & *leg.* 16. *de Agentibus.*

Quarto, neque tamen omnibus, verum excepti ii, qui deſignantur *dict. Nouella* 11. *leg.* 2.

Quinto, Modus huius deſcriptionis quis fuerit? oſtendunt *dict. leg.* 107. & 123. & *lex vnic. huius titul.* vbi dicetur.

I. (a) Impp. THEODOSIVS & Valentinianus AA. Florentio PF. P. (b)

Hi qui ex lucratiua cauſa poſſeſſiones detinent, quæ aliquando Curialium fuerint, pro ſingulis earum iugis & capitibus quaternas ſilliquas annuæ (c) Ordinibus nomine deſcribtionis exſoluant; ita vt præbitionis iſtius forma non præiudicet illis Ciuitatibus, in quibus conſuetudo præcedens, vel pacta quædam, vel alia neceſſitas, ampliorem ſummam exigi perſuadet: &c. Dat. V. Id. Iun. Conſtp. Felice & Tauro Coss. [428.]

p. 550. NOTAE.

(a) Abeſt hæc *lex* a *Cod. Iuſt.* Hanc *leg.* ſuam memorat Theodoſius Iun. *Nouellarum* 11. *l.* 2. vnde deſumpta eſt *lex vn. C. Iuſt. eod. tit.* Iungenda autem ei *lex* 1. *Cod. Iuſt. de præd. Decur. ſine decreto non alienandis*: & *lex* 1. *Cod. eod. quando & quib. quarta pars debetur ex bonis Decurionum, & de modo diſtributionis eorum.* GOTHOFR.

(b) Orienti, *ID.*

(c) Σύγχυσις, conſtituendus ita locus hic, *annua deſcriptionis nomine Ordinibus exſoluant*: vel reponendum, *annuas*, *ID.*

COMMENTARIVS.

De Modo deſcriptionis ſeu collationis, quæ Lucratiuis poſſeſſionibus (quæ nam vero illæ ſint oſtenſum in *Paratitlo*) imponebatur, ſeu quæ a non Curialibus, ad quos ſcilicet ex lucratiua cauſa, poſſeſſiones Curialium deuenerant exigebatur, Ordinibusque ſeu Curiis annuatim inferebatur, eſt hæc Theodoſii Iunioris conſtitutio: Quæ quidem *lex* pars eſt prolixioris conſtitutionis, qua in multiplici ratione Curiis conſultum iuit: vt patet ex *leg. 2. Cod. Iuſtinian. de præd. Decur. ſine decreto non alienandis*: & ex *leg. 1. eodem Codice Iuſtinian. quando & quibus pars quarta debetur ex bonis Decurionum, & de modo diſtributionis eorum*: quæ ex eadem conſtitutione deſumptæ, *huic* noſtræ conſtituendæ veniunt. Et triplici quidem ratione ea conſtitutione Curiis conſultum iuit.

Primo quidem, ratione *Bonorum*, quæ ipſimet Curiæ deferuntur. Scilicet res Mobiles hæreditario iure Curiæ quæſitas (quum ſcilicet Decurio inteſtatus & ſine legitimo hærede deceſſit, *lege vnica ſupra, de bonis decurionum*, & *leg. 4. Cod. Iuſt. de hæreditat. Decurionum*, quæ eiusdem Theodoſii Iunioris eſt:) vendi, & nomina expungi, id eſt, debitores Curiæ liberari vetat, niſi venditio aut expunctio nominis ſeu liberatio, ex Ordinis decreto fiat: Redactamque exinde pecuniam in prædiorum comparationem impendi; prædia denique idoneis locari iubet. Quæ ſententia eſt *dictæ legis 2. Cod. Iuſt. de prædiis Decurion.*

Secundo, ratione Bonorum quæ ad *Curiales* pertinent: Scilicet ea bona per ſucceſſiones Curiæ commodis penitus eripi citra aliquam commodi ſtricturam noluit: Quare ſi non Curialis, Curiali ſius ex aſſe, ſiue pro parte hæres eſſet, Quartam eius hæreditatis, vel hæreditariæ partis, delibari, Curiæque dari voluit *dict. leg. 1. Cod. Iuſt. quando & quibus quarta pars*: (quam conſtitutionem ſuam Idem memorat *Nouella 11. leg. 2.* vnde deſumpta eſt *lex vn. Cod. I. eodem titulo.*)

Tertio, ratione bonorum ſeu poſſeſſionum, quæ ex Curialium bonis deceſſiſſent, & ad alios ex quacunque lucratiua cauſa perueniſſent: Certum ſcilicet aliquem præſtationis modum ab his annuatim Curiis exſolui hoc capite iubet. Quod non ab ipſo primum conſtitutum, verum a Theodoſio Magno cuius *leges* duæ ſuper hac re ſunt, puta *lex 107. 123. ſupr. de Decurionibus*: ſunt & aliæ tres præterea eiusdem Theodoſii Iunioris conſtitutiones; puta *lex 173. ſupra de Decurionibus*; *lex 16. in fine ſupr. de Agentibus in rebus*: & eiusdem *Nouella conſtitutio 11. leg. 2.*

Cæterum *Modus* iſtius collationis annuæ nouus, maiorque *hac lege*, a Theodoſio Iuniore hic definitur: puta vt quatuor ſiliquæ pro ſingulis iugis ſeu capitibus annuatim Curiis exſoluantur: cuius conſtitutionis ſuæ meminit ipſe Theodoſius Iunior *Nouellarum ſuarum titulo 11. lege 2.* vnde deſumpta eſt, *lex vnica Cod. Iuſt. eodem titulo.* Antea ſcilicet denariſmus, ſiue vnciæ ſingulæ, pro ſingulis iugis præbebantur Theodoſii Magni conſtitutione *dict. leg. 107. & 123. ſupra, de Decurionibus*: id eſt, duodecima aſſis pars. At nunc duplicatur hæc præbitio, ſcilicet ſextam aſſis partem præſtari vult: quatuor enim ſiliquæ ſextam ſolidi partem faciunt: *ſiliqua* enim, vt Iſidorus ſcribit *Origin. XVI. 24. vigeſima quarta pars ſolidi eſt*: & ſic duæ ſili-

quæ vnciam faciunt. Siliquæ Græcis *κεράτια* dicuntur.

Et tamen alicubi ſeu in nonnullis Ciuitatibus maiorem ſummam exigi patitur idem Theodoſius Iunior, pro Conſuetudine videlicet vel Pacto, vel ſi quæ alia Neceſſitas maiorem præſtationem exigat. Tria hæc ſcilicet ferme modum collationibus, & tributis faciunt (præter expreſſas *leges*) *Conſuetudo, Pacta, & Neceſſitas* quædam extraordinaria. Et conſuetudo quidem in his ſeruanda, ac nominatim in collationibus tributorum & exactionibus *leg. 11. 15. 18. 19. de exactionibus: leg. 23. 29. de annona. l. 1. de excoct. l. 10. de extraordin.* vt & in aliis multis: de quo vid. *Indicem.*

QVEMADMODVM MVNERA CIVILIA INDICANTVR.

TITVLVS V.

LIB. X. COD. IVST. TIT. XLII.

PARATITLON.

MVNERA Ciuilia *Rubr.* onera ſeu functiones, *l. 3. hoc tit.* indici quomodo oporteat his tribus conſtitutionibus, quæ ad Africam omnes pertinent, definitur. Nempe 1. *Duumuiros*, etſi populi ſuffragiis in Africa nominatos, periculo tamen Magiſtratuum creari, ſcil. ſufficiendis iis in futurum anni officium nominationes impertiunt, id eſt, quibus Duumvirorum ſibi in annum proximum ſufficiendorum onus incumbit, *l. 1. hoc tit.*

Secundo, *Maioribus* honoribus fungentes, vel functos, ab inferioribus muneribus immunes eſſe, veluti Sacerdotales, Flamines perpetuos, Duumuirales *leg. 2. h. t.*

Tertio, *iterare* eandem functionem neminem cogi, ſi alii ſint, qui eam nondum ſubiere, *l. 3. h. t.*

I. (a) Imp. CONSTANTINVS A. Tiberiano (b) Com. per Afric.

HI Magiſtratus (c), qui ſufficiendis (d) Duumuiris in futurum anni (e) officium nominationes impertiunt, periculi ſui contemplatione prouideant, vt quamuis populi quoque ſuffragiis nominatio in Africa ex conſuetudine celebretur, tamen ipſi nitantur pariter, ac laborent, quemadmodum poſſint hii, qui nominati fuerint, idonei reperiri. Iam (f) æquitatis ratio perſuadet, niſi idonei fuerint nominati, ipſos, quorum eſt periculum, adtineri. Dat. Nicomediæ (g) III. Kalend. Aug. Conſtantino A. VII. & Conſtante Cæſ. Coss. [326.]

NOTAE.

(a) Abeſt *hæc lex a Cod. Iuſt.* GOTHOFR.

(b) Eidem *Tiberiano Comiti* inſcribitur Anno 327. *lex 15. ſupr. de Decur.* vbi tamen diœceſeos nomen, cui is præerat, puta Africæ, mentio non fit; quanquam ea ex ſubſcriptione ſatis colligi poteſt, dictur enim ea lex *PP. Karthagine.* Ceterum integro nomine *Annius Tiberianus* vocatur *eadem leg. ID.*

(c) Id eſt, Duumuiri. *ID.*

(d) Subſtituendis ſibi, *ID.*

(e) Hinc apparet, Duumuirorum annuum fuiſſe officium. Quod etiam docet eiuſdem Conſtantini M. *lex 16. ſupr. de Decur.* vbi plura dixi, *ID.*

(f) *γρ. Nam. ID.*

(g) Deſiderari aliquid in hac ſubſcriptione videatur: Anno quippe 325. verum eſt Conſtantinum Magnum Nicomediæ fuiſſe: vnde etiam data *lex 4. ſupra, de accuſat.* nam ita eius ſubſcriptionem accipio: ibidemque Vicennalia eius edita, Hieronymo teſte, *in Chronico.* Quomodo & de Conſtantini Magni eo tempore mora fidem faciunt ea, quæ narrat Epiphanius, *hæreſi 48. ſiu 68. num. 5 & 6. pag. 721. Edit. Coloniens. apud Ierem. Schrey.* Quare ad ſuperiorem Conſulatum ea referenda videatur, vel ſane ad Annum 329. videtur enim Conſtantinus Magnus non ſemel in Bithynia egiſſe inde ab An. Domini 325. *ID.*

COMMEN-

P. 532

COMMENTARIVS.

De Dvvmvirorvm nominatione ſeu creatione eſt hæc *lex* Conſtantini M. de qua nominatione eſt quoque *lex 2. 8.16. ſupr. de Decur. lex 10, 12. 19. ſupr. de appellat. lex. 8 ſupr. de reparat. appell.* Et quidem hæc de nominatione Duumuirorum per Africam: quomodo ea ſcil facienda ſit, vt ita Idonei habeantur. Primum (quod præſupponit Conſtantinus, neque nunc primum conſtituit) in Africa *populi ſuffragiis* Nominatio ex conſuetudine celebrabatur: Qui mos forte per Africam inuectus ex *Eccleſia* vbi Sacerdotes, qui Eccleſiæ præerant, populi ſuffragiis, χειροτονίᾳ, prædicatione eligebantur, quod iam notum eſt. Vel ſane eodem exemplo, quo iam olim etiam apud Athenienſes Magiſtratus per χειροτονίαν populi eligebantur. Et nihilominus tamen ſecundo Duumuiros ipſos hanc nominationem celebrare, periculum huius nominationis eos reſpicere, iubet per Africam, haud aliter atque per alias diœceſes & prouincias, vbi Duumuiri populi ſuffragiis non creabantur, verum a Duumuiris ſolis ſcil. periculo ſuo creabantur, vt docet *lex 1. 2 C. Iuſt. de pericul. nominat. l. 11 13. 15 §. 1. D. ad municipal. l. 2, §. 7. D. de adminiſtr. rer. ad ciuit. pertinent. l. 3. Cod. Iuſt quo quiſque ordine &c.* ſcilicet cum nollet Conſtantinus M. conſuetudinem ſuam Africæ ademptam, & videret tamen populi ſuffragiis non vtique ſemper idoneos Duumuiros creari (vt ſæpe vanæ ſunt populi voces & cœci impetus, vel affectus;) Duumuiros nihilominus qui magiſtratum gererent hoc Anno, operam & laborem ſuum impendere voluit, quo idonei ſucceſſores nominarentur & haberentur, alioquin nominationis iſtius periculum in ipſos non minus recaſurum, quam in aliis diœceſibus & prouinciis: vbi ſoli Duumuiri ſucceſſores ſibi & ſuo quidem periculo nominabant: Idque Conſtantinus ait *æquitatis rationem perſuadere:* quomodo & maiorem eſſe rationem agendi cum nominatore, dixit Papinianus, *l. 11. D. ad municipalem*, quia fidei nomine conuenitur: id eſt, quia fidem ſuam Reipubl. obſtrinxiſſe videtur, promittendo idoneum quem ſibi nominaret.

II. (a) Idem A. ad Concilium (b) Prouinc. Afric.

Sacerdotales (c) & Flamines (d) perpetuos, atque etiam Duumuirales (e) ab annonarum Præpoſituris inferioribusque muneribus immunes eſſe præcipimus. Quod vt perpetua obſeruatione firmetur, legem hanc inciſam æneis (f) tabulis iuſſimus publicari. PP. XII. Kal. Iun. Karthagini (g) Feliciano & Tatiano Coss. [337.]

NOTAE.

(a) Abeſt & hæc *lex* a *Cod. Iuſt.* Huic *legi* gemina germana eſt altera eiuſdem Conſtantini Magni *lex* 21. *ſupra, de Decurionib. GOTHOFR.*

(b) Par Inſcriptio & Subſcriptio alterius Conſtantini M. Conſtitutionis, *l. 15. ſupr. de appellat. ID.*

(c) De Sacerdotibus & Sacerdotio prouinciæ functis, dixi ad *d. l. 21.* vide & *Parat. infr. de Paganis. ID.*

(d) De Flaminibus dixi quoque *d. l. 21. ID.*

(e) Id eſt, Duumuiratu functi, a quibus Magiſtratus decurſa inſignia, *d. l. 21. ID.*

(f) De hoc more legum æneis tabulis incidendarum, dixi affatim ad *l. 1. ſupr. de alim. quæ inopes l. 4. ſupr. de priuil. eorum qui in ſacr. Pal.* & *l. 1. ſupr. de Veteranis. ID.*

(g) Similis ſubſcriptio & inſcriptio *d. l. 15.* Karthagini ceu in metropoli Concilium Africæ habitum, *v. tit. infr. de Legatis & decret. Legat.* ac nominatim *l. 12. 13. eo tit. ID.*

COMMENTARIVS.

Ab Inferioribvs muneribus, etiam a Præpoſitura annonarum, immunes, per Africam eſſe iubet *hac l.* Conſtantinus M. *Sacerdotales & Flamines & Duumuirales: Sacerdotales*, inquam, Sacerdotio prouinciæ functos: ſic Am. Marcellinus *lib 28. cap. 6. occiſis Decurionibus multis, inter quos Ruſticanus* Sacerdotalis, *& Nicaſius enitebat Ædilis. Flamines* (id eſt, ciuitatum Sacerdotes) perpetuos, & *Duumuirales*, (id eſt, Duumuiratu functos:) Ad querelam *Concilii* Africæ, quod Karthagine hoc tempore, coactum fuit. Pariter vt ante biennium, ad eorundem Afrorum Curialium querelam, gemina germana *leg. 21. ſupr. de Decur.* vbi dicta hic repetere nil attinet: Hoc tantum diſcrimine, quod *ea l.* Flaminibus flaminii honore defunctis hanc immunitatem tribuit, hac vero *lege* diſerte, *Flaminibus perpetuis.* Flaminum ſcilicet alii perpetui non erant, quod ea *lex* docet: alii vero erant, quorum mentio fit quoque in *veteribus Inſcriptionibus.* Inter alias *apud Gruterum* ſæpe, vt *CCLXXXIII. 6. CCCLXXXVIII. 3. CCCCII. 5. CCCCXXXIX. 5. CCCCXLVI. 7. CCCCLXXVIII. 7. CCCCXCVIII. 8.* & in ea quæ Tarracone *CCCCXXXIX. 5.*

C N. M V N A T I V S. M. F. P A L
A V R E L I V S. B A S S V S
P R O C. A V G
P R A E F. F A B R. P R A E F. C O H. III
S A G I T T A R I O R. P R A E F. C O H. II
A S T Y R V M. C E N S I T O R. C I V I V M
R O M A N O R V M. C O L O N I A E. V I C T R I C E N S I S
Q V A E. E S T. I N. B R I T A N N I A. C A M A L O D V N I
C V R A T O R. V I A E. N O M E N T A N A E
P A T R O N V S. E I V S D E M. M V N I C I P I
F L A M E N. P E R P E T V V S. D V V M V I R A L I
P O T E S T A T E. A E D I L I S. D E D I C A T O R. IIII.

Ergo nunc *hac l.* Conſtantinus ſolis Flaminibus perpetuis hanc immunitatem tribuit, quam antea omnibus Flaminibus etiam Sacerdotio functis.

Interim ex *h. l.* & *d. l. 21.* liquet, quam difficulter in Africa, Sacerdotales & Flamines & Duumuirales hac immunitate potiri potuerint: quibus gemina conſtitutione intra biennium Conſtantinus M. conſulere neceſſe habuerit: Quam & ideo nunc æneis tabulis publicari iubet, vt perpetua obſeruatione firmaretur: de quo more æneis tabulis publicandarum conſtitutionum, quas maxime cordi haberent, & priuilegiorum, Principes, ac nominatim Conſtantinus M. dixi iam non *vno loco*, & inter alios *leg. 4. ſupr. de priuil. eorum qui in S. Palat.*

Proculdubio enim Chriſtiana Religione per p. 533. Africam magis magiſque inualaſcente, ægre ea immunitas conſtitit: præſertim a præpoſitura annonæ: de quo dixi etiam ad *leg. 21. ſupr. de decurion.* & in *Paratitl. de ſuſceptor. præpoſ. & arcar.* Ad *huius l.* ſententiam accedit omnino illud *in l. 2. Cod. Iuſt. quemad. mun. ciuil. indic. maioribus honoribus functos ad minores deuocari non oportere;* quia alias, vt Græci adnotarunt, *δοκῶσιν ὑβρίζεσθαι.*

III. (a) Impp. Arcadius & HONORIVS AA. Probino Proconſ. Afric. (b)

QVIS tam inueniri iniquus arbiter rerum (c) poteſt, qui in Vrbibus magnifico ſtatu præditis, ac votiua (d) Curialium numeroſitate (e) locupletibus, ad iterationem quempiam tranſacti oneris inpellat, (f) vt cum alii necdum pene initiati Curiæ ſacris fuerint, alios (g) continuatio & repetitæ ſæpe functiones adficiant. (h) Dat. XVI. Kal. April. Med. Cæſario & Attico Coss. [497.]

NOTAE.

(a) *L. 52. C. Iuſt. de Decurionib.* GOTHOFR.

(b) Mirum *hanc l.* quæ data eſt A. 397. Proconſuli Africæ inſcribi, cum tamen Gildo Africæ hoc tempore incubaret. Sed proculdubio Africam proconſularem nondum occupauerat Gildo. *ID.*

(c) *Σύγχυσις* in hac ſententia: pro, *Quis tam iniquus rerum arbiter inueniri poteſt* *ID.*

(d) *Votiua*, votis expetenda, deſiderata, grata, deſiderabilis: ſic *l. 1. ſupr. de feriis: ita gratum ac iucundum eſt, eo die quæ ſunt maxime votiua compleri.* Ita apud Tertullianum *lib. 1. ad Nationes, cap. 9. Votiua*, pro frugibus, & prouentu expetito. *ID.*

(e) *Numeroſitas.* v. *Gloſſ.* *ID.*

(f) *Compellat.* Cod. Iuſt. *ID.*

(g) *Et continuatio*, C. Iuſt. quaſi ab hac repetitæ functiones differant. Quod erroneum eſt. *ID.*

(h) Et adfligant. *ID.*

COMMENTARIVS.

ITERARE ſeu repetere eandem functionem, ſeu tranſactum onus, aliis Curialibus exiſtentibus, ſeu ſi aliorum Curialium copia ſit, quemquam cogi vetat hac elegantiſſima *leg.* Honorius Imp. (pariter vt Diocletianus & Maximianus *l. 3. Cod. Iuſt. quemadm. mun. ciuil.*) Et quidem per Africam proconſularem. Denique æquabiles vices in muneribus ſubeundis ſeruari hac parte voluere Principes; quod etiam Iuriſconſulti prodidere, *l. 3. §. 15. D. de muneribus.*

DE

DE SVSCEPTORIBVS, (*) PRAEPOSITIS ET ARCARIIS.

TITVLVS VI.

LIB. X. COD. IVST. TIT. LXX.

(*) ὑποδέκται Græcis, vt Athanaſius *Ep. ad ſolitar. vit. agent. pag.* 861. *Tom. I. Oper. Edit. Colon.* ſiu. *Lipſ. apud Weidm.* Georgium ὑποδέκτην ἐν Κωνσταντινουπόλει ταμιακῶν, appellat. Gloſſæ, χρυσυποδέκτης, *Suſceptor aurarius.*

PARATITLON.

I. SVSCEPTORES, (de quibus *hoc tit.* ac præterea *l.* 1. *infr. tit. prox. de Ponderatorib.* quæ iungenda cum *l.* 2. *hoc tit.*) *l. vlt. de fiſci debitoribus. l. vlt. ad legem Iul. repetund. leg.* 49. 54 70. *de Decurionib. leg.* 47. *ſupr. de curſu publ. l. vn. de quadrim. breuib. l. vn. ſupr. ne conlatio per logograph. l.* 19. *ſupr. de annon. l.* 1. 14. *de exactionib. l. vlt. ſup. de ſuperexact. l.* 1. 11. 13. 24. *ſupr. de erog. milit. annon. l.* 6. *ſupr. de priuil. eor. qui in S. Palat. l.* 8. *ſupr. de diu. offic. l. vn. ſupr. de priuil. apparit. magiſt. pot. l.* 2 *ſupr. de Quæſtionib. l. vlt. de indulg. deb.* meminit & Ammian. Marcellinus *lib.* 17. *cap.* 10. (non etiam *lib.* 19. *cap.* 11.) varii fuere: Alii quippe ſpecierum ſuſceptores erant, *l.* 9. *h. t.* (vnde & ſuſceptio ſpecierum, *l.* 7. ſeu diuerſarum ſpecierum ſuſceptores *l.* 49. *in fin. ſupr. de Decur.* qui & ſuſceptores cano-
P. 334. nis, *l.* 24. *h. t.*) puta annonariarum (vnde ſuſceptor ſpecierum annonariarum *d. l.* 9.) & quidem diuerſarum, *l.* 49. *ſupr. de Decur.* veluti vini, *l.* 15. *hoc titulo.* Qui Allecti dicebantur *l.* 12. 13 *hoc titulo. dict. l.* 2 *ſupr. de quæſtionib. l.* 15. 18. *de extraord.* Anianus *ad l.* 2. *infr. de Epiſcop.* vnde allegationis officium *l.* 11. *hoc titulo.* Item veſtium: vnde ſuſceptor veſtium, *l.* 4. 31. *hoc titulo* & *l.* 1. *ſup. de milit. veſte:* ſuſceptio veſtium, *l.* 31. *h. t.* Tandem auri argenti ſuſceptor vel ſuſcipiens: de quo *l.* 2. 12. 13. 17. 29. 30. *hoc titulo.* vnde ſuſceptor auri argenti, *l.* 17. *h. t.* ſuſceptor aurarius *l.* 173. *de Decurionib.* ſuſceptor aurariæ Principis, *l.* 29. *hoc titulo,* qui ſcilicet aurum largitionale ſuſcipiebant, *l.* 30. *h. t.* ſeu ſolidos ad largitionum ſubſidia perferendos: *l.* 13. *h. t.* Qui quidem omnes, fuere ſub diſpoſitione Rationalium: *l.* 2. *h. t.* & ſupra hos, Comites S. L. *l.* 11. 13. 30. 32. *h. t.* De his varia capita tum *h. t.* tum *Paratitlariis legibus* continentur.

Primum caput eſt de eorum CREATIONE: ex quo videlicet hominum genere crearentur, & a quibus. Creabantur igitur *l.* 5. 9. *h. t.* conſtituebantur, *dict. l.* 5. 6. *h. t.* ordinabantur, *dict. l.* 5. *h. t.* eligebantur *dict. l.* 6. *h. t.* in quibusdam prouinciis veluti per Illyricum, *l.* 6. 7. 9. *h. t.* in Oriente, *l.* 5. *h. t.* & pro temporum diuerſitate, Principumque placito, ex Officiis diuerſis, quæ extra Palatium militant: *l* 6. *h. t.* ex Officialium diuerſorum corpore, *l.* 7. 9. *hoc titulo* v. & *l. vlt. ſupr. de his qui cum diſpenſ.* veluti ex officio Præſidali, *l.* 5. *h. t.* Proconſulari, *l.* 31. *h. t.* (exceptis Officialibus Magiſtrorum Equitum, & Peditum: *l.* 6. *h. t.*) item ex Largitionalibus ciuitatum, poſt militiam, *dict. l.* 6. *h. t.* ex Tabulariis, Numerariis, *l.* 7. *h. t.* Non vero ex Palatinis *l.* 6. *de priuileg. eorum qui in ſacro palat.* (Excipe cohortales, qui ad Palatinam militiam adſpirarunt, *l.* 23. *de Cohortalib.*) Non ex Clericis: *l.* 1. *de Epiſcopis.* Item non ex Curialibus, *l.* 7. *hoc titulo.* Quod poſtremum tamen aliter aliquando habuit, nempe vt ſuſceptores ex Curialibus crearentur: puta aliquando ſi Officiales non ſufficerent, *d. l.* 5. *h. t.* item Suſceptor aurarius ex Curialibus creabatur, *l.* 14. *ſupr. de exactionibus:* item ſuſceptores Canonis Vrbicarii, *l.* 24. *hoc titulo.* Sed & per certas prouincias ex Decurionibus Prouincialibus creabantur, veluti per Præfecturam Galliarum, *l.* 2. *ſupr. de quæſtionib.* per Africam, *l.* 4. 9. 31. *hoc titulo:* denique per Ægyptum, ex Honoratorum quoque numero quandoque creati, *l.* 4. *hoc titulo:* ex Negotiatorum denique corpore ſuſceptor aurariæ per Africam eligebatur, *l.* 29. *h. t.* Item pœnæ loco nonnulli ſuſceptorum officio deputabantur, vt ex Valentiniani *l. vn. infr. ne Praefect.* Præfectiani ſi exactiones,

 vel

vel Horreorum cuſtodiæ vel curarum munus vſurpauerint. Eligebantur autem ab Officio proconſulari, eius periculo in Africa ſuſceptores veſtium, *l 4 h. t.* alibi ſuſceptores a Curia creari, *l. 20 hoc titulo.* in celeberrimo cœtu Curiæ, conſenſu & iudicio omnium ſub actorum teſtificatione *dict. l.* 20. ſuſceptores rei priuatæ, a Procuratoribus rei priuatæ, *l. vlt. ſupr. de iure fiſci.* Creatoreſque ſeu Nominatores eorum, pro his tenebantur, *l.* 1. & 4. *in f.* § 9.20.29. *hoc titulo:* & *l. vn. de quadrim. breuib.* & *l* 54. *ſupr. de Decurionib* Neque quicquam ex eorum ſubſtantia mercari poterant per ſuppoſitam perſonam, *dict. leg.* 8. *h. t.* Ipſorumque ſubſtantiæ & fideiuſſorum facultates diligenter deſcribebantur, antequam gererent, *l.* 25. *hoc titulo.*

Quod *Numerum* eorum attinet, vnus tantum in quaque diœceſi auri ſuſceptor aliquando fuit, *l.* 17. *h. t.* mox duo *dict. l.* 17. *h. t.* & tandem duo per ſingulas prouincias *l.* 30. *h. t.* Annuumque Suſceptorum munus fuit, *l.* 4.7.10.11.22.24 *h. t.*

Officium porro eorum erat collationem a prouincialibus ſeu poſſeſſoribus factam ſuſcipere *l.* 10. *h. t.* (neque tantum noui anni ſeu præſentis; verum etiam reliquorum, *dict. l.* 10.) In eumque finem modum iugationis & ſpecies ſingulas, earumque numerum, quantitatem, præſentibus defenſoribus perſcribebant *l.* 23. *h. t.* Itemque annonam ſuſceptam erogare, *l.* 7. *h. t.*

Modus autem ſuſceptioni & ſuſceptionibus varius præſtitutus, partim pro indemnitate & vtilitate prouincialium, partim vt fraudandi poteſtas ſuſceptoribus adimeretur. Primum, *per tres vices* Annona ſeu annonariæ ſpecies inſerebantur, *l.* 15. *hoc titulo* & *l.* 15. *ſupr. de annona & tribut. l.* 3. *ſupr. de conlat. fund. patrim.* (vnde quadrimenſtrui breues: de quibus *l.* 27. *hoc titulo* & *ſuo tit. peculiari, ſupra:*) Et licebat tamen poſſeſſori quandocumque intra quatuor priores menſes ſolidum canonem conſerre, *l.* 15. *ſupr. de annon & tribut.* Aurumque intra annum quandocumque inferre licebat, *l.* 2. *hoc titulo.* & *l.* 3 *ſupr. de conlat. fund. patrim.* Secundo, *Menſura & pondera* in ſingulis ſtationibus collata publice erant: *l.* 19. *h. t.* de quibus & *l.* 32. *h. t.* ſeu modii ænei & lapidei cum ſextariis atque ponderibus per manſiones ſingulas & quaſque ciuitates: *l.* 21. *h. t.* Quo ſcilicet ſuſceptoribus fraudandi poteſtas adimeretur: *dict. l.* 19 *h. t.* conſtitutis videlicet ſub oculis tributariis omnium rerum modia: *dict. l.* 21. *h. t.* Tertio, ſi *Aurum* ſuſciperetur, pondus auri inferre, multis ſolidos ſuos in vnum conferentibus, oportebat, ſeu maſſam obryzæ ſoliditate, *l.* 12. *h. t.* obryzæ materiem, *dict. l* 12. *h. t.* auri obryzam, *l.* 13. *h. t.* in obryzæ maſſam ſoliditatemque redintegra-
p. 535 tum, *dict. l.* 12. *h. t.* ad compendium videlicet ſimplicis ſatisfactionis, & ne adulterini alioquin ſolidi ſubrogentur, *dict. l.* 12. & 13. *h. t.* Item pro multis & in diuerſis locis conſtitutis poſſeſſionibus, idem Tributarius *ſimul* pro omnibus vna ſolutione ſuſceptori inferre poteſt: ne ſeparatim ab vnoquoque auro exacto, multis & aſſiduis incrementis prouincialium vtilitas fatigetur, *l* 2. *hoc titulo.* Quarto *Apocharum*, *l.* 16.27.32. *hoc titulo l.* 2.22 *ſupr. de annona*, (quæ & *Cautiones* dicuntur, *dict. l.* 2. *ſupr. de annona:* apocharum Cautiones, *l* 16. *hoc titulo* & Securitates, *dict. l* 19 *ſupr. de annona:* & *l.* 2.27.32 *hoc titulo l.* 173.185. *ſup. de decurion. l.* 2. *ſupr. de diſcuſſoribus:*) formæ & ſtabilitati prouiſum. Scilicet ſuſceptores apochis collationis factæ titulum deſignare oportebat, nomen inferentis, diem, conſulem, menſem, cauſam, ſummam, *l.* 16.18.27.32. *hoc titulo dict. l.* 173. *ſupr. de Decurionib.* vid. & *l.* 19. *ſupr. de annona.* Iiſque ſimiles, ſeu pari relatione, publicæ ſecuritates geſtis tenebantur, *l.* 26. *hoc titulo.* Has ſemel recte factas, poſtea refricare fas non erat *dict. l.* 185 *ſupr. de Decurion.* Quinto, Inferre collationem factam, ſuſceptores ſtatim oportebat (non autem penes eos diu manere,) *l.* 17. *h. t.* puta ſacris theſauris, aurum & argentum, *l.* 17. *h. t.* frumentum horreis, *l.* 16. *h. t.*

Vice verſa leuandi diſpendii cauſa *Epimetra* quædam ſuſceptoribus conſerebantur, *l.* 2.3.14 (quæ repetita *l.* 11. *ſupr. de iure fiſci:*) 15 21 *hoc titulo* & *l.* 4. *infr. de auro coronario:* & *l.* 4. *infr. de ſuariis:* & quidem tam ſuſceptoribus epimetra pro obryza eius auri; vnde incrementum obryzæ, *dict. l.* 2. *h. t.* & *l.* 4. *de aur. coronar.* quam ſuſceptoribus ſpecierum: puta centeſima aridorum fructuum, id eſt frumenti &c. *l.* 3.14.15. *hoc titulo.* Viceſima vero laridi & vini, *dict. l.* 15. Poſtea ita conſtitutum, vt Viceſima quidem laridi & vini; at Quinquageſima frumenti, hordei Quadrageſima præberetur: *l.* 21. *h. t.* in Armenia tantum longinquitatis cauſa ampliora epimetra conſtituta, *d. l.* 21. Priuilegia quoque nonnulla & præmia data ſuſceptoribus legitime obſequio functis *l* 7. *h. t.*

II. PRÆPOSITI, *Rubr.* & *l.* 5. *h. t.* (vnde Præpoſitura, *l.* 25. *h t.*) veluti Præpoſiti annonarum (vnde Præpoſitura annonarum, *l.* 2. *ſupr. quemadm. mun. ciuil.*) Item Præpoſiti horreo-

horreorum, *l.* 5. 8. 24. *hoc titulo* eodemque pertinet *l.* 16. & *vltim. hoc titulo l.* 49. *ſupr. de Decurion. l.* 1. *ſupr. de erogat. mil. annon.* qui & cuſtodes horreorum, *infr. tit. ne præfectiani:* Præpoſiti pagorum, de quibus *l.* 8. *hoc titulo* & *l.* 1. *ſupr. de erogat. milit. ann. l.* 1. *ſupr. de piggnor. l.* 49. *ſupr. de Decurion. l.* 1. *ſupr. de iis quæ adminiſtr.* Manſionum, *l.* 21. *ſupr. de Decurion.* ſuſceptorum cuſtodumque genus erant: qui ſcilicet horreorum ſeu annonarum quæ in his conditæ cuſtodiam curamque gerebant, *l. vltim. h. t.* Quos quidem illico apocharum cautionibus illationis modum annotare oportebat, *dict. l.* 16. *hoc titulo* vetitique alia quam fiſcalia frumenta in horreis his fiſcalibus condere, *dict. l.* 16. *h. t.* Ab hac Præpoſitura nonnulli immunes fuere: de quibus *dict. l.* 21. *ſupr. de Decurion.* & *dict. l.* 2. *ſupr. quemadm. mun. ciuil.*

III. ARCARII *Rubr.* & *l.* 14. (quæ repetita *l.* 11. *ſup. de iure fiſci:*) & *l.* 32. *hoc titulo* erant, quibus reditus domui Principis debiti tradebantur, *dict. l.* 14. & 11. *ſupr. de iure fiſci.* qui ad Arcæ Ratiocinium, *l.* 30. *hoc titulo*, ad ſuſcipiendam Arcæ ſeu Aurariæ Principalis rationem, *l.* 29. *hoc titulo* & *l.* 12. *ſupr. de Numerar.* apponebantur: de qua ſuſceptione accipio quoque *l.* 25. *h. t.* Quique ſub Comite R. P. erant: *dict. l.* 14. *h. t.* & *d. l.* 11. *ſupr. de iur. fiſci.* & *l.* 25. *hoc titulo.* Quibus Centeſimæ quoque (Epimetri loco) dabantur *d. l.* 14. *h. t.* & *l.* 11. *de iur. fiſc.*

CREATOREM *ſuſceptoris, ſi ſuſceptor decoxerit, decoctionis periculo ſubiacere iubet Conſtantinus M.*

I. (a) Imp. CONSTANTINVS A. ad Edictum. (b)

SI quem Suſceptorem euertiſſe conſtiterit (c) rationem, & ad ſoluendum non eſſe idoneum, Creator eius hac neceſſitate teneatur, vt quidquid ille dilapidauit, ipſe de propriis rebus inſtauret, (d) conpellaturque damnum omne ſarcire, quod eſſet inlatum, (e) ſi in idoneis nominandis conpetens adhibitum eſſet (f) examen. Dat. VII. Id. April. Criſpo II. & Conſtantino II. AA. CONS. [321.]

P.596. NOTAE.

(a) Abeſt hæc *lex* a *Cod. Iuſt. GOTHOFR.*

(b) Inſcriptio ſimilis duarum præterea legum: puta *legis* 7. *ſup. de Decurion.* & *l.* 3. *ſup. de extraordin.* vbi dixi. Quæ vtraque eiuſdem Conſtantini M. eſt. *ID.*

(c) *Euertere Rationem*, eſt, vt mox ſubiicitur, *dilapidare*, item, *ad ſoluendum non eſſe idoneum.* Papiæ hac in re voces a vide *Gloſſar. ID.*

(d) Inſtaurare eſt reſtituere, & vt mox dicitur, damnum ſarcire: vide *Gloſſ. ID.*

(e) Videtur omnino deeſſe, *non:* vel reſcribendum *dilatum:* id eſt non factum, euitatum: verum, prius magis probo. *ID.*

(f) Pro, *fuiſſet. ID.*

COMMENTARIVS.

CONSTANTINI M. duæ conſtitutiones, *hoc titulo*, de Suſceptoribus proponuntur: Hac priore definitur CREATOREM ſeu NOMINATOREM Suſceptoris (puta Magiſtratum ſeu Duumuirum) ſi hic rationem euerterit, id eſt ſoluendo non ſit, denique ſi quid ex eo quod ſuſcepit, dilapidauit, pro eo teneri, periculi denique eius vicarium eſſe. Quod ipſum quoque definitur a Iuliano, *famoſa l.* 55. *ſupr. de Decurion.* a Valentiniano, *l.* 4. *infr.* & *l.* 9. *infr. hoc titulo*, a Valente, *l.* 8. *infr. hoc titulo*, vbi *inueteratis legibus* id conſtitutum ait, a Theodoſio M. *l.* 20. *infr. hoc titulo.* & *l. vn. ſupr. de quadrim. breuib.* & Honorio, *l.* 29. *infr. hoc titulo.* Et ſic Octo in vniuerſum, de hoc Electorum ſeu Nominatorum periculo, conſtitutiones *hoc titulo* occurrunt. In hanc ipſam rem vide Brettii *Orationem* 31. *Si les Esleus qui ont receu vn mineur comme Certificateur d'vn Comptable; en doiuent eſtre tenus?* v. *l'Ordonnance de François I. de l'an* 1543.

Simili ſane periculo, & Nominatores Magiſtratuum ſeu Duumuirorum ipſorum, ſubiiciebantur: de quo ad *l.* 1. *ſupr. quemadm. mun. ciuil.* videndus eam in rem, *titulus Cod. Iuſt. de periculo Nominatorum.* Idem ſubſidiarie, Nominatores Tutorum: de quo noti ſunt textus *Iuris.*

II. (a)

II. (a) Idem A. ad Euſraxium Rationalem (b) trium (c) prouinciarum. Poſt alia.

PRo (d) multis (e) etiam, & in diuerſis locis conſtitutis, liceat (f) ſimul auri pondus inferre, (g) ita vt pro omnibus fundis ſecuritas (h) emiſſis cautionibus detur: ne ſeparatim ab vnoquoque (i) auro exacto, multis & aſſiduis incrementis (k) prouincialium vtilitas fatigetur. Hoc (l) quoque addimus, vt vnuſquiſque quod debet, intra anni metas, quo tempore voluerit, inferat & per Tabellarium (m) apparitorem inlatio cognoſcatur: abſque * omni mora auro ſuſcipiendo, ne (n) quis in aliena ciuitate ſumptus faciat, vel (quod eſt grauius) legem commiſſi fruſtratus incurrat: Nam ſi ſoluere volens a Suſcipiente fuerit contemptus, teſtibus adhibitis conteſtationem debebit proponere, vt hoc probato, & ipſe ſecuritatem debitam, commiſſi nexu liberatus, cum emolumentis accipiat: & qui ſuſcipere neglexerit, eius ponderis quod debebatur duplum fiſci rationibus per vigorem Officii Tui (o) inferre cogatur. Dat. (p) XIV. Kal. Aug. Paulino & Iuliano Coss. [325.]

NOTAE.

(a) *Lex* 1. *Cod. Iuſt. eod. tit.* ex *hac l.* deſumpta eſt quamplurimis reſecatis. Iungenda autem ei *lex* 1. *infr. de ponderator, & auri inlat. GOTHOFR.*

(b) Rationali *hac lex* inſcribitur, notiſſima ratione. *ID.*

(c) Siciliæ, Sardiniæ, Corſicæ, vt ex *Notitia Imp.* liquet, & vero a Cuiacio hic recte notatum eſt, & ex parte probat quoque *l. vn. ſup. communi divid.* quæ & ipſa Geruio, Rationali trium prouinciarum inſcribitur. *ID.*

(d) *Prima* hæc ſententia a Triboniano reſecata eſt. *ID.*

(e) Fundis ſcilicet. *ID.*

(f) Eidem, qui diuerſarum poſſeſſionum nomine tributum debet. *ID.*

(g) *Ἐν ἀθροίσματι*: vna ſolutione. *ID.*

(h) *Securitas*, id eſt apocha: quo ſenſu & alias ſæpe ſecuritas effertur vel *h. t.* vt *l.* 17. 32. vid. *Gloſſ.* & Symmach. *lib.* 10. *ep.* 43. Amm. Marcell. *lib.* 17. *cap.* 10. Sidonium *lib.* 5. *ep.* 13. Caſſiodorum *XII. Var.* 7. *in fin.*

(i) Fundo: ſeu vniuscuiusque fundi ſeu poſſeſſionis nomine. *ID.*

(k) Vox hæc *Incrementis* non ſollicitanda eſt, neque mutanda ea in *intrimentis*: nam ea *epimetra*, quæ Suſceptoribus dantur, intelligenda ſunt: pariter vt *l.* 4. *inf. de auro coronar. ID.*

(l) *Secundi* huius capitis hæc ſententia reciſa quoque a Tribon. Cui omnino conuenit *lex* 3. *ſupr. de conlat. fund. patrim.* & *lex* 35. *ſup. de annon. & tribut. ID.*

(m) Scribe *Tabularius apparitor*, ad differentiam Tabularii ciuitatis; de quo *ſuo tit. lib.* 8. *ſup. ID.*

* Hinc iam, ſuperioribus reciſis, deſumpta eſt d. lex 1. C. *Iuſt. eodem. ID.*

(n) *Ne quis per hanc occaſionem ſumptus facere compellatur*, ita Tribonianus hunc locum refinxit, iis, quæ de commiſſo mox ſubiiciuntur, reſecatis, quæ tamen in ſequentibus mox retinuit. *ID.*

(o) *Præſidis*, Tribonian. Qui & alia mox, quæ *ab hac lege* abſunt, de pœna Iudicis negligentis hac in re, minus penſo *hac*
P.537. ſaltem *leg.* conſilio, neque ſatis expenſa *huius l.* Subſcriptione addidit: Quandoquidem *lex* hæc Rationali inſcribitur. *ID.*

(p) PP. *d. l.* 1. *Data* autem, proculdubio vel *Nicææ*, vel *Nicomediæ*. *ID.*

COMMENTARIVS.

FAstidio Suſceptorum circa Avri illationem & ſuſceptionem occurrit, contra Tributariorum leuamento ſuccurrit *hac l.* Conſtantinus M. quæ pars eſt prolixioris conſtitutionis ad Rationalem trium prouinciarum (id eſt, Siciliæ, Sardiniæ, & Corſicæ:) cuius altera quoque pars extat *leg.* 1. *infr. de Ponderator.* quæ proinde *huic l.* coniungenda venit. Ea conſtitutione Conſtantinus varia conſtituit circa Auri illationem & ſuſceptionem pro Tributariorum, qui aurum inferunt, vtilitate, ne in damno ſcil. verſarentur: definito, Quantum, Quo tempore, Qua in materia, Qua æſtimatione, Quo pondere aurum inferri oporteat.

Huius ſane *legis* duo ſunt ad eum finem capita. Primo capite *ſimultanea* & maſſalis ſolutionis poteſtatem prouincialibus tributariis facit. Finge: fundos habeo in diuerſis locis conſtitutos: & finge me pro ſingulis certam auri quantitatem, & variam quidem, annuam fiſco debere; Quæritur, vtrum partialem ſolutionem pro ſingulis fundis ſeparatim & diſtinctim facere cogar: an vero ſimul, & *ἐν ἀθροίσματι* auri pondus pro omnibus fundis inferre poſſim, ſic vt Suſceptor id accipere cogatur? Et definit Conſtantinus Magnus, id poſſe me: Addita ratione; *ne ſeparatim ab vnoquoque*, ſeu vnius cuiusque fundi nomine, *auro exacto, multis & aſſiduis incrementis prouincialium vtilitas fatigetur.* Scilicet Suſceptores ſimultaneam, & maſſalem ſolutionem accipere detrectabant, vt ita ex partialibus & ſeparatis ſolutionibus maius compendium facerent: *Incrementi* ſcilicet, ſeu epimetri nomine Suſceptoribus quid dari ſolebat, non tantum cum ſpecies annonariæ inferebantur, (de quo Epimetri genere eſt *lex* 3. 14. 15. 21. *infra, hoc titulo.*) verum etiam cum auri materia: de quo præter *hanc legem*, eſt *lex* 4. *infra de auro coronario*: id quod *hac lege*, *Incrementum* vocatur: & incrementum obryzæ *dicta lege* 4. Nempe quia auri materia, quæ inferebatur, mox recoquenda

quenda erat (quod *obryza* vocabatur: de quo alibi dixi:) & ſic recocta ad largitiones Principis mittebatur: Quare incrementi nomine aliquid a prouincialibus exigebatur.

Quod quidem maius erat cum partialis ſolutio fieret, quam cum maſſaliter totam auri quantitatem a ſe debitam quis, vnica ſolutione pro omnibus fundis ſuis ſoluebant: Nam vt cæteroquin partialis ſolutio multa incommoda habet reſpectu creditoris, de quo eſt elegans *Nouella Iuſtiniani 4.* & *lex 3. D fam. ercisc.* ita & hæc, reſpectu debitoris.

Ex his apparet, recte hic legi *multis, & aſſiduis incrementis:* quomodo ſane etiam *dict. leg. 4.* diſerte *obryzæ incrementum* dicitur: Sed & Symmachus *libro 4. epiſtola 56* inter ſæculi ſui bona memorans: *Flanda*, inquit, *moneta nequitiam decoquit larga purgatio: Nullo iam prouincialis auri* INCREMENTO *trutinam Spectator* (id eſt, Suſceptor qui ſpectat & probat auri pondus) *inclinat.* Quo quidem Symmachi loco diſcimus a Gratiano hoc incrementi genus ſublatum: Quod quidem ſublatum diſcimus a Theodoſio Magno Gratiani collega, in auro coronario, *leg. 4. infra, de auro coronario.* Non igitur *intrimenti*, vel *intertrimenti* vox hic ſubiicienda, quod aliquando ſuſpicabar.

Et ita quidem primo *huius legis* capite Suſceptorum faſtidio & cupiditati occurrit Conſtantinus Magnus, viceuerſa prouinciales ſubleuari inſtituit.

Quod & ipſum altero *huius leg.* capite facit. Nempe *Quocunque tempore*, intra anni metas, prouincialis aurum inferant, id ſuſcipere Suſceptorem abſque omni mora iubet: Quomodo etiam iubet Valentinianus in *leg. 3. ſupra, de collationibus fundorum patrimonial.* & Valentinianus Tertius *leg. 35. ſupra, de annona & tributis:* & *leg. 32. in princ. infra, de Suſceptoribus:* ſic quidam, vt etſi annonariarum ſpecierum penſitatio per quaternos menſes trina ſolutione fieri deberet, attamen quocunque anni tempore aurum inferri poſſet: *d. l. 3. de conlat. fund.*

Et vero iſtud ita nunc a Conſtantino Magno iubetur, Quod Suſceptores nonnulli auri ſolutionem omni tempore accipere detrectarent, verum ſtatis temporibus id inferri vellent: proculdubio, vt ita ſuſcepto citius auro, compendium ex eius nundinatione aliquod facerent: Cum contra, vtilitas prouincialium exigeret, vt prouincialibus nullum ſtatum tempus auro inferendo præſcriberetur, dummodo citra annum ſoluerent, eo quod non tam facile aurum prouinciales nanciſcerentur: & ſtatim vt nacti eſſent id ſuſcipi vtile eſſet, ne alioquin diutius aſſeruare coactis id elaberetur.

Ergo quandocunque oblatum ſuſcipi iubet *hac lege*, Conſtantinus Magnus, ne alioquin duobus incommodis miſeri Prouinciales afficiantur.

Primo, ſi coacti diu reſidere & ſumptus facere in aliena ciuitate cogantur; Nempe quia, (quod exinde colligitur, & vero aperte teſtatur *lex 32. 34. ſupra, de annona:*) aurum ſolui in vrbe Metropolitana oportebat: de quo etiam ad *legem 17. infra*, atque adeo eo Tributarios, tributi ſoluendi nomine, conferre ſe oportebat.

Secundo, ne alioquin miſeri prouinciales ob non ſolutum Canonem in legem & nexum commiſſi incidant. Vnde apparet, *hanc legem* proprie accipiendam eſſe de Patrimonialibus & Emphyteuticariis poſſeſſionibus, pariter vt *dicta lex 3. ſupra, de conlationibus fundorum patrimonialium, vel Emphyteuticorum:* Cuiusmodi ſane in Sardinia fuiſſe docet *lex vnica ſupra, de communi diuidund.* ad quam *hac* quoque *lex* noſtra pertinet, vtpote Rationali trium Prouinciarum, (id eſt, Siciliæ, Sardiniæ, Corſicæ) inſcripta. Nempe notum eſt, Emphyteuticarias poſſeſſiones ob non ſolutum canonem in commiſſum cecidiſſe. Ergo ne in commiſſum caderent prouinciales, vel ſumptibus in aliena Ciuitate a Suſceptoribus deluſi, & fruſtrati atterentur, illico abſque omni mora aurum ſuſcipi voluit Conſtantinus M.

Alioquin deluſus prouincialis collator, tantum abeſt vt in commiſſum incidat, vt contra, conteſtatione ſuper eo publice facta, hac oblatione (quod in priuatis debitis non idem obtinet) liberetur, ſecuritatemque, id eſt, apocham accipiat: vna *cum emolumentis:* id eſt, ſic vt ſumptus a fruſtratore repetere poſſit: fruſtrator, vero Suſceptor duplum ſummæ collatæ fiſco ſoluere cogatur. Vbi varia ad praxim notanda ſunt de *Proteſtatione*, & *oblatione*, eiusque vi, quoad tributa publica, ad pœnam euitandam, ac nominatim pœnam Commiſſi. P. 938.

III. (a) Impp. CONSTANTIVS, & Conſtans AA. Claudio PF. Annon. Alexandriæ. (b)

SVSCEPTORES, centeſimæ dimidium, Annotatores (c) vero cæterorumque Officiorum diuerſos homines quos rationibus (d) conſtat obnoxios eſſe, alterum dimidium habere cenſuimus: Et nihil imperratoribus beneficii per Reſcriptum, aduerſus ordinem conſtitutionis (e) poſſint prodeſſe commenta. Dat. Kalend. Aug. Limenio & Catullino Coss. [349.]

NOTAE.

(a) Abeſt & hæc *lex* a *Cod. Iuſt.* GOTHOFR.

(b) Nota, in Oriente pro Annona Conſtantinopolitana peculiarem *Præfectum Annonæ Alexandriæ* fuiſſe: haud aliter ac in Occidente pro Annona Vrbis Romæ, non tantum Romæ Præfectus Annonæ fuit, verum & Carthagine Africæ peculiaris, vt docet *lex 1. infr. de Nauicul.* & *lex 2. infr. de Naufragiis: lex 13. de annon. & tribut. lex 8. de erogationib.* ID.

(c) Annotatores: de his mox. ID.

(d) Annonariis, ſeu Annonæ Alexandrinæ. *ID.*

(e) Huius ſcil. *ID.*

COMMENTARIVS.

DE EPIMETRO Soſceptorum ſpecierum annonatiarum, eſt hæc Cooſtantii Imp. conſtitutio, pariter vt *lex 14.* (quæ & repetita extat *l. 11. ſup. de iur. fiſci:*) *l. 15. 21. h. t.* & *l. 4. inf. de Suariis:* ſcil. diſpendiis Suſceptorum rerum annonariarum leuandis, & damno (quod *Diametron* vocatur *l. 5. de naufr. l. vlt. inf. de nauicul.*) quod inter ſuſceptionem & erogationem neceſſario euenit, epimetron aliquod his dabatur: vt diſerte vocatur, *l. 15. infr. h. t.* ſeu auctarium, & mantiſſa quædam, ac ſuperpondium: Quomodo & Nauiculariis datum, pro tuenda eorum ſubſtantia, *leg. 1. infr. de frument. Alexandrino: l. 7. 36. 38. inf. de Nauic. l. 5. inf. de Naufr.* Modus autem huius epimetri pro varietate ſpecierum varius fuit; ſuus ſcil. modus epimetri vini & laridi fuit: de quo *d. l. 15. infr. h. t.* & *l. 4. infr. de Suariis.* ſuus vero aridorum fructuum ſeu annonæ frumentariæ; quo pertinet *h. l.* & *l. 14.* quæ repetita vt dixi *l. 11. ſup. de iur. fiſci:* & *l. 15. infr. h. t.* Nempe Centeſima, vt *h. l.* diſerte ſtatuitur, & *d. legib.* de quo iam dixi ad *d. l. 11. ſup. de iur. fiſci.* Ergo Centeſima Suſceptoribus data: ſic tamen vt eam Centeſimam diuidi velit *h. l.* Conſtantius inter Suſceptores, & Annotatores (Hi proculdubio ſunt qui apochas ſcribebant, de quibus apocharum ſcriptoribus *l. 27. infr.*) cæteroſque Officiales, qui rationibus annonæ obnoxii ſunt. Annotatores *h. l.* ſunt proculdubio iidem cum Tabulariis (de quib. *l. 2. ſup.*) Præfecti annonæ, qui annonæ modum vel ſuſceptum vel ſubuectum adnotabant Alexandriæ, ὑπογραφεῖς, λογογράφοι, qui κριθόλογοι propria dicti, *l. 1. inf. de frum. Alex.* Quibus ideo ſalarium quoque debebatur, vnde & Sidonius *lib. 5. ep. 7.* Tabulariis ſalarium tribuit. Cæteri rationibus annonæ obnoxii videntur eſſe Zygoſtatæ, quorum mentio fit *d. l. 1.* qui ſc. admetiendo frumento præerant. His ergo omnibus Centeſima inter eos diuidenda, deſtinata erat.

Diuiſioni porro inter eos rationem hanc eſſe vult Conſtantius, vt Suſceptores dimidium Centeſimæ, cæteri omnes circa annonam ſuſcipiendam occupati, & annonæ rationibus obnoxii Logoſtatæ, Hypographi ſeu Crithographi, alterum dimidium.

Pertinet autem *h. l.* proprie ad Annonam Alexandrinam: quæ Alexandriam ſubuehebatur, partim in Alexandrinæ vrbis vſus, partim vero recondebatur ſubuehenda Conſtantinopolim, de quo plene dicam ad *l. 1. infr. de frum. Alex.* cui quidem annonæ Alexandrinæ (*vt huius l.* Inſcriptio docet) peculiaris Præfectus præfuit, haud aliter atque Romæ & Karthagini Africæ, vt de hac quoque docet *l. 12. infr. de nauic.* & *l. 2. inf. de naufr.* Annonæ huius Alexandrinæ ſub Conſtantin *huius l.* auctore mentio in rebus Athanaſii, apud Athanaſ. *Apolog. 2 p. 729. Tom. I. Oper. Edit. Colon.* ſiu. *Lipſ. apud Weidman.* Socratem *lib. 2. c. 13.* & Sozomenum *lib. 3. c. 7.* Et quis ſcit, an non eo quoque *hæc lex* pertineat, quandoquidem Conſtantius tum annonæ Alexandrinæ maximam curam habuit, quam ab Athanaſio ad proprios vſus diuenditam, literis ſcriptis conqueſtus eſt, vt docet *dict. Apolog. 2. pag. 737.*

IV. (a) Impp. VALENTINIANVS & Valens AA. ad Mamertinum PF. P. (b)

AD virum Clariſſimum (c) Proc. Africæ dari (d) litteras iubemus, vt ſiue ex Principalium, (e) ſiue ex Honoratorum (f) numero, pro (g) merito fidei ſuæ induſtriæque, Suſceptor veſtium electus fuerit, huiuſmodi neceſſitatis ſarcinam vno duntaxat anno ſuſtinere præcipiatur. Exceptis tamen his, qui Palatinæ militiæ priuilegiis muniuntur, vel qui Officiis ac miniſteriis functi merito ſtipendiorum, merito dignitatis ornatum ſe adprobant conſecutos. Ita tamen vt erogationis periculum a Proconſulari Officio non recedat. Dat. XIV. Kal. Iul. (h) Valentiniano & Valente AA. Coss. [365.]

P. 519.

NOTAE.

(a) Repetitur hæc *lex*, inuerſo tamen ſententiarum ordine, & detractis nonnullis, *l. 1. ſupr. de militari veſte.* Abrogatur ex parte *l. 31. infr. hoc tit. GOTHOFR.*

(b) Italiæ, Illyrici, Africæ: vid. Ammianum *lib. 26. cap. 5.* de Illyrico & Africa teſtatur *lex hæc 4.* & *lex 9.* Eidem inſcribuntur *hoc tit.* quoque *lex* 6. 7. 10. *ID.*

(c) *Spectabilis* vocatur *d. l. 1. ID.*

(d) A te Præfecto Prætorio. *ID.*

(e) De his *Principalibus*, ſupr. *tit. de Decurion. ID.*

(f) De Honoratis his dixi ad *l. 1. ſupr. de offic. Iudicum ciuilium. ID.*

(g) Hæc abſunt a *d. l. 1. ID.*

(h) *Mai. Mediolani: d. l. 1. ID.*

COMMENTARIVS.

DICTA ad *l. 1. ſupr. de militari veſte:* vbi hæc *lex* repetita extat, paucis immutatis; itemque dicenda ad *legem 6.* & *7. infra*, quæ eodem Anno ad eundem datæ, ſuper eodem argumento, ſufficiant.

V. (a)

V. (a) Idem AA. ad Secundum PF. P. (b)

PERPENSO (c) proſpeximus (d) ſtudio, vt Suſceptores & Præpoſiti (e) horreorum ex Præſidali Officio qui per diuerſa Officia militiæ ſacramenta geſtarunt, congrua ratione crearentur. Sed quoniam Præſes (f) Ciliciæ adſeruit, deeſſe ex his corporibus, quibus poſſit hæc ſollicitudo committi, ne in præſens tempus fiſci noſtri ſeu publica emolumenta vacillent, Excellentia Tua, vbi eos deeſſe peruiderit quos Suſceptores ac Præpoſitos creari ſcitis prioribus iuſſeramus, vetuſtum morem conſuetudinemque ſectabitur: ſcilicet vt ex eo Ordine (g) conſtituantur, ex quo ante conſueuerant ordinari: modo, vt ipſe Ciliciæ Præſes & ceteri Magnitudinis Tuæ literis vrgueantur, vt idoneos ex diuerſis Officiis tota (h) ſagacitate veſtigent, eosque gerere præſtitutam ſcitis Noſtræ Manſuetudinis ſollicitudinem faciant: Nam ſi qui per gratiam fuerint prætermiſſi, neceſſe habet exigere publica commoditas vltionem: Nec enim dubium eſt, eos, Officiales qui nunc diuerſis Officiis obſecundant, plurimos prætermittere, quorum ſi qui in huiuſmodi fuerint arte deprehenſi, dabunt pœnas (facultatibus traditis Curiis) (i) etiam capitis ac ſalutis. **Dat. IV. Non. Iul. Cæſarea (k) Valentiniano & Valente AA. Coss.** [365.]

NOTAE.

(a) Abeſt hæc *lex* a *Cod. Iuſt.* GOTHOF.

(b) *Secundus* PP. ſub Valente, Orientis ſcil. vt ex *Cilicia* mentione apparet. Vid. de eo *Proſopogr. ID.*

(c) De hac *Perpenſi* voce dixi ſemel ad *l. 1. ſupr. de conſtit. Princip. ID.*

(d) Pro, *Proſpexeramus*, vt infr. *iuſſeramus. ID.*

(e) De *Præpoſitis horreorum l. 8. 24. infr. ID.*

(f) De *Præſide Ciliciæ* vid. *Notitiam Imperii, fol. 3. ID.*

(g) Quisnam ille? Curialis proculdubio, vt ex *fine* etiam *legis* docemur. *ID.*

(h) *Tota*, id eſt, integra, omni, ſeria. v. *Gloſſ. ID.*

(i) Ex quibus Suſceptores, in defectum Officialium creandi. *ID.*

(k) Valens Imp. *Cæſareæ Cappadociæ* conſtitit hoc tempore Anno 365. quod etiam teſtatur Ammianus *lib. 26. cap. 7.* ſicut & Gregorius *in Monodia Baſilii*, Valentem aliquando Cæſareæ conſtitiſſe teſtatur. Nempe in Syriam Antiochiam profecturus, Cæſareæ aliquandiu conſtitit: verum inde propter Tyrannidem Procopii mox retractus: vid. Amm. Marcellinum *d. loco.* Quare & hæc ſubſcriptio facit ad ſtabiliendum characteriſmum Procopianæ Tyrannidis: de quo ad Philoſtorgium, *lib. 9. c. 5.* Plura etiam in *Chronol. ID.*

COMMENTARIVS.

EX quonam hominum genere Suſceptores creari ſeu ordinari oporteat, hac Valentis Imp. conſtitutione definitur. Ad quod caput pertinet quoque *lex 4 ſupr. lex 6. 7. 9. 29. 31. infr. hoc tit.* & quidem vnde nam ordinari debeant Suſceptores annonarum & Præpoſiti horreorum *h. l.* & *d. l. 6. 7. 9. inf. h. t.* Quod quidem ius varie habitum fuit. Modo enim ex Curialibus electi fuerunt, ſeu ex ordine Curiali, vt *l. 2. ſup. de quaſt.* de quo *hanc l.* quoque accipio circa *medium*: modo non ex Curialibus aut Palatinis, ſed ex Officialibus Præſidum ſeu Rectorum prouinciarum, vt *h. l.* & *d. l. 6. 7. 9 infr. h. t.* & *l. vn. ſupr. de priuil. app. mag. pot. l. 6. de priuil. eorum qui in S. Palatio:* (non etiam ex Officialibus Magiſtrorum Equitum & Peditum *d. l. 6. prox.* & *d. l. vn ſupr. de priuil. ap. mag. pot.*) etiam ex Tabulariis & Numerariis *d. l. 7.* ex largitionibus eiോtatum, poſt militiam *d. l. 6.* ſimilisque diuerſitas reperitur circa Suſceptores veſtis, vt docet *l. 4. ſupr.* & *l. 31. infr. hoc tit.* & circa Suſceptores auri, *l. 29. hoc tit.* Valentis circa Suſceptores annonarum mens hæc eſt, & vero etiam ante *hanc leg.* id iuſſiſſe ſe indicat, ex Præſidum Officialibus eos eli- P. 540. gendos, quatenus fieri poſſit, ſic vt prætermitti nemo idoneus ad id debeat: & in defectum tamen eorum, & in *ſubſidium* ex eo ordine conſtituendos, ex quo ante conſueuerant ordinari, id eſt, ex *Curiis*: vt ex *fine legis* quoque diſcere licet: ſtatuit enim *ibi* Valens facultates *tradi Curiis*, ſi qui Officiales idonei prætermiſſi fuerint, id eſt, Suſceptores creati non fuerint, ideo ſcil. facultates Curiis tradi vult, quaſi læſa Curia, in quam hoc onus ob Officialium prætetitionem & excuſationem recideret. Cæterum *hanc leg.* extorſit Valenti allegatio ſeu relatio *Præſidis Ciliciæ*, qui deeſſe ex Corpore Officialium adſeruerat, qui Suſceptores creari poſſent. Ideo Valens in præſens id ſtatuit, vt ex Ordine Curialium Suſceptores & Præpoſiti horreorum crearentur, diſcoſſo tamen prius Officialium Corpore, & in ſubſidium tantum. Quænam Valentiniano fratri & collegæ eius hoc ipſo tempore mens fuerit? oſtendit *lex 4. 6. 7. 9. hoc titul.* de qua ad *leg. 6. 7.*

VI. (a) Idem AA. ad Mamertinum PF. P. (b)

TAMETSI iam Lege † apertiſſime cautum ſit, de Officiis diuerſis, quæ extra Palatium ſunt, Suſceptores debuiſſe conſtitui, tamen & hac iuſſione ſimiliter deſignamus, ab his, qui * in Officio Magiſtrorum equitum & peditum militarunt, ſiquidem (c) ordinis ſint militaris, inquietudinem ſubmouendam: Eligendos autem Suſceptores e diuerſis Officiis, ſcilicet, quæ extra Palatium deputantur: additis etiam Largitionalibus (d) ciuitatum; quos poſt militiam volumus inter cetera corpora ſuſceptionis munus agnoſcere. Dat. XV. Kalend. Auguſt. Valentiniano & Valente AA. Coss. [365.]

NOTAE.

(a) Potiſſima *huius l.* pars abeſt a *C. Iuſt.* Hanc *leg.* intelligit *lex 9. infr. h. tit.* *GOTHOFR.*

(b) Italiæ, Illyrici (quo proprie *hanc l* pertinere oſtendit *lex 9. infr.*) Africæ: cui inſcribuntur *tres* præterea *hoc tit. leges*, puta *lex 4. ſupr.* & *lex 7. prox.* & *lex 10. infr.* & in eodem ſuſceptionis argumento *lex 1. Cod. Iuſt. de Apparit. Præf. Prat.* *ID.*

† Intelligit *legem 4. ſupr* (ſeu *l. 1. ſupr. de milit. veſte*:) quæ eidem Mamertino inſcribitur: ſed ad Africam pertinet: vel etiam *legem vn. ſupr. de priuil. apparit. Magiſt. pot.* Cui iungenda *lex 6. ſupr. de priuil eorum qui in Sacr. Palat.* (quæ Artemio Correctori Lucaniæ inſcribuntur) Imo anteriorem etiam, cuius *d. l. 6.* mentio ſit. *ID.*

* *Lex 2. C. Iuſt. de apparitor. Magiſtr. milit.* hinc interpolata. *ID.*

(c) Non dubitatiue, verum pro *quia ſunt &c.* *ID.*

(d) Idem *d. l. vn. ſupr. de priuil. app. Magiſtr. pot.* De his dixi ad *l. 3. ſupr. de priuil. eorum qui in S. Palatio.* *ID.*

VII. (a) Idem AA. ad Mamertinum PF. P. (b)

AD Suſceptionem ſpecierum veniant, qui ante omnia ſciant ſe Decuriones non eſſe: Ex corpore igitur diuerſorum Officiorum quisquis idoneus repperitur, iam moribus quam facultatibus, veluti matriculæ per ſingulas prouincias nomen ſuum adſcribat, vt hac ordinatione diſpoſiti annuas (c) Suſceptiones peragant: ita vt nihil præterea Muneris pertimeſcant, atque expleta ſuſceptione, erogationibusque (d) perfectis, transacto illo officio, cum aput Iudicem (e) fidele obſequium comprobarint, iudicii noſtri digna præmia conſequantur. Adiungi autem ad hoc corpus debent, etiam illi qui ex Officiis ſingulis (f) ſint, hoc eſt, ex Tabulariis & Numerariis ſimilibusue (g) officiis eorum Officiorum, de quorum Ordine hoc corpus conſtitui volumus. Quicunque vero ex his ad honores potiores per ſuffragium peruenerint, Suſceptionis munus (h) perfungantur, ita vt ſalua ſit dignitas quam habent, nec ex hac ordinatione Curiale conſortium pertimeſcant. Dat, prid. Non. Aug. Sirmio, Valentiniano & Valente AA. Coss. [365.]

NOTAE.

(a) Abeſt hæc *lex* a *Cod. Iuſt.* *GOTHOFR.*

(b) Italiæ, Illyrici, & Africæ, cui *tres* præterea ſuper eadem re *leges hoc titulo* inſcribuntur, puta *lex 4. 6. ſupr.* & *l. 10. infr.* *ID.*

(c) Annuum *Suſceptionis* munus fuit, *h. l.* & *4. ſupr. l. 10. 13. 22. 24. infr. h. t.* *ID.*

(d) *Suſceptores* non tantum annonam ſuſcipiebant, ſed & erogabant. *ID.*

(e) Rectorem prouinciæ. *ID.*

(f) Dicam mox. *ID.*

(g) Veluti *Scriniarii, Actuarii,* &c. *ID.*

(h) Pro *munere.* *ID.*

COMMENTARIVS.

p. 541. EX quonam hominum genere Suſceptores creari ſeu ordinari oporteat a Valentiniano Sen. ſeptem conſtitutionibus definitum reperio. Quarum quatuor *h. t.* continentur: puta *lex 4. 6. 7. 9. h. t.* e quibus tres priores eidem Mamertino PP. Italiæ, Illyrici, Africæ, inſcribuntur 1 poſtrema Dracontio Vicario Africæ. Quibus addenda in eandem ſententiam eiusdem ad eundem Mamertinum eodem Anno *lex 8. ſup. de diuerſ. offic.* (ſeu *lex 1. Cod. Iuſt de Apparitor. Præfector. Prætorio*) & *lex 70. ſup. de Decurion.* quæ *d. legi 8.* iungenda eſt. Item eiusdem *lex vn ſup. de priuil. apparitor. Magiſt pot.* & *lex 6. ſup. de priuil. eorum qui in S. Palatio* (& ex quibus *lex 6. huius tituli* conflata eſt) quæ Artemio Correctori Lucaniæ inſcriptæ inter ſe coniungendæ ſunt. Nos hic omnium inſtar *ſeptem legum* ſententiam ſub vnum conſpectum dabimus, e quibus hæ duæ poſtremæ ſuperiore anno 364. datæ ſunt: *Quinque* vero illæ priores hos Anno 365. Valentiniani igitur mens *his legibus* præcipua hæc eſt, vt ſuſceptores, non ex Palatinis *l. 4. 6. h. t. l. 6. ſupr. de priuil. apparit. magiſt. pot.* item non ex Decurionibus, *l. 7. h. t.* eligantur:

gantur: verum ex duplici hominum genere: Primo, ex Officiis ſeu Officialibus Rectorum prouinciarum, *dictis legib. omnibus*: etiam Numerarii & Tabularii, *d. l. 7.* de quibus *ſuo tit.* cæterique, qui in ſuo officio, ſeu inter Officiales, ſinguli in ſuo genere ſunt; *d. l. 7.* veluti Numerarius, quem ſane vnicum habuerunt ordinarii Rectores, vt teſtatur *Notitia Imperii*, cum alii Spectabiles & Illuſtres plures haberent: Etiam ii, qui ad honores potiores per ſuffragium peruenerunt, *d. l. 7.* cum tamen antea dignitate omnino caruiſſent, *d. l. 70. ſup. de decurionib.*

Excepti tantum Officiales Magiſtrorum Equitum & Peditum, *d. l. 6. h. t.* & *d. l. vn. ſupr. de priuil. appar. magiſtr. pot.* addita etiam *d. l. 6.* exceptionis illius ratione: videlicet quod Apparitores Magiſtri Equitum & Peditum ſint Ordinis Militaris (quod vnum ex *ea leg.* retinuit Tribonianus, & in *l. 2. C. Iuſt. de Apparit. magiſt. militum*, coniecit:) Certe id quoque diſcimus ex *l. 4. de diuerſis officiis.* Idemque egregie confirmat *Notitia Imperii*, & tribus quidem locis: in *notitia* videl. *Magiſtri militum Præſentalis fol. 21.* item *Magiſtri militum per Thracias fol 36.* denique *Magiſtri militum per Illyricum fol. 39. Officium*, inquit, *Magiſteriæ poteſtatis in Numeris militat* (vel *militum*) *& in officio deputatur.* Quo etiam refero quod ait Theodoſius Iun. *in l. 4. Nouellæ 14. de amota militaribus fori præſcriptione.* Cum alias duobus locis in *eadem Notitia Imperii*, puta in *Notitia alterius Præſentalis Magiſtri militum fol. 30.* & in *Notitia Magiſtri militum per Orientem, fol. 33. Officium Magiſteriæ poteſtatis Cardinale haberi* dicatur: vbi *Cardinale* quid ſit, non magis quam quid *Cardinales Presbyteri, Diaconi*, ad hunc diem ſcitur. Sunt I. nonnulli (veluti Iuretus *in Iuonis epiſtolam 131. p. 671.* Pancirolus *in Comment. ad Notit. Imper.* & Salmaſ. *de Primatu Papæ, Ep. 1. p. 11.*) qui Cardinale, principale & præcipuum, ſeu præcipuæ auctoritatis atque in Cardine cuiusque officii conſtitutos, illuſtriores interpretantur. Sunt qui Cardinales *Presbyteros*, qui olim Regionarii, inde dictos ſcribunt, quod cardini & cuſtodiæ vnius Tituli addicti eſſent; ad differentiam eorum, qui in eiſdem titulis ſeu parœciis ſeruiebant, ſed non Curam principaliter gerebant, non præerant Cardini Eccleſiæ: inque id citant Gregor. *lib. 1. ep. 15.* (& *ibid. in Edit. Benedictin.*) & *ep. 72. lib. 7. indict. 2.* (ſiu. *lib. 9. indict. 2. ep. 70. Edit. cit.*) Dictos etiam Cardinales Presbyteros omnes Eccleſiarum Cathedralium & matricum, vt adhuc in Eccleſia Rauennatenſi & Compoſtellana Canonici vocantur Cardinales. II. *Diacones* vero Cardinales dictos, qui peculiariter Rom. Eccleſiæ adſtricti erant, vocati ſanctæ ſedis Apoſtolicæ Diaconi. Ad horum exemplum aliis in Eccleſiis Diaconos Cardinales dictos, apud eundem Gregorium *ep. 14. libr. 2.* (ſiu. *lib. 3. indiction. 11. ep 14. Edit. Benedictin.*) III. *Epiſcopos* etiam ſæpe dictos Cardinales Sacerdotes, Gregor. *ep. 13. lib. 2.* (ſiu. *lib. 3. indict. 11. ep. 13. edit. cit.*) ad exemplum eorum qui potiſſimum conſilio Pontificis deuouebantur, & qui eius promotioni & conſecrationi præerant, apud quos olim electio erat. His omnibus Cardinalibus euagandi & parochiam deſerendi licentia denegatur ſub pœna depoſitionis, vt eſt In *c. 2. quia nonnulli, c. 6. conquerente, & can. vlt. de Clericis non reſidentibus.*

Quid igitur? *Cardo* in omnibus dicitur *κέντρον* quod fixum & immobile eſt: hoc ſenſu Cardo lunæ, mundi cardo, cœli cardo, cuiuscunque rei. Igitur *Cardinale officium* hic, quod adfixum & immotum in cardine ſuo, Magiſtro militum, inquam, non vero per Numeros militares militans, quomodo tria illa Magiſtrorum militum officia, quæ modo dixi. Quod ex oppoſitis ita inter ſe Notitiæ locis elare conficitur. Sic ſane olim *Cardinales* inter Donatiſtas dicti, non præcipui & principales, vt nonnulli volunt; verum, qui in radice ſua, ſeu cardine & matrice manebant, oppoſiti his, qui inde in minutas particulas, ſeu minutiſſimas partes diuiſi, præciſi fuerant & receſſerant, puta Donatiſtæ, qui Primiano adhæſerant, & apud eum manſerant, Maximinianiſtis ſcilicet qui ſeceſſerant, oppoſiti. Auguſtinus *lib. 1. de Baptiſmo, cap. 6. p. 84. Tom. IX. Oper. Edit. Benedictin. Quapropter inter eos & ipſos quodammodo* CARDINALES *Donatiſtas, quorum Epiſcopus apud Carthaginem Primianus eſt, iam de hac re nulla eſt controuerſia. Voluit enim Deus per Maximianiſtas eam finiri, vt quod charitate ſuadente nolebant, exemplo ſuo cogente faterentur. Sed adhuc propterea inde diſputamus, ne illi ſibi videantur aliquid dicere, qui nec iſtis communicant, qui apud ſe potius quanto pauciores tanto ſinceriores Donatiſtas* REMANSISSE *contendunt. Qui ſi Maximinianiſtæ ſoli eſſent, nec ipſorum ſalutem contemnere deberemus: Quanto magis ergo, quia eadem pars Donati in multa minutiſſima fruſta conſciſſa eſt, quæ omnes minutæ particulæ hanc vnam multo grandiorem, in qua Primianus eſt, de recepto Maximinianiſtarum baptiſmo reprehendunt, & ſingula conantur aſſerere, apud ſe tantummodo verum baptiſmum* REMANSISSE, *nec omnino eſſe alibi, neque in toto orbe terrarum, qua Eccleſia Catholica expanditur, nec in ipſa* GRANDIORE *parte Donati, nec in cæteris præter ſe vnam ex minutiſſimis partibus. Quæ omnes particulæ, ſi aduertere voluerint vocem, non hominis, ſed ipſius manifeſtiſſimæ veritatis, & animoſum ſpiritum ſuæ peruerſitatis domare, non vtique ad partem Donati maiorem, de qua præciſæ ſunt, ſed ad ipſam viriditatem* RADICIS *Catholicæ de ariditate propria reuertentur.* Ita quoque Petilianus partis Donatiſtarum in collatione Carthaginienſi *1. c. 165. pag. 1096. Tom. I. Concil. Edit. Harduin.* numerum ſuorum Catholicorum numero opponens: *Et quanquam*, inquit, *nobis multitudinem pax nutriat & conſeruet, illis multitudinem bella conquirant, dum abſentibus nobis, aut in locis, aut in ciuitatibus noſtris, aut in Diœceſibus paſſim multas imagines erigunt, vt numeroſi eſſe videantur: Tamen, etſi par ſit vtriusque aduerſitatis numerus, maior meus debet videri, qui & me abſente perſtitit, &* p. 540. *cum ipſe ſit* CARDINALIS *& Authenticus, nec æmulatione multiplici ſuperatur.* Ergo Cardinales Donatiſtæ non ſimpliciter, vt quidam voluit, *fixi*; verum qui in cardine & matrice fixi manſerant. (Sic & ſcapi Cardinales apud Vitruuium *architect. lib. 4. cap. 6.* in foribus ſeu oſtiis: *Fores*, inquit, *ita compingantur, vti ſcapi Cardinales ſint ex altitudine*

dine luminis totius duodecima parte: Inter duos ſcapos tympana ex duodecim partibus habeant ternas partes. Vbi *ſcapi*, id eſt, recta illa ligna in valuis, quibus fores ſuſtinentur & reguntur mouenturque, *cardinales* ſunt, cardinati, qui cardines in ſe habent, vel vt alii malunt, quorum Cardinibus, ſeu cuſpidibus, valuæ ipſæ voluuntur, ſeu fores inuertuntur aperiendæ, vel claudendæ. Minus enim accurate La Cerda in Aduerſariis *c. 94. n. 2. Cardinales* ibi abſolute pro cuſpidibus & dolatis ligniculis compactis vel incorporatis accipit: & quid eſt pro incorporatis, compactis? vt ita cardinale ſit, quod annexum, inſertum, compactum: additum enim oportuit quod *cardini* annexum. Sic & idem *cardinatum lignum*, inter duos ſcapos cardinatum dicit *lib. 10. c. 21. Erigebantur & arrectaria duo compacta pedum 35. craſſitudine ſeſquipedali, latitudine pedum 11. coniuncta capitibus tranſuerſario cardinato tigno, & altero mediano inter duos ſcapos cardinato, & laminis ferreis religato.* (vide & *c. 20.* vbi & ſimiliter *intercardinatas trabes* dicit.) Sic & Caſſiodorus, VII. *Variarum 31.* in formula Principatus vrbis Romæ: *Cum in vrbe Roma plurima fieri cenſeamus, & neceſſe ſit ibi poteſtatem* (partem) *eſſe Comitiani officii, vt vtilitates publica videantur impleri, noſtro more proſpeximus, vt quia Principem noſtrum* CARDINALEM *obſequiis noſtris deeſſe non patimur, tu eius locum Vicarii nomine in Vrbe Roma ſolemniter debeas continere: Quatenus & ille Primatus ſui labore perfruatur, & tu in alterius honore poſſis diſcere, quod in tuo debeas feliciter exhibere.* Vbi Caſſiodorus, *Principem Cardinalem* apertiſſime vocat, non primum Principem Agentium in rebus, vt nonnulli tradunt, verum eum, qui obſequiis Principis adhærebat, eique opponit eum qui alibi eius locum impleret Vicarii nomine: Quomodo in *Notitia Imperii, Cardinale officium* fixum, immotum, adhærens, & in obſequio Magiſtri militum: quod & ideo *haberi* Cardinale officium dicitur Magiſteriæ poteſtatis, non vt alia, quæ militant in Numeris. Sic igitur iam quoque Cardinales Epiſcopi Presbyteri, & Diaconi in vrbe Roma, de quibus multa mentio apud Gregorium in epiſtolis, *lib. 1. ep. 79. 81.* (ſiu. *lib. 1. indict. 9 ep. 80.* & *83. Edit. Benedictin.*) *lib. 2. ep. 9.* (ſiu. *lib. 2. indict. 10. ep. 12. edit. cit.*) *lib. 7. ep. 72.* (ſiu. *lib. 9. indict. 2. ep. 70. edit. cit.*) *lib. 12. ep. 2.* (ſiu. *lib. 14. indiction 7. ep. 7. ed. cit.*) Paſchal. II. *Ep.* ad Didacum Compoſtellanum apud Baron. *Annal. Tom. XII. ad an. 1104. num. 19.* quod immoti, fixi, Eccleſiæ ſuæ Pontificique adhærerent, matricique Eccleſiæ operam nauarent. Leo certe IX. *ep. 1. ad Michaëlem, c. 32. Tom. VI. Concil. Edit. Hard. p. 944.* dicit, Clericos Romanæ Eccleſiæ *Cardinales* vocari, quod ſummo Pontifici proxime adhærerent: addito, quod hic ſit veluti Cardo totius Eccleſiæ. Inde tandem & *cardinandi incardinandique* voces enatæ, de quibus prolixe Iuretus, *in Iuonem, p. 671.* (vid. & Concilia Gallicana) & incardinari in Eccleſia aliqua, vel Metropoli ciuitate. In Eccleſia apud alios, & Hincmarum, referente Flodoardo *lib. 3. hiſt. Rhem. c. 21. 29.* Sic Presbyteri Cardinales pro Presbyteris vrbis, oppoſiti Presbyteris agrorum, concilio Neocæſarienſ, *can. 13. Tom. I. Concil. Edit. Hard. p. 285. 286.* vt in Zachariæ PP. *epiſt. ad Pipinum, c. 4 Tom. I. Conc. Gall. p. 564.* & *Tomo III. Concil. Ed. Hard p. 1901.* Neque quidquam moror, quod Marianus Scotus *in Chronico*, Præfectum Prætorio Orientis vocat virum ſuperilluſtrem *& Cardinalem.* Sic ſane Paſchalis Papa II. ad Didacum Compoſtellanum Ep. apud Baronium *tomo 12. ad an. 1104. num. 19. Cardinales Presbyteros & Diaconos* vocat. Hoc vero nomen omnibus Eccleſiis commune multis adhuc adhæſit, vt Rauennati, Aquileienſi, Piſanæ, Mediolanenſi, Compoſtellanæ, Beneuentanæ, D. Pauli Londonienſi; ſed potiſſimum Romanæ. Errat La Cerda *Aduerſ. 35. n. 13.* qui Cardinales Diaconos in Concilio Romano ſub Syluestro eit dici, qui licet diuerſis in locis agerent, vnius tantum Eccleſiæ eiuſdemque primariæ cardine *continerentur.* Inde & *Cardinalia opera Chriſti*, authori, qui ſub Cypriani nomine latet, illa, in quibus ſalutis noſtræ negotium conſiſtit. Verum hæc obiter, neque ingrato diuerticulo.

Igitur excepti a ſuſceptionis officio fuere Officiales Magiſtri Equitum & peditum, ea quam dixi ratione. Excepti pariter Cornicularii Præfecti Prætorio, qui annis ſingulis exeunt, *d. l. 8. ſup. de diuerſ. offic. d. l. 1. ſup. de apparitor. Præfect. prætor.* His exceptis ex Officialibus ſuſceptores ſumi voluit Valentinianus. Secundo ſumi voluit ex Largitionibus ciuitatum *d. l. 6. h. t.* & *d. l. vn. ſup. de priuil. apparit. magiſt. pot.* Cum tamen & veteri ante Valentinianus conſuetudine ex Curialibus Suſceptores crearentur, *d. l. 9. h. t.* Et vero ipſemet Valentinianus electionem Suſcepturum ex Officialibus ad Illyricum, reſtringit, *d. l. 9.* & ſic oſtendit *legem 6.* & 7. ad Illyricum tantum pertinuiſſe: cuius ſane Præfecto Prætorio Mamertino eæ inſcribuntur (fuit enim is Præfectus Prætoriu Illyrici teſte Amm. Marcellinu) quomodo etiam *lex vn. ſup. de priuil. apparitor. magiſt. poteſt.* ad Italiæ prouinciam Lucaniam pertinet (cui ipſi Italiæ Mamertinus eodem Amm. Marcell. teſte præſuit) In Africa vero veterem ex Curialibus eligendis Suſceptoris conſuetudinem diſerte probat *d. l. 7.* vtriuſque diuerſi facti ſui rationem *ea l.* reddens.

Et hæc quidem in ſummam & præcipua eſt harum conſtitutionum ſententia: nam quæ ſingularia in his obſeruanda ſunt, præter ea, quæ iam notaui de militia Armata Officialium ſeu apparitorum Magiſtrorum militum ſuis *locis* & *titulis*, ſub quibus reliquæ illæ *leges* poſitæ ſunt, diſcutiuntur.

Tria tantum obſeruanda ſunt: Primo ex *l. 7.* ſuſceptionis munere fideliter functos, ab omnibus immunes a Valentiniano pronunciari: & præmia iudicio ſuo digna promittit. Secundo ex *l. 9.* Nominatores ſeu Creatores pro nominatis teneri: quod etiam cauetur *l. 1. 4. ſup. l. 8. prox. 20. 29. inf. h. t.* Tertio obſeruandum per Illyricum id quod ſupradictum conſtitutum, Mamertino ſc. Præfectu Prætoriu ſuggerente, de quo Amm. Marcell. *lib. 21. c. 10.* vt editi Codices habent, male ſenſiſſe videtur: Sed locum illum iam reſtituerunt, & in Neuitam recte tranſtulerunt: argumento etiam certiſſimo eius quod idem rurſum de Neuita ait *eodem lib. 21. cap. 12.*

VIII. (a)

P.548.
VIII. (a) Idem AA. ad Secundum PF. P. (b)

IVXTA inueteratas leges, † Nominatores Suſceptorum & eorum qui ad Præpoſituram horreorum (c) & pagorum (d) creantur, teneantur obnoxii, ſi minus idonei ſint, qui ab hisdem fuerint nominati: Nec quicquam ex eorum ſubſtantia, celebrata per interpoſitam perſonam emptione, mercentur. Dat. (e) III. Kalend. Aug. Conſtantinop. Valentiniano & Valente AA. Coss. [365]

NOTAE.

(a) *L. 2, Cod. Iuſt. eod. tit.* *GOTHOFR.*

(b) *Secundus* PP. vid. *Proſopogr.* *ID.*

† Etiam Conſtantini M. *l. 1. ſup.* *ID.*

(c) De *Præpoſitis horreorum*, agitur & *l. 5. ſup. 24. inf. l. 49. ſup. de Decur. l. 1. ſup. de erogat. mil. ann.* *ID.*

(d) De *Præpoſitis paganis*, dixi plene ad *l. 1. ſup. de erogat. mil. ann.* *ID.*

(e) Vid. *Chronicon hiſtor.* *ID.*

COMMENTARIVS.

DE NOMINATORIBVS Suſceptorum, & Præpoſitorum, ſiue horreis ſiue pagis (de quibus *ſuis locis* iam plene:) Duo *hac l.* conſtituuntur a Valente Imp. Primum, vt periculo Nominatorum Suſceptores creentur, id eſt pro his nominatores teneantur: Quod *inueteratis legibus* iam obtinuiſſe Valens profitetur: vti de ea Valentinianus *l. 9. inf.* morem obtendit. Sane Conſtantini M. *lege* iam id definitum *l. 1. ſup.* & Valentiniani *l. 4. ſup.* & *l. 9. inf.* & poſtea Theodoſii M. *l. 20. inf.* Honorii *l. 29. inf.* Mitto antiquiora Conſtantino, quæ Accurſius colligit. Secundo conſtituit *hac l.* Valens, vt ne Nominatores quicquam ex rebus, nominati, *per interpoſitam perſonam* eruant: *Per interpoſitam*, inquam, *perſonam*; vnde colligat quis potuiſſe ipſos emere palam: Neque enim hoc facto quidquam deperit fiſco, cum nil interſit, ipſe nominatus, an vero nominatores bona illa habeant: atenim multum intereſt, ipſe nominatus habeat an extraneus, cum quo nulla eſt fiſco actio: Nondum enim Gratiani lex lata fuerat, qua Suſceptorum ſubſtantiam, & fideiuſſorum facultates diligenti deſcriptione collectas ad officii Palatini notitiam perferri oportuit, de qua *l. 25 inf.* Quare hac tempeſtate ſi quis extraneus ex Suſceptoris bonis quid emiſſet, ſecurus erat: niſi in fraudis conſilio id egiſſet, vt interpoſita perſona nominatus pauperior fieret. Et tamen alia eſt Accurſii, Lucæ de Penna, ipſiusque Cuiacii interpretatio; nempe nominatores non potuiſſe quidquam ex nominati bonis emere: neque ipſos palam, ſeu luce clara, neque per interpoſitam vt dixi perſonam & ſic in fraudem fiſci. Quare quod hic dicitur ita accipiendum fuerit, quaſi dixiſſet, *etiam per interpoſitam perſonam.* Vnde iam illud alias quoque decantatum efficiatur; Quod qui directe peruenire non poteſt ad aliquid, nec per indirectum & interpoſitam perſonam poſſit.

IX. (a) Idem AA. ad Dracontium (b) Vic. Afric.

SVSCEPTORES ſpecierum idcirco per Illyrici prouincias ex Officialium corpore creari præcipimus, † quod cognitum eſt, illos & re & fide idoneos haberi, quam (c) eos qui in (d) Curia ſuſcipere conſueuerint: Verum in prouinciis Africæ Tua Sinceritas hoc ab his officium iubeat amoueri, atque eos ſuſceptores ſpecierum annonariarum manere, quos ad hanc neceſſitatem vetus conſuetudo conſtringit: maxime cum, ſi Suſceptores de Curia dati aliquid vel neglegentia vel fraude decoxerint, ad redintegrationem ſpecierum (ſicuti moris eſt) Ordo (e) qui creauerit poſſit artari. Acc. prid. Kalend. Septembr. Conſtantinæ, (f) Valentiniano & Valente AA. Coss. [365.]

NOTAE.

(a) Abeſt hæc *lex* a *Cod. Iuſt.* De *hac lege* dictum eſt ad *l. 6. 7. ſupr.* quarum hæc limitatio quædam eſt. *GOTHOFR.*

(b) Complures aliæ *leges* huic Dracontio inſcribuntur, quæ ex *Indice perſonarum* repetendæ. *ID.*

(†) *γρ. Præcepimus.* Et intelligit *legem 6. 7. ſup.* *ID.*

(c) Ἤ, *μᾶλλον τῶ* magis: vid. *Gloſſ.* *ID.*

(d) Seu *ex Curia.* *ID.*

(e) Curia. *ID.*

(f) *Cirtenſium*, quæ in Numidia: de qua *l. 29. ſup. de Decurionibus.* Similiter *Acc. Conſtantinæ* dicitur *lex 15. inf. de Nauicular.* quæ data *ad Heſperium PP.* ſic aliæ nonnullæ *leges*, quæ Dracontio iſti Vicario Africæ inſcribuntur, dicuntur *Acc. Karthag.* vt *lex 13. ſup. de annona & tributis*, & *l. 10. ſupr. de iure fiſci.* *Dat. Adrumeto*, i. e. *Accepta*, aut *Reddita*; cum Valentinianus in Africa non eſſet. *ID.*

X. (a)

P.544.

X. (a) Idem AA. ad Mamertinum PF. P. (b)

SVSCEPTORES noui non modo præſentis anni (c) debita, verum etiam ſpecies quæ (d) ex reliquis inferuntur, quia nouæ ſunt ac (e) recentes, ſuſcipiant. Dat. Prid. Kalend. Nou. Rom. (f) Valentiniano & Valente AA. CONS. [365.]

NOTAE.

(a) *L. 3. C. Iuſt. eod. tit.* *GOTHOFR.*

(b) Eidem inſcribuntur ſupra *tres leges*: puta *lex* 4 6. 7. *ſup.* De eo plene in *Proſop. ID.*

(c) Annuum ſuſceptionis officium fuit, vt hæc *lex* docet & *lex* 4. & 7. *ſup.* & *l.* 21. 22. 24. *inf. ID.*

(d) *Quas ex Reliquis inferunt*: C Iuſt. male. *ID.*

(e) Ita quoque *meliores Cod. Iuſt.* alias male in C. *Iuſt. Adcreſcentes. ID.*

(f) Error reſidet in hac ſubſcriptione. *ID.* Forte reſcribendum *Remis.* Coniecturam videtur firmare Ammianus *lib.* 16. *cap.* 5. ſcribens: *prope Kal. Nouembris venturo Valentiniano Pariſios. RITTER.*

COMMENTARIVS.

QVIDNAM Suſceptores, ſeu cuius temporis debitas ſpecies ſuſcipere debeant definitur *hac* Valentiniani *leg.* Suſceptores ſcil. munus & officium, etſi annuum ſit, (quod præter *hanc l.* docet *lex* 4. & 7 *ſup.* & *l.* 11. 22. 24. *infr.*) nihilominus tamen præteriti etiam anni Reliqua ſuſcipere poteſt. Nouus ſuſceptor omnia ſuſcipere poteſt, quæcunque inferuntur & fiſco debentur, ex quocunque tempore ea debeantur. Tempus equidem ſuſceptionis annuum eſt, at ſuſceptionis materia non ideo anno ſuſceptionis terminatur, ſeu coarctatur. Denique non ſpectandum vtrum ſuſceptionis ſuæ tempore quid deberi incipiat, ſeu debitum contractum ſit, ſed illud tantum, vtrum debeatur: ſatis enim eſt deberi, etſi retro deberi cœperit. Et rationem addit Valentinianus: *Quia*, inquit, *ſpecies quæ ex reliquis inferuntur, nouæ ſunt ac recentes.* Ac ſi diceret, non originem debiti hac parte ſpectandam, ſed tempus ſolutionis: cœterum vt ſuſceptor ipſe nouus eſt & recens ſolutio. Et tamen dicitur *l. vn. inf. de patronis horr. Portuenſ.* veteris erogationis ratiocinium nouis commeatibus inſeri non oportere. Vbi vide quæ dico. Hanc vero *legem* collectorib. taliarum ſeu collectarum aptant Interpretes, quod videl. reſidua exigere teneantur, etſi ſpeciale mandatum non acceperint.

XI. (a) Idem AA. ad Florentium C. S. L. (b)

NEMINEM (c) biennio iugi Allegationis (d) officiis inſeruire permittat: (e) Neminem (f) ab huiuſmodi munere ad id (g) munus adſtringi, niſi prius ſe vinculo ſollicitudinis ſuperioris abſoluerit: Nam *neque eos, qui placuerint, grauare, iuſti eſt; neque illos qui diſplicuerint, tenere, prudentis.* Integro igitur ſinguli anniuerſario anno (h) transcurſo, cogantur exponere, quibus titulis ſuſcepta diſperſerint, vt facilius, ſi quis in furto fuerit deprehenſus recentem queat redintegrare iacturam. (i) Dat. XV. Kal. Octobr. Mantebri, (k) Gratiano NB. P. & Dagalaiſo CONS. [366.]

NOTAE.

(a) *Lex* 4. *Cod. Iuſt. eod. tit. ex hac l.* & *l.* 22. *inf.* conflata eſt. Quæ *lex* 22. huic concordat. *GOTHOFR.*

(b) Eidem inſcribitur A. 464 *lex* 6. *inf. de luſtrali collat.* & An. 365. *lex* 3. *de immunit. conceſſ. ID.*

(c) Abeſt hæc prima ſententia a *C. Iuſt. ID.*

(d) Dicam de *Allegatione* hac, & *Allectis*, ad leges *proximas* 12. & 13. *ID.*

(e) Excellentia Tua ſcil. *ID.*

(f) *Neminem ſuſceptionis munere functum ad idem munus* &c. vbi *παρόραμα* eſt Triboniani, qui omittendo primam *huius l.* ſententiam, vinculum etiam rationis omiſit, verbum inquam. *ID.*

(g) *γρ. Idem*, vt *Cod. Iuſt. ID.*

(h) *Διαστρoφὴ* [illegible] *ID.*

(i) Hic ſubiiciuntur *C. Iuſt.* priora *legis* 22 *inf. ID.*

(k) Neceſſe eſt omnino locum fuiſſe in *Gallia Belgica*, vbi hoc Anno 366. & ferme *Remis*, Valentinianus conſtitit. Tentabat quidam *Montebriſiacum*, quod ſtare non poteſt. *Mantebrum* omnino videtur pagus hodie ſatis magnus, *Mantoy* dicitur dimidia fermę leuca Remis: vbi hodienum ſuperſunt veſtigia ſtratæ publicæ, ſeu viæ militaris. *ID.*

COMMEN-

P. 143.

COMMENTARIVS.

DE TEMPORE ſuſceptionis, & eius muneris ITERATIONE ſeu Coutinuatione, eſt hæc Valentiniani Sen. conſtitutio: cui ſimilis eſt altera Theodoſii M. *lex 22. inſ.* ex qua vtraque Τρίβων. *legem 4. Cod. Inſt. eod. tit.* conflauit, retentis *huius leg.* inſcriptione, & ſubſcriptione. Quanquam Haloandrius editio inſcriptionem *legis 23.* præferat, atque ideo, pro ratione temporis eo titulo *Octaua*, non Quarta ſit. Quod non minus rectum eſſe poteſt quam illud: eadem enim ſemper duarum legum confuſio eſt.

Igitur hac l. & *d. l. 22.* ANNVVM tantum ſuſceptionis munus eſſe iubetur, quod etiam aliæ *leges* plures indicant, puta *lex 4. 7. 10. ſup.* & *lex 22. inſ.* & Honorii *lex 9. ſup. de execut. & exaction.* (quanquam in ſp. *leg. 24. inſ. h. t.* idem Honorius probatos ſemel quinquennio in huiuſmodi officii ſtatione permanere voluit:) non etiam biennale: hac ratione, *Quod neque eos qui placuerint*, id eſt, qui probe munere defuncti ſunt, *grauare, iuſti*, ſeu iuſtum *ſit*, (cui conuenit illud Libanii *in Baſilico p. 148. Edit. Morell.* Οὐκ ἀξιῶσι διηνεκεῖ φορτίῳ τὺς αὐτὺς ἐπιτρίβεσθαι, quod vertit Morellus, *nolunt onere perpetuo eoſdem conterere*) *neque illos qui diſplicuerint*, id eſt male ſuncti ſint, *tenere, prudentis ſit.* Igitur anno tranſcurſo, ſuſceptionis rationem reddere iubentur: vt ita in furto deprehenſi, recentem queant iacturam redintegrare. Nempe, facilius ſolutio reliquorum ſperari & accipi poteſt ab eo qui recenter & breuiſſimo tempore munus aliquod geſſit, quam ab eo, qui continuum & diuturnum munus gerit. Et hæc quidem ratio *hac l.* redditur. Sed & altera ratio hic reddenda, nota priuata prouincialium vtilitas: quam Theodoſius M. *d. l. ſua 22.* exprimit. *Ne alioquin*, inquit, *continuato munere vexandorum prouincialium poteſtatem ſuſceptor habeat, & in concuſſionum dominatione teneatur*, vt elegaoter *ea l.* dicitur, ſeu vt Honorius de Exactionibus *d. l. 9. ſup. de executorib & exaction. Ne exacto annuo ſpatio eius regionis viſceribus prædator inſideat.* Quod vtiliter alio traduci poteſt Breuitate ſcilicet temporis quod ille dixit, vt ſumma poteſtas, ita & munus ratiociniis obnoxium, optime coaſtringitur.

XII. (a) Idem AA. ad Rufinum PF. P. (b)

NVLLA debet eſſe cauſatio, (c) quin ſolidi ex quocunque titulo (d) congregati, (e) ſicur iampridem præcipimus, †) in maſſam obryzæ ſoliditatemque redintegrentur: Et ita fiat omnis inlatio, vt Largitionum (f) & proſecutorum (g) Allectorumque fraudibus aditus obſtruatur. Facile etenim eos (h) prouinciæ Rector a diſpendio vindicabit, qui binis ſolidis ſeu ternis neceſſitatem ſolutionis implebunt, ſi, poſtquam viritim nominatimque (i) ſuſceperint ſolidos plurimorum, ea quam ſuperius memorauimus qualitate poſcenda, omnium debitum completur (k) in maſſam. Sane, ſi idem Suſcipientium deprehenditur, (quod fuerat ante,) faſtidium, cum obryzæ materies adferatur, quæ non poteſt diſplicere, ſed (l) congrua animaduerſione plectendus (m) eſt, qui id calumniatur (n) & reprobat, quod ad compendium ſimplicis (o) ſatisfactionis inuentum eſt. Prius tamen ad Comitatum Manſuetudinis Noſtræ maſſa obryzæ, (p) quæ fuerit repudiata, mittatur, vt qua ſit mante reiecta videamus. Dat. IV. Id. Nou. Gratiano NB. P. & Dagalaiſo Coss. [366.]

NOTAE.

(a) Abeſt & hæc *lex* a *Cod. Inſt.* GOTHOFR.

(b) Italiæ, Illyrici, Africæ, poſt Mamertinum: teſtis Ammianus *lib. 27. cap. 7. & 11.* ID.

(c) Fruſtratio Largitionalium, Proſequentum, Allectorum ſeu Suſceptorum. *ID.*

(d) Id eſt præſtationis & collationis genere. *ID.*

(e) Id eſt collecti, ſuſcepti a ſuſceptoribus. *ID.*

† γρ. *Præcepimus:* intelligit enim anteriorem legem. *ID.*

(f) γρ. Largitionalium, vt *leg. prox. infr.* de his dixi ad *l. 3. ſup. de priuil. eor. qui in S. Pal.* ID.

(g) De his auri *Proſecutoribus* ſuo *tit. inſ. 8.* ID.

(h) Collatores, prouinciales, tributarios, poſſeſſores. *ID.*

(i) Id eſt, per ſingulos, & viritim *ID.*

(k) Pro *Compleatur.* *ID.*

(l) γρ. *Sub.* ID.

(m) *Plectens* habent impreſſi omnes. RITTER.

(n) *Calumniari*, eſt fruſtrari, eludere, falſoque arguere. GOTHOFR.

(o) Dicam in *Commentar.* ID.

(p) De *Obryza* dixi plene ad *l. vn. ſup. de oblat. votor.* ID.

p.546.

XIII. (a) Idem AA. (b) ad Germanianum (c) Com. S. L.

QVOTIESCVMQVE ſolidi ad Largitionum ſubſidia perferendi ſunt, non ſolidi, pro quibus adulterini ſæpe ſubduntur, ſed aut idem (d) in maſſam redacti, ſi aliunde qui ſolui (e) poteſt habere Materiam, auri obryza dirigatur: pro ea ſcilicet parte, quam vnusquisque defendit: (f) ne diutius, vel Allecti vel Proſecutores vel Largitionales adulterinos ſolidos ſubrogando in conpendium ſuum fiſcalia emolumenta conuertant. Illud * etiam cautionis adicimus, (g) vt quotiescumque certa ſumma ſolidorum pro tituli qualitate debetur, & auri maſſa transmittitur, in ſeptuaginta duos ſolidos libra feratur accepto: & cetera. Dat. VI. Id. Ian. Rom. (h) Lupicino & Iouino Coss. [367.]

NOTAE.

(a) Prior *huius l.* pars abeſt a *C. Iuſt.* Iungenda autem huic *lex 4. ſup. de metallis:* & *lex 1. Cod. Iuſt. de veteris numiſm. poteſt.* GOTHOFR.

(b) Alexandro Imp. *hanc leg.* perperam adſcripſit Balduinus, obſeruante etiam Contio *libr. 1. ſubceſ. cap. 2,* & *libr. 2. cap. 19. ID.*

(c) Eidem *Germaniano* Com. S. L. inſcribuntur quoque *lex 1. ſup. de paſcuis:* & *lex 3. ſup. de murilegulis. ID.*

(d) *γρ. Iisdem in maſſam redactis, aut ſi aliunde,* &c. *ID.*

(e) *γρ. Soluit. ID.*

(f) *γρ. Dependit. ID.*

* *Secundum* caput *huius leg.* vnde deſumpta eſt *lex 5. Cod. l. h. t. ID.*

(g) *Adicimus,* id eſt, adiicimus. *ID.*

(h) *γρ.* & *hic,* & *d. l. 4. Rom.* (id eſt Remis:) vbi tum Valentinianus Sen. egit: vid. Ammianum, & *Chron. Theodoſianum. ID.*

COMMENTARIVS.

DE AVRI illatione ſunt hæ duæ Valentiniani Sen. qui Occidenti præerat, *leges*, quarum poſterior, puta *lex 13.* pars eſt prolixioris conſtitutionis Valentinianeæ, vnde duæ aliæ præterea *leges* ſuperſunt, puta *lex 4. ſup. de metallis:* & *lex 1. C. Iuſt. de veteris numiſm. pot.* (quæ proinde *huic l. 13.* coaſſandæ veniunt;) Qua conſtitutione Valentinianus totus occupatus fuit circa ſpeciem Auri, quatenus ſc. id tum in commercatione, & conuerſatione publica erat: quo pertinet *d. lex 1.* tum ad Largitiones perferendum erat, quo pertinet *d. lex 4. ſup. de metallis:* & hæc *lex noſtra 13.* His igitur duabus *legibus* Valentinianus de MASSA auri, ad Largitiones perferenda cauet: tum de eius Maſſæ æſtimatione. Primo ſcil. Valentinianus Sen. Suſceptorum, Proſecutorum, Largitionalium partim *fraudibus* occurſurus, qui adulterinos ſolidos ſubrogando, in compendium ſuum fiſcalia emolumenta ſæpe conuertebant, partim *faſtidia* eorum, qui ſæpe materiam auri a Tributariis oblatam ſibi perperam reſpuebant, & ſic tum fiſci, tum prouincialium vtilitati conſulturus, ipſis quidem Tributariis electionem dedit, vel ſolidorum ſuſceptori dandorum, ſi materiam ſibi oblatam reſpuerit, materiaque ad Principem miſſa, perperam eam reieciſſe deprehenſus fuerit: vt congrua animaduerſione ſuſceptorem plecti velit: Atenim quomodocunque aurum collatum fuiſſet a Tributariis, ſuſceptores auri maſſam, non ſolidos ad S. L. mittere vult: & ideo ſi ſolidos acciperent, eos conflare & in materiam & maſſam auri redigere voluit. *Quod quidem*, vt inquam ab vna parte, Tributarii materiam auri ſeu maſſam conferre poſſent, ab altera, Suſceptores quamlibet ſolidos accepiſſent maſſam auri ad Largitiones Principis mittere cogerentur, ipſemet Valentinianus *ad compendium ſimplicis ſatisfactionis inuentum fuiſſe* ait; Id eſt, tum vt a faſtidio Suſceptorum prouinciales vindicaret, tum vt fraudibus Suſceptorum &c. occurreret, qui adulterinos ſæpe ſolidos ſubdabant. *Compendium ſimplicis ſatisfactionis*, eſt facilitas & integritas ſolutionis. Et hæc quidem de primo harum legum capite, deque ipſa auri maſſa ad Largitiones perferenda: & ſic de prima cautione, Valentinianus Senior.

Secundo capite (quod continetur *fine legis 13.*) ſeu ſecunda cautione, Æſtimationem auri maſſæ facit: nempe Libram maſſæ ſeu auri, quæ ad Largitiones transmittitur, pro ſeptuaginta duobus ſolidis accepto ferendam eſſe, id eſt ſuſceptorem totidem ſeptuaginta duos ſolidos intuliſſe videri, quot libras auri inferret. Quæ quidem libræ auri æſtimatio noua iam eſt, cum antea, & quidem ſub Conſtantino M. octoginta quatuor ſolidi auri libram efficerent, vt docet *lex 1. inf. de ponderator.* (quæ iungenda eſt cum *l. 2. h. t.*) verum aucto iam auri pretio ſub Valentiniano

niano

Digitized by Google

niano Sen. ſolidi aurei quoque æſtimatio ab eo aucta fuit, atque adeo imminuta iam libra auri, ſic vt pauciores numero, quam ante, ſolidi libram efficerent. Cuius rei Valentinianus hic noſter omnino primus auctor eſt: *hac l.* initio Anni 363. cum conſtitutione ſua integra (vnde duæ poſtea partes ſuperſunt *huic* coniungendæ, puta *lex 4. ſup de metall.* & *lex 1 C Iuſt. de veter. numiſm. pot.*) circa Auri ſpeciem varia conſtitueret, atque inter alia proportionem eius iuſtam iniret: quomodo ſcilicet vendi, emi ſolidos Principum oporteret: quo ſpectat *d. lex 1.* quot vnciæ ballucæ pro ſingulis libris fiſco inferendæ eſſent: quo ſpectat *d. l. 4.* quot ſolidi obryziaci in libram auri requirerentur: quod argumentum eſt *huius l. 13. in f.* Quot denique modii tritici ſolido venderentur. Eo enim pertinet Valentiniani *lex*, de qua Suidas *in v. Μαναλμ*, de quo dixi ad *l. 7. de prætorib.* Sic igitur tenemus deinceps auctorem & tempus libræ auri ad 72. ſolidos
P. 349. redactæ, cum ante octoginta quatuor ſolidis libra cenſeretur. Eoque etiam ſpectat omnino eiuſdem Valentiniani *lex 2. C. Iuſt. de veteris numiſm. poteſt.* quæ Iuliano non *PP.* verum PF. Annonæ ſc. (vt docet *lex 2. inf. de canone frum. V. R.*) inſcribitur, quæque ad hunc ipſum Annum 367. referenda eſt, & huic vel puto coniungenda, cuius verba hæc ſunt: *Pro immunitione* (libræ,) *qua in æſtimatione ſolidi forte, tractatur, omnium quoque pretia ſpecierum decreſcere oportet.* Scilicet Valentinianus, cum libram auri imminueret, ſolidi æſtimatione aucta, ſimul tum cauendum credidit, vt omnium ſpecierum pretia decreſcerent: & quidem *lege ea* ad Præf. Annonæ, qui foro rebusque venalibus præerat, de qua l. plura *ſupr.* iam ad *l. vn de oblat. votor.* & peculiari *diſſertatione.*

Porro quando in pretio ſolidi verſamur, cuius æſtimatio ſeu taxatio hoc tempore aucta fuit obſeruanda duo. Primo peculiare pretium ſtatutum ſolidis, quos publico vſu expoſcente, collectarii ſeu numularii vendebant. Et ſubinde id auctum, prout auri enormitas creſcebat, & pro foro rerum venalium. Quomodo poſt hanc *legem* auctum a Gratiano Imperatore, quantum æquitas illius temporis poſtulabat. Augeri & deinceps iidem petiere a Valentiniano Iun. eius fratre per Symmachum P. V. *lib. 10. ep. 42. Vendendis ſolidis, quos plerumque publicus vſus expoſcit, collectariorum Corpus obnoxium eſt, quibus arca vinaria ſtatutum pretium ſumminiſtrat. Huic hominum generi, taxationis exigua vilitate* (vtilitate) *nutanti, Diuus frater* (Gratianus) *numinis veſtri tantum pro ſingulis ſolidis ſtatuit conferendum, quantum æquitas illius temporis poſtulabat, D. Imperator: ſed paulatim auri enormitate creſcente, vis remedii Diualis infracta eſt. Et cum in foro venalium rerum, maiore ſumma ſolidus cenſeatur, nummulariis pretia minora penduntur. Petunt igitur de Æternitate veſtra, pro ratione præſenti, iuſtiſſima diffinitionis augmenta, qui iam tanto oneri ſuſtinendo pares eſſe non poſſunt. Hæc eſt cauſa querimoniæ, quam diuinis ſenſibus veſtris fides Geſtorum plenius intimabit. Si petitionis genus probabile iudicatis, quæſo, vt huic quoque parti præcepto manſuetudinis veſtræ ſalubre remedium deferatur.* Eodemque pertinet *Nouella* Valentiniani Tertii *inter Theodoſianas 25. de pretio ſolidi:* vbi ſtatuitur, ne vnquam intra ſeptem millia nummorum ſolidus diſtrahatur, emptus a collectario ſeptem millibus ducentis: *Æquabilitas enim pretii, & commodum venditoris, & omnium rerum venalium ſtatuta cuſtodiet.* Collectarii ſcilicet erant, quod Rufinus etiam recte obſeruauit, nummularii, certo corpore in id deſtinato, qui cogebant, colligebant ſolidos aureos, emebantque, vt videlicet poſtea eos publico vſu expoſcente, venderent: de his Collectariis præter hanc *legem*, & Symmachum, & *dict. Nouellam* Valentiniani, Acron *in Horatium, lib. 1. Satyr. 6. ad verſ. 86.* S. Auguſtinus de Miraculis S. Stephani, *lib 22. de ciuit. Dei c. 8.* Suidas: κολλεκτάριος, ἀργυραμοιβὸς, ἤτοι ὁ κέρμα ἀντὶ ἀργύρου ἀλλασσόμενος, τραπεζίτης, ὁ ἀργυροπράτης: *Collectarius, qui nummos viliores & minutiores argento permutat, menſarius, argentarius.* Vide & eundem in ἀργυραμοιβός. Gloſſæ Palæmonis, *Collectarius, Menſarius.* Sic quem τραπεζίτην vocat Euſebius *lib 5. Hiſt. Eccleſ. cap. vlt.* Rufinus vocat *Collectarium.* Honorius *l. 16. Cod. Iuſt. ſi certum pet.* cuius legis ſententiam recte Merillius adſecutus eſt I. *Obſ. 30.* Nempe id *ea leg.* prohibetur, ne in prouincia iam poſitis Iudicibus fœnebris pecunia mutua detur; neue ei, qui honorem ambiat, honoris pretium det Collectarius ad emendam poteſtatem ſcilicet; Nam hoc facto fiebat, vt ipſi iam Nummularii reuera prouincias regerent, Marcellinus *lib. 30.* de Valentiniano noſtro, *c. 9. Scrupuloſus in deferendis poteſtatibus celſis, nec imperante eo Numularius prouinciam rexit, aut adminiſtratio venumdata.* Scilicet ſui temporis abuſum taxat, Theodoſii inquam M. de quo Zoſimi locum adde ſingularem, *libr. 4. cap. 29. in fin;* καὶ ἦν ἰδεῖν ἀργυραμοιβοὺς, καὶ ὀβολοστάτας, καὶ ἄλλως ἐπ' ἀγορᾶς τὰ τῶν ἐπιτηδευμάτων αἰσχρότατα μετιόντας, ἐπιφερομένους τὰ τῶν ἀρχῶν σύμβολα, καὶ τοῖς πλείονα ἔχουσι χρήματα τὰς ἐπαρχίας παραδιδόντας. *adeoque videre erat argentarios, & nummularios, & alios profeſſiones fœdiſſimas in foro obeuntes, magiſtratuum inſignia ferre, maioremque pecuniæ vim habentibus prouincias tradere.* Ergo huic malo, *hac l.* Honorius mederi inſtituit. Quod 40. ferme annis poſt ſtabat in Oriente, de quo Syneſius *epiſt 72. & 73.* Ergo maneat, Valentinianum Seniorem *hac l.* huius æſtimationis, redactæque libræ ad 72. ſolidos auctorem eſſe. Quam æſtimationem ſecutus eſt poſtea Honorius *ea l. vn. de oblat. votor.* Quo pertinet etiam locus in *Actis Marcellini Papæ*, quem corruptiſſimum reſtitui ad *d. l. vn. pag. 463. Tom. II.* vbi & de obryza, & auro obryziaco.

* Hactenus de ipſa *legum* ſententia. Nunc videndum eſt de *Allectis*, quorum mentio fit *his duabus legibus*, & *l. 2. ſupr. de quæſtionib.* & *l. 15. & 18. ſupr. de extraordin.* Meminit & Anianus *l. 2. inf. de Epiſcop.* Sidonius *libr. 5. epiſt. 7.* A quibus & *Allegationis officium*, *l. 11. ſupr.* de quo mox plura. Denique & in *Gloſſis* de his locus eſt, *Ex allectis*, ἐκ τῶν λογογράφων. Atque ita in vniuerſum nouem loca de his mihi occur-

occurrunt. *(a)* Fuerunt autem nihil aliud *Allecti* hi, quam ſuſceptores tributorum fiſcalium. Ideo ſcilicet de his *hoc titulo*, qui eſt de ſuſceptoribus, *tribus leg bus*, agitur. Ideo etiam Proſecutoribus & Largi.onalibus iunguntur, quaſi circa idem occupati. *Allecti* ſcilicet circa ſuſceptionem: *Proſecutores* ad proſecutionem: *Largitionales* ad cuſtodiam. Ideo ſuſceptores & Allecti παραλλήλως nominentur, *dict. l. 2. ſup. de Quaſtionib.* Quos *Allectos*, inquit, *aut Suſceptores memorant*, & *Exactores* ab Interprete *ad l. 2. inf. de Epiſcop. non Exactores non Adlectos facere.* Inde & *Allegationis* (ſeu *Alle.?ionis)* officium quod vocatur *l. 11. hoc titulo*; id Tribonianus *l. 4. Cod. Iuſt. de Suſceptoribus*, in *ſuſceptionis*, tanquam notius mutauit. Quod cum ita ſit, non plene vim & officium Adlectorum cepit *Gloſſarum* Auctor, qui eos λογογράφυς interpret.tus eſt. Erant porro Allecti, Suſceptores fiſcalium tributorum; non tantum ſpecierum annonariarum, qua cauſa his menſuræ tribuuntur a Sidonio *libr. 5. epiſt. 7.* ſicut Arcariis pondera: verum etiam auri, quod hæ *leges* apertiſſime teſtantur. Breuiter igitur Allecti dicti Suſceptores fiſcalium tributorum, ad vtrumque Principis ærarium pertinentium. Quibus iunguntur & Legati, qui ad Principem mitti conſueuerant ex prouinciis, in *l. 15. & 18. ſupr. de extraordinariis*: & vtriſque ſumptus a prouincialibus datus, eædem *leges* oſtendunt: vbi Græci male *Allectos* interpretantur, τὺς ὑπὸ βασιλέως καλυμένυς, id eſt, *a Principe publici negotii ergo euocatos.*

Nominis ratio in obſcuro. Ego puteoi *Adlectos* dici, quod videlicet Suſceptores, qui non ex Curialibus eligebantur, Curialibus muneribus hac ratione adlegerentur: quaſi ad Curi.lia munera adlecti & Curialium proinde priuilegiis gaudentes. Haud aliter atque *Adlecti* quoque dicti, & *Adlectionis* honor, *l. 10. ſupr. de Prætoribus*: *l. 1 ſup. de Decur. & ſilent. l. 7. 8. 9. 10. ſup. de domeſticis*: *l. vn. ſupr. de præpoſ. lab. leg. 19. ſupr. de Palat.nis*: *l. 7. ſupr. de priuil. eorum qui in S. Palat.* pro immunibus, & immunitate a Senatoriis functionibus, a Præturæ onere, quaſi iis iam functi reuera eſſent. Tandem ex his omnibus apparet, *l. 11. ſupr.* non *Adlegationis*, verum *Adlectionis* legendum eſſe.

Secundo loco obſeruandum, quod de Maſſa p.148.
auri ad Largitiones Principis perferenda toties inculcatur: Eo quippe etiam pertinet *ſcrinium* peculiare *aureæ maſſa*, cui & *Primicerius* præerat *ſacra maſſa*, diſtinctum ab altero *Aureæ*, ſeu *Auri ad reſponſum*, quod ſub Comite S.L. fuiſſe docet Theodoſius M. *l. 7. §. 1. C. Iuſt. de Palat. S. L.* & Notitia Imperii *in Com. S. L. Orientis & Occidentis.* Ad quam maſſam perperam refert quidam *maſſam veternenſem*, cuius meminit Ammianus Marcellinus *lib. 14. cap. 11.* nam ibi *maſſa*, pro fundo vſurpatur.

(a) Pauca habet de *Allectis* Cuiacius *Obſeruat. XI. 27* & Sauaro ad Sidonium *l. c.* Occurrunt *Allectores* & *allectura* apud Gruterum *in Inſcript. CCXLV. 7. & CCCCLXXI. 9.* hoſque eoſdem cum *allectis*, & *allecturam* idem, ac *allegationis* aut *allectionis officium* fuiſſe, videtur probare *Inſcriptio* CCCLXXV. 3.

L. BESIO. SVPERIORI
VIROMAND. EQ. R
OMNIBVS. HONORIBVS
APVD. SVOS. FVNCTO
PATRONO. NAVTARVM
ARARICOR. ET. RHO
DANICOR. PATRONO
CONDI......
CONSISTENTIVM
ALLECTORI. GALLIARVM
OB. ALLECTVRAM. FIDELI
TER. ADMISTRATAM
TRES. PROVINCI. GALLIAE.

Indicauit iam hæc loca CL. DV FRESNE, quem conſule in *Gloſſar. voc. Allecti.*

XIV. (a) Idem AA. (b) Alexandriano (c) Com. R. P.

SINGVLAS (d) tantum dependant centeſimas, qui reditus domui noſtræ debitos Arcariis quotannis iuxta conſuetudinem tradunt: ita tamen, vt earum quoque ſingularum centeſimarum ratio ſemper euidens ſcientiæ tuæ digeſta referatur, vt erogationibus cunctis aperta inſtructione patefactis reliquorum ratio ex eadem centeſima poſſit agnoſci. Dat. VII. Kalend. Octobr. Doroſtoli, (e) Lupicino & Iouino Coss. [367.]

NOTAE.

(a) Repetita extat hæc *lex*, paucis tamen auctior, fine inquam *huius l.* præmiſſo, *l. 11. ſupr. de iure fiſci.* GOTHOFR.

(b) Idem AA. & *Gratianus A.* Ita *d. l. 11.* & vero ita quoque *hic* reponendum: vid. *Chron. Theod. ID.*

(c) Eidem

(c) Eidem inſcribitur *l.* 1. *ſupr. de Equorum collat.* & *l.* 11. *ſupr. de petition. ID.*

(d) Notulæ ad *d. l* 11. ad hanc quoque ſufficiunt. *ID.*

(e) *Doroſtori*, dixi ad *d. l.* 11. *ID.*

COMMENTARIVS.

DE ſeotentia *huius l.* dixi od *l.* 11. *ſupr. de iure fiſci:* vbi ea repetita extat, finis etiam ſeu ſcopi expreſſione auctior, *vt perſpicue*, inquit, *Colonorum vtilitatibus conſulatur, decima Indictione ſingulas &c.* De *Arcariis* tantum hic ſemel videndum eſt, quorum mentio fit *h. l.* & *l. 32. infr. hoc tit.* De quibus etiam accipienda *lex 26. 29. 30. infr. h t.* Eorundemque mentio fit apud Sidonium *lib. 5. ep. 7.* Hactenus igitur (etiam Cuiacius) Arcarios interpretantur, Præfectos Arcæ Præfecti Prætorio: de qua *l. 9. 16. 17. ſupr. de indulg. debit* & *l. 5. ſupr. de executoribus: l. 6. Cod. Iuſt. de exactor. tribut.* & *Nouella* Maioriaoi 4. *de indulg. reliquorum:* & eiusdem *Nouell. 1. de Curialibus:* ſeu Præfectos arcalibus titulis: qnorum mentio fit *Nouell.* Theodoſii 21. *Neque domum diuinam* &c. Verum errore ſummo. Verum quidem eſt, ſuam quandam fuiſſe Præf. Præt. Arcam, cuius mentio fit etiam apud Syneſium *epiſt. 127.* & *l. 5. ſupr de executoribus*, imo & Arcarios Præſectorum Prætorio: qoorum meminit Caſſiodorus *I. Var. 10.* & *XII. Var. 20. 23 27.* Sed enim vt aliæ Arcæ fuere, ita & Arcarii alii. Mitto Arcam & Arcarios Pootificum, de qoibus Symmachus *lib. 1. ep. 62.* & *in veter. Inſcript.* apud Gruterum *CCCLXXXIII.* 4. & *DCCCIX.* 2. Mitto Arcam peculiarem vini, vinariam, de qua *l. 26. infr.* & *l. 13. infr. de calcis coctor.* Symmachus *lib 9. ep. 121.* & *lib. 10. ep. 42.* & Arcam Quæſtoriam, cuius idem meminit *lib. 10 epiſt. 33.* Item Arcam Oleariam, de qua *l. vlt. infr. de Curat Kalend.* & Arcam frumentariam, *d. l. vlt.* & *l. 1. infr. de frument. Vrb. Conſtant.* Hac ſane *lege*, ſeu *d. l. 11. de iure fiſci.* & *l. 32 infr. Arcarii* noo Arcæ Præfecti Prætorio præpoſiti fuerunt; verum Arcæ redituum domus Principis: vt hæc *lex* apertiſſime teſtatur: *Vt perſpicue Colonorum vtilitatibus conſulatur, decima Indictione ſingulas tantum dependant Centeſimas, qui reditus Domui noſtra debitos quotannis Arcariis iuxta conſuetudinem tradunt.* Nempe rei priuatæ Principis *Arca* fuit, de qua accipienda quoque *lex 29. 30. infr. hoc tit.* quæ *fiſcalis Arca* dicitur *l. 12. de Numerariis.* Eaque Largitionalibus titulis opponitur, & auro largitionali, *d. l. 30. h. tit.* & *d. l. 12. de Numerariis:* quomodo Arcarius & Suſceptor opponuntur: *l. 32. inf. hoc tit.* Meminit & Ambroſius *lib. 1. aduerſ. Symmach. pag. 318. Edit. Symmachi Paris. 1604.* a qua hi Arcarii: quorum etiam mentio fit *l. 32. infr. h. t.* Nempe vt duplex reditus fuit Principum, ſacræ inquam Largitiones, & Res Priuata: atque adeo duplex ærarium, duo diuerſi Comites *S. L.* & *R. P.* ita & diuerſa ratiocinia fuerunt, diuerſi Suſceptores vtriusque: Rei priuatæ raditus ſeu ratiocinium, Arca proprie dicta, & Suſceptores eius *Arcarii*, Largitionalium titulorum proprie *Suſceptores*, *d. l. 32.* Hinc adeo Ambroſius priore *lib. adu. Symmachum d. p. 318.* *Quod enim iamdudum vel fiſco vel Arca eſt vindicatum, de tuo magis conferre videberc, quam de ſuo reddere.* Hinc *l. 12. ſup de Numerariis*, fiſcalis Arca, & Largitionales tituli pariter opponuntur. Hine *l. 32. infr.* Arcarius & Suſceptor opponuntur quoque, eeo diuerſi Ærarii (quod ſub duobus diuerſis Comitibus eſſant:) Hioc relata io conditis, & contenta in Arca opponuntur, *l. 2. infr. de his quæ ex publ. conlat.* De his accipiendus & Sidonius *lib 5. ep. 70.* vbi iſtis *Arcariis pondera* tribuit, vt *menſuras Allectis:* Qoomodo etiam *pondera* vtrisque Suſceptoribus & Arcariis tribuuntur *d. l. 32. infr.* de quibus ponderibus agitur & *l. 19.* (vbi dicam) & *l. 21. infr.* Tandem & in *Gloſſis* recte *Arcarius*, ὁ ἐπὶ τῆς δημοσίας τραπέζης.

P. 149. XV. (a) Imppp. (b) Valentinianus, Valens, & Gratianus AAA. Probo P. P. (c)

A Poſſeſſoribus per tres vices petatur annona. In epimetris autem eam conſuetudinem Sinceritas Tua faciat obſeruari, vt in aridis quidem fructibus, centeſimam leuandi diſpendii cauſa a poſſeſſore Suſceptor accipiat, laridi vero & vini vicenſimam conſequatur. PP. VII. Id. Ian. Sabariæ (d) Valentiniano NB. P. & Victore Coss. [369]

NOTAE.

(a) Abeſt hæc *lex* a *Cod. Iuſt.* GOTHOFR.

(b) *γρ. Idem AAA*, qui *l.* 14. *ſup. ID.*

(c) Italiæ, Illyrici, Africæ: qui Rufino in ea Præfectura iam Anno ſuperiore ſuffectus fuit. vid. Ammianum *lib.* 27. *cap.* 11. *ID.*

(d) *Sabariæ* Pannoniæ primæ vrbe: vid. *Notitiam Imperii, & orbis Rom. deſcript.* & *Cod. Theod.* Ibi ſæpe Principes hæſere; veluti Conſtantinus M. vt docet ſubſcriptio *legis* 1. *ſupr. de conſtit. Princip.* Conſtantius *l.* 6. *ſupr. de petit.* Valentinianus Sen. *huius l.* Auctor, teſte Ammiano *lib.* 30. *cap.* 5. in geſtis anni 375. (qui vltimus fuit Valentiniani.) Ibi propoſita hæc eiusdem *lex*, quæ data ad Probum PP. Illyrici (in quo Pannonia fuit,) Italiæ, Africæ. *ID.*

COMMENTARIVS.

DE TRINA ſolutione annonarum & EPIMETRO ſpecierum annonariarum, eſt hæc Valentiniani Sen. conſtitutio: De priore dictum ad *l. 15.* (quæ eidem *Probo* PP. inſcribitur) 16. *ſup. de annona & tributis: & leg. 11. ſupr. de exactionib. & l. 3. ſupr. de conlat. fund. patrimon.* quæ omnes, excepta *l. 16.* ſunt eiuſdem Valentiniani Sen. quem ſane huius inſtituti auctorem fuiſſe, oſtendi ad *d. l. 15.* De poſteriore iam dictum ad *l. 3. 14. ſupr.* Addatur & *lex 21. infr.*

Fructuum tantum diſtinctio notanda, quæ & ipſa fit *l. 1. ſupr. de vſuris;* vbi dixi: & *d. l. 21. infr. l. vlt. D. de iure fiſci:* & *Nouell. Iuſtin. 32 cap. 1.* Et Epimetri, pro diuerſitate eorum, diuerſus modus: nempe largiora pro larido; nam & id collatum a poſſeſſoribus ad militarem ſcil. annonam (de quo *ſupr. tit. de erog. mil. ann.*) & pro vino, quam pro aridis fructibus. Minor nempe in his diminutio, quam in illis.

XVI. (a) Idem AAA. ad Chilonem. (b)

FRVMENTA quæ horreis (c) inferuntur, pro inlationis modo, ilico apocharum cautionibus annotentur. Non autem oportet in horreis fiſcalibus niſi fiſcalia frumenta conſtitui. Dat. V. Id. April. Treu. Poſt conſulatum Gratiani A. III. & Equiti V. C. [375.]

NOTAE.

(a) *L. 6. Cod. Iuſt. eod. tit.* cuius Inſcriptio ex hac lege emendanda. *GOTHOFR.*

(b) Dicitur hic Chilo *Vicarius Africæ* Anno ſuperiore 374. in inſcriptione *legis 4. infr. de excuſ. Artificum:* at hoc Anno 375. *Proconſul Africæ*, in Inſcriptione *legis 7. infr. de prædiis nauicular. ID.*

(c) Fiſcalibus, vt mox *infr. ID.*

COMMENTARIVS.

DE FRVMENTI ſuſceptione, & in *Horrea* inlatione (quorum horreorum peculiares PRÆPOSITI fuere, de quibus eſt *lex 5. 8. ſupr. lex 24. infr. lex 49. ſupr. de Decurion. lex 1. ſupr. de erogat. mil. ann.*) duo iniungit *h. l.* Valentinianus Sen. & quidem per Africam.

Primo, vt ilico APOCHAS iis, qui horreis frumenta fiſcalia inferunt, quemcunque tandem modum inferant, tradant Suſceptores, apochiſque modum illationis adnotent. Quod a Valentiniano ideo conſtitutum, ne alioquin idem ab eodem bis exigeretur, quod vtique fieret facile, ſi non illico apochæ darentur, præſertim, ſi forte Præpoſitus horrei mutaretur, inter moras, nondum illato toto canone horreis fiſcalibus.

Et hoc quidem primum eſt, quod *hac l.* a Valentiniano Sen. conſtituitur, pro ſecuritate collatorum: ſimiliter vt a Theodoſio M. *l. 18. infr.* & *l. 19. ſupr. de Annon. & tribut.* a Theodoſio Iuniore *l. 173. ſupr. de Decurion.* a Valentiniano Tertio *l. 32. infr. hoc tit.*

Alterum vero, quod *hac l.* iniungit, eſt pro ſecuritate & vtilitate fiſci: pute, vt Horreis fiſcalibus non niſi fiſcalia frumenta inferantur: ne alioquin obtentu ſcil. priuati frumenti, fraudes fierent, fiſcali ibidem recondito.

Haud abſimili ratione ſuperimponi aliquid a priuatis, naui ſpeciebus fiſcalibus onuſtæ, vetitum *l. vn. infr. ne quid oneri publico:* Itemque prohibitum vehiculis, quibus aurum cæteræque ſpecies largitionales deferuntur aliquid inponere, *l. 47. ſup. de curſ. publ.*

De *Horreis* alioquin in quibus annona publica recondebatur, dixi ad *tit. de condit. in publ. horreis:* & *Paratitlo de operib. publ.* Hæc ſane *lex* eſt de *Horreis* Africæ. De quibus eſt & Ammiani Marcelini locus *lib. 28. cap. 1. cum Africam Proconſule regeret, Carthaginienſibus victus inopia iam laſſatis, ex* HORREIS *populo Romano deſtinatis frumentum dedit.* In Itinerario quoque *Peutingeriano* in Africa locus notatur *ad Horrea*, pictura horrei reddita. P. 552.

XVII. (a) Imppp. Gratianus, VALENTINIANVS, & THEOD. AAA. Habe Hypati K. NB. (b)

VNVS (c) poſthac in vna Diœceſi (d) auri vel argenti Suſceptor ne ſit: Nec diu penes ipſos Suſceptores maneat facta conlatio, ſed ſtatim quodcumque a prouincialibus fuerit exſolutum, ſacris theſauris inferatur. Dat. III. Kal. Mai. Conſtantinop. (e) Poſt Conſ. Antoni & Syagri. [383.]

NOTAE.

(a) *Lex 7. Cod. Iuſt. eod. tit.* hinc deſumpta, priore ſententia omiſſa. *GOTHOFR.*

(b) *Hypatios* duos hoc tempore, imo hoc ipſo Anno reperio. Vnum, qui Geminam Præfecturam geſſit, teſte Ammiano *lib. 29. cap. 2.* puta ann. 379. Præfecturam vrbis, vt docet *lex 26. ſupr. quorum appellat.* & Præfecturam Prætorianam, vt aliæ complures oſtendunt An. 381. & hoc Anno 383. Et quidem Italiæ, vt docet ſubſcriptio *legis 13.*

ſup.

ſup. de extraord. l. 99. & 100. *ſupr. de Decurion.* & aliæ plures. Alterum Hypatium PF. Auguſtalem: cui inſcribitur hoc Anno *lex* 27. *ſupr. quorum appell.* De quo *hanc l.* accipiendam apparet ex ſubſcripto Conſtantinopoleos nomine in ſubſcriptione. *ID.*

(c) Prima hæc ſententia reciſa a Triboniano. *ID.*

(d) Diœceſis. *ID.*

(e) Vocem hanc *ſupr.* tueor. *ID.*

COMMENTARIVS.

THEODOSII M. ſeptem ordine conſtitutiones ſequuntur puta *lex* 17. 18. 19. 20. 21. 22. 23. quibus omnibus partim Suſceptorum fraudibus occurrit: partim vero illationis tributorum facilitati conſulit. Hæc ſane *lex* eſt nominatim de auri & argenti Suſceptoribus: qua duplex modus his adhibetur, tum pro prouincialium commodo, tum pro fiſci vtilitate.

Priore ſcil. parte *huius l.* quam Tribonianus a *Codice ſuo* recidit, PLVRES in vna Diœceſi Suſceptores auri vel argenti eſſe iubet, cum antea vnus tantum eſſet in vrbe totius Diœceſeos metropolitana, quo aurum perlatum a collatoribus, vt colligitur ex *l.* 2. *ſupr.* & vero inferri deinceps per Africam Karthagine poſtea quoque voluit Honorius Imp. *l.* 32. *ſupr. de Annona & tributis.* & Valentinianus Iun. *l.* 34. *eod. tit.* Verum pro facilitate ſolutionis, & ne longinquis itineribus diſtraherentur miſeri poſſeſſores ſeu collatores, plures iam Suſceptores auri vel argenti Theodoſius M. eſſe voluit. Et ſane ex *l.* 30. *infr.* duo Suſceptores auri per ſingulas prouincias poſtea fuere: cuiusmodi plures prouinciæ in vna diœceſi fuere: eſt enim Diœceſis plurium prouinciarum σύστημα, ἡ πολλὰς ἐπαρχίας ἔχουσα ἐν ἑαυτῇ, de quo alibi ſæpe.

Secundo capite *huius l.* Theodoſius M. Aurum ſtatim vt ſuſceptum a Suſceptoribus theſauris inferri iubet, non vero diu penes eos manere: Quod ipſum hoc ipſo anno rurſum cautum *l.* 1. *C. Iuſt. de canone Largit. tit.* Idemque cautum de auri publici proſecutoribus, *l. vn. inf. de auri publici proſecutorib.* & Naviculariis, *l.* 33. *ſupr. de Nauicul.* quæ duæ poſtremæ *leges* inter ſe coniungendæ ſunt.

XVIII. (a) Idem AAA. Flauiano (b) Proc. Aſiæ.

QVISQVIS poſthac, quem Exactionis vel Suſceptionis prouincia manet, non ſpecialiter & *Quid, & in qua ſpecie, & ex quibus titulis,* (c) & *pro qua Indictione* videatur (d) accepiſſe, reſcribſerit, (e) quadrupli eius rei quam debitor dediſſe ſe dicit, (f) inlatione multetur: Officium quoque, niſi (g) ad fraudes, ſi forte deinceps iteratæ fuerint, detegendas tale commiſſum & inquiſitione ſubiaceat. Dat. VI. Id. Maii, Conſt. Merobaude II. & Saturnino Coss. [383.]

NOTAE.

(a) Abeſt *hæc lex* a *Cod. Iuſt.* Hanc *leg.* ſuam indicat Theodoſius *l.* 19. *ſupr. de annona & trib.* GOTHOFR.

(b) Ad hunc Flauianum PC. Aſiæ pertinere videtur quod Symmachus ſcribit *lib.* 2. *ep.* 24. Propempticum quoque ad hunc Flauianum Proconſulem, & [illegible] Himerii Sophiſtæ memorat Photius *in Biblioth. n.* 165. *p.* 354. *Ed. Schotti.* Tandem & Libanius eius meminit Oratione inedita κατὰ Ἰκαρίου, vbi etiam ſcribit eum ideo magiſtratu a Theodoſio M. depoſitum, quod contra *legem* ſuam, Decuriones verberib. affeciſſet, & cum de pœna eius deliberaret Theodoſius, eum conſcenſo nauigio aufugiſſe. Item altera inedica ὑπὲρ τῶν ἱερῶν, eius meminit. *ID.*

(c) Cauſa, *l.* 173. *ſupr. de Decur.* *ID.*

(d) Id eſt, acceperit. *ID.*

(e) In apochis. *ID.*

(f) ſc. *docet* ſeu probat. *ID.*

P. 331. (g) Locus hic corruptiſſimus eſt; quem ita reſtituo: *Et Officium quoque, ſi ad fraudes, ſi forte deinceps iterata fuerint, detegendas ob tale commiſſum &* (id eſt, etiam) *inquiſitioni ſubiaceat. ID.* Certe hic Maruillius incurioſius inſpexit Schedas Noſtri, ridicula enim hæc eſt reſtitutio. Quid verba velint, facile quis aſſequi poteſt, ſed a Quæſtore in ipſa Conſtitutione quo ſcripta ſint ordine, diuinare hic difficile. Forte legendum, *officium quoque, ſegne ad fraudes (ſi forte deinceps iterata fuerint,) detegendas, ob tale commiſſum inquiſitioni ſubiaceat.* RITTER.

COMMENTARIVS.

DE APOCHIS ab exactoribus vel Suſceptoribus faciendis, eſt hæc Theodoſii M. conſtitutio: de neceſſitate inquam, & forma earum faciendarum: pariter vt Valentiniani Sen. *lex* 16. *ſupr.* & altera Theodoſii M. (qua *hanc* indicat) puta *lex* 19. *ſupr. de annona & tribut.* & Quarta Theodoſii Iun. *lex* 173. *ſupr. de Decur.* Quinta Valentiniani Tertii *l.* 32. *infr. h. t.* Scilicet & Apochas ideo tributa inferentibus ab Exactoribus vel Suſceptoribus dari voluerunt Principes, & vero iubet *h. l.* Theodoſius M. & *d. l.* 19. & ſpeciatim Apochis illis inſeri, Quid, in qua ſpecie, ex qua cauſa, pro qua indictione ſolutum fuerit. Et quidem ea de cauſa ne debitor deuotus iterum exigatur, contra vt debitor

tor de ſolutione a ſe facta docere poſſit: & vt dicitur *d. l. 173.* vt *deſcriptus* (id eſt, contributioni ſeu collationi ſubditus) *documentis euidentibus fulciatur.* Ergo id ita conſtitutum, pro ſecuritate collatorum, aduerſus ſuperexactorum fraudes, denuo ſoluta poſcentium. Ad quem finem collineat quoque id, quod ab Honorio cauetur *l. 27. inf.* ne ſi qui apochas ſcripſerunt fraude ſuſceptorum intra indictionem mutentur.

Pœnam autem quadrupli minitatur *hac l* Theodoſius exactori vel Suſceptori, Apochas huiuſmodi non conficienti: Quinimo & officialibus Rectoris prouinciæ, ſi fraudibus his detegendis inquiſitionem ſuam non adhibuerint.

XIX. (a) Idem AAA. Poſtumiano PF. P. (b)

IN ſingulis ſtationibus (c) & menſuræ & pondera publice conlocentur, vt fraudare cupientibus fraudandi adimant poteſtatem. Dat. V. Non. Octobr. Merobaude II. & Saturnino CONS. [383.]

NOTAE.

(a) Abeſt hæc *lex* a *Cod. Iuſt.* Concordat ei *lex* 21. *infr. GOTHOFR.*

(b) Orientis. *ID.*

(c) Id eſt, locis vbi tributa ſoluuntur, *Bureaux de Receptes.* Siue in ciuitatibus, ſiue in manſionibus, *dict. leg.* 21. *infra. ID.*

COMMENTARIVS.

CIRCA MENSVRAS & PONDERA (quæ Suſceptoribus in vſu, de quibus eſt quoque Sidonii locus *lib. 5. ep. 7.*) Suſceptorum fraudibus occurrit *h. l.* Theodoſius M. vt & *l. 21. inf.* Itemque Honorius Imp. *l. vlt. ſupr. de ſuperex.* vnde interpolata eſt *l. 9. ſeu pen. Cod. Iuſt. de defenſ. ciu.* & Valentinianus Tertius *l. 32. infr.* (qui idem alio fine ponderum exagium acturum ſe profitetur *Nouella ſua, inter Theodoſianas, 25. in fin.*) & Maiorianus *Nouella 1. cap. Illis quoque fraudibus.* Ergo Theodoſius M. & *hac l.* & *d. l. 21.* vt fraudare cupientibus, fraudandi adimat poteſtatem, iubet Menſuras & pondera publice conlocari in ſingulis ſtationibus, *h. l.* id eſt, in ſingulis locis, vbi tributa ſuſcipientur, in ciuitatibus & manſionibus, vt ait *d. l. 21.* Id enim ſunt *ſtationes*, quod nos vocamus *Bureaux de Receptes:* quomodo & *ſtatio fiſcalis* dicitur *l 1. Cod. Iuſt. de compenſationib.* In vniuerſum ſane & iam olim, vt fraudibus occurreretur negotiatorum, non Ædilium modo muneris fuit menſuras exigere: quod docet Perſius *Satyra 1. in fin. lex 13. §. 8. D. locati: lex 12. D. de per. & com. rei vend.* vid. & Plautum *in Rudente, Actu 2. ſcen. 3. v. 43.* ſed etiam Romæ publicæ menſuræ & pondera in Capitolio ſeruata, ad quorum modum priuatorum menſuræ, ſi quando controuerſia eſſet exigerentur (quemadmodum & hodie mos eſt; Modum hunc vocamus *L'eſtallon*, & menſuræ examen, *Eſtaloner, Eſtalage*) Hinc inſcriptio illa veteris menſuræ, ſeu congii ænei apud *Gruterum CCXXIII. 3.* IMP. CAESARE. VESPAS. VI. COS. T. CAES. AVG. F. IIII. MENSVRAE. EXACTAE. IN. CAPITOLIO. Hinc adeo *amphora Capitolina* apud Capitolinum *Maximinis c. 4. init.* Fanniusquoque *in Carmine de pond. & menſuris*, vt obſeruat Caſaubon. *ad loc. cit. Capitolin.*

Amphora fit cubus, quam ne violare liceret
Sacrauere Ioui Tarpeio in monte Quiritee.

verum poſtea ſub Valentiniano Sen. circa Ann. Dom. 367. Prætextatus P. V. per vniuerſas vrbis regiones pondera inſtituit: teſte Ammiano Marcel. *lib. 27. cap. 9.* cum auiditati multorum ex libidine trutinas componentium occurri nequiret: Quo etiam aliquatenus pertinet *lex 4 infr. de ſuariis.*

Examinandorum ſeu Exigendorum ſane ponderum & menſurarum curam Imperatores ad ſe ſæpe reuocauere: teſtis ſuperior illa *Inſcriptio:* & *Nouella 25. in fin.* Valentiniani, *inter Theodoſianas*, vbi *Exagia ponderum* a ſe agenda prædicit: *Exagium*, ab exigendo, ſeu examinando, quomodo in veteri illa *Inſcriptione*, MENSVRÆ EXACTÆ dicuntur: Teſtis & *Nouella* Maioriani 1. *verſ illis quoque fraudibus:* qua Maiorianus iubet a Præfecto Prætorio ad ſingulas non tantum prouincias, ſed etiam ciuitates *pondera examinata* mitti, quibus tum Exactores, tum Negotiatores vtantur: ac nominatim Exactores, qui tum vetuſtis caliginibus abutentes, *Fauſtinæ* aliorumque nomine in pondera varia ſubiiciebant, neſcientibus tributariis, ad eorum modum exigebant. Eodem pertinet, & Theodorici R. apud Caſſiodorum V. *Var. 39.* diſpoſitio, aduerſus Exactorum aſſis publici, ſeu tributorum, fraudes, ponderum trutinæque grauitate poſſeſſores prementium: *vt totius*, inquit, *fraudis abrogetur occaſio, ad Libram cubiculi noſtri, quæ vobis in præſenti data eſt, vniuerſas functiones publicas iubemus inſerri.* Eſt & eiuſdem Caſſidori PP. locus *ep. 16 XI. Variar. ad Ligures.* *Hinc eſt, quod in ponderibus atque menſuris vos ſuggeritis ingrauator: & ideo noſtra cura prouidebit, vt nullius vos vlterius ex ea parte vexare poſſit iniquitas. Quia graue ſcelus eſſe iudicamus, aut men-* P. 552.
ſuras modum excedere, aut libram æquiſſimi ponderis iuſtitiam non habere. Milites etiam ſedis noſtræ, nec non Exactores atque Suſceptores, a quibus grauia vobis inferri diſpendia ſuſpiraſtis, præceptis noſtris ſecimus conueniri. Aſſeruatæ deinceps menſuræ & Pondera, in Vrbe Roma a Papa, vel Senatu; teſtis Iuſtiniani *Pragmatica ſanctio*, cuius initium, *pro petitione Vigilii, cap. 19.* Imo & in Eccleſiis eodem fine aſſeruata, teſtis Iuſtiniani *Nouella 128. c. 15.* Neque tantum pondera & menſuræ publice poſita, ne Tributariis ab Exactoribus ex ponderum iniquitate diſpendium inferretur; verum

rum etiam Rectorum prouinciæ & officialium curæ ea res delegata, vti viderent ne id fieret, *d. l. 32. infr.* itemque Defenſorum, *d. l. vlt. ſupr. de ſuper-exact.* qui cæteroquin in id conſtituti erant, vt plebem & poſſeſſores ab omni iniuriarum genere vindicarent: de quo ad eam *leg. 32. infr.*

XX. (a) Idem AAA. Cynegio PF. P. (b)

EXACTORES, (c) vel Suſceptores in celeberrimo cœtu Curiæ, conſenſu (d) & iudicio omnium, ſub actorum teſtificatione firmentur: Prouinciarumque Rectores (e) eorum nomina qui ad publici munus officii dediti (f) adque obligati fuerint, innoteſcant: Et animaduertant quicumque nominauerint, ad diſcrimen ſuum vniuerſa, quæ illi geſſerint redundare. (g) Dat. VI. Kalend. Nouembr. Conſtantinop. Honorio NB. P. & Euodio Coss. [386.]

INTERPRETATIO. *Exactores & Suſceptores publicæ functionis non ſecretim, ſed publice præſentibus aliis Curialibus vel populo, neceſſitates agendas expediendasque ſuſcipiant: & qui nominati vel electi fuerint, Iudicibus innoteſcant: ſcituris hiis qui de electione talium fuerint apud acta profeſſi, quod ſi quid euerterint, ad eorum a quibus electi ſunt, diſpendium pertinebit.*

NOTAE.

(a) *Lex 8. Cod. Iuſt. eod. tit.* GOTHOFR.

(b) Orientis. Eidem inſcribuntur & duæ aliæ *leges* hoc ipſo *titulo* puta *lex* 21. & 23. De eo v. *Proſopogr.* ID.

(c) *Suſceptores & arcarii*, Sichard. RITTER.

(d) *Et conſeſſu & iudicio*, Sichard. ID.

(e) *yp. Rectoribus*, vt Interpr. *Iudicibus*. GOTHOFR. *Rectoribus* edidit Sichard. *prouinciarum quoque rectoribus* legit, MS. G. RITTER.

(f) *Editi*, Cod. Iuſt. prior. Cuiac. & Edit. in 4. Sichard. & MS. G. male. GOTHOFR.

(g) Id eſt, redundatura. ID.

COMMENTARIVS.

DE CREATIONE Exactorum vel Suſceptorum eſt hæc Theodoſii M. conſtitutio, qua modus ei triplex imponitur, quo vtilitatibus publicis conſultum eſſe poſſit: vbi præſupponitur ante omnia, *Creari* eos a Curia oportuiſſe: quod etiam docet *lex 9 ſupr.* vbi dixi: (quod tamen ius variauit, vt oſtendit *lex 4. ſupr. h. tit.* & *lex vlt. ſupr. de iur. fiſci*:) Hoc præſuppoſito creari eos iubet, *non ſecretim*, quod addit Interpres, ſed publice in cœtu celeberrimo ſeu frequentiſſimo Curiæ, conſenſu & iudicio omnium, actis ſuper eo confectis.

Secundo, nomina eorum Rectori prouinciæ inſinuari, vt ita actibus eorum inuigilare poſſit: Tandem, Nominatores, Curiam ſcil., pro iis teneri: quod tralatitii iuris eſt, vt docet *lex 1. 4. 8. ſup.* & *l. 29. infr. h. t.*

XXI. (a) Imppp. Valentinianus, THEODOS. & Arcad. AAA. Cynegio PF. P. (b)

MODIOS æneos, ſeu (c) lapideos, cum ſextariis adque ponderibus, per Manſiones (d) ſingulas, quasque (e) ciuitates, iuſſimus conlocari, vt vnusquisque tributariis (f) ſub oculis conſtitutis rerum omnium modi (g) ſciat quid debeat Suſceptoribus dare: ita vt ſi quis Suſceptorum, conditorum (h) modiorum ſextariorumque vel ponderum normam putauerit excedendam, pœnam ſe ſciat conpetentem eſſe ſubiturum. Et ſubmotis, quæ contra vtilitatem populorum omnium hactenus geſta ſunt, frumenti quinquagenſimas, hordei quadragenſimas, vini & laridi vicenſimas Suſceptoribus dari præcipimus. Humanitatis autem neceſſitate commoniti (i) Suſceptoribus (k) in Armeniæ ſuſceptionibus, longinquitatis cauſa, frumenti & hordei quadragenſimas, vini & laridi quintasdecimas dari præcipimus. Dat. III. Kal. Decembr. Conſtp. Honor, NB. P. & Euodio V. C. Coss, [386.]

NOTAE.

(a) *L. 9. Cod. Iuſt. eod. tit.* Forte iungenda huic, *lex 1. ſupr. de præd. & mancip. Curial.* GOTHOFR.

(b) *Orientis*, vt vel *hæc lex* docet, cum *Armeniæ* meminit: Eidem *Cynegio PP.* inſcribitur *lex* 20. *prox. ſup.* & *l.* 23. *infr.* De eo plene in *Proſopgr.* ID.

(c) *Vel*, Cod. Iuſt. ID.

P. 559. (d) De *Manſionib.* dixi ad *l. 9. de annon. & tribut.* ID.

(e) *Manſiones, ſingulaſque ciuitates*, ita C. Iuſt. malim hic *per manſiones & ſingulas &c. ID.*

(f) *γρ. Tributarius*, vt *C. Iuſt. ID.*

(g) *γρ. Modis*, vt *C. Iuſt. ID.*

(h) *Conditorum* id eſt, publice conlatorum. *ID.*

(i) *Commoti*, C. Iuſt. *ID.*

(k) *Commoti, in Armeniæ partibus ſuſceptoribus*, ita Cod. I. *ID.*

COMMENTARIVS.

DVABVS Suſceptorum FRAVDIBVS & ſuperexactionibus, circa MENSVRAS & pondera & circa EPIMETRI enormitatem occurrit *hac l.* Theodoſius M. A. D. 376. vbi initio notandæ quatuor tributorum ſpecies, quæ a populis ſeu tributariis fiſco præſtabantur, puta frumentum, hordeum, vinum, laridum, de quo *ſuo tit. de annona & tribut.* Aduerſus priorem fraudis & ſuperactionis ſpeciem illud ipſum rurſus conſtituit, quod & iam conſtituerat *l. 19. ſup.* (ad quam *leg.* vide quæ dixi) ad Poſtumianum Cynegii, cui hæc *lex* inſcribitur, in Præfectura Pretoriana Orientis deceſſorem ante triennium An. 383. puta, vt Menſuræ & pondera publico loco conlocentur per ſingulas ciuitates & manſiones; In his ſcil. duobus locis annona & tributa ſoluebantur: hæque duæ *ſtationes* erant, vt vocantur *d. l. 19. (Bureaux)* Nam & *Manſiones* annonis inſtrui oportuit, in iiſque annonariæ ſpecies aſſeruandæ condebantur, vt docet *lex 9. ſup. de annona & tributis*: &, *lex 4 ſup. de off. Rectoris prouinciæ*, quibus locis iam dixi.

Rationem porro huius inſtituti ſui, vt Theodoſius M. reddidit *d. l. 19.* ita & *hac l.* adhuc apertius: Atque ita de primo capite, de quo iam plura ad *d. l. 19. ſup.* De duobus tantum hac parte videndum.

Primo, Menſuræ, quarum *hac l.* mentio fit, obſeruandæ: puta *Modii*, & *Sextarii*: & Modii quidem vel ænei, vel lapidei. De Modio & Sextario locus Voluſii Mæciani *de ponderibus & menſuris in fin.* hic ſufficiat nunc. *Menſurarum liquoris atque grani expeditior, & forma & appellatio eſt. Nam* QVADRANTAL, *quod nunc plerique* AMPHORAM *vocant, habet* VRNAS *duas*, MODIOS *tres*, SEMODIOS *ſex*, CONGIOS *octo*, SEXTARIOS *quadraginta octo.* Et mox: *Notæ menſurarum; Quadrantal Q. Modius M. Sextarius ad vinum) ad granum St.* De Modiorum & Sextariorum modo, quem inquam modum continuerint, non eſt hic dicendi locus.

Secundo, notanda *pœna*, quam Suſceptoribus *hac l.* minatur Imp. de quo ad *ad l. vlt. ſup. de ſuperexactionib.* vbi & de Defenſorum inſpectione hac in re.

Secundo *huius l.* capite Theodoſius M. EPIMETRI modum, quod a Suſceptoribus nimium exigebatur, præſtituit: de quo epimetro ſunt præterea quatuor *hoc C.* conſtitutiones: Conſtantii *lex 3. ſup.* Valentis *lex 14. ſup.* quæ repetita *l. 11. ſup. de iure fiſci*: Valentiniani Sen. *lex 15. ſup.* & *l. 4. inf. de Suariis*: Ex Conſtantii ſcil. *leg. 3 ſup.* Centeſimam ſuſceptoribus annonæ ſeu frumenti, denique aridorum fructuum præſtitutam diſcimus: vt & ex Valentis Imp. *d. l. 14.* ſeu *l. 11.* & Valentiniani *d. l. 15. ſup.* Quam conſuetudinem vocat *d. l. 15.* At laridi, & vini Viceſimam, *d. l. 15.* Atenim hactenus non ſtetit alicubi ſuſceptorum cupiditas, cui etiam velificati in tantum, cum in totum reprimere non poſſent Imperatores; & quidem pro longinquitate itineris. Itaque Theodoſius M. firmata vini & laridi Viceſima, *hac leg.* frumenti quinquageſimam, hordei quadrageſimam ſuſceptoribus per Præfecturam Orientis, vnde annona Conſtantinopolim ſubuehebatur, dari vult. At cur maius Epimetrum hordei, quam frumenti? Proculdubio, quia plus intertrimenti in hordeo eſt, quam in frumento. Et hæc quidem regulariter: At in *Armenia* maius adhuc Epimetrum indulget, ex humanitate, propter longinquitatem videlicet itineris: quia hæc remotiſſima & vltima Imperii Romani Perſiſque vicina prouincia erat, vnde annona pariter Conſtantinopolim ſubuehenda erat longinquo admodum itinere. Igitur Suſceptoribus in Armenia vt hordei, ita & frumenti quadrageſimas dari vult: & ſic æquo iure iam habet frumentum & hordeum, (Cur tam varie?) vini vero, & laridi, quintasdecimas.

XXII. (a) Idem AAA. ad Paulinum (b) PF. Aug.

NON perpetui Exactores (c) in continuata vexandorum prouincialium poteſtate, veluti concuſſionum dominatione, teneantur, ſed per annos ſingulos Iudiciaria (d) ſedulitate mutentur: niſi aut conſuetudo ciuitatis, aut raritas Ordinis (e) eos per biennium eſſe compellat. Quod (f) niſi factum fuerit, ſcias te, & Officium tuum, non minus multa, (g) quam graui pœna eſſe compellendum. Dat. prid. Kalend. Decemb. Conſtantinop. Honor. NB. P. & Euodio V. C. Coss. [386]

INTERPRETATIO. *Lex iſta hoc iubet, non debere Exactores, qui vno anno exegerint, ſecundi anni exactionem ſuſcipere, & poſſeſſores ſuperflua* (h) *exactione vexare. Sed hoc obſeruari debere, vt annis ſingulis iudiciaria electione mutentur, niſi forte aut conſuetudo ciuitatis, aut raritas Curialium per biennium eos Exactores eſſe compellat; aliter enim ſi factum fuerit, & Iudicem & Officium ſuum multa pariter & grauis pœna conſtringat.*

NOTAE.

NOTAE.

(a) *Lex 4. Cod. Iuſt. eod. tit.* ex *L. 11. ſup.* & ex *hac lege* conflata eſt. *GOTHOFR.*

(b) Eidem *Paulino* Præf. Auguſtali inſcribitur Anno ſuperiore *lex 10. ſup. de fide teſtium*: vid. *Proſopogr. ID.*

(c) Id eſt Suſceptores: nam alias nihil *hac lex* faceret ad *hunc titulum. ID.*

p. 554. (d) Rectoris prouinciæ cura. *ID.*

(e) Hinc apparet, Exactores ſeu Suſceptores ex Curialibus creatos. *ID.*

(f) Sequentia reſecata a Tribon. in *d. l. 4. ID.*

(g) Inuerſa hic loquendi ratio, vt alias ſæpe: vid. Cuiacium *III. Obſeruat. 3. in fin. ID.*

(h) *Superflua*, id eſt cum concuſſione *ID.*

COMMENTARIVS.

De Tempore Suſceptionis, quanto inquam tempore, Suſceptionis munere quis fungi poſſit, vt a Velentiniano Sen. *leg. 11. ſup.* ita & *hac leg.* (quæ quatuor partibus conſtat, puta Regula, Ratione, Exceptionibus, & Sanctione:) definitur a Theodoſio M. ex qua vtraque *lege* conflata eſt *lex 4. Cod. Iuſt. eod. tit.* Nempe Anno tantum, quod præter *hanc leg.* & *d. leg. 11.* docet quoque *lex 4. 7 10. ſup.* & *lex 24. inf.* & *l. 9. ſup de Executor. & exact.*

Duplici *Ratione*: quarum vna redditur *d. leg. 11.* altera elegantiſſima & politica *hac leg.* quam ad *d. leg. 11.* iam expendit quæque ſicuti alibi, ſane in Ægypto (ad quam *hac lex* pertinet) efficere debuit, vt Exactorum munus breuitate temporis conſtringeretur: vbi & Concuſſionibus munus publicum gerentium maxime, & prouincialium querelis locus fuit: de quo ad *leg. 2. ſup. de defenſor ciuit.*

Exceptionem tamen duplicem addit Theodoſius *hac l.* niſi aut Conſuetudo Ciuitatis, aut raritas Ordinis Suſceptores per biennium eſſe compellat. Ergo & conſuetudini ciuitatis peculiari hac parte cedit, & cedi vult Theodoſius M. Quod hic notandum; eum alias, & in aliis, conſuetudini ipſe non ceſſerit. Item Neceſſitati cedi vult, raritati videlicet Ordinis, & paucitati Curialium: quomodo & alias vtriusque ratio habetur, & habenda eſt.

XXIII. (a) Idem AAA. Cynegio PF. P. (b)

Svsceptores, præſentibus Defenſoribus, (c) & modum iugationis (d) poſſeſſorum, & ſpecies ſingulas, vel (e) earum numerum quantitatemque perſcribant. (f) Dat. IV. Kal. Decem Conſtantinop. Timaſio & Promoto Coss. [389.]

NOTAE.

(a) L. 10. *Cod. Iuſt. eod. tit. GOTHOFR.*

(b) *Cynegius* PP. Orientis: cui eidem inſcribuntur (ne de aliis dicam) hoc ipſo *tit.* duæ aliæ *ſup.* puta *lex 28. 31.* De eo plene in *Proſopogr. ID.* Cynegius hoc anno iam obierat: & mendum hæret in inſcriptione. Vid. *Chronol. RITTER.*

(c) De his, *ſuo tit ſup. lib. 1. GOTHOFR.*

(d) Id eſt tributi & annonæ. *ID.*

(e) *Vel*, pro, *&* vt vel *17. &. ID.*

(f) *Deſcribant*, C. Iuſt. vel *praſcribant. ID.*

COMMENTARIVS.

De Apocharvm, & vt Interpretes loquuntur *Apodixarum*, quæ a Suſceptoribus, tributa inferentibus dabantur, *forma*, eſt hæc Theodoſii M. conſtitutio: pariter vt *duæ* aliæ eiusdem, puta *lex 18. ſupr.* & *lex 19. ſup. de annona & tributis*, aliorumque principum Valentiniani Sen. *lex 16. ſup.* Theodoſii Iun. *lex 173. ſup. de Decurion.* Valentiniani Tertii *lex 32. inf.* De *Apocharum*, inquam forma eſt *hæc lex*: Non quod hactenus Interpretes ferme putarunt, & Pragmatici ſequuntur, de Polyptychorum confectione, quæ vtique a Suſceptoribus non fiebeat, quibus perſcribebatur modus illationis faciendæ; verum de Apocharum vt dixi forma, vt Gloſſa quoque recte notauit. Ergo eſt *hæc lex* de Apochis illationis factæ. De cuius forma duo ſtatuuntur. Primo *Defenſoribus præſentibus* eas conficiendas, tradendasque a Suſceptoribus. Scilicet vt cæteroquin Defenſores ciuitatum in id conſtituti erant, vt plebem & Decuriones ab omni improborum inſolentia & temeritate tuerentur: de quo plene *ſuo tit. ſup. de defenſor. ciuit.* ita ab eorum nominatim, qui publicum munus agitarent, & in his Exactorum & Suſceptorum improbitate: Suſceptorum inquam, quo ſpectat (præter hanc *leg.*) *lex 9. Cod. I. de defenſor ciuit. l. vlt. ſup. de ſuperexactionib. l. 19 ſup. de annon. & tribut.* Rurſum vt alii Principes Defenſorum ciuitatum officium ſubinde excitauere, eosque paſſim actibus hominum & quidem publicum munus gerentium, interuenire voluere, ita Theodoſius cum maxime voluit; de quo ſemel dixi ad *l. 2. ſup. de defenſor. ciuit.* Inde ſane *l.* eiuſ, vt Theodoſ. M. An. 384. Defenſores, minores poſſeſſores exigere voluerit *l. 12. ſup de exact.* Inde factum, vt idem Theodoſius M. An. 383 Defenſoribus præſentibus Aurum nominatim inferri voluerit, & Apochas tradi a Suſceptoribus *l. 19. ſup. de annona & tribut.* Imo inde factum, vt idem Theodoſius *hac l.* An. 389. cuiuslibet tributariæ ſolutionis Apochas defenſoribus præſentibus fieri tradique iubeat. Quomodo & inde factum, vt inuigilare iuſſi ſint ab Honorio, ne maioribus menſuris & ponderibus ſubiectis a Suſceptoribus graui damno poſſeſſores affi cerentur, *l. vlt. ſup. de ſuperexact.* Secundo, quidnam Apochis a ſuſceptore ſcribi oporteat, definit *hac l.* Theodoſius

doſius M. nempe Medium ingationis poſſeſſorum, id eſt modum tribntariæ funct onis & illatioois: id eoin eſt *Iugatio:* de quo vid. *Gloſſarium Theodoſ.* item in qua ſpecie tributum ſolutum fuerit, item quantitatem ſeu numerum: v. g. quot frumenti modios, quot vini amphoras &c. Quam & ipſam formam iam antea præſcripſerat Theodoſius *l. 18. ſupr. h.t.* & *leg. 19. ſup. de annona & tributis:* præſcripſerunt & Alii, de quibus ad eas *leges.*

P.533. XXIV. (a) Impp. Arcad. & HONOR. AA. ad Senatum & Populum. Poſt alia.

SVSCEPTORES canonis (b) horreorumque (c) Præpoſiti, ſingulis annis, audiente Viro Spectabili Vicario, (d) & præfecto Annonæ, (e) expenſionem ſuſceptarum ſpecierum probare cogantur: ita vt ſi qui eorum idonei probabuntur, quinquennio in huius officii ſtatione permaneant: & electi deinceps de Curiis memorato muneri ſubrogentur; & cætera. Dat. XII. (f) Kal. Maii, Med. Cæſario & Attico Coss. [397.]

NOTAE.

(a) Abeſt hæc *lex* a *Cod. Inſt.* Iungendæ autem huic *lex 3. inf. de Canone frum. V. R. lex 27. inf. de nauicul. lex 5. inf. de Naufragiis.* Et *lex 3. C. Inſt. quæ res venire.* Item *lex 6. 7. ſup. de Senatorib. lex 31. ſup. de Prætoribus.* GOTHOFR.

(b) Frumentarii vrbis Romæ, vt docet etiam *d. lex 3. inf. de canone frum. V. R. ID.*

(c) De Præpoſitis horreorum agitur etiam *leg. 5. 8. ſupr. ID.*

(d) Vicarium vrbis Romæ intelligit, quod docet *d. lex 5. infr. de Naufrag. ID.*

(e) Præfectum annonæ in vrbe Roma intelligit, *ID.*

(f) *al. XVII.* vt dictis *legibus, ID.*

COMMENTARIVS.

PROBATIA ſeu fidis ſuſceptoribus Canonis vrbis Romæ, & Præpoſitis horreorum habendis, tria *hac l.* conſtituit Hoorius Imp. quæ pars eſt prolixæ Orationis Honorianæ ad Senatum & populum Vrbis Romæ: Qua in vniuerſum tum voluptatibus populi Romani conſultum init: quo reſpiciunt ex ea oratione *lex 6. 7. ſup. de Senatorib.* & *lex 31. ſup. de Prætoribus:* tum Canoni frumentario V. R. quo pertinet *hac lex,* & *lex 3. inf. de canone frum. vrb. R. lex 27. inf. de Nauiculariis: lex 5. inf. de naufragiis:* & *lex 3. C. Iuſt. quæ res venire:* quæ *leges* omnes huic noſtræ coaſſandæ veniunt. Et quidem Canoni frumentario V. R. triplici ratione conſultum init ea oratione Honorius.

Primo, circa *ſolutionem* eius, aduerſus Immunitates quorundam, quo ſpectat *dict. lex 3. infr. de canone frum.*

Secundo, circa *Translationem* ſeu dilationem eius ad vrbem Romam, reparata ſc. claſſe Nauiculariorum, quo pertinet *d. l. 27. inf. de Nauicul.* & fraudibus eorum variis occurrendo: quo ſpectat *d. lex 5. inf. de Naufrag.* & *l. 3. C. Iuſt. quæ res venire.*

Tertio tandem circa *erogationem, & cuſtodiam* eius canonis, quo pertinet hæc *lex* noſtra: Tribus circa Suſceptores & Præpoſitos horreorum (in quibus canon ſeruabatur) conſtitutis.

Primo, *Rationem* eos reddere erogationis ſingulis annis iubet etiam Vicario Vrbis, & Præfecto Annonæ: (quomodo & apud eosdem a Nauiculariis, iacturæ vel naufragii caſum probari iubet, *d. l. 5. inf. de naufragiis,* quæ & ipſa inter alias coniungenda eſt.)

Secundo, *Quinquennio* in hoc officio eos permanere vult, vbi ſemel idonei probati fuerint rationibus redditis: Cum alias ſuſceptionis munus annuum fuerit: (quod docuit *lex 4. 7. 10. 11.* (vbi dixi plene) *22. ſup.* Imo & de Exactore ipſiusmet Honorii *lex 9. ſup. de executor. & exaction.*) Et vero idem Honorius hoc ipſum præſupponit *l. 27. inf.*

Poſtremo ex *Curialibus*, electos ſubrogari Suſceptores & Præpoſitos horreorum iubet: de quo iam multoties: Sane Præpoſitos horreorum ex Curialibus quandoque ſumptos, docet quoque *lex vlt. infra.*

XXV. (a) Idem AA. Firmino (b) Com. R. P.

PALATINVM (c) iubemus procurare Officium, vt nullus Præpoſituræ, (d) vel cuiuscumque Suſceptionis (e) ſubeat munus ante, quam iuxta Legem † diuæ memoriæ Gratiani, & ſuſceptorum ſubſtantiæ, & fideiuſſorum facultates diligenti deſcribtione collectæ (f) ad eiusdem officii notitiam perferantur: ceſſante Reſponſo (g) quod per ſubreptionem in Ærarii noſtri diſpendium elicitum eſt. Dat. XV. Kalend. April. Med. Theodoro V. C. Cons. [399.]

NOTAE.

NOTAE.

(a) Abeſt hæc *lex* a *Cod. Iuſt.* *GOTHOFR.*

(b) Eidem *Firmino Com. R. P.* inſcribitur Anno ſuperiore 398. *lex* 22. *ſup. de petitionib.* Et tamen eodem Anno inſcriptio *legis vlt. ſup. de domib. ad rem priu. pertin.* & *l. vlt. ſup. de conlat. fund. patrim.* & *lex* 1. *C. Iuſt. de collat. fund. fiſcal.* præferunt *Firmino Com. S. L. ID.*

(c) Palatinos Comitis R. P. de quibus *ſuo tit. lib.* 6. *ſup. ID.*

(d) Præpoſituræ horreorum, de qua *leg.* 8. *ſupr. ID.*

P. 356. (e) Auri ſpecierum. *ID.*

† *Legem* hanc Gratiani non reperio. *ID.*

(f) De hac voce dico *inf. ad leg.* 1. *de Paganis, ſacrif. & templis. ID.*

(g) Id eſt reſcripto: quod & ipſum non extat. *ID.*

COMMENTARIVS.

BONA ſeu facultates Suſceptorum, & fideiuſſorum eorum, *(des Cautions des Receveurs,)* antequam illi munus ſubeant, deſcribi a Palatinis iubet *hac l.* Honorius Imp. Vt ita ſcilicet fiſci indemnitati conſultum eſſe poſſit. Quod quidem a Gratiano iam antea conſtitutum, mox labefactatum reſcripto aliquo fuiſſe, indicat *hac l.* Cœterum, non alio fine id conſtitutum, quam ne Suſceptoribus bona in fraudem fiſci alienare liceret, quod antea licebat, rerum ſuarum commercio nullo modo eis interdicto, verum extraneis ad emptionem bonorum admiſſis: nominatoribus tantum vetitis ea per interpoſitas perſonas comparandi ex Valentis *leg.* 8. *ſup.*

XXVI. (a) Idem AA. Benigno (b) Vic. Vrb. Rom.

SECVRITATES (c) ſemel publicatas & geſtis lectas binis (d) Suſceptoribus inputari, & cœptam arcæ (e) diſcuſſionem (f) volumus in apertum quæſita ratione deduci, & omnes publicas ſecuritates quæ geſtis tenentur, a ſuſceptoribus ferri accepto. Dat. VI. Id. Iun. Med. Stilichone & Aureliano Coss. [400.]

NOTAE.

(a) *L.* 11. *Cod. Iuſt. eod. tit. GOTHOFR.*

(b) Eidem *Benigno* Vicario vrbis Romæ Inſcribitur Anno ſuperiore 399. *lex* 162. *ſup. de Decur.* & *lex vlt. quib equorum vſus.* Qui quidem antea Præſes Sardiniæ fuiſſe videtur, de quo Symmachus *lib.* 9. *ep.* 39 *ID.*

(c) *Securitates* hic, & mox ruſum, id eſt Apochas. vid. *ſup. Paratitl. ID.*

(d) *yp. Vini*, vt etiam habetur *C. Iuſt. d. l.* 11. *ID.*

(e) Vinariæ; de qua *l.* 3. *inf. de calcis coctoribus. ID.*

(f) *Mercedis diſcuſſionem*, Cod. I. *ID.*

COMMENTARIVS.

DE APOCHARVM e Suſceptoribus ſemel datarum firmitate, eſt hæc Honorii conſtitutio. Nempe, datas ſemel, atque inde ſemel publicatas Geſtiſque inſinuatas, lectaſque ſemper firmas permanere oportere: neque vllo obtentu poſſe collatorem, qui ſemel apocham ecepit, rurſum exigi. Quo pertinet eiuſdem Honorii *lex prox.* & Tertie Valentiniani Tertii, pute *lex* 185. *ſup. de Decurionib.* ſuperiores enim *leges* quæ de Apochis agunt *h. t.* ſunt vel de Apocharum dandarum neceſſitate, vel de conficiendarum forma: hæc vero *lex* & *prox.* eſt de earundem *firmitate*. Tot ſc. *legibus* Apocharum ſecuritate muniri collatores oportuit, aduerſus Suſceptorum fraudes: modo Apochas non illico dantium, modo non ea forma, qua oporteret, modo fidem earum poſtee in dubium reuocantium, easque retractantium. Quod poſtremum & Rectores prouinciarum quandoque facere ſoliti, *l.* 185. *ſup. de Decurionib.* vt & Diſcuſſores earum occaſione prædas maximas egebant *l.* 2. *ſup. de diſcuſſorib.*

Hæc inquam huiue Honorianæ conſtitutionis ſententia ſeu Theſis eſt: At hypotheſis ſeu ſpecies reſpicit nominatim *Vini* collationem, in vſus vrbis Romæ, cuius ſeparata ratio, titulus, ſuſceptio & Arca vinaria fuit: cuius *hac l.* mentio fit, & *l.* 3. *inf. de calcis coctoribus*: & *l.* 4. *inf. de ſuariis.* & apud Symmachum *lib.* 7. *ep.* 95. *lib.* 9. *ep.* 121. *lib.* 10. *ep.* 42. & 47. & in authoritate Aproniani apud Gruterum *in Inſcript. DCXLVII.* 7. Cuius etiam peculiaris Rationalis fuit Romæ, *Rationalis vinorum* dictus, vt docet *Imperii Notitia fol.* 118. De quo plene ad *d. l.* 3. *inf. de calcis coctoribus.*

Cæterum, ſæpe factum, vt Arcæ iſti vinariæ, ſeu ex *hoc titulo*, & collatione vini, multa in reliquis traherentur, id eſt, multe ei deberentur, nondum ſoluta: vnde factum, vt Imperatores ſubinde, *diſcuſſionem* huius *tituli*, ſeu horum Reliquorum exactionem iniungerent, *vellcutque*, vt *hac l.* dicitur, *arca diſcuſſionem in apertum quæſita ratione deduci*: Quod vt ab Honorio imp. factum & ante *hanc leg.* & *hac l.* ita & a ſuperioribus Principibus, Conſtantio, Valentiniano Sen. Gratiano, Valentiniano Iun. vt docet Symmachus *duab. epiſt.* in eodem ar-

gumento *lib. 9. ep. 121.* & *lib. 10. ep. 47.* quas cum *hac l.* componi valim. Cum igitur huiusmodi diſcuſſio fieret, & ſuſceptores eo nomine conuenirentur, priuatos collatores quaſi Reliquatores ſæpe indicabant, vt maxime apochis hi muniti eſſent, & ſic debita ſoluiſſe ſe monſtrarent. Verum *hac l.* has apochas Soſceptoribus imputari, ſeo ab iis accepto ferri oportere, definit Honorius: vt & cœptam Arcæ vinariæ diſcuſſionem ad exitum perduci.

P. 557.

XXVII. (a) Idem AA. Pompeiano (b) ſuo Salutem.

NE fraude Suſceptorum, dum ſubducunt eos, (c) qui Apochas ſcribſerunt, denuo ſoluta poſcantur, manifeſte ſancimus, vt periculo totius Corporis (d) intra ipſam Indictionem mutare eos non liceat, a quibus emiſſæ ſunt ſecuritates: (e) niſi falſitatis arguantur, & plurima inprobare non audeant. Item Tabulariis Quadrimenſtruos (f) breues publicari iubemus, vt ſi hisdem relatæ ſecuritates fideliter continent debitum, (g) duplex non teneat exactio. Si * autem aliquid a Suſceptore, vel Tabulario fraudis admiſſum, & (h) poſſeſſor deprehendat, nemo eorum ſemel in (i) interuerſione conuictus id rurſus officium gerat, in quo ante decoxit, etſi Reſcribtum noſtrum elicitum clandeſtina ſupplicatione detulerit. (k) Dat. prid. Kal. Ian. (l) Med. Stilichone & Aureliano Coss. [400.]

NOTAE.

(a) Prior & potior *huius l.* pars abeſt a *Cod. Iuſt.* Iungenda autem ei *lex 28. ſupr. de annona & tributis: lex 3. ſupr. de concuſſ. Aduoc.* Imo & *lex 2. ſupr. ad leg. Iul. de Ambitu: lex 166. ſupr. de Decurion. l. 18. infr. de luſtrali collat. lex 60. ſupr. de appellat.* GOTHOFR.

(b) Proconſulari Africæ: vt habent *dictæ leges:* imo & *lex prox. 28. infr.* ID.

(c) Annotatores. *ID.*

(d) Curiæ. *ID.*

(e) Id eſt, Apochæ. *ID.*

(f) De *Quadrimenſtruis Breuib.* eſt *ſupr. titulus 25. lib. 11.* ID.

(g) *Debitum*, id eſt, tributum propria voce, v. *Gloſſ.* ſolutum ſcil. *ID.*

* *L. 12. C. Iuſt. eod. tit.* hinc deſumpta eſt, reſecata priore *huius l.* parte. *ID.*

(h) *Eſſe:* ita C. Iuſt. *ID.*

(i) *De interuerſione* Cod. I. *ID.*

(k) *Intulerit*, Cod. I. *ID.*

(l) Ita quoque *d. l. 3. ſupr. de concuſſ. Aduoc. l. 28. ſupr. de annona & trib.* At *dict. leg. 2. de ambitu*, editum *Prid. Kalend. Iun.* Tandem *Kal. Iun.* in *l. 60. de appell.* Prid. Kal. Iul. *d. l. 18. de luſtrali collat.* & *d. l. 166. de Decur.* ID.

COMMENTARIVS.

DE APOCHARVM firmitate eſt hæc Honorii Imper. conſtitutio, pariter vt eiosdem *lex ſuper. 26.* & Valentiniani III. *lex 185. ſupr. de Decur.* in eandem ſententiam fundata poſſeſſorum ſeu collatorum, qui ſemel collationis factæ apochas acceperunt ſecuritate, aduerſus Soſceptorum & Tabulariorum fraodes. Quæ quidam *lex* pars eſt prolixæ Conſtitutionis Honorianæ ad Pompeianum PC. Africæ, emiſſæ ad Africanorum qoerelam & lagationem, Meciliaoo Legato in id ad Honorium miſſo, vt oſtendit *l. 166. ſupr. de Decur.* quæ indidem deſumpta, hoic inter alias plures coniungenda eſt. Inter cœteras autem qoerelas, aliquammultæ rem *Tributariam* reſpexere, qua miſeri & tenuiores quidem Africani varils rationibus atterebantur, concutiebantor: partim Potentiorum immuoitate, quo pertinet *lex 28. ſupr. de annona & tribut. lex 18 infr. de luſtrali collat.* partim Compulſorum deprædationibus, quo ſpectat *lex 3. ſupr. de concuſſ. Aduoc. &c.* Tandem & Suſceptorum Tabulariorumque fraudibus, qoo pertinet etiam *lex 2. ſupr. ad leg. Iul. de ambitu:* & de qoo eſt *hac lex*, cui *leges* illæ ſuperiores omnes, ceu ex eadem conſtitutione deſumptæ, eum aliis, quas ip *in Notis* indicaui pluribus, coniungendæ veniunt, & vero argumento vel fine ſaltem pariant. Ergo Suſceptorum & Tabulariorum fraodibus, concuſſionibus, occurrit Honorius *hac l.* bis videl. tributum a miſeris collatoribus exigentium, quaſcunque tandem Apochas præferreot ſolutionis iam factæ. Scilicet Suſceptores, vt Apocharum vim eluderent, a medio ſubducebant eos, qui Apochas ſcripſeraot, vt ita oon exiſtente, qui manum ſuam agnoſceret, denuo ſoluta poſcerant. Ergo Honorius triplici ratione hoic Suſceptorum & Tabulariorum fraudi & concuſſioni *hac l.* occurrit.

Primo enim vetat *ſcriptorem Apochæ*, mutari intra Indictiooem ſeu annum, vt ita eo comminos conſtituto, de fide Apochæ conſtare poſſit.

Secundo, Quadrimanſtruos Breues tributorum, inſertaſque eis apochas ad Tabolarios deferri iubet: quod & ipſum cauetur *leg. 2. ſupr. de annona & tribut.* de quibus Quadrimenſtruis Breuibus *ſuo tit. 25. ſupr. lib. 11.* & *ad leg. 173. ſupr. de Decu-*

Decurion. vt & de Tabulariis in hanc rem, *l. 1. ſupr. de exact.*

Poſtremo, quod vnum caput Tribonianus retinuit in *l. 12. Cod. Iuſt. eod. tit.* Suſceptorem vel Tabularium fraudis ſemel & concuſſionis a poſſeſſore conoictum, idem officium repetere vetat, etiam ex Reſcripto Principis: Quod & ipſum ſtatuitur de Officialibus, *l. 14. 18. 20. ſupr. de diu. offic.* Hic interim caſus addendus cæteris, quibus Reſcripta non valent, de quo *ſuo tit. de diuerſ. reſcript. lib. 1.* Ergo non fraudulentum, idem officium repetere poſſe præſupponit; de quo ad *leg. 24. ſupr.* In quo Officiorum aliam rationem eſſe voluit Honorius: nullo modo enim promotos ad Principatum officii, eoque functos eum repetere vult, *d. l. 2. ſupr. ad leg. Iul. de ambitu:* quæ inter alias *huic* coniungenda venit.

P. 358. XXVIII. (a) Idem AA. Pompeiano (b) Proc. Afric.

SI apochæ (c) ad Suſceptores nomine militum deferantur, nihil (d) ex ea pecunia intra prouinciam (e) tibi creditam prorogetur, quam (f) ſub teſtificatione geſtorum ad inſtructionem (g) prouinciæ Numidiæ, vel (h) Mauritaniæ oportet integram peruenire: vt illic deuotiſſimus (i) miles emolumenta (k) ſibi debita ex integro (l) conſequatur. **Si** quis autem poſt interdictum Manſuetudinis noſtræ apochas putauerit eſſe deferendas, inaniter eas ſciat eſſe delatas, nec in acceptum ei qui ſuſceperit (m) referendum. **Dat.** IV. Kalend. Mart. Med. Poſt Conſul. Stilichonis & Aurel. VV. CC. [401.]

NOTAE.

(a) Abeſt hæc *lex* a *Cod. Iuſt.* Quæ ab *hoc tit.* fugitiua eſt, & melius poſita fuiſſet ſub *tit. de erog. mil. ann.* *GOTHOFR.*

(b) Eidem inſcribitur *lex ſuperior* 27. vt omittam alias plures. *ID.*

(c) De alio *Apocharum* genere eſt *lex*, quam *ſuperiores:* nempe de Apochis, non quas Suſceptores dabant collatoribus, verum quas ipſi accipiebant, erogationem facientes. *ID.*

(d) Ne pars quidem minima. *ID.*

(e) Africam. *ID.*

(f) Eam enim. *ID.*

(g) *Inſtructio* prouinciæ, eſt prouiſio annonæ, rerumque neceſſariarum ad tuendum limitem, militemque alendum & inſtruendum. Ita Limitem inſtruere, *l. 15. ſupr. de extraordin.* manſiones inſtruere, *l. 21. ſupr. de annona & tributis:* armorum vſus inſtruere, *l. vn. ſupr. de oblat. equorum. ID.*

(h) *Vel*, pro *&. ID.*

(i) Vox propria, *deuotiſſimus miles.* vid. *Gloſſ. ID.*

(k) *Emolumenta* ſunt commoda & annonæ debitæ *hac l.* & *l. 16. ſupr. de exactionibus*, vbi plura dixi. *ID.*

(l) *Ex integro*, id eſt, integre, plene; debito loco & tempore: *h. leg.* & *leg. 16. ſupr. de bonis proſcriptor. leg. 177. ſupr. de Decurion. ID.*

(m) Id eſt, Suſceptori. *ID.*

COMMENTARIVS.

DE ANNONÆ MILITARIS Suſceptoribus eſt hæc Honorii conſtitutio: Ea ſcil. PROROGARI quidquam pecuniæ militi a Suſceptore alibi, ac nominatim in ſp. *huius l.* extra locum, quo militaris annona eroganda eſt, vetat: Et quamlibet Suſceptor epochas ſibi a milite datas oſtendat, nequicquam eas ei prodeſſe vult: Quæ melius in *titulum de erogatione militaris annonæ* relata fuiſſent: Quo etiam titulo *lex 11.* inter alias *huic* concordat. Nempe cum viderent Imperatores, & vero videret Hoorius militem, prorogata ſibi ante tempus annona, poſtea egere, vel etiam militiam deſerere; atque ita deſtinatam limiti & prouinciæ annonam deſiderari, imo ſecuritatem limiti deeſſe, non ſuppetente ſuo tempore & loco militi ſtipendio & annona, eam militi prorogari vetuere: Et vero vetat *hac l.* Honorius Imp. per Africam. Cuius *legis* hypotheſis hiſtorica ſpectanda eſt.

Primo ootandum, eam pertinere ad prouinciam Numidiæ & Mauritaniæ, quæ limitaneæ prouinciæ hac tempeſtate non tantum a Tyrannis ſæpe perculſæ fuerant: cuiuſmodi poſt Gildonem, Marcharidum Tyrannum hoc ipſo anno proſcriptum memorat Honorius *alia lege*, puta *l. 18. ſupr. de bonis proſcript.* verum ac potiſſimum a Barbaris veluti Mauris laceſſitæ. Quare & ſub Comite Africæ (cuiuſmodi hoc Anno memoratur Bathonarius *d. l. 18.* & Gaudentius *l. 3. de equorum collat.* quæ ad hoc ipſum argumentum pertinet:) miles limitaneus erat Barbaris oppoſitus; & ſub Duce Mauritaniæ, (de quo videnda viginti quinque circiter poſt *hanc leg.* annis ſcripta *Notitia Imperii fol. 165.*) itemque Numidiæ, quæ & deinceps ſub Valentiniano III. a Vandalis magis magisque afflictæ, (quod vt alios omittam docet ipſius Valentiniani Conſtitutio *Nouella inter Theodoſianas 23.* & *altera 38*) & tandem cæſo Valentiniano, occupatæ fuerunt circa A. D. 457.

Ad inſtructionem igitur (quod ſecundo loco obſeruandum eſt) harum prouinciarum ſeu limitis huius, & qui in eo erat, militis, ex omnibus Africæ prouinciis pecuniæ quid conferebatur: ac nominatim ex Africa proconſulari.

Quæ quidem, (quod Tertio notandum) ſuo tempore integra in Numidiam, & Mauritaniam trans-

Digitized by Google

tranſmittebatur ad limitem, & ſub geſtorum ſeu actorum teſtificatione conſignabatur. Eemque ibi ſuo tempore miles ibidem conſtitutus conſequebatur: vetita militi & Suſceptori apochandi & prorogandi ſtipendii licentia: *apochandi* inquam, id eſt, epochis in anteceſſum datis exſculpendi ſtipendii (alio quippe ſenſu *l. 1. 2. ſupr. tributa in ipſis ſpeciebus*, apochandi vox exaudienda, pro adæratione ſpecierum.)

Illud poſtremo notari velim, hoc Anno ipſo 401. multas alias extare Honorii *leges*, quæ ad eandem rem & annonam militarem per Africam pertinent, partim eidem Pompeiano Proconſ. Africæ inſcriptas, vt *legem 2. ſupr. de equorum conlat. leg. 1. ſupr. de Indictionib.* partim prouincialibus prouinciæ Proconſularis: puta *legem 26. ſupr. de erogat. mil. ann leg 29. ſupr. de annona & tributis:* partim ad PP. & Com. S. L. puta *d. legem 3. ſupr de Equorum collat.* ita quidem, vt ſi *hæc lex* illis iungenda non ſit, vt pote cum non vnum eundemque diem præferant, ſane eodem pleræque pertinent, ad Inſtructionem inquam limitis & militis Africani: Et quidem ad indictionem & collationem extraordinariam factam ab Afris Africæ Proconſularis, imo & ab ipſis Numidis, Byzacenis, Tripolitanis; vt fidem facit *d. l. 29 de annona & tributis.*

P. 559. XXIX. (a) Idem AA. & Theod. A. Septimino (b) Proc. Afric.

DVDVM præcipimus, † vt ex corpore Negotiatorum ad ſuſcipiendam tuendamque (c) aurariæ (d) noſtræ rationem adponeretur idoneus, qui tamen fide omnium & periculo fuiſſet electus. Et nunc eadem renouantes (e), ex Negotiatorum, ſiue quolibet alio corpore ad ſuſcipiendam Arcæ (f) rationem idoneum adponi præcipimus: ea dumtaxat, condicione ſeruata, vt tam de ſuis, quam Officii ſui facultatibus Iudices nouerint eruendum, ſi quid ille ex commiſſa ſibi ratione crediderit vſurpandum. Dat. X. Kalend. Mart. Rau. Theod. A. I. & Rumorido Coss. [403.]

NOTAE.

(a) Abeſt hæc *lex a Cod. Iuſt. GOTHOFR.*

(b) Eidem *Septimino* Proconſuli Africæ inſcribitur hoc ipſo Anno *lex 64. ſupr. de curſu:* & *lex 19. infr. de luſtrali.* Eiuſdem mentio fit in *Actis Collationis Karthag. die 3. c. 174. pag 1168. 1169. Tom. I. Concil. Edit. Harduin.* vbi continentur preces Catholicorum Idib Septembr. his ipſis COSS. *Theodoſio A. & Rumorido* aduerſus Donatiſtas Karthagine oblatæ, ſimul & eius reſponſum. *ID.*

† Legem ſuam 17. *infr. de luſtrali coll.* intelligit, datam An 399. *ID.*

(c) Cuſtodiendam. *ID.*

(d) Id eſt, luſtralis collationis: quæ *Auraria* ſimpliciter hic vocatur, & apud Caſſiodorum II. *Var.* 26. Auraria penſio eidem II. *Var.* 30. functio auraria, *l. 11. 13. 15. 19.* (quæ *huic* etiam coniungenda videtur,) *de luſtrali coll.* penſio auraria, *l. 3. ſupr. de veſtim. ex trib. l. 36. infr. de Epiſcopis.* *ID.*

(e) Putaret quis reponendum, *reuocantes:* quod non probo. *ID.*

(f) *Arcæ* ratio, id eſt, auri collatio: de hac Arca & Arcariis dixi ad *leg. 14. ſupr.* *ID.*

COMMENTARIVS.

DE AVRI LVSTRALIS ſeu collationis (quæ a negotiatoribus præſtatur, de qua *ſuo titulo infr. lib. 13*) ſuſceptione, eſt *hæc* Honorii *lex*: quis inquam, ex quo Corpore, quo periculo Suſceptor luſtralis collationis creandus ſit, confirmata partim, partim vero abrogata *quadam l.* ſua anteriore, puta *l. 17. infr. de luſtrali collat.* Etſi ea ſit proprie de Diſtributionis onere: quod proculdubio ſuſceptionis muneri coniunctum fuit. Igitur, ex Negotiatorum Corpore eum creari poſſe definit, quomodo & definitum erat *d. l. 17.* vbi de eius rei ratione dixi. At enim *h. l.* nunc duo immutat. Nam & *Ex alio Corpore quolibet* creari poſſe definit: & (non vt antea periculo Negotiatorum, ſeu Corporis) verum periculo Iudicum ſeu Rectorum prouinciarum, & officialium eorum. Et hæc quidem de *huius l.* ſententia. Alioquin *Coactoris auri luſtralis* mentio in *veteri Inſcriptione* apud Gruterum *CCCXLVII. 4.*

P. AELIO. T. F. QVAEST. R.
AVRI. LVSTRALIS. COACTORI
AC. CIVITATIVM VOLMERII. ET
PETOVII. CVRATORI. Q. LAE
LIVS. AESOPIVS. B. M. M. P.

XXX. (a) Idem AAA. Lucio (b) Com. S. L.

DVOS Tabularios (c) & Suſceptores totidem, per vniuerſas prouincias oportere conſtitui Clementia Noſtra præcepit. Super (d) hoc autem admonuimus & Prætorianam ampliſſimam Præfecturam, quo ſciret, eos qui aurum largitione (e) ſuſceperunt, nihil cum Arcæ (f) ratiociniis habere commune: Iudices autem prouinciarum quinque libris auri multandos, & Primates officiorum capitali pœna plectendos, ſi hoc vel (g) in præſenti non fuerit cuſtoditum, vel poſtea commutatum. Dat. VI. Kal. Feb. Baſſo & Philippo Coss. [408.]

NOTAE.

NOTAE.

(a) *L.13. Cod. Iuſt. eod. tit.* GOTHOFR.

(b) Vid. *Proſopograph.* *ID.*

(c) *Seu Numerarios*, hoc add. *Cod. Iuſt.* de quo dixi ad *l. 9. ſupr. de Numerar.* vt & de *Tabulariis; l. 12. d. t.* qua hoc ipſum ſtatuitur, quod *h. l. ID.*

(d) Hæc reciſa *C. Iuſt.* & ſequentia ſic immutata. *Scire autem volumus prætorianam Ampliſſimam Præfecturam eos, qui &c.* Nempe quod ea, ad horum temporum rationem adſtricta eſſent. *ID.*

(e) *γρ. Largitionale* vt *C. Iuſt. ID.*

(f) V. quæ dixi plene ad *l. 14 ſupr. ID.*

(g) *Si hoc non fuerit cuſtoditum;* ita contractius *C. Iuſt. ID.*

COMMENTARIVS.

P.160. DE NVMERO, diſtinctiſque muniis Tabulariorum (qui & Numerarii, qui ſcil. ratiocinia tributorum tractabant & conficiebant) & Suſceptorum, eſt hæc conſtitutio, ſiue Arcadii ſiue Honorii. Nempe definit duos Suſceptores per ſingulas prouincias conſtitui oportere: quorum vnus aurum, quod ad S. L. pertinet, ſuſcipiat: alter, Arcæ præſit, de qua mox. Antea etiam Valentinianus Iun. non vnum tantum per integram diœceſim, verum plures Suſceptores creari voluerat *l. 17. ſupr. hoc t.* Imo & Theodoſius M. periter in prouinciis ſingulis duos *Tabularios* conlocari voluerat; ed quorum vnum largitionales tituli pertinerent, ed elterum fiſcalie arcæ ratiocinium: *l. 12. ſupr. de Numerariis.* Pari quoque ratione & comminatione, ne videl. alter alterius actibus ſeſe immiſceret. Noluit ſcil. Theodoſius M. *illa lege.* Noluit *hac l.* filius eius, diuerſorum titulorum ſtationes & ratiocinia confundi. Quo pertinet quoque *lex 1. Cod. Iuſt. de compenſat.* & *l. 3. C. eod. de canone largition. titulor.* vid. & quæ ſcripſi ad *leg. 1. ſupr. ne conlat. translatiu.* De cæteris quæ ad *huius l.* illuſtrationem faciunt, alibi dixi: de Tabulariis *titul. de Numerariis &c.* & *ad l. 2. ſupr. de annona & tributis.* Item de *Arca*, nempe hic per eam non intelligi Arcam P. P. verum rem priuatam Principis: ed *legem 14. ſupr.* quod (vt omittam nunc alia ergumenta) euincit optime *d. lex 12. ſupr. de Numerariis:* quæ huic omnino concordet, vbi diſerte *fiſcalis Arca* vocatur, & *Largitionalibus titulis* opponitur. Quanquam de *hac l.* dubitari poſſet: quandoquidem Imp. ait, *ſe ſuper hoc admonuiſſe, Prætorianam ampliſſimam Præfecturam, quo ſciret, eos qui aurum largitionale ſuſceperunt, nihil cum Arca ratiociniis habere commune.*

De duobus ſupereſt videamus. Primo cur Tribonianus voci *Tabularios* adiecerit *ſeu Numerarios hac leg.* vt & *l. 4. Cod. Iuſt. de Numerariis:* (quæ deſumpta eſt ex *leg. 12. ſupr. de Numer.*) diſquirit Cuiacius: nempe ideo putat ille, vt intelligeretur non de Tabulariis Rectorum prouinciarum agi, qui olim *Numerarii* dicebantur.

Quod minus probo: Ideo ſcilicet Tribonianus adiecit, *ſeu Numerarios*, quia in pleriſque Iudicum officiis, qui *Tabularii* alicubi dicebantur, alibi ferme *Numerarii* vocarentur: & vero Theodoſii Iunioris tempore vbique per Orientem, vt docet *Notitia Imperii.*

XXXI. (a) Impp. HONOR. & Theod. AA. Euchario (b) ſuo Sal.

HVMILIBVS (c) officiis, aut extraordinariis oneribus, occupari Curiales non patimur, ne publica vacillet vtilitas. Suſceptionem itaque veſtium (d) æquius eſt ab Officio Proconſulari, vel ab his qui in eodem meruerunt, ſollemniter (e) procurari. Horum namque intereſt, huiuſmodi explorare rationem, & quærere qualitatem eorum, (f) quorum ad contuendum (g) cura commodior eſt. Neque enim æquum eſt, vt ad Officium lucella (h), ad Curialem ſuſceptionis tantum damna pertineant. Hanc igitur ab Ordinibus (i) iniuriam ſubmouemus: Exceptis his, ſi (k) qui Curialium Officio (l) memorato aut militaſſe aut militare fuerit deprehenſus. Dat. pridie Kal. Mar. Rau. Honorio IX. & Theodoſio V. AA. Coss. [412.]

NOTAE.

(a) *L. 14. ſeu pen. Cod. Iuſt. eod. tit.* Iungendæ autem ei ſunt aliæ *leges:* puta *lex 19. 20. 21. ſupr. de Exactionib. lex 32. ſup. de annona & trib. lex 9. ſupr. de curioſis: lex 23. ſupr. de cohortalib.* Imo, etſi Inſcriptio alia ſit, *lex 22. 24. d. t. de Cohortal.* GOTHOF.

(b) Proconſuli Africæ, vt habent aliæ *Leges. ID.*

(c) *Humilioris.* C. Iuſt. *ID.*

(d) Militarium *ID.*

(e) Id eſt, ſolemni actu & munere: Non vero, quod *ſolerent* officia Proconſularia hanc ſuſceptionem procurare, quod *Cuiacius* credidit. *ID.*

(f) *γρ. Earum*, veſtium ſcil. *ID.*

(g) Ita recte: male C. Iuſt. *conſtituendum*, & male Cuiacius, qui II. *Obſ.* 8. vtrubique *conſuendum* reponebat: de quo mox. *ID.*

(h) *Lucra* C. Iuſt. *ID.*
(i) Curiis, ſeu Curialibus. *ID.*
(k) *His,qui,* Cod. I. & infr. *fuerint deprebenſi. ID.*
(l) *In Officio* C. Iuſt. *ID.*

COMMENTARIVS.

DE VESTIS, militaris ſcil. quam prouinciales conferebant (de qua fuit *titulus* peculiaris *ſupr. l. 7. de militari veſte:*) ſuſceptione, eſt *hac* Honorii *lex*: pariter vt Valentiniani Sen. *lex 4. ſupr.* (quæ & ipſa repetita extat *l. 1. d. t. de militari veſte.*)

Et hæc quidem pars prolixioris conſtitutionis Honorianæ miſſæ ad Proconſulem Africæ, potiſſimum de *re tributaria*, eiusque illatione, exactione, ſuſceptione: vt oſtendunt tot illæ *leges* exinde deſumptæ, quæ *huic* coaſſandæ veniunt: Ac nominatim etiam de Officiis, quæ Curialibus indigna ſint: quo præter *hanc leg.* pertinet etiam ex illarum *legum* numero *lex 21. ſeu vlt. ſupr. de exaction.* Item de officiis, ad quæ *Officiales* adſpirare vetantur: quo pertinet *dicta lex 22. 23. 24. ſupr. de cohortalib.*

Igitur, vt Curiales prædiorum, ad rem Principis priuatam pertinentium, Actores ſeu adminiſtratores fieri vetat *ea l. vlt.* ita & *hac l.* Suſceptores veſtium militarium. Quod tamen antea ſub Valen-
p. 561. tiniano Sen. factum docet *d. lex 4 ſupr. h. t.* Contra, vt illam adminiſtrationem, ita & hanc ſuſceptionem Officialibus Iudicum, & in his Proconſulis Africæ, ſiue adhuc in officio ſint, ſiue iam eo functi, demandari iubet. Et quidem quatuor rationibus hoc munus a Curialibus in Officiales & quidem Proconſulis Africæ in ſpecie *huius l.* transfert *hac l.* Honorius: quarum *duæ priores*, Curiales reſpiciunt; *duæ poſteriores*, Officiales: Prima ſcil. ratio hæc eſt, Quod id *humile* officium ſit, reſpectu ſcil. Decurionum, de quorum dignitate dixi ſemel. Secundo, quod id *extraordinarium* onus ſit, quo occupari non oporteat Curiales, *ne publica* alioquin *vacillet vtilitas*, id eſt, ne deſertis Curiæ muneribus, & Ciuitatibus, Ciuitatum commoda deſtituantur, Vrbesque deſerantur, quibus Curiales affixos eſſe oportet, vt pote in quibus & decus & nerui ciuitatum conſiſtant. Contra duplici ratione in Officiales Iudicum hoc munus transferri iubet Honorius.

Primo quod facilius & commodius hoc munus exequi poſſint Officiales, ſeu, vt *hac l.* dicitur, *quod eorum ad contuendum cura commodior ſit.* Ad *contuendum*, id eſt, ad inſpiciendas, & explorandas veſtes quæ conferuntur, vtrum in vſum militarem ex ſint, & commodæ. Quomodo Ambroſius *ſermone 4. in Dominic. 2. Aduent. initio, pag. 5. Tom. V. Oper. Edit. Paris. 1614.* agens de iis, qui Natalibus Principum accurate ſericis veſtibus accincti ſunt, *vel habitum*, inquit, *contuenda*: & Symmachus *lib. 6. ep. 81. Contuitum*, atque *conuictum* dixit. Et Auguſtinus *lib. 5. de Geneſi ad litteram cap. 16. num. 34. p. 192. Tom. III. Oper. Edit. Benedictin.* dixit, *contuitum actumque.* Ita enim hic locus & defendendus, & explicandus eſt: Non vt *Cod. Iuſtin.* legitur *conſtituendum*, nullo ſenſu; Non etiam vt Cuiacius reponebat II. *Obſ. 8. conſuendum* hoc ſenſu: Cohortalium eſſe, quærere qualitatem *eorum, qui conſuendis veſtibus operam commodius daturi ſunt.* Non vt Ræuardus III. *coniect. 8.* explicat, ad inſpiciendum & obſeruandum, quinam milites veſtibus indigeant, quaſi hic ſenſus ſit: Officialibus huiusmodi curam longe commodiorem eſſe, propter aſſiduam præſentiam eorum.

Ergo ſenſus eſt, Officialibus ideo hanc curam iniungendam, quod cum & ipſi milites ſint, & militari habitu, de veſte militari, vtrum ea commoda ſit, commodius iudicare poſſint; *contueri*, eſt explorare, & quærere qualitatem veſtium, vt *hic* dicitur, ſpectare, probare: quomodo & *Spectatorem* auri pro Suſceptore & Ponderatore auri dixit Symmachus *lib. 4. ep. 56* Nempe veſtes etiam militares (vt cætera quæ inferebantur, aurum, equi; de quo ad *leg. vn. ſupr. de ſtratorib. & l. vn. ſupr. de oblat. equor.*) ſpectabantur, num commodæ eſſent: Quo pertinet quod ſtatuitur *l. 33. ſupr. de curſu publ. Tales veſtes a prouinciis dirigendas*, (ſeu a prouincialibus conferendas) *quæ priusquam moueantur*, (id eſt, ad limitem transmittantur) INSPECTIONE *Rectoris prouinciæ diſplicere non poſſint.* Et ſic huic loco clariſſimum lumen intuliſſe mihi videor, cui tenebras hactenus iniecere Viri docti, praua emendatione, vel erronea interpretatione. Poſtrema ratio ab æquitate deſumpta eſt: quia ad Officiales lucella perueniant, ideo & ſuſceptionis damna, ſeu onna pertinere ad eosdem oportere. Ex quo apparet, ex veſtium militarium collatione lucelli aliquid ad Officiales perueniſſe.

Vltima *huius leg.* parte exceptio proponitur, nempe eos Curiales ad hoc munus adſtringi poſſe, qui inter Officiales vel militarunt, vel militant.

XXXII. (a) Impp. Theodoſ. & VALENTINIANVS AA. Voluſiano PF. P. (b) Poſt alia.

AVRVM ſiue argentum eumque (c) a poſſeſſore confertur, Arcarius (d) vel Suſceptor accipiat: ita vt prouinciæ Moderator eiusque Officium ad crimen (e) ſuum nouerit, pertinere, ſi poſſeſſoribus vllum fuerit ex aliqua ponderum iniquitate (f) inlatum diſpendium. Poſſeſſori (g) ſane ſecuritatem (h) ſub deſignatione titulorum (i) Arcarius vel Suſceptor emittat: & quidquid ex prouinciis ad noſtrum dirigetur (k) ærarium, id (l) non ſolum ad Inluſtres Viros ærarii noſtri Comites, (m) ſed etiam ad Eminentiam Tuam pari relatione deferatur. Contra (n) hæc noſtra ſi quisquam (o) vetito auſu Palatinus audebit, licebit prouinciæ Moderatori eundem correptum ad Sublimitatis Tuæ iudicium ſub proſecutione

ſecutione (p) dirigere: Licebit prouinciali, etſi probatur obnoxius, Palatini contra vetitum exactionem ſibi vindicantis temeritatem legitime repellere; Quam ſi prouincialis pulſare (q) nequiuerit, & delata ad Inluſtres Viros ærarii Comites querimonia, impediente Palatino Officio, non meruerit vltionem, tunc demum licebit Magnificentiæ Tuæ poſſeſſorum querelas & probata apud ſe diſpendia vindicare. Dat. III. (r) Kalend. Mart. Rau. Poſt Conſ. Felicis & Tauri VV. CC. [429.]

NOTAE.

(a) *L. vlt. Cod. Iuſt. eod. tit.* Iungenda autem *huic* proculdubio *lex* 35. *ſupr. de annona & tributis.* GOTHOFR.

(b) Italiæ ſcil. cui eidem hoc ipſo Anno inſcribitur famoſa *lex* 4. *Cod. Iuſt. de legibus*: & Anno ſuperiore 428. *lex vlt. ſupr. de Tyrannis.* ID.

(c) *Quodcunque*, Cod. Iuſt. An *Quandocunque*, argum. *l.* 2. *ſupr.* & *dict. leg.* 35. *ſupr. de annona*; & *leg.* 2. *ſupr. de collat. fundor.* ID.

(d) De *Arcario* dixi ad *l.* 14. *ſupr.* ID.

(e) Et diſcrimen. ID.

(f) *Iniquitatis* vox hac in re propria: *Iniquæ* ita menſuræ apud Perſium *Satyr. I. v.* 144. & *l.* 13. §. 8. *D. locati.* Iniqua pondera, *l.* 32. *D. de action. empti.* v. *Gloſſ.* ID.

(g) Hæc ſententia reciſa a *C. Iuſt.* ID.

(h) Id eſt, apocham, v. *Gloſſ.* ID.

(i) V. *l.* 18. *ſupr.* ID.

(k) *Dirigitur*, Cod. I. ID.

P. 362. (l) *Id ad illuſtres Viros Ærarii noſtri Comites relatione deferatur.* ita *Cod. Iuſt.* ID.

(m) Comitem S. L. & Comitem R. P. ID.

(n) Cætera abſunt a *Cod. Iuſt.* in *d. l. vlt.* Relata vero mutatis nonnullis, in peculiarem *legem* 5. *Cod. eod. de executorib.* in cuius Inſcriptione male *Honorius & Theodoſius* inſcripti. ID.

(o) *Quicquam.* ID.

(p) De *Proſecutione* hac, dixi ad *l.* 5. *ſupr. de exhib. reis.* ID.

(q) Id eſt repellere, vt *ſupr.* ID.

(r) XVI. *d. l.* 35 *de annona & tributis.* ID.

COMMENTARIVS.

FASTIDIO & INIQVITATI Suſceptorum circa auri & argenti illationem occurrit *hac l.* Valentinianus III. Placidiæ F. quæ pars eſt prolixioris conſtitutionis, ex qua deſumpta quoque videtur *lex 35. ſupr. de annona & tributis*: atque adeo *huic* coniungenda: (pariter vt eorundem faſtidio alii Principes aliis conſtitutionibus occurrerant, & in his Conſtantinus Magnus *l. 2. ſupr. hoc titul.* & quæ ei coniungenda eſt, *leg. 1. infr. de Ponderatoribus*:) Septem in id conſtituit.

Primo enim, aurum & argentum ſuſcipi a Suſceptore iubet, *cumque*, id a poſſeſſore confertur: ſi *cumque*, pro *quodcunque* (vt habet *C. Iuſt.*) accipiendum, tum ſenſus fuerit, aurum & argentum ſiue in maſſa, ſiue in ſolidis & pecunia oblatum, ſuſcipi oportere: ſi vero *cumque*, pro *quandocunque* accipiendum, tum ſenſus fuerit, quocunque tempore, aurum & argentum inferatur, id ſuſcipi oportere: quam interpretationem præferendam puto argument. *d. l. 35. ſupr. de annona*: & *l. 2. ſupr. de conl. fund. patrim.* & *l. 2. ſupr. hoc tit.*

Secundo, ſi ex *Ponderum* iniquitate poſſeſſori fuerit aliquod diſpendium illatum, id ad Rectoris prouinciæ, eiuſque Officii diſcrimen & periculum pertinere vult. Nempe enim vt in ſingulis ciuitatibus & manſionibus menſuræ & pondera erant, (quod docent *lex 19. 21. ſupr.*) ita vt eſſent, ad Rectorum prouinciarum curam pertinuit.

Tertio, *Apochas* a Suſceptoribus, poſſeſſoribus dari iubet, ſub deſignatione titulorum, id eſt ita, vt iis exprimatur, ex qua cauſa quid illatum fuerit: de quo iam ſæpe ſupra, ac nominatim *l. 18.*

Quarto, relationem fieri iubet eius, quod ex prouinciis ad Ærarium Principis transfertur, non tantum ad Comites S. L. & Comitem R. P. verum etiam ad Præfectum Prætorio. Nempe vt omnis tributorum ratio ad curam Præfecti Prætorio pertinuit, quod etiam Zoſimus ſcribit *lib. 2. cap. 33.* ita eum inuigilare oportuit, ne qua fraus circa ea admitteretur: Et vero inuigilare potuit quam facillime, vt pote cum omnis tributorum forma ab ipſo procederet: ſic vt Translationis modum cum indictionis & adſcriptionis modo compararet.

Quinto, *Palatinum* Comitis S. L. vel R. P. aduerſus hæc quidquam auſum, & contra vetitum exactionem ſibi vindicantem, a Rectore prouinciæ corripi, & ad P. P. transmitti puniendum iubet: de qua transmiſſione dixi *ad l. 5. ſupr. de exhib. reis.* Hinc ſane quoque apparet, quam P. P. curæ incubuerit rei tributariæ ratio, & vt innocenter ea haberetur. Item hinc & ex duab. proximis ſententiis apparet Palatinos Comitis S. L. & Comitis R. P. exactionis tributorum largitionalium munere hoc tempore fungi non potuiſſe, ſed Arcarios & Suſceptores peculiares fuiſſe largitionalium titulorum, qui ad Principis ærarium deferebantur. Cum tamen aliter id aliquando habuerit, vt docet *lex. 18. ſupr. de exaction.*

Quod & aliis conſtitutionibus aliter antea definitum fuit, veluti a Theodoſio Iun. *l. 17. ſupr.* de

de exactionib. ab Honorio, *l. 5 9. ſupr. de executor.* a Valentiniano Iun. *l. 10. ſupr. de Palat. S. L.* Ex his tertio apparet, ex hac inquam & poſtrema ſententia, Rectoribus prouinciarum corripiendi tantum Palatinos poteſtatem datam; at non etiam puniendi.

Sexto *Repellendi* Palatinorum exactionem ſibi vindicantium temeritatem prouincialibus, etſi debitores ſint, poteſtatem tribuit *hac l.* Valentinianus Iun. Qui caſus addendus eſt aliis, quibus ſe vnicuique ſine Iudice vindicare licet.

Poſtremo, ſi prouincialis Palatino repellendo impar fuerit, atque ita ab eo exactus fuerit, tum a Comitibus S. L. & R. P. puniri iubet: quod ſi factum non fuerit, tum vindictam ſumere iubetur P. P.

XXXIII. (a) Idem AA. Theodoſio PF. P. (b)

A Byzachena (c) prouincia dudum imperratum fuiſſe comperimus, vt vrbium ſuariorum (d) Curiales horreorum cuſtodiam curamque ſuſciperent: ideoque ſancimus, Proconſularis (e) prouinciæ horreis non præfici Principalem. Dat. XV. Kalend. Mar. Rau. Theodoſio XIII. & Valentiniano V. (f) AA. Coſs. [430.]

NOTAE.

(a) Abeſt hæc *lex* a *Cod. Inſt.* velut Temporaria. *GOTHOFR.* Vide quæ dicta ſunt, de hac lege ad *legem* 185. *ſupr. de Decurionib. not. a in fin. RITTER.*

(b) Italiæ: in qua Præfectura Prætoriana fuit Byzacena. *GOTHOFR.*

(c) *Byzacena:* in qua Hadrumetum. *ID.*

(d) *γρ. Suarum*, vt ad margin. notatum a Cuiacio. *ID.*

(e) *Africa. ID.*

(f) *γρ. IIII. ID.*

COMMENTARIVS.

P. 563. PRÆPOSITI horreorum (de quibus agitur & *leg. 5. 8. 16. 24 ſupr. hoc tit.* & *l. 49. ſupr. de Decur.* & *l. 1. ſupr. de erogat. mil. annonæ:*) ex quonam hominum genere creari debeant *hac* Valentiniani Tertii *leg.* definitur. Nempe alibi ex Curialibus, alibi non item: ſane & anteriores conſtitutiones variatum hac in re quoque docent: nam ex Curialibus creatos docet quoque *d. lex 5.* & *24. ſupr.* Ex præſidali officio *d. lex 5.* Ergo & *hac* quoque *lex* eandem varietatem oſtendit: & quidem intra eandem Africæ diœceſim, ſcilicet Byzacenæ prouinciæ, id iam olim conceſſum ſingulari priuilegio, reliquit Valentinianus Tertius, vt vrbium ſuarum Curiales ſeu Principales Præpoſiti horreorum eſſent: Atenim Proconſulari prouinciæ, id eſt, Africæ proconſulari, id denegat *hac l.*

Et hæc quidem eſt *huius leg.* ſententia, qua oppoſitio fit Byzacenæ prouinciæ, & Proconſularis prouinciæ, id eſt, Africæ (ſola enim Africa Proconſularis in Africæ diœceſi fuit; Byzacena vero Conſularis tantum, vt docet quoque *Notitia Imperii fol. 154.* hoc ipſo tempore conſcripta.) Atque ita apparet, perperam hic Negatiuam a nonnullis inſertam, *ne vrbium ſuarum*, niſi putemus loco *Proconſularis prouinciæ*, legendum hic *Conſularis prouinciæ*.

Cur autem Curiales ſeu Principales (excepta Byzacena) præpoſitos horreorum fieri noluerit Valentinianus *hac l.*

Puto, propter Principalium potentiam, quibus deprædandi facultas ſuppetebat: de quo etiam Salviani querela eſt: Eodemque pertinet *lex 73. ſupr. de Decurionib.*

DE PONDERATORIBVS ET AVRI INLATIONE.

TITVLVS VII.

LIB. X. COD. IVST. TIT. LXXI.

PARATITLON.

1. PONDERATORES duum generum *hac titulo* memorantur. Prius eorum qui iidem ſunt cum Suſceptoribus, qui ſcil. aurum quod a collatoribus inferebatur, appendebant: quibus appendendi forma præſcribitur *l. 1. h. t.* Alterum eorum qui Græcis ζυγοςάται, qui ſcil. per ſingulas ciuitates conſtituti, vt exortas de ſolidis contentiones dirimerent: *l. 2. h. t.*

2. De

2. De Avri Inlatione, quot ſolidi in libram computari debeant? eſt *d. lex 1. h. t.* & in qua re fieri poſſit, eſt eadem *lex 1. & lex vlt. hoc tit.*

I. (a) Imp. CONSTANTINVS A. ad Eufraxium Rationalem (b) trium (c) Prouinciarum.

SI quis (d) ſolidos appendere (e) voluerit auri * cocti, ſeptem (f) ſolidos quaternorum ſcripulorum noſtris vultibus figuratos (g) adpendat pro ſingulis vnciis, quatuordecim vero pro duabus, iuxta hanc formam omnem ſummam debiti (h) inlaturus. Eadem ratione ſeruanda, & ſi materiam (i) quis inferat, vt ſolidos dediſſe videatur. Aurum ** vero quod infertur, æqua lance & libramentis paribus ſuſcipiatur; ſcilicet, (k) vt duobus (l) digitis ſummitas lini retineatur, tres reliqui liberi ad Suſceptorem emineant, nec pondera deprimant, (m) nullo examinis libramento ſeruato, nec (n) æquis ac paribus ſuſpenſo ſtatere momentis; & cetera. PP. (o) XIV. Kal. Aug. Paulino & Iuliano Coss. [325.]

P.364.

NOTAE.

(a) Abeſt prior *huius l.* pars a *Cod. Iuſt.* Iungenda autem ei *lex 2. ſupr. de Suſceptoribus.* GOTHOFR.

(b) *Rationali* hæc *lex* inſcribitur, quia agitur de illatione auri ad rem priuatam Principis pertinentia. *ID.*

(c) Id eſt, Siciliæ, Sardiniæ, Corſicæ: de quo ad *d. l. 2.* plenius. *ID.*

(d) Collator, tributarius *ID.*

(e) Id eſt, dependere, ſoluere, præſtare. *ID.*

* Aſteriſcus hic abundat, mox vt oſtendam. *ID.*

(f) *Sex*, Pancirolus I *var. 66. p. 127. Edit. Lugd.* 1617. male, quem ſequitur tamen Sauotus *p. 178. ID.*

(g) V. quæ dixi ad *l. 1. ſupr. de collat. aeris*, & *Gloſſ. ID.*

(h) Id eſt, tributi, v. *Gloſſ. ID.*

(i) Id eſt, maſſam auri: de quo *mox. ID.*

** *Lex 1. Cod. Iuſt. eod. tit.* hinc & ex *verſ. eadem ſupr.* interpolata eſt. *ID.*

(k) Sequentia abſunt a *C. Iuſt. ID.*

(l) Ita mos olim thus in acerram iniiciendi. Duobus digitulis: Hieronymus ad *Heliodor.* ſummis digitis: Lactantius *lib. 5. c. 20.* eminulis digitis: Prudentius *Peri Stephan. hym. 3. v. 21. ID.*

(m) *Deprimat*, Suſceptor ſcil. *ID.*

(n) Cironius IV. *Obſeru. iur. Can. c. 5.* emendat *ſed.* Alias, inquit, non conſtaret ſenſus: imo vox *nec* hic retinenda; nempe relate ad vocem *nec*, ſup. & vocem, *nullo. ID.*

(o) *Dat.* d. l. 2. Eſt qui *hanc l.* tanquam *Antiochiæ* latam laudat, male. Conſtantinus M. hoc tempore in Bithynia fuit, vel Niceæ, vel Nicomediæ. *ID.*

COMMENTARIVS.

DE Avri illatione & ſuſceptione eiusque forma, eſt hæc Conſtantini M. *lex:* Quæ pars eſt prolixioris Conſtantinianeæ conſtitutionis ad Rationalem trium prouinciarum (id eſt, Siciliæ, Sardiniæ, Corſicæ: vnde deſumpta quoque eſt *lex 2. ſupr. de Suſceptoribus*, huic proinde coaſſanda:) qua in vniuerſum de *Auri illationis forma*, eiusque ſuſceptione egit, pro prouincialium ſeu collatorum vtilitate, aduerſus Suſceptorum tum faſtidium, tum fraudes: Quo pertinent quinque capita quæ *his duabus legibus* continentur: nempe duo capita *dicta lege 2. ſupr. de Suſceptoribus:* tria vero *hac lege.* Duo illa ſunt, de Maſſali ſolutione admittenda ab vno diuerſorum fundorum nomine, item de ſolutione quocumque tempore admittenda, abſque omni mora. Tria vero *huius l.* capita ſunt, 1. de Æſtimatione ſolidi, eiusque proportione ad libram: 2. de libertate ſolidorum vel materiæ auri ſoluendæ: 3. De iuſta tandem eius ponderatione. De ſingulis ordine.

Primo igitur *huius l.* capite, quod a *Cod. Iuſt.* abeſt propter immutatam libræ ſolidorumque æſtimationem, Conſtantinus M. *Solidos ſeptem* auri cocti quatuor ſcripulorum, pro ſingulis vnciis, quatuordecim pro duabus inferri ſeu dependi vult, & ſic (duodecim enim vnciæ libram efficiunt) octuginta quatuor ſolidos in libram auri computari ſeu libram auri efficere. Quomodo ſane totidem argenteorum, (84. inquam) argenti libra vetus Romana erat teſte Plinio, *lib. 33. c. 9.* & Celſo, *in Ep. ad Natalem:* & *lib. 5. c. 17.* vbi pariter ait, *in vncia pondus denariorum ſeptem* eſſe.

Et ita quidem nunc Conſtantinus Magnus ea cauſa quam mox dicam: Vt proinde Pancirolus, & poſt eum Sauotus *Part. 3. c. 17. p. 178.* hunc locum emendare non debuerint, & pro ſeptem, ſex: pro quatuordecim, duodecim reponere. At poſtea Valentinianus Senior aucto iam auri pretio 72. ſolidos in libram auri acceptoferri voluit *leg. 13. ſupr. de Suſceptoribus:* quod etiam probauit Honorius *leg. vnic. ſupr. de oblation. votorum:* de quo ad *eam leg. vnic.* pleniſſime, vbi & *legem 2. Cod. Iuſtinian. de veteris numiſmat. pot.* eodem pertinere oſtendi, locumque ex Marcellini actis tum produxi, tum emendaui: & tempus eduxi, quo id ita a Valentiniano conſtitutum. Porro tria in his ſolidis requirit, vel præſupponit Conſtantinus.

Primo, vt ſint ſolidi *Auri cocti*, id eſt, ſolidi obryziaci, auri puri, ad obruſſam; de quo ad *d. l. vn. ſupr. de oblat. votorum.*

Secundo requirit, vt ſolidi ſint Quaternorum Scripulorum. Ita ſane denariue vetus quatuor Scriptulorum fuit: teſte Varrone, *3. Annal.* apud Chariſium *inter Grammaticos Putſchii pag. 81. Nummus argenteus quatuor Scriptulis ſuit maior quam nunc.* Ita enim legendus ille locus. Cleopatras *in Appendice Theſ. Graec. Lingv. pag. 219.* τὸ δηνάριον ἔχει γράμματα δ΄.

Ergo ex *hac leg.* apparet, in vncia auri fuiſſe tum Scriptulos 28. non vt poſtea, viginti quatuor: Quod Sauotus tamen negabat, (Et id tamen adhuc probatur ex *l. 3. & 12. ſupr. de metallis*;) atque ideo *hanc legem* cum Panciroło, vt dixi emendabat *Part. 3. cap. 17.* vide eundem *cap. 23. pag. 232 233.* De ſcriptulis interea exactis in ſolidis, eſt quoque locus in Pſeudoplauti Comœdia Querolo: *Quid tam ſimile quam ſolidus ſolido? Etiam hic diſtantia quæritur in auro, vultus, ætas & color, nobilitas, literatura, patria, grauitas, atque ad ſcriptulos quæritur in auro plus quam in homine.*

Tertio requirit Conſtantinus Magnus, vt ſint figurati ſuo vultu: In genere equidem iam egi de vultibus Principum & Iconio nummis impreſſo ad *leg. vnicam, ſi quis ſolidi circulum*: Sed an aliorum Principum vultibus figuratos ſolidos non admiſerit Conſtantinus Magnus? An vero aliud pretium aliorum ante ſe Principum ſolidis dederit, aliud vero ſuis? Hoc exiſtimem. Nempe antea maioris modo, modo minoris numeri fuerunt, neque ſtato pondere, id eſt alio atque alio, ſic vt certo ſolidorum numero libra nondum conſtaret: & minore tamen ſemper: quandoquidem maiores aurei tum erant: At Conſtantinus Magnus *hac leg.* deinceps *ſtatum* ſolidorum numerum eſſe voluit cuſa e ſe moneta aurea, *ſtata*, ſeu ſolidis aureis certo numero & minore pondere, ſic vt 84. librarum efficerent.

SECVNDO *huius l.* capite Conſtantinus M. arbitrium dat collatoribus loco ſolidorum *Materiam* auri ſcilicet inferendi: id eſt rudem materiam, maſſam auri, aurum infectum, auro ſignato & ſolidis oppoſitum: id enim vt *h. l.* ita & *l. 3. infr. h. t.* Materia dicitur. Quo etiam ſenſu *obryzæ materies* dicitur *l. 12. ſupr. de Suſceptoribus.* Imo & Lampridius in *Alexandro Seuero cap. 39.* cum ait; *formas binarias, ternarias & quaternarias, & denarias etiam, atque amplius vſque ad bilibres quoque & Centenarias, (id eſt Nummos ſolidorum duorum, trium, quatuor, decem, centum,) quas Heliogabalus inuenerat, Alexandrum reſolui præcepiſſe, neque in vſu cuiuſquam verſari, atque ex eo his Materia nomen inditum*: Quia ſcilicet materiam potius referrent: quam nummum qui in conuerſatione eſſet. Quem locum nondum ceperunt Interpretes aliquin clariſſimi. Ergo arbitrium datum *h. l.* a Conſtantino Magno vel ſolidorum dandorum, vel materiæ. Quod & ipſum a Valentiniano Sen. conſtitutum *dict. l. 13. ſup. de ſuſceptorib.* vide etiam *l. vlt. h. t.* vbi dicam.

Poſtremo *huius l.* capite Conſtantinus M. ad collatorum ſeu prouincialium indemnitatem, formam ſeu modum *Ponderandi* auri a Suſceptore, ne collatori fraudem faceret eleganter præſcribit. Nempe, quia Suſceptores inter alias fraudes trutinam tenentes, vt minus id quod inferebatur, videratur, pondera ſæpe deprimebant, trutinam inclinabant, vt ait Symmachus, *lib. 4. epiſt. 56.* vt propenderet in alterutram partem, digito forte percutienter, ſeu commouentes, quod παρασαλεύεσθαι Græci dicunt; vt Chryſoſtomus *in poſteriore ad Timotheum homil. 5. in ἠθικῷ, pag. 1654. Edit. Commelin.* ὁ ζυγὸς ἐὰν ἔχῃ παρασαλευομένην τὴν πλάστιγγα, οὐ κρίνει δικαίως τὰ σταθμητὰ περιφερόμενος: *ſicut enim ſtatera, ſi lancem loco motam habeat, pondera iuſte non indicat.* Quare huic fraudi occurrit *hac l.* Conſtantinus M. vbi multa ad ſtathmeticam & ſtaterem pertinentia occurrunt. Nam & *Staterem* memorat, & *Lancem*, & *Examen*, & *Linum*, eiusque ſummitatem, & *Pondera.* Iam quod ipſum ponderandi actum attinet, *ſuſpenſum ſtaterem* memorat, *æquam lancem*, *libramenta paria, æqua ac paria momenta.* Quæ nil attinet nunc pluribus aliunde illuſtrare. Illud enim hactenus hic ſpectare iuuat, quæ Conſtantinus *hac l.* præſtituit, ne iniquo pondere collator grauetur. Prius tamen illud monendum; Agi hic de ſtatera duabus lancibus non de ſtatera, quæ vnam tantum lancem habebat, quod Cuiacius credidit; ſeu de Libra ponderaria, quæ etiamnum *libra Romana* audit, *la Romaine, ou Crouchet*: qua ponderantur ea, in quibus plus minusue paulo erretur, non multum intereſt; reſque mercales, quæ ad pondus non ad lancem explorantur. Cuius vna tantum lanx eſt, ſtater μονοπλάστιγξ, quæ ſcapum ſeu haſtam habet punctis diſtinctam, & qua cum aliquid appendimus æquipondium per ſcapum tamdiu ducimus, & per puncta percurrimus, donec ſteterit examen ἀκλινής, & ſub anſa lateat: Quod Latini dicunt *compeſcere examen certo puncto.* Perſius *ſatyra V. v 100.*

Diluis helleborum, certo compeſcere puncto
Neſcius examen.

Caſtigare examen, Idem *Satyra I. v. 20.*

Examenue improbum in illa
Caſtiges trutina.

Vbi vetus ſchol. *Examen eſt lingua*, vel *lignum, quod mediam haſtam ad pondera adæquanda tenet. Caſtigare* autem eſt digito libram percurrere, vt temperetur & præagitatione poſt æquum conquieſcat. Trutina vero, quod & ſtateri, de qua *hac l.* agitur commune eſt, eſt foramen, intra quod eſt ligula de qua examinatio eſt. De hac eſt hic Cornuti locus *ad Perſium Satyr. I. v. 21.* quo ait, *trutinam eſſe foramen, intra quod eſt lingua bilancis, ad quod eſt examinatio & æquilibrium.* Caſſianus *collat. 23. c. 5. Cum e contrario theorica bonum inde penſaret, ac velut in vna lance tantum laborum profectum, in altera delectationem diuinæ contemplationis appenderet, diu examine pectoris ſui quodammodo caſtigato.* Claudianus *in Stiliconem lib. 1. v. 74.* alluſit:

—— per caſtra per vrbes
Per populos animi cunctantis libra cucurrit.

Vitruuius *libr. 10. c. 8. Id autem ex Trutinis, quæ* STATERÆ *dicuntur licet conſiderare. Cum enim*

anſa

anſa proprius caput, vnde lancula pendet, (vbi vt centrum eſt collocata.) & æquipondium in alteram partem ſcapi per puncta vagando, quo longius, aut etiam ad extremum perducitur, paulo, etiam pari pondere ampliſſimam penſionem parem perficit, per ſcapi librationem & examinationem longius a centro recedentem. Videndus & Ariſtoteles *Quæſtion. Mechan. 20.* Cum itaque ſteterit examen ἀκλινὴς, ἰσοῤῥοπία Græcis dicitur, παράλληλον, quod in Gloſſis *Interpondium*, σήκωμα, *Sacoma*, quam vocem retinet Vitruuius *lib. 9. cap. 3. æquatum examen* Virgilio, *vlt. Æneid. v. 725. Æquato examine lances.* Æqua ac paria momenta; item, examinis libramentum, item, æqua lanx & libramenta paria; *h. l.* æquilibrium, æquamentum, Feſto & Nonio *cap. 1. n. 11.* & 28. quam vocem reſtituo & *l. 52. §. 2. D. pro ſocio.* Nam & *exæquandi* vox in iudicio ſocietatis propria, *l. 63. §. 5. eod. tit.* Contra *peſſumdare* in ſtathmetica erat, quod dicitur hic *pondera deprimere*, cum pondus lancem degrauat, σατῆρες τῶ ἑτέρω τοίχω, Hipponacti in *epigrammate*, id eſt ἑτεροῤῥεπεῖς, *Trebuchans:* translatione a nauibus, quæ εἰς ἕτερον τοῖχον procumbunt, prout læua ſiue dextra, vt Catullus loquitur, *ſpirat aura.* Hos Pollucı *Onomaſt lib. 1. c. 9. Segm. 114. pag. 78. Edit. Hemſterhuis.* διατοιχεῖν & ἀντιτοιχεῖν dicitur. Recentes Græci πλαγιάζειν dicunt: Iuuenalis dixit, *alternum latus*, *Satyr. 12. v. 31.* vbi Gloſſæ, *latus dabat nauis*, id eſt, διατοίχει.

Nunc ad *huius leg.* ſententiam redeamus. Ergo Conſtantinus Imp. *hac leg.* inter cætera, quibus collatorum indemnitati & vtilitati conſultum iuit integra conſtitutione ſua, vnde *hac lex* deſumpta eſt, iuſtam quoque ponderandi, ne cui fraus fieret in ſtatera, *au trebuchet, ou balance*, rationem ſeu formam hanc primum in genere præſtituit, vt aurum æqua lance & libramentis paribus ſuſcipiatur. Hoc in genere, quod vnum retinuit Tribonianus. Atenim ſpecialius adhuc *hac l.* Conſtantinus formam præſcribit, quomodo id fieri debeat, ſeu ἰσοςαθμία tenenda.

Primo conſtituit vt ſummitas lini retineatur, *le cordon attaché au bout de la boucle*, non vero anſa, *le bout de la chaſſe.*

Secundo, vt duobus digitis tantum ſummitas lini retineatur.

Tertio, vt tres reliqui digiti liberi ad ſuſceptorem emineant, ne alioquin ab eo pondera deprimantur arte aliqua, non ſeruato examinis libramento, nec æquis ac paribus ſuſpenſa ſtatera momentis. Quæ ſane accurata ponderandi ratio tum æqua tum neceſſaria viſa, vt Conſtantinus, pro ſuo in tributarios & prouinciales ſtudio, eorumque indemnitati conſulturus, hanc ſuper eo conſtitutionem edere voluerit, eamque quam dixi rationem præſcribere.

P. 566.

II. (a) Imp. IVLIANVS A. ad Mamertinum PF. P. (b)

EMPTIO venditioque ſolidorum, quos excidunt, (c) aut deminuunt, aut (vt proprio verbo vtar cupiditatis) (d) *adrodunt*, (e) tanquam leues eos vel debiles nonnullis repudiantibus, inpeditur: Ideoque placet, quem ſermo Græcus appellat, per ſingulas ciuitates, conſtitui *Zygoſtaten*, qui pro ſua fide atque induſtria, neque fallat neque fallatur vt ad eius arbitrium atque ad eius fidem, ſi qua inter vendentem emptoremque in ſolidis exorta fuerit contentio, dirimatur. Dat. (f) IX. Kal. Mai, Salonæ, (g) Iuliano A. IV. & Salluſtio Coss. [363.]

NOTAE.

(a) *L. 2. Cod. Iuſt. eod. tit.* hinc interpolata eſt, ſublata omni memoria emptionis ſolidorum. *GOTHOFR.*

(b) Illyrici: vt expreſſe teſtatur Amm. Marcell. *in geſtis Anni ſuperioris* 362. *lib. 21. cap. 12.* vid. & *lib. 26. c. 5.* hinc & data hæc *lex*, id eſt, Reddita *Salonæ*: de quo mox. *ID.*

(c) Nonnulli monetæ arroſores. *ID.*

(d) Auaritiæ. *ID.*

(e) Vid quæ ſcripſi ad *l. vn. ſup. ſi quis ſolidi circulum ID.*

(f) *Data*, pro *Reddita*: hoc enim tempore Iulianus bello Perſico illigatus erat. vid. *Chronicum Theodoſ. ID.*

(g) *Salona* vrbs Dalmatiæ in Illyrico, cui Illyrico præfuiſſe Mamertinum, oſtendi ad *inſcript. legis. ID.*

COMMENTARIVS.

ZYGOSTATEN, (pro quo miſeri Interpretes *Nycoſtratem* ioculari interpretatione ſupponebant) qui inter priuatos contrahentes, ementes, vendentes, controuerſias dirimat, per ſingulas ciuitates conſtitui iubet Iulianus Imp. Zygoſtatæ ſcil. in id publice conſtituti, vt nummos probarent, de quibus etiam Iuſtinianus *Edicto 11.* ex quo Edicto & illud diſcere licet, ſigna ponderum ab his nummis impreſſa fuiſſe. Aliud vero (quod proximum tamen huic) Zygoſtaſiæ munus eſt, (de quo *l. 1. de frum. Alexandr.*) occupatum Alexandriæ in admetiendo frumento, pondere & quantitate eius exigendis, cum quibus comparandi veniunt μετρονόμοι, qui Athenis erant XV. quorum quinque in Pyræeo, quindecim in vrbe curabant, vt menſuræ iuſtæ eſſent, teſte *Harpocratione in Lex. voc.* μετρονόμοι. Ad hos Zygoſtatas etiam perperam a Cuiacio refertur Syneſii locus, *ex Ep. eius ad fratrem 127.* ὡς ἀπηρίθμησαν, ὡς ἐζυγοςάτησαν, ὡς κατεσημήναντο τῇ δημοσίᾳ σφραγῖδι τὸ χρυσίον: *vbi enumerauerunt, vbi*

vbi appenderunt, vbi denique publico ſigillo aurum obſignauerunt. Eſt enim locus ille, de obſignatione pecuniæ publico debitæ, ponderatæ, & in ſacculo reconditæ. Denique de Ζυγοςασίᾳ in genere in ſtathmetica varia loca occurrunt: Ζυγοςατεῖν nempe erat rei pondus cum ſacomate æquare, vel duas res pares inter ſe facere, quod venuſte ad alia translatum: ad bellica & politica quoque conſilia & libramenta. Ergo Zygoſtaten per ſingulas ciuitates, qui priuatorum ſuper nummis controuerſias tollat, conſtitui voluit Iulianus: cum olim probandæ pecuniæ a priuatis ad Trapezitas ἀργυραμοιϐούς, ſeu nummularios iretur, vt probat *lex 39. D. de ſolutionibus*: & Apuleius *lib. 10. pag. 195. Edit. Lugd. B. apud Ioan. Maire.* item Hieronymus *aduerſus Ruſinum lib. 1. pag. 137. Tom. II. Oper. Edit. Francſ. apud Chriſt. Genſch.* de quo ἐξετασμῷ ἀργυραμοιϐικῷ in genere eſt & Clementis Alexandrini locus *lib. 6 ſtromat. c. 2.* & Luciani *de conſcrib. hiſtor. pag. 608. Tom. I. Oper. Edit. Grauii.* Inſtituti autem hi Zygoſtatæ a Iuliano propter frequentes controuerſias, quæ tum incidebant inter contrahentes ſuper aureis ſeu ſolidis: eo quod multi leues & debiles tum circumferrentur, nempe exciſi, deminuti aut adroſi, quos & ideo nonnulli repudiabant. Ita ſc. obſeruo, a Conſtantini M. potiſſimum temporibus exciſam aut deminutam vel adroſam pecuniam auream (quo pertinet Conſtantini M. *lex vn. ſupr. ſi quis ſolidi circulum,*) vtpote creſcente auri pretio & enormitate (vt teſtatur Symmach. *lib. 10. ep. 42.* ſub Valentiniano Iun.) & cupiditate, quod etiam Auctor vetuſtus ſubditus *Notitiæ Imperii* diſerte ſcribit & queritur, *c. 2.* Inde igitur & auri pretium auctum, atque adeo libra auri ad pauciores ſolidos redacta mox a Valentiniano Sen. quadrieunio poſt *hanc leg.* de quo dixi plene ad *l. vn. ſup. de oblat. votorum*: & ad *l. 1. ſup. h. t.* Hinc illa iam inter contrahentes, ementes & vendentes difficultas, (ob quam Zygoſtatam publice per ſingulas ciuitates conſtitui voluit Iulianus, qui ſcil. eas dirimeret:) Cui ſimilem difficultatem memorat Auctor *Notitiæ* ſubditus *c. 3. Inter damna Reipub. non ferenda, ſolidorum figura aliquantorum fraudibus deprauata, diuerſa populos ratione ſollicitat, & Regia maieſtatis imaginem dum per moneta culpam refutatur, imminuit: Ementis enim eundem ſolidum fraudulenta calliditas, & vendentis damnoſa neceſſitas difficultatem quandam ipſis contractibus intulerunt, ne rebus poſſit intereſſe ſimplicitas.*

De more porro emendorum, vendendorum ſolidorum hac ætate, præter *hanc l.* & ſuperiorem illum Auctoris *Notitiæ* ſubditi *locum*, eſt & *d. lex vn. ſup. ſi quis ſolidi circulum*: & *Nouella* Valentiniani *inter Theodoſianas 25. de pret. ſolidi.* Et Symmachi locus, *d. lib. 10. ep. 42. vendendis ſolidis, quas plerumque publicus vſus expoſcit collectariorum corpus obnoxium eſt, quibus arca vinaria ſtatutum pretium ſumminiſtrat.* Ex quo *loco* diſcimus quoque, certum Corpus Nummulariorum fuiſſe, qui *Collectarii* dicebantur, qui ſc. auream pecuniam colligebant, eamque cupientibus vendebant: de quibus *Collectariis* eſt quoque *lex* Honorii *16. C Iuſt. ſi certum pet.* & *d. Nouella Valentiniani 25.* & Acronis locus *in Horat. 1. Satyra 6. v. 63.* Rufini *lib. 5. c. vlt.* & Auguſtini *de mirac. S Stephani lib. 22. de ciuit. Dei cap 8.* Suidæ, & Gloſſarum Palæmonis: de quo plene ad *d. l. vn. ſup. ſi quis ſolidi circulum.*

Imo ex eodem Symmacho, & *d. Nouell. Valent. 25.* diſcimus, pretium publice poſitum ſolido, quo maius exigere Collectarii non poſſent, auctumque ſubinde, prout in foro rerum venalium au- P. 567.
gebatur.

Obſeruandum interea *hanc l.* Iuliani ingenium redolere, literionis Græculi, vt olim vocabatur, teſte Amm. Marcell. *lib. 17. cap. 11.* quo pertinent illa, *quos excidunt aut deminuunt, aut (vt proprio* VERBO *vtar cupiditatis) adrodunt*: item illa, *quem* SERMO GRÆCVS *appellat Zygoſtaten.* Item illa *l. 1. ſup. de domeſtic. ad plurimos ſuos & terminos*: vbi dixi. In eodem cenſu quoque pono cognitionis eiusdem ſeu ſententiæ formulam Græcam in *l. 5. ſup. de fide teſtium.* Sane vetus Imperatorum mos ille iam hoc tempore exoleuerat, quo Græcis verbis abſtinendum ſibi putabant in Orationibus & Decretis ſuis.

III. (a) Impp. VALENTINIANVS & Valens AA. ad Dracontium. (b)

SI quid ex proſcriptionibus vel condemnationibus (c) depoſcitur, ſi quid ex ceteris titulis, (d) qui annui atque ſolemnes (e) ſunt, vel veteres vel (f) recentes, aut (g) peculiaris in ſingulis, aut certa per paucos, aut vniformis in cunctos, cogit (h) indictio, (i) non in materia (k) conferatur, ſed ſub condicionalium (l) oculis ac periculis, diu multumque flammæ edacis (m) examine in ea obryza (n) detinetur, (o) quemadmodum (p) pura videatur. (q) Dat. Prid. Non. Aug. Nemaſia, (r) Poſt conſſ. Gratiani N. P. & Dagalaifi Coss. [367.]

N O T A E.

(a) Abeſt hæc *lex* a *Cod. Iuſt.* GOTHOFR.

(b) *Dracontius* hic fuit Vic. Afric. A. 364. 365. imo & hoc Anno 367. menſe Aprili, vt docet *lex 4. inf. de præd. nauicul.* Obſtare tantum videatur *lex 16. ſup. de annona & tribut.* quæ cum ad eundem Dracontium data ſit, data dicitur *Nicomediæ*, Bithyniæ ſc. Verum ad eam *legem* in id inquiro. *ID.*

(c) Con-

(c) *Condemnationib.* id eſt, multis. v. *Gloſſ. ID.*
(d) *Titulis*, id eſt, cauſis tributorum: vid. *Gloſſ. ID.*
(e) *Solemnes*, id eſt, ordinarii, canonici. v. *Gloſſ. ID.*
(f) Nota titulos ordinarios canonicos, alios veteres, alios recentes. Nempe recentes quidam tituli ſeu collationes, inductæ indictæque fuerant, *ID.*
(g) *Aut ſi quid. ID.*
(h) *Cogit*: Vid. *leg. 1. inf. de auri publ. proſecutor.* vbi dico. *ID.*
(i) Cuius tres interim ſpecies hic obſeruandæ. *ID.*
(k) Non purgata. Niſi malimus hic ita reponere, *hoc in materia. ID.*
(l) *Conditionales*: de his dixi ad *l. 5. ſup. de iure fiſci*: & *ad l. 3. ſup. de Numerariis, ID.*
(m) *Edax* flamma. Virgil. II. Æn. v. 758.

> *Ilicet ignis edax ſumma ad faſtigia, vento*
> *Voluitur, exuperant flammæ, furit æſtus ad auras. ID.*

(n) De *obryza*, & de hoc proinde loco dixi ad *l. vn. ſup. de oblat. votor. ID.*
(o) *γρ. Detineatur. ID.*
(p) Id eſt, vt ea ratione, modoque. *ID.*
(q) Sit, & euadat. *ID.*
(r) De *Nemaſia* hac mox. *ID.*

COMMENTARIVS.

DE Avri illatione eſt hæc Valentiniani Sen. Conſtitutio: cuiusmodi inquam, ſeu quale Aurum conferri debeat: Idque in omni collationum genere, ſiue ex bonorum proſcriptione; ſiue multæ nomine aurum exigatur; ſiue canonici & ordinarii tributi nomine; ſiue ob extraordinariam indictionem. Hæ quatuor ſcil. auri fiſco inferendi cauſæ ſunt; eaque proinde prima illationum & debitorum fiſcalium diuiſio, a *cauſa*, cuius nomine ea fit, deſumpta notanda eſt; vel inquam ea debentur & inferuntur ex *Proſcriptione* bonorum, vel *Multa* nomine, de quo eſt quoque Syneſii *ep. 127.* vbi agit de Euthalio Lydiæ Præſide, a Rufino PP. quindecim libris auri multato: quique inſigni impoſtura duobus marſupiis confectis, in quorum altero æreos nummos condiderat, in altero vero aureos, id quod æreis plenum erat loco aureorum ſubiecit: vel ob *Canonicos* titulos, id eſt ſolemni penſitatione tributorum; vel denique *Extraordinariæ* Indictionis nomine. Quæ prima, vt dixi, illationum diuiſio hic proponitur. Altera deſumpta eſt a diuerſitate perſonarum & modi: Nempe alia peculiaris eſt in ſingulos, alia certa per paucos, alia denique vniformis in cunctos. *Peculiaris in ſingulos*, nempe adſcriptione facta pro modo poſſeſſionis cuiusque. *Certa per paucos*, puta Honoratos, Senatores, Decuriones, Negotiatores. *Vniformis in cunctos*, nulla poſſeſſionis, vel dignitatis ratione habita, aut profeſſionis.

Ergo his omnibus caſibus Valentinianus Sen. aurum fiſco inferri non vult in *Materia*, id eſt, in materia impura, non obryza. *Materia* ſc. cum alias omnem auri maſſam ſignificet, vt *leg. 2. ſup. h. t.* vbi dixi; hic ſignificat impuram, cui opponitur *hac leg.* & *l. 4. inf. de auro coron.* obryza: de qua ſemel plene dixi ad *leg. vn. ſup. de oblat. votor.* vel ex *hac* ſane *lege* apparet, *obryzam* eſſe examen auri quod per ignem fit, diu multumque donec id purum vndique appareat. Quid igitur? Prius materiam flammæ edacis examine in obryza detineri iubet Imp. vt pura ſit: idque fieri ſub Conditionalium oculis ac periculis vbi Conditionales ſunt Miniſteriales publici, qui varia miniſteria præbebant publico; & inter alia, nummis, auroque flando, probando; de quibus Conditionalibus dixi plene ad *leg. 5. ſup. de iur. fiſci*: & *l. 3. ſup. de Numerar.*

Id vero ab Imp. *huius leg.* Authore conſtitutum puto, ne, quod ſolebant, *Spectatores*, qui auri materiam illatam ſpectabant, probabant, (qua *Spectatoris* voce Symmachus quoque vtitur *loco*, quem mox apponam) incrementi nomine propter obryzam aliquid exigerent, eoque nomine prouinciales concuterent: de quo *incremento* obryzæ nomine, ſunt *duæ leges, hoc C.* puta *lex 2. ſupr. de Suſceptor.* & *lex 4. infr. de auro coronar.* qua etiam id incrementum obryzæ duodecim annis poſt *hanc leg.* in auri coronarii oblatione ſublatum. Eoque etiam pertinet quod Symmachus ſcribit *lib. 4. epiſt. 56.* (procul dubio ad Gratianum A.) *Flanda moneta nequitiam decoquit larga purgatio: Nullo iam prouincialis auri incremento trutinam Spectator inclinat*: neque dubito Symmachum de *hac ipſa lege* ibi cogitaſſe. P. 369.

Et hæc quidem ad *huius l.* ſententiam ſufficiant: quæ & eo quoque nomine ſingularis eſt ob ſubſcriptum *Nemaſiæ* nomen, cuius nulla alibi, quod ſciam mentio occurrit. Nos vbi ea fuerit, inquiremus. Igitur ſub Valentiniani Sen. non ſub Valentis, Imperio fuiſſe oſtendit *Dracontius*, ad quem *hac lex* data eſt: quem vtique Vicarium Africæ fuiſſe iam *in Notis* oſtendimus. Valentiniani tantum itinera hic nobis proſequenda ſunt. Igitur in Galliis hoc Anno Valentinianum conſtitiſſe docet huius Anni *Chronologia*, & quidem *Remis*, vbi menſe adhuc Iunio erat, vt docet *lex 5. infr. de cenſu*: tum *Ambianis*: quod de Ambianis docet ſubſcriptio *legis vn. ſupr. de ingratis liberis*: idque menſe Auguſto proximo, poſt *hanc leg.* Hæc *lex* data eſt menſe Iulio, qui medius eſt inter Iunium & Auguſtum: quare & Nemaſia hæc inter Remos & Ambianos medio loco poſita fuerit neceſſe eſt: & vero locus ille hodie vocatur *Nemay*, haud procul Remis, & intermedius Remis Ambianos pergenti: quo ſane perrexit hoc tempore Valentinianus, ea quam enarraui de cauſa, ad *leg. vn. ſupr. de ingratis.*

DE AVRI PVBLICI PROSECVTORIBVS.

TITVLVS VIII.

LIB. X. COD. IVST. TIT. LXXII.

De Auri Publici Perſecutoribus.

De Reorum proſecutione, dixi ad *legem* 5. *ſupra de exhibend. reis.*

De Animalium proſecutoribus, vide *titul. ne operæ a conlat. exig.* & *leg.* 2. *ſupr. de Tractor. & ſtatiuis*: & *leg.* 2. *infra de venat. ferar.*

De Frumenti proſecutoribus, id eſt, Nauiculariis, dixi ad *leg.* 4. *infr. de Naufrag.* & *ad leg.* 33. *infr. de Nauicular.* quæ iungenda eſt *legi vn. hoc tit.*

De ſpecierum argenti aurique proſecutoribus, *l.* 18. 40. 47. 48. *ſupr. de curſu publ.* deque iis plene *Paratitlo de Annona & tribut.* & *tit. de excoct. & translat. annon.*

Du Port, voicture des deniers à l'Eſpargne. vide *Cod. Henry*, 12. *tit.* 24. *des Clercs conducteurs des deniers. art.* 1.

I. (a) Impp. Honor. & THEOD. AA. Anthemio PF. P. (b)

AVRI proſecutores, (c) partim nulla præmiſſa (vt adſolet) proſecutoria, aurum præſumunt (d), partim diutius retentant (e) quod ſtatim fuerat adſignandum. Ideoque cenſemus, (f) ne quis abſque præcepto Viri Inluſtris Comitis ſacrarum largitionum, vel coquendum (g) aurum ſumat, vel capiat (h) deinceps retinendum. Data XIII. (i) Kalend. Auguſt. (k) Honorio VIII. & Theod. III. AA. Coss. [409.]

NOTAE.

(a) *Lex* 1. *Cod. Inſt. eod. tit.* Iungenda autem huic legi, *lex* 33. *infr. de Nauicular.* & *lex* 2. *Cod. Inſt. de off. Ciuil. Iudicum. GOTHOFR.*

(b) Orientis: de quo iam ſæpe. Ad eum ſcripſit Syneſius. *v. Proſopogr. ID.*

(c) *Perſecutores*, & mox *perſecutoria*, vulg Cod. I. *ID.*

(d) *Præſumunt perſequi*, Cod. I. *ID.*

(e) *Retentare*, eſt detinere, vid. *Gloſſ. Theod. ID.*

P. 569. (f) Id eſt, *iubemus*, *ID.*

(g) Ita quoque habet *C. Inſt.* ſed repono *cogendum*: de quo mox. *ID.*

(h) Accipiat. *ID.*

(i) Ita quoque *d. l.* 1. At *d. l.* 33. XIV. *ID.*

(k) Conſtantinop add. *d. l.* 33. & *d. l.* 1. *ID.*

COMMENTARIVS.

DE PROSECVTORIBVS auri eſt hæc vnica *hoc titulo* Theodoſii Iun. Conſtitutio: de quibus tamen ſunt aliæ *hoc Cod.* leges plures, puta Conſtantini M. *lex* 2. *Infr. de Iudæis.* Valentiniani Sen. *lex* 18. *ſupr. de curſu publ.* & *l.* 12. *ſupr. de Suſceptor.* Theodoſii M. *lex* 40. 47. 48. *ſupr. de curſu publ. lex vlt. ſup. de his qui cum diſpenſ.* Honorii *lex* 161. *ſupr. de Decur.* & ſic in vniuerſum nouem *hoc Cod.* conſtitutiones. Eſt & Libanii locus *orat. pro Ariſtophane*; *p.* 213. *Edit. Morell.* ὁ δὲ, ὃν ἤδη στρατιώτης &c. τοὺς δὲ δοκοῦντας διακονεῖν, μετὰ ἁμαξῶν χρυσὸν ἀγουσῶν ἀπέπεμπεν: *alter ille cum iam militia ornatum haberet, &c. eos vero qui miniſtrare videbantur cum curribus aurum vehentibus, amandabat.* Scilicet, vt aliarum rerum & ſpecierum ad largitiones Principis perferendarum certi deductores, proſin-

ſecutores erant; de quo munere agit quoque Arcadius Chariſius in recenſu munerum perſonalium in municipiis: *l. vlt. §. 3. D. de munerib.* ita & auri publici, qui ſcil. aurum ſacris largitionibus inferendum, *cogendum* deferebant, & quidem curſu publico: vt docet *d. l. 18. & 47. 48 ſup. de curſu publ.* Iique vel ex Curialium numero erant, vt docet *d. l. 161. & d. l. 2. infr. de Iudais;* vel Palatinorum, *l. 48. ſup. de curſu publ.* Id quod ex Syneſii quoque *ep. 18. & 19.* diſcere eſt, vbi meminit Decurionis ſeu Curialis (ita enim verſum oportuit) Vrbis Alexandrinæ (ad quam pertinent & duæ ſequentes epiſtolæ *20. & 21.*) qui e Curia (ita enim vertendum βουλευτήριον, non *Conſilium)* Alexandrine miſſus fuerat ad proſecutionem, ſeu perſerendum aurum ad Comitem S. L. in militum ſtipendia, χρυσίον εἰς ὑμᾶς (alloquitur fratrem Com. S. L. *dict. ep. 18.)* τοῖς ὑμῶν στρατιώταις κομίζοντα: *cum pecunias ad vos in militum ſtipendia perſerret.* Item *ep. 19.* ὃς ἐπὶ χρυσίου διακομιδῇ πρὸς ὑμᾶς ἐστάλη δημοσίαν ὁδόν: *qui auri perſerendi gratia publica ad vos via profectus eſt.* Et ita quidem Proſecutores hic intelligendi ſunt: non vt Alciatus olim, & poſt eum alii, qui in iudicio contra eos perſequuntur, qui aurum debent. *Proſequi* enim hic, eſt deducere, deuehere. *Proſequi*, inquam; nam ita hic *Proſequutores* dicuntur, & *Proſequutoria;* non vt Amayas *Perſecutores:* quanquam hac in re ipſa, hæc vox *perſequendi* vſurpatur ab Arcadio Chariſio *l. vlt. §. 3. D. de munerib. & honor.* niſi vitium ibi ſit.

Ad rem. Fraudibus igitur auri proſecutorum eorum, vt *aliis legibus illis*, ita & *hac leg.* Theodoſius Iun. occurſum it; quæ pars eſt prolixioris Theodoſianæ conſtitutionis *de re Tributaria:* qua is partim collatorum indemnitati aduerſus Exactorum & Iudicum iniurias conſultum iuit, quo pertinet *l. 2. C. Iuſt. de off. ciu. Iudic.* (quæ *huic* proinde iungenda eſt) partim fiſci vtilitati, pœna impoſita euerſi oneris reis, puta Nauiculariis, ſeu frumenti proſequutoribus, *d. l. 33. infr. de Nauicul.* (quæ inde deſumpta *huic* iungenda eſt:) & euerſi oneris reis proſecutoribus auri *hac leg.*

Cæterum vt duum generum fraudes Proſecutorum hac parte fuere; vel enim citra præceptum (quod hic *Proſecutoria* vocatur, nempe *proſequendi* iuſſio) Comitis S. L. ſæpe aurum deferendum, *cogendum*, (vt hic legendum, de quo mox;) capiendum, vt mox infra, præſumebant; vel diutius retinebant, quod ſtatim ſuerat aſſignandum: ita Duo *h. l.* interdicuntur auri Proſecutoribus. Primo, ne abſque *Proſecutoria*, id eſt præcepto Comitis S. L. aurum præſumerent, ſeu *cogendum aurum ſumerent;* Vbi *coquendum* aurum, pro *decoquendum*, abſumendum, interuertendum accipit poſt Accurſium, Lucam de Penne, Cuiacius quoque, ſed male: Alii *coquendum* accipiunt pro *purificandum:* Scilicet ſolidi collati Suſceptoribus in maſſam mox redigendi erant, maſſaque in obryza ſeu flamma tenenda: quod indicatur *d. l. 12. ſup. de Suſceptor.* Vnde & cocti auri fit mentio *l. vn. ſup. de oblat. vot.* & *tit. de auro coron. infr.* Verum & id male. Suſceptoribus enim id incumbebat, non proſecutoribus. Igitur Comitis S. L. præceptum prius eos expectare vult, e cuius ſcil. nutu pendebant omnia, quæ ſacris Largitionibus debebantur: de quo in *Notitia dignitatum.* Secundo loco vetantur Proſecutores diu retinere aurum, ſed ſtatim *adſignare*, id eſt, Largitionibus inferre. Igitur vt paulo ante indicaui, hic omnino reponam *cogendum*, vbi ſcriptum erat *coquendum*, vel *vrguendum:* Debita cogere, *l. 39. ſupr. de appellat.* Panſiones cogere, *l. 17. ſupr. de extraord.* Cunctantes cogere, *l. 1. ſupr. de liberali cauſa.* Cogere eſt rem aliquam in ſuum & debitum locum compellere: ſic apud Virgilium *Eclog. 3. v. 20. Tityre coge pecus* (qui idem *Eclog. 7. v. 2. Compulerantque greges*) vbi Seruius, id eſt, *collige, in vnum redige.* & *Eclog 3. v 98. Cogite oues pueri:* vbi Seruius, *in ouilia colligite.* Item *Æneid. 11. v. 234. ſeqq.*

Ergo concilium magnum, primosque ſuorum
Imperio accitos, alta intra limina cogit:
Olli conuenere, fluuntque ad regia plenis
Tecta viis.

Plautus pariter *Bacchidib. Actu 5. ſcen. 2. v. 15.* de ouibus, *Cogantur quidem intro.* Sed quid aliunde teſtimonia conquirimus? *Cogendi* vox proprie in his erat, quæ in Fiſcum ſeu Ærarium referenda eſſent, referrentur. Sic Varro dixit *lib. 4. de Lingua Latina pag. 27. Edit. Gothofred.* coactum in publicum: Tacitus *lib. 6. Annal. cap. 2.* in fiſcum cogi. Iuriſconſulti noſtri, *cogi ad*, vel *in fiſcum* bona; *l. 31. 45. §. 2. D. de iur. fiſci: l. vlt. §. 8. D. de bonis eorum, qui ante ſentent. l. vlt. princip. D. de requirend.* a fiſco cogi partem, *l. 24. D. de falſis.* Cogendum vero aurum ſumere, hic eſt, aurum præſumere proſequendum. Sane *capiendi* voce mox id ipſum indicatur, *vel capiat deinceps retinendum:* pariter vt e Theodoſio M. *d. l. vlt. ſupr. de his qui cum diſp.* Imo pariter vt idem Theodoſius Iun. *d. l. 33. infr. de Nauicul.* (huic coniungenda) & Honorius *l. 3. Cod. Iuſt. quæ res venire non poſſ.* capitalem pœnam minitatur Nauiculariis, qui fiſcales ſpecies ſuſceperint deportandas, ſi recta nauigatione contempta, litora deuia ſectati, eas auertendo diſtraxerint. Imo pariter vt Suſceptores ſpecierum diu penes ſe eas retinere vetantur, *l. 17. ſupr. de Suſceptoribus: l. 1. Cod. Iuſt. de canone larg. tit.* Tandem & Honorii *lex 1. Cod. Iuſt. de off. Com. S. L.* ad eundem finem pertinet, qua iubentur Iudices, *aurum exactum ad ſacras Largitiones ſine vlla dilatione mittere.* Idque eſt, quod *fine legis* dicitur, *ne* &c. *vel capiat deinceps retinendum:* id eſt, diutius retinendum.

p.570. DE HIS, QVÆ EX PVBLICA CONLATIONE INLATA SVNT, NON VSVRPANDIS.

T I T V L V S IX.

L I B. X. C O D. I V S T. T I T. LXXIII.

Conferendus cum hoc *Titulus* 24. *libro* 10. *ſupra de his, qui cum diſpenſ. contraxerunt.*

P A R A T I T L O N.

INLATA ex publica collatione *Rubr.* a Republica collatione ſuſcepta, *l. 1. h. t.* quæ in conditis referuntur, vel in arca continentur: *l. 2. h. t.* quæ ex priuatæ rei canone ſunt, vel eo, quod ex iisdem titulis Iudices exegerint, *l. 3. ſeu vlt. h. t.* denique ex Largitionibus ſacris, vel ex priuato ærario, *l. 2. ſupr. de his qui cum diſpenſatore*, veluti aurum *d. l. 2. & 3. ſupr. de his qui cum diſpenſ.* ex vrbicario canone, *l. vlt. infr. de canone frum. V. R.* horreaticas ſpecies, *l. vlt. ſupr. de conditis in publ. horreis:* annonas horreis deputatas, *l. 12. infr. de operib. publicis:* ſpecies annonarias, *l. 3. ſupr. de erog. mil. ann.* vſurpare, *Rubr. h. t. & d. l. 3. ſupr. de erogat.* veluti mutui interuentione oppoſita inuadere, *l. 1. h. t.* commodare, *d. l. 2. ſupr. de his qui cum diſp.* præſumere *l. 2. h. t.* ad quemlibet titulum vſurpare *d. l. 2. hoc tit.* ad alias neceſſitates transferre, *l. 3. h. t.* prohibentur *hoc titulo, & dictis legib.* omnes Iudices *l. 1, 2. 3. hoc tit.* ſine ſublimium poteſtatum iuſſione, *l. 2 h. t.* Propoſita pœna ſeu ſeueritate grauiſſima *d. l. 3. hoc tit.* Quadrupli, *l. vlt. infr. de canone frum V. R.* deportationis & proſcriptionis omnium bonorum, & ſumma pœna *l. 12. infr. de operib. publ. & l. vlt. ſupr. de cond. in publ. horreis. d. l. 2. ſup. de his, qui cum diſp. contrax.*

I. (a) Imp. CONSTANTINVS A. (b)

NVLLVS Iudicum id quod a Republica (c) ex conlatione ſuſceperit, mutui interuentione obpoſita, vel inuadat vel conetur inuadere. Dat. prid. Non. Mart. Treu. (d) Paulino & Iuliano Coss. [325]

N O T A E.

(a) *L. 1. Cod. Iuſt. eod. tit.* GOTHOFR.

(b) Præfecto Prætorio Galliarum inſcripta fuiſſe videtur *hæc lex:* de quo ad *ſubſcript. ID.*

(c) Ciuitate aliqua. Nempe totius Reipublicæ canon & tributum ſimul Iudicibus inferebatur vid. & *l. vn. ſupr. de prebſalario. ID.*

(d) *Treueris* non fuit hoc Anno Conſtantinus M. verum in Macedonia primum, mox in Bithynia. Quare *Data* hic, pro *reddita*, ſcilicet P.P. Galliarum: quomodo & aliæ leges nonnullæ Datæ Treueris ſimiliter accipiendæ ſunt: veluti *l. 3. unde vi. l. 5. de proximis. l. 5. de Veteranis: l. 2. de Numerar. ID.*

---

p.571. II. (a) Imppp. Gratianus, Valentinianus, & THEOD. AAA. Haue Lampadi (b) K.N.B.

NVLLVS (c) penitus ex eo, quod refertur in conditis, (d) vel in arca (e) continetur, ad quemlibet titulum (f) vſurpet, niſi forte præſumendi facultatem Sublimium Poteſtatum (g) iuſſione perceperit. Dat. III. Id. April. Conſtantinop. Antonio & Syagrio Coss. [382]

N O T A E.

NOTAE.

(a) *Lex* 2. *Cod. Iuſt. eod. tit.* GOTHOFR.

(b) Putabam aliquando reponendum hic *Palladi*: cui Inſcribitur *lex* 2. & 3. *ſupr. de his qui cum diſpenſ.* ſane Lampadius, cui *hæc lex* inſcribitur, alius eſt ab eo, qui in Occidente ſub Honorio poſtea fuit, cuique inſcribitur *Lex* 11. *Cod. Iuſt. de vectigalib.* & de quo Zoſimus *lib.* 5. *cap.* 29 *in fin.* & *lib.* 6. *cap.* 7. in Geſtis Anni 408. & 409. ad quem extant & duæ Symmachi *epiſtolæ* 62, & 64 *lib.* 8. & cuius meminis *lib.* 6. *ep.* 64. & *lib.* 9. *ep.* 31. *ID.*

(c) Iudex: vt *l.* 1. *ſup.* & *l. vlt. infr. ID.*

(d) Pro in condita. Condita autem in horreis, v. *infr. tit. de conditis in publ. horr.* non ſola condita militaria. *ID.*

(e) *Arca* priuatæ rei: *Condita* ſpecierum, ſeu largitionalium titulorum. De Arca & Arcariis dixi *ad leg.* 14 *ſupr. de Suſceptoribus. ID.*

(f) Id eſt, expenſam & cauſam publicam. *ID.*

(g) An PP. vt *l.* 6. *de indulg. debitor.* An *Comitis S. L.* & *Comitis R. P. ID.*

III. (a) Impp. Arcad. & HONOR. AA. Meſſalæ PF. P. (b) Poſt alia.

SCIANT Iudices, (c) nihil ſibi ex Priuatæ rei canone, vel eo (d) quod ex hisdem titulis exegerint, (e) ad neceſſitates alias transferre licere: niſi malunt (f) grauiſſima ſeueritate ſuam (g) licentiam cohercere. Dat. XVI. (h) Kalend. Iun. Med. Theodoro V. C. Coss. [399.]

NOTAE.

(a) *L.* 3. *Cod. Iuſt. eod. tit.* & plenius *l. vlt. Cod. Iuſt. de collat. fund. patrimon.* GOTHOFR.

(b) Italiæ. *ID.*

(c) Id eſt, Rectores prouinciarum, vt *l.* 1. *ſupr. ID.*

(d) *Ex eo*, d. leg. 3. & vlt. Cod. I. *ID.*

(e) Ita quoque *d. l.* 3. at *d. l. vlt. contigerit. ID.*

(f) *Maluerint*, d. leg. vlt. Cod. I. *ID.*

(g) *Eorum licentiam*, d. l. vlt. *ID.*

(h) Eodem die Data hoc Anno ad Dominatorem Vic. Afric. *lex* 35. *infr. de hæreticis. ID.*

COMMENTARIVS.

CONSTANTINI M. THEODOSII M. & HONORII Imperatorum, tres conſtitutiones *hoc titulo* continentur, in eodem argumento: Quibus videlicet *Iudices*, ſeu Rectores prouinciarum, ex collatione illata, vſurpare quidquam vetantur. Id enim intereſt inter *hunc titulum*, & *titulum 24. lib.* 10. *ſupr. De his qui cum diſpenſatore contrahunt*; quod ille ſit de priuatis, & de exactoribus, & Proſecutoribus, aliquid vſurpantibus ex fiſcalibus: hic vero de Iudicibus ipſis ſeu Rectoribus prouinciarum. Nam qui aliter diſtinguunt, non recte diſtinguunt.

Ergo 1. vetantur Iudices vſurpare ſeu contingere illata, ſine ſuſcepta a Republica ex conlatione: ſiue ea ipſi ſuſceperint, *l.* 1. *hoc tit.* & exegerint, *leg. vlt. hoc tit.* ſiue in condita relata ſint, aut in Arca contineantur, *l.* 2. *hoc tit.* quod *Canonis* appellatione indicatur, *l. vlt.* vbi *priuatæ rei canon* opponitur ei, quod ex iisdem titulis Iudex exegit, id eſt, ipſe exegit ex iisdem rei priuatæ ſcilicet titulis; veluti ex patrimonalium fundorum canone & præſtatione, quod docet *lex vltim. Cod. Iuſt. de collat. fundorum patrimonialium*, vbi *lex vltim. huius tit.* (quamlibet poſita pariter vltimo loco *tit. huic* gemino) amplior extat relata his verbis: *Per omnes prouincias patrimonialium fundorum ab ordinariis iudicibus canon exigatur & quicquid exactum fuerit dirigatur*, id eſt, ſiue ſpecies annonariæ ſint, ſiue largitionales, ſiue ad rem priuatam Principis pertineant: de quo eſt, etiam diſerte *dict. lex vltima hoc titulo.* Id enim *Arcæ* appellatione *d. l.* 2. *h. t.* intelligendum eſſe dixi plene ad *l.* 14. *ſupr. de Suſceptor.* Non vt (qui ſecundus error notandus) Cuiacius etiam de Arca P.P. Qui & ideo male tertio errore *legem vltim. huius titul.* ita diſtinguit a *l.* 2. quaſi *dict. leg. vltim.* agatur de priuato Ærario, non etiam *dict. leg.* 2.

Et ſic in condita relata & in Arca contenta, diſtinguenda ſunt, quæ etiam ſub diuerſarum Poteſtatum diſpoſitione fuere, puta illa ſub Comitis S. L. hæc ſub Comitis R. P. qui *ſublimium Poteſtatum* appellatione intelligendi ſunt: *leg.* 2. *hoc tit.* Quod pœnam attinet, quæ proponitur *l.* 2. bonorum proſcriptionis & deportationis ea eſt, & proponitur iterum, & *l. vlt. ſup. de conditis in publ. horr.* & *l.* 12. *infr. de operib. publ.*

2. *Vſurpare* autem vetantur ſuopte motu citra ſublimium Poteſtatum iuſſiones, hi enim ſoli præſumendi facultatem tribuere potuere: puta Com. S. L. & R. P. ſub quorum diſpoſitione fiſcalia fuere.

3. *Vſurpare* item quocunque obtentu: Neque *mutui interuentione* oppoſita, *l.* 1. *hoc tit.* veluti ad alium quemlibet titulum, in quem deſtinata ſunt, *l.* 2. *hoc tit.* ſeu ad neceſſitates alias Reipubl. *l. vlt. hoc tit.* veluti in operum publicorum expenſas. *Mutui interuentione oppoſita* inuadere *l.* 1. *hoc tit.* eſt generaliter, eam in alium vſum mutuare, & mutare, non tantum priuato alicui mutuam dando, vt vulgus quarto errore interpretatur, qui & hac ratione quinto P. 571.

errore differre putant *dictam legem* 1. a *leg.* 2. Quo etiam pertinet Ammiani Marcellini locus, *lib.* 28. *cap.* 1. *Hymettius, cum Africam Proconſule regeret, Carthaginenſibus victus inopia iam laſſatis, ex horreis Romano populo deſtinatis, frumentum dedit: pauloque poſtea, cum proueniſſet ſegetum copia, integre ſine vlla reſtituit mora. Verum quoniam denis modiis ſingulis ſolidis indigentibus venumdatis, emerat ipſe tricenos, interpretii compendium ad Principis ærarium miſit. Ideoque Valentinianus per nundinationem ſuſpicatus parum quam oportuerat miſſum, eum bonorum parte multauit.*

Denique omnis vſurpatio, nundinatio rerum, ex publica conlatione illatarum, Iudicibus *his legibus* interdicitur.

4. De pœna vſurpantis Iudicis ſatis monuit *Paratitlon.*

NE (*) PRÆFECTIANVS, EXACTORIS, VEL CVRIOSI, HORREORVM (**) CVSTODIS FVNGATVR OFFICIO.

TITVLVS X.

(*) Abeſt hic *Titulus* a *Codice Iuſtinian.*
(**) *Vel horreorum*, habent impreſſi omnes.

I. (a) Impp. VALENTINIANVS & Valens AA. ad Zoſimum (b) Præſidem Epyri nouæ.

COMPERIMVS, Imperatoriæ iuſſionis † auctoritate neglecta, Præfectianos (c) ad perniciem prouincialium exitiumque remeaſſe, & exactionibus in Prouincia (d) meritis tuis credita, vel potius lucris & quæſtibus ſuis, contra vetitum laborare: Præterea, vel horreorum gerere cuſtodiam, vel Curarum ius atque arbitrium ſibi præſumere. Horum ſi quis exiſtat, volumus, huius auctoritate præcepti, in futurum Suſceptorum Officiis eum deputari, deque eius nomine vniuerſa Clementiæ Noſtræ auribus intimari. Dat. XIV. Kal. Dec. Med. Valentiniano & Valente IV. AA. Coss. [373.]

NOTAE.

(a) *L.* 1. *Cod. Iuſt. de apparitorib. Præfectorum Prætorio* hinc interpolata eſt. Eam vel ſimilem indicat Maiorianus *Nouella* 4. *de Indulg. reliquorum.* GOTHOFR.

(b) Zoſimo huic Præſidi Epiri nouæ inſcribitur hoc ipſo Anno altera adhuc *lex vn. ſupr. de ſtratoribus.* vbi & de Epiro noua aliquid dixi. Fuit autem hic in eo Magiſtratu ſucceſſor Paulini, cui inſcribitur Anno ſuperiore 372. *lex* 22. *infr. de Epiſcopis.* Fortean Zoſimi Hiſtorici, qui Aduocatus fiſci fuit, pater hic. *ID.*

† *Lex* hæc nuſpiam comparet: niſi intelligat *legem* 2. *ſupr. de Curioſis*: vel certe Iuliani *inſtitutum*, de quo mox. *ID.*

(c) Id eſt, Apparitores PP. & quidem Illyrici in *ſpecie huius leg.* ſub quo fuit *Epirus noua*: vt ex *Notitia Imperii fol.* 15. liquet. Cæterum hoc tempore fuit PP. Illyrici Probus. Porro iniuriam facit Cuiacio vir doctus, quaſi is ad *Nouellam* 119. *Præfectianis*, Adſeſſores Præfecti Po. connumerauerit. Nam imo Præfectianos ab Adſeſſoribus clare ſeparat, *ID.*

(d) Epiro noua, *ID.*

COMMENTARIVS.

DE PRÆFECTIANIS eſt hæc Valentiniani Sen. *lex*: de quibus agitur & *l.* 19 *ſupr. de diu. off. Nouella* Valentiniani 14. *de Princip. agent. in reb.* & *Nouella* Maioriani 4. *de Indulgentiis reliquorum* (quæ etiam *huic l.* concordat) id eſt, de Præfecti Prætorio Apparitoribus ſeu Officialibus, de quibus eſt peculiaris *tit. C. Iuſt. de Apparitorib. Præfectorum Prætorio & priuilegiis eorum*: Multaque eorum mentio *hoc Codice*: ac nominatim *tit. de diuerſ. offic. l.* 5. 6. 7. 9. *ſupr. de executorib. & exactionib.* & *lege* 14. *ſupr. de exactionibus*: (quæ in eodem argumento verſantur in quo *hæc lex*:) De iiſdem eſt quoque Syneſii locus *epiſt.* 127. vbi agitur de exactione multæ cuiuſdam impoſitæ Euthalio Lydiæ præſidi a Rofino PP. Meminit & Chryſoſtomus non *vna epiſtola*, vbi ἐπαρχικοὺς vocat: meminit & Amm. Marcell. *lib.* 17. *cap.* 3. *in fin.*

Cæterum Præfectiani hi, vtpote Inluſtris maxime poteſtatis, puta Præfecti Prætorio Apparitores, maiorisque adeo meriti (quomodo & alii in foro Præfecti Prætorio: de quo dixi ad *l.* 188. *ſup. de Decur. l.* 2. *ſup. de aſſeſſorib.* & *l. vlt. de poſtulando*) ſingu-

ſingularibus priuilegiis ſupra alios Apparitores fruebantur, de quo *leg. 8. ſup. de diuerſ. offic.* & *d. tit. C. Iuſt. de Appari. Præſ. Præt. & priuileg. eor.* vice verſa etiam, quia timendi magis & terribiles prouincialibus erant, quibus *militaris terror inſerebat formidinem*, vt dicitur *l. 6. ſup. de executor.* ſuperioris militiæ authoritate terribilibus, Maiorianus *d. Nouell. 4.* de ſuperioris eingnli faſtigio (meleˏ faſtidio) blandicutes, *ibid.* armatæ poteſtatis miniſtri, *ibid.* e nonnullis actibus ſubmoti fuernnt Principum conſtitutionibus, *ne alioquin in perniciem prouincialium & exitium*, (vt *hac leg.* dicitur) procederent, *lucrisque & quæſtibus ſuis* indulgerent. Igitur hac de cauſa vetiti iam anterioribus conſtitutionibus Præfectiani *Exactionib.* tributorum incumbere, vt *hac l.* docemur. De Iuliano Cæſare certe Am: Marcell. *lib. 17. cap. 3. in fin. Inuſitato exemplo id petendo Cæſar impetrauerat a Præfecto* (Prætorio Florentio) *vt ſecunda Belgica multiformibus malis oppreſſa, diſpoſitio ſibi committeretur, ea videlicet lege, vt, nec Præfectianus, nec Præſidialis Apparitor ad ſeluendum quemquam vrgeret.* Ergo & id quoque a Iuliano C. tum obſeruatum, & forte *lege* generali emiſſa, quam hic Valentinianus intellexerit. Quod & *hac l.* a Valentiniano Sen. per Epirum nouam vetatur, qui & duobus aliis præterea muneribus ſeu muniis iis interdicit: puta vt ne Præfectianus *Exactoris* munere fungatur; ne *Cuſtodis horreorum*, aut *Curioſi*. De *Exactoris* munere hoc idem poſtea ſtatutum fuit ab Honorio, *d. l. 5. 6. ſup. de Executor. & Exaction.* & a Maioriano, *d. Nouella 4.* Ratio huius interdictionis (iuxta *hanc legem*, & *d. leg. 5. 6. ſup. de Executor.*) ea Nouella ploribus redditur: puta *quod ſauioribus exactionibus poſſeſſorem, Curialemque concuterent, & ita omnia pro arbitrio ſuæ deprædationis extorquerent;* & cum minimum aliquid publicis commodis inſerret, duplum aut amplius in ſportulis auidus & præpotens executor acciperet: denique quod ſuperioris militiæ auctoritate terribiles forent, & in prouincialium viſcera & damna ſæuientes, nec arguere quiſquam apud prouincialem Iudicem poſſet, quod iis, totum ſibi de ſuperioris cinguli faſtigio blandientibus, reſupina poteſtas prouincialis, id eſt, ignauus Rector prouinciæ, famularatur, nec de longinquis regionibus cum magno ſumptuum expenſarumque detrimento ad Comitatum Principis venire auderet ille, qui quereretur, cui ſub duro patientiæ gemitu tolerabilior videretur deprædatio ſæuientis, quam ſub magno obſeruationis incommodo ſuſtinendus impetrandæ vltionis euentus: & quæ *ſequuntur*. Et hæc quidem de Exactionis munere.

Eadem ratione, ſecundo loco, Præfectiani ab *Horreorum cuſtodia*, ſeu præpoſitura *hac l.* arcentur; de qua conſulendum *Paratitl. tit. de ſuſceptorib. præpoſitis ſup.* de cuſtodibus horreorum eſt quoque locus apud Valer. Maximum *lib. 9. c. 3. §. 7.* Nempe, quia & facile interuertere aliquid ex annona poterant, neque tam facile erat ab his annonam conſequi.

Tertio loco, & *Curarum iure atque arbitrio* Præfectianis interdicitur, id eſt, vt *h. t.* Rubrica ſatis indicat, *Curioſi* munere: Quod & ipſum iam antea vetitum a Conſtantio *l. 2. ſup. de Curioſ.* cum ſub Conſtantino e Præfectianis primipilaribus, ſtationarii ſeu Curioſi ſumerentur, *l. 2. ſup. de cohortalib.* imo aliquandiu adhuc ſub Conſtantio, vt docet *l. 2. ſup. de Curioſis:* & *lex 6. ſup. de diuerſ. offic.* Sane & poſtea ſub Honorio, Apparitores Stationarios, id eſt, Curioſos fuiſſe, docet *lex 31. inf. de Epiſcop.* de quo munere ſuo *tit. 29 lib. 6.* quod erat, vt curſum publicum gubernarent, inſpicerentque, ne quis circa vel ſupra euectionis auctoritatem curſum moueret, ſeu vſurparet, in quem finem Curioſi remotas ſtationes peragebant, vt callida machinamenta & fraudes commeantium depellerent. Breuiter, curſus publici præpoſiti erant: Itemque reos Iudicibus nunciabant. Ratio autem huius Interdicti hac quoque parte aperitur, ne videl. quenquam hac occaſione facile concuterent, terribiles ipſa poteſtate armata. Sic & Theodoſ. M. *l. 8. C. Iuſt. de off. Rector. prou.* vetuit, *ne quis Iudicum in prouincia ſua Præfectianum, non magis quam Palatinum, aut militem interceſſorem, id eſt, executorem cuiusquam litigatoris petitione in quolibet priuato ſeu publico negotio tribueret.*

Pœne autem Præfectiano Exactionis, vel Horreorum cuſtodiæ, vel Curarum ſeu Curioſi munus vindicanti, iſthæc imponitur *hac l.* quam Tribonianus omiſit; vt Suſceptorum officio deputetur. Quod notandum, non tantum in genere pœnæ genus, quo quis pœnæ loco ex alio Corpore, alteri ſequiori additur, de quo ad *l. 9. ſup. de pœnis:* verum in ſpecie pœnæ genus, *ſuſceptoris* officio deputari: (de quo ſuſceptorum officio alias *ſuo tit. ſup.*) ſc. cum Suſceptores ex Valentiniani huius mente, ferme ex Officialibus Rectorum prouinciarum ſumerentur non ex Apparitorib. Præfecti Prætorio, vt docet *lex 4. 6. 7. 9. ſup. de ſuſcept. l. 70. ſupr. de Decurion. lex vn. ſup. de priuil. app. mag. pot. l. 6 ſup. de priuil. eorum qui in S. Pal.* & *lex 8 ſup. de diu. offic.* & *l. 1. Cod. Iuſt. de Appar. PP.* ſane nil mirum ſi Præfectiani peccantes, contra priuilegium ſibi datum, pœnæ loco in ſequiorem militiam darentur.

Cæterum pertinet *hac lex* ad querelas, quæ hoc tempora perlatæ ab Epirotis ad Valentinianum: cuiusmodi ei paulo poſt perlatæ de ipſo Probo P.P. teſte Amm. Marcell. *lib. 30. cap. 5.* Poſteaquam ſcriptor ille Valentinianum eo nomine reprehendit, quod quærendæ vndique pecuniæ vias, abſque iuſtorum iniuſtorumque diſcretione ſcrutaretur, quem & Probus P.P. ſequebatur, vnde ſubditorum domus & fortunæ tum ſuccisæ, tributorum oneribus vectigaliumque augmentis, oppreſsis etiam quibusdam *flagitantium amaritudine:* addiditque, Valentinianum hæc tanquam auribus cera illitis ignoraſſe: parſurum tamen fortaſſe Pannoniis, ſi hæc ante ingemiſcenda compendia comperiſſet: quæ nimium ſero tali didicit caſu: ſubiicit; *Ad prouincialium reſiduorum exemplum etiam* EPIROTÆ *acturos ſibi gratias a Præfecto mittere compulſi Legatos, Iphiclum quendam Philoſophum, ſpectatum robore pectoris hominem, adegere, non ſponte propria pergere ad id munus implendum. Qui cum Imperatorem vidiſſet, agnitus, aduentusque ſui cauſam interrogatus, Græce reſpondit: atque vt Philoſophus veritatis profeſſor, quærente curatius Principe, ſibi qui miſere, ex animo bene ſentiunt de* PRÆFECTO; *Gementes,* inquit,

inquit, & inulti. Quo ille verbo tanquam telo perculſus, actus eius (Probi P.P.) *vt ſagax beſtia rimabatur, genuino percunctando ſermone quos noſcitabat: vbinam ille eſſet, verbi gratia honore inter ſuos*
P.474. *antecellens & nomine, vel ille diues, aut alius Ordinis primus: dumque diſceret periiſſe aliquem laqueo, abiiſſe alium trans mare, conſciuiſſe ſibi alium mortem, aut plumbo vita erepta extinctum, in immenſum excanduit, vrente irarum nutrimenta tunc Officiorum Magiſtro Leone &c.*

Locus hic Ammiani Marcellini *huic l.* in multis reſpondet, quæ data eſt ad Præſidem Epiri aduerſus Præfectianos, occaſione eius quod recenter comperrat: *Comperimus*, inquit; & forte ex legatis Epiroticis. Certe tempora congruunt, narrat enim hæc Amm. Marcell. hoc ipſo tempore, ſequente altero conſulatu A. 374. quanquam & id paulo ante comperiſſe potuit. Certe *Epirotarum* damna hæc hoc tempore, vt ex *illo loco* clare diſcimus, ita & ex *hac lege*, imo & *altera* adhoc *lege*, hoc ipſo Anno 373. data ad eundem Zoſimum Præſidem Epiri nouæ: puta *l. vn. de ſtratoribus* quæ & data, id eſt, reddita eſt Apolloniæ: vbi equorum collationi probationique modum ponit aduerſus ſtratorum concuſſiones: vt *hac l.* Præfectianorum concuſſionibus occurrit.

DE CVRATORIBVS KALENDARII, ET FIDEIVSSORIBVS EORVM.

TITVLVS XI.

Non extat *hic Titulus Cod. Iuſtin.* pro quo *Lib. XI. Titulus* 32. *de debitorib. ciuitatum* eſt: ſub quo *lex vn. huius tit.* poſita eſt: ſubducta vbique mentione Kalendarii & Curatoris Kalendarii. Sane melius quoque feciſſent *huius Codicis* Conditores, ſi *legi*, quæ ſub *hoc titulo* poſita eſt, *Titulum de debitoribus ciuitatum* inſcripſiſſent: quandoquidem potisſima eius pars eo pertinet; etſi non negem, indirecte quoque eadem omnia ad Curatores Kalendarii referri.

De Curatoribus porro, ſeu Curatoribus ciuitatum, qui alii ab his ſunt. v. *l. vltim. de ſuperexaction. l.* 31. *de Epiſcopis: l. omnis* 5. *de iis quæ admin. l.* 5. *de exhib. reis: l.* 2. *de Canone fr. V.R. l.* 1. *de ſcænicis: l.* 3. & 8. *de donat. l.* 20. *de Decurionib.*

I. (a) Imp. CONSTANTINVS A. Locrio Verino (b) ſuo Salutem.

APVT eos (c) quos ſuperſtites integris facultatibus eſſe peruideris, vel quorum (d) heredes incolumia retinere (e) patrimonia, ſortes (f) Kalendarii (g) perſeuerare debebunt: ita tamen, vt annuas vſuras ſuis quibusque (h) temporibus exſoluant: cum ſimul & Reipublicæ vtile ſit, retinere idoneos debitores: & ipſis commodum (i), cumulum (k) debiti minime nutriri. (l) Et quia nefas eſt, obnoxiis (m) corporibus (n) alienatis circumſcribi Ciuitates, placuit, ſi qui debitor Republicæ ciuitatis quippiam ex eo patrimonio quod habuit, cum pecuniam Reipublicæ ſumeret, donauerit, vel diſtraxerit, vel qualibet in alium ratione contulerit, qualitate rei alienatæ perſpecta, atque omnibus debitoris facultatibus conſideratis, quas habuit cum ei pecunia crederetur, pro rata ab eo, qui ex debitoris facultatibus aliquid detinet, ex ſorte atque vſuris poſtulari. Itaque quotiens minus idoneum deprehenditur eius patrimonium, cuius nomen Kalendario (o) ciuitatis alicuius inuenitur obnoxium, Iudex omni diligentiæ (p) ſollicitudine debebit inquirere, ad quos ex qualibet condicione tranſierint debitoris facultates, vt ſinguli æqua æſtimatione habita pro rata rerum, quas poſſident conueniantur, perſonalem actionem contra eum habituri debitorem, qui ipſis ſoluentibus liberatur: ab eo autem, a quo conſtat fortunarum ſuarum partem maximam receſſiſſe, etiam reliquam portionem, quæ apud eum reſederit, transferri ad idoneum (q) oportebit. Quod ſi quiſpiam debitor

Rei-

p. 571. Reipublicæ ciuitatis fiſco noſtro locum fecerit, (r) emptores quidem, qui ex (s) fiſco noſtro comparauerint, manifeſtum eſt, ſecundum ius vetus & reſcribta Diuorum (t) Conſtitutionesque noſtras, nullam debere moleſtiam ſuſtinere: cum (v) huiusmodi caſibus Rempublicam placuerit fortuita diſpendia ſuſtinere. Qui vero aliquid ex eiusdem bonis Principali liberalitate fuerint conſecuti, iuxta legem latam obnoxii erunt Reipublicæ, habita ſolidarum facultatum conſideratione, quæ fuerat debitoris, cum pecuniam Reipublicæ ſumeret, vt pro rata corporis, quod ex largitate noſtra retinent, competentem ſortis atque vſurarum partem exigantur. Quod ſi quis debitor non comparauerit, (x) vel certe ita omnia ſua conſumpſerit, vt nemo aliquam rem ex eius bonis poſſideat, id quoque (y) debitum conuenit ad diſpendium Reipublicæ pertinere. Ideoque periculo (z) Curatoris Kalendarii, & Magiſtratuum (aa) & Creatorum, (bb) aput idoneos, vel dominos ruſticorum prædiorum, pecunia conlocanda eſt. PP. III. Kal. Feb. Voluſiano & Aniano Coss. [314.]

NOTAE.

(a) *L. 2. Cod. Iuſt. de debitorib. ciuitatum.* GOTHOFR.

(b) Ad eundem *Verinum* data Anno 319. *lex 1. ſup. de inoffic. teſt.* & Anno 326. *lex 2. inf. de Suariis:* dignitate pariter omiſſa: & in iisdem legibus non *Locrius* vt hic, ſed *Lucrius* audit. Is Anno 318. 319. Vicarius Africæ fuit, vt docent aliquot *leges hoc C.* & Epiſtola Conſtantini, ſeu Indulgentia Donatiſtarum ab exilio, ad hunc *Verinum*, quæ memoratur in Indice geſtorum tertiæ cognitionis Carthaginienſ. *cap.* 548. *Tom. I. Concil. Edit. Hard. pag* 1143. Eum *Conſularia* Cuſpinianea *Præfectum Vrb.* faciunt A. D. 323. & 324. quo etiam pertinet *lex vn. ſup. de his qui ven.* & *l. 1. ſup. famil. erciſc.* Imo & *lex 2. inf. de ſuar.* Ergo *huius l.* tempore, putem Rectorem alicuius prouinciæ fuiſſe. *ID.*

(c) Debitores Reipub. *ID.*

(d) Debitorum. *ID.*

(e) *Retinent* C. Iuſt. Neque tamen iſtud mutandum: repetendum enim hic ἀπὸ τῦ κοινῦ *perniderit.* *ID.*

(f) Id eſt, pecuniæ mutuæ ſumptæ ex Kalendario. *ID.*

(g) *Reipublicæ*, C. Iuſt. ſubducta hic & vbique *hac l.* Kalendarii appellatione. *ID.*

(h) *Quibuscunque* C. Iuſt, nonnullæ Edition. *ID.*

(i) Scilicet *ſit*, ἀπὸ τῦ κοινῦ. *ID.*

(k) Molem, *l. 3. inf. de Conſitorib.* *ID.*

(l) *Nutriri*, id eſt augeri: ſic apud Perſium Satyra *V. v.* 149. 150, nummi *quincunce nutriri* dicuntur, id eſt, quincunce vſura. Apud Horatium eſt, *nummos paſcere*, *lib. 1. ep.* 18. *v* 35. Ita cenſum nutrire hæredi, Boëtius *lib. 2. de Conſol. Philoſ. proſ.* 4 *pag.* 28. *Edit. Sitzmann.* Nutrire frontis audaciam, apud Hieronymum, pro augere. Imitatio vero Græca, vbi τρέφειν, pro αὐξάνειν, & quidem vbi de fœnore, vt *hac l.* agitur &c. *ID.*

(m) Recte *obnoxiis*, non per παρονομασίαν, vt credidit Cuiacius *in Comment. ad h. l.* *ID.*

(n) Id eſt, rebus, facultatibus: hic, vt *inf. vt pro rata corporis.* *ID.*

(o) *Ciuitati alicui.* C. Iuſt. ſubducta hic & duobus præterea locis, & ſic vbique, *hac l. Kalendarii* mentione. *ID.*

(p) *Indulgentia & ſollicitudine*, C. Iuſt. *ID.*

(q) Ex nouis poſſeſſoribus. Vid. etiam *leg.* 11. & 24. *ſupr. de ſuſceptor.* *ID.*

(r) Id eſt cuius bona confiſcata ſeu publicata fuerint: pariter vt *l. 3. ſup. de bon. proſcript.* & *l. 5. C. Iuſt. de iure fiſci.* *ID.*

(s) Pro *a*, vt Cod. Iuſt. *ID.*

(t) *Diuorum Principum*, Cod. I. *ID.*

(v) Hæc ratio, cum ſequente ſententia (quæ ad petitiones bonorum pertinere videtur, a Iuliano ſublata) vſque ad, *Quod ſi quis:* omiſſa *C. Iuſt.* de quo mox. *ID.*

(x) *Comparuerit*, vt Cod. I. *ID.*

(y) Abeſt hæc vox a *Cod. Iuſt.* *ID.*

(z) *Cura Patris ciuitatis.* Ita *Cod. Iuſt.* loco iſtorum, *periculo Curatoris Kalend. & Magiſtratuum & Creatorum*, De quibus patribus dico ad *l. 1. ſup. de locat. fundorum.* *ID.*

(aa) Id eſt Duumuirorum. *ID.*

(bb) Qui Curatorem Kalendarii creaſunt. *ID.*

COMMENTARIVS.

De Debitoribvs Ciuitatum, qui mutuam ſc. ſeu fœnebrem pecuniam ex Kalendario ſeu rationibus ciuitatum ſumpſerunt, eſt hæc Conſtantini M. conſtitutio: Quæ quidem pecunia a Curatoribus Kalendarii adminiſtrabatur, & collocabatur ipſorum periculo, de quo *fin. legis* ſc. vt ſua quædam pecunia, ſuique reditus Ciuitatum fuere (de quo iam ſæpe dixi:) ita & his pecuniis adminiſtrandis Curator præficiebatur, qui *Curator Kalendarii hac l.* vocatur, id eſt pecuniarum ciuitatis, & rationum, pecuniarumque fœnori locatarum, id enim *Kalendarium* eſt, ratiocinium pecuniæ fœnebris (notiſſima ratione a Kalendis, quibus vertentibus fœnus exigebatur.)

Et quidem etiam cum de ratiocinio pecuniæ ad ciuitates pertinentis agitur: Quo ipſo ſenſu Eumenius *Panegyr. Flauienſium nomine Conſtantino dicto*, Conſtantium Æduis pecunias ad CALENDARIA largitum ſcribit *cap. 4. Diuus pater tunc ciuitatem Æduorum voluit iacentem erigere, non ſolum pecuniis ad Calendaria largiendis, & Lauacris, quæ corruerant extruendis, ſed & metœcis vndique transferendis.* Indicat ſc. Eumenius Conſtantium Æduis, ſeu Flauienſium Reip. pecuniam donaſſe, quam mox fœnori occuparent, & ex qua fœnori locata quæſtum facerent per Curatorem ſuum, Kalendarii ſc. Nam qui ibi ad *Caldaria* reponunt, toto cœlo errant. Curatorum Reipubl. olim munus id erat, de quo videnda vel *lex 33. D. de vſuris.* Curatores enim Ciuitatum, de quibus ad *leg. 20. ſup. de Decur.* alii ab his fuere. Quorum quidem Curatorum Kalendarii frequens mentio in *veteribus Inſcriptionib.* de quarum nonnullis poſtea.

Ergo de Debitoribus Ciuitatum ex pecunia fœnori ſumpta eſt hæc Conſtantini M. conſtitutio: ſingularis admodum: vtpote qua Ciuitatum vtilitati ſeu ſecuritati variis rationibus conſultum it, cum hactenus iis haud ita in omnibus conſultum eſſet.

Primum igitur, bene ſemel collocatas pecunias penes eoſdem debitores, imo & eorum hæredes, perſeuerare, *neque mutari debitores* iubet; id eſt, ſi debitores, vel eorum hæredes integras facultates habeant, & incolumia patrimonia. Quod ſane
P.576 ipſum & iam antea de ipſis debitoribus cautum fuerat *l. 33. D. de vſuris.* Nondum de hæredibus debitorum. Atenim Conſtantinus nunc etiam penes debitoris hæredes locupletes ſeu idoneos pecuniam perſeuerare vult. Quo genere hæreditarium & perpetuum quodammodo fœnus inducitur, quod antea morte finiebatur: Idque ipſarum ciuitatum commodo: quod ſc. Reipublicæ vtile ſit retinere idoneos debitores. Igitur hoc præceptum nunc datur Curatorib. Kalendarii. Atque hæc quodammodo ſpecies eſt *des rentes conſtituées:* vt notauit ex *hac l. in C. Iuſt.* poſita Loyſellus *du deſgnerpiſſ. l. 1. c. 6. n. 3. 4.* Ad quam ſpeciem quoque pertinet *Nouella Iuſtin. 160.*

Sic tamen, ſi annuas vſuras ſuis quibusque temporibus exoluant; ſi modo vſuras ſuo tempore ſoluant, intra annum. Vnde colligi poſſe videatur, vſuras Rebuspubl. debitas annuas fuiſſe: vel ſane id indicari, vt menſtruæ vſuræ vnius anni intra annum, ante finitum annum ſoluantur: Idque ipſummet debitorum quoque commodo; quod ſc. cumulum debiti minime nutriri, ipſiſmet debitoribus commodum ſit. Nempe & iſtud quia ipſorummet debitorum intereſt, ne vſuræ cumulentur, quibus dilatis debitores minus ſoluendo plerumque fiant. Et hæc quidem de debitoribus Reip. eorumue hæredibus idoneis ſeu locupletibus.

Secundum caput *huius l.* eſt de debitoribus ciuitatum ex mutuatitia pecunia Inidoneis factis, & poſſeſſoribus bonorum debitoris. Qua parte Conſtantinus M. tres caſus diſtinguit: vel enim debitores *Alienatione* bonorum inidonei facti ſunt: vel *Publicatione*, vel *Fuga: & dilapidatione* bonorum. Si *Alienatione:* vt quia ex facultatibus ſuis ſeu prædiis quid debitor alienauit, diſtraxit, & ſic minus idoneus factus eſt: tum hoc caſu Conſtantinus M. poſſeſſores ſingulos pro rata eius quod poſſident, in ſortem & vſuras conueniri iubet.

Sane & ante *hanc l.* debitorum ciuium bona ſuo quodam modo ciuitatibus *obnoxia* fuerunt, id eſt, tacito quodam iure obligata, ſic vt ciuitas in res debitoris ſuo ordine manum mittere poſſet, iisque ſecuritatem ſibi conciliare: Quæ omnium creditorum conditio eſt, etſi nullam in bonis debitoris hypothecam habeant, ſiue expreſſam, ſeu tacitam & legalem, quo ſenſu quoque *obnoxia corpora* eorum dicuntur, *hac leg.* Nondum tamen, diſtractis iis, in poſſeſſores eorum, vllam actionem habebant (quod proprium Pigneratitiæ ſeu Hypothecariæ actionis fuit.) verum iura priuatorum cenſebantur, *l. 16. D. de V. S.* ſic vt niſi ex ſingulari beneficio ſeu priuilegio Principis id haberent nonnullæ ciuitates, vel niſi ex lege municipali id ita obtinaret, nullum pignoris ius haberent: *l. 8. D. qui potiores: l. 3. in fin. & leg. 4. Cod. Iuſt. eod. tit. l. vlt. C. eod. de his qui in prior. cred. l. 2. C. eod. de iure Reipubl. l. 37. D. de reb. auct. iud. poſſid. l. 10. D. ad municipalem: l. 33. §. 1. D. de vſuris.* Atenim *hac l.* Conſtantinus M primus (nam quod *l. vlt. C. Iuſt. quo quisque ordine:* continetur, id recte Cuiacius ſuſpicatus eſt a Triboniani manu eſſe) ius commune omnibus Ciuitatibus, mutuam pecuniam dantibus, ſingulari priuilegio, ipſarum commodis conſulens ius & priuilegium pignoris cuiusdam dedit in poſſeſſores bonorum debitoris ſui, quæ poſſidebat eo tempore, cum pecuniam mutuum ſumeret. Dixi *cuiusdam:* nam etſi hoc priuilegium ad ius pignoris accedat; attamen non omnino pignus eſt: Nam ſi pignus eſſet, v. gr. in ſolidam rem agi poſſet aduerſus eum, qui vnam etiam aliquam rem pignoratam poſſideret, cum ſit indiuidua pignoris cauſa. Atenim Conſtantinus *h. l.* tacitum quaſi pignus & diuiduum dedit Ciuitatibus: Quomodo & Iuſtinianus poſtea legatariis bona teſtatoris tacita obligata voluit, *l. 1. C. Iuſt. communia de legatis*, & hanc actionem hypothecariam aduerſus hæredes perinde, vt perſonalem diuidi voluit. Ergo dicamus tuto, hypothecaria quadam teneri emptorem voluiſſe Conſtantinum (quod tamen negabat Cuiacius) verum anomala. Nam etſi (quæ argumenta ſunt Cuiacii) *lex* hæc non dicat, *connatam fuiſſe hypothecam:* item etſi non dicatur; *poſſeſſionem ab eo auocari, aut venditionem reſcindi*, attamen ſatis eſt, ad cuiusdam hypothecæ effectum, ſi poſſeſſor bonorum debitoris, debitoris & poſſeſſionis nomine teneatur: Nam quo alioquin colore poſſeſſor conueniretur, niſi ex vi cuiusdam hypothecæ, rem afficientis: quod vtique ſatis eſt ad pignus conſtituendum. Et ſane ideo *obnoxia corpora*, ſeu res obnoxiæ, ſeu nexæ *hac l.* proprie vocantur, quia ſolutioni debiti obligatæ, non (qui alter eſt Cuiacii nævus) per μετωνυμίαν pro patrimonio eius, cuius nomen ciuitati obnoxium eſt, vt paulo poſt loquitur. Nam vt nomen debitoris obnoxium Kalendario dicitur, quia inter debitores cenſetur: ita nil vetat, quin & *corpora obnoxia* dicantur, quæ iure quodam hypothecæ tenentur. Imo

quis

Digitized by Google

quis negare poſſit, Conſtantino M. mentem hanc quoque fuiſſe, vt poſſeſſores bonorum primo quidem perſonali actione conueniri poſſe definiret, poſtea tamen idem vellet, vt ſi ſolutionem pro rata ſua detrectarent, ad venditionem eorum bonorum pergeretur, qui vtique *hypothecariæ* proprius effectus eſt. Ergo perſonalem ita dedit, & quaſi hypothecariam, vt tamen ſi ea mota Ciuitas ſuum non conſequeretur, ad bonorum venditionem, & ſic ad veram hypothecariam procederetur. Et ſane ita quoque *hac ipſa l.* etſi perſonalem poſſeſſori, qui debitoris nomine ſoluit, actionem aduerſus debitorem præſtet; attamen etiam realem tribuit ad auocanda ſibique vindicanda bona aliqua, quæ penes debitorem ſint. Et hæc quidem de primo caſu, quando videlicet Debitor ciuitatis, inidoneus factus eſt, Alienando bona ſua.

Secundus caſus eſt de *Publicatione* bonorum: Hoc caſu ſane, ſi ex delicto forte debitor ciuitatis locum fiſco fecerit, & a fiſco poſſeſſionem horum bonorum priuatus quis acceperit, titulos poſſeſſionis diſtinguit Conſtantinus M. vt ſi ex titulo oneroſo accepit, emptionis puta; tum poſſeſſio nullam moleſtiam ſuſtineat, ſed Reſpublica hoc diſpendium ſuſtineat: ſi ex titulo lucratiuo, vt tum poſſeſſor teneatur pro rata, vt primo caſu. Emptor ſc. qui quid a fiſco emit ſecurus eſt: Quam in rem & ius vetus, & ſuperiorum Principum, & ſuas conſtitutiones allegat Conſtantinus M. Zenonis ſane conſtitutio, *l. 2. C. Iuſt. de quadrien. præſcript.* alia eſt: eſt enim ea de his, qui rem alienam e fiſco, qui ius nullum in iis bonis habet, vel alio quo titulo acceperunt: At hæc de iis, qui rem fiſco iure quæſitam ab eo emerunt, vel Principis liberalitate acceperunt. Vnde ſimul apparet ciuitati creditrici, pœnas fiſcales fuiſſe hoc tempore prælatas, & bona ad fiſcum tranſiſſe ſine onere æris alieni, cum alias pœnis fiſcalibus creditores præferantur.

Tertius caſus eſt, de *Debitore ciuitatis non comparente*, vel qui *omnia ſua conſumpſit*, ſic vt nemo aliquid ex eius bonis poſſideat, quia ſcilicet nulla bona immobilia habebat, & tum hoc caſu, ad diſpendium Reipubl. id pertinere in præteritum iubet. In futurum enim id periculo Curatoris Kalendarii & Magiſtratuum ſeu Duumuirorum, & P. 577. Creatorum, qui Curatorem crearent, cedere iubet; qui apud idoneos, vel dominos ruſticorum prædiorum, pecuniam publicam collocare debuerunt, & vero vt deinceps collocent *hac l.* monentur. Ex quo tria notentur. Quorum primum quoque tralatitium eſt, vt curator pro debitore, cui inconſulto pecuniam publicam credidit, teneatur, & Curatoris nomine, Magiſtratus creatores, id eſt Duumuiri & Curiales cæteri, qui ſcilicet Curatorem crearint, de quo periculo Nominatorum, eſt *tit. Codicis Iuſt.* & plures *hoc Codice* leges: Atque hi fideiuſſores *Rubr. huius tit.* vocantur. Secundum eſt, quod nominatim *ruſticorum* prædiorum dominis pecunias publicas credi oportere definit Conſtantinus M. Nempe maior cautio in iis, & maioris momenti. Quod & in aliis iuris articulis videre eſt, imo & ex aliis eiuſdem Conſtantini conſtitutionibus. Poſtremum eſt, quod Curatores Kalendarii a Curia nominati, creati fuerint. Et tamen aliquando ab ipſiſmet Imperatoribus electos eos, docet non vna inſcriptio apud Gruterum, vt CCCCXLI. 5. CCCCXLVI. 7. MXCI. 7.

II. (a) Imppp. VALENTINIANVS, Theodoſius & Arcadius AAA. ad Hellenium (b) Vic. vrb.

KALENDARIORVM (c) nomen, (d) tam Oleariæ arcæ, quam frumentariæ, non multo ante Oratio † ad Senatum miſſa naſcitur (e) antiquas ſane igitur ea, quæ aboleri ante cenſuimus, nouis calumniarum facibus (f) inardeſcant, (g) tua prouidebit inſtantia: Nos enim, quo ſanctius quæ cauta ſunt obſeruentur, viginti librarum auri multa Iudicem cenſuimus eſſe plectendum, ac Primates officii capitali cohercendos eſſe ſententia. Dat. Non. Aug. Honor. NB. P. & Euodio Coss. [386.]

NOTAE.

(a) Abeſt *hac lex* a *C. Iuſt.* velut huius temporis. *GOTHOFR.*

(b) *Hellenii* huius vicarii vrbis, nullam *alibi* mentionem reperio. *ID.*

(c) Et reliquorum ex hac cauſa, vt videntur. *ID.*

(d) An *nomina*? Nil opus. Kalendariorum nomen, id eſt, debita Kalendario comprehenſa; & ſic Reliqua. *Nomen* enim pro debito: qua voce vtitur in hac ipſa re Symmachus *lib.* 10. *ep.* 47. *ID.*

† Oratio hæc Valentiniani Iun. De his porro Principum Orationibus ad Senatum, iam ſepe dixi: vid. & Symmachum *lib.* 1. *ep.* 89. *lib.* 6. *ep.* 62. *lib.* 10. *ep.* 2. *ID.*

(e) γρ. *Naſcitur antiquaſſe: Ne igitur* &c. *ID.*

(f) *Faces* Calumniarum. *ID.*

(g) *Inardeſcere*, pro exardeſcere. *ID.*

COMMENTARIVS.

ARCÆ Oleariæ & Frumentariæ Kalendaria, vt Oratione ſua paulo ante, ad Senatum eiusque petitionem & querelas emiſſa, ita & *hac* rurſum *lege*, quo ſanctius ea obſeruaretur, ad vicarium Vrbis data, Valentinianus Iun. propoſita ſeueriſſima pœna Iudicibus, id eſt Rectoribus prouinciarum viginti

ginti librarum auri, Primatibus vero capitali pœna, antiquatum & abolitum it.

Olei ſcilicet & Frumenti præcipua cura fuit Romæ, vti ea abundarent: quæ quidem etiam ex parte gratuita in populum dabantur; de quo canone, tum frumentario dicam ad *tit. inf. de canone frum. V. R.* tum olei, ad *tit. de menſis oleariis:* & *l. vlt. d. tit. de can. frum. V. R.* Atque vt ſpecialis Arca ſeu ratiocinium & Kalendarium fuit frumenti, de qua Arca *l. 1. inf. de frum. V. Conſtantinop.* Ita & Olearia, cuius *h. l.* mentio fit (quomodo & variæ Arcæ fuere; de quibus ſemel dixi ad *l. 14. ſup. de ſuſceptoribus:*) Harum igitur arcarum Kalendaria, ſeu Kalandariorum nomina, Valentinianus Iun. per vicarium vrbis Romæ, & antea, & *hac l.* antiquatum fuit ſeu aboleuit.

Quidnam autem ea fuerint, & cur antiquata ea? non docemur: Illud equidem ſcimus, quid Kalendarium fuerit; puta Ratiocinium eorum, quæ Reipubl. ſeu Ciuitati debentur: de quo ad *l. ſuperiorem.* At nondum ita res in bono lumine collocatur. Circumſtantiæ equidem *hac l.* comprehenſæ ſuggerunt, per Vicariam Vrbis hæc Kalendaria fuiſſe, id eſt, per Vicarii Vrbis diœceſin, & ſic per Campaniam, Tuſciam, Vmbriam, Picenum ſuburbicarium, Siciliam, Apuliam, Calabriam, Bruttios, Lucaniam, Samnium, Sardiniam, Curſicam, & deinceps etiam Valeriam, vt docet *Imperii Notitia,* & ex parte, *lex vlt. ſup. quib. equorum vſus.* Item docemur, eas Arcas, & Kalendaria olearia & frumentaria ad Vrbem Romam reſpexiſſe.

Tertio ad Senatus Romani requiſitionem antiquata. Et vero Quarto antiquata ſeu abolita præcidendis calumniis, id eſt, calumnioſis quæſtionibus, inquiſitionibus, quæ per prouincias Vicarianas Vrbis inde inardeſcebant, ſeu enaſcebantur. Igitur ita ipſe exiſtimem, *hanc leg.* Indulgentiæ cuiusdam ſpeciem eſſe: qua pecunia, quæ in coëmptionem olei & frumenti deſtinata erat, & ſic Kalendarii *nomen,* id eſt, reliqua condonantur, *antiquantur,* (id eſt abolentur: vt *l. 17. de pœnis:*) Notum aliunde, canoni oleario, & frumentario, & vinario, deſtinatam Romæ & Conſtantinopoli certam pecuniam fuiſſe, quo ſi harum ſpecierum Canon ſolemnis ex prouinciis ob ſterilem aut grauem annum non proueniret, exinde coëmi extra ordinem poſſet; vt de canone frumentario do- P. 578.
cet *l. 1. inf. de frum. V. Conſtant.* de canone vinario *l. 3. inf. de calcis coctorib.* Hæc igitur arca Olearia & frumentaria eſt, & hoc vtriusque Kalendarium, cuius hic aboleatur nomen, id eſt, reliqua indulgentur iis Arcis & Kalendario debita: vel ſimpliciter videantur Reliqua canonis, ſeu illationis olei ipſius & frumenti Vrbi Romæ ex Vicarianis vrbis prouinciis debiti, hac indulgentia remitti, & ſic diſcuſſionem eius prohiberi; quomodo iam ad poſtulationem Senatus Romani antiquata fuerant: eo quod veternoſis litibus & calumniis, canonis vrbicarii obtentu multorum patrimonia laceſſerentur. Quomodo & aliarum Arcarum reliquarum diſcuſſiones, (huiusmodique Kalendarii nomina,) inuidioſæ ſæpe viſæ: veluti Vini ſub eodem Valentiniano Iun. ante biennium A. 384. Symmacho teſte *lib. 9. ep. 121.* & *lib. 10. ep. 47.* de quo dixi ad *l. 26. ſup. de ſuſceptoribus.* Denique eo pertinet & *calumniarum* vox, nempe ad diſcuſſiones rerum fiſco vel publico debitarum; vid. *l. vlt. ſup. de petitionib.* Neque temere eſt, quod Imperator ſtudium hac in re ſuum & enixum teſtatur; & *Calumniarum* iſtarum deteſtatione, & voce *ſanctius,* & *pœnarum acerbitas,* quas comminatur Iudicibus, imo & Primatibus officii capitalis pœnæ, Adeo res hæc curæ cordique illi fuit, ne nouis calumniarum facibus res hæc inardeſceret, vt ipſe loquitur eaque re multorum ſemita attentaretur. Illud modo mirum, Reliqua Arcæ Oleariæ & frumentariæ *h. l.* aboleri; antiquari, at non & *Arca vinaria,* quæ tamen tot apud eundem Principem turbas dedit ante biennium, vt ex *illis* Symmachi tum P. V. *epiſtolis* diſcimus.

DE LEGATIS, ET DECRETIS LEGATIONVM.

TITVLVS XII.

LIB. X. COD. IVST. TIT. LXIII.

De Legationibus: vbi *duæ* tantum huius Tituli *Leges* relatæ extant; puta *lex* 12. & 15.

P A R A T I T L O N.

LEGATI, *Rubr.* & *l.* 1. 3. 5. 6. 7. 8. 10. & *l. vlt. h. t.* (vnde Legatio *l.* 10. 12. 14. 15. *h. t.* Legatio publica, *l.* 36. *ſup. de Decurion.* neceſſaria Legatio, *l.* 10. *h. t.* Legationis officium, *l.* 25. *ſup. de Decur.* vide etiam Symmachum *lib.* 1. *ep.* 11. & *lib.* 5. *epiſt.* 94. Dicitur & peregrinatio in ſp. *l.* 9. *hoc titulo:* & *l.* 189. *ſup. de Decurion.*) quinque generum *hoc Codice* occurrunt.

1. Vel

1. Vel enim erant Legati, qui ad gentes veluti Axumitas & Homeritas ire præcipiebantur, *l. 2. h. t.*

2. Vel retro erant Legati Gentilium Regulorum ſeu Regalium ad Imperatorem Romanum, *l. 5. h. t.* & *l. 9. ſup. de re militari,* & *l. 57. ſup. de Curſu publico:* veluti Armeniæ vicinarum Gentium, *d. l. 57.* (Sofanenæ, *l. vlt. de aur. coron.*) Item Regis Arſacis Armeniorum *l. 1. ſup. de Annona & tributis:* Item Ægypto Vicinarum: *d. l. 5.* vt & Galliæ Rhenoq; vicinarum (id eſt Francorum & Allamannorum) *d. l. 9.* His vero curſus publici facultas dabatur & pabula annonæq; his præbebantur, *d. l. 57. ſup. de curſ. publ.* & *d. l. 2. h. t* & *d. l. 9. ſup. de re mil.*

3. Tertio erant Legati Senatus Populique Rom. ad Imp. Romanum, *l. 32 ſup. de curſu publ.*

4. Quarto, erant & Legati miſſi a Numero vel Tribuno, *l. 17. in fin. ſupr. de re milit.*

5. Quinto denique (quod *h. t.* proprium eſt) erant Legati Prouincialium, *l. 3. 12. 14. h. t. l. 21. 23.* & *d. l. 32. ſup. de curſ. publ. l. 3. de cenſitorib. l. 13. 18. de extraord. l. 25. de Decurionib. l. 34. de annon. & tribut. l. 1. de bonor. codicill. l. 18. de exaction.* Qui ſc. a Prouincialibus ad Comitatum, *leg. 6. 7. 10. h. t.* & *l. 9. ſup de Decurion.* ad Sacrarium Principis, *l. 8.* &
P.479. 16. *h. t.* mittebantur, *l. 1.* & 12. *h. t.* delegabantur; *l. 7. h. t.* dirigebantur, *l. 9. h. t.* deſtinabantur, *l. 15 h. t.* Quod Peregrinatio, & Peregrinationis onus vocatur *l. 9 h. t* & *l. 189. ſup. de Decurion.* & apud Symmachum non ſemel; de quibus eſt proprie *hic tit.* in cenſu videl. *titulorum de Decurion.*

Huiusmodi autem Prouincialium Legati varii quoque fuerunt; quatuor inquam generum: vel enim a certo tantum Corpore Legati erant, *l. 11. h. t.* veluti Senatorum Ciuitatis alicuius, vt puta Alexandrinæ, *l. 19. ſup. de petition.* Item a Corpore Nauiculariorum, quo pertinet *lex 1. inf. de prædiis Nauicul.* vel erant Legati *Ciuitatum* ſeu Vrbium ſingularum, *l. 4. 7. 8. 11. 15. 16. h. t.* & *l. 9. ſup. de Decurion.* veluti Alexandrinæ Ciuitatis, *l. 19. de petition.* & *l. 189. ſup. de Decurion.* & *l. 42. inf. de Epiſcop.* Hierapolitanæ, *l. 8. inf. de Cenſitorib.* Capuanæ, de qua vid. Symmach. *lib. 10. ep. 53.* Antiochenæ, & ſimilium, de quibus frequens mentio in *epiſtolis* Libanii: vt & frequens horum Legatorum mentio apud Firmicum *Matheſ. libris:* Argiuorum Legationis apud Iulianum *epiſt. 35.* quod Interpretem fugit. Vel erant Legati *Prouinciarum* integrarum, *l. 9. 10. 11. 12. 13. h. t.* & *l. 25 ſup. de Decurion.* (vnde Prouinciæ legatio, *l. 1. ſup. de honor. Codicill.*) Veluti Africanarum Prouinciarum, *l. 1. h. t.* Tripolitanæ, cuiusmodi legationis meminit Ammianus Marcellinus *lib. 15. cap. 5.* & *lib. 28. cap. 6.* Africæ ſpecialiter ita dictæ, *l. 6. h. t* & *l. 166. ſup. de Decurion.* Meminit & Legationis Africæ Symmachus *lib. 2. ep. 4.* Cum qua eadem eſt Proconſularis Prouinciæ Legatio, *l. 186 ſupr. de Decurion.* Eoque etiam pertinet *lex 15 ſupr. de appellationib.* & *lex 2. quemadmodum munera ciuilia.* Item Prouinciæ Byzacenæ. Quo pertinet *lex 1. ſup. de libertis:* & *lex 3. ſup. de inoff. teſtam.* Vt & Achaiæ, *l. 18 ſup. de exactionib.* Siciliæ, vide Symmachum *lib. 1. epiſt. 11.* Alii denique Legati erant integræ *Diœceſeos, l. 9. h. t.* De his vero Legatis prouincialibus eſt *hic titulus.*

Enimuero in id coibant Prouinciales in cœtum & concilium, vel ſolenne & ordinarium, vel extraordinarium: *Solemnis* concilii (quod ſc. legitimo die annuum erat) extat mentio apud Ammianum Marcellinum *d. libro 28. cap. 6.* Eoque pertinent omnes fere *huius Tituli* leges. De extraordinario eſt tantum *lex 12 13. h. t. lex 1 ſup. de Præfect. Præt.* (Quod quidem a Præfecto Prætorio poſtulabatur, *d. l. 12.* & 13.) Hinc adeo huiusmodi cœtus *l. 1. h. t.* vocantur Concilia *l. 15. ſup. de appellationib. l. 2. ſup. quemadm. mun. ciuil. l. 1. ſup. de libertis. l. 3. ſup. de inoffic. teſtam. l. 12. 13. h. t.* Marcellinus *d. l. 28 c. 6.* Conſilia, *l. 1. hoc titulo.* In quibus agitabatur de implorando Principis auxilio, *l. 4 hoc titulo* indulgentiis impetrandis *l. 14. hoc titulo,* atque adeo Legati ad Principem mittebantur: etiam ad cenſum releuandum nominatim quoque Legationes miſſæ a ciuitatibus, *l. 3. de Cenſitoribus.* Si neceſſitas aliqua eos vrgeret, *l. 12. h. t.* ſi oppreſſi eſſent & quædam perferrent, *l. 9. h. t.* ſi neceſſaria fortuitis remedia eſſent, *d. l. 12. h. t.* ſi remedia feſſis quibusque neceſſaria, *d. l. 14. h. t.* Breuiter, damnis ſuis deplorandis, vt loquitur Symmachus, *lib. 10. ep. 53.* Quo pertinent voces ſequentes, *Querelæ, Deflendi, Subclamationis, l. 9. h. t. l. 4 ſup de exactionib. l. 186. ſup. de Decurionib.* Deſideriorum *l. 3. 6. 7. h. t. l. 96. ſup. de Decurionib.* &c. Et quidem ita, vt Iudices (& quidem ſi ordinarii eſſent, etiam Præfecti Prætorio) conuentus huiusmodi prohibere non poſſent, *l. 1. 8. 9. 12. h. t.* de quorum ſæpe iniquitate agebatur v. *l. 15. ſup. de appellation.* Aliquando etiam ad aurum coronarium ad Principem perferendum, *arg. l. 15. h. t.* quæ cauſa eſt, cur *Titulus de auro Coronario,* huic cohæreat.

Forma huiuſmodi conuentus hæc erat. Si ab vna *vrbe* conuentus habendus eſſet,
vniuerſi Curiales in locum Curiæ conueniebant, *l.* 15. *h. t.* Si vero a *Prouincia* integra,
tum omnes, qui Primatum inſignibus honorabantur, *l.* 12. 13. *h. t.* in vna frequentiore ſeu
opulentiore totius Prouinciæ vrbe conueniebant, *d. l.* 12. & 13. *h. t.* (veluti Carthagine, vt do-
cet *lex* 15. *ſup. de appellat.* & *l.* 2. *ſup. quemadm. munera ciuil. indic.*) Idque in æde publica,
vel in aliqua fori parte, ad quam omnium poſſet eſſe concurſus: *d. l.* 13. *h. t.*

Inibi de rebus in commune pertinentibus tractabatur: Itaque propria hac in re vox,
Tractatus, *l.* 4. 7. 9. 12. *h. t.* Mox quod inter omnes communi conſilio tractatuque con-
uenerat, *l.* 12. *h. t.* literis comprehendebatur, ſcribebatur *l.* 42. *infr. de Epiſcopis:* propria
omnium ſubſcriptione firmabatur, *l.* 15. *h. t.* Et hæc quidem ſunt, quæ vocantur *Decre-
ta l.* 15. *de accuſationibus*, *l.* 1. 3. 10. 11. 16. *h. t.* & *l.* 42. *inf. de Epiſcopis:* Deſideria, *l.* 3. 6. 7.
8. 9. 11. 16. *h. t. l.* 9. & 96. *ſup. de Decurion.* Petitiones, *l.* 3. 4. 7. *h. t.* Poſtulata, *l.* 16. *h. t.* Edi-
cta vt exiſtimo: ad cuiuſmodi Edicta varia Principum reſcripta *hoc Cod.* continentur, ve-
luti Conſtantini *l.* 3. *de extraord. l.* 7. *de Decur.* ψηφίσματα.

His peractis Legati ordinabantur, ſeu eligebantur *l.* 8. 9. *h. t. l.* 25. *ſup. de Decurion.*
qui videl. deſideria hæc apud Principem explicarent, ſeu proſequerentur, *l.* 7. & 11. *h. t.* qui
has petitiones adueherent, *d. l.* 7. *h. t.* Et quidem ſpectabiles Viri, ſi a Prouinciali Conci-
P. 380 lio mitterentur, *l.* 186. *ſup. de Decurion. l.* 34. *ſup. de annona.* Si ab Vrbibus, Decuriones,
l. 9. *ſupr. de Decurion.* Idque vario numero, modo vnus, *l.* 3. & 9. *h. t. l.* 186. *ſupr. de De-
curion.* & *l.* 34. *ſupr. de annon.* modo plures, *l.* 18. *ſupr. de exactionib. l.* 8. *infr. de Cenſitori-
bus:* puta duo, *l.* 9. *h. t.* & Symmachus *lib.* 4. *ep.* 9. & *lib.* 6. *ep.* 22. & Ammianus Marcelli-
nus *lib.* 20. *c.* 8. *lib.* 28 *c.* 6. Modo tres *l.* 7. *hoc tit.* cuius exemplum quoque extat apud
Libanium, *Ep.* 771. *ad Proclum;* & Sidonium, *lib.* 1. *ep.* 7. A quo tamen munere quidam
immunes erant, veluti Principales Alexandriæ *l.* 189. *ſupr. de Decur.*

Horum igitur Legatorum fidei a Communi committebantur, *l.* 16. *hoc t.* ea, quæ apud
Principem proſequenda haberent, quæ proprie *Mandata* dicuntur, *l.* 11. *h. t.* & apud Sym-
machum *plurib. locis*, & in his *lib.* 1. *ep.* 11. & apud Sidonium *lib.* 1. *ep.* 7. Vel etiam Decre-
ta, Ammiano Marcellino *lib.* 28. *c.* 6. Vnde decreta Legationum, *Rubr. huius tit.* Geſta
decretalia, Sidonio *lib.* 1. *ep.* 7. pagina decretalis, apud eundem, *lib.* 7. *ep.* 9. *in Concionis
initio.* Dicebantur & inſtructiones legationum, *l.* 14. *h. t.* Hinc Legationes, quas in-
ſtruxere decreta, *l.* 10. *h. t.* Itemque Legatus, & Legatio inſtructa Mandatis, apud Symma-
chum *lib.* 1. *epiſt.* 11. & *lib.* 4. *epiſt.* 52.

Antequam vero ad Principem perferrentur a legatis decreta illa, actis Rectoris Pro-
uinciæ inſinuari ea oportebat, ex *l.* 3. 4. 15. *h. tit.* non ex *l.* 9. & 12. *hoc tit.* mox ad Præfe-
ctum Prætorio mitti, *d. l.* 3. 4. 7. 10. 12. 14. 15. *hoc tit.* Qui ſcilicet impudentiorem petitio-
nem refutaret: & quæ eius auxilio protinus implenda eſſent diſpiceret, cæteris, quæ Prin-
cipis nutu & indulgentia digna eſſent, reſeruatis; *dictis proxime legib. omnibus.* Probata
igitur prius a Præfecto Prætorio, & elimata Prouincialium deſideria ad Principem perferri
oportebat, *d. l.* 8. *h. t.* Neminique Legatio libera committi poterat, *l.* 15. *hoc tit.* Alio-
quin ſi intempeſtiua Legatorum admonitio eſſet, *l.* 18. *ſupr. de exactionib.* ſi non cum ne-
ceſſariis deſideriis & probabilibus rebus aduenirent, *l.* 6. *hoc tit.* ſi ſuperfluis rebus Princi-
pem occuparent, *l.* 9. *hoc tit.* ſi inutilia decreta eſſent, *l.* 42. *infr. de Epiſcopis:* Legati hu-
iuſmodi curſu publico in reditu vti non poterant, *d. l.* 6. *h. t.* Item, ſi mandata, literarum
authoritate, demonſtrare non poſſent, protinus remeare cogebantur ſine vllo effectu *leg.*
11. *hoc titulo.*

His Legatis ſumptus e publico dabantur, indictione poſſeſſionibus facta, *l.* 15. & 18.
ſupr. de Extraordin. vbi dictum. Iiſdem ad Principem proficiſcentibus curſus publici fa-
cultas patebat, *l.* 6. & 9. *h. t. l.* 32. *ſupr. de curſu publico:* (quod idem in Legatis Gentilium
obſeruabatur *l.* 9. *ſupr. de re milit.* & *l.* 57. *ſupr. de curſu publ.*) Hos Legatione fungentes,
vel functos, ſæpe Principes ornarunt honorariis codicillis; quorum inde peculiaris ratio
habita, & potior quam cæterorum, qui honorarios codicillos impetrarant, quoad mune-
rum immunitatem, qua poſt fruebantur, *l.* 1. *ſupr. de honor. codicill.* & *l.* 25. 36 *ſupr. de De-
cur. l.* 23. *ſupr. de curſu publ.*

Reſponſio ad huiuſmodi Legationes ad ſolum Principem pertinuit, etſi Præfecti Præ-
torio id ſibi vindicare ſæpe moliti, vt docet *lex* 10. 12. 14, 16. *hoc tit.* Certe Legationes Ciui-
tatum tractabant Magiſter, & Scrinium Epiſtolarum: vid. *tit. de Magiſtr. Scrin.* & *tit. de prox.
comit.*

comit. diſp. Huiusmodi vero reſcriptorum multa ſunt *hoc Codice* exempla; vt apparet vel ex Inſcriptione *l. 2. quemadm. mun. ciuil. l. 3. de inoff. teſtam. l. 1. de libertis.*

I. (a) Impp. Conſtantinus (b) & Conſtans (c) AA. ad Taurum PF. P. (d)

IN Africanis prouinciis, vniuerſis Conſiliis (e) liberam tribuo poteſtatem, vt congruente arbitrio ſtudii (f) condant cuncta decreta (g), aut (h) commodum (i) quod credunt conſulant ſibi, quod ſentiunt eloquantur (k) decretis conditis, miſſisque Legatis. Nullus igitur obſiſtat cœtibus Dictator (l), nemo Conſiliis obloquatur. Dat. Kal. Aug. Med. Arbitione & Lolliano Coss. [355.]

NOTAE.

(a) Abeſt hæc *lex* a *Cod. Iuſt.* GOTHOFR.

(b) *γρ. Conſtantius:* qui error & aliis *legib.* inſidet hoc ipſo Anno. *ID.*

(c) Id eſt, *Gallus Caſ. ID.* Sed hic iam anni ſuperioris ſine iuſſu Conſtantii eſt occiſus. Vid. *Chron. hiſtor.* delendum itaque Conſtantis nomen. *RITTER.*

(d) *Tauro* huic PP. plures aliæ conſtitutiones inſcribuntur A. 353. 355. 357. 358. 359. 360, 361. ac nominatim hoc ipſo Anno nonnullæ, in quibus Africæ pariter mentio fit, puta *lex 2. de erogat. mil. ann. lex 8. ſupr. de exactionib. v. Proſopograph.* GOTHOFR.

(e) *Conſiliis* hic, & mox iterum *fine l.* alibi *Concilia*, de quo in *Comm.* Sidonius vtrumque iungit *lib. 2. ep. 1. in Concilio iubet, in Conſilio tacet. ID.*

(f) *Arbitrium ſtudii*, id eſt, arbitrium, ſeu ſtudium: *ſtudium* autem pro voluntate & arbitrio. An *ſtudiis? ID.*

(g) *Decreta:* de his in *Paratitlo*, & in *Comment. ID.*

(h) *Aut*, pro *&. ID.*

P. 381. (i) Ita *l. 3. infr. petita commoda conſequatur. ID.*

(k) Hinc *Eloquium* Legati, *l. 34. ſupr. de annon. & tribut. ID.*

(l) *Dictator* figurate, qui rei alicui obſiſtit, vel alicui rei obloquitur: vel certe etiam proprie, de quo mox. *ID.*

COMMENTARIVS.

CONSTANTII Imp. hæc *lex* eſt: qua cunctis Conſiliis vel Conciliis per prouincias Africanas liberam tribuit facultatem, coëundi in commune, conſulendi, decreta condendi, Legatosque ad Principes mittendi, citra cuiusquam impedimentum. Scilicet erant, qui cœtibus his & Legationibus obſiſterent, & obloquerentur: proculdubio Magiſtratus & publica officia in prouincia gerentes, qui auctoritati ſuæ tantum decedere putabant, vel etiam veriti, ne Legati ideo ad Principem mitterentur, vt aduerſum ſe querelas proponerent. Quare quantum in ſe, huiusmodi conſiliis, cœtibus & Legationibus ii ſubinde interceſſere: Contra Principes ſubinde prouincialium querelis, ſua damna deplorantibus, voces laxandas putauere, vetitis Iudicibus huiusmodi cœtibus & Legationibus intercedere: puta Conſtantius *hac l.* Valentinianus Iun. *l. 8. 9. infr.* Theodoſius M. *l. 12. infr.* Cui haud adeo abſimile eſt, quod Principes appellationes ad ſe impediri Iudicum terrore vetuere: & quidem idem Conſtantius hoc ipſo Anno, *l. 2. ſupr. de his, qui per metum Iudicis:* in quam eandem ſententiam addatur & *lex 15. ſupr. de appellat.*

Ergo Conſiliis publicis id licere voluerunt Principes, vti Legatos citra auctoritatem Magiſtratuum & Rectorum ad ſe mittere poſſent: Quod olim non ita licuit; Legatorum enim mittendorum poteſtatem a Magiſtratu olim petitam, ex Philone & Ioſepho oſtendam ad *l. 15. infr.* Quod & ipſum hodie definiunt Pragmatici, poſſe ſcil. Ambaſciatores ſine *Proregis* licentia a conſilio ciuitatis ad Principem mitti pro cauſis publicam vtilitatem concernentibus, ſi videl. de eo quæſtio ſit, quod a Prorege fieri non poſſit, vel quod cum prouidere poſſet Prorex, non vult, aut contrarium etiam prouidet. De quo videndus Ponte, *de Poteſtate Proregis, tit. 2. §. 7.* Trentacinquius, *conſil. 4* Minaldus, *in conſtit. In aliquib. Gloſſa, Comitum vel Baronum, num. 55.* Giurba *Conſilio Criminali 69.* Necquicquam ei obſtante *l. vlt. Cod. Iuſt. de Legationib.* ſeu *l. 15. infr.* & *Nouella Iuſtiniani de mand. Princip. 17. cap. 3.* vt oſtendam *ad l. 2. infr.* & *ad dict. l. 15.* Denique Baldi illud in *l. decernimus, num 6. Cod. Iuſt. de ſacroſ. Eccleſ. verum ſemper fuit*, inquit, *quod large loquendo, omnis ciuitas eſt ſub Tyrannide, ſi ſubditi libera voce non poſſunt bonum publicum ita defendere.* Sed & Syneſii locus elegans eſt *libro de Regno*, ſeu in formula bene imperandi, ad Arcadium Imp. *pag. 27. Edit. Petau.* quo huiusmodi Legationibus *εὐπρόσοδον*, id eſt, *facilem* & *acceſſibilem* eum eſſe oportere ſuadet, quo laborantibus populis ſuccurrat. Et certe veriſſima eſt illa, quam dixi, *Baldi* ſententia: & inter arcana vel flagitia dominationis illud quoque actitatum ſcimus, & vbi metus motuum eſſe poteſt, hanc ſæpe rationem adhibitam, ne aliquibus in conſilium coëundi domi facultas pateret, & illud, extra prouinciam ſeu regnum aliquod, alteri annexum, Curia, de rebus ad id pertinentibus, habeatur.

Cæterum quod ait Conſtantius, *Nullus obſiſtat cœtibus Dictator*, vel figurate accipi poſſit pro eo, qui alicui rei pro imperio ſuo intercedit; vel proprie: *Dictatores* enim vocarunt ciuitates quædam Magiſtratus

ſtratus ſuos, vt de Lanuuio conſtat ex *Or. pro Milone cap. 10.* & Spartiano *in Hadriano cap. 19. init.* Eiuſdem Dictatoris municipalis mentio in vnica veteri Inſcriptione Romæ, *apud Gruterum CCXIIII.* ex Commentariis publicis deſumpta, ex qua forte ratio dubitandi *huius l.* colligatur, ſcil. eo quod Dictatorum fuit *Conſilium* cogere.

B. PVBLILIO. CELSO. II. C. CLODIO. CRISPINO. COS. IDIBVS. APRILIB. M. PONTIO. CELSO. *DICTATORE.* C. SVETONIO. CLAVDIANO. AEDILE. IVRI. DICVNDO. PRAEF. AERARI. COMMENTARIVM. COTTIDIANVM. MVNICIPI

CAERITVM. INDE. PAGINA. XXVII. KAPITE. VI.

M. PONTIVS. CELSVS. *DICTATOR.* ET. C. SVETONIVS. CLAVDIANVS. DECVRIONES. IN. TEMPLO. DIVOR. CORROGAVERVNT.

Item *ibidem*:

IN. CVRIAM. FVERVNT. PONTIVS. CELSVS. *DICTAT.* &c.

Mox:

PAGINA. ALTERA. CAPITE. PRIMO. MAGISTRATVS. ET. DECVRION. CVRIATIO. COSANO. SAL. IOIS. AVG. DESIDERANTI. A. NOBIS. VLPIO. VESBINO. CONSILIVM. DECVRION. COEGIMVS. &c.

Quod ſi ita eſt, tum locus hic notetur, de Dictatoribus per Africanas prouincias.

Superſunt *hac l.* duo adhuc illuſtranda. Primum eſt, quod *Conſilia* hac *leg.* dicuntur his, quæ alibi *Concilia* vocantur: vt *l. 12. 13. h. t. l. 2. ſupr. quemadm. mun. ciuilia: l. 1 ſupr. de libertis: leg. 3. ſupr. de inoff. teſtam.* Vnde & Inſcriptiones Conſtitutionum quarundam *ad Concilium* huius, vel illius prouinciæ, & quidem prouinciæ Africanæ, *leg. 15. ſupr. de appellationibus.* Byzacenæ, *d. l. 1. ſupr. de libertis: d. l. 3. ſupr. de inoff. teſt.* Ammianus Marcellinus *lib. 28. cap. 6.* *Qua ſpe Tripolitani fruſtrati, formidantesque extrema, adlapſo legitimo die* CONCILII, *quod apud eos eſt annuum, Seuerum & Flaccianum creauere Legatos.* Sed tamen iſtud *conſiliis* quoque recte habet: quomodo & vox quæ ſequitur *conſulant ſibi*: & Curiales in *Conſilium* cogi dicuntur, *leg. 4. ſupr. de Decurionib.* Sane & iam olim ita *Conſilium* hoc ſenſu dictum, cuius conſilii habendi ius non omnes Ciuitates habuere: Liuius de Capua *lib. 26. c. 16.* *Placuit, corpus nullum ciuitatis, nec Senatus, nec plebis Concilium, nec Magiſtratus eſſe. Sine Conſilio publico, ſine imperio multitudinem,* &c. Spartianus *in Seuero cap. 17. init.* *Alexandrinis ius Buleutarum dedit, qui ſine publico Conſilio, ita vt ſub Regibus ante viuebant, vno Iudice contenti, quem Cæſar dediſſet.* Dio *lib. 51. pag. 455. Edit. Wechel.* de eadem re dixit, ἄνευ βουλευτῶν πολιτεύεσθαι. Nos vocamus, *Conſeil de ville.*

Alterum eſt de *Decretis* Legationum: de quibus, præter ea quæ continentur *Paratitlo*, tria apud alios Scriptores loca occurrunt. Mamertinus *gratiarum actione pro Conſulatu, c. 7.* *Omnes Vrbes quæ Danubium incolunt adita, omnium audita* DECRETA, *leuati ſtatus, inſtaurata que fortunæ.* Ammianus Marcellinus *lib. 28. cap. 6.* *Venerunt in comitatum Legati: aditoque Principe, verbis quæ perpeſſi ſunt oſtenderunt: obtulerunt* DECRETA, *textum continentia rei totius: Quibus lectis &c.* Sidonius Apollinaris *lib. 1. ep. 7.* *Geſta decretalia* vocat: ibidemque *prouinciale mandatum* appellat: & in Concione Bituricenſi *lib. 1. ep. 9.* *Paginam Decretalem.*

P. 181.

II. (a) Idem AA. (b) & Iulianus C. Muſoniano PF. P. (c)

NVLLVS, ad gentem Axumitarum & Homerita (d) ire (e) præceptus, vltra annui temporis ſpatia debet Alexandriæ (f) de cetero demorari (g): Nec poſt annum (h) percipere alimonias annonarias. (i) Dat. XVIII. Kal. Feb. Med. Indictione XV. (k) Conſtantio A. VIII. & Iuliano Cæſ. Coss. [356.]

NOTAE.

(a) Abeſt hæc *lex* a *Cod. Iuſt.* velut temporaria & hiſtorica. *GOTHOFR.*

(b) Alterum hoc etiam *A* tollendum: ſolus enim Conſtantius Auguſtus hoc tempore erat. *ID.*

(c) *Muſonianus* PP. (Orientis ſcil.) ſub Conſtantio Imp. De eo plene dico in *Proſopogr.* ex Amm. Marcellino, Athanaſio & Libanio. Ex *hac* certe quoque *leg.* inquam, diſcimus aperte, eum PP. *Orientis* fuiſſe: ex Axumitarum & Homeritarum, vt & Alexandriæ mentione *ID.*

(d) *Et omerita*: Ita prima editio Tiliana: ex quo *Homeritarum* deinceps fecerunt: Minore mutatione reponam, *Homeritas. ID.*

(e) Id eſt, Legatione fungi. *ID.*

(f) *γρ. Alexandria* &c. *demorari*, vel *emorari*, de quo mox. *ID.*

(g) *Demorari*: noſtrum inde *demeurer*: f. *emorari. ID*

(h) Circumacto anni tempore, *l. 27. de erogat. mil. ann. ID.*

(i) Annonas vel emolumenta *d. l. 27. ID.*

(k) *Indictionem XV.* nota, quæ incidit in A. D. 356. *ID.*

COMMEN-

COMMENTARIVS.

DE LEGATIS ire præceptis, ſeu miſſis ad GENTILES Æthiopiæ & Arabiæ Felicis, AXVMITAS ſcil. & HOMERITAS, eſt hæc Conſtantii Imp. conſtitutio, quæ *hoc titulo* fugitiua videatur: eſt enim *hic titulus* proprie de Legationibus prouincialium miſſis ad Imperatores, quod Curialium munus erat. Niſi forte putemus, *hanc l.* non eſſe de Legatis ad has Gentes miſſis ab Imperatore Conſtantio, verum a Curia Alexandrina, quibus a Republica alimoniæ aononariæ præbebantur: de quo poſtea.

De *huius l.* ſententia antequam agamus, de Gentibus, ſeu Gentilibus iſtis prius videndum eſt: de quibus alioquin ad *Philoſtorgium* quoque iam prolixius egi. Hic enim Scriptor ons plurima de his edocet: ſic vt non plura aliunde vel certiora, quam ex *hac l.* & ex Philoſtorgio habere poſſimus. Itaque & Philoſtorgium hac in re nunc ſequemur, cui & ea ſociabimus, quæ tum *lex* noſtra ſuppeditat, tum alii ſcriptores de his habent. Et quidem de AXVMITIS primum.

De his igitur (quorum nullam mentionem reperio apud Strabonem aut Plinium) inſignis παρέκβασις eſt apud Philoſtorgium, *hiſtor. Eccleſiaſticæ lib. 3. c. 6.* vbi initio ſitum eorum deſcribit: nempe 1. Æthiopes eos fuiſſe ait: 2. Ad primas maris Rubri oras & ad ſiniſtram quidem exteriorem, eos habitaſſe: 3. Ante hos Auxumitas Orientem verſus ad exteriorem Oceanum habitaſſe Syros (de quibus mox.) Quibus omnibus graphice ſitus eorum deſcribitur. 4. Auxumitas denique dictos a metropoli *Auxuma*. Quæ omnia veriſſima ſunt. Auxumitæ ſcilicet, Æthiopica gens fuit, mari Rubro ab Homeritis diſparati. Quod & Ptolemæi tabulæ docent; gradu, vt ipſemet ait 65. 30. 11. *lib. 4. cap. 8.* & Arrianus, *periplo maris Erythræi init.* & Procopius, 1. *Perſicorum cap. 19. 20* & περὶ κτισμάτων *lib. 5. cap. 8.* Theodoretus *Quæſt. in 3. Regum 33. pag. 312. Tom. I. Oper. Edit. Sirmond. Paris. 1642.* Nonnolus *apud Photium, num. 3. pag. 6. 7. Edit. Schotti.* In nummo quoque Imp. Heliogabali legimus ΑΞΟΥΜΕΙΤΩΝ. Et Axomitarum horum meminit quoque, iunctim cum Blemybus (qui & ipſi Æthiopes fuere) & Arabibus Felicibus Vopiſcus *in v. Aureliani cap. 33. in fin. Blemyes*, inquit, *Axomitæ, Arabes, Eudæmones, Indi, Bactriani, &c.* Et Tacitus Imp. apud eundem Vopiſcum, *in Vit. Aurel. cap. 41. Illum Saraceni, Blemyes, Axomitæ, Bactriani, Seres, Hiberi &c. veluti præſentem pene venerati ſunt Deum.* Pariter vt Epiphanius *in Ancorato num. 58. pag. 60. Tom. II. Oper. Edit. Colon.* τὴν μικρὰν Αἰθιοπίαν, Ἀνουβίτην τε καὶ Βλεμμύων, καὶ Ἀξωμιτῶν: *minorem Æthiopiam, Anubiticum tractum, Blemyas, & Axumitidem.* Et Stephanus *in v.* Ἀξωμίτης, vbi & metropolim ipſam Ἀξωμίτην nominat, pariter vt Arrianus, *in periplo.* Meminit horum & Epiphanius *hæreſi Sethianorum 39. num. 7. pag. 289.* & in *hæreſi Manichæorum 66 num. 83. pag. 703. Tom. I. Oper. Edit. cit.* Αὔξουμιν *metropolin* vocat Philoſtorgius *l. c* pariter vt Ptolemæo Αὔξουμη vel Ἀξώμη dicitur, ἐν ᾗ βασίλειον, *in qua regia.* Nonnolus, apud Photium, *num. 3. pag. 6. Edit. Schotti*, ait, maximam ciuitatem eſſe, & quaſi totius Æthiopiæ metropolim, ſitam vero eam μεσημβρινωτέραν καὶ ἀνατολικωτέραν τῆς Ῥωμαίων ἀρχῆς, *magis ad meridiem & orientem, quam Romanum imperium.* Ibi vero regnaſſe Reginam Sabæ iuxta Theodoretum, Æthiopum Annales memorant (quod Philoſtorgius *lib. 3. c. 4.* Homeritis adſerit) Imo & Candacen Reginam (cuius Eunuchus a B. Philippo baptizatus eſt, & a qua, vt & a Philippo Apoſtolo, antiquitatem Chriſtianiſmi repetunt.) Quorſum vide & Strabonem *lib. 17. p. 1175. 1176. Edit. Almelouecn.* Hodie retento veteri nomine *Chaxuma* vel *Chaſſuma* vocatur: de quo videnda *Æthiopica hiſtoria* Franciſci Aluarez *cap. 38. 39. 40. 41.* & Odoardus Barboſa. Ait vero inter alia Philoſtorgius, *d. c. 6.* ante Aoxumitas Orientem verſus habitare *Syros:* pro qua voce Nicephorus *lib. 19. cap. 18.* hunc locum exſcribens, repoſuit perperam *Aſſyrios.* De hiſce vero Syris hæc tradit Philoſtorgius. Primo, vt iam dixi, eos ſupra Auxumitas Orientem verſus ad exteriorem Oceanum habitare: πρότερον δὲ τούτων τῶν Αὐξουμιτῶν, ἐπὶ τὸν ἐξώτατω πρὸς ἀνατολὰς καθήκοντες Ὠκεανὸν παροικοῦσιν οἱ Σύροι, *ante hos autem Auxumitas, Orientem verſus, ad extimum pertingentes Oceanum, accolunt Syri.* Secundo ait, eos hanc Syrorum appellationem apud illos ferre. Tertio, nominis iſtius rationem reddit, nempe *quod Alexander Macedo hos Syria pulſos eo colonos deduxerit*, verbis ſane corruptis: pro quibus hæc habet Nicephorus, Ἀλέξανδρος ὁ Μακεδὼν ἐκ Συρίας ἀναστήσας ἐκεῖ κατῴκισεν. Quarto, eos & nunc patria ſeu Syriaca lingua vſos. Quinto, hos nigros valde eſſe, vtpote cum acutis ſolis radiis adurantur. Poſtremo, apud hos gigni xylocaſſiam, & Caſſiam & Caſſamum, cinnamomum, & Elephantorum multitudinem: de quo ferme & Strabo *libro 16. pag. 1119. 1120. Edit. Almelouecn.* Plinius *lib. 12. cap. 19.*

Superioribus omnibus inſpectis *Syri* hi videntur, Troglodytarum Adulitæ, (hodie *Adel*) Megabari, Aualitæ, Moſſyli (qui alias *Syli*) cum Azania forte: Nam & ſitus reſpondet: ſiti quippe illi ſupra Auxumitas ad exteriorem Oceanum, Orientem verſus, & nigerrimi ſunt, & Elephantorum ibi multitudo ingens eſt (vnde & ibidem *Elephas* mons). & regio hæc myrrhifera & cinnamomifera eſt, & aromatum ferax: Quibus alioquin Æthiopia olim accenſita, vide Plinium *lib. 12. c. 19.* Solinum *c. 30.* &c. At *Syrorum* ibi nomen apud nullum præterea ſcriptorem occurrit, neque vlla alibi Syrorum eo deductorum ab Alexandro Macedone mentio, niſi quod inter Adulim & Caſſumam (id eſt, Auxumam) *Syri* ibi apparent. Et certe Philoſtorgii hic inter alios error eſt. Arabes equidem *Syros* dictos reperio, διὰ τὴν ἐκ τοῦ ὁμορεῖν ἐπιμιξίαν αὐτῶν, teſte Euſtathio *in ſchol. ad Dionyſ. Perieget. v. 336.* Imo Syrorum nomine regio omnis ab ora Syriæ maritima vsque ad Babylonem, & a Babylonia vsque ad Iſſicum flumen continebatur. Item & illud compertum, Alexandrum e *Syria* Africam petere ſtatuiſſe, teſte Q. Curtio *lib. 10. cap. 1.* Tandem & illud notum, & Afros & Æthiopes legatos ad Alexandrum Babylonem miſiſſe memorari ab Arriano *lib. 7. pag. 475. Edit. Blancardi.* Verum de Syris in Æthiopia nulla alibi mentio. Et hæc de Auxumitarum ſitu.

p. 583.

Quod *Religionem* ſeu *Fidem* Auxumitarum ettinet, nihil de ea ῥητῶς Philoſtorgius, niſi quod & hos Arianam fidem ſectatos indicare voluiſſe videtur: ait enim *lib.3. c.6. in fin.* Theophilum Indum eo profectum res ibi conſtituiſſe, indeque ad Romanos repedaſſe: καὶ τὰ ἐκεῖσε κατασκευασάμενος τῆς ἐπὶ Ῥωμαίους ἀνακομιδῆς ἤρχετο, *cum cuncta negotia illic probe ordinaſſet, inde ad Romanorum ditionem redire cœpit.* Athanaſius certe, *Apol. I. ad Conſtantium pag. 693. Tom. I. Oper. Edit. Colon.* ſiu. *Lipſ. ap. Weidm.* ait, ad ſe ſama perlatum, Conſtantium ad Auxumitanos ſcripſiſſe, vti Frumentium Epiſcopum inde ad ſe mitterent, & Athanaſium vbicunque etiam apud Barbaros requirerent, & ad Commentarienſes Præfecti Auguſtalis mitterent, populosque & clericos ad communionem hæreſis Arianæ cogerent, eosque qui ex his non obtemperarent, interfici curarent: Quod & opere ipſo completum ſit. Ipſa Conſtantii epiſtola, ad *Tyrannos Auxumeos* ſcripta (a Tyrannis quippe populi illi regebantur, quod Arrianus diſerte quoque paſſim teſtatur) quam exhibet Athanaſius, *pag. 696. Edit, cit.* eos vnum cum Romanis dogma ſeruare iubet, τῶν ἴσων Ῥωμαίοις μεταδιδόντες, ὄντι μετ᾽ αὐτῶν κρατεῖν δόγμα ἐν ταῖς Ἐκκλησίαις κελεύομεν: *paria cum romanis impertientes, vnum cum illis in Eccleſiis dogma retinere iubemus.* Frumentiumque Epiſc. in Ægyptum ad Georgium Epiſc. Alexandrinum Synodumque Ægypti mitti, ne videlicet ſermonibus ſuis Auxumitanos corrumperet, βλασφημῶν εἰς τὸν κρείττονα, *in ſummum numen blaſphemias dicens*, & vt ab Athanaſio Epiſcopus perperam factus, fidemque Arianam amplexans, in Epiſcopatu rite conſtituatur. Vnde conſtat, Auxumitanos orthodoxam fidem per Frumentium Epiſc. ab Athanaſio miſſum tenuiſſe hoc tempore, quo Theophilum Indum Arianum ibi fuiſſe narrat Philoſtorgius: verum ad Arianam fidem Conſtantium, & Georgium Epiſc. Alexandrinum, eos traducere ſtuduiſſe. Quod ſorte tentatum ab his per Theophilum Indum, quod tamen nullus præterea ſcriptorum Eccleſiaſticorum refert. Et hæc de Auxumitis.

De *Homeritis* & Legatione ad eos a Conſtantio Imp. miſſa, ad fidem Chriſtianam his inſinuandam & exinde Theophili ad Axumitas profectione Philoſtorgii bene longa narratio eſt, *lib.3. c.4.* quam exſcribit Nicephorus ex parte *lib.8 c.35.* & plenius *lib.9. cap.18.* Cui nihil tale apud alios hiſtoriæ Eccleſiaſticæ Scriptores occurrit: cuius etiam occaſione Philoſtorgius in longam παρέκβασιν ſeſe effundit, *cap.7.8.9.10.11.* Hanc vero Legationem, vt temporis rationem ſtabiliamus, memorat Philoſtorgius medio tempore inter ea quæ contigere A. D. 341. poſt quam Athanaſius Alexandria pulſus fuiſſet Georgiumque eius loco ordinari iuſſiſſet, & A. D. 346. priusquam Athanaſius ad Conſtantium Imp. in Occidentem ſe contuliſſet. Quare medio hoc quinquennii ſpatio. Quod tamen Baronius decennio poſt referre maluit ad Annum Dom. 354.

Nunc de ipſis *Homeritis*, & quidem quid Philoſtorgius de his ſcribat de eorum ſcil. Nomine, Origine, Situ, Rituque, quam partem exſcripſit quoque Nicephorus, tacito, vt alias ferme, Philoſtorgii nomine, *lib. 8 cap.35.* Φασὶ inquit. Homeritas igitur Philoſtorgius & *lib. 2. cap. 6* & *lib.3. c.4.* iterum, cum Sabæis eosdem facit, pariter vt Procopius Gazenſis, *in 3. Regum*, ad illa verba, *Regina Saba, p.532. Edit. Geſnerian.* & vetus Auctor apud Surium, quem Baronius citat A. 522. *num. 19. 20.* de quo adde etiam quæ poſt hæc ſcripſit Geographiæ ſacræ Auctor, Sam. Bochartus *Part. I. lib. 2. c. 15. p. 97 98. Edit. Lugd. B. 1707.* qui tamen apud Ptolemæum diſtinguuntur, & apud Arrianum *in periplo.* Cæterum a Saba metropoli *Sabæos dictos* ait: Additque Sabæos hos ex Chettura Abrahami vxore ortos, de quo & Ioſephus *lib. 1. c. 16.* vnde proculdubio habet Philoſtorgius. Subiicit &, Reginam inde ad Salomonem acceſſiſſe; cum tamen Ioſephus *lib. 8. cap. 2. num. 6. in fin. p. 271. Edit. Lipſ. apud Weidm.* Reginam illam Ægypti & Æthiopiæ, τῶν Αἰγυπτίων καὶ Αἰθιοπίας faciat. Verum eandem cum Philoſtorgio ſententiam ſequitur & Theodoretus *in 3. Reg. q. 33.* ſequuntur hodie viri docti: nam & Arabia Felix, auri & aromatum abundantiſſima eſt, & Iudææ reſpectu ad Auſtrum & ipſa ſpectat, cuius *Auſtri Regina* dicitur a Chriſto: denique a Iudæa remotiſſima, & in finibus terræ vnde ea veniſſe dicitur. Hoc primum. Qui de hac regione Saba, deque Sabæis plura ſcire volet, legat is doctiſſimi viri diſſertationes *Geogr. ſacr. Part. I. lib. 2. c. 26.* vbi multa ex hoc Philoſtorgio noſtro.

Quod *Situm* Homeritarum attinet, Philoſtorgius ad extimum Oceanum eos collocat, & ſpecialius adhuc in Arabia maiore ſeu Felice, cuius metropolis Saba. Recte hæc ferme omnia Philoſtorgius. Homeritæ enim ad Oceanum ſiti Arabum gens fuit, Saracenis proxima, gentibus his inter ſe mari Rubro ſeu Arabico diſpartitis: quod ex Plinio diſcere eſt, *lib. 6. c. 28* (qui & idem inter Arabas numeroſiſſimos fuiſſe ait, ex relatione Ælii Galli) & Ptolemæo *lib. 6. c. 7.* Procopio *l. 1. Perſic. cap. 19. 20.* & Procopio Gazenſi *in 3. Regum ad verb. Regina Saba, p. 532. Edit. latin apud Geſneros.* Theodoreto *quæſt. 33. in lib. 3. Regum, pag. 312. Edit. Pariſ. Sirmond.* Nonnoſo apud Photium, *n. 3. pag. 6. Edit. Schotti.* De quibus & Vranius *primo Arabicorum*, apud Stephanum voc. χατραμωτίτης. Καμηλοκόμοι Χατραμῶται, Σαββαῖοι, καὶ Ομηρῖται. *Camelocomi Chatramotæ, h. e. Camelos ornantes Chatramotæ, Sabbai, & Homeritæ.* Vbi legendum puto Σαββαὶ οἱ καὶ Ὁμηρῖται, *Sabba*, id eſt, Sabbæi, *qui & Homeritæ:* quam coniecturam meam probauit poſtea Vir doctiſſimus S. Bochartus *Geograph. Sacr. Part. I. lib. 2. c. 15. p. 98.* E regione Homaritarum Axumitæ fuere, de quibus *ſupra.* Denique Homeritæ inter Arabes ſeu in Arabia cenſiti, a Plinio quoque *dict. lib 6. cap 28.* Arriano *in periplo maris Erythræi pag. 154. Edit. Blancard.* & Ptolemæo *lib. 6. cap. 7.* Quare manifeſtus error eſt Stephani, qui Homeritas Æthiopum gentem facit, quod de Axumitis verum eſt: Et eorum maxime, qui Homeritas eosdem cum Axumitis faciunt, hoc tantum diſcrimine, quod qui prius Homeritæ dicebantur quamdiu in Arabia fuerunt, poſtea in Æthiopiam tranſlati Axumitæ dicti fuerint. Quibus vel hæc lex & Philoſtorgius refutandis deinceps ſufficient, qui tam clare eos diſtinguunt. Procopius quoque Gazenſis,

p. 184 zenſis, *in 3. Regum* ad verba illa, *Regina Sabæ, pag. 532 Edit. latin apud Geſneros*, de Sabæis. ἔθνος ἐςὶν Αἰθιοπικὸν: ἐντεῦθεν δὲ κεῖσθαι φασὶν αὐτὲς τῆς θαλάσσης τῆς Ινδικῆς, ὀνομάζεσι δὲ αὐτὲς Ὁμηρίτας, κατ' ἀντικρὺ δέ εἰσι τῶν Αυξεμιτῶν: μέση δὲ τέτων κεκλύκει ἡ θάλασσα: *Gens eſt Æthiopica, ſitam eſſe niunt ad mare Indicum. Vocant autem Homeritas, ſunt ex aduerſo Axomitarum, medium autem inter illos mare eſt.* Qui locus egregie cum Philoſtorgio concinit, in deſcribendo eorum ſitu.

Nunc de Homeritarum *Vrbibus*. Philoſtorgius igitur *lib. 3. c 4.* Homeritarum metropolin, non Sabam tantum (vnde Sabæi) verom & *Tafaron* quoque fuiſſe ait. Τάρφαρα hæc dicitur apud Stephanom. Τάρφαρα, inquit, ὀδετέρως, πόλις τῆς εὐδαίμονος Αραβίας, ὁ πολίτης Ταρφαρηνὸς (ſequentia reperiuntur etiam in voce Ἄδανα) ὡς Ζόαρα Ζοαρηνὸς, Αὔαρα, Αὐαρηνὸς, ὡς Οὐράνιος ἐν Αραβικῶν τρίτῳ. *Tarphara, neutro genere, vrbs Arabiæ felicis. Ciuis, Tarphurenus, vt Zoarn, Zoarenus, Auara, Auarenus, vt Vranius Arabicorum libro tertio.* Ammianus quoque Marcellinus, *lib. 23. cap. 6.* inter eximias Arabum beatorum ciuitates hanc *Tupharum* memorat, & *Taphron*, vel vt alii, *Taphra* vocat. *Ac licet abundet vrbibus mediterraneis atque maritimis, campiſque copioſis & vallibus, has tamen habet ciuitates eximias, Geapolim & Naſcum & Baraba, itidemque Nagarn & Mephran, &* TAPHRON (al. TAPHRA) *& Dioſcuriada.* Apud Ptolemæum quoque, *lib. 6. cap. 7.* Ταπφαρῖται (nam ita diſerte codices quidam habent, etſi alii Σαπφαρῖται) iuxta Homeritas in Arabia Felice memorantur: & mox Σάπφαρα vel Σάπφαρ μητρόπολις; vt & *lib 8. pag. 241.* Σαπφαρ: vbi & interuallum eius ab Alexandria deſignat. Et apud Arrianum *in periplo maris Rubri pag. 147. Edit. Blancard.* Τάπαρα ἐμπόρια Βαρβαρικά: Item Αφὰρ, quam diſerte metropolin Homeritarum vocat *pag 154. edit. cit.* Et hæc de *Tapharo* ſen *Saphare*, de quo vir doctiſſ. quoque *Geogr. ſacr. Part. 1. lib. 2. c. 30.* vbi hunc quoque locum allegat. Atenim præter Sabam & Tapharon, duo præterea Homeritarum emporia memorat Philoſtorgius; nempe Emporium Romanum, & Emporium Perſicum. De *Romano* Homeritarum *emporio* tria ait, 1. ſitum id extrorſum ad Oceanum: 2. Regionem vocari *Adanen*: & ſic Emporium Romanum iſtud fuiſſe in regione, quæ vocatur *Adane.* De hac Adane Vranius quoque *lib. 3. Arabicorum*, & Herodianus *lib. 4.* apud Stephanum in Ἄδανα. Ἄδανα ἐςὶ καὶ ἑτέρα πόλις ἐν μεσογείῳ τῆς εὐδαίμονος Αραβίας, ὡς Οὐράνιός φησιν ἐν Αραβικῶν τρίτῳ. *Adana eſt & alia vrbs in mediterranea felicis Arabiæ parte, vt Vranius inquit Arabicorum libro tertio.* Sic & apud Ptolemæum, ad marginem τῦ Αραβίας ἐμπορίυ, adſcriptum, *Aden aliis vocari.* Ea vero hodienum *Aden* vrbs regnumque dicitur. 3. Ait Philoſtorgius ad Romanum Homeritarum emporium appellere Romanos ſolitos: (nempe commercii ergo.) Hoc vero proculdubio emporium illud eſt, quod Ptolemæus *lib 6. c. 7.* in Homeritarum regione diſerte vocat Αραβίας ἐμπόριον, vbi ad marginem, vt dixi, adſcriptum, *Aden aliis vocari*: cuius eiusdem meminit & *lib. 8. p. 242.* vbi & diſtantiam eius ab Alexandria deſignat; a quo eodem in eadem Arabia Felice alia Emporia memorantur *dict. lib. 6 cap. 7.* puta in *Adramitarum* regione, Κάνη ἐμπόριον καὶ ἄκρον, *Cane emporium & extremum*: in *Eleſarorum*, Μῦσα ἐμπόριον, Ὄκηλις ἐμπόριον, *Muſa emporium, Ocelis emporium*: in Mediterranea Arabia, Ὀμανὸν ἐμπόριον, *Omanum emporium*, quorum etiam omnium interualla ab Alexandria (quo ſcil. merces Arabicæ conuehebaotur) deſcribit *lib. 8. p. 241. 242.* Nempe felix illa diueſque Arabia, Romanorum commerciis patuit; in quem finem emporia quædam ſeu commerciorum loca deſtinata erant, pariter vt apud alias vicinas Romanis gentes, commerciorum loca fuere: vide vel *Ammianum Marcellinum*, & *Itiner. Peutingerianum*: vti viceuerſa certa commerciorum loca in Orbe Romano Barbaris patuere: de quo vtroque vide vel *l. 4. C. Iuſt. de commerciis & mercatoribus.* Et hæc de Romano Emporio apud Homeritas. *Perſicum* quoque apud eosdem *emporium* memorat Philoſtorgius; nempe quo Perſæ commercii ergo commeabant, quibus Arabes felices a læua Perſico mari collimitabant, vt ait Marcellinus *lib. 23. cap. 3.* qui etiam ait, ibi fuiſſe *Emporia denſa.* Verum quænam ſiue Romana ſiue Perſica emporia ibi fuerint, ſi quis ſcire aueat, & quid ad quemque locum comportatum, commercatumque fuerit, legat is Arriani *periplum maris Erythræi.* Et hæc de ſitu vrbibusque Homeritarum.

Quod *Ritus moresque* Homeritarum attinet, ait Philoſtorgius (quod etiam exſcripſit Nicephorus, *lib 8. c. 35.*) Primo, circumciſam eam gentem fuiſſe. Quod Epiphanius quoque ſcribit *in hæreſ. Ebionæorum 30 n 33. pag. 160. Tom. I. Oper. Edit. Colon. apud Ierem. Schrey.* Certe de iis quoque populis paſſim Æthiopibus, Troglodytis (qui poſtea Axumitæ dicti,) & Herodotus, & Agatharchides *lib. 5. de mari Rubro, cap. 30. apud Photium Cod. 250. pag. 1358. Edit. Schotti.* & Diodorus *lib. 3. Biblioth. hiſtor. pag. 115. Edit. Henr. Stephan & pag. 165. Edit. Rhodomanni*, & Strabo, *lib. 16. Geograph. pag. 1116, 1117. 1119. Edit. Almeloneen.* notat, eos κολοβὺς τὰς βαλάνυς, *glandes mutilos*, imo & γυναῖκας Ἰουδαϊκῶς ἐκτετμημένας, *mulieres iudaice exciſas* fuiſſe, & a Pytholai promontorio rurſum ἀκολοβὺς, *integros*, fuiſſe. De Idumæis, in genere, (quorum pars Homeritæ) Ammonius & Iuſtinus *dialogo cum Triphone Iudæo pag. 245. 246. Edit. Pariſ. & pag. 192 Edit. Londin. Styani Thirlbii.* De omnibus ex Chettura ortis, & Ægyptiis tradit Theodoretus *Quæſt. in Geneſin, 68. pag. 53. Tom. I. Oper. Edit. Sirmond.* Denique Æthiopes qui circumciſi ſunt, ex poſteris Chetturæ ſunt. De ortis ex Chettura in commune eſt egregius locus Alexandri Polyhiſtoris apud Ioſephum *lib. 1. c. 16.* quem & Euſebius adducit *præpar. Eu. lib. 9. c. 20.* Nunc etiam qui eorum Chriſtiani ſunt, ex vetuſti moris reuerentia circumciſionem retinent.

Secundo, quod tempus circumciſionis attinet, ait Homeritas circumciſos octauo die: Nempe more Iudaico. Et Ioſephus tamen *lib. 1. Antiq. c. 13.* & Origenes *in diſſertat. contra fatum*, quæ apud Euſebium extat, *lib. 6. c. 11.* & in *collectione Græca, cui Φιλοκαλίας nomen.* & Euſtathius *in Hexaemeron pag. 60.* aiunt, Arabas ſeu Iſmaëlitas, quos

Epiphanius Saracenos explicat, poſt decimum tertium annum id facere.

Tertio ait Philoſtorgius, Homeritas ſacrificaſſe Soli, Lunæ, dæmonibus indigenis: Quod etiam habent acta Metaphraſtis apud Surium 24. *Octobr.* & apud Baronium *in Annalib. ad an. 522. num. 20.* totidem pene verbis, vbi de Axumitarum & Homeritarum Rege: *Omnes, qui erant in ſua poteſtate habebat circumciſos, partim quidem Iudaicam ſequentes ſuperſtitionem, partim autem plane Gentiles, Soli & Lunæ ſacrificantes & dæmonibus, &c.* Certe Arabes Soli & Lucifero ſacrificaſſe teſtatur quoque Nilus, *in narratione de cæde Monachorum montis Sinai, & Theoduli filii captiuitate.* Et iam olim Arabes duo tantum numina coluiſſe Arrianus ſcribit, *lib. 7. de expedit. Alexandr. pag. 486. Edit. Blancard.* Cœlum, quod Solem aſtraque alia in ſe contineret, & Dionyſium, ob famam ducti ad Indos exercitus. Sic & Blemyes Soli ſacrificaſſe, & quidem humana hoſtia, ſcribit Procopius 1. *Perſic. cap. 19.* Poſtremo ait Philoſtorgius, Iudæos quoque multos apud Homeritas fuiſſe, idque duobus locis ſcribit. Prodit id quoque Procopius 1. *Perſic. cap. 20. init.* ἐπειδὴ Ὁμηριτῶν ἔγνω πολλοὺς μὲν Ἰουδαίους ὄντας, *cum audiſſet Homeritarum non paucos genere Iudæos eſſe.* & prædicta acta apud Surium ſub Iuſtino Imp. Imo Strabo ex Eratoſthen. *lib. 16. Geograph. pag. 1112. Edit. Almeloueen.* in Arabia hac Felice Syros incolere vt & Iudæos, & poſt hos primos incolere homines agricolas. Vt proinde mirum non ſit, ſi circumciſa gens ea fuerit, quando & ex Chettura Abrahami ea orta: & Iudæi his plurimi immixti fuere. Et hactenus quidem de Homeritis ipſis, eorumque moribus.

Nunc, de *Legatione*, quod *huic leg.* propins iam,
P. 535. quam a Conſtantio ad Homeritas miſſam Philoſtorgius ſcribit, quiſue eius Legationis exitus fuerit. Quam quidem narrationem a Nicephoro, vti dixi, ex Philoſtorgio mutuatam Baronius pro ſuſpecta habuit A. D. 354. *num. 14. 15. 16.* quando nulli præterea ex hiſtoricis idem memorant. Addo, Philoſtorgium ſibi vix in omnibus conſtare videri, vt ex collatione *capitis 6. libro 2. & c. 4. lib. 3.* colligitur. Tandem, non alio fine hæc ſcripta a Philoſtorgio, quam in Arianorum gratiam. Nos Philoſtorgium ſequamur, qui non omnino ſaltem ſalſus, vel in omnibus.

Primo ſpectandum illud, agi hic de amica Conſtantii ad Homeritas legatione, pariter vt ad Axumitas. Nempe, vt ab antiquo Homeritæ & Axumitæ Romanorum Fœderati fuere, & Legati vtrinque miſſi (quod de Sabaitis nominatim teſtatur Arrianus, *in periplo maris Rubri pag. 154. Edit. Blancard.* qui & mentionem facit Legatorum a R. Homeritarum ad Imp. cum muneribus miſſorum) ita & ſub Conſtantio Imp. nominatim, ſub quo nunc verſamur, fidem facit de Axumitis, Conſtantii Imp. epiſtola *ad Tyrannos Axumitarum Aizanam & Sazanam*, in qua vt iam dixi de Frumentio Epiſc. Auxumitano & Athanaſio Alexandrino agit, quam memorat Athanaſius, *Apolog. ad Imp. Conſtantium pag. 693.* & ipſam conſignat *pag. 696. Tom. I. Op. Edit. Lipſ. apud Weidm.* vbi & *fine epiſtola* Conſtantius eos vocat ἀδελφοὺς τιμιωτάτους, *fratres honoratiſſimos.* Eoque refert, *ſeſe his paria cum Romanis iura tribuiſſe,* τῆς αὐτῆς προνοίας ἀξιοῦντες ὑμᾶς, καὶ τῶν ἴσων Ῥωμαίοις μεταδιδόντες: *hac cura cum & vos proſequi dignamur, paria cum romanis impertientes.* De vtriſque, de Axumitis inquam & Homeritis, teſtis hæc ipſa eiuſdem Conſtantii Imp. conſtitutio: quæ eo ipſo Anno 356. data eſt, quo ſuperior illa eiuſdem Imperatoris *epiſtola* ad Tyrannos Axumitarum.

Fœderati igitur Romanis fuere & Homeritæ & Axumitæ hoc Conſtantii æuo: vt & deinceps quoque manſere, etiam ſub Iuſtiniano, Procopio teſte, *lib. 1. Perſicor. cap. 19.* & Nonnoſo, *apud Photium Cod. 3. pag. 6. Edit. Schotti.* aduerſus Perſas videlicet, quibus vicini erant; quibuscum Perſis ſane Conſtantio Imp. hoc æuo res erat, qui tum Armeniam & Meſopotamiam incurſabant, cum Muſonianus PP. eſſet (cui *hæc lex* inſcribitur) teſte Ammiano Marcellino, *lib. 15. cap. vltim. lib. 16. cap. 9. lib. 17. cap. 5.* Inde igitur Legationes iſtæ a Conſtantio ad Homeritas & Axumitas miſſæ, vt non tantum ex Philoſtorgii *loco* liquet, verum etiam ex *hac l.* quæ proinde Philoſtorgium non omnino neque vbique ſalſum in hac narratione oſtendit.

Finis porro, quod ſecundum, Legationis iſtius, quam memorat Philoſtorgius, a Conſtantio videlicet ad Homeritas miſſæ, a Philoſtorgio redditur, *lib. 3. c. 4.* puta vt ad pietatem ſeu fidem Chriſtianam eos traduceret: de quo etiam *c. 6. lib. 2.* Et Metaphraſtes apud Surium 24. *Octob.* & apud Baronium *in Annal. ad an. 522. num. 20. 21. ſeqq.* cuius verba, ſiue ex Philoſtorgio ſiue e Nicephoro mutuata, hic apponere iuuat, vt appareat quomodo ea inflexa ab eo Scriptore fuerint: *Ciuitas in Homeritide quæ vocatur Nagran, cum iam longo ab hinc tempore veniſſet ad agnitionem veritatis, & pietatem ſuſcepiſſet, nempe ex quo Conſtantius Magni Conſtantini filius ad Sabaos, qui nunc vocantur Homeritæ, orti vero ſunt ex Catura Abraha, miſit Legatos: & Rege gentis illius muneribus ſibi conciliato, ædificauit hac in ciuitate Eccleſias: & quendam virum pium, qui ad vitam declinarat monaſticam, & moralibus & actiuis virtutibus erat magnus, atque adeo omnibus ſui temporis ſuperior, miſit, vt præeſſet iis, qui ad veram acceſſerant religionem. Quo quidem tempore, Iudæis reſiſtentibus, & Barbaro ſuadentibus, ne tam facile hoſpitem admitteret in ciuitatem, neque circa res diuinas aliquid innouaret, niſi prius vir religioſus aliquod ſignum oſtenderet (quomodo ſolent iſti petere, vt qui ſint increduli) quod quidem ſi praſtiterit, tunc ei concederet ingreſſum in ciuitatem. Ille diuinis fretus promiſſis, quod ſigna ſequerentur eos, qui crediderint, annuit citra vllam dubitationem, & eorum quæ petebantur miraculorum magnam oſtendit operationem. Ab eo autem tempore ciuitas Dominum pure colens, & orthodoxa diuinorum patrum ſequens dogmata perſeuerabat, &c.* Quæ præterea ſub Iuſtino & Iuſtiniano Imp. apud hos populos facta circa fidem Chriſtianam, vide apud *Cedrenum, & Hiſtoriæ Miſcellæ Scriptorem.* Tertio, *Theophilum* Legationis iſtius a Conſtantio ad Homeritas miſſæ, principem fuiſſe, ait Philoſtorgius; De quo Theophilo multa habet, vt *toto opere*

re

re paſſim, ita *c. 4. lib. 3.* quæ etiam exſcripſit Nicephorus *lib. 9 c. 18* deque eo Thalaſſii locus eſt apud Suidam. *voc.* Θεόφιλος.

Ad Legationem ipſam Conſtantii ad Homeritas redeamus: Eam vero magnificam & munificam valde deſcribit Philoſtorgius: Inter alia vero munera ad Homeritas a Conſtantio miſſa, ait, & ex eo Nicephorus, & ducentos equos e Cappadocibus nobiliſſimis, miſſos. De Cappadocum equorum nobilitate & præſtantia nota iam res eſt: deque his & nosmetipſi iam ad *Veterem Orbis deſcriptionem*, & plenius *inf. ad l. 1. de equis curulib.* Tanta vero eorum nobilitas fuit, vt Imperatorum ferme vſibus ſeruarentur, vnde & *Diuina animalia* in *dicta Veteri orbis deſcriptione, pag. 261. Geographicor. antiquor. Edit. Gronou.* id eſt Imperatoria, de quibus & Nemeſianus *Cynegetico v. 241.* & Claudianus *in laudem Serenæ v. 192.* Ex his equis erant Palmati illi, de quibus Nemeſiani locus, Heſychii, *lib. 5. Chronicorum, in Gloſſis Nomicis voc.* παλματίυς. *lex vn. de grege dominico:* & *d. lex 1. inf. de equis Curulibus:* tandem & *Itinerarium Hieroſolymitanum pag. 577. Edit. Weſſeling.* prout eius verba iam olim reſtituimus. Huiuscemodi equis nonnullis nulli fas fuit vti, vel factionibus diuidere præter Imperatorem, ne Conſulibus quidem: vide Capitolinum *in Gordianis cap. 4.* De quo accipio & quod ab eodem Philoſtorgio dicitur, *lib. 11 c. 6.* Et hæc quidem quæ modo notauimus vir doctiſſ. S. Bochartus *Geogr. ſacr. Part. 1. lib. 3. c. 11. p. 177. 178. Edit. Lugd. Bat 1707.* verbatim inſeruit, calculoque ſuo probauit. Ergo & inter dona, munera, & quidem nobiliſſima & ad Reges exteros miſſa fuere equi Cappadoces, & ideo ad Homeritas quoque a Conſtantio noſtro *huius l.* auctore miſſi.

Quod *Exitum* huius *Legationis* attinet, ait Primum Philoſtorgius *lib 3. cap. 4* Iudæos obſtinatos alioquin & pertinaces, (ἡ δὲ τῶν Ἰουδαίων οἰκεία ἀπόνοια) miraculoſis Theophili operib. inuitam licet & ἀντιπλέοντα manus præbuiſſe. Quo pertinet quoque Metaphraſtis locus *ſup.* Secundo ait & ex eo Nicephorus, Homeritarum Regem ad Chriſti fidem conuerſum, tresque ab eo Eccleſias locis opportuniſſimis excitatas: Primam quidem in metropoli gentis, *Tapharone:* Secundam, in *Emporio Romano*, quo Romani commercaturi commeare ſolebant, extrorſum ad Oceanum: Tertiam, ad alteram regionis partem, ad fauces videl. Perſici maris, in *Emporio Perſica.* Vnde diſcimus iam, Homeritarum regionem a mari Rubro & Oceano ad Perſicum mare vſque tum procurriſſe: cum tamen Ptolemæus ſuo tempore Homeritarum fines inter *Madocen* ciuitatem, & *Melan* montem coërceat. Atque hæc quidem hactenus, de Axumitis & Homeritis.

Nos ad Legationes, quæ hoc tempore ad eos miſſæ, atque adeo ad *huius l.* ſententiam, vnde diu emorati ſumus, redeamus. Ergo ad has quoque gentes hoc tempore Legationes miſſæ, pariter vt ad alias gentes, quæ Romanis fœderatæ, & amicæ erant. Quo quidem numero fuere quoque Armenii; de quo fidem facit *lex 1. ſup. de annona & trib.* vt & de Satrapis gentibusque Armeniæ vicinis *lex 57. ſup. de curſu publ. l. vlt. infr. de auro coronario:* Saraceni item, de quo dixi ad *l. 16. ſup. de Tironib.* fidemque etiam facit ſub Theodoſio Iun. *Nouella eius 31.* Miſſæ inquam Legationes ad has gentes: p.586
ſiue auxilii, ſiue amicitiæ fœderisue, ſiue fidei cauſa. Igitur Conſtantius *hac l.* modum aliquem hisce Legatis ſæpe deſidioſis ad Axumitas & Homeritas miſſis ponit: vetito quemquam Legatum ad eos ire præceptum, ſeu miſſum vltra annui temporis ſpatia Alexandriæ demorari χρονοτριβοῦντα, atque adeo poſt annum ei annonas præſtari. Qua parte tamen conſtitutio hæc, vt vulgo ea habet, vix fidem mereatur: illud ipſum inquam, quod annui temporis ſpatium Legatis ire præceptis ad illas gentes, concedatur ad demorandum Alexandriæ: cum & has Legationes propere obiri publice tum intereſſet, & quidem in abrupto ſæpe periculo, belloque tum temporis cum Perſis flagrante, quale ſane bellum hoc ipſo tempore flagrabat, Perſis Armeniam & Meſopotamiam incurſantibus, vt docet Ammianus Marcellinus *libr. 15. 16. 17.* cum Muſonianus, ille ipſe, cui *hæc lex* inſcribitur, Præfectus Prætorio eſſet, quod idem Marcellinus teſtatur, *d. lib. 15. cap. vltim. & lib. 17. cap. 5.*

Quare hic aliud quid latere neceſſe eſt. Multæ equidem aliæ conſtitutiones occurrunt, quibus temporis faciendi morandique aliquibus præfinita ſunt ſpatia.

1. Vt ecce, Proſecutores equorum & animalium, ſacro vſui deputatorum, ſeu neceſſariorum, vltra quinque dies in vna ciuitate reſidere vetiti a Theodoſio M. *l. 2. ſupr. de tractoriis & ſtatiuis.*

2. Iis, qui transductioni ferarum deputati erant, tres vel quatuor menſes in Hieropolitana vrbe reſidere ſolitis, ſeptem dierum tantum mora conceſſa a Theodoſio Iun. *l. 2 infr. de venat. fer.*

3. Exactor etiam vltra anni ſpatium in viſceribus regionis, ad quam miſſus erat, remorari vetitus: *l. 9. ſup. de executor. & exactionib.*

4. Protectori quoque vel Domeſtico, cui aut tuitio locorum, aut quidem longior neceſſitas commiſſa erat, aut Iudicum præceptis obtemperare iuſſus erat, circumacto anni tempore annonæ vel alimenta regulariter non debebantur: *l. 27. ſup. de erog. mil. ann.*

5. Datus etiam Nauiculariis ad ἀπόλυσιν καὶ καθολικὴν, ſeu ad ſecuritates, id eſt apochas reportandas annus, vel biennium.

6. Datum & ſpatium ſacerdotalibus prouinciarum Africanarum, vltra quod Karthagini morari non poſſent, *l. 176. ſupr. de Decurionib.* Verum hæc ad *hanc l.* nil faciunt, & peculiares ſuas habent rationes, non magis quam ſpecies *legis 27. ſupr. de petitionib.* Putet ergo quis Legatos ad Axumitas & Homeritas miſſos Alexandriæ tamdiu ſæpe moratos, ſiue quod opportunam nauigandi Alexandria per Mare Rubrum occaſionem captarent, ſiue vitandis latronum Arabum Saracenorum inſidiis, ſiue nimio earum regionum æſtui: ſiue denique etiam vrbis voluptate capti, diuturnam nimis ibi moram facerent, viſum fuerit Conſtantio Imp. his temporis iſtius annui ſpatium præfinire, intra quod nauigandi occaſionem opportunam inuenire ſatis poſſent. Verum neque id fidem meretur. Putet quis igitur hic legendum loco, *annui temporis*, vltra

verni temporis, quomodo etiam Ammianus Marcellinus loquitur *libr. 19. cap. vltim.* Putet alius, Legatos hoc tantum temporis inſumpſiſſe ad magnificentiam & apparatum, vel ad munera colligenda: prout ſcilicet erant hæ Legationes magnificæ, vt ex Philoſtorgio *ſupra* oſtendimus. Horum inquam, nil placet. Quid igitur? Legatum hic non *Alexandriæ demorari*, verum, *Alexandria emorari* vult Conſtantius. *Emorari* in genere eſt tardare, moram facere, χρονίζειν: vt & *Demorari* apud Tacitum *libr. 15. cap. 69.* Lactantius etiam *libr. 4. Inſtit. diuin. c. 10. cum Moſes Dux eorum aſcendiſſet in montem, atque ibidem quadraginta diebus demoraretur.* Iuriſconſultus quoque in *l. 2. §. 4. D. de iudiciis*, in hoc ipſo Legationum argumento: *non compelluntur ſe defendere Romæ, quamdiu Legationis cauſa ibi demorantur.* Alioquin eſt & *moram iniicere alteri*: ita Claudianus *de bello Getico v. 385.*

— — neu vos longe ſermone petito

Demorer.

V. & *l. 8. Cod. Iuſt. qui pet. tutor.* *Emorari* tandem eſt, ab aliquo loco diu abeſſe, moramque alibi facere. Et hoc iam ſenſu Conſtantius Imp. Legatis ad Axumitas & Homeritas, ex Alexandria miſſis, ad aditum & reditum annum præſtituit: vltra quem ſi emorarentur, ſcirent ſibi vltra, ſeu poſt annum, alimonias annonarias denegandas. Dixi ex Alexandria; nam ea ſcilicet veluti centrum huius Legationis erat, ſeu terminus a quo & ad quem, inde inquam Legati proficiſcebantur, eoque redibant. Quæ quidem etiam æquali ſpatio diſſita erat ab Axumitis & ab Homeritis, vt ex ſuperius dictis conſtat. Senſus igitur *huius l.* apertus: Anno hanc vtramque Legationem abſoluendam: quæ ſane commode abſolui intra annum poteſt; quandoquidem etiam opportuna intra annum nauigandi eo ex Ægypto, indeque Alexandriam redeundi, tempeſtas eſſe potuit. Auctor enim eſt Arrianus, *in periplo maris Erythræi, pag. 146. Edit. Blancard.* opportunum nauigandi tempus ex Ægypto Auxumam fuiſſe a Ianuario ad Septembrem vſque: in vlteriora vero emporia, menſe Iulio *pag. 150.* ſicut & ad alia maris Erythræi loca, *pag.* 164. 170. 174. In Homeritarum vero regionem & Mazam & Sabbatham, menſe ferme Septembri *pag. 155. Ed. cit.* Ergo vltra annum emanſori, moratori Legato, poſt annum annonæ præberi vetitæ. Quomodo & alias moratoribus, emanſoribus hæc eadem pœna impoſita. Sic enim & Protectoribus vel domeſticis extra ordinem e Comitatu alio miſſis, ad aliquid peragendum, poſt annum annonæ & emolumenta regulariter non debebantur, *dict. leg. 27. ſupr. de erog. mil. ann.* Idemque in Exactore, *dict. l. 9. ſup. de executor. exactionib.* Et ſic tribus his legibus annui temporis ſpatium præfinitur officiis quibuſdam peragendis, vltra quod annonas exigere non poſſent, vt in genere cæteroquin otioſos e publico paſci non oportet: Quomodo Capitolinus de Antonino Pio *in vita eius c. 7. Salaria*, inquit, *multis ſubtraxit, quos otioſos videbat accipere, dicens, Nihil eſſe ſordidius, imo crudelius, quam ſi Rempublicam ii arroderent, qui nihil in eam ſuo labore conferrent.* Proculdubio enim Legati ad Axumitas & Homeritas miſſi, moras ibi nectebant, rerum forte nouarum mirabiliumque, de quibus Arrianus, & Philoſtorgius, nimio plus curioſi; τῆς ἀναχωρήσεως incurioſi: cum tamen annui temporis ſpatium his ſufficere deberet.

Et quid ſi id quoque factum putemus in ſpecie *huius l.* a Legatis a Curia Alexandrinæ eo miſſis (vt Legationis onus Decurionibus impingebatur, de p. 187. quo conſule *Paratitlon*) quibus ex viribus ciuitatis viatica & annonæ præbebantur, vt docet *lex 15. & 18. ſup. de extraordin.* Ergo his annui temporis ſpatium datum ad Legationem perficiendam: hinc, ne Curias ſuas diutius deſererent, inde ne eas ſumptibus onerarent: forte etiam Athanaſii fideique cauſa ibi agentes, aduerſus Conſtantii & Arrianorum inſtitutum & voluntatem: quæ & ipſa arcana forte ratio Conſtantio *hac l.* propoſita fuit.

Ex ſuperioribus interim multo ante dictis apparet de nuperi Scripturis errore, qui Æthiopiam, prouinciasque has barbaras etiam Epiphanii æuo, ſub Valente ſc. Romanis nondum cognitas, fidemque Chriſtianam nondum amplexatas ſcribit. Cuius & hic alter error eſt, quod Epiſcopo Alexandrino ceſſiſſe ſcribit; in errorem hunc inductus ex *Libyæ* appellatione, quæ ſane Epiſcopo Alexandrino ſuppoſita erat: non vero Africana, ſeu Africa; verum Libya Ægypti prouincia, cui etiam Dux peculiaris præfuit, vt oſtendit vel *lex 16. ſup. de Numerariis*: In qua Libyæ appellatione peccatum quoque a Syneſii Interpretibus.

Illud poſtremum, *hac l.* obſeruendum, ſubſcribi ei *Indictionem XV* quæ ſane reſpondet *Conſtantio IX. & Iuliano Cæſ. II. COSS.* id eſt An. D. 357. Quare ad eum Conſulatum referenda *hæc lex*: vel ſane reponenda hic *Indictio XIV.* vt ita referatur ad A. D. 356. niſi Conſtantii tempore, cuius *hæc lex* eſt, eadem Indictionum ratio fuerit in Oriente, quæ in Occidente, vbi ſane congruit Indictio XV. Anno 356. Et eſt alioquin antiquiſſima hæc omnium *hoc Codice* Indictionum mentio: quam altera tamen antiquior adhuc ſedecim annis anteuertit: Indictio inquam XIV. *Marcellino & Probino COSS.* id eſt A. D. 341. quæ adnotata reperitur in conciliabulo Antiocheno apud Athanaſium, *libro de Synodis*: cuius ope, Indictionum memoriam iam ad annum 327. vel 328. retrotrahere poſſumus: ſicut *huius l.* ope ad A. D. 343.

III. (a) Impp. VALENTINIANVS & Valens AA. ad Mamertinum PF. P. (b)

PROVINCIALES, deſideriorum (c) ſuorum decreta, (d) initio apud acta Ordinariorum (e) Iudicum proſecuti, ad Sedis Tuæ Eminentiam mittant, vt impudentior petitio (f) refutetur, aut iuſtior petita commoda (g) conſequatur. Si qua autem eiuſmodi

modi fuerint, quæ Magnificentiam Tuam probabili cunctatione deſtringant, (h) ſuper his ſatis erit conſuli ſcientiam noſtram, ita vt cunctas petitiones cum litteris tuis Legatorum vnus (i) aduectet. Dat. III. Kal. Iun. Serdicæ, diuo Iouiano & Varroniano Coss. [364.]

NOTAE.

(a) Abeſt hæc *lex a Cod. Iuſt.* GOTHOFR.

(b) *Mamertinus* ſub Valentiniano Sen. PP. Italiæ, Illyrici, Africæ: cui inſcribitur & *lex prox.* 4. aliæque complures *hoc Cod.* vid. *Proſopogr.* de eo quoque Marcell. non *vno loco*. *ID.*

(c) *Deſideria:* ſunt petitiones, poſtulata, *h. l.* & *l.* 6.7.8.9.12.16. *h. t. l.* 9. & 96. *ſup. de Decurionib.* *ID.*

(d) *Decreta.* Mamertinus quoque cui *hæc lex* inſcribitur hanc vocem in hac re vſurpat. vid. quæ dixi ad *l.* 1. *ſup.* *ID.*

(e) *Ordinarii Iudices* ſunt Rectores prouinciarum. *ID.*

(f) *Petitiones hic* & *l* 4.7. *inf.* proprie. Symmachus quoque in hac ipſa re *lib.* 1. *ep.* 12. *in fin.* *ID.*

(g) *Commoda*, vid. & *l.* 1. *ſup.* *ID.*

(h) *Deſtringant*, & diſtineant. *ID.*

(i) De *Legatorum numero* dicam *ad l.* 4. *ID.*

IV. (a) Idem AA. ad Mamertinum PF. P. (b)

IVXTA legem † Diui Conſtantini, nihil, poſt tractatum (c) habitum, ciuitatum (d) voluntate, mutetur, ſiue mutiletur, ſed integre atque inlibate ciuitatum petitiones ad Magnificentiſſimæ Sedis Tuæ notitiam perferantur: vt * ſit examinis tui, quænam ex his auxilio tuo inplenda protinus, quæ Clementiæ Noſtræ auribus intimanda videantur. Dat. VII. Id. Septemb. Aquil. diuo Iouiano & Varroniano Coss. [346.]

NOTAE.

(a) Abeſt & hæc *lex a Cod. Iuſt.* GOTHOFR.

(b) *Mamertino* huic inſcribitur & *lex* 3. *prox. ſup.* de eo v. plura in *Proſopogr.* *ID.*

† *Conſtantini* lex hæc notanda, quæ nullibi extat: neque enim indicari puto Conſtantii *legem* 1. *ſup.* *ID.*

(c) *Tractatus* vox propria hic, & *l.* 7.9.12. *inf.* & *l.* 15. *inf. de Epiſcop.* Ita tractatus publicus, Amm. Marcell. *lib.* 14. *cap.* 11. *ID.*

(d) An reſtituendum *ciuilium poteſtatum*, id eſt Iudicum ordinariorum, vt vocant *l.* 13. *ſup.* Quomodo *ordinariæ poteſtates* dicuntur eodem ſenſu Amm. Marcell. *lib.* 31. *cap.* 16. & *Poteſtates* abſolute non ſemel *hoc Cod.* pro Iudicibus v. *Gloſſ. Theod.* ſimili certe errore in *l.* 16. *D. de adquir. rer. dom.* ſcriptum *in ciuitatem*, pro in *ciuis poteſtatem*. Verum ſuſtineri poteſt hæc lectio interpunctione hac; *nihil poſt tractatum habitum, ciuitatum voluntate, mutetur.* *ID.*

* *Legi* 5. *Cod. Iuſt. eod. tit.* quæ alioquin deſumpta eſt ex *l.* 12. *inf.* inſerta eſt hæc ſententia. *ID.*

COMMENTARIVS.

P. 588.

VALENTINIANI Senioris tres *hoc titulo* conſtitutiones ſuper Legationibus prouincialium ad Principem & ad ſe quidem miſſis vel mittendis occurrunt: hæ duæ, inquam, ad eundem Mamertinum PP. Italiæ, Illyrici & Africæ datæ: & Tertia præterea, puta *lex 6. infr.* Ad triplicem finem. Primo, ne Iudicum poteſtate impedirentur vel interturbarentur: ſecundo, ne inanes ſumptus prouinciales in Legationes facerent: Poſtremum, ne ſibi Principi ſuperfluis & non neceſſariis Legationibus obſtreperetur. Ad quem triplicem finem pertinent omnes *huius tituli* Leges de Legationibus prouincialium: & pertinent etiam *tres* Valentiniani *leges:* Ita quidem, vt *dict. l. 6.* ad Legationes ex Africa diſerte pertineat, quo forte etiam pertinent hæ duæ. Quinque igitur *his duabus legibus*, & *dict. l. 6.* a Valentiniano Sen. eum in finem conſtituuntur.

Primo conſtituitur *l. 3.* Prouinciales decreta ad Principem per legatos mittende, initio ſeu ante omnia apud acta ordinariorum Iudicum, id eſt Rectorum prouinciarum proſequi, ſeu inſinuare debere. Id inquam ſtatuitur *dict. l. 3.* quod indicari quoque videatur initio *l 4.* vbi vetantur decreta *mutari vel mutilari*, e Iudicibus videl. Id ipſum certe e Theodoſio Iun. conſtitutum *l. 15. infr.* vnde deſumpta eſt *lex vltim. Cod. Iuſt. eod. tit.* per Ægyptum, de Præfecto Auguſtali; puta vt Alexandrini Legatos miſſuri decreta ſua Præfecto Auguſtali inſinuent. In quo æqua fuit Præfecti Auguſtalis conditio cum Rectoribus prouinciarum; vt *hæc lex 3.* cum *illa l. 15.* collata oſtendit: non vero maior auctoritas, quod Cuiacius credidit; De quo dicam adhuc ad *eam l. 15.* Et hæc quidem ita Valentinianus Sen. & Theodoſius Iun. cum tamen alii nonnulli Principes decreta hæc requirere prouinciæ Rectorem, aut Vicarium, ſeu decreta in examen Cognitoris perferri, noluerint; Valentinianus inquam Iunior, *l. 9. infr. hoc titulo* Theodoſius M. *l. 12. inf. hoc tit.* Nempe, quia ſæpe eueniebat, vt deſideria prouincialium ad Imperatorem non perferrentur, vel ſaltem non integra; ſed Iudicum voluntate mutarentur, ſiue mutilarentur: vel denique Legationes interturbarentur; quomodo ſane euenit Legationi Tripolitanæ ad hunc ipſum Valentinianum Sen. per Romanum Comitem Africæ, vt memorat Ammianus Marcellinus *lib. 28. cap. 6.* Et vero ſtatim poſt *legem 3.* eueniſſe indicat, eiuſdem *lex 4.* ad eundem Mamertinum emiſſa trimeſtri poſt. Qua cauſa

(quod

(quod ſecundum iam caput *harum duarum legum* eſt) malo iſti *ea l. 4.* mederi inſtituit Valentinianus, vetitis Iudicibus ordinariis mutare vel mutilare decreta Ciuitatum: idque ſecundum anteriorem aliquam Conſtantini conſtitutionem, quæ ouspiam alibi occurrit. Illud equidem (quod Tertium *his duabus legibus* continetur) Valentinianus voluit, vt decreta ad notitiam *Præfecti prætorio* perferrentur: ſic quidem (quod Quartum) vt is impudentem petitionem reſpueret: contra, vt iuſtam & probabilem vel ipſe auxilio ſuo protinus impleret, remediumque implorantibus præberet: vel ſi cunctationi locus eſſet, tum demum legatus prouincialis vel ciuitatis, cum decretis, cumque literis Præfecti Prætorio ad Principem proficiſceretur. Denique probata atque elimata a Præfecto Prætorio deſideria & decreta ad ſe Principem perferri voluit Valentinianus Sen. *his duabus legibus*: vt & Valentinianus Iun. *l. 10. infr.* (hic tamen vt deciſio omnis Principi ſeruaretur,) & Theodoſius M. *l. 12. infr.* Theodoſius Iun. *l. 14. 15. 16. ſeu vltim.* Et ſic regulariter id ita obtinuit. Quanquam Valentinianus Iun. aliquando ne ipſum quidem Præfectum prætorio decretum requirere Edicto ſuo voluit *l. 9. infr. hoc titulo* admonitis tantum prouincialibus, ne ſuperfluis & improbabilibus petitionibus Imperatorem occuparent. Verum mox, vt dixi, ad Regulam rediit idem *dict. l. 10.* Nempe Præfecti Prætorio dignitati, vtpote contiguæ poteſtati, & ἀπορφύρῳ tantum βασιλείᾳ, & ſub quo diœceſeon prouinciarumque Rectores erant, quibus denique Summa rerum demandata erat, hanc δοκιμασίαν tribuerunt Principes: partim vt improbabiles petitiones reſpuerent, partim vt quæ ipſi prouidere poſſent, diſpicerent: atque adeo ne improbabilibus aut non neceſſariis legationibus & petitionibus Principum actus turbarentur. Tribuit nominatim Valentinianus *his duabus legibus*: qui & alia ratione prouincialibus occurrit *l. 6.* ne non neceſſariis deſideriis & non probabilibus rebus diſtringeretur: ad quam *leg.* ex Ammiano Marcellino aliquam multa notabo. Neſcio an non Caſſiodori quoque locus VI. *Var. 3. in formula Præfecti Prætorio*, hoc pertineat: vbi inter cætera munia Præfecturæ, & hoc ponit, *legatos gentium voraces* (al. *voraces*) *explet ordinationibus ſuis.* Huc certe facit omnino Mecœnatis inter cætera bene adminiſtrandæ Reipubl. conſilium, teſte Dione *lib. 52. pag. 485. Edit. Leunclau.* μήτε πρεσβείαν τινὰ πρὸς σὲ, πλὴν εἰ πρᾶγμα τι διαγνώσεως ἐχόμενον εἴη, πεμπέτωσαν, ἀλλὰ τῷ τε ἄρχοντι σφῶν δηλούτωσαν ὅσα βούλονται, καὶ δι' ἐκείνου σοὶ τὰς ἀξιώσεις, ὅσας ἂν δοκιμάσῃ προσφερέτωσαν. οὕτω γὰρ οὔτ' ἀναλώσουσί τι, οὔτ' αἰσχρῶς διαπράξονται, ἀλλ' ἀκεραίους τὰς ἀποκρίσεις ἄνευ δαπάνης ἢ καὶ πραγματείας τινὸς λήψονται: *neque ad te legationem, niſi res cognitionem tuam requirat, vllam mittant: ſed quæ voluerint Præfecto ſuo indicent, ac per eum tibi poſtulata ſua, quæ quidem ipſe probauerit offerant. Ita & ſumptus, & turpis rei conficiendæ ratio vitabitur, ac integra reſponſa ſine vllo impendio ac labore auferent.*

Poſtremo capite *legis 3.* definitur *numerus* Legatorum ad Principem. Nempe Valentinianus Sen. vnum tantum Legatum cunctas petitiones ſeu deſideria & decreta prouincialium, vna cum literis Præfecti Prætorio aduectare iubet. Ea ſcilicet re partim ſumptui, partim curſui publico conſulens: ne, inquam, maiore Legatorum numero Reſpublica annouis grauaretur, curſusque publicus fatigaretur. Quod quidem vnius tantum Legati prouinciæ nomine mittendi præſcriptum placuit quoque ſub Honorio, vt docet *lex 166. ſupr. de Decurionib.* & ſub Valentiniano III. *lex 186 dicto tit. de Decurionib.* & *l. 34. ſup. de annona & tributis.* Cum tamen aliquando duorum Legatorum numerus, a diœceſi vel a prouincia mittendus præfinitus fuerit, *l. 9. hoc titulo*, cuius rei exempla occurrunt apud Symmachum *libr 4. epiſt. 9.* & *lib. 6. epiſt 22.* & apud Ammianum Marcellinum, *libr 20. cap. 8.* & *lib. 28. c. 6.* Imo & tres quandoque miſſi in ſp. *l. 7 hoc titulo.* (vbi v. quæ notabo adhuc) & apud Sidonium Apollinarem *libr. 1. epiſt. 7.* (a) ſicut & a Senatu Romano totidem miſſi ad Honorium Zoſimo teſte, *libr. 5. cap. 44* Miſſi & ab Antiochia Conſtantinopolim ad Theodoſium apud Libanium *Epiſt 771.* ad Proclum; ἤδη τῶν πρέσβεων ᾑρημένων, ἤρετό τις ξένος πολίτης, ὁπόσοι τινὲς εἶεν: ὁ δὲ ἔφησε, τρεῖς. ἐγὼ δὲ τοὺς τρεῖς ἀκούσας, καὶ γὰρ ἔτυχον παρὼν, οὐ τρεῖς ἔφην πρεσβεύειν, ἀλλὰ τέτταρας. πῶς, ἤρετο, τέτταρες; ὅτι πολὺ πρὸ τῶν τριῶν ἔφην ᾑρέθη Πρόκλος &c. *cum legati iam electi eſſent, ciuis quidam peregrinus interrogauit, quot numero eſſent. Ille vero, tres eſſe, reſpondit. Ego tres audiens, (præſens enim eram) non tres, ſed quatuor, legationem illam obire dixi: Quomodo vero, ait, quatuor? Ideo dicebam ego, quod longe ante tres illos Proclus electus eſt.*

(a) Imo *quatuor* miſſos docet excitata apud Sidonium epiſtola. En verba: *Interea legati Prouinciæ Galliæ*, TONANTIVS, FERREOLVS *præfectorius Afranii Syagrii conſulis a filia nepos*, THAVMASTVS *quoque, & PETRONIVS, maxima rerum verborumque ſcientia præditi, & inter principalia patriæ noſtræ decora ponendi, prauinm Aruandum publico nomine accuſaturi cum geſtis decretalibus inſequuntur.*

P. 529.

V. (a) Idem AA. Victori (b) Duci (c) Ægypti.

CVm Legati Gentilium (d) venerint (e) obſignari eorum tabulas (f) oportet, vt ad Manſuetudinem noſtram fides eorum (g) quæ a Regulis (h) profectæ fuerint litterarum, & numerus perferatur, ne, per hanc (i) occaſionem, etiam addendi in epiſtulis poſſit his (k) facultas aperiri. Dat. V. Kalend. Ianuar. diuo Iouiano & Varroniano Coss. [364.]

NOTAE.

NOTAE.

(a) Abeſt & hæc *lex* a *Cod. Inſt. GOTHOFR.*

(b) *Victor* alius eſt Magiſter militum, cui hoc Anno ipſo inſcribitur *lex* 12. *ſupr. de erogat. mil. ann.* vid. *Proſopogr. ID.*

(c) *Dux* Ægypti vnus hac tempeſtate: poſtea enim fuit & peculiaris Dux Libyæ: vid. *Notitiam fol.* 89. & *leg.* 16. *ſupr. de Numerariis. ID.*

(d) De *Gentilibus* dixi ad *l. vn ſupr. de Nuptiis Gentilium. ID.*

(e) In Romanum ſolum & limitem, cuius Dux erat per Ægyptum Victor. *ID.*

(f) *Tabula. ID.*

(g) *γρ. Earum. ID.*

(h) De *Regulis* his Gentilium mox dicam. *ID.*

(i) Non obſignatis videl. Tabulis. *ID.*

(k) Legatis. *ID.*

COMMENTARIVS.

DE GENTILIVM Legatis eſt hæc Valentis Imp. conſtitutio: *Gentilium*, inquam, id eſt, Gentium exterarum Imperio Romano circumfuſarum: Quo ſenſu Gentiles hoc tempore vocabantur, & vero vocantur, non *hac* tantum *leg.* verum etiam *l. vn. ſupr. de nupt. Gentil. l. 1. ſupr. de terris limitaneis: l. 62. ſupr. de appellat.* Apud Auſonium *in Gratiarum act. cap. 4.* Amm. Marcellinum *non vno loco: & Notitiam Imperii*: de quo dixi plene ad *d. l. vn.* Et quidem de Legatis Gentilium *hac l.* agitur, qui in Orientis Imperio Ægypto vicini fuere: cuiuſmodi erant Axumitæ, Homeritæ, de quibus *l. 2. ſup.* aliique ſimiles, Saraceni &c. Inſcribitur enim *hac lex Victori, Duci Ægypti.* Quosquidem Gentiles ſub *Regulis* egere, quod *hac lex* teſtatur, & Ammianus *lib. 23.* qui in geſtis Anni Superioris 363. memorat Saracenorum Regulos, *cap. 3. Callinico profectus in ſtatione quadam ſub pellibus manſit, vbi Saracenorum* REGVLI *Gentium genibus ſupplices nixi, oblata ex auro corona, tanquam mundi nationumque ſuarum dominum* (Iulianum) *adorarunt, ſuſcepti gratanter, vt ad furta bellorum adpoſiti, &c.* Et *lib. eod. cap. 5. init. Adſcitis Saracenorum auxiliis, quæ animis obtulere promptiſſimis* (aduerſus Perſas.) De Regulis, & Regalibus aliarum gentium, & quidem Francorum, & Alemannorum, dixi plene ad *l. 9. ſupr. de re militari.*

De his igitur Gentilium Legatis id *hac l.* cauetur a Valente, vt quamprimum venerint, id eſt, limitem Imperii Romani, & ſic Ægyptum, ingreſſi fuerint, eorum tabulæ obſignentur, & ſic ad ſe Principem fides literarum, quæ a Regulis profectæ ſunt, & numerus perferatur: Ratione hac addita, quæ tamen alteram adhoc implicat, ne per hanc occaſionem, id eſt, non obſignatis eorum tabulis, ETIAM addendi in Epiſtolis poſſit Legatis facultas aperiri. Cuius rei & rationis hanc ſententiam puto: Ideo ſcil. obſignandas eſſe tabulas literasque Legatorum Gentilium, ne immutetur textus literarum a Legatis: Quod facile fieri poterat, & vero eueniſſe conicere licet, quod inſidi quidam in Imperio Romano cum Legatis agitantes, non tantam Imperatoris & Imperii Romani eiusque tantopere colendi, eique ſe ſubmittendi rationem habendam dicerent: vel etiam ipſimet Legati confuſiones in Imperio Romano videntes, animos exinde ſumerent, literasque adeo cultus & honoris plenas ipſi mutarent aſperarentque. Et hæc quidem ratio *hac l.* redditur, quæ tamen alteram adhuc implicat, verbo ETIAM. Et ſane hæc ratio reſpicit tantum prius illud, nempe, *vt fides earum, quæ a Regulis profectæ fuerint literarum perferatur.* Atenim alter adhuc finis Valenti *hac l.* propoſitus fuit: nempe vt *Numerus quoque earundem perferretur*: Vt ita ſciret Imperator, an & ad priuatos forte aliquos literæ perlatæ fuiſſent, quique adeo iam ſuſpecti Imperio eſſent, ſi clam literas a Regibus exteris acciperent. Sic quoque Theodoſius Iun. *l. 2. ſupr. de litor. & itin. cuſt.* ob Tyrannicum tunc furorem & Barbaricam feritatem voluit, literas quas quis habere ſe diceret ad alium, portitore detecto cum omnibus chartis, ſignatas ad ſe transmitti. Alia ratione in Gallia Legati Apoſtolici *facultates* ſuas (vt vocant) id eſt, mandata ad Parlamentum deferre tenentur: de quo videndi ſunt, qui de *Libertatib. Eccl. Gallicanæ* ſcripſere.

Ait autem hæc lex, *Tabulas*, quas mox *Literas*, & *epiſtolas* vocat: cuiusmodi Literarum a Regibus Perſarum miſſarum meminit Themiſtius, *Orat 13. ad Conſtantium, pag. 301 Edit Petau Flexiæ 1613 in 8.* καὶ εἶδον ἐγὼ ἔναγχος ἐν τῷ ἄστει τῷ Ἀντιόχου ἄνδρας ἐκ Σούσων καὶ Ἐκβατάνων ἀφιγμένους σὺν κηρυκείοις, καὶ γράμματα ἀρχαῖα βύσσῳ λευκῇ ἐνειλιγμένα, τὰ δὲ γράμματα ἐξελιπάρει τὸν ὕπαρχον σπονδὰς πράττειν Ἀχαιμενίδαις καὶ δεξιὰν ἐκ βασιλέως: *Et nuper ego Antiochiæ Suſis, atque Ecbatanis miſſos, caduceatores vidi, vnaque byſſo candida inuolutas literas perantiquas, quibus literis a Præfecto petebatur, vt fœdus ab imperatore ac dextram Achæmenidis impetraret*

De his Legatis Gentilium, vt id addam, id quoque obſeruandum, iis curſus publici vſum conceſſum: vt docet *lex 9. ſupr. de re militari; l. 57. ſup. de curſu public.* & Menandri locus quem *ibi* attuli.

P. 590. VI. (a) Idem AA. & Gratianus A. ad Claudium (b) Proc. Afric.

LEGATI qui ad Comitatum (c) noſtrum non cum neceſſariis deſideriis (d) & probabilibus (e) rebus aduenerint, cum iniuria ſui ad prouinciam animalibus

propriis reuertentur. Dat. IV. Non. Februar. Treu. Valentiniano NB. P. & Victore. CONSS. [369.]

NOTAE.

(a) Abeſt & hæc *lex* a *Cod. Iuſt.* *GOTHOFR.*

(b) *Claudius* Proconſul Africæ ſub Valentiniano Sen, A. D. 368. 369. 370. vid. *Proſopogr.* *ID.*

(c) *Comitatus* vox pro Aula Principis: vid. *Gloſſ. Theod.* Quæ etiam a Græcis huius æui Scriptoribus retenta: dixi ad *ve-terem* & *his deſcript. c. 25. p. 30.* Hac ipſa voce paſſim vtuntur Scriptores, & in his Amm. Marcellinus in hoc ipſo Legatorum argumento: imo & in ea ipſa hiſtoria, quæ *huic l.* occaſionem præbuiſſe videtur, *lib. 28. cap. 6.* *ID.*

(d) *Deſiderium* vox hac in re propria: *hac l.* & *l. 3. ſupr.* & *l. 7. infr.* *ID.*

(e) *Probabiles* res, quæ probabiliter Principi adferri poſſunt, vt loquitur *lex 9. infr. in fin.* *ID.*

COMMENTARIVS.

IMPROBABILIBVS & SVPERFLVIS prouincialium Legationibus occurrit hac conſtitutiona Valentinianus Sen. Nempe, vt ſubditis laborantibus vel oppreſſis, miſerias ſuas deflendi, auxiliaque a ſe depoſcendi fiduciam fecere, plenamque copiam dedere Principes, Legationibusque ideo εὐπρόσοδοι fuere, & vero qui bene adminiſtrandi Imperii præcepta tradidere, hoc inter potiſſima inculcauere, de quo dixi ex Syneſio ad *l. 1. ſupr.* Ita viceuerſa ſuperfluis & improbabilibus querelis & Legationibus fatigari ſeſe iidem Principes noluere: & vero noluit Valentinianus Sen. *hac leg.* & *l. 3. 4. ſupr.* Quibus *duabus legibus*, vt aliæ fibulæ adhibentur, ita & *hac noſtra* pœna imponitur: pœna inquam, puta vt Legati cum propriis animalibus remeare cogantur. Nempe, cum alioquin Legatis prouincialibus ad Comitatum Principis miſſis curſus publici copia pateret, vt non tantum *hac lex* ſatis indicat, verum expreſſe teſtatur *lex 9. infr. hoc tit.* (vbi de eo plura) & *lex 32. ſupr. de curſu publico:* pariter vt Legatis Gentilium, quod oſtendit *lex 9. ſupr. de re militari:* & *lex 57. ſupr. de curſu publico:* conſtituit Valentinianus, vt Legati qui miſſi fuerint cum improbabilibus & ſuperfluis rebus, & decretis, non iam curſu publico domum remeare poſſint, verum propriis animalibus. Quæ quidem Valentiniani conſtitutio, & quidem per Africam; inſcribitur enim *hac lex* Proconſuli *Africæ*, non abhorret ab iis, quæ hoc ipſo tempore, imo & Anno memorat Ammianus Marcellinus ſtrictim, primo in geſtis Anni ſuperioris 368 *libro 27. cap. 9.* ſed diligentius poſtea *lib. 28. cap. 6.* de Legatis miſſis ad Valentinianum a Tripolitanis & Leptitanis Afris, ad deflendas miſerias ſuas: qui tamen, ſatagente Romano Comite Africæ, & Remigio Magiſtro Officiorum dilati deluſique, etiam per Palladium Notarium e.t miſſum a Valentiniano, imo & poſtea interfecti. Valentiniani ſcil. animum eo tempore potentes quidam in Comitatu obſidebant: a quibus prouincialium Legationes velut ſuperfluæ & improbabiles, fruſtraque querentium & mentientium ſæpe traducebantur & eludebantur. Illud enim longa verius, quam quod *hac l.* obtenditur, quaſi delicatæ nimium improbæque prouincialium querelæ forent. Quod ſi ita eſt, tum ponenda fuerit *hac lex* inter inani colore ſpecioſas: re vero inanes.

VII. (a) Imppp. Gratianus, Valentinianus & THEOD. AAA. Eutropio P. P. (b)

CVM deſideria (c) ſua ſingulæ (d) ciuitates cupiunt explicare, non viritim Legatos mittant ad noſtri numinis Comitatum (e), ſed tractatu (f), habitoque conuentu, tres e prouincia, qui petitiones aduehant, delegentur: multæ conpetentis denuntiatione præſtrictis (g) his, qui prouincias moderantur. Dat. VI. Kal. Aug. Conſtp. Gratiano V. & Theod. I. AA. CONSS. [380.]

NOTAE.

(a) Abeſt & hæc *lex* a *Cod. Iuſt.* *GOTHOFR.*

(b) *Eutropius* PP. Orientis ſub Theodoſio M. v. *Proſopogr.* *ID.*

(c) *Deſiderii* vox propria *hic* & *l. 3. 6. ſupr.* *ID.*

(d) Plures, omnes vnius prouinciæ. *ID.*

(e) De hac *Comitatus* voce ad *l. 6. ſupr.* & in *Gloſſ.* *ID.*

(f) De hac *Tractatus* voce ad *l. 4. ſupr.* *ID.*

(g) Obligatis, obnoxiis. *ID.*

P.591.

COMMENTARIVS.

DE NVMERO Legatorum ad Principem mittendorum eſt hæc Theodoſii M. conſtitutio, aduerſus inconditam Legatorum turbam: quæ Reipublicæ ſumptibus, annonis & cellariis fatigabantur, curſusque publicus atterebatur. Quem eo ipſo fine cohibuere quoque alii Principes, Valentinianus Sen. *leg. 3. ſupr.* vbi iam dixi: & Valentinianus Iun. *l. 9. infr.* Et hæc quidem *lex* eſt de numero Legatorum, non quidem ab vna prouincia aut diœceſi, vel etiam ab vna ciuitate miſſorum, de quo ſunt aliæ *leges*, verum a ſingulis, ſeu pluribus, vel omnibus etiam ciuitatibus eiusdem prouinciæ, deflendis eorum ſigillatim miſeriis ſeu aduerſis. Nempe ciuitates ſingulæ vnius eiusdemque prouinciæ, malebant ſæpe per Legatos ſuos *viritim* ſua deſideria, ἰδίας χρείας explicare, quam κοιναῖς χρείας eas committere, quaſi etiam diligentius ſinguli Legati ſingulorum ciuitatum deſideria viritim explicaturi, reſponſaque vrſuri. Et certe Theodoſius quoque *hac l.* ſingulis ciuitatibus deſideria ſua ſigillatim & viritim explicandi poteſtatem relinquit: quomodo & Valentinianus Iun. *l. 9. infr.* Atenim illud *hac l.* conſtituit, vt hoc caſu ſingulæ non viritim Legatos mitterent, verum quotquot tandem ciuitates eſſent, perferendis omnium deſideriis, Tres tantum Legati deligerentur, mitterentur. Quod ſufficiens viſum. Certe integræ etiam diœceſeos vel prouinciæ nomine duos tantum Legatos mitti voluit Valentinianus Iun. *l. 9. infr.* Olim equidem vnius ciuitatis nomine Tres nonniſi Legati mitti potuere, non plures ex edicto Veſpaſiani, *l. 4. in fine, D. de Legationibus:* quæcunque tandem Ciuitas eſſet. Cætera de numero Legatorum, ex Ammiano Marcellino, Libanio, Zoſimo, Sidonio Apollinari, notata iam ad *l. 3. ſupr.* Et hæc quidem de numero Legatorum a prouincialibus ſeu ſubditis ad Imperatorem miſſorum. Neque enim hic nunc agimus de numero Legatorum a Romanis ad exteros miſſorum: quanquam & ibi ternarius ſæpe numerus placuit, veluti in mittendis Legatis ad Attalum & Nicomedem.

Cæterum ad hiſtoricam *huius l.* cauſam refero hunc Zoſimi locum: *lib. 4. cap. 25. initio.* Θεοδοσίου, inquit, τοῦ βασιλέως κατὰ τὴν Θεσσαλονίκην διατρίβοντος, πολλοὶ πανταχόθεν κατὰ κοινὰς καὶ ἰδίας συῤῥέοντες χρείας, τῶν προσηκόντων τυγχάνοντες ἀπηλλάττοντο: *Dum Imperator Theodoſius Theſſalonicæ commoratur, multi propter publicas & priuatas neceſſitates illuc vndique confluentes, impetratis ab eo, quæ par erat, diſcedebant.*

VIII. (a) Idem AAA. ad Seuerum P. V. (b)

QVAECVNQVE ciuitas Legatos ad Sacrarium (c) noſtrum voluerit ordinare, libera ei tribuatur facultas: ita tamen, vt a te (d) probata atque elimata ad nos deſideria (e) perferantur. PP. Karthag. (f) VIII. Kalend. April. poſt Conſ. Syagrii & Eucherii VV. CC. [382.]

NOTAE.

(a) Abeſt & *hæc lex* a *C. Iuſt.* GOTHOFR.

(b) *γγ.* hic & in aliis nonnullis *legibus* huius Anni PP. quomodo recte ſcriptum in *l. 6. ſupr. de deſertoribus:* & *l. 13. ſupr. de cohortalib.* Idque etiam ſubſcriptio *huius l.* ſuadet *PP. Karthag.* (vnde ſimul diſcimus hunc Seuerum PP. præfuiſſe Africæ.) Imo & argumentum, ad Præfectos enim Prætorio *δοκιμασία* decretorum pertinebat. vide autem de Seuero plura in *Proſopogr.* *ID.*

(c) *Sacrarium* Principis *hac. l.* & *l. 16. infr. hoc tit.* & *l. 11. ſupr. de pœnis,* pro Conſiſtorio Principis: *v. Gloſſ. Theod.* *ID.*

(d) Præfecto Prætorio. *ID.*

(e) De hac *Deſideriorum* voce iam *ſupr. ad l. 3.* *ID.*

(f) Hinc quoque clarum, in Inſcriptione ferri non poſſe *P. V.* *ID.*

IX. (a) Idem AAA. ad Prouinciales.

SIVE integra Diœceſis (b) in commune (c) conſuluerit, ſiue ſingulæ inter ſe voluerint Prouinciæ conuenire, nullius Iudicis poteſtate tractatus (d) vtilitati earum congruus differatur: neque prouinciæ (e) Rector, aut Præſidens Vicariæ (f) poteſtati, aut ipſa etiam Præfectura (g) decretum æſtimet requirendum. Illud etiam addimus, vt ſi integra Diœceſis vnum, vel duos elegerit, quibus deſideria (h) cuncta committat, redæ curſualis vnius hisdem tribuatur euectio: Si vero ſingulæ prouinciæ ſeparatim putauerint dirigendos, ſingularum angariarum copia præbeatur, dummodo (i) (ſicut licere volumus) oppreſſis deflere, quæ perferunt. Ita prouinciales noſtri nec in caſſum peregrinationem (k) ſuſcipiendam, eaque ad ſacras (l) aures deferenda cognoſcant, quæ probabiliter (m) Principibus adferantur, nec ſuperfluis Perennitatem noſtram exiſtiment actibus occupandam. Dat. VI. Id. Mai, Brixiæ, Antonio & Syagrio Coss. [382.]

P.592.

NOTAE.

(a) Abeſt & *hæc lex* a *Cod. Iuſt.* GOTHOFR.

(b) *Diœceſis* hic recte opponitur ſingulis prouinciis: eſt enim *διοίκησις, ἡ πολλὰς ἐπαρχίας ἔχουσα ἐν ἑαυτῇ*: Quod ex aliis quoque *legibus* clarum: de quo in *deſcript. Orbis Rom.* & in *Coniect. de ſuburbicariis* iam. *ID.*

(c) *In commune* hac *lege*, & aliis pluribus *huius Codicis*. v. *Gloſſ. Theod.* & quæ congerit doctiſſimus Sauaro *lib.* 7. *epiſt.* 7. Sidonii. *ID.*

(d) De hac *Tractatus* voce iam ad *l.* 4. *ſupr.* *ID.*

(e) Hic prouinciæ vni reſpondet. *ID.*

(f) Hic integræ Diœceſi præerat. *ID.*

(g) Prætoriana: ideſt, Præfectus Prætorio. *ID.*

(h) De hac *Deſideriorum* voce iam ſupra ad *l.* 3. *ID.*

(i) Forte *tantummodo*. Mox noua ſententia inchoanda *ſicut licere &c.* *ID.*

(k) *Peregrinatio* pro legatione *hac l.* & *l.* 189 *ſupr. de Decurionib.* & apud Symmachum *lib.* 7. *epiſt.* 54. 114. Publica legatio eſt *ὑπερόριος*, ſeu *ἔκδημος πολιτῶν*, vt ſignificanter Græci apud Pollucem, *lib.* 4. *cap.* 3. *Sect.* 18. *pag.* 363. *Edit. Hemſterhuiſ.* Vnde & Legatum dixere *ἐξοδίτην* [illegible], ſi fides Etymologico in *ἐξοδία*. *ID.*

(l) *Sacræ* aures Principis, v. *Gl.* & Iuretum, in *Symmach. lib.* 4. *ep.* 54. *p.* 134. *Edit. Pariſ.* 1604. *ID.*

(m) Ita *ſupr. l.* 3. *probabilis cunctatio*: & *l.* 6. *cum neceſſariis deſideriis & probabilibus rebus.* *ID.*

X. (a) Imppp. VALENTINIANVS, Theod. & Arcad. AAA. Principio PF.P. (b)

QVOTIESCVNQVE ex diuerſis prouinciis ad ſacrum Manſuetudinis noſtræ Comitatum (c) Legationes, quas inſtruxere (d) decreta, (e) neceſſe erit commeare, in auditorio (f) quidem Celſitudinis Tuæ vniuerſa tractentur, (g) ſed ita, vt nullum finem capiat ordo geſtorum, (h) inlibataque rerum deciſio ſingularum noſtro auditui ſententiæque ſeruetur: ita vt deinceps Excellentia Tua cum in Conſiſtorio (i) Manſuetudinis noſtræ ſecundum conſuetudinem ex decretis petitiones Legatorum de noſtris Scriniis (k) recitantur, motum proprii arbitrii (l) ratione decurſa ſententiis quas pandimus (m) referat. Dat. Non. Nouemb. Aquil. Arcadio A. I. & Bautone Coss. [385.]

NOTAE.

(a) Abeſt & *hæc lex* a *Cod. Iuſt.* GOTHOFR.

(b) *Principius* PP. Italiæ ſub Valentiniano Iun. vid. *Proſopogr.* *ID.*

(c) Comitatus *h. l.* & *l.* 6. 7. *ſupr.* vbi v. dicta, & *Gloſſ. Theod.* *ID.*

(d) *Inſtruendi* vox propria: v. & *l.* 14. *infr.* *ID.*

(e) *Decreta*, hic, & *fine l.* rurſum: vid. *Paratitl.* & dicta ad *l.* 1. *ID.*

(f) *Auditorium* Præfecti Prætorio. *ID.*

(g) Videantur, diſcutiantur. *ID.*

(h) *Geſta* de Decretis prouincialibus; hinc geſta decretalia Sidonio *lib.* 1. *ep.* 7. *ID.*

(i) *Conſiſtorium* Principis. v. *Gloſſ. Theod.* *ID.*

(k) De his Principis ſcriniis v. *ſupr. lib.* 6. & dicam quoque mox. *ID.*

(l) *Arbitrium*, & conſilium, ſententia; v. *Gloſſ. Theod.* *ID.*

(m) *Pandimus*, ideſt, proferimus, publicamus, v. *Gloſſ. Theod.* *ID.*

XI. (a) Idem AAA. ad Euſignium PF. P. (b)

SI quis vel Ciuitatis, vel Prouinciæ, vel corporis (c) alicuius ita proſequi deſideria (d) voluerit, vt non omnia mandata litterarum decretorum (e) auctoritate demonſtret, inauditus, ac ſine effecto, (f) remeare protinus iubeatur. Dat. XV. Kal. Mart. Ticeni, Honor. NB. P. & Euodio Coss. [386.]

NOTAE.

(a) Abeſt & *hæc lex* a *C. Iuſt.* GOTHOFR.

(b) *Euſignius* PP. Italiæ ſub Valentiniano Iun. Ann. 386. 387. vid. *Proſopogr.* & Symmachi ad eum *epiſtolas* nouem poſteriores *lib.* 4. ab *ep.* 67. *ID.*

(c) Veluti Nauiculariorum, vt *l.* 1. *infr. de præd. Nauicular.* Mercatorum, Negotiatorum: de quibus vide etiam quæ dixi *ad leg.* 16 *infr. de luſtral. collat.* *ID.*

(d) De hac deſideriorum voce, ad *leg* 3. *ſupr.* *ID.*

(e) Ἀσύνδετον, pro, *litterarum & decretorum.* *ID.*

(f) *Effectum*, pro effectus. *ID.*

COMMEN

P.593.

COMMENTARIVS.

VALENTINIANI Iunioris quatuor conſtitutiones hæ ſunt de Legatis prouincialium ſeu ſubditorum ad Imperatorem: quæ omnes abſunt a Codice Iuſtinianeo: quas vna fidelia illuſtrare animus eſt, non modo quia eundem Imperatorem auctorem habent, verum quia coniunctæ omnem ferme Legationum materiam continent; & nonnullæ eadem continent, quæ iterare moleſtum foret. Igitur quatuor capita *his quatuor legib.* continentur.

Primum eſt de *Libertate* ſeu *facultate* Legatorum ad Principem mittendorum: de quo eſt *lex 8. & 9. in pr. & verſ. ſicut.* Nempe Valentinianus Iun. plenam libertatem ſeu facultatem tribuit prouincialibus in commune conſulendi, Inter ſe conueniendi, tractandi, Decreta condendi, Legatos ordinandi, & ad Principem mittendi, ſuasque per eos miſerias deflendi; ſi quæ nonnulli pro poteſtate interturbare vel impedire volebant: Quod & alii Principes ſæpe cauere: Conſtantius *l. 1. ſup.* Theodoſius M. *l. 12.* de quo iam dixi ſemel ad *leg. 1. ſupr.* Super eo vero vt plures extant Valentiniani Iun. Conſtitutiones, ita & plures Ampliationes quoque eædem continent.

Prima Ampliatio eſt ipſorum prouincialium reſpectu: Nempe & *Corporibus* hanc licentiam Legatorum ad Principem mittendorum tribuit *l. 11.* cuius rei exemplum poni poteſt in Corpore mercatorum & negotiatorum, de quibus aliquid dixi ad *leg. 16 infr. de luſtral. collat.* imo Nauiculariorum, vt *l. 1. inf. de præd. Nauiculárior.* quæ data dicitur *ad Decretum Nauiculariorum:* Adde & piſcatorum, cuius exemplum apud Strabonem *lib. 10. pag. 743. 744. Edit. Almeloueen.* Et Ciuitatibus, *l. 8.* 11. & Prouinciis ſingulis, *l. 9. 10. 11.* & Integris Diœceſibus *d. l. 9.* Quod quidem poſtremum forte non facile concedendum videretur, quoties ſcilicet plures prouinciæ inter ſe capita conferrent. *Diœceſis* hic, vt & *l. 11. inf. de Medicis & Profeſſorib.* aliisque pluribus, eſt iuncta plurium inter ſe prouinciarum adminiſtratio: quod vel *hac lex* aperte oſtendit: vbi diſerte ſingulæ prouinciæ integræ diœceſi opponuntur. Balſamo *ad can. 9. Concil Chalcedonenſ. pag. 123. Tom. 1. Pandect. Canon. Guil. Beueregii.* διοίκησις ἐςὶν ἡ πολλὰς ἐπαρχίας ἔχουσα ἐν ἑαυτῇ: *Diœceſis autem eſt, quæ multas ſub ſe habet prouincias.* Adde eundem *ad can. 17. eiusd. Concil. pag. 133. Ed. cit.* Eoque ſenſu paſſim iam inde a Conſtantini M. temporibus *Diœceſeos* vox elata: vt apparet ex Ipſiusmet Conſtantini epiſtola ad Eccleſias apud Socratem *lib. 1. c. 9.* Eo ſenſu paſſim vſurpatur *hoc Codice & Iuſtinianeo*, apud Ammianum Marcellinum, Notitiam Imperii, Scriptores Eccleſiaſticos, & in Conciliis: vbi paſſim Prouinciæ & Diœceſes opponuntur, vt hic: veluti *l. 14. Cod. Iuſt. de fundis patrimonial.* in Actis *Concilii Conſtantinopolitani I. can. 2. pag. 809. 810. Tom. I. Concil. Ed. Harduin.* & *pag. 87. Tom. 1. Pandect. Can. Guil. Beuereg.* Concilii Epheſini *Epiſtol. Synodica Cyrilli Alexandrini Epiſcop. pag. 1238.* & in Decreto eiusdem Concilii de Epiſcopis Cypri *pag. 1620. Tom. I. Concil. Edit. Harduin.* ſiue *canon. 8. eiusdem Concil. pag. 104. apud Beueregium.* & in *citat. can 9. & 17.* Concilii Chalcedonenſ. & in *Epiſtola 18. cap. 1.* Innocentii I. Papæ *ad Alexandrum Antiochenum pag. 1012. Tom I. Concil. Ed. cit.* Has vero Diœceſes vel *Præfecti* quidam eximii rexere, veluti Præfectus Auguſtalis, qui Ægypti diœceſim rexit: Præfectus quoque Vrbi, qui Vrbis Romæ diœceſim, quæ pluribus regionibus ſeu prouinciis, quæ Vrbicariæ ſeu ſuburbicariæ dicebantur, conſtabat, vel *Vicarii* Præfectorum Prætorio: vnde Vicarii paſſim, Diœceſeon Vicarii, vel Pro Præfectis diœceſes regere, curare, adminiſtrare, temperare dicuntur *hoc Codice*, apud Ammianum Marcellinum, & in *Notitia Imperii.* Imo *l. 9.* idipſum indicatur. *verſ. neque prouinciæ Rector*, collato cum *initio leg.* Regebant & *Proconſules* nonnulli diœceſes; veluti Proconſul Aſiæ, quod etiam teſtatur *lex vn Cod. Iuſt. de ratiociniis operum publ.* Tandem & *Comites* nonnulli, vt Comes Orientis. At Præfectus Prætorio pluribus diœceſibus præerat, quod indicatur quoque *l. 9. hoc tit.* verſ. *aut etiam Præfectura*, cum *præcedenti verſiculo* collato. Hoc exemplum ſecuta quoque Eccleſia in gradibus Epiſcoporum conſtituendis, imo & quod huic argumento propius eſt, in generibus Conciliorum: nam & ibi fuere ſingulorum prouinciarum & integrarum diœceſeon Concilia. De quo ſunt iam iuſti libri. Nos ad Ampliationes noſtras redeamus.

Secunda Ampliatio eſt, *l. 9.* ratione *Iudicum* ſeu *Magiſtratuum:* Nempe huiusmodi conſiliis ſeu conciliis, tractatibus, decretis, Legationibus, neminem intercedere, neminem ea impedire poſſe definit: nullum inquam Iudicem, non prouinciæ Rectorem, non Vicarium, imo neque ipſummet Præfectum Prætorio: cuius alioquin ſumma & Imperatoriæ contigua pene maieſtas fuit, ἀπόρφυρος βασιλεία. Cui congruit & Conſtantii *lex 1. ſup.* Quod tamen tentare nonnulli ſæpe conati; prouincialium de ſe quoque querelas impedituri.

Tertia Ampliatio eſt, quod *Decretum* prouincialium ad Principem mittendum, a quibuscunque Iudicibus requiri vetet Valentinianus Iun. *eadem l. 9.* neque id eis oſtendere neceſſe ſit: *neque Rectori*, inquit, *prouinciæ, neque Vicario, neque ipſimet PP.* cum tamen antea aliquando apud Acta Rectoris prouinciæ decreta intimari oportuerit ex Valentiniani Sen. *l. 3. ſup.* & Theodoſii Iun. *l. 15. inf.* verum id nunc prohibitum a Valentiniano Iun. *d. l. 9.* pariter vt a Theodoſio M. *l. 12. inf.* Imo & hæc ipſa prohibitio, vt dixi a Valentiniano Iun. porrecta ad Præfectum Prætorio: cum tamen alii Principes decreta probari & aſtimari voluerint a Præfecto Prætorio, eique δοκιμασίαν hanc tribuerint: vt Valentinianus Sen. *l. 3. & 4. ſup.* Imo & ipſemet Valentinianus Iun. *leg. 8.* ante *hanc leg.* & Theodoſius M. *l. 12.* & Theodoſius Iun. *l. 14. 15. 16. ſeu ult. inf.* Quare ſingularis eſt & vnica hæc *l. 9.* Valentiniani Iun. nunc interdictio: quam procul dubio elicuit aliqua temporalis neceſſitas ſiue vtilitas.

Imo (quæ poſtrema Ampliatio eſt,) idem *l. 10.* etiam eum Præfectum Prætorio qui in Comitatu Principis agebat, in auditorio quidem ſuo decreta *tractare* poſſe definit; ſed ita, vt nullum ibi finem

capiat ordo geſtorum, iolibataque rerum deciſio Principis auditui & ſententiæ ſeruetur: ſuo igitur vnius arbitrio, ſuoque conſiſtorio deciſionem & *ἀπόφασιν* ſeruatam voluit Valentinianus Iun. *d. l.* 10. Qua parte, vt rem clare proponam, quinque iura diuerſa reperio. Modo enim Principes ita Præfecti Prætorio examinis decreta Legationum ſubiici voluerunt, vt etiam elimandi ea, poteſtas eſſet, id eſt reiiciendi improbas petitiones, vel etiam remedia ad poſtulata largiendi, quæ dilationem non ferrent, & digna outu & iodulgentia Principis ad eum referendi: vt Valent. Sen. *l. 3.* & 4. *ſup.* Theodoſ. M. *l.* 12. Theodoſius Iun. *l.* 14. Modo, Præfectos Prætorio decreta requirere noluerint, vt Valentinianus Iun. ounc *l.* 9. modo ita & ad notitiam Præfecti Prætorio Præſentalis ſeu Comitatenſis referri, vt tameo integra omnia Principi ſeruarentur: *l.* 10. modo ita perferri, vt etiam penſarent ordinarentque, num Legati venire deberent necne, quæ Theodoſio Iun. mens eſt, *d. l.* 15. *inf.* modo ita, vt omnino Legati a Prioeipe audirentur; quæ poſtrema Theodoſii Iun. mens eſt, *leg.* 16. *ſeu vlt. h. t.* Hæc ſc. tam varie pro Reipublicæ vſu & neceſſitate, prout prouincialium improbæ petitio-
P.194 oes eſſe iam ſolerent, prout ipſi Præfecti Prætorio ſeſe iam gererent: vtut ſit, quantumcunque examen aliquando, ſeu *δοκιμασία* decretorum, vel *tractatus* ſuper his Præfectis Prætorio tributa fuerit, non illico tamen *ἀπόφασις*, vt diſerte Valentinianus Iun. *d. l.* 10. ſic ſane & *canone 9. Concilii Sardicenſis pag. 644. Tom. I. Concil. Ed. Harduin.* cautum reperio: *Qui Romam venerit* (Legatus Concilii nomine) *Sanctiſſima fratri & Coepiſcopo noſtro Romanæ Eccleſiæ preces quas habet, tradat, vt & ipſe prius* EXAMINET, *ſi honeſta & iuſta ſint, & præſtet diligentiam atque ſollicitudinem, vt ad Comitatum perferantur.* Quod qoidem eximium Epiſcopi Romaui inter alia iuratum *προνόμιον* fuit. Cui ſimile ſtatutum eſt Synodi Carthaginenſis *Canone* 106. *Codicis Africani pag. 924 925. Tom. I. Concil. Ed. Harduin.* Ergo auditui ſuo & deciſioni ſeruari voluit omnia Valentinianus Iun. ita vt Præfectus Prætorio Italiæ præſentalis ſeu in Comitatu conſtitutus, ad decreta ſeu Legationem ex Africa forte, vel Italia (data enim eſt *d. lex* 10. ad Principium PP. Italiæ) ſententiam ſuam expromeret, cum recitarentur ea decreta prouincialium, ſeu petitiones Legatorum in Conſiſtorio Principis; ſc. in Conſiſtorio Principis, quod *d. l.* 10. docet, petitiooes Legatorum & decreta recitabantur de ſcriniis Principis, vbi ea aſſeruabantur. De *ſcriniis*, inqoam: ac nominatim, quod teſtatur *Notitia Imperii* in Magiſtro ſcriniorum *fol. 62. & 147.* ex ſcrinio *Epiſtolarum:* nam ibi ita: *Magiſter Epiſtolarum,* LEGATIONES *Ciuitatum, conſultationes & preces tractat.* Tandem facere non poſſum, quin hic Amm. Marcell. locum adſcribam *lib. 28. cap. 6.* quia multa habet cum *hac l.* 10. congruentia, *Tripolitani adlapſo legitimo die Concilii, quod apud eos eſt annuum, Seuerum & Flauianum creauere* LEGATOS. Et mox. *Venerunt in* COMITATVM LEGATI, *aditoque Principe &c. obtulerunt* DECRETA, *textum continentia rei totius. Quibus lectis cum neque relationi Officiorum Magiſtri fauentis Romani flagitiis, nec contraria referentibus crederetur, promiſſa* DISCEPTATIO *plena dilata eſt: ex more, quo ſolent inter potiorum occupationes ludi Poteſtates excelſa.* Vbi *Poteſtates excelſa* ſunt Imperatores; id enim vult Marcellinus, potiorum in Aula occupationibus Imperatorum deſtinata eludi, differri. Et hactenus quidem de primo capite harum Valentiniani Iun. conſtitutionum: de plena inquam Legationum mittendarum a Prouincialibus ad Imperatorem licentia.

Secundo capite viciſſim Valentinianus Iun. duo circa hæc prouincialibus iniungit. Primum quidem, *l. 9.* quemadmodum licere vult oppreſſis deflere apud Principem quæ perferunt, ita contra, Probabilia tantum ad ſe perferri vult, neque ſuperfluis ſeſe occupari. Quo pariter pertineot plores *huius tituli* leges; inter alias *lex 6. ſupr.* vbi dixi. Alterum monitum continetur *l.* 11. nempe, Mandata omnia ſeu decreta *ſcripta* exhiberi oportere: alioquin Legatum non audiendum, & ſine effectu protinus remeare. Quod ſane moris iuriſque tralatitii fuiſſe non tantum *ea lex*, aliæque *plures* oſtendunt, verum & alii quoque Scriptores: veluti Ammianus Marcellinus *lib. 28. cap. 6.* ſuperiore iam loco: ibi inter cætera: *obtulerunt* DECRETA, *textum continentia rei totius.* Petilianus in collat. Carthag. *die 3. c. 140. pag. 1163. Tom. I. Concil. Harduin.* Sidonius quoque Apollinaris *lib. 1. ep. 7.* agens de Aruandi PP. Galliarum apud Imp. accuſatione. *Interea Legati prouinciæ Galliæ Aruandum publico nomine accuſaturi, cum Geſtis Decretalibus inſequuntur* &c. De quibus alioqnin Decretis Legationum, & in *Paratitlo*, & ad *leges ſuperiores* dixi. Ergo ſcripta decreta ſeu mandata omnia Legatos prouinciales exhibere voluit Valentinianus Iun. *dict. l.* 11. cum quo num idem ſit illud, quod Theodoſius Iun. definit *l. 15. hoc titulo* nulli penitus Legationem liberam committendam, ad *eam l.* oſteodam. Similiter ſane idem Valentinianus Iun. triennio ante hanc *leg* in *l. vn. ſupra, de Mandatis Principum*, a ſe miſſis fidem haberi vetuit, aſſerentibus ſe cum mandatis Principis venire ſecretis; contra, ſacris literis notum eſſe credendum: Quo etiam pertinet Athanaſii locus, quem *ibid.* protuli. Ergo neque ſuis, neque ad ſe miſſis Legatis fidem adhiberi voluit, niſi mandata exhiberent. Huius ratio hæc eſt, quod ſæpe nonnulli mandata quidem aliqua exhiberent, ſed tamen præter hæc ſecreto quædam ſibi commiſſa exponerent, quaſi vitandi periculi gratia, & horum illorumue offenſionem metuentes, neue forte auxilii a Principe impetrandi ſpe exciderent, ſi mandata omnia vulgarentur: cum tamen interea Legati ſæpe de ſuo ingenio & peculio, nonnulla apud Principem vulgarent ad conciliandam aliqoibus inuidiam. Quare OMNIA mandata literarum & decretorum auctoritate demonſtrari voluit Valentinianus Iun. Appoſitiſſimum ſane ad hoc exemplum, apud Ammianum Marcellinum *dict. libr. 28. cap. 6.* vbi Romani Comitis per Africam arte, Municipes Tripolitani Iouinum Legatum, a ſe ad Valentinianum Sen. miſſum, deſtinatius aſſerebant, nihil eorum mandaſſe quæ docuerat Principem: an vſq; iniquitate graſſante, vt ipſe quoque Iouinus ad ſalu-

tis

tis ſuæ diſerimen confiteretur, ſe Imperatori mentitum: vnde factum vt Valentinianus Iouinum ſupplieio capitali puniri præceperit. Ex quo exemplo quoque apparet, ipſorum etiam Legatorum intereſſe, vt omnia mandata literarum & decretorum auctoritate demnuſtrare poſſint, ne alioquin *παραπρεσβείας*, ſeu falſæ Legationis argui poſſint.

Poſtremo capite quod continetur *l. 9. verſ. illud etiam:* Valentinianus Iun. id agit, vt ue GRAVES nimium ſumptuoſæque fiſco, Curſuique publico, Legationes mittantur; tum numero definito Legatorum, puta vt etiam integra Diœceſis vnum vel Duos tantum Legatos mitteret: de quo Legatorum in communi numero iam dictum ad *l. 3. & 7. ſup.* tum definito Curſu publico quatenus eo vti Legati poſſent. Nempe *Rhedam Curſualem* tribui iubet Legato vel Legatis duobus ab integra diœceſi miſſis: ſingulas vero angarias ſingulorum Legatis. Rheda Curſualis, quæ ſimpliciter Rheda dicitur *l. 8. 9. 24. 28. 30. 40. 47. 48. ſup. de curſu publico:* & *l. 2. 5. ſup de Curioſis*, Fiſcalis rheda Seuero Sulpitio *dialog. 2. cap. 3.* eademque eſt cum Vehiculo, Carpento & Quadriga: de quo conſule *Paratitlon de curſu publico.* Ei mille librarum onus imponebatur; *dict. l. 8 17. 28. 30. 47. 48. ſupr. de curſu publ.* cum carro ſexcentarum librarum onus imponeretur, *dict. l. 47.* birotæ ducentarum, *dict. l. 8.* Rhedæ huic æſtiuo tempore octo mulæ, hiemali decem iungebantur; *dict. l. 8. Angaria* vero, de qua agitur, & *l. 4. 11. 16 21. 28. 30. 45. 48.* & *l. vltim. ſupr. de curſu publico:* & *dict. l. 5. ſupr. de Curioſis:* vode & Angarialis copia, *dict. l. 4.* angariarum curſus, *dict. l. 16.* protelo boum ducebatur: bina quippe boum paria ad ſingulas angarias ſubiugabantur, *dict. l. 11.* vsque mille quingenta pondo imponebantur, *dict. l. 28. 30.* de quo plene ad *l. 4. de curſu publ.*

Ergo rhedam mille librarum diœceſeos Lega- p. 595.
to, vel Legatis duobus dari voluit Valentinianus Iun. angariam vero mille quingentorum pondo Legatis omnibus, quotquot eſſent miſſi a ſingulis prouinciis ex vna Diœceſi. Nempe licere voluit Valentinianus Iun. ſingulis prouinciis ſeparatim ex vna Diœceſi vno tempore Legatos mittere, ſic tamen vt omnes angariam tantum vſurpare poſſent. Et ſic hac ratione & prouinciis & curſui publico conſuluit Valentinianus Iun.

XII. (a) Imppp. THEOD. Arcadius & Honor. (b) AAA. Apodemio PF. P. (c) per Illyricum.

SI quod extraordinarium concilium (d) poſtulatur (cum vel ad nos eſt mittenda Legatio, vel veſtro ſedili (e) aliquid intimandum) id quod inter omnes communi concilio (f) tractatuque (g) conuenerit, minime in examen Cognitoris Ordinarii (h) perferatur (i): Prouincialium enim deſideria (k), quibus neceſſaria ſæpe fortuitis (l) remedia depoſcuntur, vobis ſolis (m) agnoſcere atque explorare permittimus: (n) nobis (o) probationem ac Iudicium reſeruamus. Ad prouinciale Concilium in vna frequentiore (p) totius prouinciæ Vrbe cunctos volumus conuenire, qui Primatum (q) honorantur inſignibus: exceptis Præfectoriis (r), quos dignitatibus ampliatos indignius (s) a conſiliantibus (t) præteriri, indignius vero ad publicum (v) honoris iniuria (x) deuocari: Vnde honeſtum eſſe cenſemus, de ſingulis quæ tractanda erunt intra domos ſuas eos conſuli. Et (y) ne plebi mixta dignitas inclinetur (z), nec eius cuius præſentiæ copia deerit probatum in Republica conſilium neglegatur: ſcil. vt in loco publico de communi vtilitate ſententia proferatur, adque id quod maioris partis probarit adſenſus ſolemnis firmet auctoritas. Dat. V. Kal. Aug. Conſtantinop. Arc. A. II. & Rufino Coss. [392.]

NOTAE.

(a) *Lex 5. Cod. Iuſt. eod. tit.* GOTHOFR.

(b) *Honorii* nomen hic expungendum: vtpote qui Anno proximo primum *Auguſtus* creatus fuit: vid. *Chronolog. ID.*

(c) *Apodemius PP.* per Illyricum ſub Theodoſio M. A. D. 392. cui inſcribitur hoc ipſo Anno *lex prox.* 13. dicitur hoc ipſo Anno PP. Illyrici & Afric. *l. 21. de nauicular.* quæ & ipſa data eſt Conſtantinopoli: & Anno prox. dicitur PP. II. Illyrici & Ital. in *l. 51. de appellat.* quæ pariter data eſt Conſtantinopoli; Verum de hoc dico ad *l. 2 ſup. de conſtit. Princip. ID.*

(d) *Conſilium* C. Iuſt *hic* male: quæ tamen alibi inter ſe variant, *ID.*

(e) *vg. Veſtræ Sedi Ill.* id eſt, *veſtræ ſedi Illuſtri.* Sane & ita quoque C. Iuſt. *veſtræ ſedi.* Quare iocularis eſt lapſus Viri alioquin doctiſſimi Ioan. Sauaronis in *lib. 1. Sidon. ep. 3. pag. 23. Edit. Paris.* 1609. qui hinc colligebat, Prætorianam Sedem dictam, *Sedile.* Sedes ſc. dicta de Illuſtribus Dignitatibus, de Præfectura Prætoriana, & Vrbana, vt *l vlt. inf. de piſtorib.* Eo ſenſu quoque INL. PATRICIAE. SEDIS. in inſcriptione, quæ a Sirmondo refertur ad Sidonium *lib. 1. ep. 9.* vnde Scriptor *de Officiis Dom. Auguſt. lib. 2. cap. 19. pag. 467. Edit. Lipſ.* ioculari lapſu, nouum nobis & inauditum Patricium, *qui ſedibus*, id eſt, Stationibus militum imperabat, effinxit. *ID.* Accuratam Noſtri eſſe emendationem, ſcriptumque fuiſſe a librariis *Sedi Ill.* fidem etiam faciunt Editio prior Cujac. & quæ in Quarto prodiit, in quibus legitur, *Veſtræ ſedili.* RITTER.

(f) *vg. Conſilio*, vt etiam habetur *C. Iuſt.* & *l. 13. inf. cum adſenſu omnium atque conſilio.* GOTHOFR.

(g) De

(g) De hac *Tractatus* voce iam ſup. *ad leg.* 4. *ID.*
(h) V. *l.* 3. *ſup. ID.*
(i) *Referatur* C. Iuſt. Et iſtud tamen retinendum. *ID.*
(k) De hac *Deſideriorum* voce iam ad *l.* 3. *ſup. ID.*
(l) *Fortuitis caſibus*, Cod. I. *ID.*
(m) Abeſt hæc vox *ſolis*, a *C. Iuſt. ID.*
(n) In C. Iuſt. ſubiiciuntur iſta, deſumpta ex *l.* 4. *ſup. Vt ſint examinis tui, quæ ex his auxilio tuo protinus implenda ſint, & quæ Clementiæ Noſtræ auribus intimanda videantur.* Quam appoſite, mox videamus. *ID.*
(o) Sequentia omnia reciſa a *C. Iuſt.* vsque ad *In loco publico* &c. *ID.*
(p) Opulentiore, *l.* 13. *prox. inf. ID.*
(q) *Primates* hic ſunt Honorati, de quibus ad *l. vn. ſup. de off. Iud. omn.* Alias Primates, pro principalibus Curiarum, *tit. de Decur. ID.*
(r) *Præfectorii*, qui? mox dicam. *ID.*
(s) γρ. *Indignum. ID.*
(t) *Conſiliantes*, id eſt, in conſilium euntes, conſulentes, conſultantes, vid. *Gloſſ. Theod. ID.*
(v) *Ad publicum*, ſeu in publicum cœtum. *ID.*
(x) Cum honoris iniuria, *ID.*
(y) Duæ rationes ſuperioris conſtituti. *ID.*
(z) Recte: neque mutandum in *inquinetur*: ſic *l.* 41. *inf. de Epiſcopis*: inclinari dicitur deſpectus humilitatis. *ID.*

XIII. (a) Idem AAA. (b) Apodemio (c) PF. P. per Illyricum.

PROVINCIALE concilium (d) quo tempore iniri debeat, cum adſenſu omnium, atque conſilio propria auctoritate definiat (e): ita vt ipſe conuentus in vna opulentiore (f) totius prouinciæ vrbe, abſque vllius (g) iniuria celebretur. Inde, quod in conſilium (h) communia vota deducunt, vel in æde (i) publica, vel in aliqua fori parte p. 196. tractetur, ad quam omnium poſſit eſſe conuerſus (k), ne quid diſpoſitio (l) paucorum tegat, quod in communem vtilitatem expetat ſollicitudo cunctorum. Si quis autem eorum virorum, quos emeritos (m) honor a plebe ſecernit, prouincialium extraordinario cupit intereſſe conſilio (n), pro ſuo loco (o) atque ordine, ſeruata reuerentia dignitatis, vel ad eum locum in quo cunctorum deſideria (p) poſſit agnoſcere, ire debebit, vel procuratoribus deſtinatis ſententiæ ſuæ promere voluntatem: modo, vt quod voluerit paucorum voluntas publica conuocetur (q) auctoritas. Dat. IV. Id. Sept. Conſtp. Arcad. A. II. & Rufino Coſ. [392.]

NOTAE.

(a) Abeſt *hæc lex* a *Cod. Iuſt.* GOTHOFR.
(b) Tollendum hic, vt & ſuperiori lege, *tertium A. ID.*
(c) Eidem inſcribitur *lex ſuperior*. vbi dixi. *ID.*
(d) Extraordinariam ſc. vt *verſ. ſi quis autem, inf.* & *l. ſuper. ID.*
(e) γρ. *Definias*, vel *definiat*, Sedes tua ſc. vel quid ſimile, quæ verba in integra conſtitutione fuerint. *ID.*
(f) Frequentiore, *l.* 12. *prox. ſup. ID.*
(g) An *alterius* vrbis? Dicam mox. *ID.*
(h) De quo deliberandum venit. *ID.*
(i) V. *l.* 8. *inf. de paganis. ID.*
(k) γρ. *Concurſus*, vel, *conuentus. ID.*
(l) *Diſpoſitionis* vox propria v. *Gloſſ. Theod. ID.*
(m) Et hoc rectum: quanquam non minus recte, *emeritus honos. ID.*
(n) Tolerari poſſit, etſi malit quis *concilio. ID.*
(o) *Locus* pro dignitate: vid. *Gloſſ. Th. ID.*
(p) Deſideriorum vox propria; dixi ad *l.* 3. *ID.*
(q) γρ. *Non vocetur. ID.*

COMMENTARIVS.

THEODOSII M. duæ hæ conſtitutiones ſunt, ad eundem Apodemium PP. Illyrici, intra ſeſquimenſem datæ: quarum poſterior prior adhuc explicatur, partim vero & emendatur: de ſolemnitate puta ſeu forma CONCILII prouincialis EXTRAORDINARII. Duo ſc. Conciliorum prouincialium ſecularium genera fuere: vnum *ordinarium*, quod ſolemni more ſingulis annis conſtituto tempore celebrabatur: vt teſtis Amm. Marcell. *lib.* 28. *cap.* 6. *Tripolitani adlapſo legitimo die Concilii,*

hi, quod apud eos annuum eſt, Seuerum & Flaccianum creauere Legatos. Sic & Honorius Imp. non Conſtantinus Tyrannus, quod hactenus creditum, (a) Edicto ſuo A. D. 418. ſeptem prouinciarum Concilio tempus definit ab Idibus Auguſti ad Idus Septembris: Alia vero *extraordinaria concilia* erant, de quibus ſunt hæ *duæ leges*, & *lex vn. ſup. de Præf. Prætor.* nempe neceſſitate aliqua extraordinaria cogente, & fortuitis neceſſaria remedia depoſcentibus: cuius cauſa poſtea vel ad Principem mittenda erat Legatio, vel Præfecto prætorio aliquid ſignificandum veniebat. Hæ duæ ſc. Aræ erant, hæc duo ſuffugia, vnde remedia fortuitis expectari poterant: puta Princeps: quæque ipſi proxima erat ceruix, Præfectus Prætorio. De huiusmodi extraordinario concilio, eiusque ſolemnitate ſunt, vt dixi, hæ *duæ* Theodoſii M. *leges*.

Primum igitur definitur, a quo *Poteſtas*, *Tempusque* eius conuocandi pendere debeat? Nempe poſtulandum id, ait *lex 12.* quoque tempore iniri debeat, cum adſenſu omnium & conſilio. Præfectum Prætorio definire debere, ait *lex 13.* Ergo indicendi concilii poteſtas penes hunc erat, ſed tamen adhuc cum adſenſu prouincialium: neque vt concilium ſua auctoritate interturbaret vel regeret. Quomodo & in Eccleſia indicendi Concilii, tempusque definiendi ius, non ideo abſolutam poteſtatem infert.

Secundo definitur. Quæ vrbs celebrando concilio huiusmodi prouinciali deligenda ſit? Nempe Opulentiorem, vt ait *lex 13.* ſeu frequentiorem, vt ait *lex 12.* aliquam totius prouinciæ vrbem ad id deligi iubet Theodoſius M. Idque ait *d. l. 13. abſque ullius iniuria.* Nempe quia ad iniuriam ſuam pertinere ciuitates ferme credebant, ſi aliæ ad concilium, celebrandum ſibi præferrentur: vt cæteroquin magna hæc æmulationis materia inter Vrbes, quibus etiam περὶ πρωτείων ingens certamen erat; de quo fidem faciunt vel Dio Chryſoſtomus, Ariſtides, & Auſonius. Sic & ad iniuriam pertinere ſuam eædem putabant, ſi non ipſæ iudicum hyemationi ſedem præberent: de quo eſt einsdem Theodoſii M. *lex 6. Cod. Iuſt. de off. Rectoris prouinciæ*, vbi etiam hæc ipſa *Iniuriæ* vox occurrit: *Ciuitas*, inquit, *Rhodiorum iniuriam ſuam non tam decenter, quam ſera conqueſta eſt.* Quare litem hanc nunc Theodoſius, quod ad concilii celebrationem attinet, hoc Euremate & quidem neceſſario dirimit: puta, vt in id opulentior ſeu frequentior Ciuitas eligeretur, vel vt eam vocat *lex 11. inf. de Medicis & Profeſſorib.* frequentiſſima: ſiue ea Metropolis ſit ſiue alia. Metropoles ſane in id plerunque delectæ, quia & ipſæ opulentiores, & frequentiores. Hinc adeo *lex 15. ſup. de appellationib.* & *lex 2. ſup. quemadmodum mun. ciuil*, quæ datæ ſunt *ad Concilium prouinciæ Africæ*, dicuntur *PP. Karthagine.* Et ita quidem hæc verba *legis 13. abſque vllius iniuria*, accipienda videntur.

Tertio definitur a Theodoſio M. *Locus* ciuitatis, qui & ipſe maxime frequentari poſſit, & ad quem omnium poſſit eſſe concurſus: non in genere tantum *l. 12.* locus publicus, verum ſignate, *l. 13. in æde publica, vel in aliqua fori parte.* In æde publica, veluti in Baſilica, Thermisue, non in Palatio tantum, quod tamen ſolum hic per ædem publicam nonnulli accipiunt. Adde & Templa olim Gentilium: quorum nonnulla, vt diſerte ait idem Theodoſius M. decennio ante, *lege 8. inf. de paganis, ſacrif. & templis*, frequentiæ dedicata, cœtui etiam, populo quoque communia facta. Ergo huiusmodi locum publicum concilio celebrando deligi voluit, ad quem omnium poſſit eſſe concurſus: *ne* alioquin ait *lex 13. paucorum* forte *diſpoſitio tegat, quod in communem vtilitatem expetit ſollicitudo cunctorum*, id eſt, ne dum locus paucorum capax eſt, paucis quoque coëuntibus pauci decernant, diſponent, quod communem ſententiam & calculum *ſuff.* requirit: *vt in loco publico*, inquit, *lex 12. in ſin. de communi vtilitate ſententia proferatur.*

Quartum caput eſt, de *Perſonis*, quas ad Concilium conuenire, non tantum e *plebe*, (id eſt, vulgus Curialium, poſſeſſorumue) verum etiam *eos, qui Primatum honorantur inſignibus*, ait *lex 12.* vel vt plenius explicat *lex 13. eos Viros, quos emeritos*, vel *emeritus honos, a plebe ſecernit.* De Primatibus alioquin vrbium, vicorum, caſtellorum, vide *leg. 13. ſupr. de deſertoribus.* Primates *leg. 4. de decurion.* & Primates Ordinis Alexandrini *l. 190. de Decurionib.* Primates viri *l. 3. infr. de Scenicis*: vid. plura in *Paratitlo de Decurionib.*

Ergo & honoratos omnes ad Concilium conuenire voluit Theodoſius M. *Præfectoriis* tantum exceptis, *leg. 12.* id eſt, exceptis iis qui Præfectura (ſiue Prætoriana, ſiue vrbis) functi. Sidonius *lib. 1. ep. 7. Interea Legati prouinciæ Galliæ, Tonantius, Ferreolus Præfectorius, Afranii Siagrii Conſulis e filia nepos, Thaumaſtius quoque, & Petronius inter principalia patriæ noſtra decora ponendi* &c. Meminit idem & *lib. 1. epiſt. 9.* Pauli Præfectorii: qui ſcilicet Præfecturam Prætorianam geſſerat *Eudoxio & Dioſcoro Coss.* Reliqua vide in *Gloſſ.* Ad hos igitur Præfectorios Viros domum mitti ſeu intra domos ſuas eos conſuli iubet, *dict. leg. 12.* Quo exemplo quoque ad domum mitti ſolet in dignitate poſitorum vel ad teſtimonium dicendum, aliaue qua de cauſa, *l. 15. D. de iureiurando: leg. 2. §. 1. Cod. Iuſt. de iureiurand. propter. calumn. Nouella Iuſtiniani 123. cap. 7.* de quo eſt quoque Taciti locus *lib. 2. Annal. cap. 34.* deque eo dixi ad *legem 8. ſupr. de fide teſtium.*

Et rationem huius exemptionis ſeu priuilegii reddit Theodoſius Magnus elegantibus verbis: nempe, *quod hos his Dignitatibus ampliatos*, decoratos, *indignum quidem ſit a conſiliantibus præteriri*, id eſt, abſque his in conſilium a plebe iri, conſilia in commune abſque his capi, indignius vero ad publicum cum honoris iniuria deuocari: contra, honeſtum eſſe, ne plebi mixta Dignitas inclinetur, & interea tamen non negligatur probatum Primatis in Republic. conſilium.

Ergo Præfectoriis id priuilegii datum *leg. 12.* vt & alia, quale illod etiam, quod ex Sidonio *lib.*

(a) Vide ANTON. PAGIVM in *Critic. ad Annal. Baron. ad an. 418. num. 78.*

lib. 1. epiſt. 7. colligere eſt, de iure ſedendi in Senatu Romano. Et tamen alia quædam mens mox Theodoſio ſedit *dict. leg. 13.* aliaque ratio placuit, non iam Præfectoriis propria, verum cœteris quoque Primatibus communis: Permiſit ſcilicet, vel electionem dedit Primatibus omnibus, vt vel Concilio ipſi edeſſent ſi vellent, vbi locus & ordo ſeu reuerentia Dignitati eorum debita ſeruaretur; vel ſi nollent, procuratores ſuos eo mitterent.

Quod quidem Eurematicon vel *προνόμιον* procuratoris loco ſuo mittendi, præcipuis Dignitatibus & alias datum: & quidem hoc ipſo Anno 392. ab eodem Theodoſio Magno, in cauſis ciuilibus: ita quidem etiam, vt ex neceſſitate id eos facere velit, *leg. 25. Cod. Iuſt. de procuratoribus.* Imo & a Zenone poſtea datum iis, vt causam iniuriarum poſſent in iudicio excipere, vel mouere per procuratorem: *leg. vltim. Cod. Iuſt. de iniuriis:* quo rurſum reſpexit *leg. 3. in medio princ. Cod. eod. vbi Senatores:* quod vtrumque a Iuſtiniano quatenus probatum, videnda eius *Nouella 71.* Sane eodem exemplo Religionis iam & Sacerdotii veneratione, tributum a Valentiniano Tertio Epiſcopis & Presbyteris, qui præcipui ſunt Sacerdotes, vt ſi in eos actio peruaſionis & iniuriarum atrocium dirigatur, per procuratorem litigare poſſint, *Nouella, de Epiſcopali iudicio 12.* Et hæc quidem eſt harum duarum Theodoſii Magni constitutionum ſententia, ſuper ſolemnitate Concilii prouincialis extraordinarii, eo ſcilicet fine, quem ipſe paſſim effert *vtraque lege*, ne paucorum forte prauis affectibus hæc agerentur, quæ pro communi calculo haberi par eſt: & vt ipſemet ait, ne paucorum voluntas publica vocetur auctoritas. Ad quem finem ſpectat quoque *lex 15. infr.* Qua parte & illud tralatitium ingerit *leg. 12.* vt id quod maioris partis probarit adſenſue ſolemnis firmet auctoritas. Sic & Ambroſius *libello priore adu. Symmachum* egregie paucorum e Senatu petitionem de repetendis & recuperandis expenſis ſacrorum, eludit. Tandem ſunt hæ *leges* inſignes, quarum vſus eſſe poteſt & hodie.

XIV. (a) Impp. Honorius & THEOD. AA. Anthemio (b) PF. P. & Patricio (c)

OMNIVM legationum prouincialium inſtructiones (d) aput Sublimitatem Tuam actis legi penſarique præcipimus, vt quæ digna nutu (e) vel indulgentia Noſtræ Clementiæ probabuntur, eligere ac referre ad nos Sublimitas (f) Tua non ambigat. Nam remedia feſſis (g) quibusque neceſſaria, noſtro arbitrio decernentur. Dat. XIV. Kal. Octobr. Conſtantinop. Baſſo & Philippo Coss. [408.]

NOTAE.

(a) Abeſt & hæc *lex* a *Cod. Iuſt.* GOTHOFR.

(b) *Anthemius* PP Orientis ſub Theodoſio Iun. de hoc plene in *Proſopogr. ID.*

(c) *Patriciatus* dignitas, aliarum Illuſtrium dignitatum *προεδρία* ferme erat: de quo dixi ad *l. vn. ſupr. de Conſulibus. ID.*

(d) *Inſtructiones*, ſunt decreta Legationum. Quæ vox hodie ſeruatur. Sic *l.* 10. *ſupr.* legationes, quas inſtruxere decreta. Sic Legatus & Legatio inſtructa mandatis apud Symmachum, *lib. 1. ep. 11. & lib. 4. ep. 52. ID.*

(e) *Nutus* Principis, pro auctoritate, & quidem maiore quam PP. *ID.*

(f) *Sublimitatis* titulus tributus Præfectis Prætorio, v. *Notitiam. ID.*

(g) *Feſſi* ſunt, vexati, oppreſſi. v. *Gloſſ. Theod. ID.*

COMMENTARIVS.

P. 598. THEODOSII Iunioris tres ordine conſtitutiones ſequuntur de Conuentibus & Legationibus prouincialibus: Ex quibus colligere licet, Theodoſium Iun. collapſum ſub Arcadio Imp. patre ipſius, hunc Legationum morem erexiſſe, firmaſſe que: quod præter *hanc leg.* vel maxime docet *lex vlt.* Eique rei etiam argumento elicui eſt, quod nulla hic *Arcadii* de his Legationibus conſtitutio occurrat: quodque Syneſius ad ipſum ſcribens, malaque quæ tum Imperium premebant denotans, inter cœtera Arcadium hortatur *de regn. pag. 27. Edit. Petau.* vt ad Legationes has audiendas *εὐπρόσοδον, acceſſu facilem*, ſe præbeat, commodis eius rei notatis: & hoc quidem inter alia, quod *huius leg. fin.* quoque indicatur, vt hac ratione Imperator collapſa erigat, populisque egentibus liberalitate ſua ſuccurrat & munerum ſeu debitorum indulgentiis, iis qui tributis attriti ſunt, ſubueniat: *ἐγερεῖ τὸ πεπτωκὸς ἐκ ἰδών, καὶ ἐπιδώσει τοῖς ἀπορουμένοις τῶν δήμων, καὶ ἀνήσει λειτουργοῦντας παλαιλειτουργίας πάντας*, &c. *id quod collapſum eſt, etiamſi non viderit, reſtaurabit, & in egeſtate laborantes populos largitionem faciet, & publicis ſumptibus iam dudum vexatis publica munera remittet.*

Id vero nunc Theodoſius Iun. præſtat hac conſtitutione, qua remedia feſſis quibusque neceſſaria ſe decreturum pollicetur: Quæ data eſt ad Anthemium PP. & Patricium: & quidem Anthemii iſtiue proculdubio ſuaſu & conſilio. Is enim mortuo Arcadio his Coss. & Theodoſio octenni Imperium nacto, ſummam rerum pro eo adminiſtrabat, teſte Socrate, *lib. 7. c. 1.* ὑπὸ δὲ τῷ υἱῷ τῷ νέῳ Θεοδοσίῳ ὀκταετεῖ τυγχάνοντι, τὰ τῆς Ἑῴας ἀνάκειτο: ΑΝΘΕΜΙΟΥ τοῦ ὑπάρχου τὴν διοίκησιν ποιουμένου τῶν ὅλων: *orientis vero imperium ſub ditione fuit Theodoſii iunioris eius filii, qui tunc temporis octo annos natus erat. Anthemius vero Præfectus Prætorio, ſummam rerum ſub illo adminiſtrabat.* Quo loco & prudentiam eius ſingularem commendat, & cum Troilo Sophiſta conſiliorum communicationem;

Digitized by Google

atem: de quo vtroque multa idem Syneſius, de quo *ſupra.*

Ergo & hæc lex ab Anthemii & Troili Sophiſtæ conſilio proculdubio profecta eſt: & illius quidem, qui ſummam rerum ſub Theodoſio Iun. nunc adminiſtrabat, & quidem non tantum Præfecti Prætorio dignitate, ſed & *Patricii*, qui parens Principis cenſebatur: de quo *ſuo tit. ſupr. lib. 6.* Atque ea quoque iam cauſa eſt (vt ad *huius l.* ſententiam nunc deſcendam) cur Theodoſius Iun. *hac l.* iubeat, omnium Legationum prouinciarum inſtructiones, ſeu decreta, mandata, preces, apud Anthemii PP. acta legi penſarique, vt quæ digna nutu vel indulgentie Principis ab eo proberentur, ab eodem eligerentur, & ad ſe Principem referrentur. Quibus haud abſimiles alioquin ſunt Valentiniani Sen. *lex 3. & 4. ſupr.* Theodoſii M. *lex 12.* non ite ſimiles aliæ, de quo omni fuſe ad *leg. 10. ſupr.*

XV. (a) Idem AA. Monaxio PF. P. (b)

QVOTIENS Legatio (c) deſtinatur, (d) vniuerſos Curiales præcipimus, qui intra Vrbem (e) conſiſtunt (ſi non ægritudine, vel alia inexcuſabili neceſſitate impediuntur) in locum Curiæ conuenire, & decreta ſua propria ſubſcriptione firmata Viro Spectabili Præfecto Auguſtali inſinuare: vt eius relatione Tuis (f) Virtutibus intimata, & ſub examine tuo perpenſa, venire necne Legati debeant, ordinetur: Nulli penitus Legatione libera committenda: Et Auro Coronario, non (ſicut nuper factum eſt) ab his (g) colligendo, qui venditis (h) honoribus, vt ad gradus altiores venirent, contra licitum coëmerunt: Quos quidem, recepta ſumma (i) quam dederunt, vniuerſa munia patriæ implere præcipimus: ſed a Curia omni (k) præſtanda; vindicta huius facinoris Tuæ Sublimitati permiſſa, &c. Dat. III. (l) Non. Octob. Conſtp. DN. Theod. A. VII. & Palladio V. C. Coss. [416.]

NOTAE.

(a) *L. vlt. C. Iuſt. eod. tit.* Iungenda autem *huic* eſt *lex 42. infr. de Epiſcopis.* GOTHOFR.

(b) *Monaxius* PP. Orientis ſub Theodoſio Iun. v. *Proſopogr.* Quod vel ex hac ipſa quoque *leg.* liquet, vt pote in qua agitur de Præfecto Auguſtali ſeu Alexandriæ. *ID.*

(c) *Ab Alexandrina ciuitate:* additum *Cod. Iuſt.* Quod etſi rectum, haud adeo tamen opus erat. Id enim ſatis claret ex eo, quod de Præfecto Auguſtali dicitur: ac multo magis adhuc ex coniunctione *dictæ leg. 42. infr. de Epiſcopis. ID.*

(d) *Deſtinatur*, ideſt, deſignatur, proponitur: vel, pro *deſtinanda eſt. ID.*

(e) *Vrbs*, ideſt, Alexandria: vid. quæ dico ad *l. 9. infr. de operib. publ. ID.*

(f) *Vt eius relatione comitati, tuis virtutibus ſuas petitiones intiment, & ſub examine tuo perpenſa Legationis res ordinetur:* ita *Cod. Iuſt.* de quo mox: reliquis etiam reſecatis. *ID.*

(g) Curialibus ſcil. v. *infr. tit. de auro coronario. ID.*

(h) *Venditos honores*, a Curia ſcil. *ID.*

(i) Vnde aurum coronarium collectum. *ID.*

(k) Summa ad aurum coronarium. *ID.*

(l) *III. Kalend.* in *d. l. 42. de Epiſcopis. ID.*

COMMENTARIVS.

ALEXANDRINÆ vrbis, quod etiam vidit Tribonianus, & ideo *legi*, quæ hinc petita eſt, addidit, ad ſe Legationibus, vt & Coronarii auri præſtationi e Curia Alexandrina, formam certam præſtituit *hac l.* Theodoſius Iunior: Quæ quidem pars eſt prolixioris Theodoſianæ conſtitutionis, emiſſæ ad Legationem Alexandrinam: vnde deſumpta eſt quoque *lex 42. infr. de Epiſcopis*, quæ proinde *huic legi* conſſanda venit, conſſataque plurimum *huic* lucis adfert.
P. 190. Ea vero conſtitutione in vniuerſum decreta quædam Legationis Alexandrinæ ceu inutilia vel improbabilia damnatum iuit, vt docet *d. lex 42.* Et quidem in tribus: circa parabolanos primum; quod continetur *d. l. 42.* dein circa decretorum formam, tandem & circa auri coronarii per Legatos oblationem, quæ duo ſunt *huiusce leg.* capita.

Primo ſcil. capite, ne inutilia deinceps, ne improba, ne non certa, Legati deinceps adferrent, hanc formam & ſolemnitatem Legationibus & decretis Alexandrinæ ciuitatis præſtituit. Initio *Curiales omnes*, qui intra vrbem conſiſtunt, ſi non ſontica cauſa impediantur, ægritudine videl. vel alia neceſſitate, in locum Curiæ conuenire iubet. Mox & (quod Secundum) Decreta Legationis, propria *ſubſcriptione* firmare eos vult: Eaque (quod Tertium) ita firmata Præfecto Auguſtali ſeu Alexandrino inſinuare. Hæc Tria inquam initio requirit Theodoſius Iun. vt ita liquere poſſit, ordine omnia tranſacta, potiorisque partis conſenſu, non e paucis, vel per tumultum: Cuiuſmodi etiam tumultus Alexandriæ obortus Anno ſuperiore 415. inter Cyrillum Ep. Alexandrinum, & Oreſtem Præfectum Auguſtalem, ſimul & Iudæos: de quo dicam plenius & opportunius ad *d. l. 42.* Ad quem finem ſpectat quoque forma & ſolemnitas, quam præſcribit Theodoſius M. *l. 12. 13. ſupr.* vbi dicta conſuli velim. Tria hæc proinde vniuerſalis, beneque ordinati, & maturi concilii argumenta, notæque ſunt: 1. ſi vniuerſi coierint, quos res tangit: 2. ſi decre-

ta, propria ſubſcriptione firmata fuerint: mox & 3. ea Præfecto tradita: qui iam relatione ſua (quod *Quartum*) omnia legitime tranſacta teſtetur: & quidem in ſpecie *huius l.* apud Præfectum Prætorio Orientis; ſub cuius ipſe diſpoſitione erat. Inſinuari igitur decreta apud Rectorem voluit Theodoſius Iun. pariter vt Valentinianus Sen. *l. 3. ſupr. hoc tit.* apud alios Rectores prouinciarum: cum alii Principes hanc inſinuationem apud Iudices ordinarios ſua ratione remiſerint: veluti Valentinianus Iun. *leg. 9. ſupr.* Theodoſius M. *l. 12. ſupr.* Aliter quam Theodoſius Iun. nunc, ſua & περιςατικῇ de cauſa. Pariter vt ſubſcriptionem Curialium in decretis Legationum requirit, de quo non eſt præterea conſtitutio. Quod quintum requiſitum, ad Legationum vrbis Alexandrinæ in ſp. *huius l.* ſolemnitatem, attinet, tale eſt, vt Theodoſius Iun. *h. l.* velit Relationem ſuper Legatione decreta a Præfecto Auguſtali ad PP. Orientis fieri, qui in præſenti agebat ſeu in Comitatu Conſtantinopoli: qui poſtea (quod Sextum) relatione ſub examine ſuo perpenſa ordinet, venire necne debeant Legati. Quod magnum & ſingulare Præfecti Prætorio præſentalis προνόμιον eſt procul dubio περιςατικὸν: propter turbas & tumultus Alexandrinos tum obortos. Cum alias etiam quod decreta Legationum, ſeu deſideria prouincialium attinet, Præfecto Prætorio id quandoque tributum, vt ea probare, elimare, refutare poſſet: *l. 3. 8. 10. 12. 14. ſupr.* De quo vtroque etiam *l. vlt. prox.* Sane & olim Legatorum mittendorum licentiam a Præfecto Auguſtali petitam, itemque a Præſide vel Pro præſide Syriæ, diſcimus ex Philone, *in Flaccum pag. 979.* & *Legatione ad Caium pag. 1026. 1027. Edit. Francofurt. apud Ierem. Schrey.* & Ioſepho *lib. 20. Antiqu. Iudaic. cap. 1.*

Subiicit Theodoſius Iun. poſtremo loco: *nulli penitus Legationem liberam committendam.* Quo quid intelligatur videndum eſt. Libera equidem olim legatio in re priuata dicebatur, cum quis rei ſuæ ergo ſine mandatis, vt Cicero 3. *de legibus c. 8.* & *Orat. in Rullum 2. cap 17.* loquitur, legationis ſpecie & honore cohoneſtatus obibat: Alias libera Legatio dicta, quæ nulla certa formula, nullis certis mandatis adſtricta, ſine ſcriptis; quod ipſum vetitum in prouincialium Legatis, *l. 11. ſupr.* quales Græcis Legati αὐτοκράτορες dicti, cum videl. mandatis continebatur, nihil aliud, quam, vt Legatus ita ageret, vti facto opus eſſet. Quæ nos vocamus *Lettres de creance.* Et hoc vt puto ſenſu *Libera legatio*, nulli committenda *h. l.* dicitur. Sic ſane quoque a Principe miſſis credi vetuit Valentinianus Tertius, ſi ſecreta mandata obtenderent, *leg. vnic. ſupr. de mandatis Principum.* Ergo neque a Principe miſſis, neque ad Principem delegatis Libera legatio decerni potuit. *Liberam quoque Legationem*, vt a prouinciis ad concilium, & a Concilio ad Comitatum miſſi haberent, petiere ſub Honorio A. D. 407. Patres Africani: vt docet *canon. 94 pag. 919. 920.* & *can. 97. pag. 921. 922 Codicis Africani Tom. I. Concil. Edit. Harduin.* vbi Græcus Interpres hanc liberam Legationem, vocat ἐλευθέραν τοποτηρησίαν, & αὐτεξούσιον τοποτηρησίαν. *Canonis 97.* hæc verba ſunt: *Placuit, vt Legationem liberam habeant ad Comitatum miſſi delecti Legati.* Vbi quid ſit *libera legatio?* non explicant Balſamon & Zonaras. Et hactenus quidem de primo *huius l.* capite.

Alterum caput *huius l* eſt de *Auro Coronario*, quod & ipſum a *Legationum* tractatu ſeu argumento alienum non eſt, mox vt oſtendam, de quo alioquin erit mox peculiaris *titulus.* Ergo vetat *hac l.* Theodoſius Iun. Aurum coronarium colligi ex honorum venditionibus in Curia Alexandrina: quibus videl. nonnulli auro contra dato, ad altiores gradus promoti, munerum quorundam Curialium immunitatem, emerebantur & emercabantur. Vnde varia interim de auro Coronario obſeruare licet. Primo Aurum Coronarium ad Principes per Legatos miſſum: ſic Amm. Marcellinus de Tripolitanis *lib. 28. cap. 6.* eos *Seuerum & Flaccianum Legatos creaſſe, Victoriarum aurea ſimulacra Valentiniano ob Imperii primitias oblaturos, vtque lacrymoſas prouinciæ ruinas docerent intrepide.* Libanius quoque teſtis *Ep. 766. ad Euſebium*, loco quem afferam ad *l. 1. tit. prox. de auro coron.* Eunapius quoque *in Excerptis Legationum*, Legationes ad Iulianum miſſas memorat, cum coronis aureis, vt & ad Valentinianum. Zoſimus etiam *lib. 3. cap. 12.* meminit coronæ a populo Edeſeno Iuliano oblatæ, Iulianoque in vrbem ſuam inuitato. Hoc ipſo etiam anno, paucis ante *hanc l.* diebus, puta *pridie Kal. Octobris* Theodoſius Iun. ab Heraclea Conſtantinopolin reuerſus in foro Theodoſiano aurea corona ornatus fuit ab Vrſo P. V. & a Senatu, vt ſcribit Auctor *Chronici Alexandrini pag. 718. 719. Edit. Raderi.* Secundo ex *hac l.* colligimus aurum coronarium iſtud collatum & collectum a Curialibus: de quo prolixe ad *l. 2. 3. 4. infr. tit prox. de auro coronario.* Tertio diſcimus collatum quandoque perperam ab iis, qui, vt a nonnullis Curiæ muneribus liberarentur, gradus altiores in Curia amebant: ſic vt Curiæ hæc mercimonii genera agitarent, neque quidquam ad aurum Coronarium ſinguli Curiales conferrent: Quod Theodoſius Iun. *hac l.* vetat. Quomodo & parabolanorum locum Alexandriæ pariter perperam redemptum damnat, *d. l. 42. infr. de Epiſcopis*, quæ *huic*, vt dixi *legi* coaſſanda eſt. Et ita quidem illud improbat Theodoſius, vt eos, qui immunitatem munerum emercati fuerant, vniuerſa patriæ munera implere velit: recepta tamen ſumma quam dederunt. Quod vltimum humanitatis etiam plenum; nam alioquin fœde erogata non repetuntur, ſeu turpiter data non condicuntur, v. *ſup. ſi cert. pet. de ſuffrag.*

P. 600.

XVI. (a) Impp. THEOD. & Valentinianus AA. Hierio PF. P. (b)

CIVITATVM poſtulata, decreta vrbium, deſideria populorum, liquido Tua Sublimitas recognoſcit (c) ad Imperialis officium pertinuiſſe reſponſi, admiſſoſque ſacrariis

riis (d) noſtris ſemper ſui Imperatoris aſpectu (e) decoratos eſſe legatos, (f) dixiſſe libere, (g) quæ illorum fuerant, a Communi, (h) fidei conſtantiæque (i) commiſſa. Dat. Kal. Iun. Nicomediæ, (k) DD. NN. Theod. XII. & Valentiniano II. AA. Coss. [426.]

NOTAE.

(a) Abeſt *hæc lex a Cod. Inſt.* GOTHOFR.

(b) *Hierius* PP. Orientis ſub Theodoſio Iun. *ID.*

(c) Recognoſcat. *ID.*

(d) *Admiſſos ſacrariis*, pro, *admiſſos intra ſacraria*. *Sacrarium*, *l.* 8. *ſupr.* & *l.* 12. *ſupr. de pænis*, pro conſiſtorio v. *Gloſſ. Theod. ID.*

(e) Ita quoque *l.* 1. *ſupr. de honor. cod. qui prouinciæ Legatione ſuſcepta noſtris ſunt obtutibus illuſtrati. ID.*

(f) Ita locus hic interpungendus. *ID.*

(g) *Intrepide.* In eadem re Amm Marcellinus *lib.* 28. *cap.* 6. *creauere Legatos, vt lachrymoſas prouinciæ ruinas docerent* INTREPIDE. *ID.*

(h) *A communi*, ἀπὸ τοῦ κοινοῦ, ideſt, a ciuitate, prouincia: vt Græcis κοινὸν Ἀσίας, Βιθυνίας &c. In medio ſunt nummi & marmora, quæ id teſtantur. Apud Ciceronem non *uno loco*. Sic *a Communi Cretenſium Legati* (quod huc maxime facit) in ſuaſione *legis Maniliæ cap.* 16 vt reſtituit Guilleſmus. *Commune* pro Republica & Corpore paſſim apud Symmachum, & quidem in eodem argumento *lib.* 1. *ep.* 11. *Ad Dominos & Principes noſtros Siciliæ Commune legauit*: & *lib* 4. *ep.* 46. vbi v. Iuretum pleniſſime *p.* 131. *Edit. Pariſ.* 1604. At non eadem formula, verum alia occurrit *leg.* 10. *ſupr. de Tyronibus. ID.*

(i) Nota hæc duo: de quibus mox. *ID.*

(k) *Nicomediæ* hoc tempore conſtitutus erat Theodoſius Iun, vbi datæ nonnullæ aliæ *leges*, puta *lex* 21. 22, 23. *ſupr. de diu. offic. ID.*

COMMENTARIVS.

Liberum Legatorum Prouincialium ad ſe acceſſum, aduerſus Præfectorum Prætorio vſurpationem firmat hac conſtitutione ſua Theodoſius Iun. Scilicet Præfecti Prætorio, non contenti eo quod δοκιμασία, ſeu conſtitutum fuerat, vt ad eorum notitiam decreta Legationum mitterentur, & vt probata atque elimata ab his deſideria perferrentur: de quo *l.* 3. 8. 10. 12. 14. 15. *ſupr.* reſpondendi inſuper arbitrium ἀπόκρισιν ſibi vindicabant: vnde fiebat, vt Legati in aſpectum Principum non venirent, Imperatorque adeo minus noſſet prouincialium querelas, Legatique ſine effecto remearent: Quod ab Hierio PP. factum ei exprobrare videtur *hac leg.* Theodoſius: Idem notato eo, & τὸ χρῆμα τῶν πρεσβειῶν, ἄλλως τε ἱερὸν καὶ δεῦρο τοῦ παντὸς ἄξιον, ducens, ευπρόσοδον ſe nunc, καὶ πατέρα ὡς ἤπιον, Legatis prouincialibus ſeſe nunc præbet, vt loquitur Syneſius de regno *pag.* 27. *Edit. Petau.* profiteturque adeo Legatos intra Conſiſtorium ſuum admittendos, ſuoque aſpectu dignandos: libertatemque his omnem conſtitutam eloquendi, quod ipſis commiſſum fuerit: denique a ſe Reſponſum reddendum. Quod certe apprime conuenit conſilio Syneſii *de regno pag.* 27. *Edit. Petau.* quod patri eius Arcadio præbuerat. Cæterum quia de admittendis Legatis in Conſiſtorium Principis hic agitur, de eorum in Conſiſtorium introductione, ſunt loca apud Ambroſium, & apud Ammianum Marcellinum. Sed & illud notandum ex Philone *ad Caium pag.* 1018. *Edit. Francfurt. apud Ierem. Schrey* fuiſſe olim in Aula Imperatoris τὸν ἐπὶ πρεσβειῶν, *qui legationibus admittendis præerat.* Poſtremum neque illud omittendum, duas præcipuas Legatorum dotes *hac leg.* perſtringi, *fidem* & *Conſtantiam*: nempe vt ſedulo & libere ſeu intrepide demandato fungantur munere. Quæ iis, qui de Legatorum officio ſcripturi ſunt, adornanda relinquo.

P.601 # DE AVRO CORONARIO.

TITVLVS XIII.

LIB. X. COD. IVST. TIT. LXXIV.

Cohæret hic *titulus*, ſuperiori: ſtatque in materia de Decurionibus: quia e Curialibus *Legati* ad Imperatorem mittebantur, qui aurum coronarium deferrent, *l.* 15. *ſupr. de legatis.*

P A R A T I T L O N.

AVRVM CORONARIVM, *Rubr.* & *l.* 1. 2. 3. 5. *vlt. hoc tit.* & *l.* 15. *ſupr. de Legatis:* in triplici genere reperio: vel enim Principi conferebatur: quod quidem erat munus, *l.* 1. *h. t.* præſtatio, *l.* 2. *h. t.* canlatio, *l.* 2. & 5. *h. t.* oblatio, *l.* 3. *h. t.* quæ Principi fiebat, vel in auro, vel in coronis aureis ſignisque diuerſis, *l.* 4 *h. t.* vid. & *l. vlt.* Eaque, vel neceſſitate aliqua poſtulante indicebatur: quod abrogatum a Iuliano, *l.* 1. *h. t.* amore proprio, vel ob indulgentiarum lætitiam, vel rebus proſpere geſtis (ideſt, parta victoria) *d. l.* 4. *h. t.* Ab ordinibus Curiarum, *d. l.* 4. *h. t.* id eſt, a Decurionibus, *l.* 2. *h. t.* ſeu Curialibus, *l.* 3. *h. t.* a poſſeſſoribus, *d. l.* 2. *h. t.* non etiam a Senatoribus, *l.* 1. & 2. *h. t.* Idque propria voluntate, non indictione facta; voluntatis enim motus id erat, non neceſſitatis, *d. l.* 1. & 4. *h. t.* Omnes autem Decuriones poſſeſſores ad hanc collationem tenebantur, ſeu lege vel conſuetudine cogebantur, *l.* 2. *h. t.* pro ſubſtantia ſua, *l.* 3. *h. t.* Paucis exceptis, qui ab hac collatione immunes erant, *d. l.* 2. & 5. *h. t.* Quandoque etiam colligebatur aurum coronarium ab his, qui venditis honoribus, vt ad gradus altiores venirent, contra licitum (honores) coëmebant, *l.* 15. *ſupr. de Legatis:* Per Legatos porro aurum coronarium Principi offerebatur, *d. l.* 15.

II. *Satrapæ* quoque, veluti Soſanenæ, aurum coronarium ſeu coronam Imperatoribus Romanis pro deuotione, quam debebant Imperio Romano ſolemniter offerre tenebantur, *l. vlt. h. t.*

III. *Iudæorum* quoque Patriarchæ, Coronarii auri nomine, olim quid a Iudæis poſtulare ſoliti: *l. vlt. infr. de Iudæis:* vbi dicam.

Et ita tres hæ auri Coronarii ſpecies *hoc Codice* memorantur.

I. (a) Imp. IVLIANVS A. ad Salluſtium PF. P. (b)

AVRVM coronarium munus eſt voluntatis, quod non ſolum Senatoribus, ſed ne aliis quidem debet indici, (c) licet quædam indictionum neceſſitas poſtulauerit: ſed noſtro (d) arbitrio reſeruari oportebit. Dat. III. Kal. (e) Mai, Mamertino & Neuitta Coss. [362.]

N O T A E.

(a) Abeſt *hæc lex a Cod. Iuſt.* Non improbabiliter vero ei *iungatur lex* 2. *ſupr. de immunitate conceſſa. GOTHOFR.*

(b) *Salluſtius* PF. ſub Iuliano, cui multæ aliæ *leges* inſcribuntur, vid. *Proſopogr.* vbi multa de eo. *ID.*

(c) A curiis, vel a te Præfecto Prætorio. *ID.*

(d) An *veſtrorum?* Minime. *ID.*

(e) Pridie Kal. *d. l.* 2. *ID.*

C O M M E N T A R I V S.

P. 602.

QVIA argumentum de *Auro Coronario* ingredimur, præter ea quæ iam *Paratitlon* exhibuit, ſuperiorum temporum hac parte memoriam recolere iuuat, quibus auri Coronarii mentio fit, atque ea parte Tria obſeruare. 1. Vnde auri coronarii vſus manarit? 2. Quanam occaſione id collatum? 3. Et retro id indultum ſeu remiſſum fuerit?

Vt de poſtremo iſto prius dicam, Auguſtus id remiſit: teſtis Lapis Ancyranus *in continuat. l. Severi, oppoſito latere:* QVAE MIHI. CONSTITERVNT. CIRCITER. MILLENIS. AVRI. CORONARI. PONDO. TRIGINTA. QVINQVE MILLIVM. MVNICIPIIS. ET. COLONIIS. ITALIAE. CONFERENTIBVS AC. TRIVMPHOS. MEOS. QVINTVM. CONSVL. REMISI. ET. POSTEA QVOCIESCVNQVE. IMPERATOR. M.... AVRI. CORONARIVM. NON. ACCEPI. DECERNENTIBVS, MVNICIPIIS. .... QVAE. ANTE. DECREVERAM. Teſtis & Dio, *lib.* 51. *pag.* 458. *Edit. Leonclau. Hanou.* 1606. ὅτι παρὰ τῶν πόλεων τῶν ἐν τῇ Ἰταλίᾳ τὸ χρυσίον τὸ τοῖς στεφάνοις προσῆκον οὐκ ἐδέξατο: *quod ab vrbibus Italiæ aurum coronarium non acceperat.* De Adriano Imp. Spartianus, in eius *vita cap.* 6. *Aurum Coronarium Italiæ remiſit, in prouinciis minuit, & quidem difficultatibus ærarii ambitioſe ac diligenter expoſitis.* De Antonino Pio Capitolinus, *in eius V. cap.* 4 *in fin. Aurum Coronarium, quod Adoptionis ſuæ cauſa oblatum fuerat, Italicis totum, medium prouincialibus reddidit.* De Antonino Caracalla Dio, *in excerptis Valeſianis lib.* 77. *p.* 745 *Edit. Pariſ.* 1634. χωρὶς γὰρ τῶν στεφάνων τῶν χρυσῶν, οὓς ὡς καὶ πολεμίους τινὰς ἀεὶ νικῶν πολλάκις ᾔτει, λέγω δὲ οὐκ αὐτὸ τοῦτο τὸ τῶν στεφάνων ποίημα· πόσον γὰρ τοῦτό γέ ἐστιν; ἀλλὰ τὸ τῶν χρημάτων πλῆθος τῶν ἐπ᾽ ὀνόματι αὐτοῦ διδομένων, οἷς στεφανοῦν αἱ πόλεις τοὺς αὐτοκράτορας εἰώθασιν &c. ἃ πάντα ἐκεῖνος τοῖς στρατιώταις ἐχαρίζετο, ἢ καὶ ἐκαπήλευε: *nam præter coronas aureas, quas tanquam*

ſemper

ſemper aliquibus ub ſe victis hoſtibus exigebat: intelligo autem non ipſas ex auro fabricatas coronas. Quantulum enim id quidem? ſed pecunia vim coronarum titulo ac nomine datam, qua imperatores a ciuitatibus coronari ſolent, &c. cuncta ille aut donabat militibus, aut cauponum more vendebat. De Alexandro Seuero Lampridus, *in eius Vita, cap. 32. in fin. Aurum negotiatorium & Coronarium Romæ remiſit.*

Prima vero Auri coronarii origo inde manauit, quod quotieſcunque Romanorum Duces rem feliciter geſſiſſent, prouinciæ, ſociæque ciuitates Regesque etiam amici vel fœderati, dono darent illis coronas aureas, vel auri pondo tot: quod appellatum eſt *Aurum Coronarium*, ad triomphum decorandum. Quod duobus locis Cicero teſtatur, in *Piſonem cap 37.* & *in Rullum 2. cap 4.* quorum priore etiam ait, legem Cæſaris vetuiſſe, *decerni & accipere Aurum Coronarium, niſi decreto Triumpho.* Eiusque moris etiam veſtigia olim apud Græcos apparent, vbi Corona etiam aurea donom Victoriæ oblatum. Infinita alia, præſertim in hiſtoricis Romanis, exempla. v. vel *Macchabæorum librum 1. cap. 13. v 37.* Polybium *in Excerptis Legation. pag. 828.* & *pag. 836.* & *in fragmentis pag. 1014. Edit. Caſaubon.* Iſidorum *Origin. lib. 18. c. 2.* Feſtum, aut potius eius Epitomatien Paulum, voc. *triumphal. coron.* Iuſtinum *lib. 11. cap. 10.* Hirtium *de bello Alexandrino cap. 71. in fin.* Plutarchum *in Vit. Paulli Æmilii pag 273. Edit. Wechelian.* Curtium *lib. 4. cap. 2.* Athenæum *lib 12. pag. 213. in medio, Edit. Aldin. 1514. in fol.* Liuium *lib. 7. cap. 10.* & alibi ſæpe, vt *lib. 34. 37. 38. 39. 40.* Appianum, vbi de Syllæ funere, *lib 1. de bell. ciuil p. 417. Ed. Henr. Stephan. Paris.* & *p. 693. 694. Alexandr. Tollii.* & *lib. 2. de bell. ciuil.* vbi de Cæſaris triumpho *pag. 491. Ed. Par.* & *pag. 802. Ed. Tollii.* Valerium Maxim. *lib. 5. cap. 2. num. 24.* Quare & Claudius Imp. cum de Britannia triumpharet, inter Coronas aureas vnam ſeptem pondo habuit, quam contulerat *Hiſpania* citerior, altera nouem, quam *Gallia Comata*, ſicut titulus iudicauit, teſte Plinio, *lib. 33. c. 3.* cuius & alter locus videndus, *lib. 34. c. 6.* & Suetonius *in Neron. c. 25.* Ad Titum quoque ita pro victoria de Iudæis coronæ miſſæ a Vologeſo Rege Parthorum, Ioſeph *7. de bell. Iud. c. 24.* De his quoque Coronis a prouinciis donatis ſenſit Tertullianus, *de Corona c. 13. Sunt & prouinciales* (coronæ) *aureæ, imaginum iam non virorum capita maiora quærentes.* Probus Imp. ipſe Coronarum ab omnibus Galliæ ciuitatibus ſibi oblatarum meminit, *in ep. ad Senatum* apud Vopiſcum in Probo *c. 15. Coronas quas mihi obtulerunt omnes Galliæ ciuitates aureas, veſtræ P. C. Clementiæ dedicaui &c.* Quod vero Auctor *Panegyrici 8. ad Conſtantinum, c. pen.* ſcribit *de ſigno Dei dato ei a Senatu: deque ſcuto & corona aurea ab Italia dedicatis*, id alio pertinet. Sub *Conſtantio* ſane Imp. alludit Themiſtius, *Orat. 13. pag. 295. Edit. Petau. 1613. Flexiæ in 8.* γιγνώσκων ὅτι καὶ πρώην ὁ χρυσοῦς δή τινα στέφανον χρυσοῦ ἀπέφθου πολλῶν ταλάντων, οἷοι πολλοὶ αὐτῷ ἀφικνοῦνται καὶ πολλαχόθεν πέμπειν ὑμῶν ψηφισαμένων, &c. *Quod probe iſtud nouerim, cum vos nuper mittendam ad eum coronam decreuiſtis, non auream quidem illam ex auro obryzo & multorum talentorum, quales pleraque ad eum variis ex locis feruntur.* De auro coronario Iuliano oblato, Am. Marcell. *lib. 25. cap. 4.* & poſtea Iouiano, Idem *ibid. cap. 9.* vbi agit de *corona* ei a Niſibenis oblata: ſub Valentiniano idem teſtis, *lib. 28. c. 6.* vbi de victoriarum ſimulacris ei ob Imperii primitias oblatis a Tripolitanis per Legatos: ſub Theodoſio M. quoque Seruius in *VIII. Æneid. v. 721.* cuius verba proferam mox, huius auri coronarii meminit. Teſtis & Eunapius *in excerptis*, de quo ad *l. 3. inf.* De iisdem accipio & quod Libanius *Ep. ad Euſebium 766.* ἔτι πρέσβεις Ἔμεσα πέμπει καὶ στεφάνους βασιλεῦσιν, εἰδυῖα μὲν τὴν ἑαυτῆς πενίαν, αἰσχυνομένη δὲ ὅμως τῷ τῆς πόλεων ἐκπεσεῖν ἀριθμῷ, &c. *Emeſa iterum legatos & coronas regibus mittit, ſuæ quidem paupertatis probe ſibi conſcia, pudore vero etiam ſuffuſa, quod ex vrbium numero exciderit.* Sub Arcadio Imp. meminit Syneſius, *de regno, p. 2. Edit. Petau.* vbi ait ſe a Cyrenenſibus Legatum miſſum ad Arcadium Imp. ἐμέ σοι πέμπει Κυρήνη, στεφανώσοντα χρυσῷ μὲν τὴν κεφαλήν, φιλοσοφίᾳ δὲ τὴν ψυχήν; *me ad te, cum auro caput, tum animum Philoſophia coronaturum, Cyrene mittit.* Sub Theodoſio Iun. Auctor *Chronici Alexandrini, An. 416. pag. 718. 719. Edit. Raderi.* vbi meminit oblatæ ei Coronæ aureæ a Senatu, reuerſo Heraclea Conſtantinopolim: eodemque Anno ipſemet Theodoſius Iun. huius Auri Coronarii meminit *l. 15. ſup. de Legatis.* Meminit & Cyrillus Alexandrinus ſub Theodoſio Iun. *præfat. librorum adu. Iulianum pag. 2. Oper. Iuliani & Cyrilli Edit. Lipſ.* Ergo victoriarum & triumphorum occaſione primum hæ Coronæ aureæ, vel etiam Coronarium Aurum oblatum a ſubditis: nam quod Seruius VIII. *Æneid. v. 721.* ſcribit *Aurum Coronarium dici, quod a victis gentibus dabatur, impoſitum ab Imperatoribus propter conceſſam vitam*, verum non eſt, niſi de iis gentib. accipias, quæ non penitus ſubiectæ, ſed in obſequio Imperii Romani continebantur, de quibus ad *leg. vlt.* Deinceps vero adulatio ſiue affectus, alio eum morem propagauere, ob quamcunque tandem lætitiam (veluti Imperii primordia, Adoptiones, id genus alia,) quas cauſas perſtringit *lex 4.* vbi dicam plenius.

Nos etiam miſſis nunc aliis, & quidem Valentinianeis & Theodoſianis conſtitutionibus, quæ deinceps ſequentur, de hac conſtitutione videamus. Igitur *hac lex* eſt IVLIANI Imp. de Auro Coronario: Qua quidem definit, Aurum Coronarium munus eſſe voluntatis: pariter vt Theodoſius M. *l. 3.* & *4. inf.* Fuit hæc ſc. φιλικὴ λειτουργία, vt Strabo loquitur de Spartanis *lib. 8 pag 562. Edit. Almelouen.* καὶ ἐν χάριτος λόγῳ διδόμενον, *& muneris beneficiique loco datum*, vt Suidas ait *voc.* στεφανικὸν τέλεσμα. qui & notat *ibid.* apud Galatas Ancyranos στεφανικὸν dictum, πᾶν τὸ ἐν χάριτος λόγῳ διδόμενον. Fuit proinde hæc altera ſpecies quædam oblationis, quæ a ſubditis fiebat Imperatoribus: pariter vt auri oblatitii; quod cum glebali collatione, & cum hoc Auro Coronario multi perperam confundunt, de quo ad *l. 14. ſup. de Senatorib. & gleb. collat.* & *l. 12. ſup. de praximis:* Fuit tertia ab hac pariter ſeparata ſeu diuerſa oblationis ſc. votorum: de quo *lib. 7. tit. de oblatione votorum.*

Nemi-

Nemini igitur Coronarium aurum indici poſſe definit *hac l.* Iulianus, forte a Præfecto Prætorio, cui *hac lex* inſcribitur: non tantum Senatori, quod indubitatum erat, de quo ad *l. 2. prox.* plene; verum neque alii cuicumque, quacumque neceſſitate poſtulante: verum id arbitrio ſuo relinqui oportere: cum tamen ad neceſſitatem quandam hæc res iam proceſſiſſet, Principum quoque anteriorum auiditate, vt ex *hac l.* colligi poteſt, contra primum eius in-
p.603 ſtitutum, quo φιλικὸν id, ſeu φιλικὴ λειτουργία erat, & *αὐτοπραγίας* genus quoddam. Eſt proinde hæc *indulgentia* quædam Auri Coronarii, a Iuliano omnibus facta. Quomodo & Amm. Marcell. *lib. 25. cap. 4.* in παρεκβάσει de Iuliani moribus, Coronarii ab eo indulti meminit, *Liberalitatis eius*, inquit, *teſtimonia plurima ſunt & veriſſima: Inter quæ indicta ſunt tributa admodum lenia*, Coronarium *indultum: remiſſa debita multa diuturnitate congeſta*.

Sic & capitationis indulgentiam immunitatemque nonnullis tributam pleniſſime idem Iulianus interpretatus eſt, *l. 2. ſup. de immunitate conceſſa*: quæ & ex eadem Iuliani conſtitutione deſumpta huic noſtræ coaſſanda videtur. De Iuliani alioquin indulgentiis collationum ſeu tributorum in commune, dixi plene ad eius *l. 1. ſup. de indulg. debitor.* Cæterorquin Coronarium aurum, ſeu Coronas Aureas idem Iulianus admiſit, quas vrbes & prouinciæ ſolenniter ad eum ob aduentum, aliamque gratulationis cauſam miſere. Teſtis Eunapius; *in excerptis Legat. pag. 12. Tom. I. Script. Rer Byzant. Ed. Venet.* Μετὰ τὴν Ἰουλιανοῦ τῆς βασιλείας ἀναγόρευσιν πρεσβεῖαι πανταχόθεν συνέβαινον, καὶ στέφανοι πολλοὶ χρυσοῖ, οἳ αὐτῷ παρὰ τῶν ἐθνῶν ἀνεκομίζοντο· ἐνταῦθα καὶ οἱ τὴν Ἰωνίαν οἰκοῦντες. Λυδοὶ δὲ &c. *Poſt Iuliani ad imperium euectionem, honorifica ad eum legationes conuenerunt, & coronas aureas a gentibus attulerunt. In his Ioniam habitantes: Lydi quoque*, &c. Et idem tamen hac parte rurſum moderate admodum agit: ſtatuto, ne 70. ſolidis maiores Coronæ aureæ deinceps mitterentur; de quo eſt ſingularis Libanii locus *in Orat. funebri in Iuliani necem, p. 305. Edit. Morell.* vbi agens de Corona Imperatoris. ὁ χρυσὸς δὲ οὗτος, inquit, ἀνέμνησέ με χρυσῶν στεφάνων, οὓς αἱ μὲν πόλεις ἔπεμπον διὰ πρέσβεων, ἀλλήλας ὑπερβάλλουσαι τῷ σταθμῷ, χιλίων οὗτος στατήρων, δισχιλίων δὲ ἐκεῖνος· τούτων ὁ παρ᾽ ἑτέρων ἔλκων πλέον, ὁ δὲ ἐπιτιμήσας τῷ μεγέθει σαφῶς εἰδὼς, ὡς οὐκ ἄνευ πόνου τὰ τοιαῦτα συλλέγοιτο, νομοθετεῖ, τὸν στέφανον ἀπὸ στατήρων ἑβδομήκοντα φοιτᾶν, τὰς μὲν τιμὴν ἴσην νομίζων ἑκατέρου δύνασθαι· φιλοχρημάτου δὲ εἶναι κέρδη ζητεῖν ἐν τιμῶν σχήματι: *Aurum autem iſtud reuocabat in mentem aureas coronas, quas vrbes mittebant per legatos, quæ diſpares erant inter ſe pondere: quædam erat mille ſtaterum, alia duorum millium. Hiſce miſſa ab aliis ponderis fuit grauioris: at hic princeps magnitudinem reprehendebat, cum probe noſſet, vt non ſine labore huiuſcemodi colligerentur, lege ſanxit, ſtatuitque, vt corona ſeptuaginta ſtaterum in frequenti eſſet vſu, ratus pretium alterutrius æquale eſſe; ſed pecuniæ amantis eſſe, lucrumque quærere in pretiorum figura.* De quo loco etiam aliquid ad *l. vn. ſup. de obl. votor.* Duplici igitur hac ratione Iulianus Auro Coronario modum poſuit: qui alioquin eas admiſit. Quod & Zoſimus teſtatur, *lib. 3. c. 12.* qui diſerte hoc ipſo ſcil. Anno poſt *hanc leg.* ab Edeſſenis eum accepiſſe ſcribit: ὑπαντήσαντες Ἐδεσσηνοὶ πανδημεὶ, στέφανόν τε προσέφερον, καὶ μετ᾽ εὐφημίας εἰς τὴν σφῶν πόλιν ἐκάλουν. ὁ δὲ, ἀποδεξάμενος, καὶ ἐπιστὰς τῇ πόλει, καὶ ὅσα ἔδει χρηματίσας, ἐπὶ Κάῤῥας ἐβάδιζε: *populus Edeſſenorum vniuerſus, ei factus obuiam, & coronam offerebat, & fauſtis acclamationibus in vrbem ſuam inuitabat. Imperator accepto dono, ciuitatem ingreſſus, & decretis ei, quæ par erat, Carras perrexit.* Idem & a Regulis Saracenorum accepit; teſte Am. Marcellino *lib. 23. c. 3. Saracenorum*, inquit, *Reguli gentium genibus ſupplices nixi, oblata ex auro corona, tanquam mundi nationumque ſuarum Dominum adorarunt.* Forte de eodem accipias, vel de Valente, quod Libanius, *ep. ad Photium 797.* Πάλιν ὁρᾷς, οὓς μάλιστα ἤθελες, τοὺς ἄκρους τῶν τῇδε πολιτευομένων, στεφανοῦντας ἄξιον βασιλέα στεφάνων, καὶ νενικηκότα, καὶ μεγάλην δύναμιν, καὶ ταχέως: *vides iterum, quos maxime videbas, præſtantiſſimos ſcilicet eorum, qui rebus apud nos præſunt, Regem, coronis digniſſimum, collaudaturi, qui & vicerit, & magnam quidem hoſtium multitudinem, & celeriter.*

Poſtremo loco omittere non poſſum, formulam ſeu typum Orationis, quam habere debebat Legatus, Coronam Imperatori vrbis alicuius nomine offerens, apud Menandrum Rhetorem, *cap. περὶ στεφανωτικοῦ. pag. 632. Edit. Aldin.* vbi inter alia, μετὰ τὴν ἀνδρείαν, τὰ κατὰ τὸν πόλεμον ἐρεῖς, καὶ λοιπὸν περὶ τὰ κατ᾽ εἰρήνην, καὶ μετὰ ταῦτα ἐπάξεις: ὅτι, τοιγάρτοι διὰ τοῦτο στεφανοῖ σε ἡ πόλις ἅμα μὲν χάριτας ἐκτίνουσα ὑπὲρ ὧν ἀεὶ ἡμέραι εὐεργετούμεθα: ἅμα δὲ καὶ δεομένη καὶ ἱκετεύουσα καὶ θαῤῥοῦσα τῇ σῇ περὶ πάντα φιλανθρωπίᾳ ὅτι οὐδενὸς ἀτυχήσεται. Εἶτα ἀξιώσεις ἀναγνωσθῆναι τὸ ψήφισμα: *fortitudine commemorata, expones res eius non bello modo, ſed etiam breuiter pace geſtas: deinde adiicies hæc: propterea igitur ciuitas te coronat, non modo gratam ſe oſtendens pro beneficiis, quibus quotidie afficimur; ſed etiam ſuppliciter rogans & confidens ſumma tua in rebus omnibus indulgentia, ſe a te repulſam non laturam. Deinde iubebis recitari decretum ciuitatis.*

Supereſt videamus, quid ſibi velit Iulianus poſtrema *huius leg.* parte, cum ait; *arbitrio ſuo id reſeruari oportere?* Certe enim, cur arbitrio ſuo id indici non poſſe definiat? Videatur igitur tantum Iulianus hac Coronarii auri indictione Præf. Prætorio, ad quem indictionum cura pertinebat, interdixiſſe: verum ſui iuris id feciſſe, quando neceſſitate poſtulante id exigeret. Quæ & ipſa indulgentiæ ſpecies eſt. Cui tamen ſtatim aduerſatur, quod initio dixit, *aurum coronarium munus eſſe voluntatis, quod nemini debet indici.* Quare videatur his verbis Iulianus id tantum voluiſſe, vt omnus hoc volontatis eſt, ita & ſui arbitrii eſſe, num id admittere velit: quod hic expreſſum forte fuerat, ſed reciſum ab *huius Cod.* Conditoribus. Eoque pertinet quod Marcell. dicit, ab eo *Coronarium indultum.*

II. (a)

II. (a) Impp. VALENTINIANVS & Valens AA. ad Mamertinum PF. P. (b)

VNIVERSI, quos Senatorii nominis dignitas non tuetur, ad auri coronarii præſtationem vocentur, exceptis his quos Lex † præterita ab hac conlatione abſoluit. Omnes igitur poſſeſſores, aut inter Decuriones coronarium aurum, aut inter Senatores glebalem (c) præſtationem deinceps recognoſcant. (d) Dat. V. Kal. Septemb. Emonæ (e) diuo Iouiano & Varroniano VV. CC. Coss. [364.]

NOTAE.

(a) Abeſt *hæc lex a C. Iuſt. GOTHOFR.*

(b) *Mamertinus* ſub Valentiniano Sen. PP. Italiæ, Illyrici, Africæ. V. vel *Amm. Marcell. lib.* 26. *cap.* 5. *& Proſopogr. ID.*

† *Lex* hæc nullibi extat. *ID.*

(c) De Glebali collatione, *ſuo tit. ſup. lib.* 6. *ID.*

(d) *Recognoſcant*, pro agnoſcant, ſoluant, præſtent *ID.*

(e) *Emona* oppidum inter Pannoniam ſuperiorem & Noricum: teſte Zoſimo *lib.* 5. *cap.* 29. Deſignatur & eo tractu in *Itinerario Peutingeriano*: & *Itinerario Antonini pag.* 129. *Edit. Weſſeling.* vbi *Hemona* vocatur. Ibi Idacius refert, imagines & ſtatuas Conſtantini a Licinio deiectas. De eadem in reb. Maximi Tyranni, Pacatus *Panegyr. cap.* 37. & Capitolinus *in Maximinis, cap.* 21. & *in Maximino Iun. cap.* 5. Ergo & hoc tempore Valentinianus per Emonam tranſiit: cum ex Mœſis, Pannonia, Aquileiam (vbi mox ab eo data *l.* 4. *ſup. de Legatis*:) inde Mediolanum tenderet. Quod & ipſum iter poſtea fuit Theodoſio M. aduerſus Maximum Tyrannum mouenti A. D. 388. vid. *Chronolog. ID.*

P. 604.

III. (a) Idem AA. ad Probum PF. P. (b)

NVLLVS, exceptis Curialibus, quos pro ſubſtantia ſui (c) aurum coronarium offerre conuenit, ad oblationem hanc adtineatur (d). Dat. IX. Kal. Iul. Sabariæ (e), Valentiniano & Valente (f) AA. Coss.

NOTAE.

(a) Abeſt *hæc lex a Cod. Iuſt. GOTHOFR.*

(b) *Probus* PP. ſub Valentiniano Sen. Italiæ, Illyrici, Africæ: ſuffectus A. D. 368. Rufino. v. Amm. Marcell. *lib* 27. *cap.* 11. & *lib.* 30. *cap.* 5. & *Proſopogr. ID.*

(c) Sua. *ID.*

(d) *Adtineatur*, pro teneatur. *ID.*

(e) *Sauariæ* in Pannonia Valentiniani *hæc lex* data dicitur: vbi *Dat.* pro Acc. interpretandum. Erat enim hoc Anno 368. Valentinianus in Gallia. Sic & Anno prox. 369. ibi *PP.* dicitur *lex* 15. *de Suſceptorib.* quæ eidem Probo PP. inſcribitur. *ID.*

(f) Adde *II.* vt ſic referatur *hæc lex* ad A. D. 368. vel III. vt referatur ad A. 370. neque enim Probus A. D. 365. PP. erat. Eum vero Sirmii vel Sabariæ conſtitiſſe comperio: de Sirmio teſtis quoque Auſonius *Carm. ſubtexto epiſtolæ* 16. *ID.* Subſcriptionem ex *Quinquennalibus* diiudicandam ſtatuit PAGIVS *diſſertat. hypat. Part.* 2. *cap.* 4. *num* 9 Cum enim & Valentiniani & Valentis annus imperii quintus inchoetur *an.* 368. non alio, quam hoc, conſtitutio hæc data videtur. *RITTER.*

COMMENTARIVS.

VALENTINIANI Senioris hæ duæ conſtitutiones ſunt, de Auro Corooario: Quibus idem definitur: Nempe, ſolos CVRIALES, ſeu Decuriones, ad Auri Coronarii præſtationem ſeu oblationem teneri: Quod & ipſum diſcimus ex *l.* 15. *ſup. tit. prox. de Legatis*: Non vero Senatores: Quod & ipſum Iuliani *leg.* 1. *ſup.* cauetur. Sua ſc. Senatoribus diſtincta collatio imminebat, glebalis inquam, de qua *ſuo tit.* 2 *lib.* 6. vt & aurum oblatitium, de quo *l.* 14. *eod. tit.* vt & illud, de quo Symmachus *lib.* 10. *ep.* 26. Sua itidem Decurionibus ſeu Curialibus & peculiaris, nempe Auri Coronarii. Cur autem Senatores ad Auri Coronarii præſtationem non tenerentur: hæc procnldubio cauſa eſt: quod Auri Coronarii præſtatio, quocunque tandem nomine prætexeretur, ſubiectionis cuiusdam indicium eſſet: & in Regibus & Satrapis exteris, deuotiſſimis, *l.* 6. *inf.* a quo Senatores alienos eſſe voluerunt Principes, velut qui pars corporis ipſius Imperatoris eſſent: de quo plene ad *leg.* 3. *ſup. ad leg. Cornel. de ſicariis.* Et quidem (quæ Ampliatio additur) vniuerſis Decurionibus, exceptis tamen nonnullis, quos Valentinianus ab hac Auri Coronarii oblatione abſolutos ſeu immunes factos indicat, quadam *lege* anteriore. Quænam vero *lex* illa ſit? & quinam illi Decuriones ſint, qui hac immunitate ab Auro coronario donati fuerunt? nuſpiam reperio.

Illud ex *vtraque lege* diſcimus, Aurum Coronarium admiſiſſe Valentinianum Sen. de quo exſtant quoque præterea teſtimonia. Prius eſt Eunapii *in Excerptis Legationum pag.* 12. *Tom I. Script. R. B. Edit. Venet.* Βαλεντινιανῷ ἀναῤῥήσεις ἐν Νικαίᾳ τῆς Βιθυνίας γίνεται, πρεσβεῖαί τε, ὅσαι συνεπεφοιτήκεσαν ἐπὶ τοῦτο, τοὺς χρυσοῦς ἔχουσαι στεφάνους πρὸς

ὑπὲρ ἀνεφέροντο: *Valentinianus apud Nicaeam Bithyniæ Imperator eſt appellatus: illuc multa legationes aduenerunt, quæ coronas aureas ad ipſum adſerebant.* Poſterius Amm. Marcell. *lib. 28. c. 6. Tripolitani allapſo legitimo die Concilii, Seuerum & Flaccianum creauere Legatos, victoriarum aurea ſimulachra Valentiniano ob Imperii primitias oblaturos.* Ex quo loco apparet, Coronæ loco, Victoriarum aureæ ſimulacra, *Coronarii* nomine, quandoque oblate: de quo ad *l. prox.*

IV. (a) Imppp. Gratianus, Valentinianus & THEODOSIVS AAA. Pancratio P. V. (b)

QVæ diuerſarum Ordines Curiarum, vel amore proprio, vel indulgentiarum (c) lætitia, vel rebus proſpere geſtis admoniti, in coronis aureis ſignisque diuerſis obtulerint, in quacumque fuerint oblata materia, in ea ſuſcipiantur: ne id quod voluntate offertur, occaſione obryzæ (d) incrementi (e) neceſſitatis iniuria inſequatur. Dat. IV. Id. Aug. Vico Auguſti, (f) Auxonio & Olybrio Coss. [379.]

NOTAE.

(a) Abeſt & hæc *lex* a *Cod. Iuſt.* *GOTHOFR.*

(a) Malim in inſcriptione *huius l.* quæ data eſt Anno Domini 379. reponere *Com. R. P.* Fuit enim eo Anno Pancratius Comes R. P. vt docet *lex 12. ſupr. de iure fiſci*: Itemque anno 380. vt docent *quatuor leges.* Anno vero demum 381. & 382. fuit P. V. vid. *Proſopogr.* Et ſane etiam id argumentum *huius l.* ſuadet, quod ad P. V. non pertinet, verum ad Com. R. P. *ID.*

(c) De *Indulgentiis* debitorum fuit *ſup. tit.* 28. *lib.* 11. *ID.*

P. 603. (d) De *Obryza* dixi ſemel plene *lib. 7. ad tit. de oblatione votorum* *ID.*

(e) De *Incremento* (nihil enim hic mutandum) *Obryzæ*, dixi ad *l. 2. ſup. de Suſceptoribus.* *ID.*

(f) *Vicus Auguſti* quidam notatur in Africa in *Itin. Peutinger. lit. C. dextra*: & in *Itinerario Antonini pag.* 43. 53. 54. 55. 56. *Edit. Weſſeling.* verum locum, qui *Auguſtis* vocatur in *Tabula Peutinger.* & *Antonini Itinerario pag.* 220. haud procul *Ratiaria & Oeſco*, accipio: quique in Dacia Ripenſi locatur in *Notitia Imperii.* Prætoriam Auguſtam vocat Ptolemæus *lib. 3. cap. 8.* Eo ſcil. tractu fuit hoc tempore Theodoſius M. vid. *Chronol. ID.* Ptolemæi *Prætoriam Auguſtam* alienam eſſe a ciuitate *Auguſtis*, quam Antoninus memorat, indicat Cl. Weſſelingius *in obſeruat. ad Antonin. pag.* 220. & patebit facile inſpicienti Ptolemæum. *RITTER.*

COMMENTARIVS.

THEODOSII M. tres conſtitutiones ſequuntur de Auro Coronario: Quarum duæ priores ſunt de eo quod e *Curialibus*, & ſic a Romanis conferebatur: Tertia vero de eo quod *Exteri Satrapæ*, pro deuotione erga Imperium Romanum offerebant: Ex quibus omnibus *legibus* apparet, quam moderatum ſeſe hanc in partem Theodoſius M. geſſerit, non adrogauti moderatione, quod ille dixit, verum ſumme ciuilitate. Igitur *hac l.* VOLVNTARIAM hanc Auri coronarii oblationem eſſe vult, quam ſcil. e Curialibus factam oſtendit, pariter vt *lex 2. 3. ſupr.* Idque Triplici ſub Ampliatione, quæ tres etiam ſingulares obſeruationes, ad Auri coronarii materiem pertinentes, ſuppeditant.

Prima Ampliatio & obſeruatio eſt, de CAVSIS & OCCASIONIBVS Auri Coronarii Principibus offerendi: vbi tres cauſæ proponuntur. Prima cauſa *ob Amorem proprium*, id eſt, ſolo amore & affectu in Principem: Quem amorem teſtati prouinciales variis occaſionibus: veluti *ob Imperii primitias*, quomodo Iuliano oblatum *μετὰ τὴν τῆς βασιλείας ἀναγόρευσιν*, teſtis eſt Eunapius, *in excerptis Legationum pag. 12. Tom. I. Script. R. B. Ed. Venet.* de quo plene ad *l. 1. ſupr.* de Valentiniano, teſtis Eunapius *eodem loco*, & Ammianus Marcellinus *lib. 28. cap. 6.* Item Adoptionis cauſa: quomodo Antonino Pio oblatum, teſte Capitolino *in eius vita cap. 4. in fin.* Item, ob aduentum Principis; quomodo Edeſſeni Iuliano obtulere, teſte Zoſimo, *l. 3. c. 12.* Theodoſio Iuniori, Conſtantinopolitanus Senatus, Heracles Conſtantinopolim reuerſo, quod ſcribit Auctor *Chronici Alexandrini Ann. 416. pag. 719. Edit. Raderi.* Ioniano etiam Niſibeni: qui Coronam aliquandiu recuſans, coactus denique ſuſcepit, Siluano cauſarum defenſore confidentius exclamante: *Ita Imperator, a ciuitatibus reſiduis coroneris*, teſte Marcellino *lib. 25. cap. 9.* Item cum Legati ad Principem mitterentur, alicuius rei impetrandæ cauſa: Quo alludit Themiſtius, *Orat. 13. p. 295. Edit. Petau. Flexiæ 1613. in 8.* Ita Syneſius *de Regno, pag. 2. Edit. Petau.* miſſum ſeſe ad Arcadium Imp. ſcribit cum Corona, vt Cyrenæ patriæ ſuæ calamitatibus ſuccurreret, *ἐμέ σοι πέμπει Κυρήνη στεφανώσοντα χρυσῷ μὲν τὴν κεφαλὴν, φιλοσοφίᾳ δὲ τὴν ψυχήν*: *mittit me Cyrene auro caput tuum, philoſophia vero animum coronatura.* Vel etiam vtroque ſimul fine, & ob Imperii primitias, & impetrandi alicuius cauſa, vt in loco Amm. Marcellini, *lib. 28. c. 6.*

Secunda cauſa & occaſio Auri coronarii Principibus offerendi dicitur, *ob Indulgentiarum lætitiam.* Nempe, cum Princeps tributorum reliqua indulgeret, viciſſim Aurum coronarium & ob hanc lætitiam oblatum. Cuius rei & moris non alia mihi nunc occurrit memoria, quam *hac leg.* De ipſis ſane *Indulgentiis debitorum*, fuit *ſupra titulus peculiaris*, vbi nil tale occurrit. Illud etiam reperio, hoc ipſo tempore & anno, Gratianum Indulgentiam debitorum ſeu tributorum dediſſe, rbartis ebo-

Digitized by Google

abolitis, quo nomine eum laudat Auſonius, *in Gratiarum actione cap. 32.* Ad quam indulgentiam hæc *lex* referenda videretur, niſi hæc *lex* Theodoſium M. auctorem haberet.

Poſtrema hæc cauſa & occaſio Auri Coronarii Principibus offerendi dicitur, *Ob res proſpere geſtas*, ſeu ob victorias de hoſtibus; quæ vt antiquiſſima ſeu prima, ita quoque præcipua fuit Auri Coronarii offerendi cauſa, nempe cæſis hoſtibus, & Imperatore aliquo ideo nuncupato, vt ex dictis ad *leg. 1. ſupra*, abunde conſtat. Gellius *lib. 5. capite 6. Triumphales coronæ ſunt aureæ quæ Imperatoribus ob honorem Triumphi mittuntur, id vulgo dicitur Aurum coronarium:* vide & Ciceronem, *contra Rullum 2. cap. 4.* & Dionem *lib. 42. pag. 208. & lib. 48. pag. 382. Edit. Wechel. 1606.* Datæ vero & imitatione moris illius in conuiuio, apud Tacitum, *libro 2. Annal. cap. 57.* veluti Neroni ob Muſicam, teſte Suetonio, *in Nerone capite 25. & 32.* Denique Seruius ſcribit VIII. *Æneid. v. 721. Aurum Coronarium fuiſſe, quod a victis gentibus dabatur propter conceſſionem vitæ.* Hinc & fraus illa olim, triumphum ob leuiculas cauſas impetrantium: nam *ἐπὶ τῇ προφάσει ταύτῃ χρυσίον πολὺ παρὰ τῶν δήμων ἐς τοὺς στεφάνους ἐσέπραττον*, *eius nomine magnam auri coronarii vim a populis exegerunt*, vt ſcribit Dio, *libro 49. pag. 417. Edit. Wechel.* Quo pertinebat & illa *lex*, quæ vetabat decerni & accipi Aurum coronarium, *niſi decreto triumpho:* de qua Cicero *in Piſonem c. 37.* Et hæc quidem de cauſis & occaſionibus auri Coronarii offerendi.

Nunc de *Materia*, in qua Aurum Coronarium offerebatur: Nempe hæc *lex* teſtatur, non tantum in *Coronis Aureis*, quæ prima & præcipua materies & origo fuit; verum & in SIGNIS diuerſis aurum coronarium oblatum. Quod & ipſum aliunde diſcimus. Neque tamen huc pertinet, quod de Clypeo aureo in curia Romana, Senatus Romani iudicio, collocato ſcribit Pollio, *in Claudio cap. 3.* Id enim non Imperatori oblatum, ſed dedicatum.

Rurſum neque huc pertinet, quod Auctor *Panegyrici 8. ad Conſtantinum* ſcribit *cap. 25.* de Signo, Scuto, Corona aureis Conſtantino M. dedicatis: *Merito igitur tibi Conſtantine, & nuper Senatus* SIGNVM *Dei* (al. dedit) *& paulo ante Italia* SCVTVM *&* CORONAM, *cuncta aurea dedicarunt, vt conſcientiæ debitum aliqua ex parte releuarent: debetur enim, & ſæpe debebitur & Diuinitati ſimulacrum aureum, & virtuti ſcutum, & corona pietati.* Quo loco quod SIGNVM initio dicitur, mox *aureum ſimulacrum* vocatur: vbi etiam nonnulli legunt, *ſignum Dei oon dedit.* Neque tamen Baronium audio, qui ſignum Chriſti interpretatur, nam vt maxime Conſtantinus iam nomini Chriſtiano nomen addixiſſet, attamen Senatus, ſuo adhuc more, ideſt gentilitio, Conſtantinum Magnum colere inſtituit: haud aliter atque Oratores ipſi eum ſuo more & gentilitio laudibus proſecuti. Ergo Senatus Conſtantino M. dedicauit ſignum aureum, ſeu ſimulacrum, in ſpeciem Dei, radiato fors etiam capite. Et ſane Sextus Aurelius Victor *de Cæſarib. cap. 43.* cum ediſſerit gaudia Senatus & plebis Romanæ, ob victoriam de Maxentio, honoresque Conſtantino M. delatos memorat, ait nominatim, STATVAS *locis quam celeberrimis, quarum plures ex* AVRO *aut argento eſſent, ſacratas.* Ergo vt dedicata ſæpe in honorem Imperatorum *ſigna diuerſa*, ita & Auri coronarii ſpecie ſigna ipſis oblata, quod *hac lex* docet. Cumsmodi ſunt & *Victoriarum aurea ſimulacra*, quæ Tripolitanos per Legatos ſuos Valentiniano Seniori obtuliſſe, ob Imperii primitias, ſcribit Ammianus Marcellinus, *libr. 28. cap. 6.*

Sequitur tertia Ampliatio & præcipua quidem, cuius cauſa hæc *lex* lata eſt: Nempe ſuſcipi iubet p.606 Valentinianus Aurum coronarium in quacunque MATERIA fuerit oblatum, *etiamſi non in obryza*, ideſt, in auro, etſi non flammæ edacis examine puro reddito: de quo plene dixi ſemel, ad *legem vnicam ſupr. de oblatione votorum:* vbi tamen ſolidi obryziaci ab Honorio deſiderantur in oblatione illa votorum, de quo ad *eam leg.* Ex *hac* certe *lege* id diſcimus, aurum ad obryzam redditum, decrementi aliquid cepiſſe: & ideo qui materiam acciperent, nondum videl. ad obryzam perpurgatam, obryzæ nomine, incrementi, inquam, vel vt quis tentaret, *intertrimenti*, quo nil opus, aliquid poſtulaſſe. *Incrementum*, in re monetaria, quod hodie, *remede du fin*: ſic & *l. 2. ſupr. de Suſceptoribus, ne ſeparatim ab vnoquoque auro exacto, multis & aſſiduis* INCREMENTIS *prouincialium vtilitas fatigetur.* vbi vid. quæ dixi: Quanquam ibi incrementa ſunt *ἐπίμετρα.* Denique omne quod alteri rei ſuperaducitur, *incrementum* dicitur: quomodo & incrementum vſurarum, *l. vlt. ſupr. de adminiſtr. & periculo tutor. ἐπίμετρον.* Ergo incremento, ſeu *ἐπιμέτρῳ*, non eſt obnoxium aurum coronarium: *Ne*, quam rationem addit Imp. *id quod voluntate offertur, occaſione obryzæ incrementi neceſſitatis iniuria inſequatur.* Quod ſenſum perſpicuum habet ex his quæ diximus *initio*, & ad *leges ſuperiores*, quod hæc oblatio *φιλικὴ* ſit, meræ voluntatis, & *αὐτοπραγίας.* Denique huc pertinet vulgatum illud, *donato equo in os eius inſpiciendum non eſſe.*

V. (a) Idem AAA. (b) Cynegio PF. P. (c)

AD conlationem auri coronarii placuit, neminem, absque conſuetudine, (d) eſſe cogendum. Dat. XV. Kalend. Febr. Conſtantinop. Richomere & Clearcho Coss. (e) [384.]

NOTAE.

(a) *L. vn. Cod. Iuſt. eod. tit.* hinc petita, ſpretis reliquis *huius tituli.* Iungendaque huic *l. 23. infr. de operib. publicis.* GOTHOFR.

(b) Reponendi hi Imppp. *Valentinianus* THEODOSIVS *&* *Arcadius.* vid. *Chronol. Theod.* ID.

(c) Orien-

(c) Orientis: de hoc Cynegio PP. multa iam alibi, etiam ex Libanio. vid. *Proſopogr.* *ID.*

(d) Vid. *l. prox.* 6. *ID.*

(e) Hoc anno Sextus Imperii Theodoſii anous incepit, ideoque eius *Quinquennalium* hoc, vel præcedenti anno ſcto-rum occaſione, hæc lex data eſt. Sed Gothofredus, qui ad hæc ſolemnia animum non aduertebat, ſcribit in *Commentario*, alterutra occaſione oblatum aurum coronarium nunc Theodoſio M. vel ob filium Arcadium anno elapſo Auguſtum appellatum, vel ob victoriam aliquam de hoſtibus reportatam, forte de Sarmatis, aut Perſis, ſed leues hæ coniecturæ. Et ex hac quoque lege diſcimus, inter cauſas auri coronarii principibus offerendi, *Quinquennalia*, & id genus feſta, numerata fuiſſe. ANTON. PAGIVS *diſſert. hypat. Part.* 2. *cap.* 4. *num.* 8.

COMMENTARIVS.

SECVNDA hæc Theodoſii M. conſtitutin eſt de Auro Coronario Principibus a ſuis offerri ſolito; & ipſa moderationis plena: quam & ſolam Tribonianus, cæteris poſthabitis, in *Codicem ſuum* retulit: nam vt *ſuperiore lege* in voluntatem Curialium eius oblationem omnino coniecit, etiam quoad materiam, in qua Aurum coronarium offerretur: ita & *hac* quoque *leg.* quoad PERSONAS: Neminem ſcilicet ad conlationem Auri Coronarii cogi vult, *absque conſuetudine.* Quibus verbis id indicare videatur, eos qui veluti conſuetudine ab hac conlatione immunes ſunt, immunitate porro potiri oportere. Sic enim & Valentinianus Sen. *l.* 2. *ſupr.* ab auri Coronarii collatione excepit eos, quos *lex* aliqua præterita ab hac collatione abſolueret. Quomodo in commune in collationibus & ſolutionibus functionum publicarum, conſnetudini ſtandum docent aliæ leges, *ſup. tit. de annona & tributis.*

Porro *quinam* ab hac collatione Immunes fuerint, diuinare non licet, niſi in genere, quosdam ob dignitatis priuilegia immunes fuiſſe: Cui rei quoque argumentum præbet *lex* 23. *infr. de operib. publicis*, quæ ex eadem Theodoſii M. cnuſtitutione deſumpta huic coniungenda eſt: Ea quippe lege e contrario, ad *Portus & Aquaductus Theodoſiani* in vrbe Conſtantinnpolitana, *inſtaurationem, omnes certatim, facta operarum conlatione inſtare iubet: ſic, vt nemo queat ab huiuscemodi conſortio, dignitatis priuilegiis excuſari.* Eiusdemque *legis* argumento ex ſtimet quis *banc l.* pertinere ad Aurum Coronarium Theodoſio M. oblatum a *Senatu Conſtantinopolitano* (quomodo ſane a Senatu Conſtantinopolitano oblatas aureas Coronas Imperatorib. docet Auctor *Chronici Alexandrini*, A. 416. *pag.* 718. 719 *Edit. Raderi.*) Cum alias Coronarii auri oblatio Senatoribus non incumberet: Quanquam fortte eadem *huius l.* ſenteotia videri poſſit, quæ *legis proxima*: vbi & illa pariter verba occurrunt, *ſecundum conſuetudinem moris antiqui.*

Cæterum alterutra occaſione oblatum aurum Coronarium nunc Theodoſio M. vel ob filium Arcadium Auguſtum appellatum: vel ob Victoriam aliquam de hoſtibus reportatam, forte de Sarmatis aut Perſis. Illi coniecturæ blanditur ipſe dies, quo hæc *lex* data eſt: Nam Arcadius *XIV. Kal. Feb.* ideſt, pridie eius diei, quo hæc *lex* data eſt, a Patre ſuo Conſtantinopol. Imperator creatus fuit. Renititur tantum Conſulatus. Superioribus enim Conſulibus, *Ann. D.* 384. Arcadium Auguſtum a Patre creatum referunt Socrates, *lib* 5. *c.* 10. Sozomenus, *lib.* 7. *c.* 12. Marcellinus *Chronico*, Alexandrinum, & Idaciana *Conſularia*, Paulus Diaconus *lib.* 12. Poſteriori vero coniecturæ blanditur, quod his Coss. Perſarum Legatus Conſtantinopolim ingreſſus eſt, teſtis Auctor *Chronici Alexandrini.*

Ex *hac* interim *lege* diſcimus, cum Aurum Coronarium munus voluntatis ferme eſſet, *l.* 1. & 4. *ſupr.* attamen alicubi & aliquando neceſſarium fuiſſe, *neminem*, inquit, *absque conſuetudine eſſe* COGENDVM. Ergo ſecundum & iuxta conſuetudinem aliqui cogi poterant. Certe a Satrapis id exactum, docebit eiusdem Theodoſii M. *lex prox. vlt. Secundum conſuetudinem moris antiqui.* Et a Curialibus ſub Valentiniano Sen. *l.* 2. 3. *ſupr.*

Falſiſſima igitur eſt Amayæ ſententia, collationem Auri coronarii *hac l.* probiberi, & omnino *ſublatam*, niſi conſnetudine jam eſſet recepta. Mox & cauſas eius indagare tentat, quanquam nec eas ipſas mox probet (adeo titubare in *hisce legibus* eum deprehendas) nempe quod oblatio hæc originem duxiſſet a Gentibus deuictis, quare collationem hanc indignam viſam, & odioſam, & qui- P.409
dem poſt *Antonini* conſtitutionem, qua omnes in orbe Romano Ciues effecti ſunt: item, quæ ratio ipſi plauſibilior videtur, quod Auri coronarii oblatio ad ſuperſtitionem, occaſionem præberet. Nempe quia coronarum vſus freqnens in ſacris Gentilium foret, eæque etiam Diis offerrentur. Item quod huiusmodi Coronæ, ſi ob triumphum darentur, eas triumphaturi in templis Deorum dedicarent. Quæ omnia inania ſunt. Neque enim, ne alia addam, de Coronis hic res eſt, verum de Auro coronario, quo Principes ad neceſſitates ſuas, vel publicas vtebantur: arg. *l.* 1. *h. t.*

Denique quam inepta interpretatio illorum, *absque conſuetudine*, (quæ addit) ait propter Iudæos: illos enim ſolos ex conſuetudine ad id cogi potuiſſe, translato ſcil. in fiſcum Imperialem iure illo Auri Coronarii, quod Patriarchis ſuis olim præſtabant.

VI. (a) Idem AAA. (b) Gaddanæ (c) Satrapæ (d) Sofanenæ. (e)

AVRVM coronarium his reddi reſtituique decernimus, quibus inlicite videtur (f) ablatum, vt, ſecundum conſuetudinem (g) moris antiqui, omnes Satrapæ, pro

pro deuotione quæ Romano debetur Imperio, coronam ex propriis (h) facultatibus faciant Serenitati Noſtræ ſollemniter offerendam. Dat. XVIII. Kalend. Iul. Conſtp. Valentiniano A. III. & Eutropio Coſs. [387.]

NOTAE.

(a) Abeſt hæc *lex* a *Cod. Iuſt.* quia temporaria & Hiſtorica. *GOTHOFR.*

(b) *Valentinianus* ſcil. THEODOSIVS & *Arcadius. ID.*

(c) *Gaddanam* quoque Syriæ Palæſtinæ monachum, memorat Palladius *in Lauſiaca. p.* 132. 133. *ID.*

(d) Dicam mox de his *Satrapis:* vt & de hac *Sophanena. ID.*

(e) In adiectiuo *Sophanena*, prouincia ſcil. alioquin ſubſtantiue *Sophane*, vel *Sophene. ID.*

(f) Ideſt, ablatum eſt. *ID.*

(g) Vid. *l.* 2. 5. *ſupr. ID.*

(h) Non aliis ablatum Aurum coronarium. *ID.*

COMMENTARIVS.

DE AVRO CORONARIO, quod a SATRAPIS earum prouinciarum, quæ deuotionem Imperio Romano debebant, offerri ſolebat, eſt hæc Theodoſii M. conſtitutio, Data Anno Domini 387. eaque ipſa data ad huiuſmodi Satrapam, Gaddatum, inquam, Satrapam Soſaoeuæ. Saoe iam olim Gentes Exteræ, vel propter conceptum de Romanis metum, vel quadamtenus victæ, comiter Romani Imperii maieſtatem coronis, auroque coronario oblato colebant, & ſic *deuotionem* ſuam teſtabantur, vel pro deuotione, quæ debebatur Imperio Romano, vt *h. l.* dicitur. Mitto antiquiora de Coroois, triumphaotibus Imperatoribus miſſis. Elegans apud Suidam locus *de Rhodiis* voc. ςεφανικὸν τέλεσμα. Στεφανικὸν, inquit, τέλεσμα παρὰ Ῥοδίοις οὕτως ἐκαλεῖτο, ἐπειδὴ αὐτόνομοι ἦσαν οἱ Ῥόδιοι. Βραχὺ δέ τι μέρος Ῥωμαίοις ἐπὶ τιμῇ πέμποντες ἐτήσιον, ὡς οὐ φόρον ἡγεμόσι μᾶλλον, ἢ ςέφανον φίλοις διδόντες: *Tributum coronarium apud Rhodios ſic dictum. Rhodii enim, cum liberi eſſent, Romanis exiguum quoddam munus honoris cauſa quotannis mittebant, non tanquam tributum dominis, ſed vt coronam amicis.* Seruius etiam ad illud Virgilii, *Æn. VIII. v.* 721. *Dona recognoſcit populorum. Aurum Coronarium,* inquit, *dicit, quod triumphantibus hodieque a victis Gentibus datur: Imponebant autem hoc Imperatores propter conceſſam vitam.* (al. *immunitatem*) Tale fuit Demaretanum aurum, a Carthaginienſibus Demaretæ Gelonis coniugi pendi ſolitum, cuius meminit Diodorus Siculus *lib.* 11. *Bibl. hiſtor. pag.* 256. *Edit. Stephan.* & *pag.* 21. *Edit. Rhodoman.* Ita & Iuliani temporibus Saracenorum Reguli ſiue Phylarchi, *genibus ſupplices nixi, oblata ex auro Corona, tanquam Mundi nationumque ſuarum dominum adorarunt:* teſte Ammiano Marcellino *lib.* 23. *c.* 3. Ita Procopius de Theodato Gothorum Rege notat, *libro* 1. *de bello Goth. cap.* 6. *init. p.* 10. *Edit. Venet. inter Script. R. B.* pactum eum cum Petro, Imperatoris Iuſtiniani legato, tota Sicilia ſecedere, & quod πέμψῃ δὲ αὐτῷ καὶ ςέφανον χρυσοῦν ἀνὰ πᾶν ἔτος κατὰ τριακοσίας ἕλκοντα λίτρας, *ad ipſum quotannis coronam mitteret auream trecentum pondo.* Neque ab hoc viceoerſa alienum eſt tributi genus illud, quod inclinante Imperio, Romani ipſi, Barbaris Gentibus ſub inani muneris vel doni, vel fœderis, vel pacti, vt vocabatur, nomine ſoluebant: Veluti Scythis, de qoo Themiſtius, *Oratione* 10. *pag.* 236 *Edit. Petau in* 8. FRANCIS: de quo Saluianus, *lib.* 6. *de gubernat. Dei in fin* Perſis, de quo Procopius *Perſicis lib.* 2. *cap.* 10. *in fin.*

Igitur hac tempeſtate ſub Theodoſio Magno Satrapæ quidam quarundam prouinciarom Coronas aureas Romano Imperio pendebant. Quid Satrapæ fuerint Perſarum? iam notum; nempe Rectores erant, Prætores, Præfecti prouinciarum ſeu præfecturarum, ἐπαρχιῶν, quæ inde *Satrapiæ:* de quo Briſſonius expreſſe *Perſicorum* 1. & inter alios veteres, Ammianus Marcellinus *lib.* 23. *cap.* 6. De hoc vero Satraparum, vel Satrapiarum Perſicarum Orbi Romaoo vicinarum numero, nonnullæ hac teoopeſtate iuris Romani fuere. Quinque huiuſmodi olim Perſis ereptæ a Maximiano, verum a Iouiano Imperatore reſtitutæ: quas memorat Ammianus Marcellinus *libro* 25. *cap.* 7. *Profecta veniſſet ad præſidia Corduena vberis regionis, & NOSTRAE, ex eo loco in quo hæc agebantur centeſimo lapide diſparata. Petebat autem Rex obſtinatius, vt ipſe aiebat, ſua dudum a Maximiano erepta, vt docebat autem negotium, pro redemptione noſtra QVINQVE REGIONES Transtigritanas: Arzanenam & Moxoenam, & Zabdicenam, itidemque Rehimenam & Corduenam cum caſtellis quindecim, & Niſibim, & Singaram, & caſtra Maurorum, munimentum perquam opportunum,* vbi ſubiicit, tradita omnia a Iouiano Perſis, quæ petebantur.

De his regioonibus etiam videndus Sextus Rufus Feſtus *in Breuiario cap.* 14 *in fin.* Petrus Patricius *in excerptis Legationum pag.* 21. *Tom. I. Script. Rer. Byzant.* ita quinque illas regiones enumerat, *Intilinem,* SOPHENEM, *Arſanicem, Cardonenam, Zabdicenam.* Satrapæ Corduenæ meminit P. 608 Ammianus Marcellinus in rebus Conſtantii, *lib* 18. *cap.* 6. Itemque Satraparum Armeniæ in rebus Valentis, *lib.* 27. *cap.* 12. Certe Arſaphius Sophenenſis, ſubſcriptus reperitur Concilio Nicæno *p.* 316. *T. I. Concil. Edit. Hard. Sofanena,* eiusque Satrapæ nulla expreſſa apud Ammianum mentio, qui tamen Hiſtoriam ſuam ad finem Valentis, id eſt, An. 378. (decennio ante *hanc leg.*) perduxit: ſed Satrapæ huius Sophanenæ meminit quoque *Nouel.* 31. *cap.* 1. *§.* 3. & Euſtathius in Dionyſium περιηγητὴν *p.* 132. *Edit. Londin. Guil. Hill.* Sed omnium manifeſtiſſime Sophanenæ huius, inter prouincias Romanas, meminit *vetus Index* ſeu *Notitia prouinciarum*

ſub hoc eodem Theodoſio M. circa hæc tempora *conſcripta*, quam *S.onbouius* primus edidit, & poſtea Cellarius cum Feſto publicauit: vbi *Orientis prouincia X.* ita recenſentur *p. 83. Edit. Cellar.*

Syria Cilicia, (γρ. Cæle) *in qua eſt Antiochia*
Syria Palaſtina.
Phœnice.
Iſauria.
Cilicia iuxta montem Taurum.
Cyprus.
Meſopotamia, inter Tigrim & Euphratem.
Eufrateſia.
Oſdroëne.
Sophane.

Ergo Sophanen *Notitia illius* Auctor ſub Theodoſio M. inter Orientis prouincias numarat, non etiam Syriæ prouinciam poſtremam facit, quod Berterius alioquin tradidit. Facit & mentionem Claudianus *lib. 1. in Eutropium v. 219.* A. D. 399. ſub Arcadio,

Ne non Eutropio quæſtus numeroſior eſſet,
In mercem veniunt Cilices, Iudæa, SOPHENE,

Huius alioquin *Sophenæ* & Sophanenæ mentio apud Strabonem *lib. 11. pag. 792. 799. Edit. Almelouecn.* Plinium, *lib. 5. c. 12. lib. 6. c. 9.* Ioſephum *lib. 7. Ant. Iud. c. 5.* vbi meminit Adrazari Arachi filii, Regis τῆς σωφήνης, qui Rex *Tzoba*, 2. Sam. 8. Melam *de ſit. orb. lib. 1. cap. 11. initio.* Stephanum *voc.* σωφηνή, qui vel veteris Syriæ faciunt, vel Armeniæ finibus includunt: Quod atiam facit Iuſtinianus *l. vlt. Cod. Iuſt. de off. Magiſtri milit.* quam & poſtea in prouinciam redactam Armeniæ adſcripſit: & ex ea & Balbitena, quartam Armaniam fecit, quod docet *Nouella eius 31. cap. 1. §. 3.* vbi τζοφανηνὴ, vel τζοφανὴ, recte ex illius æui vſu ſcribitur, quomodo & Euſtathius *in Dionyſium* τζοφανὴν vocat; qui taman Iuſtino id tribuit: vnde Σοφανήνην Armeniam vocat Procopius, vbi Martyropolis ciuitas erat, *lib. 3. περὶ κτισμάτων cap 2. initio.*

Ex *hac* ſane quoque *leg.* vt ax *Notitia Sconbouiana*, & *Claudiano* diſcimus, eam in prouinciæ Romanæ formam, & formulam redactam: Et quanquam ſuo peculiari quodam iure haberetur, attamen decernendi ius in ea habuiſſe Theodoſium M. Ait enim is *hic* verbis imperatiuis, ad Satrapam aius ſcribens: *Aurum Coronarium his reddi reſtituique* DECERNIMVS. Item, *Romano Imperio debuiſſe.* Inde Satrapæ eius, vt & aliarum Satrapiarum, veluti Balbitenæ, & ſimilium, ibi, *omnes Satrapæ*, Aurum coronarium ſeu coronam Imperio Rom. debebânt: Quam ax propriis facultatibus ſuis mitti voluit, & vero vult *hac l.* Theodoſius Imp. proculdubio, quod iis Satrapias illas reliquiſſet: non vero a Sophenæ prouincialibus exigi ſeu colligi. Denique Satrapas ipſos, tanquam in ſignum recognitionis coronam ex propriis facultatibus ſibi offerre voluit, ac nominatim Satrapam *Sophana* ſeu *Sophanenæ*. Nam, vt eo redeamus, cum cæteri ferme *Sophanen*, vel *Sophenem*, vocent, Arrianus vt obſeruat Stephanus *loc. cit.* τετρασυλλάβως *Sophaninen* vocat: quomodo & *hac l. Sophanene* vocatur, & ab Eutropio, *lib. 6. cap. 11.* eiusque interprete Pæanio: vbi Tigrani a Pompeio ademptam *Syriam, Phœnicen, Sophanenen* ait: & a Procopio 3. περὶ κτισμάτ. *cap. 2.* Quanquam in *l. vlt. Cod. Iuſt. de off. Magiſtri milit.* *Sophonena* diſtingui videri poſſet. Ea vero pauln poſt Romano Imperio detracta fuit: quare nulla eius mentio in *Notitia imperii*, quæ ſub Theodoſio Iun. conſcripta fuit A D. 427.

Ex *hac l.* interim, vt dixi, recte colligitur, Satrapas hos, hoc æuo quosdam fuiſſe Romano Imperio ſubditos, deuotos: & hactenus Satraparum nomen hac tempeſtate ibi ſtetiſſe: Nondum enim Satrapæ a conſiliis Imperatori Romano fuerunt, quod tamen vulgata Conſtantini Donatio præfert: Nondum Satrapæ in obſequio & miniſterin eorum; quod tamen facit Auctor vitæ Athanaſii. Tandem neque huc faciunt Satrapæ, quorum non vua mentio fit apud Sidonium Apollinarem: Illi enim Perſarum Imperii fuere.

Vt ad *huius leg.* ſententiam redeamus: Noluit Theodoſius M. ex his Satrapiis, ac nominatim Sofanenæ, colligi aurum coronarium, verum Satrapas ipſos Coronam ex propriis facultatibus dare: Et quia contrarium factum fuerat, & inlicite exactum a Sophanenis, id his reddi reſtituique iubet.

DE HIRENARCHIS.

P. 609.

TITVLVS XIV.

LIB. X. COD. IVST. TIT. LXXV.

De his agitur quoque *lege vlt. ſupr. de patrocin. vicorum: l. vlt. ſupr. de iure fiſci: leg. 21. ſupr. de diu. officiis.* Dicuntur Hirenarchæ *hac leg. vn.* & *d. l. vlt. de iure fiſci* & *d. leg. vlt.* de *patrocin. vicor.* Irenarchæ *d. l. 21. de diu offic.*

I. (a) Imp. Honorius & THEOD. AA. Anthemio PF. P. (b).

HIRENARCHARVM vocabula, (c) quæ adſimulata (d) prouincialium tutela, quietis ac pacis per ſingula territoria (e) haud ſinunt ſtari (f) concordiam, radicitus amputanda (g) ſunt. Ceſſet igitur genus perniciosum Reipublicæ: ceſſet Reſcriptorum

rum Hirenarchas circiter (h) inconuulſa (i) ſimplicitas: Et Celſitudinis Tuæ ſedes (k) prouinciarum defendenda (l) ſuſcipiat, (m) pacis huiusmodi locupletioribus commiſſura præſidia. Dat. VIII. Kal. Ian. Conſtantinop. Honor. VIII. & Theod. III. AA. Coss. [409.]

NOTAE.

(a) *Lex vn. Cod. Iuſt. eod. tit.* hinc interpolata eſt, & in contrarium plane ſenſum detorta. *GOTHOFR.*
(b) *Anthemius*, PP. Orientis ſub Theodoſio Iun. vid. *Proſopogr. ID.*
(c) *Vocabula* Irenarcharum, pro ipſis Irenarchis, quomodo, *nomina* Principum, pro Principibus ipſis. vid. vel *leg. vn. ſupr. ſi quis Imp. maledix. ID.*
(d) *Adſimulata*, pro ſimplici, *ſimulata*. vid. *Gloſſ. Theod. ID.*
(e) *Territoria* ciuitatum. *ID.*
(f) *γρ. Stare. ID.*
(g) *Amputare*, pro *abolere. ID.*
(h) Inuerſa locutio. *ID.*
(i) *γρ. Inconſulta:* Nam quomodo *inconuulſa*, ſi Irenarchæ amputari ſeu ceſſare iubentur, & ſic conuelluntur? *ID.*
(k) *Sedes*, Præfecti Prætorio. *ID.*
(l) *Defendenda prouinciarum*, id eſt, ea quæ per prouincias defendi debent: ſic *cognoſcenda*, in *l. 129. de Decurionibus:* ſic proponenda, *l. 2. de Veteranis*, quibus locis dixi. *ID.*
(m) Per ſingula territoria. *ID.*

COMMENTARIVS.

HIRENARCHIS (qui viri erant militares) abolitis, locupletioribus per prouincias & ciuitatum territoria, pacis præſidia ſeu tuitionem a Præfecto Prætorio committi iubet *hac l.* Theodoſius Iun. non etiam Honorius, etſi nomen eius pro more *huic leg.* inſcriptum ſit. *Irenarcharum*, præter *hanc leg.* ſit mentio quoque *tribus* inſuper *aliis*, & quidem eiuſdem Theodoſii conſtitutionibus; puta *l. vlt. ſupr. de patrocin. vicor. l. vlt. ſupr. de iur. fiſci: l. 21. de diuerſ. offic.* (nam quod *Præpoſitos pagis* attinet, qui alicubi perperam *Præpoſiti pacis* dicuntur: alii plane ab his ſunt, vt alibi plene dixi: quos tamen Amaya quoque nuper cum his confundebat.) In *Digeſtis* vero, duobus tantum locis, puta *leg. 6. D. de cuſtod. reor.* & *leg. 18.* ſeu *vlt. §. 7. D. de munerib.* non vero in *leg. 11. D. de cuſtod. reor.* quod ſcribit Amaya. Fuere autem Irenarchæ, qui in id conſtituti erant, vt prouincialium tutela ſuſcepta, quietis & pacis per ſingula territoria concordiam ſtare facerent, quod *hac l.* diſerte dicitur: ſeu qui diſciplinæ publicæ & corrigendis *motibus* (non *moribus*) præficiebantur, vt ait *d. lex vlt. § 7.* Mentio fit & in veteri Inſcriptione Græca apud Gruterum *CCCCXLVIII. 1.* ΕΙΡΗΝΑΡΧΟΥ ΤΗΣ ΜΗΤΡΟΠΟΛΕΩΣ ΑΓΚΥΡΑΣ. Quare muneris eorum fuit, *latrones* adprehendere, eosque de ſociis & receptatoribus interrogare, & elogiis ſeu notoriis ſcriptis, ad cognitionem Magiſtratus mittere *d. l. 6. D. de cuſtod. reorum.* Latrunculatores λῃστοδιῶκται, βιοκωλύται, ἀφοπλισταὶ his haud abſimiles, quorum multa mentio in *Nouellis Iuſtiniani.* Horum mentio quoque apud Euſebium *lib. 4. hiſt. eccleſ. c. 15.* vbi *Præfectum pacis* vertit Rufinus. Libanius quoque *Ep. ad Modeſtum 100.* & ad *Vrbanum 101.* & ad *Firminum 446.* meminit *Zenobii* cujusdam qui Eluſæ erat τεταγμένος εἰρήνης φύλαξ, *pacis cuſtos conſtitutus, d. ep. 100.* ſeu, ut *d. ep. 101.* εἰρήνης ἐν Ἐλούσῃ προστάς, *paci Eluſæ tuendæ incumbens*, quem ait *d. ep. 100* μάλιστα φρουρήσαντα τὴν πόλιν, *urbem egregie tuentem*, loco ſuo deturbatum fuiſſe ab improbo inſidiatore, ἀπὸ τοῦ ἐπιθέματος τῆς τάξεως. Græci apud Cuiacium ad *leg. 9. Cod. Iuſt. de iure fiſci*, eos ita deſcribunt: εἰρηνάρ-
P.610. χαι, οἱ τῆς τοῦ δήμου εὐταξίας ἐπιστατοῦντες. Gloſſæ Græco Latinæ, εἰρηνάρχης *pacator*, *Irenarcha.*

De iiſdem ſenſit & Auguſtinus *ep. 159. 160.* ſiv. *133. 134. Edit. Benedictin. Illorum*, inquit, *notoria, ad quos tuenda publicæ pacis vigilantia pertinebat.* Quod vero Dionyſius, qui vulgo Areopagita, vel Michaël Syngelus in encomio Dionyſii, Salvatorem noſtrum *Irenarcham* vocat, non eodem prorſus ſenſu dicitur; verum quia is pacis noſtræ cum Deo ſequeſter eſt. Irenarchæ hi, *pacis adſertores* vocantur *Legum Viſigoth. lib. 2. tit. 1. leg. 16. & 26.* In foro Iudicum *Mandaderi de paz.* In ipſa vrbe Romæ ſimiles, *Pacerii*, quorum munus diſſenſiones ciuium ſedare *lib. 2. Statutorum V. R. c. 83. 85. 87. 89.* At Noſtri hi per territoria ciuitatum ſtatuti erant: ſunt igitur proprie, qui apud Gallos *Preuoſts des Mareſchaux.* Eoſdem vero cum *Stationariis* facio Irenarchas, quique ſub Irenarchis his erant: quorum fit mentio *l. 31. inf. de Epiſcopis: & l. 1. ſup. de Curioſis.* More ab Auguſto primum inſtituto, teſte Suetonio, *in vita eius, c. 32. Graſſatores*, inquit, *appoſitis per opportuna loca ſtationibus, inhibuit.* Et auxit Tiberius, eodem teſte, *c. 37. init. Imprimis tuendæ pacis a graſſaturis ac latrociniis ſeditionumque licentia curam habuit. Stationes militum per Italiam ſolito frequentiores diſpoſuit.* De iiſdem eſt & Iuuenalis locus *Satyra 3. v. 305.* De iiſdem & Tertullianus ſub Seuero Imp. *Apolog. c. 2. Latronibus veſtigandis per univerſas prouincias militaris ſtatio ſortitur.* Ergo iidem Irenarchæ & Stationarii, ſaltem qui Stationariis præerant, Græco enim vocabulo in Oriente *Irenarchæ*, qui alibi *Stationarii.* Ab his diuerſi, qui in ipſa vrbe Roma erant. Alii inquam milites ſtationarii poſiti, etſi eodem fine in ipſa vrbe Roma: quorum fit mentio *l. 1. § 12. D. de off. P V.* Diuerſi Curioſi, & Frumentarii, de quibus *tit. de curſu publico.* Diuerſi prorſus Limenarchæ, de quibus *l. 4. D de fugitiv. & l. 18. §. 10. D. de munerib. & honor.* & portuum litorumque cuſtodes; de quibus *tit. de litor. & itin. cuſtod.* Denique toto cœlo diuerſi Defenſores ciuitatum. Quos tamen omnes Amaya cum his Irenarchis perperam commiſcuit. Qui & neſcio quid de Quæſtore a Iuſtiniano inſtituto *Nouella 80.* hic male adſpergit. (a)

Hi vero Irenarchæ noſtri in vſu fuere etiam Chriſtianorum Imperatorum, quorum conſtitutiones

(a) De *Irenarchis* vide differentem CVIACIVM *ad leg. 9. Cod. I. de iur. fiſci*, & Obſeruationum. I. 33. & Cl. du FRESNE in *Gloſſar.* vtroque, qui tamen male *præpoſitos pacis* ex *leg. 49.* de Decur. ſupr. huc transfert, cum ibi πάγαρχοι intelligendi ſint.

nes *hoc Codice* continentur, temporibus: de quibus, vt dixi ſunt & Auguſtini loca. Erant autem hi *Militares* viri, quod etiam ex Amm. Marcell. diſcimus *lib. 21. cap. 3. Capto*, inquit, *a militibus ſtationariis Notario, quem miſerat ad Conſtantium, ſcrutatoque ſi quid portaret, epiſtola eius reperta eſt.*

Verum, vt ad *huius l.* ſententiam nunc deſcendamus, cum Irenarchæ iſti terribiles iam forent & pernicioſi, primique ipſi quietis ac pacis per ſingula ciuitatum ſc. territoria concordiam ſtare haud ſinerent, Theodoſio Iun. radicitus eos amputare, vt ipſe loquitur, eſt viſum: *Militares* ſc. *viros*, qui irenarcharum munera fungebantur, cum nihil minus aſſent quam pacis cuſtodes; At munere ipſo *εἰρηναρχίας* non ideo ſublato: ſed tantum hominum genere, e quibus Irenarchæ deinceps ſumerentur, iisque qui nominandi eos ius haberent, immutatis: vult ſc. Theodoſius Iun. vt deinceps Præfectus Prætorio ſuſcepta prouinciarum defenſione pacis præſidium ſeu *εἰρηναρχίαν* per ciuitatum territoria locupletioribus committat, eosque Irenarchas conſtituit: Proculdubio enim viles hactenus homines, paupertate ipſa ad rapacitatem proni cinguloque militari tumidi, hoc munus obibant: atque ita rapinis infames. Id inquam, vult Theodoſius Iun. *hac l.*

Et ſane ſtetiſſe quoque deinceps Irenarchas, docent tres illæ quas dixi eiusdem Imperatoris conſtitutiones, *hac l.* poſteriores: puta *lex vlt. ſup. de patrocin. vicor. l. vlt. ſup. de iure fiſci: lex 21. ſup. de diu. offic.* Et deinceps etiam poſt *hanc leg.* Irenarchias munus inter cætera miniſteria publica, quæ a Vicanis ſuſtinebantur, fuit: quod docet *d. l. vlt. ſup. de patrociniis vicorum.* Sic quidem etiam, vt certo caſu Irenarchæ ipſius Principis manu ordinarentur, quod diſcimus ex *d. l. 21. de diu. offic.* cum alioquin *hac l.* id Præfecto Prætorio iniungatur. Denique ad hanc omnem Irenarchas creandi formam & formulam, reſpexiſſe puto eundem Theodoſium Iun. *d. l. vlt. ſup. de iure fiſci.* Et hæc quidem de *huius l.* ſententia. A qua in totum abiit Tribonianus interpolatione ſua. Nam & contra quam hic dicitur, Irenarchas *adſimulata prouincialium tutela, quietis ac pacis per ſingula territoria, haud fuiſſe tum ſtare concordiam:* nempe id ita memorans de facto: Tribonianus contra legitimum eorum vſum hic deſcribit, nempe Irenarchas *ad prouinciarum tutelam quietis ac pacis per ſingula territoria facere ſtare concordiam.* Deinde, quod ius eligendi attinet, vult Tribonianus *Irenarchas a Decurionibus* iudicio Præſidum prouinciarum idoneos nominari: cum contra, Theodoſius id Præfecto Prætorio iniungat. Vbi interim triplicem nominandorum ſeu ordinandorum Irenarcharum formam obſeruare licet: puta 1. a Præfectis Prætorio: 2. a Principe ipſo. 3. & a Decurionibus Præſidibusque prouinciarum. Quod *Decuriones* attinet, ſane Decuriones ipſi quoque latronibus quandoque inueſtigandis operam nauauere: quod diſcimus ex famoſa *l. 13. Cod. Iuſt. de fideiuſſoribus*, de cuius *leg.* ſententia, contra communem errorem, dixi ad *l. 1. ſup. de his qui latrones.* Et certe ideo quoque *hic titulus* de *Irenarchis* hoc loco poſitus eſt, in cenſu videl. *titulorum* ad Decuriones pertinentium, quod munus iſtud locupletioribus, atque adeo & Decurionibus, qui locupletiſſimi ferme erant in vrbibus, imponeretur.

P. 611.

DE CENTVRIONIBVS.

T I T V L V S XV.

Abeſt hic *Titulus* a *Cod. Iuſtin.*

I. (a) Impp. Arcad. & HONOR. AA. Vincentio PF. P. (b)

HAc auctoritate (c) ſancimus, Vt quicumque Centurionum corpus deſeruit, nullis dignitatum priuilegiis excuſatus, debitum munus ſubire cogatur. Dat. Id. Septembr. (d) Med. Theodoro v. c. Cons. [399.]

N O T A E.

(a) Abeſt hæc *lex* a *Cod. Iuſt.* vna cum ipſo *Titulo.* GOTHOFR.

(b) *Vincentius* PP. Galliarum ſcil. vt exerte docent vel *tres leges infr. tit. de his qui condit. propriam:* vbi dicam: vide *Proſopogr.* ID.

(c) *Auctoritate*, ideſt, legis auctoritate. *Auctoritas* hoc ſenſu pro Principis conſtitutione *h. l.* & *l. 1. infr. de his qui condit. propr. l. 14. ſupr. de indulg. debit.* Quomodo & apud Symmachum & alias vſurpatur: de quo Iuretus *in Symm. lib. 7. ep. 122.* v. & *Gloſſ. Theod.* ID.

(d) *13. Decembr.* vid. *Chronolog.* ID.

C O M M E N T A R I V S.

DE Centvrionibvs eſt *hac lex* Honorii Imp. & quidem ad Gallias pertinens: deque iisdem eſt & altera eiusdem Honorii *lex 156. ſupr. de Decurionibus.* Quinam vero *Centuriones* fuerint? obſcurum admodum eſt: Neque enim Centuriones hic accipiendi ſunt, qui in militia armata: non etiam illi, qui inter Officiales Iudicum fuere, de quibus Conſtantinus M. *l. 1. ſupr. de offic. Rect. prou.* Verum certum Corpus (quomodo hic vocatur *Centurionum Corpus*) fuit in Municipiis, debita *patria* munera & perſonalia & ciuilia implentium: quomodo in *fine leg.* dicitur eos *debitum munus ſubire:* pariter vt cæte-

cæteri omnes, de quibus *hoc libro* agitur: veluti (1.) *Decuriones*, de quibus, *titulis quinque priorib.* (2) Suſceptores, *tit. 6. h. lib.* (3.) Ponderatores, *tit. 7. hoc lib.* (4.) Proſecutores, *tit. 8.* cuius appendix *titulus 9.* Exactores, Curioſi, horreorum Cuſtodes *tit. 10. huius lib.* (5.) Curatores Kalendarii, *tit. 11.* (6.) Legati *tit. 12.* cuius appendix eſt *tit. 13.* (7.) Hirenarchæ, *tit. 14.* Mancipes, *tit. 16.* Quare diſerte iunguntur cum ordinibus, Collegiis, aliisque Corporatis, vbicumque, cuiuscunque muneris vel officii, *d. l. 156.* Quod quidem *primum* eſt, quod de his Centurionibus notandum eſt.

Secundo diſcimus ex *hac leg.* & *d. l. 15.* illigatos fuiſſe huic officio ſuo: Et ideo hoc corpus, ſeu hoc munus multos deſeruiſſe ſeu detrectaſſe, pariter vt alia Corpora alii detrectabant, & vt detrectarent ad *Dignitates* adſpiraſſe, Teſtimoniales honoris impetraſſe; vt ita, inquam, Dignitatum priuilegiis ab hoc Corpore & debito munere excuſarentur: Cui *hac leg.* occurrit Honorius; pariter vt Curialium & Collegiatorum fugæ per easdem Gallias Anno prox. 400. conſtitutione ad eundem Vincentium PP. Galliarum data, cuius tres partes extant *infra tit. ultim. de his qui condit. propr.* Item Colonorum fugæ; *l. 13. C. Iuſt. de Agricol. & cenſit.* Militum *l. 10. ſupr. de deſertorib.* quæ & ipſæ datæ ſunt eodem Anno 400. ad eundem *Vincentium P. P. Galliarum*; Nempe is hac tempeſtate & miſerrimus Imperii Rom. ac nominatim etiam Galliarum ſtatus fuit, vt plerique attriti nimium, conditione ſua relicta, alio ſeſe conferrent, ſeu ad alium ſtatum; Quod ruituri mox per Gallias Imperii præambulum fuit. Denique vt & Ciuitates miniſteriis deſtitutæ, ſplendorem quo pridem nituerant, amitterent: quod diſerte dicit Honorius *d. l. 1. infr. de his qui condit. propr.* & cultoribus propriis ſeu colonis, fundi deſtituerentur: quo pertinet *d. lex. 13.* & Gallicani limitis ſecuritas & cuſtodia deſtitueretur, iis, qui militiæ debebantur, militiam deſerentibus: quo ſpectat *d. lex 10.*

Hæc, inquam, hactenus de his Centurionibus, ex *hac leg.* & *d. l 156.* diſcimus. Neque aliunde ſcire liquido poſſumus, quidnam eorum muneris fuerit; etſi munus ciuile perſonale fuiſſe, totius quoque *huius libri* argumentum oſtendat. Cuius etiam muneris nulla mentio extat in recenſu munerum Ciuilium perſonalium apud Hermogenianum, & Arcadium Chariſium in *lege 1.* & *l. 18. D. de munerib. & honorib.* cum tamen ibi memorentur cætera ferme, de quibus *hoc libro*: puta *Proſecutores, Curſus publici Curatores*, id eſt, *Curioſi, Exactores, Cuſtodes ædium, Curatores Kalendarii, Irenarchæ, Legati.* Forte hi ſunt, qui ſub Nyctoſtrategis erant in *d. l. 18. §. 12.* vbi proxime iunguntur cum Legatis: pariter vt hic haud procul. In Municipiis ſcil. Centuriones omnes vrbani milites, qui nocturnis vigiliis & excubiis præerant: cum alias Nyctoſtrategus & in Vrbe Roma, & Alexandriæ Νυκτοστρατηγὸς eorum Præfectus diceretur, vel Νυκτέπαρχος. vid. *tit. D. de offic. Præf. Vigil.* & Strabonem *Geograph. lib. 17. pag. 1148. Edit. Almeloveen.* & *Nouell. Iuſtin. 13.* At in municipiis *Centuriones* omnes huiusmodi milites municipales: quomodo & in Militia Armata, Palatina Centurionum munus id erat, vigilias obire: de quo Tacitus *in Annalib. 15. cap. 30.* & *lib. 2. hiſt. cap. 29.* & Irenarchis hic Centuriones iunguntur, quis vt illis pacis cura incumbebat, ita & his pacis nocturnæ ſolicitudo: ſic & *Centurionem rerum nitentium* apud Amm. Marcell. *lib. 16. cap. 6.* Vir doctisſimus Valeſius *pag. 130. Edit. Gronou.* interpretatur, qui ſignorum ac ſtatuarum ex ære ac marmore in Vrbe curam gerebat, noctuque cum militibus obſeruabat, ne quis ea confringeret aut mutilaret.

DE MANCIPIBVS.

T I T V L V S XVI.

Abeſt hic *Titulus* a *Cod. Iuſtin.*

I. (a) Imppp. VALENTINIANVS, THEOD. & Arcad. AAA. Albino P. V. (b) Rom.

QVICVMQVE vel Reſcribti aduerſus veteres ſanctiones ſubreptiua defenſione (c) munitur, vel de minuſculis Corporibus, aut certe otioſis, idoneus adprobatur, functioni Mancipatus eſt addicendus. Dat. XVII. Kal. Septemb. Rom. Timaſio & Promoto Coss. [389.]

N O T A E.

(a) Abeſt *hæc lex* a *C. Iuſt.* Iungenda autem *huic legi* eſt *lex 11. ſup. de maleficis & mathem.* GOTHOFR.

(b) *Albino* huic P. V. variæ hoc tempore conſtitutiones inſcribuntur: de quo mox, v. & *Proſopogr.* *ID.*

(c) Exceptione, immunitate, *ID*

C O M M E N T A R I V S.

DE MANCIPIBVS eſt hæc Valentiniano-Theodoſiana conſtitutio ad Albinum P. V. Romæ: dixi *Valentiniano-Theodoſiana*: Romam enim hoc tempore Theodoſius Imp. cum Valentiniano Iun. & Honorio F. poſt Maximum Tyrannum deuictum profectus eſt, vt docet Latinus Pacatus *ſub fin. Panegyrici* (quem hoc ipſo Anno 389. dixit,) & Socrates *lib. 5. cap. 14.* Sozomenus *lib. 7. c. 14.* Prudentius *lib. 2. adu. Symmachum*, & Claudianus, *in 6. Conſul. Honorii. v. 57. ſqq.* Idacius Sirmondi *An. Theodoſ. XI.* Et quidem iam inde a menſe Iunio: quod tradit Marcell. *Chronico*: & Chron. Alexandr, *bis COSS.* Id vero docent

quoque variæ conſtitutiones *huius Codicis*: ita quidem vt illud oſtendant trimeſtri ferme ibi eos egiſſe, menſe videlicet Iunio, Iulio, Auguſto. Quo quidem tempore Theodoſius & Valentinianus vrbi Romæ plurimum conſuluerunt, quod etiam diſerte teſtatur Pacatus *Panegyrico d. c. vlt.* tum in negotio Religionis, vt docet *lex 18. inf. de hæreticis*: *l. 2 ſup. de feriis*: tum in ciuilibus quamplurimis: partim Iudiciorum ordinem ſpectantibus, *d. l. 2 ſup. de feriis*: *l. 49. ſup. de appellat.* partim vero criminalibus: quo ſpectat *lex 11. ſup. de maleficis*: (quæ ex eadem conſtitutione deſumpta huic noſtræ iungenda eſt, & de qua mox plura:) quod etiam teſtatur Socrates *lib. 5. c. 18* Tandem, ad Annonam & ornatum voluptatemque Vrbis ſpectantibus: quo pertinet *lex 5. 6. inf. de Suariis*: *lex 5. inf. de aquaductu*: Tandem & *lex* hæc noſtra: Quæ pariter vt omnes illæ *leges*, Albino P. V. Romæ inſcribuntur.

De quibusnam autem *Mancipibus* hæc *lex* exaudienda ſit quæri poteſt. Fuerunt enim *Mancipes* varii generis. Fuerunt *Mancipes* iidem cum Piſtoribus: Quo ſenſu *Mancipes* dicuntur *l. 18. inf. de Piſtorib. l. 2. 3. inf. de frum. V. Conſt. l. 4. ſup. de executoribus.* vnde & miniſterium ipſum dicebatur *Mancipatus*, *d. l. 18.* Socrates *lib. 5. c. 18.* loco (qui *huic l.* omnino aptandus videtur,) ἦσαν ἐξ ἀρχαίου κατὰ τὴν μεγίστην Ῥώμην οἶκοι παμμεγέθεις, ἐν οἷς ὁ τῇ πόλει χορηγούμενος ἄρτος ἐγίνετο. οἵ τε προεστάμενοι τούτων, οἱ Μάγκιπες τῇ Ῥωμαίων γλώσσῃ καλοῦνται: *erant in vrbe roma ædes ampliſſimæ a priſcis temporibus ædificata, in quibus panis fiebat. qui ciuibus diuidebatur. Harum ædium præpoſiti, quos Romani patrio ſermone mancipes vocant.* Voxque ea non ſemel a Græcis vſurpata; quia & quos Iuſtinianus *Nouella 80. c. 5.* προεστῶτες τῶν ἀρτοποιητικῶν ἐργαστηρίων nominat, Mancipes hos intelligit. Quin & Piſtrinum ipſum *mancipium* dictum. Suidas, Ἀρτοπωλεῖον τὸ μαγκιπεῖον, ἐν ᾧ οἱ ἄρτοι γίνονται: *Artopoleum locus, in quo panes pinſuntur.*

De his igitur Mancipibus accipienda videatur *hæc lex*: Quandoquidem Socrates, *d. lib 5. c. 18.* memorat hoc tempore Theodoſium inter cætera quibus Romæ commodauit, ibi poſitum, poſt Maximum deuictum duplici dedecore Romam liberaſſe, quorum alterum iſtud fuerit, quod cum Romæ piſtrina ſeu officinæ Piſtorum λῃστήρια, ſeu latronum latibula facta, atque inibi multi, peregrini maxime, clam intercepti, ſeu *ſuppreſſi*, ſpoliati, piſtrino addicti fuiſſent, re intellecta Mancipes ipſos graui ſupplicio affecerit, & officinas ſeu piſtrina penitus diſturbauerit. γνοὺς ταῦτα ὁ βασιλεύς, τοὺς Μάγκιπας μὲν ἐτιμωρήσατο, τοὺς δὲ λῃστοδόχους οἴκους ἐκείνους καταστραφῆναι ἐκέλευσε: *quod cum imperator cognoſceret, mancipes quidem ipſos ſupplicio affecit, ædes vero, quæ latronum erant receptacula deſtrui iuſſit.* Quare de his Mancipibus eo argumento *hæc lex* ſumenda videatur.

P. 613. Sed & altero, ex coniunctione *legis 11. ſup. de maleficis*, quæ ex eadem conſtitutione deſumpta eſt: qua geminam plane ſeueritatem Theodoſius exerit in Agitatores, qui maleficæ artis conſcios clandeſtinis ſuppliciis pariter *ſupprimerent*. Quod ſi ita eſt, tum dicendum foret, iis quæ dixi in *Mancipes*, id eſt, Piſtores conſtitutis, ſupplicioque de Mancipibus ſumpto, cum mancipum iam inopia eſſet, Theodoſium ad *hanc leg.* deſcendiſſe, vt aliunde vacuatum Corpus redintegraret: reuocatis ad eam functionem mancipatus iis, qui perperam etiam *Reſcriptis* ab hac functione liberati fuerant: Quod ſane ante triennium Valentinianus Iun. diſerte ſtatuit *d. l. 18. ſup. de Piſtoribus*: vbi *mancipum* etiam & *mancipatus* vox vſurpatur. Et his quidem argumentis videri poſſit Mancipes hic pro Piſtoribus accipiendos

Sed tamen cum & alia Mancipum genera Romæ fuerint, videri poſſit *hæc lex* non minus de iis accipienda. Nempe fuerunt & *Mancipes thermarum* ſeu *ſalinarum*, qui videl. Romæ exhibitionem Thermarum curabant; de quibus ſuo titulo *inf. lib. 14. l. vn. de mancipibus thermarum*: & *l. 3. ſup. de collat. donatar.* & Symmachus, *lib. 10. ep. 58. Auctarii ep. 19.* De his inquam Mancipibus hæc *lex* accipienda videatur: & quidem fortiſſimo argumento, ex Symmacho deſumpto *lib. 10. ep. 58.* quæ omnino cum *hac l.* argumento pariat: ſic enim ille cum P. V. exiſteret, (A. 384. vel 385.) ad Theodoſium Imp. (ſic enim habet inſcriptio) ſcribit. *Cum Mancipes*, inquit, *ſalinarum magno ex numero ad paucos redacti, neceſſitatis publicæ molem ferre non poſſent, delata ſupplicatione meruerunt, vt his, qui decreti atque* EXCVSATI *ante fuerant, redderentur, &* EX ALIIS CORPORIBVS, *ſeu* VACANTIBVS, *iuſta ſupplementa incunctanter acciperent D. Imp. Allegata igitur præceptione diuina, cum pleroſque conſortia ſua ante decretos muniri Macedonii ſuffragio reperiſſent, Relationem ſuper eorum muniminibus impetrarunt: veſtræ enim tantum clementiæ liberum eſt, inique elicita* RESCRIPTA *reſcindere.* Et poſt alia, quæ addit de Nauiculariis ad Mancipatus functionem a mancipibus vocatis, ſubiicit: *Nunc perennitatis veſtræ ſtabilem cenſionem publica cauſa depoſcit, ne* OBREPTIVIS *ſupplicationibus ſubſidia integrati Corporis ſubruantur &c. Erit iam ſacroſancti numinis veſtri illorum antiquare ſuffragia, quos oſtenditur ambitus liberaſſe.* Hactenus Symmachi locus: Qui omnino cum *hac l.* pariat: Nam vt *hac l.* ita & eo loco agitur de Mancipibus excuſatis a mancipatu obreptitiis ſupplicationibus & Reſcriptis: Rurſum vt *hac l.* ita & eo loco agitur de reuocandis iis ad functionem Mancipatus, reſciſſis Reſcriptis illis inique elicitis, & inſuper aliis ei functioni vel Corpori addicendis ex aliis Corporibus, vel vacantibus. Quod ipſum omnino eſt quod *hac l.* conſtituitur. Quare eo pertinere videatur omnino *hac lex*: Quod ſi ita eſt, tum dicendum fuerit, dilatum ad ſuperiorem Symmachi Relationem, reſponſum Imperatoris, nunc demum proceſſiſſe, cum idem rurſum *Albinus P. V.* poſt Symmachum vt ſiſſet, & Imp. ipſe iam Romæ conſtitutus infrequentiam Mancipum vidiſſet.

Et in hac ſane ſententia hærendum puto: Quæ ſi vera eſt, tum inter næuos huius Cod. Conditorum, *huius tit.* ſeu *legis* poſitio ponenda fuerit, quæ ſane *ſuo tit. inf. de mancipib. Thermarum*, reddenda erat, & in alium *librum* coniicienda, quam in *hunc*, vbi agitur de muneribus municipalibus, inter quæ alioquin erat & calefactio Thermarum ſeu balnei publici, *l. 1. & 18. § 5. D. de munerib.* Verum de omnibus Mancipibus, etiam Piſtorum, *hanc leg.* quoque accipiam.

Interim ex *hac leg.* & *prædicto* Symmachi *loco*, exemplum habemus redintegrati Corporis, non tantum

tum

tum reuocatis eis, qui perperam excuſati fuerant; verum etiam ſuppleti ex aliis Corporibus, & quidem minuſculis, vel certe otioſis: Et quidem redintegrati ſeu ſuppleti Corporis Romæ: quomodo etiam *lex vn. de Equeſtri dign.* & *l.1. de ſtud. lib V.R.* oſtendunt, peregrinos Romæ agentes Corporibus ibi & Corporatis quandoque adnexos: ſic extra vrbem quoque Gratianus ordinem Nauiculariorum ampliari hominum adiectione cupiens, quoſcunque vacuos publico officio in complexum ordinis Nauicularii applicari voluit; *l.3 inf. de naufragiis*: ſic Theodoſ. M. & Honorius Vacantes, & nulla veterum diſpoſitione vllius Corporis ſocietate coniunctos, Curiæ atque Collegiis ſingularum vrbium ſubiugari voluerunt: *l.137.178 ſup. de Decurionib.* ſed & idem Theodoſius M. ſupplementa militiæ agitari voluit ex vagis vacantibus, *l.3. ſup. de Tabulariis.*

Porro, qui *Otioſi* hac *leg.* vocantur Vacantes, *d. l. 178.* & *d. l.3. de Tabular.* Vacui publico officio, *d. l.3. de naufrag.* Apud Symmachum quoque *vacantes lib. 10. ep.58.* Suidas, βακάντης ὁ σχολαστής: *vacans a negotiis, otioſus.* Βακαντίβη apud Syneſium *ep.67. ad Theophilum pag. 216. Edit. Petau.* quam vocem ſollicitari ibi nolo, quod faciunt nonnulli, mutata ea in βακάντας. Nam & ipſe Syneſius Barbaram etſi vocem, attamen in Republ. vſitatam ſcribit, συνηθεστέραν ἐν πολιτείᾳ φωνήν. Sed & Lampridius in *Alexandro Seuero cap 15. Iureiurando deinde conſtrinxit, ne quem adſcriptum, id eſt, Vacantiuum haberet.* Quod ibi recte tuetur Meurſius *in Gloſſ.* & Salmaſius. Pollio in eadem re *de Baliſta*: *vacantem* dixit. Gloſſæ quoque iuris, βακαντίβων, ἀργόν: & in lit. γ γακαντίβων, (pro βακαντίβων) ἀργῶν. Suidas: βακάντιβος. σχολαστής, μὴ παραμένων τῷ πράγματι αὐτοῦ: *Vacantiuus: otio deditus: qui in negotiis inceptis non conſtanter perſeuerat.* Theodorus Prodromus in *Lexico*, βακάντιβος, σχολαστικός. De Comitibus tandem vacantibus ſunt *ſup. lex vn. de Comitib. vacantib.* (*)

(*) Adde etiam CL. DV FRESNE *in Gloſſario vtroque.*

P.614. DE HIS QVI NVMERO LIBERORVM, VEL PAVPERTATE EXCVSATIONEM MERVERINT.

TITVLVS XVII.

LIB. X. COD. IVST. TIT. LI.

1. (a) Imp. CONSTANTINVS A. Dalmatio. (b)

QVONIAM cognouimus, nonnullos vacationem a nobis perſonalium munerum impetraſſe, alienos pro ſuis *liberis* (c) noſtris conſpectibus offerentes, iubemus, eos, cum hoc probatum ſit (d) indulto beneficio priuari: Eos autem, qui cuiuſcumque ſexus liberos quinque habeant, (e) impetrata ſemel vacatione potiri, ita vt ſi in hoc numero filius legitimæ (f) ætatis inueniatur, obeundis ſtatim pro ſuo patre muneribus adplicetur: patribus qui filios vel filias quinque habuerint promiſſa legibus † immunitate ſeruanda. Quod ſi quis propter *cenſum tenuem* (g) vacationem meruerit, atque hoc probauerit, beneficio potiatur, ſi (h) propter rerum anguſtias ad perſonalia vocabatur (i) obſequia. Dat. XIV. Kal. Feb. Sirmio, Criſpo III. & Conſtatino II. Coss. [324.]

NOTAE.

(a) *Lex vlt. Cod. Iuſt. eod. tit* hinc deſumpta eſt: priore *huius l.* ſententia, ceu hiſtorica, omiſſa: quæ tamen ad intellectum eius plurimum facit. GOTHOFR.
(b) De *Dalmatio* hoc plene in *Proſopograph. ID.*
(c) Suſtineri poteſt: malim tamen, *liberos. ID.*
(d) Probatum fuerit. *ID.*
(e) Reuera. *ID.*
(f) Ideſt maior 25. annis. *ID.*
† Legem Iuliam & Papiam intelligit: de qua mox. *ID.*
(g) *Tenuiorem*, Cod. Iuſt. *ID*
(h) De hoc in Comment. *Nec propter rerum anguſtias ad perſonalia vocetur obſequia*: ita Triſter: de quo mox. *ID.*
(i) *Vocabitur. ID.*

COMMENTARIVS.

DE VACATIONE ſeu EXCVSATIONE a muneribus perſonalibus, duabus de cauſis, puta ob numerum *Liberorum* quinque videlicet, & ob *Paupertatem*, eſt hæc Conſtantini Magni conſtitutio: Eo partim fine, ne eius Vocationis obtentu, Reipublicæ, muneribusque publicis fraus fiat: vicecerſa, vt vacationes iſtæ iure ſeu legitime impetratæ, firmentur.

Idque conſtitutione data ad *Dalmatium*, Cenſorem, ſcilicet, ſiue fratrem ſuum, ſiue fratris filium quæ & ipſa *lex*, neſcio quid redulere videtur quod ad *Cenſoris* officium pertinet: de quo in *Proſopogr.* plene.

De vtraque vacatione ſeu Excuſatione, quam dixi, ſeparatim, & quidem ordine *legis* ſeruato.

Notum igitur primum, Vacationem a muneri-

 bus

bus perſonalibus tributam, ſeu promiſſam iam olim patribus ob *πολυπαιδίαν*, & quidem ob numerum quinque liberorum, vt hic quoque diſerte exprimitur, per prouincias: idque nominatim *Legibus* cautum, quod hæc *lex* diſerte ait: *promiſſa*, inquit, *legibus immunitate ſeruanda.* *Legibus*, id eſt, lege *Iulia & Papia:* de quo etiam *titul. Cod. Iuſt. qui numero liberorum*, & altero *titul lib. 10. de his qui numero liberorum: leg. 18. D. de excuſat. leg. 1. 2. 8. 11. vltim. D. de vacation. & excuſation. muner.* & *princip. Inſtit. de excuſ.* & vetus Iuuenalis Scholiaſtes, *ad Satyram 9. v 90.* De quo nos iam olim ad *ipſam Legem Papiam* prolixe. Mutuato Iure a Lacedæmoniis, apud quos *lex* fuit, teſte Ariſtotele, *1. Polit. 9.* *τὸν μὲν γεννήσαντα υἱοὺς τέτταρας ἀτελῆ εἶναι πάντων: qui genuit quatuor filios ab omnibus oneribus liberum eſſe:* vel vt Ælianus, VI. *Var. 6.* ob quinque liberos, *τὸν παρεσχημένον υἱοὺς πέντε πασῶν τῶν λειτουργιῶν ἀφεῖσθαι, eum qui quinque filios ſuppeditat Reipublicæ, ab omnibus officiis publicis & ſumptibus immunitatem habere.*

Ad rem: Ergo ob numerum quinque liberorum
P.613. per prouincias, legibus vacatio munerum perſonalium parentibus promiſſa olim fuerat: Nam quod de 13. liberis cauetur *l. 55. ſup. de Decur.* id alio pertinet: de quo ad *eam leg.* ſic tamen, vt plena *fides fieret* Iudici, vel Principi (vt in ſpecie *huius l.*) de numero Liberorum: Principi, inquam, ſi eius copia eſſet. Neque enim admittenda eſt obſeruatio, etiam Cuiacii, Duareni, & Vertranii Mauri, vacationem promitti a *legibus*, impetrari vero a Principe, quam impetrationem velut non neceſſariam Theodoſius Iun. remittit, *l. 2. ſup. de iure liberorum.* Quid enim? An qui in prouinciis procul a Principe ſemoti eſſent, quamlibet liberis ſubnixi manifeſte, haud aliter hac vacatione potiri potuerint, quam ſi eam a Principe impetraſſent? Imo, ſtatim vt fidem Magiſtratui feciſſent de numero legitimo liberorum, *l. 1. D. de vacat. mun.* Quo ſane pertinebat quoque olim profeſſio in Acta, ſeu *παιδογραφίας*. Quid igitur? In ſpecie *huius l.* quidam liberis ſubnixi, & ad munera vocati, ad Principem prouocauerant, etiam tum præſentem & commeantem, atque adeo fide facta de liberis, vacationem a Principe ipſo impetrauerant: liberis ſuis forte conſpectui Principis oblatis. Quomodo & alias conſpectui Principis, ad mouendum eius affectum oblati liberi: vid. Suetonium, *Claudio, cap. 21.* Plinium, *Panegyr. c. 36.* numerusque liberorum cœteroquin Principes mouere ſolet: vid. *l. 57. §. 1. de ritu nupt.* Igitur quod de oblatis Principis conſpectui liberis, deque *impetrata ab eo vacatione*, ſeu indultu beneficio, *hac leg.* dicitur, id ita ad appellationem euenerat: & quia *probationem πολυπαιδίας*, ſeu fidem de numero liberorum fieri oportuerat: quo pertinet & *probandi* vox *hac leg.* Quod quidem etiam luculenter oſtendit *initium legis*, quod a Triboniano reciſum eſt: vbi agitur de his, qui falſo obtentu liberorum, vacationem impetrauerant: Nempe enim quod a Iudice ſperare non poterant, id per obreptionem a Principe impetrare conabantur, circumuenta eius religione, & ſic ambitione potius quam iuris ratione, vt loquitur *lex vlt. C. Iuſt. ſi tutor vel curator falſis alleg.* Denique nonniſi veris ac probatis cauſis impetratam vacationem a Principe valere iubet, pariter vt Theodoſius M. *leg. 135. ſup. de Decurionib.* ſeu *leg. vn. C. Iuſt. de his qui a Principe vacat. accep.* Quod autem *d. leg. 2. ſup. de iur. liber.* cauetur; id alium plane ſenſum habet: Ea quippe *leg.* ius liberorum omnibus *coniugibus* orbis, ſimul & ſemel communicatur: de quo ad *eam leg.* Nunc ad rem. Ergo ne huius vacationis obtentu fraus muneribus perſonalibus fieret, duplici cautela prouidet *hac leg.* Conſtant. M.

Primum ſc. vacationem ob liberos falſo ſuppoſitos tributam reuocari iubet: Vt contra, rite impetratam manere ratam fixamque vult. Nempe enim nonnulli tum vacationem impetrauerant, oblatis Principi alienis liberis, pro ſuis: Quæ quidem fraus & obreptio notanda, in quærendo ob *πολυπαιδίαν* legum priuilegio: quæ tamen non vltra punitur, quam vt vacatio impetrata reuocetur, ſeu vacatione non potiatur, qui eam impetrauit: Longe grauior vero pœna in altero obreptionis Principi genere in ſp. *legis vn. ſup. de his qui a non domino:* quæ eiusdem Conſtantini eſt: Gemina porro huic fraus illa eſt, qua ſimulatis olim adoptionibus fraus hanc in partem facta: quod de Claudii Imp. temporibus teſtatur Tacitus *Annal. 15. cap. 19.* vnde factum geminum ſub eo Senatusconſultum, *Ne ſimulata adoptio in vlla parte muneris publici iuuaret.* Eodemque pertinet *lex 2. §. 2. D. de vacat. mun.* Imo & ante ipſas Leges *Iulias* & *Papias:* enim & tum præmia parentibus aliqua propoſita fuiſſent, vt oſtendit P. Scipionis Oratio *de moribus* apud Gellium *lib. 5. c. 19.* Cui fraudum generi obuiam itum quoque olim, profeſſionibus & *παιδογραφίαις* quas dixi. In vniuerſum vero de immunitate, & quidem ſpeciatim a tutela, falſis allegationibus impetrata: vid. *tit. ſi tutor vel curator falſis allegat.*

Secundo, *ſubſtitui* filium legitimæ ætatis ſeu maiorem 25. annorum patri ob quinque liberos excuſato iubet Conſtantinus, vt ita pro patre ſtatim munia is ſubeat: quæ ſubſtitutio filii in patris excuſati locum tenenda eſt: qua Conſtantinus M. muneribus Rerum publicarum conſultum iuit, cum id antea non eſſet. Sane & alias ſæpe per ſubſtitutos, patriæ muneribus conſuli voluere Principes in locum eorum, qui a muneribus excuſarentur, de quo *ſup. tit. de Decurionib.* Et hæc de duplici cautela, ne obtentu *πολυπαιδίας*, munera perſonalia deſtituantur.

Sequitur de Excuſatione ob *Paupertatem.* Igitur vt alias quoque cenſus tenuitas ſeu paupertas, onerum patrimonialium vacationem tribuit, vt docet *lex 7. D. de excuſat. l. 4. § 2. D. de muneribus & honorib.* ita & *hac l.* Conſtantinus eam vacationem confirmat: Sub hac tamen cautela hæc immunitas olim tributa, vt iidem muneribus perſonalib. ſubiicerentur. Quod diſerte definitur *d. l. 4. §. 2.* Et vero id ipſum indicari extremis *huius l.* verbis, cuipiam videatur, quæ in *C. Iuſt.* diuerſimode leguntur. Mihi tamen potius mens ea eſt, Conſtantinum hoc velle, vt is cui vacatio ob tenuem cenſum tribuitur, plena immunitate potiatur: ſic, vt *ſi propter rerum anguſtias*, & penſandis muneri-

neribus patrimonialibus *ad perſonalia hactenus vocabatur obſequia*, id eſt perſonalib. muneribus ſubiectus fuit, vacatione pleniſſima & *beneficio deinceps potiatur*. De pauperibus ad Curiam non vocandis, plenius dixi ad *leg. 53. ſup. de Decurionib.* etiam ex Libanio.

p.616. # SI CVRIALIS RELICTA CIVITATE
RVS HABITARE MALVERIT.
TITVLVS XVIII.
LIB. X. COD. IVST. TIT. XXXVII.

I. (a) Impp. Valentinianus & VALENS AA. ad Tatianum PF. Ægypt. (b)

IVDICIARIO (c) omnes vigore conſtringes, ne vacuatis vrbibus ad agros magis, (d) quod frequenti Lege prohibetur, larem Curiales transferant familiarem. Data VI. Idib. Maii, Marcianopol. Lupicino, & Iouino Coss. [367.]

NOTAE.

(a) Abeſt hæc *lex* a *Cod. Iuſt.* prælata *l. 2. infr.* quæ expreſſior eſt, & perfectior. *GOTHOFR.*
(b) *Tatiani* huius PF. Ægypti ſeu Auguſtalis, meminit Auctor vitæ Athanaſii, Simeon Metaphraſtes, *p.* 89 & alius incertus Auctor *p.* 58. *Tom. I oper. Athanaſ. Edit. Lipſ ſiu. Colon. apud Weidm.* & Auctor vitæ Athanaſii apud *Photium Cod.* 258. *pag.* 1450. *Edit. Schotti.* Item Auctor Faſtaginis Alexandrinæ, quam edidit Scaliger *p.* 70 & quidem his ipſis Conſulibus & aliis, qui reſpondent A. 368. 370. 371. 374. 375. 376. 378. Sic vt Auguſtalem ſecundum fuiſſe oſtendat. Illud cum primis notandum, quod de eo notat, *eum introiuiſſe in Alexandriam primum Auguſtalium VI. Kal. Februaris, & quidem his ipſis* Coss. Item quod poſtea addit, eum *condidiſſe in Alexandria fluuium*, (ideſt, lauacrum vel Aquæductum) *qui vocatur Tatianus, & portas feciſſe auro perfuſas, quæ Auctoris æuo dicerentur Petrinæ. ID.*
(c) Iudiciario vigore, *hac l,* & *l ult. ſupr. de ſuperexact.* vid. de hac formula Iuretum *in Symmachi Ep.* 10. *lib.* 10. *ID.*
(d) *μᾶλλον* hæc vox *magis. ID.*

II. (a) Impp. ARCAD. (b) & Honor. AA. Eutychiano PF. P. (c) Poſt alia.

CVRIALES omnes iubemus interminatione moneri, Ne ciuitates fugiant, aut deſerant, rus habitandi cauſa: fundum quem ciuitati prætulerint ſcientes fiſco eſſe ſociandum, eoque rure eſſe (d) carituros, cuius cauſa impios ſe, vitando patriam, demonſtrarint. Dat. XVIII. Kal. Ian. Conſtantinop. Arcad. IV. & Honor. III. AA. Coss. [396.]

NOTAE.

(a) *Lex vn Cod. Iuſt. eod. tit. GOTHOFR.*
(b) Hanc leg. *Conſtantino* perperam tribuit Balduinus in *Conſtantino ſuo*, *lib.* 2. *p.* 128. & *pag* 85. *Edit. Halenſ. ID.*
(c) Orientis, cui multæ aliæ *leges* inſcribuntur: Verum de eo plene in *Proſopogr.* Huius meminit quoque Socrates *lib.* 6. *c.* 2. *in fin.* Quod Contius iam 2. *ſubſeciu.* indicauit. *ID.*
(d) *Se,* C. Iuſt. & forte hic reponendum *ſeſe*, vt ſæpe alias. *ID.*

COMMENTARIVS.

RVRIS habitationem derelicta vrbe Curialibus interdicunt *his duabus legibus* Valens Imperator & Arcadius: Quod & ante frequenter *Legibus* prohibitum idem Valens teſtatur: ſic quidem, vt Valens iudiciario vigore conſtringi omnes ad inhabitandam patriam velit, *leg. 1.* Arcadius vero nominatim fundum ſeu rus confiſcari iubeat, quo ſe Curialis derelicta patria contulerit.

Quod facinus etiam *impietati* deputat: *eoque rure eſſe carituros*, inquit, *cuius cauſa impios ſe, vitando patriam demonſtrarint.* Impius ſcilicet eſt, qui patriam vitat, ſeu fugit: Fugit inquam, vel lata fuga, impoſita munera ciuitatis & prouinciarum, deſerendo, de quo eſt *lex 8. ſupr. de contrahend. emption.* ſeu *lex penult. Cod. Iuſt. de reſcindend. vendit.* (cuius tamen ſpecies cum *hac* vulgo confunditur:) vel ſeceſſu in rus, larem fa- p.617 miliarem eo transferendo: Quæ ſpecies eſt *harum duarum legum:* Quæ & ipſa nihilominus fugæ ſpecies eſt, qua tum ornatus ciuitatum qui in Curialibus conſiſtebat, vt antea oſtendi, etiam ex *Libanio*, tum munera ciuitatum deſtituuntur.

Illud notandum, Valentis *legem 1.* pertinere nominatim, ad *Ægyptum*, cuius Præfecto Tatiano ea inſcribitur, (de quo *in notis* iam dixi:) Quo argumento, alterutrum e duobus cenſeo, vel eodem *hanc legem* pertinere, quo famoſa illa eiuſdem Valentis *lex 63. ſupr. de Decurionibus*, quæ & ipſa ad *Ægy-*

Ægyptum pertinet, ad Curiales inquam, latebras & ſecreta captantes, atque ad cœtus Monazonton conuolantes; vel Catholicos Clericos plures, vt perſecutioni Valentis Ariani ſeſe ſubducerent, rus conceſſiſſe. Nam hoc illud tempus eſt, quo renouata fuit Valentis in Catholicos perſecutio (vt teſtatur diſerte Socrates *lib. 4. c. 11.* adſcripto hoc ipſo Conſulatu *Lupicino & Iouino COSS.*) etiam in Alexandrinos, per eum ipſum Tatianum Præfectum Ægypti (cui hæc *lex 1.* inſcribitur,) vt teſtantur duo Auctores *vitæ Athanaſii, pag 58. & 89. Tom. I Oper. Edit. Lipſ. ſiu. Colon. apud Weidm.* quoque ipſo anno Rufinus *lib. 2. c 3.* notat, *fugas ciuium & exilia.* Neqoe dubito (vt & hoc addam) ad eundem finem ſpectare, quod Auctor Farraginis Alexandrinæ, (quam edidit Scaliger) tradit, *Tatianum hunc Augustalem primum Alexandriam introiuiſſe his ipſis COSS. Lupicino & Iouino COSS. VI. Kal. Februarii:* Nempe, vt præſentia ſua Athanaſio Ep. Alexandrino obſiſteret, omnesque in obſequio Imp. Valentis contineret; Cum hactenus Præfecto Auguſtali, vtpote faſces Conſulares præferenti Alexandriam ingredi fas non fuerit: de quo eſt inſignis locus Trebellii Pollionis, *in 30. Tyrannis in Æmiliano p. 195. Edit. Salmaſ. Pariſ. 1620. in f.*

DE HIS QVI CONDITIONEM * PROPRIAM RELIQVERVNT.

TITVLVS XIX.

Abeſt hic *Titulus* a *Cod. Iuſtin.*

* Collegiati *l. 1. & 2. 3. h. t.* Curiales, *d. l. 2. & 3. h. t.* Colonatus aut Inquilinatus, *l. 2. h. t.*

I. (a) Impp. Arcad. & HONOR. AA. Vincentio PF. P. (b) Gall.

DESTITVTAE miniſteriis (c) ciuitates ſplendorem quo pridem nituerant, amiſerunt: Plurimi ſiquidem Collegati cultum vrbium deſerentes agreſtem vitam ſecuti in ſecreta ſeſe & deuia contulerunt; Sed talia ingenia huiusmodi auctoritate (d) deſtruimus, vt vbicumque terrarum repperti fuerint, ad officia ſua, ſine vllius niſu exceptionis reuocentur. De eorum vero filiis qui tamen intra hos proxime quadraginta (e) annos docebuntur fuiſſe ſuſcepti, hæc forma ſeruabitur, vt inter ciuitatem & eos quorum inquilinas vel Colonas vel ancillas duxerint, diuidantur: ita vt in vlteriorem gradum miſſa ſucceſſio nullam calumniam perhorreſcat, &c. Dat. III. Kal. Iul. Med. Stilicone & Aureliano vv. cc. Coss. [400.]

NOTAE.

(a) Abeſt hæc *lex a Cod. Iuſt* vt & *duæ ſequentes*, quæ *huic* ſunt coniungendæ, vna cum *l. vn. ſupr. vtrum vi:* & *l. 13. Cod Iuſt. de agricolis.* GOTHOFR.

(b) *Vincentio* huic PP. Galliarum inſcribitur quoque Anno 398. *lex 58. ſupr. de curſu: lex vn. ſupr. de Burgariis:* Anno 399 *lex 26 ſupr. de annona & tributis: l. vn. ſupr. de Centurionibus:* hoc ipſo Anno 400. *Lex 6 ſupr. de metatis: l. 10. ſupr de deſertoribus l. 61. ſupr. de curſu.* Ad hunc ipſum ſunt tres Symmachi epiſtolæ *lib 9. epiſt. 7 9. 23.* ex qua poſtrema etiam apparet, eum PP. Galliarum fuiſſe. De hoc ipſo Vincentio & Sulpicius Seuerus *dialogo 1. c. 26.* vid. *Proſopogr. ID.*

(c) Collegiatorum. *ID*

(d) *Auctoritas*, ideſt, functio, conſtitutio, *hic*, & *l vn. ſupr. de Centurionib* (vbi dixi:) quæ eidem *Vincentio PP. Galliarum* inſcribitur: & *l 14. ſupr de indulg. debitorum.* vid. *Prolegomena. ID.*

(e) A Iuliani temporibus, ſeu ab A. D. 361. *ID.*

P. 618. II. (a) Idem AA. Vincentio PF. P. Gall.

ACTIONES (b) *publicas priuatasque non eadem ratione concludimus: ſiquidem ſtatui publico impenſius prouidendum eſt.* Eum igitur qui Curiæ, vel Collegio, vel Burgis (c) ceterisque Corporibus intra eandem prouinciam poſt (d) triginta annos, in alia quadraginta ſine interpellatione ſeruierit, neque res Dominica, neque actio (e) priuata (f) contingert, (g) ſi Colonatus (h) quis aut Inquilinatus (i) quæſtionem mouere temptauerit, &c. Dat. III. Kal. Iul. Med. Stilicone, & Aureliano Coss. [400]

NO-

NOTAE.

(a) *L. 6. Cod. Iuſt. de fund. rei priuat.* hinc deſumpta. Iungendæque ei *lex 1. ſupr.* & *lex 3. prox. infr.* & *lex vn. ſupr. vtrum vi:* & *lex 13. Cod. Iuſt. de Agricolis.* GOTHOFR.
(b) *Actiones* hic, pro actibus accipiunt nonnulli, & pro muneribus: quo ſenſu vox *Actionum* ſumitur in *l. 17. Cod. Iuſt. de Epiſcop.* quæ ſubſtituta a Triboniano, loco vocis *Actuum*, quæ eſt in *l. 42. infr. de Epiſcop.* Malim proprie pro *iure perſequendi* accipere. *ID.*
(c) De *Burgariis* fuit *ſupr. titulus* peculiaris 14. *lib. 7. ID.*
(d) *Per*, vt *Cod. Iuſt. ID.*
(e) *Vel intentio priuata*, ita *Cod. Iuſt.* immutatum: de qua alioquin *intentionis* voce vid. *Gloſſ.* & Iuretum *in 5. Symmachi 75. ID.*
(f) An rei priuatæ Principis nomine, & a rei Dominicæ actoribus: an vero a priuato, vt *leg. proxima?* Hoc verum, *Actio priuata*, eſt priuatorum hominum, vt *leg. ſequ.* ſuper ſtatu ſuo a priuato. *ID.*
(g) *Inquietabit*, Cod. Iuſt. *ID.*
(h) De Colonis vid. *Paratitl. de fugitiu. colon. ID.*
(i) De Inquilinis, vid. *tit. de inquilin.* vbi dixi. *ID.*

III. (a) Idem AA. Vincentio PF. P. Gall. Poſt alia.

MANENTE hoc præcepto (b) Manſuetudinis Noſtræ, vt is qui triginta annis docebitur functus officiis, neque vlla vnquam interpellatione pulſatus intra eandem dumtaxat prouinciam, nihil calumniæ ſuper ſtatu ſuo a priuato, neque a rei Dominicæ actoribus pertimeſcat: Intra definiti temporis metas ſi quis docebitur fuiſſe conuentus, iure legitimo in Ordinaria (c) ſede pulſabitur, vt illic de ſtatu eius ſententia proferatur. Primates (d) ſane Ordinum, (e) Defenſoreſque ciuitatum, (f) pœnæ denunciatione conſtringimus, ne paſſim vagari Curiæ, vel Collegii deſugas in publica damna patiantur: Quod ſi per gratiam tacuiſſe detegentur, pœnam relegationis excipiant. Dat. III. Kal. Iul. Med. Stilichone & Aureliano Coss. [400.]

NOTAE.

(a) Abeſt & *hæc lex* a *Cod. Iuſtin.* Iungendæ autem ei ſunt *duæ ſuperiores leges*, & *lex vn. ſupr. vtrum vi:* & *lex 13. Cod. Iuſt. de Agricolis.* GOTHOFR.
(b) Quod continetur *l. 2. ſupr. ID.*
(c) Apud Ordinarium Iudicem, ideſt, Rectorem prouinciæ *ID.*
(d) De Primatibus Ordinum dixi ad *leg. 190. ſupr. de decurion. ID.*
(e) Ideſt, Curiarum. *ID.*
(f) De Defenſoribus ciuitatum *ſuo tit. ſupr. ID.*

COMMENTARIVS.

COLLEGIIS, Curiis, Burgis cœteriſque Corporibus ne videl. Collegiatis ſuis, Curialibus, Burgariis & Corporatis, (de quo quadruplici hominum genere *ſuis titulis*) deſtituerentur ſeu fraudentur, cauet *his tribus legibus* Honorius Imp. cui Iungendæ ſunt & *l. vn. ſupr. vtrum vi:* & *lex 13. Cod. Iuſt. de Agricolis*, ceu vnius & eiuſdem Conſtitutionis partes: Qua in vniuerſum Honorius id agit, ne a Conditione propria perſonæ temere recedant ſeu diſtrahantur: a conditione inquam priuata, quo pertinet *d. l. vn. ſupr. vtrum vi:* & *d. l. 13. Cod. Iuſt. de Agricolis*, vel publica ſeu ciuitatum quo ſpectant *hæ tres leges:* Et quidem per Gallias: Nempe hoc illud tempus eſt, quo tum per Italiam quo pertinet eiuſdem Honorii *lex 1. infr. de Collegiatis:* (quæ *his tribus* concordat) tum ac maxime per Gallias omnia tumultus plena iam erant, conditioniſque ſuæ pertæſi quamplurimi, ſiue quia a priuatis dominis atterebantur, ſiue a ciuitatibus, conditionem ſuam variis rationibus deſerebant: ac maxime hi, ſic vt partim militiæ deſertores quamplurimi eſſent, de quo eſt *lex 10. ſupr. de deſertoribus*, quæ eidem Vincentio PP. Galliarum inſcribitur: partim vero (quod diſerte dicitur *initio l. 1.*) *deſtitutæ miniſteriis Ciuitates, ſplendorem, quo pridem nituerant, amitterent*, Curiæque, & Burgi, cæteraque Corpora deſtituerentur: vt dicitur *leg. 2.* veluti Centurionum: de quo eſt *quoque l. vn. ſupr. de Centurionibus:* quæ eidem *Vincentio PP. Galliarum* inſcribitur.

Idque vel agreſtem vitam ſequendo, & in ſecreta ſeſe, deuiaque conferendo, ideſt, aliorum coloni facti, vt docent extrema *legis 1.* vel ſtatus controuerſiam patiendo, de quo eſt *lex 2.* vel denique paſſim vagando, quo pertinet *lex vlt.*

Igitur Honorius *Collegiatos*, de quibus agitur *omnibus huius tituli legibus*, ad officia ſua reuocari iubet *l. 1. hoc t.* vbicumque terrarum reperti, ſeu quorumcunque coloni vel inquilini facti fuerint: ſcilicet hæc ætas eſt, qua multi functionibus publicis attriti, dedititios inquilinos & colonos ſe potentium & diuitum faciebant, eorumque inquilinas colonas, ancillas ducebant, & quaſi in ius eorum ditionemque tranſcendebant, & quidem per Gallias, quod etiam 40. ferme poſt *hanc l.* annis Saluianus teſtatur, & queritur prolixe *lib. 5. de gubern. Dei c. 9.* Denique iugo inquilinæ abiectionis addicebantur, & *fiebant præiudicio habitationis indigenæ.* Hos igitur ad Collegia ſua reuocari iubet Honorius, ſine vllius exceptionis niſu, ſeu nulla temporis præſcriptione obſtante. In filiis vero eorum, temporis diſtinctionem aliquam facit: nempe ante 40. annos ſuſceptos ad Collegium non retrahendos neque calumniam perhorreſcere oportere: Intra 40. annos,

annos, id eſt, a Iuliani temporibus, & ab A. D. 361. ſuſceptos, inter dominos & ciuitatem diuidendos: inter dominos inquam, quorum vel inquilinas, vel colonas vel ancillas duxerant: Et ſic ex inæquali hoc coniugio Collegiatorum filios diuidi vult Honorius: qui tamen per Campaniam ante triennium indiſtincte agnationem, id eſt, filios ex inæquali huiusmodi matrimonio natos, matris conditionem ſequi voluit, & ſic dominis cedere, non etiam diuidi *l. 1. infr de Collegiatis.* Cæteroquin diuiſionis huiusmodi filiorum exempla & alia *hoc Codice* plura occurrunt. Et hæc quidem de Collegiatis, qui inquilini vel coloni aliorum facti; & ſic de *l. 1.*

Secundo capite, puta *l. 2. & 3.* agit viceuerſa Honorius de iis, qui ex Colonis vel Inquilinis, Curiales vel Collegiati vel Burgarii olim facti ſunt, quibusque hodie ſtatus controuerſia mouetur. Igitur hanc actionem *Præſcribi* vult Honorius triginta annis, ſi intra eandem prouinciam, qui colonus &c. dicitur, Curiæ, vel Collegio, vel Burgis ſeruierit ſine interpellatione: 40. annis, ſi in alia prouincia. Hac ſcil. præſcriptione hanc actionem & repetitionem excludit nunc Honorius: ratione eleganter addita, qua ſimul dubitandi ratio profligatur. *Actiones*, inquit, *publicas priuatasque non eadem ratione concludimus: ſi quidem ſtatui publico impenſius prouidendum eſt.* Nempe ſuperiore capite præſcriptionem omnem reſpuit Honorius, & Ciuitatibus opponi vetat, ſuos repetentib. hoc vero capite, aliisa Ciuitate aliquem repetentibus aliquam præſcriptionem iure opponi definit: Non iisdem ſcil. finibus actiones priuatas & publicas concludi oportet; cum præcipua ſit & eſſe debeat ratio ſtatus publici, cui impenſius & enixius prouidendum eſt, vt cæteroquin priuata vtilitas publicæ cedit. Intantum, vt Princeps quoque ipſe *huic l.* ſuccumbat: Nam & rei priuatæ Principis actoribus, aliquem, velut ſuum a Curia vel Collegio repetentibus, prædictam præſcriptionem nocere vult Honorius: potiorem ciuitatum & publici ſtatus, quam vtilitatis ſuæ, curam habens. Porro idem Honorius nouendecim poſt annis per Italiam *leg. 1. ſupr. de Inquilinis & colonis*, hanc præſcriptionem adhuc coangustauit ad 30. annos indiſtincte, ſi coloni vel inquilini repetantur: ad 20. annos, ſi fœminæ. De qua diſtinctione ad *eam l. 1.*

Poſtremo capite Honorius pœnam relegationis comminatur Primatibus Ordinum, de quibus *titul. ſupr. de Decurionib.* & defenſoribus ciuitatum, de quibus *ſuo titulo lib. 1.* vbi vide *Paratitlon*, ſi vagari Curiæ vel Collegii alicuius deſugas paſſi fuerint, & per gratiam tacuerint. Nempe Primatibus Curiarum hæc cura incumbebat, vt & Defenſoribus ciuitatum: de quo *ſuis titulis.*

Addenda & emendanda.

Pag. 11. in Comment. leg. 5. colum. 2. lin. 6. lege Αθηναῖοι. & lin. 7. ſequent. ſcribe βραχύ.

Pag. 13. colum. 2. lin. 30. ſcribe πίσαυρον.

Pag. 27. in Commentar. colum. a. lin. 21 ſcribe ὑποσί. & lin. 22. dele punctum poſt βασιλία. & lin. 24. ſcribe ὁμοίως.

Pag. 28. in Comment. colum. b. lin. 46. ſcribe ἔφατε.

Pag. 41. init. leg. 30. ſcribe *Imppp.*

Pag. 47. in Commentar. colum. 1. l. 35. ſcribe εἰσπράξιν, & mox, *nouellis.*

Pag. 71. in Comment. leg. 2. colum. a. lin. 10. ſcribe *vicanis.*

Pag. 105. in Comment. leg. 3. colum. b. lin. 12. ſcribe διαφεύγει.

Pag. 137. in Comment. colum. a. lin. 36. ſcribe *de domeſticis.* & lin. 46. *explicat.*

Pag. 157. not. h. lege *thermarum.*

Pag. 168. colum. b. lin. 49. dele punctum poſt *putantur.*

Pag. 262. in Comment. col. b. lin. 16 ſcribe θᾶττον.

Pag. 324. in inſcriptione legis 25. lege *Thalaſſium.*

Pag. 339. in Commentar. col. a. lin. 9. ſcribe λαβέσθαι.

Pag. 352. lin. 7. in notitia legum, quæ ad hiſtoriam eccleſiaſticam pertinent, lege ita: *Arcadii lex 163 & Theodoſii Iun. lex 172.*

Pag. 407. not. d. lin. 4. ſcribe βουλευτηρίῳ.

Pag. 411. in Comment. col. b. lin. 5. ſcribe *lib. 25. cap. 4.*

Pag. 439. in Comment. leg. 63. col. b. lin. 13. ſcribe *legem 19. infr.*

Pag. 448. not. ff. lin. 1. ſcribe: *cæterum qui ſua*, vel *cæterum ſi ſua.*

Pag. 534. in Comment. col. b. lin. 23. ſcribe *lege 32. de ſuſceptor.*

Pag. 586. in fin. legis 22. *graui pœna eſſe compellendum*, variant libri, *eſſe plectendum* legunt MS. G. Edit. Cuiacian. prior. & illa in 4. Sed *eſſe plectendos* Ed. Sichard.

Pag. 587. in not. e. leg. 23. ita lege: *Vel* pro *vt &*, vel γρ. *&*. Cætera prudens lector emendabit aut feret. Eſt enim hic loci typothetarum tanta ignorantia & oſcitantia, vt & purgatis plagulis ab erroribus, nouos ſuperaddant.

AUT 1318835

Digitized by Google

V. LOFFRE

Digitized by Google